HIERONYMI
CARDANI
MEDIOLANENSIS
PHILOSOPHI AC MEDICI
CELEBERRIMI
OPERVM
TOMVS SECVNDVS;
QVO CONTINENTVR
MORALIA QVÆDAM, ET PHYSICA.
CONTENTORVM HVIVS TOMI SERIEM
Index Titulorum exhibet.

EDITIO VT CÆTERIS ELEGANTIOR ITA ET ACCVRATIOR.



LVGDVNI,
Sumptibus IOANNIS ANTONII HVGVETAN,
& MARCI ANTONII RAVAVD.

M. DC. LXIII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.



INDEX
Librorum, Tractatuum, & Capitum Tomi Secundi.

I.

De Vtilitate ex aduersis capienda.

Liber I.

Liber II.

Liber III.

Liber IV.

II.

DE NATVRA.

Liber Vnicus.

III.

THEONOSTON

Liber I.

seu

Liber II.

Liber

LIBER III.

LIBER IV.

IV.

V.

DE SECRETIS.

VI.

VII.

VIII.

IX.

X.

XI.

XII.

XIII.

DE FVLGVRE.

LIBER VNVS.



HIERONYMI CARDANI DE VTILITATE EX ADVERSIS CAPIENDA,

LIBRI QVATVOR.

PRÆFATIO.

Ad Octauianum Cusanum Iurisconsultum.



TANTA fuit maioribus nostris decoris & honesti cura, OCTAVIANE CVSANE, Vrbis nostræ insigne ornamentum, vt Socrates, de vita periclitans, Lysiæ, Rhetoris ea tempestate primarij, orationem luculentissimam & omnibus numeris absolutam aspernatus sit: testatus, bonam quidem esse & præclaram orationem, sed minus sibi congruentem. Ea ego quoque ratione, cum multa in nominis familiæque tuæ laudem, tum & operis atque argumenti conscribere possem, aut facundia atque eloquentia ornare virtutem tuam ac facta, aut vtilitatem operis miris quibusdam modis pro more extollere; malui sola proposita nuda veritate, velut decebat Philosophum grauem, ea hîc proponere, quæ ad intellectum operis ipsius facerent. Nam & eius dignitatem & tuam his præconiis indigere non existimo. Est enim operæ superuacaneæ & inanis prorsus laboris, ea, quæ omnibus nota sunt & per se clara, grandioribus verbis velle illustrare. Nam si vera sunt, frustra: sin falsa, id adulatoris est improbi. Cum ergo duo sint homini maximè necessaria, habere quòd velis, & his, quæ habes, vti commodè scire: hoc secundum quidem in cuiusque potestate est, modò industriam, curam, diligentiámque adhibeat: alterum, non omnibus, nec prorsus, sed plerisque atque maiori ex parte concessum est. Horum igitur duorum causa quatuor hos libros conscripsimus quàm accuratè per id tempus licuit: siquidem antè medium cursum contigit mihi graue illud infortunium atque calamitas, quæ vel sapientissimum quemque de recta ratione deturbare potuisset. Et, vt vera fatear, non tantum profuere hi libri in huiusmodi dolore, quantum mihi profuit sciuisse, mortem hanc iam multò antè prædictam, ordinatámque fuisse, certo iudicio diuinæ sapientiæ, quasi prodigio insignis alicuius calamitatis. Necesse enim erat, vt è iusti sanguine aliquis publico iudicio, velut in aliis excidis, causa quadam honestiore in nostro excidio plecteretur: quòd quando futurum sit, nec scio, nec scire cupio. Satis fuit mihi obstitisse, quantum potui, vt non solùm priuatum affectum, sed etiam tantum malum ab omnium capitibus auerterem. Nam quòd ad me attinet, quin perierim nihil abfuit, nisi diuina manus me subleuasset, primùm monitu per somnium, deinde conscribendo libros illo admirabi-

les Theognoſti, in quibus affuiſſe mihi numen aliquod ſatis intelligo. Nam ſublato dolore omni luctus, me mihi reſtituit. Neque enim ſolum ſcribendo, ſed etiam legendo illos, omnis calamitatis memoria, omniſque dolor abſcedit ac tollitur. Illis ergo libris non his opus eſt, quibus iure poteſt dici id Euripidis:

ὦ τλῆμον, ὥς σοι δύσφορ' εἴργασαι κακά;

Miſer, quot ardua interis tibi mala?

Qui verò, quæ ferri poſſunt, quæ humana ſunt, patiuntur, quique curant, vt quàm feliciſſimè pro conditione ſua viuant, his lectionem horum librorum haud inutilem futuram exiſtimo, nec ſolùm in aduerſis, ſed in ſecundis etiam rebus. Secundis enim rebus ſi quis abutatur, vt quidam amarò, ambitioſè, crudeliter, iniuſtè, libidinosè, non iam ſecundæ dici poſſunt, ſed aduerſæ. Quòd præclarè indicat illud Virgilij:

Turno tempus erit, magno cum optauerit emptum
Intactum Pallanta, & ſpolia iſta diemque
Oderit.

Bona enim fortuna ſi quis malè vtatur, perinde eſt, ac ſi malam experiatur. Quot diuitibus opes nihil aliud, quàm luxum & morbos peperere? Quot viris vxoris pulchritudo dedecori & exitio non fuit? Vidimus Petrum Citadinum, cui cum oblectamento eſſet piſcina in hortis, ſuffocatus eſt in ea vnicus illius filius, ſeptem annos natus. Bernardo itidem Scachabarotio delitiæ hortorum abſtulerunt vnicum filium annorum quatuordecim. Qui verò artem adamantes perforandi inuenerat, & famam & lucrum adeptus quidem eſt, verum cum ex Italia in Græciam tranſiuiſſet, auſus perforare adamantem Principis Turcarum inſignis magnitudinis & pulchritudinis, & immenſi pretij, fallente ſucceſſu, ſeipſum interemit, veritus grauiorem mortem. Plena eſt noſtra vita huiuſmodi exemplis, vt non minus neceſſaria ſit hæc ars, à nobis tradita, felicibus, quàm etiam miſeris. Quòd etſi tuto etiam liceret inter tot pericula viuere, nihilominus ſaltem propter vſum, ipſius ſcientia vtilis eſt. Sed cum diſciplinarum quædam magis ſcientia, quàm vſu conſtent, vt Geometria, Theologia: quædam ex æquo, vt Leges & Medicina: hæc ex horum generum neutro eſt; ſed ex tertio, in quo plus valet exercitatio, quàm ſcientia. Parum enim prodeſt ſapiētia, ſi quis ſtultè ſe gerat. Opus ergo, vt vſum aliquis & exercitationem adiſpiſcatur. Cuius tota ratio ſicuti in tribus conſiſtit, in adipiſcendo ipſum, in promptè exequendo, & in eius perfectione habenda: ita hæc habentur natura, arte, diligentia, exercitatione, conſuetudineque cum peritis in ea atque expertis. Diligentia quidem ad perfectionem facit, ad vſum verò habendum aut promptitudinem, parum aut nihil. At Natura ad promptitudinem plurimum confert, ad vſum vel eius perfectionem, verò, parum admodum vel prorſus nihil. Ars autem ad vſus perfectionem plurimum conducit, & eſt principium vſus: ad promptitudinem autem operandi parum aut omnino nihil. Rurſus, Exercitatio ad promptitudinem vſus facit, ad perfectionem nihil: ad vſum verò habendum eſt maximè neceſſaria. Ipſa etiam Conſuetudo cum peritis ad perfectionem vſus plurimum facit, ad vſum & promptitudinem aliquid poteſt. Principio exornandus eſt animus, corpus firmandum, munienda omnia ſunt bonis fortunæ, ad excipiendos ictus aduerſos. Inde cognoſcere oportet, quis finis ſit noſter. Niſi enim finem noſtrum noueris, velut nauta, qui, quò curſum dirigat, neſcit, in incerto ſemper vagaberis, neque cognoſces quòd vitæ genus illi conueniat. Scire autem id non poſſumus, niſi natura noſtra, qualis ſit, intelligamus. Sed quòd ad naturam ipſam attinet, duo ſunt, quæ dubitemus; tertium verò peculiare eſt ipſi fini. Et ad naturam quidem illud primum, an ob obitu anima pœnæ & præmij particeps ſit futura eorum, quæ in hac egerit vita? Secundum, an animæ omnes eandem ſint ſortem ſubituræ, magnitudine tantum & paruitate diuerſam? Vt, ſi ſint exempli gratia, omnes beatæ quidem futuræ, an aliæ magis aliæ minus? an pari ratione etiam pœnarum & dolorum capaces erunt? Manifeſtum eſt autem in prima dubitatione quatuor quæſtiones includi. Nam, ſi animæ pœnas & præmia ſubeunt, ambiguum non eſt, quin primò ſuperſint & ſint immortales: tum etiam, quòd ſingulæ ſeorſum maneant, nec in vnum confundantur: denique quòd futurum ſit, vt in vita eorum, quæ hic aguntur, in poſterum ratio habeatur. Quòd ſi ita eſt, palam fit etiam nos omnes neruos intendere debere, vt iuſtè, ſanctè, innocentèrque viuamus, omnéque conſilium, omnémque cogitationem

tionem nostram eò dirigendam esse, vt post mortem beata illa vita æternáque fruamur: neque solùm vt bonis illis tam immensis potiamur, sed etiam vt pœnas tam graues euitemus. Verùm si pœnas non sumus subituri, sed solum futuri participes præmiorum, poterimus tunc vtrique vitæ consulere: tum futuræ, virtute ac integritate, probitatéque morum; tum præsenti, curando illius commoda, valetudinem scilicet, opes, filios, amicitias, famam, cæteraque id genus bonorum, quæ cum honestate coniuncta sunt. At tertium dubium non circa rerum naturam versatur, sed in ipsius finis ratione tantum: atque id est, An, (si incertum sit de his, quæ ad animarum pertinent immortalitatem, suppliciáque ac præmia; imò nihil quasi comperti sit velut Epicurei existimant,) expediat sequi maiorem exspectationem, licèt valde dubiam ac penè desperatam, quàm præsentibus inhærere? Nam quæ Aristoteles & Stoici prodiderunt de honesto atq; virtute, quin & præclaræ illæ de Moribus, ac de Iustitia præcipuè, disputationes, si spes meritorum ab obitu auferatur, tam sunt frigidæ, inanes, & ridiculæ, vt nihil magis. Quòd si, præter has dubitationes, illud etiam scire liceret, de quo actum est in libris de Arcanis Æternitatis, An mundus scilicet & hominum generatio finem aliquando habitura sint, an non? tunc expeditè de bonorum fine determinare possemus. Filiorum enim & stirpis felicitas ad bona communia, tunc, non propria pertinebit, cum inter mortalia bona numeranda sit: alioquin aut prima futura ac principalis, longéque Sapientia maior atque Virtute. Ideóque & Socrates & quicumque alij de Moribus tractarunt, absque naturalium rerum determinatione, operam, vt dici solet, & oleum perdiderunt. Absurdius tamen Aristoteles & Stoici egerunt, qui, vt dixi, sublata spe præmiorum & pœnarum ab obitu, conati sunt, Virtutem esse bonam, hominibus persuadere. Et essent quidem virtutes hac ratione bonæ, sed non omnes. Sola enim prudentia, constantia, continentia, fortitudine, atque tranquillitate animum muniuisse per illam sufficeret. Constantia quidem aduersus calamitates, quæ iam nos opprimunt. Idque ob duas rationes. Prima, quòd æqua omnium mortalium futura sit conditio: imò melior infelicium; quum moriendo nihil amittant. Atque hæc ratio omni mœrori satisfacit, tametsi apud quosdam non admodum firma esse videatur. Altera prorsus firma est, etsi non tam ampla, tanta tamen, vt luctum quemlibet funditùs euellere possit, & acerbissimos dolores tollere. Desumpta est autem ea è Plotino: Omnes, videlicet, iniurias, omnes luctus iustè nobis aduenire & inferri: licèt qui inferunt, iniustè nobis illas inferant. Itaque si iustè nos subimus, etiam leniter ferendæ sunt. Quòd verò illas iustè subeamus, haud dubium esse debet, cum sint præuisæ: & si præuisæ, ordinatæ, atque ideò à Deo constitutæ. Quæcunque autem à Dèo constituta sunt, iusta omnino sunt. Neque enim vel sapientia vel potestas illi defuit, aut inuidia vel ira moueri potuit, quin omnia iustè & etiam pro temporum ratione distribueret. Neque ergo dubitandum est de tota ista oratione, nisi fortasse ab eius initio quod est dictum; Omnia, quæ contingunt, præuisa esse. At hoc ostendunt tot Pythij Apollinis oracula de Græciæ calamitatibus, de morte Philippi Regis Macedonum, tot ostenta de Cæsarum obitu. Sed omittamus antiqua, & innitamur præsentibus solùm, ac visis à me in nece filij: quam constat quatuor euidentibus prodigiis ita præuisam, vt genus & dies latere non posset. Neque verò existimandum est, filium meum aut me tanti fuisse, vt, nostra causa, noua lex scientiæ futuri sit constituta: quin potiùs omnia æquè certa esse apud Deum, etsi tamen prodigiis non ostendunt. Nam vt luporum cædes iustæ sunt ob scelera, sic agnorum ob sacrificium. Sic ille obtulit Filium suum, sed præsciens mortuus est. Et quàm parum abfuit ne vnicum filium ab Abrahamo, vt immolaretur, reposceret? Quid ergo opus est vt metuas, ne casu in calamitatem incideris? iniuriam acceperis? iniustè damnatus sis? Quòd si ita est, hac vna ratione confirmaberis, modò æqui patiens & amans fueris, vt animi intentionem haud remittas, aut in posterum doleas atque euertaris. Simili ratione feres fortiter incumbentia mala, non quia non terreant, (vt stulti quidam persuadere conantur;) sed tanquam necessaria. Et ne illo assiduo metu euertaris, & vniuersæ vitę acta perturbes tristi cogitatione, nec vllam dulcedinem percipias, continebis etiam te ab ira, cupiditate atque libidine. His etenim malis si succubueris, non euades è maximis infortuniis, vixque etiam à periculis ingentibus, etiam si Rex fueris. Præstat ergo nihil amare immodicè: quandoquidem huiusmodi amores aut magnos luctus,

aut magna damna afferre solent. Ad tranquillitatem autem plurimum facit consideratio hęc, quòd quantuncumque possideas, id totum minimum est totius terræ comparatione: ipsa verò terra totius orbis comparatione, ne puncti quidem instar est. Quid ergo tam amplum est, vt partem aliquam possidere dici possis? Eius verò, quod habes, nihil fermè tuum est, sed procuratorum, dispensatorum, famulorum, fictorum, amicorum, furum, si desint litigatores. Quin etiam qualis vsus? quanto plures in culina, tanto plures qui tussiunt, screant, tractant cibaria iisdem sordidis manibus, quibus feces detergunt, & stercoraria vasa efferunt. Ipsa verò vita quàm breuis est, cuius initium fini cohæret, & in cuius principio nihil certi habeas, in fine nihil supersit? Denique te ad, teipso miseriores conuerte, & lætus viues. Inspice triremium calamitates, carceris duritiem, xenodochiorum fœditatem, stabulorum inopiam: in quibus stipula & fimus pro vestibus hominum sunt: cæterum nudi iacent media hyeme, squalore illuuieque obliti, fame, frigore, morbisque variis afflicti, vt eorum multi ne manum quidem ad colligendam stipem extendere valeant. Intuere illum, qui iacet ad vrbis nostræ portam Ludouicam perpetuo in lecto, cuius pedes, præcisi à reliquo corpore, antè illum positi sunt. Narrat Chrysostomus, vidisse se Demophilum quemdam, claris parentibus ortum, iam quindecim annis perpetuò trementem, in summa paupertate, cum vnico seruo trahere vitam. Alium nomine Aristophneum Bythinium, conuulsionibus totum distortum, iam per sexennium in maxima omnium rerum inopia cum ancilla solum vixisse, cum nullus ob fœtoris magnitudinem illi appropinquare auderet. Conuerte te deinde ad damnatos ad metalla, ad lapidicinas, captiuosque Turcarum, vbi vxor, filiique singuli diuersis dominis venduntur, distrahendi & asportandi in longinquissimas regiones, vnde nec suorum nomina audire licebit: filia & vxor prostituuntur, filij in catenis impuberes ad fœda ministeria, puberes ad fodiendam terram adiguntur, & tamen hi omnes viuere volunt, tu verò deploras tuam calamitatem. Quid de priuatis omnibus dicam, nulla domus miseria aut cruce sua caret. Si diues, insidiæ, liuor, discordiæ: si pauper, omnia desunt. Inde morbi & metus omnia exagitant. Hæc cum tu considerabis, in summa tranquillitate viues. Restat, vt de prudentia agamus, in qua facto magis, quàm verbis opus est. Peccatur autem circa illam multis modis. Primum, ignorantia præceptorum, quæ hic traduntur: vsu quoque, atque ob id consuetudines loci callere oportet. Quòd verò plurimum obest huic virtuti, est improuisum consilium, seu stultitia tua, seu arte inimicorum vel tecum tractantium, seu quòd rei natura & præceps occasio nihil temporis det. Aduersus duos primos errores te exercebis diligenter, si non vnquam quidquam proferas aut deliberes, nisi perfectò intellecta re: item re etiam intellecta, nisi consilio peritorum in ea re adhibito. Nihil etiam arduum aggrediaris, nisi prius parentibus aut fratribus aut coniunctissimis adhibitis in consultationem. Responsum quoque in diem sequentem differas, etiam in leuibus negotiis, quæ inchoaturus es. Persæpè enim ex leuibus initiis magnæ in tota vita mutationes eueniunt. Considera etiam cum quibus negotium tractas, amicine sint an inimici aut æmuli tui, item prudentes an stulti, improbine an simplices, quæ causa eos impellat, vt te solicitent. Semper verò ab his, qui te vrgent cauebis, & rem ipsam, quo magis impellunt, differes. Doli enim pellis est celeritas, &, qui vrget, dolum armat: qui retardat & remittit, compedes illi iniicit. In repentinis autem casibus, quantum potes, te retrahe, & id saltem cognosce, an doli quidquam subsit? Id etiam caue, ne in irreparabilia mala te coniicias. Deinde, quos potes in consilium adhibe, & Deum in primis roga atque consule. Optimum est autem vt prius periculo occurras, quam vi ipsius rei, totiusque negotij coactus atque inconsultus ad rem accedas. Casus quoque prudentiæ consilia ne perturbet. Si audis falsa narrantem, assentiri melius puta, quàm contendere: sed, si potes, non audire melius est. Abstinebis etiam scommatibus, memor eius, quòd accidit Antiphonti à Dionysio, & Pertinacis filio à Caracalla, cum eum Geticum, quòd fratrem Getam occidisset, per iocum appellasset: statim enim occisi sunt ab illis quos scommate offenderant. In vniuersum autem memineris maximam stultitiæ partem, imò totam fermè, in nimia de se ipso existimatione consistere. Nam qui minus, quàm decet, de se pollicentur, hos timidos solemus nominare, qui

qui etsi non ita occasionibus vtantur vt decet, securius tanto tamen viuunt. At de se plus pollicentium tria sunt genera, quæ omnia ad insaniam pertinent. Primum tamen, quòd solùm plus scire sibi persuadet, ob frequentiam in stultorum numero censeri non solet. Nam omnes hoc morbo fermè laboramus. At maiora aut plura sperare, quàm habiturus sis, stulti planè est, & inter stultos hi numerari solent. Verùm plus posse, quàm possis, credere, aut habere quàm habeas, hoc non iam stulti solùm, sed insani atque perditæ amentiæ est. Itaque ab hoc maximè, tum etiam à secundo genere cauendum est. Quòd si etiam à primò te eximere potueris, magnam certè calamitatum occasionem abrumpes atque effugies. Cæterùm virtutes hæ animi, etiam sublatâ immortalitate, nobis vtiles sunt: sed non tamen eis plenè vtendum. Neque enim temperabimus ab aliena vxore, aut à virgine, nec pro patria pugnabimus, sed solùm his ad commodum nostrum vtemur: aliis autem nullo modo, velut iustitia, fide, liberalitate, veritate, nisi quatenus ad nomen & gloriam captandam, fallendumque homines, vtiles erunt. Ergo, vt ad rem redeam, cum in libris Theognosti finem hunc nostrum, animique fœlicitatem ac pœnas ita ostenderim, vt multi forsan de eis dubitare velint, nulli possint, quantumvis Athei sint: ob id omnia ea auxilia præsentibus in libris prætermisi, quæ vllo modo ad prauam tractationem atque vsum conuerti possent, ne minimo lucro maximam iacturam facerem, aut facere alios docerem. Circa vsum autem diligenter obseruare oportet res, opportunitates locorum, temporum, personarum, ac reliquarum conditionum. Ambitiosum honorabis, auaro lucri spem propone, iuuenibus illecebras luxus & voluptatum ostende, iniuria affectis viam vlciscendi: ita non secus ac aues piscesque aut feras escis propriis allicies atque captabis. Animo diligenter præparato, ad corporis curam te conuerte, recta victus ratione atque laboribus temperatis. Inde fortunæ auxilia quæres, vxorem, filios, amicos, opes. Plurimum autem ad has confert versari cum probis, prudentibus, benè fortunatis, iisque quibuscum tu fortunatè aliquid experiris: & contra eos deuitare, quibuscum infelices euentus sortiris. Neminem plus iusto amabis: nec prorsus amabis, qui te non amet, præter parentes, filios, fratres, fratrumque filios. Si contingat, vt & ab illis non ameris, nec hos quidem, vbi alij sunt ex his, qui te ament. Nihil enim infelicius, quàm eos, qui te non amant, immodicè amare. Æqualis enim molestia est, seu possideas, seu amittas. Præterea, cum felicitas nostra in tribus consistat, in re, in expectatione, & opinione: qui his duabus vltimis prudenter vtitur, prima haud valde æger. Nam constare fœlicitatem magis opinione, quàm re, indicio est, quod si quis nondum susceperit filios, aut vnum habeat tantum, non dolet, nec tristatur: idem cum quatuor susceperit, perieritque vnus, dolet ac lamentatur. Rursus, si quis non cogitet, in maximo etiam luctu constitutus, nihil mali sentit, & perinde afficitur, ac si nihil incommodi passus esset: neque doleret vnquam, si nunquam cogitaret. Nam dolorum corporis, qui nos cogitare de se cogunt, alia ratio est. Opinione igitur, non re, aut saltem magis, consistunt humanæ fœlicitates atque miseriæ. Expectatio autem quasi media est inter opinionem & rem: re ipsa tenuior, opinione solidior. Verum nisi animum ipsum præparaueris, nullo horum trium modorum beatus esse poteris, imò contra miser eris. Nam beatus esse nullo modò potes, imò miser es, cum optatis non frueris: at si animum & cupiditates non cohibueris, fieri non potest, vt illis potiaris. Humana enim mens, cum cupiditatibus in infinitum efferatur, nunquam potest satiari, cum natura humana infiniti non sit capax, imò ne magnæ quidem cuiusdam partis eius, quod optat. Necesse est ergo, vt, si quis non cohibeat cupiditatem & desideria, quamvis potens fuerit & Rex maximus quidam, tamen miserrimus sit prorsus. Quòd si modum his posueris, facilè feres aduersa propria: & si propria, etiam facilius aliena; filiorum, fratrum, vxoris, amicorum. Assuetus enim patienter feres tua incommoda, leuius aliena. Facilius etiam curabis illa, modò hi obtemperare velint. Vt enim medicus facilius alienos morbos, quàm proprios curat: ita & sapiens ac prudens aduersa filiorum & vxoris, quàm propria. Atque licèt Chrysostomus dicat, supremum malorum sustinere, qui in metum incidit, ne sine filiis decedat: hoc tamen supremum malum, quod cogitatione augetur, multis modis dissolui potest. Si animus ad loca beata migrat, si generatio humana aliquando finitur, si filij fratrum aut

aut ex matribus fororibusve, fi patrueles fuperfint: nam fi fint, eft perinde ac fi filij fupereffent. Demùm illud cogita, fimile effe hoc, ac fi doleres quòd orbis terrarum Monarcha natus non fis. Nam plures Monarchæ funt, quàm ij, quorum ftirps futura fit fempiterna: quomodocumque autem & quandocumque finem hæc habitura fit, perinde eft prorfus, ac fi fine filiis obiiffent. His rationibus, fi rationis compos es, tibi planè fatisfacies, etiamfi ad opinionem, non rem, refpexeris. Illud etiam animaduertens, quot homines fua fponte fine filiis obire voluerint, feu facris initiati, feu etiam profani. Hoc fummo, vt videtur, malorum è medio fublato, (ita enim noftrum femper eft inftitutum,) alia omnia & minora aut mediocria, aut minima facilè feres. Sunt verò & è calamitatum genere quædam, quæ fuapte natura bona pariunt, vt labores, paupertas, inimicitiæ. Vt enim ex lilij herba grauiter olente nafcuntur flores admodum iucundi odoris & formæ gratæ: ita ex malis quibufdā peculariter bona oriūtur. In hoc genere funt morbi, qui affiduè reuertuntur. Hi enim temperantiam pariunt & continentiam. Sic mortis timor hominem cautum facit, probum ac ad omnem occafionem paratum. Similis rationis funt lectiones & fabulæ, ac intemperies Poëtarum, in quibus, fi non ex malis bona feliguntur, ex turpibus faltem pulchra excerpere licet. Sic etiam turpium imitatio delectat, vt in ectypis mufcarum & fcarabeorum imaginibus, & in hiftrionibus, cum ebrios ftultófque fingunt. Luctus quoque delectant his rebus, quæ ex fe horrorem pariunt. Pictura quoque horrendi excidij delectat etiam illos, qui in eo periculo fuerunt. Velut apud Virgilium Æneas Troiæ ruinam in pariete miratur,

-----*atque animum pictura pafcit inani.*

Sed quia cum ea ceciderant tot amici atque coniuncti, fubiicit Poëta.

Multa gemens, largoque irrorat flumine vultum.

Alij verò non ita, fed velut in tragœdiis, alienarum calamitatum commemoratione voluptatem capiunt. Vtinam ergo huiufmodi calamitates eueniant, quarum meminiffe non pigeat, & vt, alienis potius, quàm noftris exemplis fiamus fapientes. Certè propterea, quæ ad vfum neceffaria effe atque vtilia docuimus, exempla non leuem vim habent, vtpotè quæ viuæ cuiufdam inftructionis rationem exprimunt. Neque folùm exempla calamitatum, fed etiam errorum ac vitiorum longè magis perfæpè nos mouent, quàm virtutis: vehementiúfque commouemur afpectu ebriorum atque infanientium, & eorum, qui ob profufionem mendicant, quàm temperantium, continentium atque parcorum. Minima ergo mutatio in animo, velut in Hippomacho, caufa magnæ diuerfitatis eft fuccedentium affectionum & cafuum. Si enim animus fit prudens ac fortis, tum continens, temperatus, atque tranquillus, paucæ diuitiæ, honores modici, non multi filij & amici fufficient ad felicitatem: fi æftuet intus, nihil fatis eft. Non ames, quod facilè te deferere poffit. Honeftus ergo ac tutus eft Dei amor, inde virtutis, poft diuitiarum, & vxoris. Filios ama, fed non adeò perditè; forfan te deferent. Præter hæc, ama tanquam ofurus, vt Sapiens ille dicebat. Alioqui ex eorum difceffu aut voluntatis mutatione, fiue amici fint, fiue amatores vel domeftici, non leuem fenties dolorem. Porrò fi in calamitates iam decideris, quadrifariam contingit plenè illis fatisfieri. Primum, fi in eodem genere aliquid boni maius oriatur ex ea calamitate, quod fecus ortum non fuiffet. Velut cuidam affini noftro feni contigit, cui vxoris mors occafionem fecit, vt aliam iuuenculam duceret, ex qua tres filios mafculos fufcepit. Alius & ipfe affinis nofter viduus, cum filium vnicum extuliffet, atque ex eo fpem tranfituræ ad fuos hæreditatis amififfet, aliam duxit vxorem, ex qua feptem filios habet, & nunc felix viuit. Sic Cæfari ex damnatione Senatus acceffit imperium. Multi ex oppugnationibus & accufationibus inclaruere, ignoti alioquin. Deinde, fi ex malo maius bonum alterius generis exoritur. Quod euenit Themiftocli, qui per exilium factus eft dominus quatuor vrbium, cum domi haud prædiues effet. Sic expofiti Romulus & Cyrus, magnæ gloriæ anfam inde arripuerunt: vt & paulò ante noftra tempora Caftrutius Caftracanus. Sic Hiero ex morbo & eruditus, & melior euafit. Ad hæc, fi plenè vindictam de his, qui calamitatem intulerunt, fumere licuerit. Poftremò, fi in pofterum exitium parari fibi intelligant, qui iniuriam intulere, nec tamen interim quieti viuant: quemadmodum Chriftiani Iudæos vlti funt. Cauendum eft autem, ne nominatim in hoc genere quenquam laceffas: periculofum enim eft tibi, & illis gloriofum. Apparet enim & Caligulam & Neronem & Eroftratum, multofque alios facinorofos homines quæfiuiffe famam ex flagitiis. Nolunt multi nominari,

non

non ob de decus, sed ob metum: vbi metus desit, eam infamiam nominis æternitati vtilem esse putant. Quapropter familiam, in odium posterorum, in iniusto facinore, si vltio te delectat, commemorasse sufficiat. Cæterum maximè calamitates sunt, quæ sinceræ sunt, & ineuitabiles, & ex quibus redire non licet. Qualis est mors sine dedecore & cruciatu: his tamen qui dedecus morte maius non esse existimant. Mors etenim cum cruciatu & dedecore, dum animum distrahit atque confundit, licèt astantibus sæuior videatur, magis tamen sæua est, quæ sincera & breuis est. De corporis autem dolore aliud statuendum est. Is enim ostendit, & in malis, & in bonis, nihil maius esse cogitatione. Quod si rationibus prædictis magnum animi dolorem, si tristitiam ex præsentibus atque præteritis, seu timorem ob futura & incumbentia leuare non licet: magni quidem & noui dolores ac casus solent curari potu vini, in quo radix mandragoræ diluta sit, vt docebat Hippocrates, vel, si breuis sit affectus, crocus orientalis. Vitiorum autem animi maximorum, qualia sunt alea, amor immodicus, pertinacia, stultitia, impotentia, aut inconstantia in aliis, si rationi non parent, nec auxiliis vincuntur naturalibus, medela est timor & tristitia maxima ac diuturna, atque desuetudo. In bonis autem adipiscendis maximè curabis, vt sensim ascendas, ac quasi per gradus. Quia verò, si primum gradum amiseris, velut in scalis, postmodum pedem non adeò extendere licebit, vt possis ascendere, sed hærebis in imo: idcircò primum hunc gradum, quàm celerrimè poteris, arripies. Quæ verò plurimum valent ad persuadendum, sunt honestum, vtile, exemplum, preces vel minæ, religio, & persona grata. Considerandum est etiam, vt res tanti æstimes, dum habeas, quanti facturus, si amiseris. Etenim, si homines sensum amissionis haberent, dum possident, nemo nisi vi & coactus in miseriam incideret: sed quoniam, dum habemus, non sentimus qualis futurus sit dolor, si amittamus, turpiter in eum errorem incidimus. Palam enim est, calamitates omnes atque miserias in amissione atque priuatione consistere. Nam dolor est amissio indolentiæ, & morbus valetudinis, & luctus amissorum. Ita si filium, vel fratrem, vel fundum, vel domum vel pecuniam habeamus, vbi amiserimus, dolemus vehementer. Incuria ergò habentium causa est & ludi & aliorum errorum, ex quibus in ingentes calamitates incidimus. Quis enim est, qui si dolorem amissionis pecuniarum ex alea, antequam amitteret, sentiret, in animum inducere posset, vt ei se periculo nisi prorsus amens exponeret? Curare etiam oportet, vt diligenter, quæ habemus, perspiciamus, & in filiis quidem ac domesticis, vt ne castigantes, subuenientes cogamus illos abscedere, aut improbos reddamus. Contra, cum vlcisci improbum quempiam familiarem in animo est, nihil melius optima tractatione: nam postquam deseruerit nos, sentiens quantum amiserit, grauiter plectetur. Equidem dirum est hoc pœnæ genus, atque vt aliàs dixi, à ciue nostro Lypithocho excogitatum. In his verò, quos deserere, cogimur si ante nos fuerunt, naturæ necessitatem proponere expedit, vt in parentibus, fratribus maioribus. Nam nisi illi priùs te relinquant, omnino necesse est, vt illos relinquas tu, pari dolore, & peruerso naturæ ordine. In iis autem, qui post nos venerunt, vt fratribus minoribus, filiis, equis, si amiseris, cogita tempus, in quo nondum habebas. Pari enim sorte nunc vteris, neque verò tum dolebas nec tristabaris. Interiectum autem tempus, quo vsum illorum possedisti, quid est, quod non id inter delitias & fausta colloces, eorúmque memoria, quæ tunc acta sunt, recreeris? In omnibus præterea causis, quæ hic non adeò explicatæ videntur, imitatione pro supplemento vteris. Velut in custodienda & coercenda impotenti familia, exemplum duces à phratriis, vbi tot capita & tam diuersis moribus & conditionibus, adeò quietè continentur, fame, vberibus, carcere, duritie, vt cogantur ea maximè quæ nolint, deserere amicos, amplecti inimicos, vtque omnia in obsequio posita sint & voluntariis coactis actionibus. Eadémque ratio in sacris virginibus. Atque has quidem perpetuò in domo continemus: illos non nisi impetrato discessu egredi patimur, & comite adiecto, ne liberè quidquam agere liceat. Eadem ratione impotentes domesticos & petulantes domabimus. His ergo armatus præsidiis quicumque ad hunc librum legendum se contulerit, intelliget quantum vtilitatis, decoris, ac voluptatis sibi comparare ex eius lectione liceat. Nam quæ tam magni Philosophi, quod eorum pace dixerim, in hoc genere scripserunt, vix catulæ mortuæ luctum leuare posse videntur. Adeò vt in aduersis non modò suppetias non ferant, sed alia docentes, alia sentientes ac agentes, miseros suos clientulos aliorum

iniuriæ exponant ac detegant. Quamobrem parcè illorum lectione vtendum est, quæ neque pietati satisfacit, sed aduersis præceptis atque ambiguis sententiis cum ea luctatur: nec vtilitati hominum atque vulgari opinioni, sed ipsos impotentes & pauperes ac contemptos efficit, nec validis denique rationibus leuat miseriarum dolorem. Nos verò tum hic humanitùs, tum in Theognosto diuinitùs docuimus eas rationes, quæ omnino genus omne calamitatis abundè leuare possunt: sed tamen ita, vt quasdam adeò acerbas putemus vt planè enarratione eorum, quæ in Theognosto continentur, indigeant. Ibi enim explicata non solùm atque dilucida est enarratio immortalitatis animarum, sed & coniunctionis illarum cum Deo, gloriæq; immensę, tum splendoris ac voluptatis ineffabilis, quibus ab obitu seu abitu à corpore fruuntur. In cuius quidem libri confectione sperabamus aliquo adiumento futurum cum Marci Antonini librum, qui de illius vita nuper in publicum exiit. Verùm seu illius non sit, quod magis arbitror; seu melior fuerit princeps quàm Philosophus, seu felicior quàm sapiens, nihil deprehendi, quod ad meum vsum possem traducere. Multa enim cum essent non aspernanda, tam inordinatè tamen & concisè & prorsus sine vlla demonstratione scripta erant, vt alio Antonino expositore indigeant. Cæterùm tibi, O flos patritiæ gentis Vrbis nostræ, OCTAVIANE CVSANE, qui solus in tanta calamitate me non aspernatus es, sed cum despectum me prorsus ab omnibus existimarem, in ipso acerbo luctu munere egregio significasti, quantum, si licuisset, voluisses, virtutémque apud bonos atque probos viros, virtutísque opinionem immobilem esse: Tibi, inquam, hoc totum debetur debéntque Mortales, cuius singulari prudentia & probitate factum est, vt absolui potuerit. Quare munus hoc nostrum qualecumque accipe, Vir splendidissime, méque tua in me beneficia testari honorificentius non posse puta, quàm cum me mihi per te vnum restitutum fuisse profiteor. Vale. Ticini, XV. Kal. Decembris, M.D. LX.



LIBER



LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

De Demonstratione.

DIOGENES Philosophus, cum esset pauperrimus, solebat tantum secum deferre peram & baculum. Baculum quidem, vt reor, pro sustentaculo, quod iam ætate esset inualidus, tum etiam ad abigendos canes ac feras, si qui illi iter agenti obuiam venissent. Peram verò, in qua & lupinos, quod erat illi familiare edulium, & olera deferret: qua etiam aquam hauriret & biberet. Tam paucis vir ille contentus erat. Dormiebat autem hyeme sub porticibus, substrato fœno paleaue; æstate in hortis sub dio, & super herbam. Hæc illi prædulcis vita atque suauissima habita est. Quam etiam Magnus Alexander cōprobare visus est. Verū cum aliquando præteriens fontē, conspicatus esset puerum vola manus caua bibentem, abiecta pera dixit: At iste, sine Philosophia, sola natura instructus, frugalitate me superauit. Existimans beatissimum esse, paucissimis indigere; quod dij, qui tales absq; dubio sunt, nullis prorsus indigeant. Neque enim illis est cibus aut potus, vel vestimentum, aut domus, aut pecuniæ, aut aliquid horū, ob quorum possessionem nos tota vita discruciamur. At illi tamen nullis indigent, quoniam eorum vita atque natura sibi in omnibus sufficit, hominis autem non ita. Quamobrem si quis diis se hac in parte comparare velit, quare non & piscibus ac ranis eadem ratione se confert? dicens, pisces in aqua, & maximè æstiuo tempore dormiūt noctu, & ranæ in limo; ergo & me similiter agere decet? Nonne hæc planè stulta ratio esset, ac consilium perniciosum? Non ergo simpliciter, carere multis, ad felicitatē via est, secundum Diogenem: sed ita animum ac corpus paratum habere, vt quam paucissimis indigeas. Hoc felicissimum vitæ genus est: vt contra, durissimum & miserrimum, ita animo & corpore molli anxióq; esse, vt, dum ad mortem properas, alias super alias sarcinas laborum, curarum, atque diuitiarum tecum trahere cogaris: cum quibus, dū moreris, vnica spes sit in animæ interitu ob tot admissa flagitia, & tamen, cum illū tibi persuaseris, ingēs nihilominus dolor ob tot parta, tótque laboribus, relinquendi necessitatem, & quod ampliùs non reuerteris, nec in æternum amplius eris, cum tamen Dij, Sol, Luna, elemēta, hominum genus, imò & cuniculorū & muscarum, & ædes ac ciuitates in æternum mansura sint. Quamobrem horum felicitatē, si quis rectè perpendere velit, non in ipsis partis constare deprehendet; sed in stultitia, in amentia, in ἀλελημένῳ, quod est *non cogitare*, seu λελῆσθαι, *obliuisci*, imò scire potiùs nolle, repositum esse. Cum ergo harum extremarum opinionum vtraque vitiosa sit & inutilis, palam est, nos aliā quampiam rationem quasi mediam inuenire oportere, quæ omnibus in rebus satisfaciat. Id fiet, si quod in vtraque opinione vtile est, in vnum conferamus. In prima illud est optimum, quā paucissimis indigere: in secunda, pluribus abūdare. Sic enim beatos illos esse videmus, qui longè plura sunt, quā sint ea, quibus indigent: longè verò beatiores, si plura habeant, quàm optent. Ergo si quis id possit efficere, efficiet etiam vt homines sint beati. Id verò plures conati sunt, tū generaliter, tū ex parte docere.

Inter quos L. Annæus Seneca fuit: is in epistolis conatus est homines suo iudicio felices reddere. Illud maximè ac sæpiùs proponens, paratos nos esse oportere aduersus calamitates omnes, tum perpetuò meditari mortis aduentum: ratus, vt arbitror, eū qui mortē alacriter exspectare possit, per quā à malis liberemur, sine molestia victurū. Quemadmodum enim, quis in carcerem cōiectus, si scit certò se breui liberandū, carceris incommoda facilè feret: ita qui certò se nouit per mortem euasurū præsētia mala, si credere potest nō esse in morte malum, beatus ea spe viuet, & calamitates omnes æquo animo tolerabit. His tā paucis, scilicet meditatione læta mortis, & contēptu paupertatis, felices nos reddere posse se arbitratur. Adiicit his duas alias rationes; quarum altera est, non esse malū in dolore, quē maximè aliàs metuere solemus. Nam si diuturnus est, non magnum; si magnus, non diuturnum esse: at malum oportere, vt formidabile sit, magnum simul esse & diuturnum. Altera, quod quæ præterita sunt, iam non sunt mala: quinimo eorum memoria dulcis atque iucunda est.

-----*Forsan & hæc olim meminisse iuuabit.*

Præsentia quoque mala torquere hominē non debent: momentaneum enim est, quod præsens est. Nec quisquam tam grauem fert dolorem, qui, si speraret statim benè se habiturum, non modò non patienter ferret dolorē illum, sed qui non lætaretur. Verum omnes ob id dolent, quod perseuerantiā metuunt, & ingruentia deteriora, quā quæ patiuntur. Et ideò malorum causa tota pendet ex exspectatione futurorū, nō ex præsentibus aut præteritis. Verū de futuris etiam torqueri non debemus, quod omnia futura sint incerta. Et quntumuis certa sint, non adeò vnquā certa erūt, vt ipse inquit, quin hoc certiùs sit, futurum incertum esse.

Verùm hæc Senecæ opinio multifariā manca est, peccátque. Omitto nunc quod ad stilum attinet: nam & Cicero ait, multum conferre ad persuadendum, vt res fide dignæ etiam ornatè dicantur. Si mors inter indifferentia reponitur, ad quid perpetuò eam meditari? si inter mala, ad quid totam vitam perdere in tam tristi contemplatione, vt momenti terrorem effugias? Quem etiam non sic effugies: aliud enim est res, aliud verba: aliud ratio dictat, aliud corpus sentit. Itaq; stultissimā eam opinionem, & ex atra bile ortam existimo. Erat

ille positus in maximo mœrore, dum has scriberet epistolas: metuebat enim sibi iratum Neronem, ac supremum minitantem, ideò semetipsum his nugis nitebatur consolari. Verùm mittamus hæc, vnum sat habeo, egregiè insanum hoc esse argumentũ? nam vt ille dicebat,

Dic rogo, quis furor est, ne moriare, mori?

Quod si semel mori, ne moriaris, furor est: quanta maior amentia insaniáque plenissima fuerit, millies mori quotidie, ne semel moriaris: atq; id etiam non obtinere; imò ne id quidem, vt tunc à metu mortis sis liber? Accessit huic errori longè maior impietas, absurditas atque nequitia. Impietas quidem, quod Dei non meminit, sed omnia ad stultam, vanam & incertam quandam sapiẽtiam, gloriæque breuissimæ exspectationem refert: non Dei prouidentiæ, non beneficiorũ eius memor. Sed quęnam sapientia est, quæ sine Theologia, sine Philosophia naturali, aut mathematicis, vlliusue alterius artis cognitione, in hoc solum est, vt mori sciamus? Tanquam si ad ea quæ refert de tolerantia, non multi canes tranquillo magis animo, quàm hi sui sapientes ac fortes viri, perferant mortem. Videntur igitur hæc non minus absurda, quã impia. Sed quid absurdius, cùm toties mortis meditationẽ inculcet, animam mortalem tamen esse dicat? Quod si verùm adhuc esset, mali Rhetoris officio fungeretur: at nunc cum falsum sit, quid stultiùs aut magis intempestiuum excogitari potuit? Hortatur nos ad mortem, & nihil à morte superfuturum persuadet. Quis tã amens, qui, nisi omnino non solùm improbus sit, sed & de diuina bonitate diffidat, non malit esse quàm non esse, etsi in maximis miseriis constitutus? Nequitiam verò & improbitatẽ summam illis suis in epistolis ostendit, cum in tot præceptis suis neque liberalitatis in amicos, neque misericordiæ in pauperes, nec vllius penè virtutis, quæ ad societatem humanam spectet, meminerit. Sed omnia ad solicitudinem, tolerantiam ac ferinam illam vitam referat. Fortuitò id factum dices. Nil minus: sed vafro consilio animóque, quo semper fuit. Cupiebat libros suos legi, addictus inani illi opinioni vanæ gloriæ post mortem adipiscendæ: sperabat autem id se maximè consecuturum, si ea, quæ neminem grauarent, intermisceret. Nam diuites, ob stilum & intermixtas Epicuri sententias, (forsan plus de seipso persuasus, quàm decuit,) existimabat gratam habituros lectionem suarum epistolarum, si nihil intermisceretur, quod illis molestum esset, suadendo vt vsuras remitterent, amicis largirentur, pauperes pecuniis iuuarent, impotentium iniurias vlciscerentur, iustitiam defenderent, castè moderatéque viuerent. Sed puerilẽ quãdam, ac omnino insanam speciem paupertatis suadet, dignam potiùs risu, quàm Philosophiæ præceptis. Pauperes etiã ad leuandas miserias (quãquam, vt dixi, sanè frigidis argutiolis,) in earũ epistolarum lectionem pronos futuros sperabat. Ita vir hic pessimus omnia ad commodum proprium vertens, & Dei & hominum oblitus est. Vnde etiam illud ei, quod Cicero & reliqui oratores referunt, ad persuadendum defuit; opinio scilicet bona de Rhetoris vita. Nam qualis hic homo, qui de paupertate toleranda verba facit? qui, non toto quadriennio Neronis amicitiæ, septuagies & quinquies centena millia aureorum coronatorum congessit, totam Italiam fœnore exhauriens, viduarum testamẽta captans, Suilij accusator, Neronis adulator, conscius parricidij illius, aut saltem laudator, quod defendere scelestissimum fuisset. Illud omnino omni scelere maius, & cuius merito nõ satis iustas luit pœnas, vt in Neronis Encomio diximus, quod Neronem suæ commissum fidei, & in salutem humani generis illi traditũ, non curauerit in Philosophia erudiri, vt diutiùs illum, quemadmodum Tacitus refert in sui admiratione, contineret. O hominem omni latrone peiorem, Catilina scelestiorem, qui ob suum commodum, neque necessarium, neq; magnũ, nec laude dignum, totum humanum genus perdere sustinuerit! qui tot flagitiorum cædiumque, quas ille perpetrauit, causam præbuit! Sed hæc mittamus: satis sit dictum Senecã (nam sine præfatione talem virũ nominare non decet) etiãsi quæ scripsisset verisimilia fuissent, fide dignũ his in disputationibus censeri non posse. Nam quis credat paupertatem laudanti, cum ipse tantumopum, tanque iniustè congesserit? quis probitatem, cum fuerit proditor sui discipuli? quis bonos mores, Stoicáque dogmata, cum palam esset Epicureus?

Itaque nobis, qui hæc potiùs vitæ genere, quã præceptis probauimus, id muneris maximè conuenire visum est, & vt certã rationem beatitatis vitæ institueremus nostro exemplo omnibus communẽ: vtque ea non tã paucissimis indigeret, sufficeret autẽ vndequaq; quonam meliore modo aut qua via excogitari potuit, efficeremus, quã vt aduersis pro cõmodis vteremur? Nam cum vita nostra aut secundis aut aduersis plena sit, omnibus verò plura sint aduersa quàm secunda, plerisq; etiã longè plura aduersa secundis, si aduersis commodè & ad vtilitatẽ nostram vti sciuerimus, nemine fermè modus benè beatéque viuendi deerit. Cõstat sanè hoc argumentum longè aliud esse ab eo, quod docet aduersa esse vtilia optandaque, au saltem ferenda: quoque docet, quonam pacto ferenda extenuandaque sint aduersa, si eueniat, atque quomodo quàm commodissimè ferri possint, vtque ex eis vtilitatem capere liceat, quod propriè præsentis instituti intentum est.

Quinque enim cum sint circa calamitates consideranda: primũ, quod bonæ sint & vtiles: secundũ, quod indifferẽtes: ambo quidem hæc paradoxa sunt, & ad humanas actiones inutilia, quin etiam solis Philosophis atque Christianis accommodata, & de quibus in libris de Consolatione actũ est, & à Stoicis atque religiosis viris abundè tractatum. Reliqua tria ad præsentem attinent institutionẽ, vtilia quidẽ hominibus, & minimè à sensibus humanis ciuilique negociatione aliena. Sunt autem hæc, primum, quomodo quis calamitatẽ ingruentẽ euitare possit, aut declinare vel imminuere: secundum, quomodo, vbi superuenerit, eam facilius & cum minore periculo iacturáque tolerare: tertium deniq; quomodo ex ea ipsa cõmoda consequi possit. Vnaquæq; enim calamitas, nisi admodum sæua sit, viperæ assimilatur. E qua si quis fel, quod oculis humanis saluberrimum continet, promptè eruat, plus commodi ex hoc, quàm ex tota vipera incommodi consequetur. Conandum est igitur, vt hæc

omnia

omnia proptè inuenire, & consequi possimus. Præsertim hoc vltimum, scilicet modū expiscandi commoda. Etenim hoc ipsum ad quotidianas actiones & ciuilem vitam maximè accommodatum est. Prudentes enim viri, & præcipuè exercituum duces, non meliorem ansam felicitatis & gloriæ, quàm mediocrẽ aliquam calamitatem inuenere. Inde Cæsar imperium orbis adeptus est, priùs victus à Pompeio, & ex hac clade nactus occasionẽ tā insignis victoriæ. Nā priore casu Pompeius animatus, ausus est ancipitẽ spem certæ victoriæ anteferre. Sic Annibal victus, Romanū exercitum funditus ad Cannas deleuit; vt contra Annibalis dāna Romanos euexerunt. Camillus ex exilio summus Imperator & patriæ liberator euasit. Agathocles Syracusis obsessus multas ex ea necessitate gloriosásque victorias consecutus est. At verò & vitare aduersa, & imminuere & lenire solatiis, quis negare potest, non esse prudentis viri officiū? Octauianus Augustus, & Tiberius Cæsar, amissis filiis, ad vrbana negotia & res imperij se transtulerūt. Alij in hortos concesserunt. Quidā fortiter aduersa tulere, quidam non. At qui ea libenter tulerunt, ex belli ducibus nullum exemplum inuenio, nec minus ex priuatis ciuibus. Annibal & Philopœmon fortiter tulerunt supremæ diei aduētum. Decij, & Martius Cato Vticensis mortem vltrò expetiuere. Turpiter, cū dignissimi nece essent, Perses & Iugurtha eam deprecati sunt. Sed qui libenter, qui alacriter tulerint, nullum exemplū inuenio. Socrates, summus Philosophus & sppontanea paupertate insignis, mortẽ fortiter tulit, alacriter nequaquam. Videtur igitur Philosophia fortẽ efficere posse aduersus paupertatem atque alacrẽ: aduersus luctum filiorū ac propriam mortem, fortem vix posse. Multū igitur differunt inter se, fortiter ferre calamitates, & eas inter bona habere. Sed multo magis differunt, calamitates existimare bonas & vtiles, & docere quomodo ex calamitatibus bona atque vtilia consequamur. Illud etiam animaduertendum, quod quæ consolatione indigẽt, rarò possunt esse vtilia: & quæ ad vtilitatem conuerti possunt, parum indigent consolatione. Dispar ergo non solū tractatio hæc est, sed fermè in contrariis constituta. Sed & res ipsæ ad diuersos pertinent. Laudare enim aduersa, facundi rhetoris munus est: fortiter ferre, generosi animi, aut diuina sapientis: vtilitatem ex eis excipere, prudentis.

Differt etiam hoc argumentū plurimum à defensione, quod in ea persuadere nitamur, in aduersis nihil mali esse repositum. Atque id per aliquot calamitatū genera discurrẽti euidẽs est. Insania defendi & laudari potest, quod præteritorū malorum memoriam auferat, præsentium sensum tollat, imminentium metum non admittat. Omitto, quod Erasmus in declamatione illa stultitiæ, tantis eam laudibus illustrarit, vt maximè stultitiæ fauisse videatur. At quomodo tamen ex stultitia vtilitatem aliquam colligere liceat, nondum potui inuenire. Extrema quoq; senectus aliqua in se continet bona, scientiam multarum rerum, venerationẽ, admirationem: prudẽtiam auget, multas à nobis perturbationes tum animi, tū corporis extinguit, magni doloris metum in morte aufert: nemo tamen, quomodo ex ea ætate fructum capere euidentẽ possis, docere poterit. Omnia denique mala laudare quis aut nō esse mala defendere potest, quomodo tamen liceat ex ipsis omnibus fructum vtilem colligere, ostendere non potest. Nam ex phthisi, aut carcinomate magno, aut resolutione, item ex accusatione læsæ maiestatis, excarcere, è quo tametsi innocens, plurimū tamẽ excarnificatus, neque diu superuicturus exeas, quam vtilitatẽ capies? At econtra ad vitia plurimæ vtilitates consequuntur: quamquam nullum tamen vitium laudem potest promereri. Multum igitur interest inter laudationem defensionémq; casuum atque malorum, ac illorum prudentem tractationem, quæ in tribus, vt dixi, consistit: in vitando ac minuendo illa: tum in ferendo leuiter, ac, vt ita dicam, deliniendo: tum demum in vtilitatis, quæ ex eis haberi potest, atque commodorum inuentione.

Primū igitur scire oportet in vnoquoq; genere, quid fieri possit, quid non? Veluti senectus est ineuitabilis: leniri tamen queunt illius incōmoda, atque vtilitas ex ea captari potest. Mors ineuitabilis, nec commoda licet ex ea capere, nec lenire illius atrocitatem, nisi quatenus, dicamus. Vincula faciliùs vitari possūt, quam leniri, aut vtilitatem dare. In vniuersum malorum genera duo prima sunt, intimum & externum. Vtrúmq; necessitate & magnitudine definitur. Externorū duplex est genus, aliud propriè externū, quod consensu omnium tale diiudicatur atq; ad fortunæ arbitriū pertinet: aliud quasi mediū, quod corpori accidit. Corpus enim nulla pars est nostri, nobis tamẽ cōmunicat. Atq; his omnibus euenit, vt sint perpetua, maxima & ineuitabilia: quas conditiones palā est exitialibus malis conuenire. Alia verò mixti generis. Erunt ergo simpliciū malorū genera decem: atque insuper vnum, quod ex pluribus constat. Hæc mihi breuissima & absolutissima malorum diuisio visa est. Velut si dicamus, intima mala sunt, aut necessaria, aut perpetua, aut maxima. Necessaria quidem, vt perturbationes: maxima, vt insania: perpetuum autem nullum est genere. Nā si esset, animus non esset bonū quidpiam. Externorum maximum est luctus; necessarium miserum esse, aut inuideri, perpetuum, carere securitate. Mediorum autem necessarium, mors; maximum, sensuum priuatio; perpetuum, senectus: hæc enim vbi aduenerit, semper in deterius labitur. Videntur ergo corporis mala omnibus deteriora, quod externa non adeò nos tangunt, & mutari possunt: intima autem non percipiantur à nobis, & ob id neq; nos torquent, nec vitari aut minui, nec leniri possunt; nec quidquam ex illis boni excerpere, aut consequi licet. Quæ verò nec maxima, nec perpetua sunt, neq; genere, neque numero, tametsi sint necessaria, decimum cōstituunt genus. Mixta autem, velut si quis senex, æger, & pauper sit, aliquid magni mali feret ex omnibus, etsi vnumquodque ex his per se tolerabile esset. Verùm omniū horum ratio ex simplicibus constat. Itaque videntur tantum octo superesse modi, de quibus sit considerandū. Iam verò, si quis etiam omnia animi mala tollat, & necessaria quæ nec magna sint, nec perpetua fient, cum decimo genere, id est eorū quæ nec perpetua sunt nec maxima, coniungat, erunt quinque in vniuersum genera. Sed hoc quintum genus, quoniam & maximū & perpetuum

petuum esse potest, licèt non tale natura sit, vt dolor ac paupertas, erunt septē rursus genera, de quibus erit disputandum: nam mors præter id, quod est malū necessarium, maximum etiā est. Porrò necessaria sunt ineluctabilia: differri tamen nonnunquam possunt. Vtut verò necessaria, nihil prohibet tamen, quin leniri possint. Talia quoq; minuere licet, non tamen quę maxima sunt. In vniuersum necessitas omne admittit auxilium: præterquam quod, ne eueniat, prohiberi possit. Maxima nec vtilitatis ansam præbent, nec vitari possunt: delinire tamen eorum sensum licet. Perpetua tollere non possumus, sed eamdem subeunt legem, quam quæ necessaria sunt.

Itaque vt singula iam diligentius percurramus, nō ex omnibus malis ansam vtilitatis capere licet. Nā non solùm è maximis, sed etiam cum minima fuerint, ex his fructum non capies, nisi plura sint & mediocria, vt superiùs diximus. Hæc enim implicant animū, illa non mouent, nec meliorē efficiunt, aut prudentiorē hominem. Generaliter autem, quæ hominem obruunt, prorsus sunt inutilia: seu multitudine seu magnitudine malorū id fiat, seu ipsius hominis mollitiæ, aut imprudentia vel metu, aut quouis alio modo. Quæ igitur in ipso homine sunt, omnia sunt huius generis: insania, ira, timor, stultitia, inuidia, imperitia. Non enim ex his fructum aliquem omnino decerpere licet. Nam cum in animo sint, animū obruunt, atq; ideò hominē: homo enim animus est. Cū verò, vt Medici dicūt, à sana parte sanetur morbosa, qui fieri poterit, vbi totus ægrotat homo, vt à se ipso sanari queat? Quædam verò sui magnitudine obruunt, vt morbi validi, extremaque senectus; maximè, si orbitate aut prauis filiis oneretur. Nam incōmoda illa nec tolli, nec leniri possunt, neq; ex his vtilitatem possumus vllā sperare. Diuturnitas etiā calamitatis molles animos penitùs enecat. Multi etiam natura vel educatione effeminati, vel rerum imperiti, aut ad irā nimiū proni aduersis franguntur & concidunt, tantū abest, vt vtilitatem aliquam ex his consequi possint. Vnde tales ex malo in malū, ex infortunio in infortuniū transeunt, dum priora excutere nituntur. Hinc aliis miserabiles voces & eiulatus, aliis exitiale fatū finē imponit. Ergo quæ maximè ad consequēdam vtilitatem ex aduersis faciunt, hæc sunt. Primū fortitudo, deinde prudentia, inde rerū experientia, parataque ante ex his ad ingruētes casus, auxilia, ex opibus scilicet, ex amicis, auctoritate, robore corporis, exercitatione. Demū vt, quæ hic scripta sunt, diligenter quis perlegerit ac diutiùs pensitauerit, didiceritque præcepta non solùm mente cōprehendere, sed sæpiùs exercendo ea tractare, & ad vsum accōmodare assuescat, vel ob hoc maximè, quod multa sint, quæ nulla arte scribi possunt, aut præceptis doceri. Quapropter & plurimum ad hoc conferunt cuiusque ingenium aliæque animi dotes, ac promptitudo quædam ad ciuilia negocia. Tum verò regina illa humanorum casuum fortuna in omnibus multum potest.

Ergo cum in his experientia opus sit maximè, expertis credendum est. Eosq; dignos censeri, qui de talibus scribāt, qui etiam vitæ genere ac patientia doctrinam testantur & confirmant. Quamobrem id peropportunū ac maximè decēs fuit mihi, cuius totus vitæ cursus calamitatibus plenus fuit, adeò vt necesse sit, si quidquam mihi faustum ac felix contigerit, id, caprifici instar, radices in calamitatibus protulisse. Imò licet alicui per infortunia vita diu, vt nobis per gloriosa certamina, ducta sit, tamen difficile poterit satis benè scribere de his, quod valdè exercitatū ad scribendum huiusmodi argumentū, requirant hominē. Ob id nō nisi incerto genere quidā scripserūt, ac quasi de parte huius argumēti. Primum quidem, quod sciā, Cicero in libris de Consolatione in morte filiæ Tulliolæ, qui perierūt; & de Senectute, quem habemus; atque vtinam totum hoc argumentum complexus esset! hac enim nos molestia careremus, & ampliorē colligerent homines fructum ex eius, quàm nostra lectione. Forsan & Officiorum libri huc pertinent, & de Finibus bonorum. Verùm nemo exquisitè hoc nostrum institutum videtur esse complexus, sed omnes, ea supponentes, quæ vnicuique sunt perspicua, commoda scilicet esse bona, incommoda autem mala, circa contemplationem illam, quid bonum, quid malū, & quis finis, taliaque eiusmodi, versati sunt: nemo autem ad opus ipsum, atque ciuilem vitam peruenit. Non multò post successit Seneca, de quo diximus, vir qui maluit diues in perpetua mortis solicitudine viuere, quàm pauper in tranquillitate. Nemo enim dubitare potest, quod, vt Poëta ait,

——— *Senecæ prædiuitis hortos.*

Nero non concupisset, si in pristina vita atque humili constitisset: aut saltem si ad eam rediisset, non conflatam ipsi inuidiam, aut vocatum in coniurationem, vel saltem illius suspicionem; nec potentiam illius redditam principi formidabilem fuisse. Verumtamen vt ille homo fuerit malus, epistolæ tamen ipsius multum huic argumento conducunt; neque ille propterea fraudandus gloria, aut nos furtum quasi admittere debemus, quinimo liberè fateri, multū ex earū lectione iuuatos. Versatur tamen, vt anteà declaraui, fermè totus in hoc argumento, mortē non esse malū, atque ideò nullum esse malum, quandoquidē morte ipsa omnia incōmoda effugere liceat. Aliud est magis absurdū & planè impiū, Sapientē non debere metuere Deos, quod hi potentiores non sint sapiente: quādoquidē sapiens à Deo sola perpetuitate differat: quin minus etiam, vt ita dicam, etiam hac in parte differt, si hominis animam existimemus immortalem. Verum differt à Deo, quod perfectus non est, quod nihil verè nouit, quod omnibus indiget, quod securus non est, similibúsque aliis. Itaque cum planè deliret in his, non tamen, quæ benè scripsit, ob hoc derelinquere decet. Præsertim quod ea sapientia, licet ingrato aduenerit, non tamen inuito Deo, imò eius sponte tributa sit. Quamobrem qui benè dicta viri improbi damnat, suæ sortis ignarus esse videtur. Omnes enim sumus improbi, licèt improbitatis magnitudine plurimum vnus ab altero differt. Is ergo mala, satis compendiosa diuisione, partitus est, in mortem, paupertatem, & externam violentiam. Satis breuiter aptéque ac forsan etiam pro suo instituto sufficienter: at non pro nostro, qui docere aggredimur, quomodo illa in vnoquoque præstare possimus, quæ præposuimus, scilicet quomodo vitari, declinari, aut minui possint?

possint? quomodo commodius aut leniter ferri?, quam demùm vtilitatem ex vnoquoque genere, & quomodo decerpere liceat?

Porro vtilitas huius operis, vt reor, non mediocris cuique futura est. Non enim hoc deducere propositum est, vt paupertatem operibus, orbitatem filiis, inimicos amicis, paradoxa struendo comparare velim. Absit: pene enim amentiæ hoc genus videbitur his, qui non perfectè iam ad diuina penetrauerunt. Sed si quis multitudinem occasionum bene gerendæ rei in aduersis vna cum exiguitate commodorum comparare velit magnitudini illorum, quæ adeo raro nobis ex felicitate ipsa adueniunt, & hunc quasi cumulum & aceruum integro frusto, maiorem ex aduersis, quã secundis rebus, fructum colligere posse nos intelliget. Quem etsi per exiguum esse contendas, tamen quia, dum illum, qualisusque sit, aspernatus nihil maius assequeris: colligẽs, non tantum nihil amittis, sed aliquid interim lucraris, colligere melius fuerit, quam aspernari. Etenim si quis alea perdat centum aureos coronatos, inde, mutata sorte, decem tantum recuperet, nunquid, collusore se subducente, decem illos vir prudens, quos recuperauit, abiiciet? Quin etiã, si quis, quod sæpe dixi, animaduertat nostra omnia ex minimis conflari, nihil esse integrum apud mortales, maxima quæque ab exiguis ducere originem: non solum minima ne pereant solicitus erit, sed ad quascumq; occasiones bonas captandas, & lucra quantumuis exigua colligenda, diligentiã & curã adhibebit. Tũ vero illud accedit, quod quemadmodum qui magnis haustibus bibũt, non adeo delectantur, vt qui sæpe ac sensim parum sorbillant: ita bona paulatim congesta magis nos delectant, quàm quæ cõfertim adueniũt. Vt etiam ab amaris eduliis potus dulcissimi apparent: ita ex aduersis secunda, ex calamitatibus prospera, ex iacturis lucra suauissima esse videntur. Atque id in re merito, cum quæ nobis confertim ac quasi ex insperato bona adueniunt, fœtus fortunæ existimantur: quæ vero sic satis multis laboribus, rebus afflictis, hinc inde decerpuntur, nostri proprie, industriæque nostræ. Ergo, non solum ex cõparatione ad præcedentem animi vexationem, quodq; natura nostra nouitate præsertim, quod grata sit & voluptatem afferat, gaudet; tum quod quæ sensim parantur, sæpe renouata voluptate magis delectant, & naturæ industria nostraq; virtute, quæ sic parantur, parta etiam esse videntur: tum quod nuqnuam fermè hæc occasio desit, illa vero rara admodum, quibusdam autem nunquam aduenit, & collectus aceruus sæpe magna illa fortunæ blandientis munera, quod rara sint, superare solet: ex his tot causis, inquam, non solum hæc doctrina de vtilitate ex aduersis capienda & aliis etiã plurimis, quas inferiùs docebimus, præstantissima est, sed & hominum generi maximè accõmodata. Sis diues, eruditus, fama celebris, cuncta habeas, nisi ad aduersa vitanda, declinanda, minuenda, leniter ferenda, decerpendamq; ex his vtilitatem paratus sis, fortuna opes turbabit; fama, vtut tempora præsentia faueant imperitiæ, multis casibus & personatis viris nutabit, gloriã gestorum conuellet, amici peribunt, filij improbi euadent. Adeo vt communis omnibus huius contemplationis, tametsi non semper vna sit futura, necessitas nec contemni possit, nisi ab his, qui parum experti ex ætate, parum prudentes natura, parumque naturæ gnari ob imperitiam & malam educationem, non mutuo hæc fortunæ dona accepisse se putant, sed quasi conata nunquam auferri posse credunt.

Verum si quis humana reputet, maxima nostræ felicitatis pars, fermè in omnibus, ex contrariis ortũ habet. Delitiæ ex dolore, voluptas ex indigentia, gaudia ex solicitudinibus nascuntur. Vbi salebrosa via superata, vbi naufragium enatum, vbi filius ex graui morbo sanatus est, tũ lætitia maxima affici solemus: nihil curamur aut mouemur, si nihil horũ præcesserit. Atque ob id, qui opes industria sua pararunt, sibi quasi gratulãtur, & felices multo magis se esse putant, quam si in opulentia nati essent. Cum tamen hi nullas molestias in vita senserint, illi vero plurimas. Thesaurorum autem inuentio ob id nos plurimum delectat, quod non solum pristinam paupertatẽ depellat, sed & Deorum donum esse videatur: & ob id etiam nos diis gratos esse debere, nobis persuademus. Quod certe si ita esset, præstantior muneris causa, maioreque in pretio haberetur munere ipso. Itaque omnes hac institutione indigere videntur. Pauperes quidem, quorum maximus est numerus, ob paupertatem ipsam. Diuites vero, quia propter diuitias multis cõflictantur modis: grandine, furtis, fuga debitorum. Sed fac, vt nihil horum eueniat, aut si euenerit, minime torqueat, vel ob immensitatem opum, vel hominis liberalitatem: num id impetrabis, vt lis te non vexet, aut filius improbus excruciet, vel odium principis, vel morbus, aliaue quæpiã mala crux affligat? Sed etsi nihil horum adsit, num adhuc poteris etiã sine suspitione, sine timore, qui te omnino non torqueat, viuere? num poteris euadere calumnias? iniurias, probra quorumdam petulantium? Verum fiat, quod fieri non potest vnquam, vt omnia secundent, nonne vel senio conficieris tandem, vel iuuenis morieris? quorum vtrumque miserrimum. Qui enim senio confectus est, iam mortem ad horas quasque præ foribus stantem habet. Qui iuuenis moritur, vrgetur eo, quod procul abesse existimabat. Itaque nisi his præceptis munitus sis, & multo plura & longe maiora incommoda senties, quam sensurus esses in vita: & grauius illa te torquebunt, nec licebit ex his incommodis aliquam vtilitatem colligere. Verum si apte his rationibus vtaris, & multas & diuturnas commoditates capies & etiam magnas. Cum enim vitam hominum contemplaris, inuenies honores, potentiam, diuitias, reliquaque maiora fortunæ dona ex aduersis & calamitatibus ortum habuisse.

Sed non eodem modo, neque eadem facilitate licet ex omnibus malorum generibus vtilitatem consequi. Nam ex maximis & leuibus malis ac intimis, maiore cum difficultate solemus ac minus vtilitatis capere. Ex animi vero morbis nullam prorsus, vt dictum est: nec ex his, qui corporis cum sint, animo tamen propiores sunt, velut comitiali & obliuione. Etiam ex magnis corporis infortuniis, vt carcere graui, tormentis, morbisque atrocibus

cibus, difficulter & raro consequi vtilitatem licet:& si consequaris, non nisi leuissimam atque inconstantem. Quatuor enim modis mala malis deteriora sunt: si facile eueniant, si magna sint ac grauia, si perpepetua, si plurima. At contra bona bonis præstant fermè iisdem rationibus. Ergo etiam in corporeis detrimentis magnum discrimen est. Ea tamen generaliter fortunæ malis peiora sunt. Sed & in his rursus differentia non leuis est. Quædam enim magis nos tangunt:vt filii, parentesque & vxor, tum diuitiæ. Rursus honor & contemptus propiora nobis esse videntur diuitiis & paupertate. Atque hæc iterum magis, quam serui vel amici inimicive. Ex huiusmodi, quo maiora sunt, eo maiores vtilitates capere licet. Nam vbi minima fuerint, nos non mouent. Ex intimis etiam, si sint mediocria;à magnis enim, aut multis simul, obruimur. Ex cæteris, quæ media habentur, si magna sint admodum, sed non in extremo, fructum maiorem excerpere licet: simul enim & nos mouent, & alios in admirationem trahunt. Terminus igitur omnium horum est, vt maximè moueāt nos, nec terreant aut obruāt, sic enim obstupescimus in maximis calamitatibus atque concidimus. Nec tamen adeo putes me insanire, vt velim te subire maiora mala, quo vtilitatem aliquam egregiam consequaris. Quæ enim per se sunt, multo ampliora sunt his, quæ quasi ex industria nos facimus. Dico vix fieri posse, maximè in his, quæ omnino à nobis non sunt aliena, vt bona sint detrimentis comparanda, nedum æquanda. Quare caue diligenter, ne mala tibi adsciscas, vt postmodum horum fructum consequaris. Quinimo, vt iam sæpe admonui, id cura quam diligentissimè, vt surgentia inhibeas, minuas atque declines. Declinare voco, cum id agis, vt licet euenerint, quàm mininum ad te pertingant. Quo maximè præsidio vti solemus, cum mali genus externum ac quasi commune est.

Quisquis ergo non prorsus est infelix, (atque sub hoc genere maxima pars hominum comprehenditur,) maximam partem suæ felicitatis ex aduersis colligere se posse facilè intelliget. Nam vt Medici præclara illa antidota ex deleteriis componere consueuerunt: ita nihil in humana vita tam vtile, tam venustum, quam quod ex malis bonisque simul conflatur. Sic iucundius afficiunt sanitas post magnum morbum, diuitiæ modicæ paupertate excussa, filij ab orbitate, quies post longam vexationem, inimicorum reconciliatio, reditus à peregrinatione, atque huiusmodi quàm plurima. Ergo nihil tam suaue est hominibus, quàm ex malis transire ad bona, atque ex aduersis vtilia colligere. Nihil tam commune mortalibus, quàm ex obscœnis atque neglectis optima quæque sibi parare; rusticorum more, qui ex cœno ac fimo sordidioribusque aliis, quæ nec nominare fas puto, vberrimum segetum, leguminum, fructuúmque prouentum colligere solent. Ostendit ipsa rerum series nihil esse tam familiare aut frequens, quàm ex bonis mala, ex malis bona oriri. Ibi summum persæpe incommodum, vbi atque vnde maximam sperabas felicitatem. Contra in aduersis ac pene desperatis casibus occasiones diuitiarum, dignitatum, splendoris nominis tui, vt præsentis salutis occurrunt. Quæ maximè opportuna sperabamus, exitialia sæpe experimur:& contra, quæ exitialia, opportuna. Nil tam perpetuum nobis, quàm vicissitudo rerum ac mutatio, nihilque prorsus esse perpetuum. Soleo humanas res, hancque totam machinam sublunarem, & quæ in ea contingunt, cereæ massæ assimilare in qua, dum comprimitur, tubera in cauitates euadant, caua protuberent, formæ omnes varientur, atq; in similes modò, modò in dissimiles transeant, in pulchras, fœdas, aspectu horribiles aut iucundas. Quæ vt conspicua sunt in huiusmodi exemplo ob temporis breuitatem: ita si quis longum mundi spatium, quod tamē breue est, sed vitæ humanæ comparatione longum videtur, consideret, omnia in illo, etiam hoc, quod latet nos & admiratione dignum fortè videri multis posset, manifestè ita se habere videbit. Non referam nunc exempla, quæ in aliis libris scripsimus: hoc vnum satis sit pro omnibus, quod ita omnia mille annorum aut paulo plurium cursu mutata sint, vt neq; Principis cuiusquam, neque vllius quidem egregij aut potentis viri stirps agnoscatur; adeo vt, cū tot Romanos, Græcos, aliosque famosos viros ex historiis fuisse certo sciamus, nullius tamen horum descendentes videamus, dubitare quis meritò possit hos, qui nunc extāt, non ab aliis hominibus, sed ex terra, vt quidam referunt, aut lapidibus originem duxisse. Ergo vt ad rē redeam, cum mutationes, vt Philosophi dicunt, ex contrariis & in contraria fia[illegible], vbi genus qualitatis mutatum fuerit, ex bonis mala, ex malis bona orientur. Videturque mihi natura hoc quodam egregio exemplo, atque maius aliquid expressisse. Nam in montibus nobiliorum metallorum ac gemmarum, venas leuibus tantum quibusdam indiciis expressit; quasi innueret, in malorum aggeribus persæpe (non enim semper) felicitatis thesauros latitare: quos si quis non contemnat, futurum vt labore ac industria maximas opes consequatur. Vtque ex vili etiam habitu, ac fœdo ministerio diuitiæ comparantur immensæ: sic ex malorum aceruis sæpius perpetua gloria, & iucunda vita deducitur. Cum igitur malorum nobis tanta sit copia, bonorum autem tam rarus prouentus, rectè instructus ad humana negocia, ad veram vitam, ad felicitatem comparandam dici non poterit, nisi qui malis benè nouerit vti, atque ex illis vtilitatem decerpere. Qui nouit, ei, præter commoda, quæ adeo multiplicia sunt, vt nulla hora fermè, nedum dies ab his vacua futura sit, illud suauissimum videbitur, quod se ista collegisse putabit propria industria atque labore, adeóque opportunè bona fecisse ex malis, quæ plurimum obfutura iure merito timere poterat, eaque in rem suam vertisse ac commodum, quæ tanquam pessima ægrè sustinuisset. Atque ex hoc etiam, sublata spe, tum æmulis, tum inimicis noceri potest, cum viderint nos aduersis tamquam secundis feliciter vti. Quid tandem dicā de gloria, deque laude, quæ hanc tantam prudentiam, tantamque dexteritatem in rebus arduis ac difficilibus tractandis, consequitur?

Sed cum, vt dici solet, suum cuique sit asylum, obiiciet aliquis multa ad hæc. Primum, quod felices & præsertim diuites talia & contemnant.

temnant & iucundam vitam ducant. Verum hi, quamquam ſibi felices videantur, miſerrimi tamen ſunt, & mortalium conditionem ignorant. Accidit autem iis quidpiam non abſimile, quod filiis eorum, qui alienas poſſeſſiones conduxerunt. Vt enim qui pueri adhuc patrem colligentem fructus colonisque imperantem vident, & exiſtimantes fundos eos eſſe ſuos, lætantur:& poſtea vbi adoleuerunt, nihil ſuum eſſe præter laborem animaduertẽtes, vehementer triſtantur & dolent. Ita ſi quis errore proprio ac multis familiari, hæc bona conducta reputat eſſe ſua, felix eſt: ſed vbi, quod euenire neceſſarium eſt, vero domino repoſcente illa, aliena eſſe reſciuerit, angitur multo vehementius. Non ſolum, quod omnia repentina mala magis nos torqueant velut inſperata, ſed quoniam hominem imparatum ad pondus ſubeundum reperiunt. Præterea, qui ſic tanquam de bonis ſuis ſecuri viuunt, nec quid ſit malum, quid calamitas, experti ſunt, non norunt quid ſit iucundum aut dulce, nec percipiunt ex eo, quam habent, voluptatem. Quis enim dulcedinem opum percipiet, niſi expertus paupertatis? aut ſanitatis, niſi morbo oppreſſus? aut quietis, niſi in mari fluctuauerit? aut tranquillitatis, niſi ab inimicis vexatus fuerit? Quoniam vero noſtra felicitas, vt recte definiunt Epicurei, in ἀπονίᾳ ſeu *indolentia* conſiſtit, hanc priuationem nunquam niſi comparatione eorum quæ ſunt, velut tenebras lucis, & ſurditatem auditus, & carceres libertatis, percipere poteris. Propterea enim voluptatem in ortu filiorum primogenitorum omnes non leuem percipimus, quoniam nemo ſtatim ab initio filios adeptus eſt, vt opes & ſanitatem, quæ naſcentibus ſimul adeſſe pluribus contingit, Filij etiam ipſi aliquid ſunt, præter id, quod nobis adeſſe neceſſarium ſit. Sed nec qui ab ortu ipſo ſic felices nati fuerunt, vti his, propter quæ felices eſſe exiſtimantur, recte poſſunt. Sed cum opes habent, aut profundunt nimium, atque ſic cito ad paupertatem deueniunt, aut non audent omnino vti, timentes quod neſciunt. Quod ergo plures ſe ſine hac diſciplina felices exiſtiment, non id mouere nos debet ſed oportet videre, an ſine ea felices eſſe poſſint. Nam & ſtultorum magnus numerus (ſcilicet eorum, qui lætam ſtultitiam patiuntur,) felices ſe credunt, alij principes, alij diuites ſe exiſtimantes, cum ſint ſorte mendici: nemo tamen ob id illorum conditionem ſubire velit, non ſolum quod vere beata non ſit, ſed quod, quod non eſt credendo, decipiantur. Itaque non ſolum vtilis eſt hæc cognitio ad felicitatem conſequendam in aduerſis, verum ad fruendum bonis etiam neceſſaria. Sed hæc infra clarius oſtendemus.

Alij aiunt, hæc naturaliter omnibus comperta eſſe, vſque magis, quam doctrina conſtare. Nam plures ex his, qui literas non norunt, ad maximam potentiam euehuntur, quã ex eruditis. Plenos etiam eſſe libros his nugis, (ſic enim hanc diſciplinam appellant,) vt iam locus non ſic vacandi huiuſmodi præceptis. Quinimo aiunt quidam, doce Medicinam, Geometriam, Arithmeticam, totque alias inſignes artes, propoſitum tuum laudabimus, libros tuos tuos euoluemus, aliquid ex te in his diſcere poſſe fatemur? Hic quid doces, aut quos, vel cur? An non tu, tanta hac tua ſapientia atque tam præclara, tantum non omnibus tuis miſeriis oppreſſus es? Tantus artifex non ſibi conſulere poteſt? Quare tu non in diuitiis, non in honoribus, in amicis, in filiis fortunatus es? Si diu vixiſti, ſi incolumis, debes hoc naturæ, aut ſi modò aliquid tribuere tibi ipſi vis, debes medicæ arti, non morum inſtitutioni. Hæc atque alia plura id genus obiici mihi poſſe ſentio. Verum neque ob hæc fractus deſiſtam, vt, quibus poſſum modis, humanum genus non iuuem. Nihil primum in huiuſmodi argumento ſcriptum eſſe contendo, aut ſi quid ſcriptum ſit, id paucis in partibus atque exiguis tantum. At totum ipſum, quo de nunc agitur, intactum adhuc eſt. Sint etiam multa ſcripta, aut non bene omnino, aut bene quidem, ſed non quantum oportuit, ſcriptum eſt. Sed & ſcripſerint quidam ornatius, nonne etiam melius ſi quis dicat, alius autem ornatius, qui melius dixerit, anteferendus erit? Sed cedat res quouis modo, pium eſt propoſitum iuuare mortales, illoſque ab erroribus liberare. Nec quiſquam mihi obiiciat caſus aduerſos, illud potius laudet atque admiretur, quomodo cum tot aduerſis neque fractus animo ſim, nec mœſtus viuam, nec ad vllum turpe obſequium redactus, nec etiam miſer. Nec mihi defuerunt maiorum occaſiones, ſi eas inter bona numeraſſem. Scribimus autem hæc ſubciſiuis horis, ac, vt ille dicebat,

Synthesibus dum gaudet eques dominuſque Senatus,
Dumque decent noſtrum pilea ſumpta Iouem.

Sic nobis ocium hoc noſtrum vtiliter conſumere placet, genioque noſtro paremus. Vtrum vero aliquibus profuturum ſit, haud dubito. Videmus enim natura canoros, arte fieri meliores, & pugiles arte reddi præſtantiores, & bonos ſtudiis philoſophiæ proficere; atque in omnibus hoc idem obſeruamus. Quid enim aliud eſt diſciplina libris tradita, quam meditatio abſoluta? An vero ſine meditatione recte agere nobis perpetuo licebit? imo vix paucis in rebus collimare ad hoc contiget. Timeo ne mihi obiicias, hæc eſſe præcepta puerilia: nam & in ſcholis quædam carmina Catonis nomine leguntur huiuſmodi argumenti. At cur non etiam damnas, quæ Ariſtoteles in morali Philoſophia ſcripſit, ſi tam humilis & abiecta eſt hæc doctrina? Verum nego quidquam ſimile his, quæ hic traduntur, in libris ſcriptum eſſe. Atque id etiam nego, naturam plus aut tantum poſſe in huiuſmodi, quantum artem: velut nec in muſica, nec architectura, aut aliis, quæ arte vlla conſtant. Sed & plura ſcriptis his & hac lectione exercitato, ad ſingulas occaſiones agendorum præcepta emergent, quibus infinitæ illi caſuum varietati ſatisfacies. Sed cur videantur aliqui ſola natura magis profeciſſe, cur etiam nemo his artibus factus ſit opulentus, cur nos non maximos honores ſimus conſecuti, licet artem calleamus, nunc audi. Primum quidem ad noſtram cauſam facit, cum adeo hæc ars vtilis ſit, quod, qui eam etiam abſque diſciplina & præceptis exercuerint, magnum tamen commodum

modum ex ea sint consequuti. Inde etiam id contingit, quod ars generalior est & certior, natura autem promptiores ad casus repentinos nos efficit, vt nescias, quid horum sit præstantius ad finem consequendum. Hoc vnum tamen certum est, vtrumque simul plus posse, & neutrum illorum per se perfectum esse. Quinimo qui sola natura duce è magnis casibus euasêre, tandem tamen miserabiliter periere: vt Iulius Cæsar, Castrutius, Valentinus Borgia, & ante hos omnes Romulus. Vsus sum exemplis in hac tractatione aut autoritatibus ad hunc vsque locum, quod res, quæ tractantur, in vsu sint quotidiano, & pertritæ apud omnes. Rara & admiranda rationibus, autoritatibus, ac exemplis fulciemus: ita enim iucundior, clarior simul ac breuior hæc historia euadet. Præterea, qui natura duce id nacti sunt, non idem sunt consequuti, quod nos docemus, scilicet veram felicitatem, sed quasi ipsius felicitatis simulachrum. Opes adepti sunt, sed non tranquillitatem: prudentiæ opinionem, sed non prudentiam: potentiam sed non securitatem: regnum, sed non facti sunt Reges: laudem, sed non gloriam: socios multos scelerum, sed nullos amicos. Itaque quod illi agunt, nec tutum est, nec laude dignum nec omnino bonum. Quapropter nec nostri instituti est omnes eas artes tradere, quæ ad potẽtiam & opes parandas, amicosque conciliandos faciunt: sed eas solum, quæ ad felicitatem sanctæ atque honestæ sunt. Si enim paucis licet intentum assequi, cur id potius non prosequemur, quam multis laboribus illa, quibus etiam adeptis adhuc laborandum est? Scio artes esse tyrannicas, de quibus nimium in libris de Sapientia egimus, plectimurque iustè ob id diuino iudicio. Quapropter.

Leniter, ex merito quidquid, patiare, ferendum est.

Sed simplicitate nimia aberrauimus, neque enim hoc intelligebamus, idem esse sapientiam, felicitatem & probitatem, atque virtutem. Audieramus sæpe hæc, maximè à Stoicis, sed cum res ipsa paradoxa videretur, multique contradicerent, nec vllus, quamuis subtilibus argumẽtis, quos συλλογισμοὺς vocant, abundare se profiteatur, id satis probauerit, vitam tamen eorum à sententia hac valde alienam non credebamus. Itaque postquam hæc intelleximus, felicitatem & tranquillitatem, quàm breuiori via licuit, quæsiuimus. Omnia illa relinquentes, quæ nos remorarentur. Stultum enim, cum iter ages, equum quærere, qui te multis ac magnis saltibus, quo te homines admirentur, exagitet, nec ad hospitium sit ducturus ea die: alium vero, qui deducturus sit, spernere. Et rursus breui calle relicto, vt amicos conuenias, dum cauponam non potes attingere, latronum periculo te exponere. Cum enim eo ætatis peruenissem, vt vel ad felicitatem, vel ad opes & breuem hunc fastum peruenire non possem, malui felicitatem atque tranquillitatem sequi, quàm turbulentam illam & laboriosam opum atque honorum præposterorum adeptionem. Et quamuis, hæc obfutura filiis, possis obiicere, nos tamen maius & proprium & certum bonum alieno incerto atque minori anteponere decuit. Itaque propositum nostrum in hoc opere est, viã quomodolibet potentibus, miserisque diuitibus ac pauperibus ad felicitatem aperire, atque docere, quomodo ea omnia bona, quæ ad hanc felicitatem faciunt, qui non habent, adipiscantur: hi quidem exigua, alij magna, maximaque, pro cuiusque conditionis ratione.

At dices, nonne eadem absque his calamitatibus nobis parare licebit? Quædam etiam facilius & melius, quædam autem non. Atque in quibus parare licebit, non hoc volumus, vt calamitates subeant, quo expiscentur inde lucelli aliquid, sed postquam subierunt, habeant quo recreentur. At multa sunt bona, quæ absque malo haberi non possunt. Nam neque Cyrus, si modò vera est historia, nec Romulus, nec Castrutius eò potentiæ peruenissent, si expositi non fuissent, si non in paupertate educati. Nec corpori accedit voluptas absque dolore. Ita enim videmus ante coitum tentiginem, ante auræ suauitatem calorem, ante scalpendi delectationem pruritũ antecedere. Quies sentitur non nisi post laborem, somnus post vigilias, atque alia huiusmodi. Quamobrem & Musici hoc noscentes, crudam diatessaron ante diapente, & horridam eptaphonen ante diapason collocant. Ea enim est natura mortalium bonorum, vt semper in malis sedem habeant: sicuti opes, dum parantur, in laboribus & iniustitia, conscientiaque scelerum, dũ partæ sunt, in solicitudine: voluptates, vt dixi, in doloribus & anteacta miseria: honores in timore & cura: amicitiæ, in tædio & suspitione: filij, in metu; cura rei familiaris, in iactura; potentia, in periculis & inuidia. At quæ immortalia bona sunt, in immortalibus fundantur. Quæ omnia cum summa sint voluptate, ideo ab illius toto genere differunt. Quę autem in nobis sunt, non eodem se modo omnia habent. Virtus enim omnis, & dum paratur, & dum parata est, cum voluptate etiam iucunda est. Sapientia autem non ita: sed dum paratur, molesta & grauis est; parta vero delectat sine vlla tristitiæ permixtione. In sapientia enim purum & merum gaudium repositum est.

Plurimi etiam obiicient, Theologos melius hæc docere posse ac persuadere. At id omnino falsum est. Versantur enim, vt Philosophi, solum circa ea, quæ vulgo paradoxa videntur: velut amplectendam paupertatem esse, quam nos fugiendam docemus. Illi morbos, contemptum, aliásque calamitates laudant: nos minimè, sed vitanda hæc omnia suademus, si fieri potest: sin, quomodo leuius perferantur, docemus; aut quonam pacto mala bonis pensando, minora illa ac tolerabilia reddantur. Ita vt vniuersum hoc nostrum institutum sit circa res & operationem: at Theologi solum disputant, res ipsas minimè mutant, neque tractant. Quo fit, vt hæc argumenta plus differant inter se, quam nox à die. Quod si quis rursus id pertritum in medium afferat, nos.

Facile, cum valemus, ægrotis recta consilia dare.

Non negabimus adeo miseram non esse muneris nostri conditionem, vt multorum qui ægrotãt, aut orbi vel in carceribus sũt, aut omnino miseri aut contemti. Quamquam quid horum non fermè passi sumus aliquando? & si quid nunc non patimur, beneficio id accidi constantiæ atque virtutis, tum præsentis,

tum-

tum præteritæ,quasnon negamus Dei esse dona.Nemo inuidebit casib. nostris:vitæ multi, fortunæ pauci forsã possent.Sed quid ego hæc? suo loco per se nota erunt, vt non sit necessarium persuasoria oratione. Quid esse potest lætum seni, etiamsi nihil aliud aduersum patiatur,si velit res æstimatione vulgi iudicare? At nos iam quinquagesimum octauum annum superauimus,nec paupertas discessit, nec quidquam ex principum amicitia accessit, quin casu filij acerbissimo afflicti sumus insuper: & tamen cum his omnibus ita quieti viuimus,ea cum animi tranquillitate,vt ne quidem Metellus ille, quem vnum pro exemplo felicitatis historici adferunt,beatior vixerit. Ergo summus apex felicitatis in virtute repositus est: ornamenta, in fortunæ casibus, naturæque liberalitate.

CAPVT II.

De Præparatione,

SEd iam tempus est, vt de Præparatione agamus. Cum enim ad felicitatem assequendam duo maxime sint necessaria, bona atque decora. Et vt ab aduersis minime lædaris, vtrisque horum tam necessaria, quam vtilis scientia illa est, quæ docet, quomodo bona cognita dignoscamus,adipiscamur,adeptis vtamur,atque his aduersus mala ipsa nosmet muniamus. Principio igitur,(omissa disputatione de bonorum finibus ac paradoxis illis,an paupertas, morbi, orbitas, cæteráque huiusmodi, bona sint? & an felicitas in sola virtute consistat?)ea solum supponemus atque tractabimus, quæ sunt ab omnibus concessa: velut illud, qui amentes sunt, qui dormiunt, quatenus tales sunt, nec felicitatis nec infelicitatis sunt participes. Hæc est summa vtriusque,absolutissimaque ratio, agnoscere se esse felicem aut infelicem. Nemo inuidet illi, qui inter summas opes, se miserum arbitratur & ciulat. Animus solus est ille, qui felix est aut infelix: nisi velis & vasa potiora esse felicia, matulas autem debere infelices appellari.Diuitiæ, forma corporis,amici,filij,ista mihi nõ sunt felicitatis pars,nisi quatenus ad animum referuntur. Atque idem de miseria censere oportet. Nam si habere ac possidere, si valere aut robustum esse, felicitatis partes non sunt, nisi quatenus ad animum referuntur,idem erit de miseria.Vt enim vestes corporis indumenta sunt,ipsumque exornant: ita & corpus & vestes sunt animi indumenta. Nam debet autem magis homo infelix ob morbum aut paupertatem putari, quam ob vestes atque similia,quia animi solum participatione homo est infelix. Quod si ad animum non penetret dolor, multo minus est infelix, quam lapis aut equus. Hi enim infelices non sunt, quoniam felices esse non possunt. At qui non dolet,non est infelix, quoniam causa infelicitatis abest. De Socrate, cum in carcere periit, recte æstimantibus dubium non est, si non doluit, non fuisse infelicem:hoc enim dubium non est,aliter omnes morientes essent infelices, sed an doluerit? Non debemus mala, quæ in nobis non sunt, ad nos sponte deducere. Vt si scabies, aut elephantiasis,aut pestis in veste est, num consultum illam,quia pulchra,decora & sumptuosa est, circumdare corpori, vt & nos eodem contagio afficiamur?quin potius erit à nobis, quantumuis pretiosa sit, procul abiicienda?Ita & corporis & fortunæ calamitates atque molestias non solum abiicere decet,sed &,si,vt dixi in veste,sint in re pretiosa, in diuitiis puta,in filiis,patria, honoribus,ne contagium ad nos deueniat, ne animus molestia afficiatur, vna cum illis hæc, nempe diuitias abiicere,patriam filiosque relinquere, honoribus renuntiare debemus, si aliter fieri non possit. Hæc igitur sit prima ratio effugiendorum omnium malorum, atque aduersus calamitates nos præparandi.

Verum vt etiam illis resistamus, & melius aduersa ferre aut declinare valeamus,velut in graui bello,in obsidione, aliisque magnis periculis, munire nos decet animi, corporis, ac fortunæ bonis prius comparatis. Animum igitur cũ omnibus virtutibus instruere expedit, tum maxime fortitudine, prudentia & moderatione.Hæc habetur natura,consuetudine,ratione. Sed in fortitudine plus natura & consuetudo quam ratio,possunt: in moderatione consuetudo præualet,inde natura,demũ ratio: in prudentia denique anteeunt ratio & consuetudo naturam. Vbi tamen natura omnino repugnat, nihil horum haberi potest, in primis non fortitudo aut moderatio. Quamuis Arist. in omnibus, quod ad virtutem ac vitia pertinet, totum in educatione à teneris fermè constituit. Est autem & moderatio alia à prudentia. Multis enim accidit ob naturæ impetum,vt occasione vti non possint,aut modum rei imponere, etsi prudenter omnia animaduerterint. In quem errorem nos sæpe incidimus.Nam naturæ sum iracundæ, & sibi non omnino imperantis,sed præcipitis paulum, & à perturbatione victæ. Vt vero vsus plurimum conducit, ita maximè ab ipsa pueritia, dum educantur.Porro vt ad rationis vsum redeam,quoniam ea sola multiplex est & in manibus nostris, ideo diligentissimè ad fortitudinem assequendam,etsi sit omnium,quæ huic proposito necessaria sunt,difficillimum, tamẽ assuescendum est,quod Seneca recte docet, vt de morte cogites.Nam primum illa,ceu communi janua effugere omnes calamitates licet. Deinde licet mors sit necessaria,tamen omnia exuperanter,vt ita dicam, continet, propter quæ discruciamur. Pauper es?memineris cum morieris,etiam quæ habes, te deserturum?Filius aufugit? at, cum morieris, illius consuetudine perpetuo es cariturus. Mortuus est amicus? an non, cum morieris, omnes amicos deseres, cum nunc vno duntataxat priuatus sis?Ergo meditatio mortis,quæ nobis proxima instat, etiamsi diu superfuturum te scire posses, tamen cum ad præteritorum annorum memoriam, quam cito diffugerint, reuolueris, dissoluere omnem animi tristitiam fermè potest. Fermè dixi:quoniam nostris temporibus, atque mihi etiam quædam maiora morte acciderunt. Velut si cui filius vitam prauam degat, morte propria hoc omnino grauius est: maximè si vnicus sit, & grauius adhuc quod ipsa morte malum hoc non finiatur. Similiter duriora Principum præcepta, quibus non solum fortunæ & vita in dis-

crimen vocantur, sed etiam gloriæ & fama. Ita omnis ætas suas patitur calamitates, & suos quisque patitur manes. Sed hæc alibi docuimus. Illud vnum ex priore exemplo cognouimus, ne vlla calamitas sua vtilitate careret, nullum dolorē, vt antea fermè dixeramus, maiorem esse animi molestia. Nullus morbus, si non adsit mortis metus, æquare potest dolorem animi, ad quem hic attinet. Quapropter cum diuites non possint esse vacui dolore animi, non etiam possunt esse securi ab infelicitate maxima, nec vllo modo magis, quam pauperes. Quinimo cum animi dolor maior sit in diuitibus ac felicibus, quàm pauperibus ac miseris, (quippe in animo vacuo dolor & molestia magis pedem figunt & propagantur tanquam in puro solo:) sequitur, quod diuites ac felices, cum vexantur, sint pauperibus & miseris ipsis longè miseriores atque infeliciores. Vti enim, quod sanum est, vehementius dolet: ita animus curis vacuus, si quando opprimatur, redditur miserior. Ita in hoc acerbo dolore hæc mecum meditatus concludebam, Deum conditiones non solùm mortalium, sed etiam cunctarum rerum, quæ sub cœlo sunt, æquasse. Quæ enim omnino non viuunt, doloris pariter & voluptatis ex æquo sunt participes. Quæ viuunt nec sentiunt, & mortem & vitam absque incommodo experiuntur. Quæ sentiunt, sed non cogitant, vt non vehementer malis conflictantur, ita nec voluptatibus plurimum afficiuntur. Quæ intelligunt, si animi doloribus non assueuerint, mirum in modum, cum curæ subeunt, quas subire necesse est in hac nostra vita, afficiuntur. Qui beati sunt bonis corporis atque fortunæ, hi vacuum habent animum à molestia. Ideo cum mors, aut luctus, aut calamitas superuenit, maximè dolent. Ergo, vt breuiter concludam, summa felicitas & infelicitas, nisi virtus aut maxima aliqua fortuna ordinem peruertat, apud eosdem habitant. Ita stupidi & acuti sensu ex æquo in vtroque genere, scilicet bonorum & malorum, sumus.

Sed iam propositum prætergredimur. Vt ergo ad hoc redeam, non solum fortitudine, moderatione & prudentiâ animum cultum habere decet: verum omni etiam alio virtutū genere, vt comitate, liberalitate, iustitia, ac ceteris similibus. Quæ quamuis, vt illæ, non ex æquo nos afficiunt, nec nobis sunt necessariæ, nihilominus conandum est, propter casuum ingruentium & fortunæ varietatem, vt animum exornatum omni virtutum genere habeamus: quia & ipsi sic minus afficimur, etsi afficiamur, & homines ad misericordiam magis commouentur ex calamitatibus nostris, atque ideo magis etiam suppetias ferunt. Tribus igitur modis reliquæ aliæ virtutes nobis auxilio sunt in aduersis perferendis. Primo, quod minus homines improbi & æmuli aut inimici ausint nos offendere ob spectatam virtutem bonamque de nobis famam. Secundo, quod nos minus afficimur, quodque nobis minus turpe sit casu, quam propriâ culpâ opprimi. Denique tertio, quod plures, misericordia moti, ad auxiliandum se conferant. Quod si te supinum, neque vigilantem aduersus imminentia, neque repugnantem ac te tuentem contra præsentia mala viderint, quin potius in singulis generibus vitiorum occupatum, rapiendo, fallendo, irâ homines atque iniuriis prouocando, calumnias ferendo, denique in mediis luxuriis vitam otiosam ducere animaduerterint, an non omnes merito te oderint, atq; de tuis calamitatibus gaudebunt? Atq; vt pauci tibi dicent illud,

Leniter, ex merito quidquid patiare, ferendum est:

Ita plures te clam secū accusabunt: alius ruditatem, alius importunitatem, alius rusticitatē, socordiam, intempestiuam iracundiā, præposterum laxum, stigmata inuidiæ, auaritiā obiiciendo, alius memor irrisū se, alius contemptū, alius deceptum à te fuisse. Quid boni etiam à consanguineis tibi cōtingere poterit? At contra, si probus & bene cultis moribus extiteris, laudabunt te: alij humanitatem tuam in virtute & artis excellentia, alij comitatem in studioso, officia in paupere, continentiam in peccandi occasionibus, cultum in inopia, fidem in eo, qui necessariis indiget, atque alia huiusmodi. Verum trium priorum virtutum longe maior est vsus.

Vbi animum virtutibus bonaque opinione hominum exornaueris atque munieris, artis etiam cuiuspiam excellentiâ illum decorare oportet. Nam ex ea tria maxima bona comparantur: amici potentes, lucrum, & gloria non leuis. At longe melius est, Cæsaris exemplo, cuiusdā ignobilis in Alpibus oppidi malle esse primus, quam Romæ secundus. Melius est, sutorum esse præstantissimum, quam vulgarem Iurisconsultum, gregariumve Medicum. Vnde illa pulchra Epigrammatici Poëtæ querela:

Dentibus antiquas solitus producere pelles,
Et mordere luto putre vetusque solum:
Prænestina tenes defuncti rura patroni,
In quibus indignor, si tibi cella fuit.
Rumpis & ardenti madidus crystalla falerno,
Et pruris domini cum Ganimede tui.
At me litterulas stulti docuere parentes:
Quid cum Grāmaticis, Rhetoribusq; mihi?
Frāge leues calamos, & scinde Thalia libellos,
Si dare sutori calceus ista potest.

Narratur de multis pictoribus ac statuariis, qui maximum ex arte quæstum fecerunt. Sed res notior est in dies in quibuscumque artibus, quam vt exemplis aut testimoniis indigeat. Sit satis hoc, commune esse præcipuis artificibus, vt famam simul ac pecuniam amicitiamque potentum sibi comparent.

At vero in omnibus obseruandum, ne linguæ mobilitas te præcipitem agat, cum sit nullibi maius periculum & facilior lapsus. Propterea teipsum contine, & assuesce pauca loqui, dicebat ille, in conuiuio. Nec, quod nolis sciri, cuiquam dixeris. Nota sunt, quæ Arrianus dicit de temporibus suis atque Imperatorum exploratoribus. At nunc etiam non minus periculosum est loqui, quam tunc fuerit. Quin error linguæ grauiore pœnâ punitur, quam facta scelerata. Nec forsan immerito, si quis non sanos mente excipiat. Nam hæc naturæ procacitate fiunt cum voluptate: ille, petulantia & leuitate absque voluptate accidit. O, quam bene dixit quidam, etsi rudi camœna!

Virtutem

Virtutem primam scis esse, compescere linguam:
Proximus ille Deo est, qui scit ratione tacere.

Cum enim tria sint, quibus vita nostra constat; cogitatio, sermo, actio: actiones sẽper ad vtilitatẽ nostram dirigendę sunt: cogitationes autem de omnibus habendæ, tam his quæ nobis sunt vtilia, quam quæ aduersantur: sermo denique sic instituendus, vt ei placeat, ad quem dirigitur: ideoque sit blandus, lenis, clarus, in rebus leuibus ambiguus, in periculosis semper modestus & breuis, longior cogitatio.

Vbi animum recte ad omnia comparatum habueris, ad corporis etiam robur & incolumitatem transeundum est, & ita assuescendum laboribus & moderatæ victus rationi, vt nihil tibi cum Medicis sit negotij. Oportet enim cum Tiberio Imp nosse vitam proprio arbitratu regere, & probrosum putare, post trigesimum annũ ætatis Medico manum porrigere. Lucra deinde, & amicitias, & magis his voluptates, quæ corpori obesse possũt, imo, vt breuiter dicam, quamcumq; occasionẽ corporis commodis inimicam spernere & deuitare debes. Sit victus simplex, & ex rebus quæ non facilè putrent. Quæ dura sunt, mande diligenter, & moderate vtaris. Cibi sint pro somni ratione: potus, pro ciborum. A cibo quiesce, ante illum te exerce. Lætus inprimis viue. Nam nihil est quod adeo hominem perdat quam tristitia: & tamen ea nihil tuis rebus adiicit commodi, nec leuat vlla ex parte calamitates ipsas. In aëre salubri degas. Fugias consuetudinem prauorum, inimicorum, otiosorum, loquacium & infelicium. Praui semper obsunt, etiamsi beneuolos se simulent. Et sæpe accidit, vt in discrimen famæ & fortunarum aut vitæ propter illos, tametsi innocens, voceris. Inimicorum alicuius consuetudo illis suspecta, tibi periculosa est. Otiosi tibi, quod pretiosissimum omnium est, & cuius etiam est maxima inopia, suffurantur, tempus scilicet. Vnde etiam occasiones gerendarum rerum sæpe elabuntur magno damno tuo. Loquaces te stultum reddunt ac sibi similem: quod, vt dixi, periculum sæpe, vtilitatem nunquam affert. Demum infelices, quasi contagio quodam, socios etiam eodem infortunio afficere solent.

Hic vero dubitatione dignum est, an omnino aliquod animi vitiũ possit esse vtile: vtile, inquam, non honestum? Nam nullum vitium honestum quidem esse potest: at nec turpe, vt dixi, volumus esse. Cui enim magis arridet quæstus & potentia quam honestum, is aliam constituat viuendi rationem. Nos omnia vtilia amplectimur, quæ turpia non sint. Turpia appello, furari, fallere, inuidere, mentiri, iniustè quidquam agere, auarum, crudelem esse. Ergo illud nunc quæritur, an vitium aliquod sit vtile, nec turpe tamen? Vtile dico ei, qui vitio illo non caret: non turpe quo neminem lædit, imo forsan plurimis vtilis est. Ego vnicum tantum esse duco, & id partim vitio, partim vmbra vitij constare. Hoc vero est simulatio iræ in eo, qui maximam habet potestatem in subditos: vt summus magistratus in ciuitatem, dux apud milites, paterfamilias in suos domesticos, filios, seruos, famulos. Nã, cum necesse sit plures esse errores quam pœnas, ne homo crudelitatis opinionem subeat, & cuius etiam nonnunquam pœnitere sit necesse, iræ simulatio subditos suo imperio prohibet à peccando, & in leuiter delinquentes pro supplicio est. Porro simulatio vitium est, & iræ species vitij vmbra. Neque enim irasci vere conuenit. Nã ira furor est breuis, & multorum errorum causa esse potest: quinetiam perturbat animum & hominem lædit. Iræ tamen simulatione ad coërcendos leues errores, tum & petulantiam & lasciuiam quorumdam, dam, indigemus. Nec hoc fallere est, licet fallantur qui metuunt. In alios, nisi quandoque, non adeo conuenit eam exercere, pro ratione animorum in vxorem, fratres, minores, nonnunquam etiam beneuolos: in potentiores vero nunquam, nisi amoris vinculo sis fretus. Verum qui amat, quatenus amat, eo, qui amatur, inferior est. Atque adeo id notum est omnibus, vt non solum meretrices nil frequentius agant, quam iram simulare: sed & filij multi improbi, & pueri adamati, & veteres famuli. At hoc non caret turpitudine, nisi causa ipsa fuerit honestissima.

Fortunæ etiam bonis quia munire se oportet, ea nos docere decet, quæ non omnibus adeo nota sunt, & facile parantur. Nam docere ea, quæ nota sunt omnibus, difficulter autem parantur, velut quod potentem & opulentum esse oportet, nihil magnum aut arduũ in se continet. Quæ ergo faciliter parantur, & plurimum prosunt, & non adeo pertrita sunt, in duobus versantur generibus: in affinitate scilicet, atque amicitia. De affinitate autem, quæ plus amicitiæ conferre solet, & quod affines etiam plerumque amici sunt & sanguine coniuncti, vnumque habent commune, decus scilicet & dedecus, contumeliam & honorem, ignominiam & gloriam, prius dicendum erit. Ergo cum affinitates coniugiis parentur, si vxor contingat agnatis cognatisque potens, si diues, si proba, si sapiens, si fœcunda, quantum affert emolumentum? Ex affinium potentia, conciliatur ipsi coniugi potentia: ex opibus vxoris opes parantur marito: ex probitate securitas, ex sapientia felicitas, ex fœcunditate maxima voluptas, magnumque in senectute commodum: & ex omnibus istis filiorum bona indoles & educatio oritur: ex his omnibus iterum sapientiæ opinio, ac demum magnus cumulus bonorum, ex quo tranquillitas humana constat. Quamobrem maxima pars humanæ sapientiæ, maximumque exemplum eius, ac felicitatis ratio in ducenda vxore commoda cõsistit. Nec aliud quidpiam maius est in vita humana. Proximum huic, est gloria perennis; tertium, vitæ prolixitas; vltimũ, mors leuis. His quatuor cumulus beatitatis mortaliũ absoluitur. Itaq; ex hoc id perspicuũ etiã fit, oportere eum, qui tranquillã vitã velit ducere, omnino bene constitutã domum habere; scilicet amore, timoreq; ac fide, tum prudentia: prioribus tribus erga dominũ, vltimo erga omnes. Difficillima enim res est intestina pugna: nihilque tetrius, quam foris atque intus oppugnari, &, dum pugnas, post terga tuta non habere; dumque à pugna redis, omnia domi inuenire turbata, durissimum est.

est. Ferre autem, vt Socrates Xantippen, morosam admodum feminam, potius insignis constantiæ exemplum est, quam eius, qui suam rem cupiat benè gerere. Et forsan ad mortem ea patientia impulit, dum ferendo paupertatem, vxorem, æmulos, in atram bilem incidit. Nam mors illa quæsita ab eo sponte potius, quàm ab aliis vi illata mihi videtur. Nam quid attinebat post damnationem primam, in qua nec exilio nec morte, sed pauca pecunia solum mulctabatur, iudices criminari atque irritare? potuit enim vel pecuniolam illam soluere, quam nec ipse, sed amici certatim offerentes soluturi erant, aut misericordia iudices flectendo absolui: aut si hoc durum videbatur ad impetrandum difficile, in prima sententia, quæ grauis non erat, permanere. Sed existimo fuisse tædio vitæ actum, quod septuagesimum ingresso anno nihil illi ex sententia cederet, sed adessent paupertas magna, vxor morosa, filij duo parvuli, natu autem maximus (quod credo illum præcipue torsisse,) nihil adolescens, nec arte vlla instructus ob patris paupertatem, nec natura ad virtutem satis idoneus: tum & illud extimuisse, ne, senio labentibus sensibus, destitueretur ab amicis atque ita ab omni gloria parta decideret: maluisse ergo generosa aliqua morte se à tantis incommodis liberare, ac simul maximam inimicis, imo toti vrbi inuidiam conflare, atque filiis ipsis melius consulere: quod & obtinuit. Amici namque illius, ob tanti viri recentem memoriam, & casum miserati, eos alendos susceperunt, vtque artes filij docerentur curauerunt. Quorum alterum, scilicet educatio, ipsi Socrati, si vixisset, grauior fuisset: reliquum autem Socrate viuete, indecorum. Nam quod ad iudicium attinet non erat, cur mori vellet: cum inimici eius hoc solum quæsierint, vt tantum eius existimationem iudicio illo scelerato imminuerent. Publica enim auctoritas quantumvis iniqua, frangit priuatorum auctoritatem. Atque hæc de vxore, illiusque commodis dicta sint.

Nunc ad amicitiam transeo: omittam autem rara, atque ideo eam partem, quæ solum cognitionem mutuam quandam amplectitur. Loquar autem tantum de vera amicitia, atq; beneuolentia, quæ amicitiæ similia quidem, sed non adeo perfecta est atque absoluta, siue inter pares sit, siue inter omnino dispares conditione, vt inter dominum & famulum vel clientem, aut inter principem atque ciuem. Sunt autem in vtrisque tria scitu necessaria: scilicet, quinam pro amicis deligendi sint? quomodo conciliandi? quomodo vtendi? Videtur autem amicitia idea quædam Platonis esse, quæ nusquam verè sit, ad cuius tamen similitudinem atque imaginem multæ societates fingantur ac conformentur. Itaque satis obscurè omnes de illa tractarunt. Verum nos pro facultate conabimur quædã præcepta docere; etsi nondum mihi contigerit duos homines amicitia coniunctos videre, vt etiam ea, quę de Pylade & Oreste, Theseo & Pyrithoo, Achille & Panoclo, Ænea & Achate narrantur, putem falsa fuisse. Forsan tamen aliqui fuere, vt Damon & Phytias, Pytharæ discipuli, Alexander & Ephestion, Tiberius Gracchus & Blosius, C. Gracchus & Pomponius atque Lectorius, M. Lucullus & Volumnius, D. Brutus ac Terentius, M. Brutus atque Lucilius. Nam quod referũt de Scipione Aphricano maiore ac Lælio, ego eos vix inter amicos referam: cum Scipio Lælio, ne Imperator exercitus crearetur, pro fratre suo obstiterit. Vtcumque sit, quod iam sæpe dixi aliis in causis, etiam in hac vna referam, facile est exempla amicitiæ inuenire, vbi mortem homines contemnunt: tunc enim & diuitias & reliqua commoda parui facient. At hac nostra ætate tam molli, difficillimum esset amicitiæ veræ exempla inuenire. De Diocletiano Maximianoque Imperatoribus satis constat. Referunt & Longobardorum temporibus quemdam Sanctulum atque Diaconum fuisse amicos. At nostra ætas nihil tale in hoc vel alio virtutum genere ostendere potest. Quamquam & de præteritis multos mentiri iu huiusmodi exemplis suspicer, nec nisi ea, qua dictum est, ratione amicos inueniri credam. Quidquid sit, amicitiæ idonei sunt, qui nec vitam nec opes magnifaciunt, simplices & in affectibus vehementes: siquidem amicitia affectus est vehemens. Qui verò tristes sunt & parua curãtes, ad amicitiam sunt inepti: instabiles quoque & qui de se nimium pollicentur. Pares etiam, quantum licet, ac similes ætate, fortuna, moribus, eligere decet; arte autem, non ita. Est enim in adagio, figulus odit figulum. Efficaces quoque viros & impigros magis quam segnes & futiles; eosque qui non adeo cum pluribus versantur: tales enim ad familiaritatem potius, quàm ad amicitiam sunt idonei.

Vbi verò delegeris quos assumas, tunc concilianda est amicitia. Ea quatuor principaliter causis conflatur: consuetudine, voluptate, spe vtilitatis, & morum, vt dixi, ac naturæ similitudine. Hominum enim actiones voluptate, vtilitate, natura atque consuetudine constant. Natura, vt sint simillimi ætate, vt dixi, fortunis, affectibus, atque moribus. Naturaliter enim hæc conciliant amicitiam: licèt non omnia naturalia sint, vt diuitiæ, quæ casu constant aut prudentia. Ita & mores partim, & maxima ex parte, vt dixi, educatio. Consuetudo vero parit beneuolentiam, & ex beneuolentia amor & amicitia generantur. Itaque & absentia diuturna dissoluit amicitiam, nisi sit admodum arcta atque perfecta. Vix autem fieri potest, etiamsi nil aliud intercedat, vt inter bonos & æquales diuturna consuetudo non pariat perfectam amicitiam. Præsertim quod diuturnam consuetudinem cum pluribus difficile est retinere. Si igitur ad amicitiam natura aptus sit, quam verisimile est, cum aliis magis contraxisse amicitiam, quam cum eo, cum quo semper viuit? Accedit illud, quod nisi ea consuetudine admodum delectaretur, non tam diu in ea perseuerasset. Quinimo & illud ad rem facit, quod etsi ea conuersatio ab initio non admodum delectasset, consuetudine fit iucundior. Velut enim insuetum vinum aut mucidum odorati fastidimus: posteaquam vero ei assueuimus, ferimus: ita consuetudo aufert omnem sensum vitiorum in amicis, modo non sint vitia magna & rediuiua, vt ita dicam, velut ebrietas, furtum, latrocinium. Conandum

dum est igitur, vt consuetudinem illam ab initio & diligenter colamus, & alterius feramus. Id ergo agemus, vt voluptate illum quasi perfundamus ac delectemus: in vitiis autem eius quasi conniueamus. Delectamus autem hominem non vna ratione, sed pro illius nara, affectibus atque consuetudine, variis. At jam supposueramus ipsum esse virum probum itaque operibus secundum virtutem primò illum delectabimus. Deinde eisdem studiis sapientiæ, historiarum, narrationum, ciuilium actionum, iocis, venatione. Lusus autem ad beneuolentiam plus, quàm necesse sit, affert: ad amicitiam non conuenit, quoniam humilis ac sordidi quippiam continet. Aleæ autem lusus & pecuniarum multarum, nec est huic nec illi idoneus, nisi cum Principibus, vt Cicero refert de Antonio Philipp. II. his verbis: Licinium Lenticulam de alea condemnatum collusorem suum restituit. Et Philipp. v. Agrum hunc tu compransoribus tuis & collusoribus diuidebas. Alibi questus est, collusores in iudices eligi. Itaque vt apud Principes ludus beneuolentiam persæpe, familiaritatem semper parit: ita inter priuatos, si pecuniam multam viceris, odium nanctisceris; si vincaris, contemtum. Vt adeo minus vtilis sit hæc conuersatio. Omitto modo, quod parum decora & minimè honesta sit. At lusus, qui fit nō intercedentibus pecuniis, cum amicitia esse potest, amicitiam parere non potest, sed beneuolentiam: talis plerumque latrunculorum est certamen ac pugna. At comessari comprandereque ad familiaritatē & beneuolentiam, atque etiam amicitiam via satis trita esse solet. Hominum enim genus, vt etiam Homerus testatur, conuiuiis gaudet, adeo vt etiam hanc cōsuetudinem ad Deos transferat. Itaque & iucunditate & hilaritate & iocis, commessationibus, ludis, ornatu domus hortorumque, ciuilibus denique actionibus narrationibus, societate, sapientiæ præceptis hominē delectare debes. Vt multis viis ac, piscium exemplo, retibus simul circumuentus, in amicitiæ fiscellam & piscariam deueniat. Vltimum, quod ad vtilitatem pertinet, multa genera finium habet: alius enim quærit diuitias, alius potentiam, alius sapientiam, quidam gloriam vel famam vel filios, aut eorum custodiam. Quæ omnia tamen vna ratione consequimur, scilicet officiorum: de qua cum Cicero sufficienter & accuratè tribus libris scripserit, nihil aliud superest, quàm vt eos libros quos ad instituendum filium vnicum confecit, diligenter perlegas. Illud sane constat, officiis homines deuinciri vel ad gratiam vel ad amicitiam. Verum quæ fiunt secundum virtutem, & erga probos, stabilem & perfectam gignunt amicitiam. Virtus enim natura sua sempiterna est, & bonum in nobis diuinum: reliqua tempore & pro occasionibus marcescunt. Est vero inter amicitiæ fœdera non vulgare, hospitij ius, quod inuidia vacet, quale apud Scotos: nam apud nos rarius est, & omnes iam ad cauponas diuertunt. Argumentumque id est, nos factos deteriores maioribus nostris. In vniuersum ergo amicos parare oportet efficaces, officiosos, & probos, æquales, non vndequaque tibi, sed qua parte deficis, potentiores, qua præstas, inferiores, quà, veluti in vrbe bene instituta, nihil deficiat tibi, nihil abundet. Parare autem tibi debes non vnum aut duos solum, sed aliquanto plures: non tamen multos, ne non possis tot officiis respondere &, si quando in contrarios casus deuenerint, cogaris & tu contrariis affectibus ac personis fabulam imitari. At beneuolorum non adeo arctæ leges, minus clientium, ac multo minus familiarium. Adulatores autem his omnibus contrarij sunt, ac quasi venenum & pestis. Adulator enim neque amicus, neque beneuolus, neque cliens aut familiaris est, sed inimicus sub amici persona, atq; ideo exitiale venenum. Vt vero adulatorem esse, nullo modo honestum est: ita nec, admittere talem, vtile vel securum. Dicemus autem infra de his. Nunc enim præstat de beneuolis agere. Hos non, vt amicos, pares, sed potentiores eligere debemus, vt minore vinculo idem dare possint, quod amici non adeo splendida fortuna. Recipere autem beneficium debemus, non solum quia indigemus, sed quod recipiendo illi nos magis amant. Neque aliud est in causa, quod filios magis amamus, quàm illi nos, nisi quod eis beneficia conferimus, non illi nobis, & ab his in perpetuum speramus produci posse stirpem nostram, non illi à nobis. Amare autem potentes debemus tum maxime, vt beneficium rependamus. Illi nobis bona quidem dant, sed amant parum: quod, propter ambitionem existiment se digniores vt amentur, quàm vt ament. Nos contra amabimus, & beneficia amoris loco recipiemus. Melius etiā est, auctore Aristotele, amare quàm amari, vt cognoscere quàm cognosci. Siquidem amare & cognoscere solum nobiliorum sunt animalium: amari autem & cognosci etiam inanimatis conueniunt. In amando enim voluntas est: amari autem non nisi ex beneficio nascitur nobis. Quapropter cum illi non recipere, sed potius præstare beneficium cupiant: nos autem potius recipere, quàm præstare parati simus, inde orta ratio adulandi: at nos, vt diximus, adulari non debemus. Officiis ergo hæc absoluentur, vt sunt, salutare, inuisere, præsto esse cum ægrotant, cum litigant, cum iter acturi sunt, cum operam tuam desiderant, cum tristitia aliqua vel felicitate insigni afficiuntur, plura præstare quàm polliceri, absentis famam tueri, admonere de insidiis, de his qui gloriæ illius inuident, pecuniam ipsorum fideliter tractare, vili pretio emere necessaria &, quæ illi placeant, optima quærere, seorsim monere qui in illum peccant leuiter, maxime quos deligit, curare ne corrumpantur quæ sunt in domo, vinum, triticum, fœnum, vestes. Ita multis modis placere potentibus ingenuè possumus.

Quomodo autem cum his, tum amicis agendum sit, etiam docere oportet. Multi enim amicis & beneuolis perperam vtuntur, aut quia vsui, ob timorem aut subrusticum pudorem illis sunt, aut quia in his vtuntur, quæ vel minimo pretio possent redimi absque illorum opera, vel, si pereant, minimum afferunt detrimenti: aut quia ardua nimis petunt; vnde deiecti non solum ipsis conciliatur dedecus, sed his etiam, qui pro eis laborarunt, ideoque odisse incipiunt, qui antea impensè amabant: aut denique, quia nimis vel ambitiosi vel auari

auari assiduam operam beneuolentium & amicorum exigunt, vnde illos tædio atque fastidio afficiunt, imprudentiamque suam detegunt. Primum igitur, si quis amicos habeat beneuolos, vti autem non audeat in necessariis, aut pudeat, cuinam vsui illi erunt? Verum deterius erit, si ab iisdem imprudenter aut inuerecundè, quæ ad illos non pertinent, aut supra vires sunt, requirat, aut sinistrè opera illorum vtatur: velut si à Medico requirat socios ad rixam, aut à Iurisconsulto paupere pecunias mutuo petat: nam pudebit illum negare quod præstare non poterit. Velut in domestica suppellectile, neque lancibus vtimur ad hauriendum vinum, nec cirnea ad carnes in mensam deferendas: ita maxime scire expedit, quibus in rebus amici singuli idonei sint natura, arte, instituto, conditione, fortuna, affinitatibus atque agnatis, tum amicis, ac similibus. Si enim quis amicum requirat, vt à communi inimico quidquam exoret, nonn prope stultus erit, quæretque id frustra, quod etiam illi, à quo requiritur, graue atque molestum erit? Itaque neque de minimis illos vexare, neque de his, quæ in eorum potestate non sunt, nec de alienis ab vsu eorum expedit, prçterquam in summis discriminibus, vbi magnitudo periculi nos excusat: Vt si de vita nostra vel filij vel parentis, vel omnium fortunarum amissione periclitemur, si proditionis insimulemur, licebit nobis etiam, quæ ipsi per se non possint, rogare, veniaque digni sumus, etiamsi illi non impetrauerint. At non idem pro consequendo magistratu, aut emolumento aliquo mediocri: plebeium enim est, rogare amicum, vt alium roget; stultum vero, vt etiã ad tertiam personam deueniat. Verum amici amicorum causa & beneuoli (si modo honestum est quod petitur,) amicos, etiam non rogati, rogant, rogaréque tenentur. Pro amico enim amicus omnia agere non solum, sed etiam tentare debet: præsertim quod pro amico minore cum rubore, quam pro nobismet intercedimus. Assiduè autem amicos ac beneuolos fastidire, ni fortunæ sæuientis & ipsius assiduè lusus sit, non solùm impudentis est, sed inutile: cum amicitiam abrumpat persæpe, & illos ad officia segniores reddat. Etenim beneuolentia, vt reliquæ res mortales, velut cotis, vsu nimio atteritur; non adeo autem amicitia. Sed & qui hac perperam vtitur, id agit, quod qui opibus atque potentia ad cædes aliaque nefanda scelera abutuntur.

Cæterum in conseruanda amicitia atque beneuolentia eadem est ratio, quæ in comparanda. Vtque omnium præceptorum iam dictorum sis memor, illud etiam adiice, quod Seneca in epistolis scripsit: Monstrabo tibi amatorium sine medicamento, sine herba, sine vllius veneficæ carmine: si vis amari, ama. Hic quæritur, An increpare amicum peccantẽ liceat? Respõdit Cicero pro nobis: Nulla est amicitia, cum alter verum audire non vult, alter ad mẽtiendum paratus est. Si igitur amicum delegisti qualem oportet, audiet libenter se à te accusari, sed non nisi certa lege. Primum, vt seorsim moneas; vt ne videare illi palam pædagogus. Secundum, vt de re magna; tum ne ille respondere possit carmen,

Tu, cum sis quod ego, & fortassis nequior, vltrò
Insectare velut melior:

Tu ne curiosius leuia peccata sectando, amicus non videare. Tertium, vt certum sit id, de quo arguis: ne in duplex vitium incidas, & quod damnes innocentem, & magis alij quam amico credere videare. Quartum, vt culpa sua id acciderit. Nam criminari quæ sinistrè acciderunt, vel etiam minus honesta videntur, imo quæ flagitiosa iudicantur, ac amicum de eo reprehendere, quod casu contigit, vel alterius culpa, adulatoris munus est, aut nimis ambitiosi, vel stulti planè viri, vt iustè tuæ possit renuntiare amicitiæ. Necesseest etiam, ne res ea sit, in quam non facilè relabi possit. Nã accusare præterita, præsertim apud amicum, aut quæ mutari non possunt, minime licet. De hoc accusandus ille, quod, ne eueniat, cauere oportet. Quod igitur amplius euenire non potest, non est reprehendendũ. In his etiam, quæ reprehendere volumus, & ratio facti, & personæ, & temporis habenda est. Importunè enim in luctu filij, etiamsi eum occiderit, reprehendes. Qui sunt iracundiores, leuiter increpabis, & vix vnquam acerbè in magna calamitate, quando non potes auxilium ferre, vel quando ea calamitas illi non euenerit ex inueterato flagitio: vt in adulteris, amatoribus perditis, lusoribus aleæ. Sed quomodo cum huiusmodi viris amicitiam iure contrahere potueris, tu ipse vide. Quamobrem vix datur occasio amicum recta ratione reprehendendi; multo minus beneuolum. Nam illum nunquam de his, quæ vel te nescire putat, vel non vulgari cupit, reprehendes. Reprehendes solum in his, quæ ad artem tuã pertinent. Vt si Medicus sis, de victus ratione, nam illa secus ei ignota est: si architectus, quod ruinæ domus non obstet: si vestiarius, quod blattis sinat vestes erodi: si rei rusticæ peritus, quod generosæ plantæ curam non gerat, quæ alioqui sit peritura. Admonere autem antea quam in periculum incidant, vel in ipso periculo decet & amicum & beneuolum: secus si feceris, proditor salutis illorum es. Sed & factiosi hoc agunt: quanto magis officium igitur probi viri est? Et enim factio arcta malorum societas, atque alterum amicitiç pernitiosissimum simulachrum; vt primum, adulatio. Quæcumque enim optima sunt, si in contrarium vertuntur, tanto deteriora euadunt, atque ideo pessima. Duo enim vitia in amicitia accidunt: alterum, in ipsa re, & est adulatio: alterum, in subiecto, & est factio. Decet ergo, vbi admonueris erroris, etiam quomodo agere debeat, docere. Nam si nullum auxilium est aduersus calamitatem, quorsum vis refricare, illius memoriam? Hæc igitur cum proposuisset Aristoteles, ab ipsa tractatione abstinuit: nos vero ex euidentibus declarauimus.

CAPVT III.

De Fine Bonorum.

SVperesset vt de Fine bonorum tractemus. Nam cum vnius comparatione omnia dicantur,

cantur, nisi sciuerimus, quod sit nobis summum bonum, neque quæ bona sint, scire continget, neq; quæ mala: adeóque nec vitare illa, nec minuere, nec vtilitatem ex illis capere licebit. Omnia igitur turbida & confusa erũt. Certè si est bonum aliquod summum in eo genere, necesse est aut vnũ esse aut plura. Vti est aliquis maximus homo vel maximi homines, etiam vbi omnes sunt pigmæi: ita & sapientissimus non solum homo, sed & formica, si formicas esse sapientes statuamus. Vnde, si modo bonum esse admittimus, necessariò hominibus summum bonum est vnum aliquod aut plura. At cum accipiatur bonũ pro eo, quod plerique appetunt; contra malum, pro eo, quod plerique fugiunt: constat multa esse in vtroque genere. Sic bona sunt, sanitas, opes, amici, gloria, sapientia, soboles: contraria verò his, mala. Bonum antem simpliciter est, quod perpetuum est. Illud enim bonum cum sit, simpliciter tale est, quia & securum & immutabile est. Quærendum igitur, An aliquod tale esse possit in humano genere? Et si sit, facilè est diiudicare, Quid sit? Aut si non sit vllum simpliciter bonum, Quale saltem sit maximum in humano genere? proponamus igitur quod immortale in nobis nihil esse potest, nisi mens. At hæc quia superior est homini, præsentem contemplationem transgreditur. Si igitur mens æterna est, summum bonum in illius essentia consistit. At quærimus summum bonum humanum, non mentis. Hic igitur dubitatio rursus accidit, an propagatio sempiterna sit? constat enim sub Luna nihil esse perpetuum. Nam si esset, maxime essent monumenta sapientum: at constat illa non vetustiora esse tribus millibus annorum. Vetustissima enim est Trismegisti historia, nec aliud ad nos antiquius eo libro peruenit, præter Mosis Theologiam: sed Moses mundi initium statuit. Nihil igitur prorsus perpetuum esse potest, nisi generatio, etiamsi mundus statuatur æternus. Cętera enim omnia, vtpote libro, ædificia, vrbes atq; alia huiusmodi, cum cõstet non esse æterna, constat etiam non esse perpetua. At de generatione constat, si mundus sit finem habiturus, vt leges affirmant, non posse eam esse perpetuam. Et rursus, siquidem mundus sit æternus, sed ad confusionem certis temporum spatiis deuenturus, vt Plato Ægyptiique sensisse videntur, & nos in Arcanis æternitatis docuimus, non potest generatio esse perpetua, sed necesse est, funditùs deleto humano genere, omnes etiam stirpes finiri: eos autem, qui succedunt, è limo nouam trahere originem. Quod si generatio æterna sit, cum, vt in primo de Arcanis æternitatis declarauimus, omnes ex vno & ex omnibus hominibus quisque ortus sit, fiet, vt quorum stirps seruetur perpetuo, necesse sit etiam eorumdem descendentes toti dominari orbi terræ. Quamobrem multum tunc intererit, an stirps seruetur, an non? Primum, quod differet hic euentus, vt mortalis ab immortali: deinde, quod necesse sit suos descendentes toti orbi dominari: demum, quod perpetuo. Nam, vt dixi, singuli homines tandem ex vnico & ex omnibus originem ducent. Quare necesse erit in eorum stirpe perpetuo mundi possessionem manere. Multum igitur interest, an stirps humana perpetua sit, an abrumpatur? Quantumvis enim serò hoc accidat, necesse est nullum nobis felicitatis vmbram inesse. Quid si etiam maneat illa in continuitate generationis, tamen nec maior erit quàm in belluis, cum & in his illud sit vna cum desiderio propagandi simul, æque ac in nobis: nec laborabimus propter scientiam, primum, quod id certò scire nobis non licet; deinde, licèt hoc sciamus, nulla arte id scire possumus, quod nostra stirps inter eas sit adnumeranda, quæ perpetuo manebunt: nec posteri etiam, ex quo descenderint, obseruabunt, quia inprimis mutantur nomina familiarum, & adiectis cognominibus obliuiscimur maiorum. Quapropter & hoc inter reliqua Moses sanxit, vt Iudæi familiarum & maiorum seriem quam diligentissimè retinerent. Hæc ergo erunt si generatio hominum perpetua sit & continuata.

Sed si non sit, dico prorsus nullam esse felicitatem. Omitto enim nunc altiores rationes, siquidem liber hic scribitur Idiotis hominibus, atque rem ipsam non solum puram & sine fuco tradimus, sed etiam crassiore mineruа. Consistat, exempli gratia, felicitas in opibus, (nã quod de his dico, de filiis, amicis, potentia ac cæteris bonis, non solum seorsim, sed & simul sumptis, dictũ volo:) & sit quispiã ditissimus, possideatq; amplissima quidem bona, prædia, hortos, nũmos, gẽmas, vestes; sed mutuo accepta à Rege vel eius dispensatore, & quidem in horam tantum, quæro hunccine felicem appellabis? Dices, scio, non: perbreue enim nimis atq; angustum tẽpus est. Sed fac, vt, in diem, nunquid felix dici merebitur? respondebis, non: nam & hoc tempus breuius est. At si ad mediocre spatium, vt paucorum annorum, atq; ita vt spatiũ illud mors claudat, & ea sua esse ille existimet, dices certè felicem dici posse. At falleris, qua enim ratione hora ac dies transibunt breui, eadem non solum decem ac centum, sed & mille & centies mille anni transibunt, ac breui transibunt. Nam eadem est proportio perpetuitatis (vt de futuro tantum agam,) ad centies mille annos, quæ est ad horam. Est enim quodcumque tempus finitum ad perpetuitatem comparatum, instar puncti in toto orbe. Sed dices, non ad perpetuitatem, sed ad hominis vitam hæc comparatio fieri debet. Vt perfectum tempus sit, quod totam vitam explet, etiamsi hæc breuissima sit. Quomodo dicitur felix in diuitiis fuisse, qui vel vnam diem expleuit in diuitiis, atque diues mortuus est in fine diei: & longo tempore diues, qui maiore vitæ parte in diuitiis felix fuit; aut breui, qui parua & præsertim ea, quæ morti non sit coniuncta: vtputa si quis decem annis diues fuerit, inde vixerit vsque ad centum quinquaginta pauper, hunc breui fuisse in diuitiis felicem dicemus. Itaq; felix potest esse in diuitiis, qui vsque ad mortem perpetuo diues vixit, licèt non diu in perpetuitatis comparatione. Sed hoc fucatum est responsum. Nam diu felix esse non potest, qui diu non viuit. At qui diu viuit, parum putat ad verum bonum consequendum, horula tantũ, an centum annis viuat. Ideò si, qui horula tantum viuit, felix esse nõ potest ob breuitatem vitæ: nec poterit, qui centum annis. At dices, centum anni breue spatium per se sunt, si ad

ad perpetuitatem referuntur : tamen cum ad annum vel paucos comparantur, longum dici merentur: debent autem ad ea, quæ ſui ſunt generis, comparari. Quo modo enim dicimus elephantem paruum, & muſcã ac cuniculum magnũ, eodem hominem longæuum & breuis vitæ. Eodẽ modo diu felicem, aut breui, appellare oportet. At nec hoc ſatisfacit, quãdoquidem mihi nihil comparatione dici debet tale, quod ſimpliciter tale non eſt. Abſurdum enim eſt dicere aſinum ſapientem, formicam magnã, leporem fortem. Licet tamen ſic appellare, ſi non huiuſmodi eſſe intelligas, ſed aſinum minus aliis rudẽ, formicam cæteris maiorem, atque ita leporem fortem. Quod ſi ſimpliciter res admodum exigua ſit, vt acharis inter animalia; vel valde ſtupidi ſenſus, vt cochlea: tunc nunquam, quamvis ad ſui generis animalia aut res comparata, contrarium nomen promereri poterit. Nemo enim acharim magnum, vel cochleam ſapientem dixerit. Quanto minus ergo beatum hominem licebit appellare, cuius vita ſimpliciter inſtar puncti eſt in temporis ratione?

Si ergo animam prætereamus, & finem aliquem ſtatuamus hominum generationi, nihil prorſus poteſt eſſe felicitatis in humana vita. Et hoc eſt, quod recte Paulus, Chriſti diſcipulus, ait: Si animus noſter nõ ſupereſſet á morte, multo miſeriores eſſemus aliis belluis. Nã præterquam quod nullũ prorſus animal aliud, præter hominem, ſe moriturum nouit, omnia animalia aliquid habẽt felicitatis in eo, quod ſunt. Nam ſunt quaſi ſemper eſſent : ideoque ſempiterna beatitate participãt. Solus homo, cum non ſolum ſciat ſe poſſe mori, ſed & certo neceſſarium eſſe, vt omnino moriatur, atq; etiam intra præfinitum tempus, præciſus eſt à ſempiternitate cogitatione ipſa. Quare omnino etiam illius momentaneæ felicitatis, quam ex eo, quod animal eſt, conſequitur, omnino expers eſt. At ſi felicitatis eſt expers, eſt & infelicitatis: ſunt enim in eodẽ ſubiecto, & mutationem recipiunt. Nam Dij, qui felices ſunt, non poſſunt eſſe infelices, quoniam mutationi nõ ſunt obnoxij. Et, vt breuiter dicam, felicitas res eſt : infelicitas priuatio quædam. Sed iam longius digredimur à propoſito. Itaq; vt ad inſtitutum ſermonẽ reuertamur, S. Petrus in epiſtola ſecunda recte ait : vnus dies apud Deum tanquã mille anni, & mille anni tamquam vnus dies. Hoc ſecundum ſatis manifeſtum eſt. At quomodo vnus dies tanquam mille anni? Quod dies vnus mille anni videri poteſt comparatione, quod fieri etiam ſolet, ad alia quam ad æternitatem. Auerrores quoque ſapiens ille vir, in procem. Phyſ. ex autoritate. Alexandri Aphrodiſei docet, quod conſideratione eius, quod vita humana in comparatione ad æternitatem ſit inſtar pũcti, homo fortis euadet, tum ne expolietur à felicitate, quæ in contemplatione conſiſtit, tum ob vitæ breuitatẽ: qui alias ſpe priuatus felicitatẽ hãc adipiſcendi, mori mauolet, quàm viuere.

At dices, oppoſitum præſtas eius, quod pollicebâris: pollicitus es auxilia aduerſus ingruẽtes tum calamitates tum caſus, & video te felicitatem ex homiuum opinione funditus velle euellere. Non equidẽ inficior, me velle homines ab erroribus liberare. Si nemo felix eſt, nemo infelix, cur homines id debent exiſtimare? aut cur ægre ferre, quod eos huius admoneam? At ita liber hic, inquies, inutilis erit felicibus. Sit ita : atque vtinam plurimis atque diu ſit inutilis! tamen infelicibus nequaquam erit inutilis. Beatis vero, ſi lubet inſanire, & ſuum exiſtimare quod alienum eſt, quodque breui in perpetuum caſurum, non iraſcor. Scias tamen quicunque es, qui te felicem exiſtimas, quod non aliud eueniet tibi, quam Mycillo illi, qui gallo ſuo iraſcebatur, quod eum ſomniantem Midæ theſauros & Gygis felicitatem è ſomno exturbaſſet, malebatque grandem illam falſam beatitatis imaginem, quàm lucellum, quod expergefactus ex futura veteris calcei facturus erat. Multi ſunt, qui malunt errore eſſe beati, quàm res ſuas, ſuamque conditionem vere agnoſcere. Atque eo plures, quo hæc à communi hominum ſenſu remotiora ſunt.

Sed hæc mittamus, nihil enim tam perſpicuum eſt, quam nos hoc ſolo miſeros non eſſe, quod conditionem noſtram cognoſcamus. Sed & hoc ipſo non poſſumus eſſe felices : imo rectius, nec felices futuri ſumus, ſi conditionem noſtram agnouerimus. Verumenimvero, inquies rurſus, ſi omnia æqualia ſunt, nec quiſquam felix eſſe poteſt aut infelix, quid opus eſt cura aliqua rerum humanarum? quid prudentia aut fortitudine? cui vſui tuus iſte liber? neque enim vtilitate hac, ex aduerſis decerpenda, indigemus? Fateor nullã eſſe, vt dixi, felicitatem aut infelicitatem: hãc tamen perſonatam, quam habemus, cuſtodire aut fugere operæ prætium eſt. Nonne laudatur anus illa, quæ ſarmentorum quiſquilias colligit? nam quamvis exigua, illi tamen ob conditionis humilitatem opportuna ſunt. Vmbra ſomnij eſt calamitas atque beatitas noſtra: hanc tamen amplecti debemus, illam vitare. Somnia quis dubitat falſa eſſe, nec eas imagines quidquam eſſe? Quis tamen nolit iucunda ſomnia magis, quam triſtia videre? Quinimo Medici etiam ad hoc quæ vitari, quæ edi debeant, docent. An gerulus, qui in ſcena perſonam Regis induit, propterea, quod intra paucas horas depoſiturus ſit illam, & ad onera ferenda denuo rediturus, nollet omnia concinne peragere, quæ Regi conueniunt? Ita nos oportet : ſcenam ſumus ingreſſi, paruo temporis ſpatio perſonam agimus nobis impoſitam, vmbra ſomnij felicitatis proponitur, ſarmentorum quiſquiliæ iacent, omnia tamen pro ratione agenda, colligendæ quiſquiliæ, quandoquidem & hoc ſomnium vmbræ felicitatis dulce eſt.

In hac ergo ſomnij vmbra varie varij verſantur circa Finem bonorum. Stoici quidem exiſtimant eſſe virtutem. Peripatetici, operari ſecundum virtutem. Epicurei, *ἀπάθειαν, indolentiam*, id eſt, non dolore corpore, nec angi animo. Alij rurſus ex his, (nam ſibi, vt par eſt, non conueniunt,) voluptatem. Auerroes, ſapientiam ſummam. Veriſimile autem non eſt, ex tot peritis viris neminem ſcopum attigiſſe. Videndum eſt igitur, quis attigerit, aut qui attigerint? & an forſan duæ aut plures ex his opinionibus in vnum coeant?

Mihi primum virtus finis bonorum eſſe non videtur, cum homo voluptatem ſummam

ex

ex ea non capiat : finis autem bonorum eſt ſumma voluptas , eaque honeſta & ſecura. Virtutem enim non ob aliud finem bonorum ſtatuunt , quàm quod oporteat finem bonorum eſſe ſecurum. At bonorum corporis & fortunæ nihil eſt cum ſecuritate. Virtus igitur eſt ſummum bonum. Sed ſummi dialectici in ipſa falluntur dialectica. Securitatem eſſe neceſſariam ſummo bono , id certum eſt. Nam finge hominem multas gemmas peculniáſque habentem in caupona ſilueſtri cum latronibus hoſpitari, quis eſt tam amens, qui hunc felicem tunc appellare auſit ? Sic eſt de eo , qui multos habens filios , in tempeſtate cum illis nauigat : atque aliis huiuſmodi. At virtus ſecurè à nobis habetur. Verum eſt igitur virtus eſt ſummum bonum. Aberras in dialectica. Forſan id aptius, ſummum bonum homini nulli debet inuideri : at omnia bona poſſunt homini inuideri præter ſolam virtutem : non enim eſt in poteſtate noſtra eſſe diuites, glorioſos, ſapientes, atque huiuſmodi: itaque in ſola virtute ſummum bonum repoſitum eſt.

At neque ἀπάθεια poteſt eſſe ſummum bonum , cum experiamur nos aliquid plus habere , quàm non dolere aut non perturbari. Hæc quidem ſunt neceſſaria , ſed tamen qui filios habet bonos & multos , plus habet , quàm qui non habet, nec de illis cogitat : & qui diues eſt , quàm qui in paupertate non angitur : & qui ſapiens eſt, quàm qui , quod ſapientiam non habeat , non dolet : & qui gaudet , quàm qui non triſtatur. Eſſéntque limaces abſolutè felices cum valent : palam enim eſt eos tunc affectibus corporeis non torqueri, nec animi perturbationibus. Eſſet & ſummum bonum maximè ſtudiorum atque imperitorum. Quod planè abſurdum eſt. Cum enim ſummum bonum noſtrum à vere ſummo bono defluat , id eſt, Deo, palam eſt, id etiam eorum eſſe debere, qui ſummo bono aliquo modo magis ſimiles ſunt. Non igitur malorum, ſtupidorum vel imperitorum.

Voluptas etiam , cum ſit maior perſæpe in flagitioſis & belluis , ſummum bonum eſſe non poteſt. Nec voluptas corporis ſumma, etiam in animo ſumma eſt. Venus enim corpori ſummam affert voluptatem , animo non ita. Prudentes enim ac probi multa illicitæ veneni præponunt; famam, opes, filios, ac reliqua huiuſmodi.

Operari verò ex virtute vt decorum eſt atque glorioſum , ita exiſtimare quod ſummum ſit bonum , è re eſt reipublicæ : attamen cum potius id ad alios pertineat , quàm ad eum , qui operatur , non poteſt dici ſummum bonum. Præterea quærimus, ſitne opus, vt iuxta vnum genus virtutis tantum operetur, an omnia ? Nam plura dicere , voluntarium eſt. Si omnia, nemo forſan hoc ſummum bonum adipiſcetur : ſi vnum tantum , etiam belluæ, vt leones, participes erunt ſummi boni humani.

Ergo ſummum bonum eſt ſummo bono aſſimiliari. Quod quia omnia nouit , optimum eſt , ſecurum ac ſempiternum , nullius indigens : idcircò homini, vt felix ſit, omnia hæc adeſſe oportet , quatenus adeſſe poſſunt. Oportet ergo eum eſſe ſapientiſſimum , vt plura nouerit : virtutibus præditum , vt ſit optimo ſimilis. Sed & hæc ambo ſecuritatem humanam afferunt. Duplex enim eſt ſecuritas : altera ſimpliciter dicta, quam, vt dixi , homo habere non poteſt : altera, vt quæ poſſidet, dum viuit , amittere nequeat. Hæc verò eſt in animi bonis omnibus , vt anteà dictum eſt. Quare ſi in virtute primum , deinde in ſapientia conſiſtit , oportebit ob id hominem eſſe & ſapientem & virtute præditum. Quia autem ſempiternitas , quatenus vt dixi nobis conceſſa eſt , in ſpe filiorum repoſita eſt , idcircò filios habere oportet. Nullius autem indigere, ad fortitudinem pertinet. Nam qui perturbantur , aut dolent , aut paupertate opprimuntur , non poſſunt eſſe felices. Vna verò fortitudo his omnibus ſimul reſiſtit. Fortes igitur eſſe oportet , qui ſummo bono gaudere debent. Contra paupertatem autem & alios fortunæ caſus nonnihil & prudentia plerumque iuuat. Quamobrem cum tam fortitudo, quàm prudentia , ſub virtute contineantur , palam eſt ſummum bonum in tribus contineri : in ſapientia, quæ cum homini propria ſit, principem locum occupat : in virtute , quæ cum aliquibus animalibus communis eſt : & maximè in fortitudine atque prudentia. Quæ in filiis conſiſtit pars felicitatis non ſolum animalibus , ſed etiam viuentibus reliquis fermè omnibus communis eſt. Fermè, inquam : nam quædam ſunt animalia quæ filios non gignunt , vt lendes & vermiculi muſcarum.

Tot ergo rebus, atque his tantum circumſcriptum eſt vmbræ felicitatis humanæ ſomnium. Cuius cauſa, tum & quiſquiliarum colligendarum , tum eorum etiam qui falli in his volunt , quique felicitatem ſtatuunt, hæc de vtilitate capienda ex aduerſis , ſcribere aggreſſus ſum. Verum vt quiſque adeptus fuerit hæc tria , etiam reliqua illis neceſſaria comparabit. Si enim , vt in libris de Sapientia diximus , homo ſapiens fuerit, idem famam, opes, amicos, gloriámque adipiſcetur. Quod ſi ex his quantum neceſſe eſt acquirat , prorſus felix erit : ſin , non propterea felicitate priuabitur , niſi quatenus ab vſu aut adeptione vnius ex tribus illis aut plurium , impedietur. Neque enim diues aut amicis abundans , aut robuſtus corpore , aut honoratus , aut gloria , vel potentia inſignis, quatenus quiſque talis eſt, felix eſt : nec, quatenus iſtis priuatus, infelix , ſed quatenus in vno ex his tribus impeditur. Dico autem tria illa, ſapientiam, virtutem & filios. Hæc vero diuerſis modis noſtram felicitatem efficiunt. Virtus enim omnibus communis eſt, & omnibus conuenire poteſt : filij , maiori parti hominum : ſapientia in apice felicitatis ſedem tenet ; verum paucis conceſſa eſt. Quam enim Seneca appellat ſapientiam, partim prudentia eſt , partim præceps ſtultitia. Sapientiã dico Ariſtotelis, Theophraſti, Themiſtij, Auerrois, Platonis. Summam autem in Plotino, quod aliàs diximus, admiramur. Par eſt autem apicem felicitatis paucis congruere, velut & ſplendorem eſſe non in toto cœlo, ſed vnoquoq; ſidere tantũ. Hoc autẽ contingit

non humani generis ratione; sed materiæ, quæ & prohibet perfectionem & subiecta est fortunæ casibus. Ergo, si cui non adsint opes, vt filios non possit alere, aut sapientiæ operam dare, aut iustitiam exercere, hic certè felix non erit, non quia pauper est, sed quia felicitatis opera non potest exercere, aut, quæ ad eam pertinent, manu tenere: nec tamen infelix erit, quoniam ponitur sapientiæ partibus. Ille verò infelix est, qui omnibus illis tribus destitutus, etiam se spe potiundi caret, vt senes maximè atque pauperes.

Porro, vt hanc infelicitatem, quæ contingit homini ob notitiam mortalis conditionis suæ, Deus imminueret, & vt ne belluis essemus inferiores, spem immortalitatis animarum indidit: idiotis quidem per leges, sapientibus autem, ex Philosophiæ arcanis. Indidit autem sic satis paruam, ne, si firma nimis esset, aliorum animalium misera conditio dici posset. Quare eam leuibus coniecturis atque miraculis muniuit, quandoque ob rei vel personarum humilitatem, vel doli suspitionem, vel vetustatem aut raritatem euentus, vel similitudinem cùm rebus naturalibus. Certè nimis ambitiosa esset mortalium conditio, nimisque beata, si perspicuum esset illis, animam nostram esse immortalem. Sapientibus verò hæc opinio constantior tantò est, quantò ipsi sapientia præcellunt. At quoniam id poterat quodammodo securitatem quandam præstare huius spei, ex aduerso statuit, vt senescentibus spes hæc minuatur. Ita semper ex æquo res ista pendet. Cumque propè finem deuenerit, vt iam aboleri incipiat, tunc nouis prodigiis atque miraculis confirmatur. Hæc autem vicissitudo atque altercatio semper viguit, etiam ab ineunte ævo: viget ac vigebit, donec mundus durabit. Exemplo eorum, qui super funes ambulant, humano genere nutante, sed haud excidente è spe, aut securo de exitu. At cuius gratia id contingat, in libris de Arcanis æternitatis tractatum est. Nunc sufficit scire, quod dictum est, quoniam reliqua contemplatio vltra huius libri fines transgreditur.

Ergo non solùm qui pleni spe immortalitatis animorum sunt, fortiter ferunt aduersa: sed etiam qui se beatos ob felicitatem existimant, hanc doctrinam spernunt. Quinimo alij etiam finem bonorum communem nullum esse statuunt: quin fœneratores in diuitiis illum collocant, principes & milites in potentia, senes in quiete, amantes in amata, lusores in victoria, ægri in sanitate, vt videantur in omnibus rebus diuersi fines. Contra quos aliquid dicendum est. Nullum enim maius meritum esse potest, quàm hominum genus à falsis opinionibus liberare. Amasiam non esse finem bonorum ex hoc constat, quod non eadem pluribus placet: quæque vni placet, multis displiceat, vt nulli vsui futura: nec sit certè apud quemquam magno in pretio, nisi apud vnum illum à quo amatur: quomodo ergo finis bonorum dici poterit. Video quid responderi possit, finem hunc bonorum esse illi quidem, ideóque apud ipsum hoc nomen meritò ei deberi. Vt enim summa est voluptas sitienti dum bibit, esurienti dum comedit, ita & amanti dum amata potitur. Quædã etiam magis generalia sunt quàm tria illa, vt diuitiæ, honores, sanitas. Plures enim appetunt, hæc magis quàm sapientiam, virtutem & filios. Ergo adhuc hæremus in vado. Sed si felicitas in bibendo & edendo, primum, vt dixi, belluis communis erit. Nos autem humana quærimus. Deinde, ea felicitas non est, nisi in actione: actio autem breui tempore durat. Nos autem diuturnam quærimus. Demùm hæc voluptas non est nisi dolore præcedente, vt ingenti fame aut siti. Nos autem cùm indolentia felicitatem esse supponimus. Itaque si hoc statuatur, & scabiosos & podagrosos, dum conualescunt, feliciores aliis esse dicemus. At quis velit esse scabiosus ob scabendi voluptatem; aut podagrosus, vt sanescat? Infirmitatis & imperfectionis nostræ hæc sunt argumenta, non pars vlla felicitatis. Cæterùm Epicureus quispiam dicet, aurium & oculorum voluptas apud plerosque maior est, quàm eorum in quibus constituisti dolorem: hæc interim dolore omnino carent, nec sunt nobis cum belluis communia. Fateor: non id tamen, esse in his maiorem voluptatem, quàm in illis. Nam qui hanc percipiunt, maiorem in sapientia & virtute & filiis dulcedinem sentiunt, quàm in Musica vel viridariorum aspectu. Qui vero non intelligunt, nec habent eam, boni iudices horum esse nequeunt. Oportet enim iudicem ex æquo vtriusque rei, inter quas iudicare debet, esse compotem.

Dubitabit autem meritò quispiam, cur quædam sint in mortalibus cum magna voluptate & modico dolore, vt scabere respectu pruritus, edere comparatione famis, bibere sitis: quædam etiam sine dolore, vt voluptates auditus & visus: quædam cùm dolore, omnino minimo & tamen cum summa voluptate in spurcitia, vt lentigo: contra alia cùm dolore maximo, & minima voluptate cum cessant, vt tormenta? Quæ in tenui consistunt substantia, dolorem afferunt paruum aut nullum & vehementem voluptatem, quia parum imprimunt, & reditum habent ad naturalem statum velocem. At quæ in crassa sunt substantia, plurimum imprimunt, redeunt autem sensim: quamobrem dolores vehementes faciunt, &, dum sanantur, paruam afferunt delectationem. Ita repentina gaudia atque insperata, maxima nobis videntur. Quæ ergo fit ab intelligentia voluptas, maxima est ob id, quod subito fit, & rario est: rara autem plurimum nos delectant. An verò omnis intelligentia pars est summi boni? Certè sic: non tamen apex ille in Mathematica contemplatione, sed Dei consistit. Ei proxima est eorum, quæ illi natura proxima sunt, vt intellectus & amor. Mathematica verò, quoniam certissima, magnam & ipsa, sed non perfectissimam afferunt voluptatem. Naturalia autem, quæ apud nos, vt dubia, minorem: vt in substantiis consistunt, nobiliorem. Ergo venerea voluptas ratione finis, id est, generationis, maxima est. Quoniam verò vapor ille tenuissimus est, & minimam molestiam affert, & subita solutione plurimum delectatur.

Sed vt ad rem redeam, fateor, opum & honorum ac reliquorum similium possessio generaliter iucundior est illis tribus: igitur in illis summum bonum consistit. Non concludit ratio: sed, vel quod illa non ex æquo nobis

cognita

cognita sint, vel quod sint magis hæc illis necessaria. Triticum magis optant obsessi, quàm vestes aut gemmas igitur triticum vestibus ac gemmis est pretiosius? Equis summum bonum est hordeum, spatiari, equabus iungi, illis nobiliore non norunt voluptatem: ergo humana felicitas talis esse debet? Puerorum felicitas in astragalorum lusu reposita est: igitur humana felicitas ea voluptate nihil maius habet? quid absurdius? Aliud est necessarium, aliud bonum: alia quoque aliis sunt bona. Gemmæ nobis sunt in pretio, belluis non ita. Vnde etiam notissima fabella galli cum iaspide. Plus homo ab homine differt, quàm vir à puero: si igitur delitiæ pueri multum à viri delitiis differunt, quanto magis hominis idiotæ à sapiẽtis? Quid hoc est igitur? homines magis cupiũt honores, bonam valetudinem, diuitias, quàm sapientiam, virtutem & filios: igitur illa his præstant? Dicas itaque, hæc sunt magis necessaria, & quidem his, qui maius bonum non agnoscunt. Nam qui sapientiam nouit, quod assumitur, non probabit: verum dicet cum Salomone: Melior est sapientia gemmis: cum ea quæcumque expetuntur non sunt conferenda. Et rursus: Mihi optanti & oranti prudentia data est, & sapientiæ spiritus obuenit, quam ego sceptris & soliis antepono, & diuitias, si cum ea conferantur, nihili facio, neque gemmas pretiosas cum ea comparandas duco. Nã aurum omne si cum ea conferatur, tenuis arena est, & argentum pro luto habendum. Hanc ego supra valetudinem & formam amo, eamque habere malo quàm lucem, quippe cuius splendor sit inextinctus. Nam hominibus est thesaurus inextinctus. Gregorius Neocæsariẽsis affert de Prudẽtia sensibile experimentum, quod ea sit potentia & diuitiis potior, quoniã pauper consilio bono seruabit ciuitatem, at diues stultus malo perdet rempublicam. Sed hæc extra metas: nullus enim est verè sapiens, qui sapientiam cum opibus commutaret. Verum quod ad necessitatem attinet, nec diuitiæ immensæ cuiquam sunt necessariæ, quinimo oneri potius ac tædio. Nuper Genuenses quidam, cum plus haberent pecuniarum, quàm illis ex vsu foret, ædificabant domos prætorias præter propositum. Nero auream domum condidit. At sapientia quo maior, eo melior: cùm maxima nostra sapientia, reapse sit minima. Ob id dulcis eius acquisitio, dulcior possessio est, dulcissimum desiderium. Cùm ergo summum bonum in his debeat collocari, quæ animo coniuncta sunt, quæ per se bona, quæ secura, quæ mali expertia, quæ nobiscum semper manent: manifestum est, nec diuitias, nec honores, nec alia huiusmodi, quæ in fortunæ sunt arbitrio, partes esse felicitatis humanæ, sed auxilia quædam ac fundamenta tantùm. Hæc igitur de Fine bonorum dicta sufficiant.

Cæterùm, vt etiam ad quæcumque agenda hominem instruamus, illud animaduertere decet, quod summam prudentiæ partem complectitur: nempe vt primum de fine consideres atque deliberes, an vtilis sit? Deinde, an illum adipisci possis? Et num quid, vbi adeptus fueris vel inter adipiscendum, aliud deterius ex eo successurum timere debeas? Demùm, si non consequaris, an aliquid tamen boni sequi necesse sit? Cumque tria prima rectè se habuerint, accingere se operi opportunum censeo. Si autem & hoc quartum, necessarium etiam esse duco, vt id pergas. Porro impedimenta & quæ amittuntur, inter ea numerare velim, quæ, vt dixi, deteriora voco, quæque timenda sunt, dum acquirere aliquid studemus, aut iam acquisiuimus. His tam paucis præceptis ratio omnis prudentiæ constat, quæ ad actiones pertinet: quàm etiam omnes quasi norunt, sed non adeò exercere sciunt. Nunc ad vtilitatem generalem ex aduersis capiendam transeamus.

CAPVT IV.

De Vtilitate ex Aduersis capienda generaliter.

INitium facimus ex proposita finis horum librorum diuisione, quam, Hippocratis atq; Aristotelis more, bis terque ac pluries repetere, vbi res admodum vtilis sit, commodum existimamus. Ea est, quod aduersa, ne eueniant, prohibere aut minuere vel declinare propositum est: vbi euenerint, modum inuenire, quo facillimè tolerari possint, non solùm sapientiæ auxilio, atque his præceptis, quæ de Finibus bonorum nuper eruditis scripsimus: sed etiam auxiliis ex ipsa re petitis, velut peregrinatione, ludo, cultu agri, venatione, aliisque solationum argumentis. Demum, vt exploremus, num ex vnoquoque genere mali aliquid boni expiscari liceat? Verum horum primum iam generaliter in præparatione docuimus. De secundo autem, quod versatur præcipuè in hoc scopo, vt quàm commodissimè feramus aduersa atque adeò leuiter, vt calamitates ipsæ vitæ dulcedini aut ad alia tractanda negotia impedimento non sint, nunc dicendum est. Constat autem, non solum in Philosophiæ, sed & suis præceptis atque in agendo contineri. Attigit ipsum Virgilius, ac tanquam facile & cuique promptum cæteris prætulit, cum dicit:

> *Nate dea, quo fata trahunt retrahuntque, sequamur:*
> *Quidquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.*

Nam si dixisset, ferenda vel toleranda, ad consolationem hoc, non actionem pertinebat: nunc, cum dicit superanda, docet quonam pacto in aduersis nos gerere cõueniat. De vltimo etiam, vt scilicet ex aduersis eruamus bona, velut ex echinis castaneas. Quis enim tam secors, qui echino in via inuento, nucem in eo non quærat? aut dum depasci agros à feris cernit, non illis retia, non laqueos turdis vuas depopulantibus ponat? aut si in horreo auiculæ grana depascantur, non paret insidias? quo simul se à iactura vindicet, & aliquid etiam lucrifaciat. Neque tamen in omnibus par ratio est, aut eadem vtilitatis prębetur occasio. Nam aduersa quò moderatius premunt, eò facilius ac certius occasionem præbent capiendæ ex eis vtilitatis, quàm etiam & celerius consequuntur & euidentiore emolumento, qui inuigilant. In his enim, vt in reliquis omnibus, datur excessus, vt & exiguitas ac moderatio quædam, si ita licet appellare, aut certè mediocritas

diocritas. Ab excessu, vt diximus, non solùm re ac facto obruimur, sed etiam spe deijcimur. Alterum extremum, in quo vix lædimur, cùm propè sit, nec afficiat nos, nullã vtilitatẽ affert. Nam si, quę non afficiunt nos, nobis vsui essent aduersa, ex omnibus vtilitatem consequi liceret. Expressius id videamus in exẽplo. Ex inimicis, ex æmulis vtilitatem licet non leuem consequi: quod si eamdem habere liceret ex incognitis penitus & cùm quibus nulla est cognatio boni vel mali, iam cuiquè prudenti viro, non secus ac Monarcha cuipiam, vniuersus orbis vsui foret. Hoc autem quia dissonum est, etiam ab instituto nostro est alienissimum. Itaque hæc institutio non est fortuita, sed propria ipsis aduersis. Nam quod de inimicis diximus, de morbis, exilio, carcere, atque aliis infortuniis intelligendum est. Et quamquam aduersa talia sint, vt indifferentibus sint potiora ad vtilitatem capiendam: nihilominus nemo ea debet quærere, quæ incertum bonum aut exiguum atque instabile, licèt gloriosum pariant, cum ipsa per se maiora sint stabilia atque euidentiora. Quam enim prudentis est, ex aduersis iam ortis vtilitatem capere: tam est amentis, aduersa sibi quærere, vt secunda ex illis assequi queat. Nimis procliuis est lapsus mortalium in calamitates, quàm vt quis ea procuret: imò cuique in promptu sunt & maiora & frequentiora, quàm velit. Verum, vbi iam ingruerint, sapientis est, ex ipsis colligere bona, quæ eo sunt iucundiora, quo omnis felicitas, calamitati succedens, dulcior est, quàm si absque huius interuentu illa continuetur. Videmus, quanta maiore voluptate fruantur, qui prurientes se scabunt, quàm si sine dolore voluptatem percipiunt. Ita res humanæ se habent, si calamitates sustuleris, tollis & bonorum ipsorum iucunditatem. Quod & Plato in Phædone sub Socratis persona, dum pedicis esset liberatus, docet. Ergo si nullæ essent calamitates, nullæ essent voluptates. Solet autem illa voluptas suauissima esse, quæ tristitiæ succedit. Quod & Medici docent, affirmantes delicias non fieri, nisi repente soluto dolore: vt nec dolorem, nisi à naturali statu subito in contrarium sensus transferatur. Vnde eorum dulcissima vita proculdubio erit, qui sæpius ex aduersis tranferentur in iucunda opposita: vt ex orbitate in prolem, ex paupertate in diuitias, ex contemptu in honores, atque ita de singulis. Id quod factu difficillimum est: quia priorem habitum exuere primum oportet, deinde posteriorem induere. Proxima est eorum, qui solum dimidium itineris peregerunt, scilicet qui infortunia exuerunt, non tamen contrariam illis felicitatem adepti sunt. Tertia est eorum, qui, manente priore calamitate, felicitatem aliquam consequuntur, quæ neque oposita aut contraria, neque maior opposita vel contraria sit. Vt quis ex orbo diues, ex paupere amicos sibi multos conciliet, vel honores adipiscatur. Diligenter igitur procurare oportet, vt ne mala augeantur. Nec solùm vt minus lædant, sed etiam vt ne aliis bonis parandis aduersentur. Illud quoque considerandum, quod quædam bona vni maiora videantur, quæ vulgus minora existimat. Vt apud me fama conscribendorum librorum potior est diuitiis: vulgus & proceres contra existimant. Atque vt plures eorum sequuntur opinionem: ita eruditi & probi ac fortes viri famam diuitiis præferunt. Atque hæc in disputatione posita sunt. Nemo tamen ab hoc discedens negauit, si diuitias parare non licet, hoc genus gloriæ non esse amplectendum. Oportet igitur primum, quæ minora sint incommoda, ordine quodam statuere, vt, si necesse sit alterum subire, nouerimus quid subeundum, quid vitandum sit, quando in nostra est potestate. Neque enim, si bonum bono præfertur, statim malum malo eodem ordine deterius est. Vtpote si ditari melius est, quàm honorari, vel habere filios, non statim orbitas aut fœda iniuria minus malum erit paupertate. Et quia fama forte melior est opibus, non propterea deterius erit nihil scripsisse, & incognitum esse, quàm mendicum.

Quis igitur sit ordo bonorum malorúmque nunc dicendum. Hinc enim, quæ eligere bona magis conueniat, non solum sciemus, sed &, cùm maiora mala effugerimus, loco beneficij habere discemus. Magnitudinis igitur bonorũ atque malorum vna ratio videtur, propinquitas eorum, vt dixi, animo, & prout quodvis illorum intimum nobis fuerit. Nam nisi in animum penetrarint, non sunt bona neque mala, sed fundamenta tantùm, vel, vt ita dicam, radices bonorum atque malorum. Nuper ditissimus quidam, cui erant filij & nepotes, magistratus & amicitia regulorum, corpus satis incolume, summaque in suo ordine auctoritas, ex desperatione tamen obiit. Credo superos voluisse ostendere, quàm illis facilè sit felicitatem & infelicitatem nobis immittere. Quis rogo sanus isti homini, antequam moreretur, cùm ea mente tamen, inuidisset? Nos tamen, cùm filius aufugisset, geruli conditioni inuidebamus. Ergone tunc cùm tot præclaris ornamentis felices dici aut esse potuimus? absit. Vt nec, cum in summo dolore podagrico mente reuoluentes omnia, quæ nobis Deus præstiterat, bona rideremus, infelices appellari merebamur. Vulgus tamen, quando bona aut mala hæc externa videt esse ingentia, felices inde aut infelices dijudicat homines; non secus ac qui exterius benè pictam domum pulchram appellat, quamvis intus eam non viderit, aut pulchrum viridarium ob conspectas quasdam plantas egregias, de quibus tamen, an fructiferæ sint, ignoret. Sed cùm plerumque accidat, vt domus exterius depictæ, intus etiam sint commodæ, & plantæ egregiæ specie sint etiam fructiferæ, nec possis de animis hominum aliam sumere coniecturam, quam ita affici vt videntur: ideo neque vulgi iudicium improbabimus, neque tamen iuxta illud definienda erit felicitatis atque infelicitatis ratio. Nimis enim pudendum esset nobis, rem tam seriò tractantibus, circa rei exactam veritatem adeò falli, vt eos, qui felices sunt, miseros, & contra appellaremus. Ergo cum deprehendere mentem hominis licet, iuxta huius ipsius de se iudicium aliquid statuemus. Si non licet ex lætitia atque tristitia melior ac firmior coniectura sumetur felicitatis atque infelicitatis. Quid si.

Spem vultu simulet, premat altum corde dolorem?

Hoc solum vulgus fallere potest, intimum amicum

amicū aut clientem nequit. Domi enim ac soli mœrent, suspirant, gemunt, flent leui quacumque ex causa, irascuntur, negligunt domestica negocia, abstinent à cibo, pallent, marcescunt interea dum, vt Salomon inquit, Animus tristis exiccat ossa, non dormiunt:

(*Neque enim membris dat cura quietem.*)

Quidam etiam forensem exercitationem ex toto relinquunt, alij plus iusto eam amplectūtur. Num satis igitur, qui felices sint aut infelices, putas te coniectura assequi posse ex his suspitionibus, quæ sæpissimè fallunt?

At dices, si solum hoc est infelix, se existimare infelicem: hoc solum beatum, se beatum existimare: in quo iam differt noster hic Metellus à stulto? Plurimi enim stulti se Reges esse putant, nec quidquam miserum pati, sed omnia suo arbitrio fieri atque agi? Iam ergo nihil aliud erit felicitas, quàm falsa de semetipso opinio, quàm mera insania. Cruciaborne ego in tormentis apud iudices in summo dedecore, & exclamabo nihil hæc ad me? Exsibilaborne, ego à populo, & gratulabor mihi? Quis hoc ferat? aut in quo à stulto differam? Metam aliquam hic statuere oportet. Nam falsa opinio beatum quemquam efficere non potest. Sapiens, qui nulla in parte decipitur, dicit, nuper sum, sed diuitiæ beatum non efficiunt: humana beatitas somnium est, quia nec secura nec constans: in alio beatitas consistit. Hæc quatuor vera sunt. At stultus dicit, diuitiæ beatum efficiunt, maxima res est beatitas humana, secura felicitas est esse diuitem, nihil est ad felicitatem adipiscendam melius aut maius diuitiis, his enim amici, fundi, domus, commoda voluptatesque habentur: at ego, inquit, diues sum. Tam paruo ergo discrimine sapiens à stulto differt, cum in eadem conueniant sententia? Quid ni? An parum est differre? Quot enim modis à falso verum, tot etiam hi differunt. Attamen in eadem sententia conueniunt vtrique: beatos enim esse se putant, cum miseri sint. Nequaquam: Nam habet sapiens præter id, plura etiam commoda, prudentiam, fortitudinem, scientiam, comitatem, aliasque egregias virtutes, quibus vitam suam & existimationem decoret. Qui enim hoc videt, sapientem beatum se existimare cum sit pauper, primum certè addubitat, num quoque insanus sit? Verum cùm infelicitates varias ac graues quibus opulenti laborant, considerat ac experitur, iam facilè in eam sententiam adducitur, diuitias non esse felicitatis fundamentum, sed, quantum satis est, habere: paupertatem verò non miserā, sed vel leniter omnino miseram, vel etiam beatam. Adiuuat hoc propositum communis iam opinio tot Philosophorum, vt nullus ab hac sententia penitus discrepet. Quin imo etiam Epicurus, (nam de cæteris omnibus Peripateticis, Academicis, Stoicis, Cynicis, nemini dubium est,) qui summum bonum statuit voluptatem, paupertatem vbique diuitiis ad felicitatem consequendam prætulit. At quod de diuitiis tanquam famosissimis dixi, de aliis fortunæ bonis dictum velim. Constat igitur, sapientem cum stulto solum in sententia ipsa conuenire: in causa verò ac ratione sententiæ, differre. Quod si etiam parum differret, quid mirum? quandoquidem, vt dixi, tam parum humana hæc inter se differant? Incerta opinione, vana fructu, inconstantia natura, malè tuta nec omnino vmquam secura, tempore breuia, quæ pauci intercedentibus annis adeo obliterantur, vt ne vestigium quidem memoriæ eorum relinquatur. Ergo miraris, quod tam paruo interuallo etiam sapientum sententia à stultorum opinione differat? Sed hæc satis, ad ordinem reuertamur.

Post animi mala, sunt corporis detrimenta, cruciatus, deformitates, & ἀναισθησίαι, ἢ πωρώσεις, *sensuum priuationes*, velut cæcitas, surditas, stupor, membrorum resolutio. Hæc enim adeo propè animum sunt, vt multi etiam Philosophi eiusmodi calamitatibus tangerentur. Porro vt hæc inferiora sunt animi malis, maiora autem quàm fortunæ: ita non adeo perspicuum, qualis sit inter hæc ordo, atque ob id dicendum de his. Certè deformitas, cum alieno iudicio mensuretur, inter mala potius fortunæ, quàm corporis recenseri debet. Cruciatus autem deterior est priuatione sensus: verum plerumque breuior. Deterior igitur est πώρωσις, seu, vt ita dicam, *insensilitas*, quàm cruciatus. Dum verò durat, maior est pœna cruciatus. Ita apud Euripidem Cyclops quæritur.

Ὤμοι. κατηνθρακώμεθ' ὀφθαλμοῦ σέλας.

Et dolet, quod igne iubar oculi amiserit. Ob id etiam subiungit:

κἀπὶ τοῖσδέ γ' ἄθλιος.

Hæc insuper miser quoque.

Sed & Oedipus in Colono, & Tyrannus apud Sophoclem, videntur non meminisse cruciatus in eruendis oculis, sed miseriæ cæcitatis. Ergo priuationes hæ grauiores sunt ipsis cruciatibus, etiam dum homo est in ipso cruciatu: nam ad animum, vt dixi, magis pertinent. Atque illi adeo propè sunt, vt pars eius esse videantur. Nam & videre & audire sentire omnino animo magis quàm corpore nos existimamus. Accedit, quod plerumque dolor, aut magnus non est, aut non diuturnus: imo & magnus & diuturnus vix esse potest.

Cæterum in fortunæ calamitatibus maior est diuersitas. Inter huius dona vnum quoddam supereminet corporeis bonis maius, scilicet procreatio filiorum. In his enim simul imago nostra, spes æternitatis, amicitiæ arctissimæ vinculum, & postremæ ætatis leuamen maximum comprehenditur. Quàm ob causam educatio filiorum à legibus tot priuilegiis ornata est, à Sacra Scriptura & Philosophis toties laudata, vt nihil posse iucundius in tota vita esse, perspicuum ex his fit. Norunt & belluæ omnes, quantumcumque immanes ac sæuæ, & omnia fermè animalia hanc dulcedinem. Soli pisces, magna ex parte ob rudem atque voracē naturam, hanc tam suauem curam despicere videntur. Ergo vt filiorum educatio iucundissima est: ita orbari filiis, præsertim adultis ac bonis, omni corporea calamitate maius est. Contigit id, quod, licet filiorum procreatio ad casum & fortunam pertinere videatur, filij tamen & corporis & animę nostrę, vt ita dicam, partes esse videntur. Quod verò casu contingit in suscipere posse atq; educare, idem contingit in sanitate ac sensibus. Nā etsi bona sint corporis, videntur tamen in arbitrio fortunę constituta. Quod si hęc tamē bona corporis nō for-

tunæ appellare licet : quid prohibet sanè, quominus omne etiam filiorum negocium sub bonis ac malis corporis, non autem fortunæ collocemus? Sed vtcumque libeat, facias: modò non ignores, hanc curam post animi bona ac mala statim collocandam.

Reliquarum fortunæ calamitatum ordo ex propinquitate & nobilitate sumitur. Velut opes amittere deterius est, quàm amicos: propiores enim sunt nobis opes, quàm amici. Nā opes omnino sunt in potestate nostra, amici non ita: sed quandoque nobis repugnant, & maximè in minus honestis actionibus. Plus etiam lædimur ab iniuria, quàm opum iactura. Quoniam honor diuitiis præstat iniuria autem honori opponitur. Sic vxoris molestia & parentum, maior est quàm fratrum, & fratrū quàm amicorū: horum autem maior est quàm familiarium; nisi idem sit & familiaris & amicus. Sic etiā deterius est esse in carcere quàm in exilio: proscriptum quàm relegatum. Spretum & contemptum esse quàm iniuria affectum, partim deterius est, partim minus malum. Inimicitiæ etiam necessariorum & coniunctorum, & potentium, & liberalium, & crudelium ac latronum & peruicacium, peiores sunt aliis. Atque ita non solum genera inter se, sed species etiam distinguere oportet: & ipsarum etiam specierum vltimas, vt minus communes differentias, iuxta propinquitatem animi & earum nobilitatem, atque ea, quæ post subiungemus.

Ita etiam de animi bonis (quæ statuimus virtutem & sapientiam, quæque ambo plures sub se continent species,) scire oportet, vtrum nobilius sit ac præstantius in hac tractatione, sapientia an virtus? Et an confestim, si sapientia præstatior est virtute, omne genus sapientiæ præstantius sit omni virtutis genere? Videtur Aristoteles velle sapientiam esse virtutem, hoc argumento. Sapientia est ex genere prudentiæ, quin prudentia ipsa nobilior: prudentia autem, virtus est: igitur & sapientia virtus erit. Imo sapientia, comparata virtuti, nobilissima huius pars erit: quatenus diuinis conuenit, & nos Diis ipsis iungit. Etenim absurdum fuerit opinari, Deos esse fortes, magnanimos, liberales: talia enim sunt priuationes potius vitiorum, quàm perfectiones. Quod si prudentia virtutum omnium fermè nobilissima est, nec nisi iustitiæ cedit in pace, & fortitudini forsan in bello, quanto sapientia omni virtute nobilior erit? Denique, qui sapientes sunt, iidem & virtute præstant. Scientia enim diuinorum ad omnem virtutem nos accendit. At multi natura præditi sunt virtute, non sapientia, quandoquidem nemo natura sapiens esse potest. Optimum igitur & nobilissimum bonum sapientia. Quapropter & insania omnium malorum apex. Quæ igitur ad illam deducunt, obliuio, ira, stupor mentis, inuidia atque eiusmodi, inter maxima mala connumerare decet. Non autem luxum, superbiam, libidinem: hæc enim non è regione cum sapientia pugnant. Ex quo manifestum est, sapientiæ quidem omnem iacturam, grauiorem esse omni virtutis iactura: non tamen omnium eorum, quæ ad sapientiam pertinent. Neque enim imperitia, puta, naturalium deterior est iniustitia: siquidem imperitia insaniæ pars non est, nec peritia sapientiæ: sed ad sapientiam ipsam accessum atque ingressum nobis præbet.

Quia verò quàm reliqua bona ac mala facillimè percipimus, tam difficile est seipsum agnoscere, paucis accipe. Quomodo dignoscas te esse sapientem aut insanum? Primum itaque in hoc teipsum consule & metiare, an Deum quantum oportet verearis. Initium enim, vt rectè Sacra scriptura docet sapientiæ est timor Domini.

Alterum & id non leue huius indicium est, agnoscere humilitatem atque miseriam conditionis humanæ, & propriam tuam imperitiam. At hoc præ ceteris forsan durum atque arduum videbitur. Quamobrem, quantum quisque ignorantiæ nube opprimatur, docere operæ pretium est. Annon primum omnes irascimur? & volentes quidem? At quid aliud est ira, teste Aristotele, quam breuis furor? Quis vero irascitur? Qui se sapientem existimat. Neque enim irasceretur, si nescire se existimaret id, ob quod irascatur. Irascitur enim ob id, quia iniuriam sibi fieri putat, quando alius ipsi fidem æque nō habet, quam ipse vel illi, si quid audiuit, à quo audiuit; vel sibi, si quid vidit, in eo quod vidit & certum esse putat; aut in eo, in quo coniectura assecuto se non posse decipi firmiter credit. Ergo qui irascitur, credit se sapientem & scire id, cuius causa irascitur, & simul stultus est. Qui enim sapientem se existimat, is stultus est. Tales sunt peruicaces, ambitiosi, & improbi plane. Sunt igitur hæc coniuncta, sapientem se existimare ac irasci stultumque esse: & rursus, stultum esse cum sapientem te credis, atque ob id irasci: iterumque, stultum esse ac irasci, quoniam sapientem te esse putas. Sapiens ergo rarissime irascitur: quia nec sensibus, nec iudicio suo, nec aliorum verbis multum credit. Ergo non sibi nec aliis fidere, non existimare se sapientem, non irasci, agnoscere mortalis conditionis imbecillitatem, secundum est sapientiæ signum.

Tertium est, omnibus in rebus modum adhibere. Ob id apud Comicum sic loquitur senex:

Horum ille nihil egregiè præter cætera
Studebat, & tamen omnia hæc mediocriter.

Nam mediocriter omnia attingere, indicium est, posse sibi imperare. Quæ enim sponte attingimus, ob delectationem attingere certum est. Si quis ergo à semetipso impetrare potest, vt omnino diu in re aliqua non perseueret, non paruum est & moderationis, quod possit, & prudentiæ, quod cognouerit, argumentum: atque ideo tales iam sapientiæ limina ingressi sunt. At si protinus à cœpto se retrahunt, si alio se conferunt, non id sapientiæ, sed impotentis animi ac profligatæ luxuriæ indicium est. Atque hic mos potius puerorum est, quam adolescentum; & adolescentum, quam virorum. Sic Momentanus ille apud Horatium.

Quod si est voto omnia succedant, & absque crimine, vno in genere perpetuus is felicitatis cursus quartum sapientiæ argumentum esse poterit. Neque enim omnia vni feliciter euenire possunt in tam fragili compage, tam breui tempore, totque casibus

mortalium.

mortalium. Nam stultus diu omnino, etiam si Dij, vt ita dicam, vna conspirauerint, felix esse non potest: vt vix sapiens perpetuo infelix. At de hoc contemplari non est præsentis instituti, sed altioris cuiusdam considerationis.

Vltimum est, vt talis ab omnibus habearis. Nam cum hæc in hominum iudicio reposita sint, id pro constanti ac vero habendum est, quod ab omnibus, quod à sapientibus potentibusque probatur. De vulgari enim sapientia, vt diximus, nunc loqui propositum est. Ista igitur sunt sapientis atque prudentis indicia. Præceptum autem illud. Cognosce teipsum, sub secundo continetur indicio: & quæcumque de hoc à maioribus prodita sunt, sub aliquo horum continentur.

Proximum huic bonum proculdubio est fortitudo. Nam sapientia magis propria est homini: fortitudo autem cum belluis communis. Fortitudo etiam, etsi maximum sit infelicitatis leuamen, ad felicitatem tamen parum aut nihil confert. Tum vero fortes nascimur magis, sapientes cultu & doctrina sumus. Quamobrem sapientiæ maior habenda est cura, quam fortitudinis. Fortitudo etiam rarius (si quid ad rem facit,) nobis auxiliatur, vt in periculis ac calamitatibus solum: at sapientia semper. Denique fortitudo sæpius sapientia paratur, & in omnibus casibus, præterquam mortis & orbitatis, quod hi versentur circa interitum atque id quod est nihil esse, horrendum plane. In cæteris consilio adhibere & euocare fortitudinem licet. Vt ergo facilius emendare licet imprudentiam & stultitiam: ita fortitudine rarius opus est nobis. Vbi enim te haud esse sapientem agnoueris, sumpto ex propriis saltem casibus argumento, & id semper animo voluens, quod conductor es ὀλιγοχρόνιος, *exigui temporis*, non autem perpetuus bonorum ac sapientiæ ipsius dominus, corriges facile temetipsum, fastum depones, aut saltem, si arduum id videatur, minues. At vt facilius hæc curantur, difficilius cognoscuntur: ita metum facile quisque suum agnoscit, difficulter depellit. Vnde hi animi morbi hecticæ primis speciebus pulchrè comparantur. Iusti ergo, sapientes, splendidi, ciuiles, ac cætera huiusmodi educatione & institutione euadunt: fortes natura oriuntur, educatione vix fiunt. Vnde Flaccus noster:

Fortes creantur fortibus & bonis,
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Sed habet hoc vnum fortitudo in vita dulce, quod omnia, quæ nobis placent, iucundiora reddat. Videre est apud Romanos, viros illos fortes ea, quæ in republica, quæ domi gerebant, ludos publicos, conuiuia, ædificationes, sic tractasse, vt, tanquam immortales Dij, & summam voluptatem in actione caperent, & nihil vitæ mœsti aut memoriæ mortis immiscerent. Atque id summum bonum fortitudinis esse duco, vitam reddere felicem. At contra timidi vita ac nimium, vt ita dicam, prospicientis, tametsi sapientis, misera tota est, plenaque mœrorum ac suspicionum. Ob id igitur curandum est maximè, vt simus fortes. Cum reuoluo Scriptores veteres rerum Romanorum, hui, quam beatam vitam duxisse mihi videntur! Nihil humile, nihil triste cogitabant, sed imperia solum, magistratus, honores, conuiuia, ludos, pugnas, bella, apparatus, prouincias, ciuitates, itinera, classes, nauigationes, defensiones, accusationes, aurea tecta, picturas, statuas, triumphos, arcus, porticus, sacra Pontificum responsa, Senatus consulta, populi iudicia, Philosophorum disputationes, sexcentaque, vt ita dicam, huiuscemodi. Verum, si hæc vera sunt præmia fortitudinis, quis dubitat illam sapientiæ non esse longè anteferendam? Verumenimverò, si fallere sensus, si decipere consilium nostrum, si fabulas pro historiis, si falsa pro veris subijcere licet, in quibus tandem nobis vtilis erit sapientia? Non est ergo fortitudo, obliuisci nostræ conditionis, præferre leuia magnis, mortalia pro perpetuis habere: sed rebus ipsis, quales sunt, intellectis, optimè sibi consulere seu vitando seu leuiter ferendo mala, seu, quàm breui omnia finiantur, intelligendo. Referunt phasianum, viso accipitre, occulere caput: tanquam miserum non sit, non agnoscere calamitatem imminentem. Ita & Cæsar, dum caderet, visus est obduxisse capiti togam. Et forsan sint hæc minus horrenda, non videre, non præuidere: tamen omne defensionis auxilium tollunt, & amentium cogitationes sunt.

Est & discrimen malorum in magnitudine primum. Nam miserum esse, maius est, quàm infelicem: & mendicum, quàm pauperem: & vnicum amittere filium, quàm ex pluribus vnum. Tum in diuturnitate & magnitudine causarum: vt inimicitiæ potentiorum & latronum maiores sunt, quàm viduarum, aut mercatorum, aut piorum virorum. Item in varietate generis calamitatum, vt cum pluribus modis afficimur atque discruciamur. Et in conditionibus adiectis: vt iniuria ab amico, à vili persona, ab eo in quem beneficia contulimus, à magistratu ab alumno accepta magis nos commouet, quàm ab inimicis vel incognitis. Præsentia etiam magis futuris, & futura præteritis, & inter futura, quæ imminent magis, quàm quæ procul absunt, nos torquent. Sed iam ad vtilitatis generalis, quæ ex aduersis capitur, explicationem veniamus.

Principio illud nobiscum meditandum ac sæpius reuoluendum, (quod quamquam sæpius dictum sit, repetere tamen abs re minimè fuerit,) parum differre, quæ viginti millibus annorum perseuerant, ab his, quæ tribus millibus: minus verò, quæ tribus millibus annorum, ab his, quæ mille annorum spatio finiuntur: multo minus, quæ centum annis tantùm durant, ab his quæ mille: rursus etiam longè minus, quæ decem, ab his quæ centum: minime autem, quæ vno aut duobus tantùm, ab his, quæ decem annorum spatio finiuntur. Hæc si tecum cogitaueris, quæ verissima sunt, omnem fastum & tumorem, omnem etiam calamitatem ac miseriam facilè contemnes, tecum reputans & breuitatem temporis, & necessitatem ca-

sus atque mutationis. Itaque hoc vno argumento, quod indies magis ac magis experieris esse certissimum, omnem molestiam animi depelles.

Accedit huic alterum, quod malorum consuetudo mala ipsa minuit: velut in podagra dolorem efficit non adeo grauem. Quæ si non in eodem mali genere sint, iam illud Hippocratis educere possumus: Duorum dolorum, qui non in eadem parte fiunt, maior minorem obscurat. Metus quoque alterius mali sæuioris, dulcem efficit sensum mitioris. Pueri flagris cæsi cum voluptate literis incumbunt: qui non experti sunt plagarum dolorem, incredibili molestia afficiuntur. Ipse quoque dolor partis sensum obtundit, quod in his, qui diu torquentur, quique vruntur experimur. Quin etiam animus ipse tristitia vacuus aduersa excipit, vt dici solet, plenis velis, ac dolorem totum in se haurit. Si cui in luctu constituto pereat res, agrum grando depopuletur, vix eam calamitatem sentit. Pauper, si filius aufugiat, propriæ molestiæ memor vix afficitur: contra diuiti & felici adeo grauis cura hæc est, vt nonnunquam hominem perimat.

Nec id omittendum in consolatione rerum nostrarum, pleraque tanta necessitate agi, vt nulla humana prouidentia vitari queant. Quin etiam quæ nobis, dum hominem discruciant, mala videntur, ad vniuersi ordinem atque perfectionem pertinere. Adeò vt, qui fati opinionem citra legis nostræ iniuriam inuexit, non parum ad solandos miseros commodi attulerit. Quid verò tam triste, quod tempus non leniat? Quid tam calamitosum, cuius memoriam anni non aboleant? Quid miserius aut stultius, quàm mala nostra animi dolore augere? animove fracto subtrahere fomenta medicandi morbum? Cur non vis meliora potiùs sperare, quàm deteriora? Cur non in arena consilium, vt dici solet, capis? Cur non aliò mentem conuertis, negociaque, quæ te detineant ac vehementer solicitent, capessis? Cur non aliò migras, aliosque tibi quæris socios? Velut qui immobile vas sine vrna vacuare putido humore vult, aquam immittit assiduo; vt illa supergrediens labra atque effusa prauum liquorem secum trahat: ita animus curis grauibus plenus aliis curis minoribus, sed assiduis vacuandus est, aut saltem exonerandus.

Duo hæc tibi, quæ cunctis sunt communia propone, scilicet neminem beatum, omnibus autem moriendum esse. Quod si mors res pessima est, deplorare conditionem humanam potes, non tuam, nisi vt cum aliis coniuncta est. Quis non rideat flentem hominem ob amissum obolum, qui breui ac certo amissurus sit omnia? Sin autem mors mala non est, ea te ab his malis omnino subtrahet. Sed neque id prætermittendum, quod iam antea diximus, incertam esse futurorum exspectationem, neque malum vllum atrox, quod extra nos sit: tum experimentum malorum efficere, vt mala quæque, etiam ipsa mors, leuiora videantur. Refert Seneca, eos qui in arena sæpius vulnera accepere, fortius dimicare, quam qui nunquam aliàs pugnarunt. Quis tam hebes est, qui neget milites, qui morti sæpius occurrunt, quique omne genus malorum assidue experiuntur, & ad mortem promitiores esse, & ad omnia mala perferenda? Habet ergo consuetudo, quod in omnibus leniat ac molliat. Quod si omnia metuere velis quæ euenire possunt, quid miserius vita tua excogitari potest? Si falli necesse est, cur falso metu vis discruciari? An non longe meliùs est, exspectantem mala etiam certo ventura, lætam interim agere vitam, quam non ventura timendo in maxima tristitia viuere? At fieri poterit etiam, vt mala ipsa non veniant. Sed & id plerumque vsu euenit, vt falso metu homo magis concutiatur ac mœreat, quàm vero: quoniam vera certis limitibus atque etiam angustis contineantur, falsa nullos habeant terminos aut fines.

Ergo vbi hæc taliaque tecum meditatus fueris, præstabit vt ad hanc exercitationem bona è malis eruendi te traducas, quæ non tam vtilis est quàm necessaria. Et quamvis durior forsan ab initio tibi visa fuerit, memineris nullam tamen esse vtiliorem, cum mala passim in vita hac nobis perpetuo se offerant. Quin etiam vt ex bonis bona colligas, maiore opus est, licet non adeo assiduo labore, quàm vt ex malis ipsis: quod bona hominem magis eneruent, & magis inuideantur, maioreque sint mole. Verum etsi dura sit hæc exercitatio, vsu tamen mollior euadit: perinde vt iis, qui chelyn tangunt, cùm simul dextra ac sinistra ludere, atque omnibus ferme digitis cogantur, consuetudine tamen & diligentia mollescit. An non qui in pedes auersi prosiliunt, qui funes superambulant, qui latrunculis, alea, pila ludunt, citharamque simul pulsant, omnia ob vsum etiam facilè agere videtur? Cur hoc in negocio longè vtiliore, licet non adeo admirabili, tædeat vel mediocrem adhibere diligentiam, quo per omnes vitæ humanæ anfractus non solum illæsus, sed honestè & cum gloria transeas? Conandum igitur est, vt animo, consilio, vsu, præsens, prudens, atque fortis euadas, & ne omnino illud Comici tibi contingat:

Sic timor ex animo omnem expectorat sapientiam.

Vbi ergo in malis his non tantùm miseriæ, quemadmodum vulgus insanum putat, neque in bonis tantum felicitatis esse didiceris, intelliges etiam non parua in malis nec contemnenda bona esse. Primum enim pietatem nobis ingerunt, coguntque mala, vt Dei memores illum colamus ac vnicè diligamus. Quod, etsi per se optimum laudeque dignum sit, nos gratos erga omnium bonorum authorem, erga tantùm benefactorem esse, insuper etiam ad vitæ commoda vtile est. Namque ea est rerum ratio, is ordo seriesque, vt qui Deum religiosissimè colant (quamquam vulgo quandoque secus videatur, iidem omnium mortalium sint felicissimi. Quod primum in gentium ac ciuitatum successibus, deinde hominum etiam declarabo. Populus Iudaïcus quamdiu Deum piè coluit, quod ante monuerat eos Moses, & Iu-

dices

dices & Reges habuit optimos ac potentissimos, annonæ & frugum abundantiam, pacem, opes immensas, florentem rerum omnium statum: vbi desciuit, statim in omne miseriæ & calamitatis exemplum recidit. Quid dicam de Christiano populo? Sed omittam hæc exempla, ne cuiquam grauior sim. Cur Philosophorum plerique, Plato, Diogenes, Zeno Cytticus, Antisthenes, Xenocrates, Xenophon, atque alij innumeri beatissimi fuere? nisi quod, quantum ex lumine illis naturali concessum fuit, Deum piè coluere. Obiicies; forsan Socratem & Plotinum: sed ego malim illorum fortunam sequi, quàm omnibus delitiis & victoriis vel Alexandri Magni Cæsaris potiri. Veniamus ad singulos. Quis pietate, Carolo Magno conferri potest? quis etiam felicitate illi comparandus erit? Diu vixit clarus victoriis, amplitudine imperij, eruditione, ædificiorum magnificentia, bonarum artium incrementis, sospitibus filiis, leni morte absumptus est. Sed neque Iustinianus, Imperator pius inter Orientales, huic inferior gloria, felicitate, diuturnitate imperij. Hos autem confer cùm his monstris, qui Deum non sunt venerati, Commodo, Vitellio, Heliogabalo, Seuero, qui fratrem fratri insidiantem cùm videret, nec vllam reconciliationis spem, miserior quovis gregario milite vixit. Sed omittamus exempla, ratione ostendamus quod propositum est. Qui Deum venerantur & colunt, primum quidem mentis lumen adipiscuntur. Optimus enim cùm sit, probo homine inferior esse non potest. Ostendimus autem aliàs, omnem nostram felicitatem constare sapientia. Iidem cùm boni sint & grati, alios quidem gratias rependendo, alios fama integritatis ad benefaciendum sibi inuitant. Ipsa verò pietas adeò mœrores atque molestias animi liquefacit, adeò illum exhilarat, figit propositum, vt nihil tam beatum esse possit, quàm bonum ipsum amare. Fluctuant omnes alij, si rectè animaduertas in tempestuoso mari, cùm suis sarcinis diuitiarum, honorum, magistratuum, cumque Principum familiaritate, si hypomochlion non quiescat, si Deum non ament, seque totos ac sua consilia, vt decet, illi dedant. Quantum ergo commodi in felicitate repositum tibi est, si propter illam in summi boni cognitionem ac cultum deueneris? Et quamvis multi de piorũ felicitate dubitent, nemo tamen ex improbis ipsis ac impiis est, qui non solùm felicem se non esse existimet, sed qui infelicitatem suam nõ intelligat, quamvis plures ex eis eam dissimulent ac tegant. Quis legendo Senecæ Epistolas, non videat illum fuisse miserrimum, cuius summa beatitas mortis fuit exspectatio? At nos, qui iam quinquasimum annum sumus ingressi, quique vel publico stipendio solum sustentamur vel priuata medendi opera, cum tot aduersis, cum tot laboribus, nihil tamen prius morte ducimus, in reliquis satis felices, quod satis piè vixerimus. Impiorum ergo vitam si quis miseriorem esse putat aut turbulentiorem, decipitur: neque enim est, aut excogitari potest. Solum tantisper quiescunt, dum insaniæ furiis agitantur, mala super mala congerentes. Vbi resipiscunt, facies omnium malorum & laruæ & flagitiorum spectra oculis obuersantur. Quamobrem, qui ex illis prudentiores videntur, hanc vnam requiem malorum inueniunt, occupari perpetuo negociis, nec locum relinquere cogitationi. Quid illa terribilis geniorum facies ante oculos Cassij, Bruti, Ciceronis atque Syllæ parum ante mortem obuersata, nisi scelerum grauissimorum & impietatis imago fuit? Nec credas esse has antiquas fabulas, aut alia non inueniri exempla: quotidie apparent talia, & ego neminem cognoui impium, qui huiusmodi supplicio caruerit. Verum non permittunt proximi hæc ob infamiam euulgari: imò, quantum licet, talia tegunt, aliis etiam negociis, maximè diripiendæ aut colligendæ hæreditati anxiè intenti. Ipsi vero, qui hæc perpetiuntur, non nisi magna vi expressa confessione fatentur.

Succedit huic clarissimæ pietiati altera minor, sed haud contemnenda, quod in ipsis calamitatibus parentes, filios, fratres atque nepotes, consanguineos denique omnes, ac etiam amicos clariore affectu complectimur atque deosculamur, quos antea, secundis fortunæ afflantibus, aut contempseramus aut neglexeramus. Vnde multis ob id maxima commoda euenere, & præcipue paruulis, qui diligentiore cura educati fotique ad magnos gradus dignitatis peruenere. Quemadmodum melius calor frigore in vnum coactus coquit, & odor iucundus tetro circumdatus confirmatur: ita homines aduersis casibus perculsi, suos magis amplectuntur & curant. Quidam Patritius noster valde æger factus, cùm agnatus & idem hæres ab intestato, adhuc illo viuente, spoliasset domum eius tanquam morituri, ita hoc factum est indignatus, vt nepotem ex fratre, quem vix vt calonem alebat, quod puer ille esset ac nothus, charo affectu amplexus hæredem vniuersalem instituerit, vestibus ornauerit, custodes corporis adiecerit, tutores potentes & insignes constituerit: vnde factum est, vt nepos hic pluribus susceptis filiis inter primos ciuitatis iam multis annis emineat; alioqui sordida in fortuna victurus: & qui pro deplorato iacebat, credo indignatione iusta excitatus vires resumpserit atque conualuerit, aliquotque annis superuixerit. Paupertas, miseriæ, calamitates Populum Romanum in vnum coniunxerunt, in cultu virtutis continuerunt, exercuerunt in arduis, euexerunt ad orbis imperium: at felicitas vitia ex luxu inuexit, discordiam peperit, seditionesque, inde bella intulit, imperiumque euertit, demum etiam vrbem. Ipsa denique artium inuentio tot commoda, tot decora adiecta, cui debentur nisi mortalium inopiæ atque indigentiæ?

Sed iam & illud æstimemus nobiscum, quod nihil sit, quod magis nostram vitam producat, quàm sensus ipse calamitatum. Qui enim perpetuo in delitiis viuunt, his non secus ac dormientibus clàm vita diffluit. Ob id Aristoteles somnum interliminium vitæ ac mortis dixit, eosque qui dormiunt, nec mortuos plane esse nec viuos: eos etiam, qui dormiunt, non percipere tempus, quod defluerit. Ita qui in summa felicitate viuunt, maximéque

méque in otio iucundo, non secus ac qui dormiunt, vitam transigunt. Si mihi non credis, non Aristoteli, ipsa res te doceat: nam totos dies ludendo transiges, vix horulam præteriisse existimabis. Nihil temporis imaginem longiorem reddit, quàm bonorum exspectatio, & calamitatis sensus: nihil breuiorem, quàm vita iucunda & exspectatio calamitatum, magnorúmque malorum. Si igitur calamitates ita perpetiaris, vt etiam bona exspectes, longissima tibi vita videbitur. Quorum vtrumque ei eueniet, qui calamitates ita fert, vt spem seruet. At is, qui felix est, nec tempus præsens sentit, nec meliora sperare potest, vt ambabus, quæ ad vitæ longioris speciem conducunt ansis destituatur. Ob id rectè sanè ac iuste videtur compensasse natura vitas, non solum hominum, sed etiam animantium omnium, vt breuiores tanto viderentur, quanto essent feliciores. At forsan dices, nil mea interest breuiorem videri, modò non sit: nec longiorem esse cupiam, quæ misera sit. At tu, ô egregie, quis es, qui velis Epimenidis somnum dormire, solúmque duodecim aut quindecim annis superuiuere? Nonne melius est, Mecænatis exemplo, tribus annis viuere sine somno, quàm decem annis totis perpetuò dormire? Quod si te tantùm veræ res delectant, non ementita earum imagine moueris, quid est quod humanam felicitatem amplectaris? quæ, vt dixi, solum in ignorantia atque, vt ille rectè dicebat, in stultitia reposita est? Sensibus inniti vis? ecce sensus habes, qui tibi longum æuum referant. At, ais, quanto diutius viuam, tanto dirior vita erit. An cùm hac tamen, imò qualicumque, si sapis, etiam absque spe bona viuere velles? At nunc spem non deesse, nec defuturam esse supposuimus. Quid ergo est cur viuere non velis? Quia dicis, quamdiu viuo exspectatio boni me torquet. Cur malum potius exspectare vis, quàm bonum? Annon hoc bonum, quod ante mortem exspectas, dum te exspectatione torquet, mortis exspectationem producendo plus affert commodi quàm incommodi? plusque adimit doloris ac metus, quàm molestiæ afferat? Finge aliquem, cui certo oraculo nunciatum atque prædictum sit quatuor annis à filij vnici, quem puerum olim amisit, reditu interiturum, an non is modò torquebitur exspectatione, modo gaudebit, quod quanto magis differtur hic reditus, tanto longiore vita sit fruiturus? Is ergo simul & cito sero redituruni quidem optabit filium, verum ex exspectatione longior vita videbitur. Sed de his hactenus: de spe ipsa interea aliqua dicamus, postquam in eum sermonem incidimus.

Duo sunt tristes ex opinatis affectus: præsentium dolor, quem etiam ad præterita transferre solemus, & futurorum metus: totidem iucundorum, gaudium præsentium (quod ad præterita etiam, vt dixi, quasi adhuc maneant, retorquetur,) & futurorum, quàm spem appellamus. Cui encomium, Plato tribus verbis eleganter scripsit Cor nutriens spes, senectutémque fouens, volubilem hominum gubernat animum. Itaque si sine metu spes esse posset, lætitiæ proxima foret: at cùm metui plerúmque admixta sit, sæpius molesta est quàm iucunda. Ergo hac perturbatione carere velim semper, nisi cum rem formidolosam certò antecedit: tunc enim iucunda est, quoniam exspectationem inuisam retardat. Cæterum nihil aliud esse spem, quàm vigilantis somnium, idem Plato docuit. Qui ergo sperant, contrario modo se habent, quàm qui lætantur & qui timent. In his enim tempus diffluit & breuius videtur: in illis longius protrahi, suntque similes his, qui in mœrore degunt: vt videatur spes mœroris quædam species & dolor quidam. Quod si spes dolor quidam est, cur non metus voluptas quædam erit? An quia cum metu spes, & perturbatio quæ vis animi cum dolore coniuncta est? Sed tamen dolor tempus producit, metus autem corripit. Est enim metus cùm voluptate quadam coniunctus, dum homo timet amittere quod possidet. Ergo qui in spe est, dum sperat bonum aut melius, in mœrore quasi positus est: qui timet, dum deteriora metuit, quasi in infelicitate constitutus. Felici autem tẽpus diffluit, infelici producitur. Ob id, qui sperat, tempus putat esse longius; qui metuit, breuius: cum vterque conditionem, quàm habet, mutaturum in contrarium se existimet. Est autem spes boni, metus mali. Ergo qui sperat in mala, qui timet in bona conditione sibi constitutus videtur. Verum contrarium existimant hi, quoniam ab eo quod exspectant, non à præsenti statu vitæ conditionem æstimant. Est autem metuentis exspectatio mali; sperantis, boni. Omitto nunc improprium significatum spei, quale illud: A spe malorum ad mearum rerum laudem conuertissem. Et illud:

Hunc egone potui tantum sperare dolorem,
Anna soror?

Itaque postquam spes & lenit dolorem exspectatione futuri boni & longius tempus præfert, duplici emolumento in calamitatibus nobis erit. In felicitate autem præsente, vel quàm casuram intelligis, minimè opportuna. Nam in his pro spe desperatio subit: in illis turbat felicitatis voluptatem. Vbi verò calamitas maior fuerit, ibi spes magis necessaria: nam moderatione illa omnino indiget. Sapienti autem spes non conuenit. Nam Diis sapiens, quantum potest, assimilari debet. Dij autem neque sperant, neque timent. At postquam euentus calamitatum & per se vitam efficit longiorem, & dum spem offert atque ostendit, eamdem etiam longissimam reddit: aduentus earum calamitatum, quæ spem nobis non præcidunt, fructus haud vulgaris æstimari debet. Licet autem & in maximis malis spem opponere periculis. Velut si quis sexagesimum natus annum, cui ego nunc sum propior, fingat vitam in octuagesimum, melius facit, quàm si in sexagesimum quintum aut septuagesimum: quia, cum vitæ id, quod superest, præteritæ comparauerit, tristis ac mœrens inutiliter, quod reliquum est, transiget: si spem prorogauerit, nulli malo hoc esse potest. Si etenim non fallor, nihil ex voluptate perperam amisi: si fallor, interim ea vsura fruor. At si breuem vitam mihi ipsi præscripsero, totis interim diebus emorior. Quare sperare etiam

præter

præter ſpem in huiuſmodi aduerſis adeò terribilibus conuenit.

Quandoquidem verò velut in deſertis aridiſque locis Aizoum abundat, culta loca non amat, ita & ſpes calamitoſis ſuboritur, ſubſcribamus & aliud generale commodum ortæ ex aduerſis nouæ ſpei, quod eſt, quod efficiat miſeros perſæpè beatiores, quàm erant ante calamitatem, & vt in arduis, difficilimis, & incredibilibus ſpem ſuam collocent. Hanc enim cum quis hauſit, tantò difficilius exuitur, quantò induitur. Huiuſmodi ſunt, quæ ſpondent Chymiſtæ, quæ, etſi falſa millies comperias, nunquam tamen coarguere aut deſperare poſſis: quæ Necromantici de manibus ac dæmonibus fabulantur, quæque viſa auditáque ſpectra remouent animos: quæ vates prædicunt, itemque monſtra & miracula, in quorum narrationibus atque habita fide tantùm voluptatis repoſitũ eſſe credas, quãto quæ finguntur maiora veris eſſe poſſunt. Memini me puerũ, cùm præceſſiſſet nuper ingẽs ac diuturna multiplexque adeò calamitas, vt & pauci mortales & iidem pauperes ſupereſſent, ab his audire de mortuorum catervis in ordinem euntibus, aliiſque non magis miris, quàm auditu iucundis: quæ tamen viri illi tanquam veriſſima narrabant, Erátque voluptas, quę ex horum credulitate oriebatur, tanto firmior eà, ex delitiis bonorum fortunæ, quanto hæc illa maior. Nec eſt quod obiicias inanitatem, vbi & nos ea maximè laboremus in horum falſorum bonorum poſſeſſione: neque omnia illa falſa eſſe puta, quorum aliqua videmus quotidie exempla; & quæ tot legis teſtimoniis probantur.

Sed iam ad reliqua huic tractationi opportuna tranſeamus, veluti ad id, quod etiam ex calamitatibus neceſſariò conſequitur bonum, vt miſeriam conditionis noſtræ cognoſcas. Qua intellecta, & superuenientia facilius feres, & ad reliqua vitanda prudentior euades, & in perferendo, quod pati cogeris fortior & cautior fies. Minus etiam afficieris, vbi noueris te ad hæc mala ferenda genitum, ſemináque eorum iam diu in te latuiſſe: prorſus vt is, cui vomica antiqua rumpitur. Quid enim noui mali patitur? an neſciebat ſe miſerum genitum, ſeque eſſe mortalem? Quin prudentior aliquanto fies, cum conditionem, quam diſſimulabas, non ignorabas, in publicum expoſuiſti. Dices forſan, conditionem & miſeriam noſtram agnoſco, mala tamen haud ſentio. Miſer eſſe poteram, ſed non eram, imò felix. Multum inter eſſe & poſſe eſt interualli. Eadem ratione qua miſer eſſe poſſum & infelix, poſſum etiam felix & rex eſſe. Sed quid iuuat hoc, ſi cum hac egregia poteſtate mendicem? Eſſe poſſe, nec eſſe, nihil prorſus eſt. Verum falleris: nondum enim te miſeria tua mortalis conditionis ſatis admonuit. Statim enim vbi mortalem te eſſe intellexiſti, ſcire debueras etiam in te eſſe recondita, quibus tandem aliquando neceſſe eſſet omne calamitatum genus atque miſeriarum experiri. Propterea ſapienter admodum Anaxagoras mortuum nuncianti filium reſpondit, Sciebam me genuiſſe mortalem.

Sed quia hic non philoſophari, vt aiunt, inſtituimus, ſed docere vtilitatem ex aduerſis capere, doceamus quamnam vtilitatem ex aduerſis qualibuſcumque venari liceat. Certè hanc, vt quis omnia deuitet, omnibus proſpiciat, in nullo euentu quantumcumq; felici confidat, verum ceu optimus arcis præfectus, cùm pax vbique viget, omnia pacata ſunt, excubias tamen, velut arce hoſtibus circumdata, in muris continuet; nec noctu ſolum quando abſque periculo periculum imminet, ſed etiam in ipſa media die. Sæpè enim euentus docuit, ſub tranquilla pace, in ipſa ſecuritate, die media obtruncatos cuſtodes, arces captas, præfectos occiſos: nec vnquam deeſſe cauſam, vbi non deſit occaſio. Qui ergo ita munitus fuerit, ita proſpexerit, ita vigilauerit, quid ei eueniet? Certè vt eo tutius viuat, quo minus ſecurus: aut, ſi opprimatur, (nulla enim diligentia humana, niſi Dei prouidentia accedat, caſus omnes anteuertere poteſt,) minus tamen affligatur, nec funditùs euertatur, ſed aut arcem iam captam recuperet, aut illa amiſſa effugiat ſaltem. Quod ſi omnia pereant, ipſe interim ab animi iuſto dolore atque infamia liber ſit, vt qui præſtiterit omnia, quæ debuerit. Ita qui omnibus fortunæ caſibus diligenter proſpexerit, aut rarò aut leuiter à malis opprimetur, aut oppreſſus ſtatim reſurget. Velut ſapiens in caſtris Chirurgus, cui omnia in prælio parata ſunt, quamuis peſſimè cuncta cedant, conſcius ſibi non ſua hæc culpa accidiſſe nec torquetur animo, nec infamiam vulgi ſubit: ita & prouidentia vtcumque lenit caſum aut dolorem, iuxta illud, quod dicimus.

Et præuiſa minus tela nocere ſolent.

At fac, vt mortalitatis immemor in hæc mala incautus incidas. Primum quidem diſces, non offendere ſæpius aut graniore caſu: quo & apud te liber ſis ab erroris conſcientia, & apud alios ab infamia. Nam quantum nos torqueant calamitates, quas ipſi nobis ex imprudentia parauimus, & quanto grauiore nos, quam quæ caſu acciderunt, mœrore afficiant docent:

Proh Iuppiter ibit.

Hic, ait, & noſtris illuſerit aduena regnis.

Et illud magis etiam:

Tantane me tenuit viuendi nate voluptas,

Vt pro me hoſtili paterer ſuccedere dextræ?

Vt & illud:

Remigiumque dedi, quo me fugiturus abires:

Heu patior telis vulnera facta meis.

At ego nulli teſti fidem magis, quàm mihi ipſi, aliquoties hæc experto, adhibeo. Vera enim ſunt mala, quæ nobis ipſi acceſſiuimus. Nam multiplici ex his dolore afficimur, & præter communem malorum iacturam, id nos torquet, quod ſponte ea nobis adſciuerimus, quod non habeamus de quo queramur, quod anteà rectè valentes, nec vlla neceſſitate impulſi, in ea ipſa inciderimus, quodque mortales nos irridebunt, amici ſint reprehenſuri. Quod ſi ſit mens conſcia recti, nec vitio vllo noſtro mala quædam nobis acciderint, quæ aduerſus nos multi iactant, facilè & ſine vllo dolore ſpernemus. Itaque aduerſa nos prudentiores non ſolum, ſed

sed etiam fortiores efficere solent. Quorsum enim suum Virgilius.

Æneam toties terris iactauit & alto?

Nisi vt illius eximiam fortitudinem declararet atque prudentiam.

Facit & aduersa fortuna, vt non solum iucunda iucundiora, & bona meliora, & dulcia dulciora, vt diximus, videantur, sed etiam cura adhibita efficiantur. Quis excogitauit apud Germanos panem illum adeo leuem & suauem, nisi frumenti inopia? quis moretum illud Virgilianum, nisi paupertas? quis tam multiplices casulas in eadem domo, nisi loci angustia? Elaborare conamur quorum materia per se vilior est atque neglecta. Vbi ligna desunt, excogitata est culinarum angustia, abacus iuxta larem. Ita me Dij ament, vt ibidem suauius quàm in amplo triclinio etiam citra sumptus curam per hyemem cum familia cœnabam. Delectabant me locus igne totus ob paruitatem calens, nullæ ex tot ostiis patentibúsque fenestris rimæ, exiguus focus, qui nos excalefaceret prope stantes, ante, retróque, nec exureret, cum in amplis cœnaculis magnus ignis ante te vrat, frigeas tamen in tergo. Accedit commodum ex angustia culinæ, quod obsonia temperata in mensam afrantur: interim odor & aspectus te delectat. Ibi in vnum collecti, filij, vxor, ancillæ, quod placeat in medium semper aliquid afferunt. Nihil est tam incommodum, quod in eo plura non experiaris commoda. Seruis cares? nulla seruitus iucundior aut aptior quàm propria. Non coquus condimenta, non puer mensam, non anagnosta thecam scriptoriam calamumque tibi aptius parabit, quàm tu ipse. Desidiæ consuetudo fecit, vt aliena seruitia nobis blandirentur. Olim mirabar, quod pater meus multa facere sibi atque parare consueuerat, quæ alij per famulos parare solent. At nunc desino mirari, id genus officij nonnunquam expertus, nec ob segnitiem interpono id munus: sed quoniam interim aliquid melius ago, lego, scribo, meditor. Et ne nunc quidem dum vestes induo aut exuo, patior me iuuari ab aliquo familiarium, præterquam in educendis caligis, quod iam senescenti id mihi operosum nimis videatur. Ita vt ab aliis ministrari minus iucundum forsan fuerit, minúsque liberale, præter quàm pueris. Sic nullius seruitus adeò grata & accommodata, quàm quæ à nobismet exhibetur, esse potest.

Iam verò in aduersis & illud emolumentum est non contemnendum, quod mortem facilè contemnimus. Nam vt ille dicebat,

Rebus in aduersis facile est contemnere vitam.

Et rursus Boëtius;

Mors hominũ felix, quæ se nec dulcibus annis
Inuehit, & mœstis sæpè vocata venit.

Et hoc, quod omnes beatos torquet, quanti est? videre, inquam, alios felices, nos contra miseros? Quare non illud Demonactis apud Lucianum Samosathensem nobis succurrit. Quod tam illi moleste ea bona breui sint exuturi, quam nos læte ærumnas atque miserias. Quid igitur, damnabimusne ea cataplasmata, quæ, quamuis molesta sint, acerbissimum tamen dolorem leniunt aut tollunt? Quod si etiam illud adiecerimus, quod hæc nostra felicitas non tam in rebus ipsis reposita est, quàm in ipsius animi nostri mensura atque æstimatione: facilè fieri poterit, vt beatior sit homo in non admodum aduersis quàm in secundis. Admodum aduersa dixi excipienda, quod, quæ grauiora sunt morte ipsa, mortem acerbiorem efficiant: velut casus Comitis Vgolini Pisani, qui in turre cum quatuor filiis fame enectus est. Hanc calamitatem enim lenisse mortem aut mortis exspectationem, qui sanus sit, non dixerit. Sed resolutio, inuicta podagra, mendicitas, cæcitas, mortis exspectationem & illius etiam dolorem lenire possunt. Quin imo vidi perculsos subita maioris partis bonorum amissione, mortem præoptasse. Vt ergo animus noster patientia, moderatione, prudentia, naturáque res aduersas metitur, ita & magnas aut paruas facit miserias. Indicio est, quod multi magnis in calamitatibus beati, vt Socrates & Aristides: plures in copia maxima bonorum miseri non solum fuerint à sapientibus habiti, sed etiam communi omnium consensu, velut Theramenes, Nicias, vterque Dionysius, & apud Romanos M. Crassus, & plerique, qui vitam tyrannicam, licet intra proprios penates, exercuerunt. Sed vt ad rem redeam, non secus ac multis concussa iam ictibus facile cadit ilex arbor, quæ firmiter solo inhærebat, atque alias non nisi maximo cum strepitu frangitur: sic qui calamitatibus iam assueuerunt, mollius mortem ferunt.

Est etiam peculiare quoddam commodum in aduersis, quod sub generali ratione continetur. Velut morbi temperatum efficiunt, iniuriæ prudentem, inopia parcum, inimicitiæ cautum & impigrum exilium solertem, infamia continentem, carcer patientem. Dum enim eiuscemodi quæcumque mala vitare conamur, retrahimus nos ipsos ad virtutes contrarias his causis, ex quibus obortæ sunt calamitates aut adhuc fouentur. Et virtutes etiam conamur vitiis opponere, tametsi illis contrariæ non sint: sed velut ceruus pedes & crura fugiendo exercet, saltúmque ac cursum meditatur, quamuis repugnare non audeat insequentibus, hoc tamen ipso imminens periculum conatur euadere. Solent autem aduersa, dum hominem excitant, vires illius intendere, ac excitare animi egregias dotes. Homo enim luctaturus quasi cum fortuna omnia, quibus valet, animi, corporis ac fortunæ bona in se colligit, illisque vtitur, quæ iam obsolescebant abusu. Bona enim quæ habemus, nec vtimur, ac si non haberemus, nobis sunt. Velut ergo Philosophi dicunt, exiguum frigus extremorum hieme robur, præcipue in pueris, cogendo vires caloris, adaugere: ita leuia aduersa non parum semper prosunt homini præstanti, mediocria sæpe, nonnumquam etiam magna. Sed hæc ferre possim, experiri nolim. Condiscit petulans misereri afflictorum: superbus, non contemnere calamitosos: in patria securus sedens, non spernere exules.

Quod

Quòd verò hac in re maximum est, qua arte melius, facilius aut certius disces dignoscere amicos ab adulatoribus, probos ab improbis, gratos ab ingratis, inimicos ab æmulis atque inuidis, officiosos à petulantibus, quàm si in calamitatem aliquam incideris? Nam amicus præsto subuenit: adulator statim se subducit, aut insultat tibi aut (est enim & hoc genus) gloriatur se tibi hæc prædixisse: inimici verò gaudent, & quo magis vrgeris, eò acrius te premunt, timentes adhuc ne resurgas. Æmuli inuidique, vbi in calamitatem incideris, te tibi relinguunt, solum obiicientes, hæc tibi, quæ illi iam diu exspectauerant, merito accidisse. In quos beneficia contulisti, ex his grati quidem accurrunt, omnique auxiliorum genere te iuuare conantur: at ingrati, quasi te nunquam de facie nouissent, sensim se subducunt, pudore perciti, quòd præsentes non iuuent, imò timentes ne petente te auxilium, opes & pecunias exponere cogantur, aut in discrimen salutis propter te veniant. Officiosi se offerunt, leuibusque in causis ac communibus etiam non rogati, operam præstant: petulantes autem irrident. Denique improbi quavis ex parte vrgent, occasionemque arripiunt, vt incommodo tuo rem suam augeant: probos autem miseret calamitatis tuæ. An hæc tot & tanta scire, exigui res precij est? Ædepol dixerim, si cui homini calamitates non contigerint, præstare vt aliquam adesse fingat, ne tam necessariis rebus ac tam pulchris careat. Quid enim quæso pulchrius in vita homini, aut accommodatius contingere potest, quàm vt bonos à malis, ingratos à gratis, officiosos à petulantibus, amicos ab adulatoribus, inimicos ab æmulis dignoscere queat? Et tamen hæc omnia vno hoc, scilicet euentu alicuius calamitatis aut miseriæ casu certò cognoscuntur, nec alio solertiæ genere, neque alia via dignisci possunt. Nam si vlla alia via esset, certè principes, quorum tanta est potestas, tot oculi, tot aures, tantumque hoc sua interest, id agnoscerent: at tantum abest, vt hæc illi norint, vt indies ab eis decipiantur, nec vlli minus hoc noscere conspiciantur. Idque non abs re: cum enim bonum hoc nonnisi à calamitate præstetur, existimandum est ab eò maximè abesse, qui habentur beatissimi, quales Principes ab omnibus, licet, vt dixi, falsò bebeantur. Sed & in amasis (si quid etiam talium cura ad hanc tractationem spectat,) eadem est ratio dignoscendi veros fictosque amores. Vnde pulchrè apud Lucianum Comicosq; fingitur meretrix amatorem deserere, cum primum hunc fortuna pecuniæque deseruissent. At quanti est amari? pro quo mori malis. Itaque & ex affectibus illorum erga teipsum, & ex colloquiis illorum cum necessariis ac cæteris hominibus facilè est deprehendere, quo quisque animo in calamitate erga te sit.

Illud quoque accidit in infortuniis, quod si quis ea ferat, etsi ægrè ferat, famam sibi tamen non paruam conciliet: quòd si fortiter, si prudenter, etiam gloriam; velut Theramenes & Socrates ipsa morte gloriosior, quàm tota anteacta vita fuit. Seneca atque Otto Imperator, quamvis vitam turpissimam gesserint? morte tamen omnis à dedecore redempta est in Seneca, quòd fortiter tulisse eam videatur: in Ottone, quòd pulcherrima, honestissima & voluntaria fuerit. Sic cruciatus serui Asdrubalis & tormenta Epicharis, & captiuitatis Diogenis, & Iri paupertas, atque alia huiusmodi innumera, quibus pleni sunt libri, multorum nomina ad posteritatem deuoluerunt, quorum alioqui vita iners, mores fracti, natales humiles fuere. Hac autem insigni calamitate non solum ipsi, sed & parentes & posteri facti sunt insignes.

Accedit vltimo loco maximum omnium ex calamitatum aduentu commodum, scilicet felicitas ipsa. Quæ qualiter fiat vt doceam, altius repetendum est. Felicitatem igitur primum definio, quòd sit plena perceptio voluptatis ex possessione bonorum. Esse enim in genere voluptatis haud dubium esse potest: quandoquidem felicitas sit quædam voluptas ac delectatio. Neque quisquam tam amens est, qui lapides atque alia voluptatis expertia, felices esse dicere ausit. Nec omnino qui dormit, qui attonitus est, etiamsi affluat bonis ipsis, felix dici potest: nec qui mœrens aut inuitus aliqua secundum virtutem peragit, felix rursus appellari meretur. Atque hæc ipse Aristoteles confitetur, tum in Magnis moralibus, tum in his, quæ ad Eudemum scripsit. Diis autem forsan felicitas congruere potest: sed hoc prorsus extra præsentem tractationem est. Igitur in voluptate quadam & in cognitione sita est omnino felicitas, Quod si summum bonum homini felicitas est, atque in ipsa cognitione constitutum, certè non in tristi, sed iucunda situm esse oportet. Est ergo felicitas in voluptate. At voluptas etiam animalibus propria est: felicitas autem non. Igitur si sit homini propria, in eo quod homini proprium est necessario sita erit. Hoc autem proculdubio ratio atque opus illius est. In illius igitur operatione, non in ipsa sola felicitatem constitutam esse necesse est. Quid igitur aliud est felicitas, quàm perceptio? Hæc enim rationis est opus proprium, non voluptatis. Plenam autem esse oportet, quia maximum opus est atque omnium, quæ homini contingere possunt, eminentissima felicitas: quare & à plena perceptione oriri necessarium est. Plena verò non erit perceptio voluptatis, si leuis sit: vt si quis percipiat voluptatem, quod assem lucrifecerit. Neque si impura sit: nam quæ plena erit voluptas eius, qui ex morte filij aut fratris, quem vnicè dilexerit, hæreditate ditatur? cum maior sit ex luctu dolor, quàm ex opum incremento voluptas. Sed nec si tuta non sit, plena esse potest hæc perceptio voluptatis: multoque minus, si non sit secura. Nam si secura non est, cum metu est: at quomodo cum metu plena perceptio voluptatis esse poterit? Oportet igitur vt plena, magna sit, & pura, tuta atque secura. Addidi tandem, ex bonorum possessione: ne quemquam ex ludo, aut cædibus, aut veneficiis furtisve, felicem esse dicamus.

Porrò quænam sint bona hęc, declarare oportet. Principio enim ostensum est, ea principaliter esse tria: virtutem, sapientiã & sobolem,

& quæcunque ad hæc comparanda aut aptè commodéque exercenda faciunt, nec ex oppoſito genere aliquorum ex principalibus fuerint: veluti opes iuſtè partæ, amici, ſanitas, cæteraque huiuſmodi. Conſtat ergo felicitatem, vt dixi, eſſe perceptionem voluptatis plenam ex bonorum poſſeſſione: & quod, vt plena ſit, quatuor ſint neceſſaria. Vt ergo melius rem aſſequamur, quærendum eſt, an cædes, poſſeſſio virginis, aut pueri amati, aut alienæ vxoris, ſi ex his plena percipiatur voluptas, felicitatis partes eſſe poſſint, aut cum ipſa felicitate conſiſtere? Neque verò perperam quis hæc quatuor proponi pro exemplis putabit, neque duplicem de his quæſtionem, tametſi quædam fœda videantur, immiſceri: quandoquidem ex harum quæſtionum diſſolutione perfecta felicitatis cognitio emergat. Ergo de cæde, cùm non ſit opus ſecundum virtutem, non poteſt eſſe opus felicitatis, niſi quatenus eos fortean occidimus, qui filiorum vitæ inſidiantur: ſic enim ad felicitatem hæc cædes videri poſſit, ſi reliqua non deſint, pertinere. Similiter quod ad partiæ hoſtes: nam & hi filiorum vitæ ac libertati aduerſantur. Tutius verò hæc ad felicitatem pertinere dici poterunt, ſi vel ſacramento publico adacti, vel iudicis mandato fiant: tunc enim prorſus opera erunt ad felicitatem pertinentia. Cædes ergo hominum aliquando opus felix eſſe poteſt: aliquando, imò plerumque felicitatem impedit, vt ſi ob proprias inimicitias illos occideris. Tunc enim, cum ſit opus, quòd virtuti aduerſatur, plenam perceptionem voluptatis non habebis ex poſſeſſione bonorum. Virginis autem poſſeſſionem, ſi nihil aliud obſtet aut deficiat, cum ad generationem ſobolis pertineat, felicitatis opus eſſe dicimus. At alienæ vxoris, cùm omnes leges adulteros abominentur, ſcriptumque ſit, Non mœchaberis, interim ea poſſeſſio ad generationem prolis faciat, mixtam eſſe operationem conſtat ex virtute ac vitio: quare partim ad felicitatem, partim ad infelicitatem pertinebit. Quæ enim aduerſantur partibus definitionis principalibus, quæ ſunt voluptas & bonum, ad infelicitatem pertinent: reliqua autem, vt perceptio plena & poſſeſſio, neutra ſunt & quaſi in doctrina. Itaque apparet poſſeſſionem amati pueri, quòd neque ſecundum virtutem ſit, quippè ab omnibus legibus vituperata, & generationi filiorum aduerſetur, ad infelicitatem ſolùm pertinere. Ex quatuor igitur iſtis poſſeſſio vnius ad puram felicitatem pertinet, virginis puta: alterius, ad puram infelicitatem, ſcilicet pueri: tertia, alienæ vxoris, mixta eſt: vltima, ſeu perpetratio cædis humanæ, ad purã modò felicitatẽ, modò infelicitatem pertinet. At verò, quæ ad infelicitatem pertinent, hominis felicitatem prohibent? Nam videtur, quod homini iam habenti filios, non obſit amare puerum, quòd filiorum procreatione non indigeat? Sed hoc tamen prohibet optimam educationem, & ab amore prolis diſiungit. Quàm ob cauſam ſolet Ariſtoteles vituperari in his verbis: ἵνα μὴ πολυτεκνῶσι, τὴν περὶ τοὺς ἄῤῥενας ποιήσουσι ὁμιλίαν, *vt ne multos liberos procreent, ad maſculos diuertunt.* Sed morem Cretenſium & alterius legiſlatoris ſententiam recitat, non probat. Ergo non poſſunt quæ virtuti aduerſantur, etiamſi homo aliàs optimè viuat, cum felicitate conſiſtere: ſed ſolum ea, quæ licèt non ſint felicitatis partes aut opera non tamen cum vitio ſunt coniuncta: velut luſus & venatio ac lites, modò voluptatem aut bonum non impediant. Sed an actiones, quæ virtuti aduerſantur, rarò tamen fiunt, impedire poſſunt felicitatem? Non: niſi admodum graues ſint, vt quarum memoria vel exemplum aut noxa diu durat. Nam vt ex raris actionibus, honeſtam ac plenam parientibus voluptatem, non fit homo felix, niſi in longum tempus memoria vel exemplo vel facti natura extendantur, velut in iis, qui liberandæ patriæ cauſa morti ſe exponentes præter ſpem euaſerunt, de Horatio Coclite, & de Mutio Scæuola: ita par non eſt, tam facilè continuam multis operibus atque fundatam felicitatem eruere.

His viſis ad principale propoſitum reuertor: fuerat autem id, non poſſe citra ſenſum calamitatum hominem eſſe felicem. Nam ſi felicitas eſſe citra ſecuritatem non poteſt, neque adeò homo ſecurus, quin relabatur ex gratia in odium, ex diuitiis in paupertatem, ex ſanitate in morbum, ex gloria in contemptum, ex quiete in turbas, ex laude in vituperationem, idcirco nec felix eſſe poterit, niſi ſit animo ad omnia per experientiam confirmatus: nec infelix dici quòd æger, pauper, contemptus ſit, aliiſve fortunæ caſibus afflictus. Quin velut qui dormiunt aut apud Principem ſponte detinentur, nec infelices ſunt, quòd dolorem nullum aut moleſtiam ſentiant; nec felices, quoniam perceptione voluptatis plena vti nequeunt, ſed ſola actione priuantur: ita, illi, cum nil deteriùs timeant, felices ſunt potius. Sed quomodo, vt rectè Seneca inquit, poterunt hæc noſcere, niſi plura horum aut aliqua ſaltem fuerint experti. Qui enim nullam calamitatem expertus eſt, omnia maiora putat, quàm ſint; & ſi maiora non putet, tamen exiſtimare non poteſt ſe tunc felicem futurum: at ſi hoc non exiſtimet, ſed miſerum ſe futurum metuat, nonne iam ipſo timore infelix eſt? Quomodo enim, qui ſe aut filios ſtatim morituros credit, non ſit infelix? At ſi paupertatem & odium principis & litem & exilium & inimicitias & morbum talia eſſe exiſtimet, qualia ſunt mors atque orbitas, quemadmodum rogo infelix, & non potius perpetuo miſer erit? Conſtans igitur ſententia erit, neminem prorſus eſſe felicem poſſe, qui perpetuo omnis calamitatis fuerit expers. Calamitatum igitur, quæ ferri poſſint, euentus ad felicitatem neceſſarius eſt. Ob id Demetrij Philoſophi apud Senecam laudabile dictum illud admiror. Nihil mihi videtur infelicius eò, cui nihil vnquam euenit aduerſi. Non licuit enim illi ſe experiri qualis futurus eſſet, ſi quid ei non ex voto contigerit: nec Dij fortunaq; talem dignũ diiudicarunt quem experirentur, ſed tanquam mollem & eneruem indignúmque, cum quo contenderent, omiſerunt. Adiiciebat, conqueri de Diis, quòd illum non præmonerent de his, quæ illi mala eſſent facturi: nam vltro eum omnia ſubiturum, ne inuitus ea ſuſcepiſſe videretur.

Neque

Neque enim vllum esse calamitatis genus, quòd fortes aliqui sponte non subierint, orbitatem, paupertatem, carceres, exilium, mortem, cæcitatem: &, qui illi fuissent, recitabat.

Sunt igitur hæc ex multis vndecim præcipua emolumenta, quæ consequi calamitates omnes generaliter solent. Ex illis enim obueniunt hominibus initia incrementorum, felicitatis gloria, quæ etiam manat ad posteros, iucunda spes atque exspectatio, mutatio morum, virtutis amor, sapientia, commiseratio vulgi, sensus felicitatis & commodorum. Omitto autem nunc ea, quæ in Sacris per fidem supra fidem promittuntur, vitam æternam, gloriam perpetuam, sedes supremas, suauitatem incomparabilem, securitatem beatitatis, diuorum consuetudinem, iubar immensum. Quæ quamvis magna ex parte honestos Philosophos sentire, non solum Christianos deceat: quia tamen de solis humanis rebus atque his, quæ oculis ipsis subiacent, agere proposui, ad aliam tractationem, Eremitæ scilicet, relegabuntur.

Nunc verò non solùm, quomodo, quæ dicta sunt, ex illis prodeant, admonuisse sufficiat: sed rationem generalem tradere oportet, quomodo tum hæc, tum singula commoda ex singulis incommodis parare nobis sciamus. Tria enim docenda proponebamus. Primum, in genere vtilitatem ex aduersis capere: secundum, ex omnibus incommodis quędam commoda elicere: tertium, quonam pacto ex singulis incommodis generali ratione commoda consequi possimus. Porrò primùm cùm iam docuerimus, etiam indiuisum manet: at reliqua, iuxta diuisionem priorem agendorum circa incommoda, sunt distinguenda. Fuit autem, hæc, vt primùm tollere conemur aduersa, ne eueniant, aut illorum aduentum declinemus, aut euenientia minuamus. Secundum, vt æquo animo illa ferre discamus, non solum Philosophiæ præceptis adiuti, sed etiam ex ipsa re petitis auxiliis. Tertium, vt ex ipsis malis bona subtrahamus, exemplo aurificum & illorum, qui aurifodinas curant: qui ex neglecto puluere ac cœno metalla pretiosa eruunt. Porrò quia & horum, quæ generaliter proposita sunt, non leuis pars est absoluta, transeamus ad ea, quæ restant. Ea verò, tanquam principaliter facienda, duo sunt: scilicet vt prohibeamus mala ne eueniant, & vt ex his, quæ eueniunt, vtilitatem decerpamus. In vtroque duorum præcipuè præceptorum memores esse debemus. Vnum est, vt incumbentibus promptè occurramus. Quædam enim sunt, in quibus, si differatur, postea parum auxilia aut nihil prosint. Itaque velut excubitores vigilare perpetuo nos oportet, & in omnem occasionem intentos esse, exemplo venatorum aucupum, piscatorum, lusorum atque militum. Vita enim hæc nostra nil aliud quàm militia est. Ad hoc, præter cætera, in huiusmodi iuxta prudentiam diuino fauore indigemus, ne nos panicus ille torpor occupet. Nam & propter illum Romani in arduis & rerum ingruentium initis numini sacrificabant. Alterum, vt auxilia ex coniunctis atque similibus sumantur: vt in seruitute ex obsequio; quod & canes, quamvis belluæ, norunt: in carcere ab assiduitate studiorum & operum: in paupertate ab industria: in inimicitiis à virtute, sui ipsius cognitione, amicisque parandis.

Initium ergo faciemus ab aduersorum, ne nobis eueniant, impedimento. Quòd non est aliud, quàm illa declinare. Ad hoc scire interest, quòd calamitatum quædam non recipiant incrementum, vt luctus: quædam serò, vt contemtus: quædam raro, vt exilium: quædam celeriter, vt iræ Principum: quædam vario modo, vt carceris acerbitas. Vbi incrementi nullum est periculum, frustra curam, ne augeantur, adhibebimus. Quòd malum celeriter suscipiet incrementum, ei nisi omnino celerrimè occurramus, vix prohibere illud poterimus. Quæ autem incertos habent exitus, non facilè prohibentur: plurimùm tamen potest prudentia. Sed in his quæ serò aut raro augentur, non potest homo, si illa augeri contingat, culpa vacare. Generaliter autem in omnibus tantum relinquitur auxilij, quantum temporis, virium, prudentiæ atque diligentiæ tum libertatis nobis relictum est. Quamobrem infamia, contemptus, exilium, facilius tolluntur aut leniuntur, quàm iræ Principũ, carcer aut morbus. In horum enim vno celer incrementum est mali & potens causa: in alio libertate spoliamur: in reliquo incerta est medendi via: &, si certa sit natura morborum, à nobis certum tamen tempus opprimendi requirit: Deinde, quod quavis vi nitendo deteriorem potius, quàm meliorem efficias conditionem. Diuersæ etiam sunt hominum conditiones, & calamitatum etiam eiusdem generis diuersæ magnitudines: & vt sæpè dictum est, plurimum in his fortuna, vt in omnibus aliis potest. Descendere autem à summis generibus ad species forsan facilè fuerit: ad singula tamen exempla, perarduum ac longioris tractationis opus est. Ob has quoque tam multiplices malorum & hominum & temporum atque occasionum doctrinas, regulam quandam generalem constituere non licet. Nam quidam fortiter ac celeriter occurrendo euenientibus calamitatibus, alij fugiendo, quiescendo alij, alij leniter declinando, finem bonum consecuti sunt. Inuenti sunt & quidam in singulis horum calamitatem leniendi generibus, qui malè periere, qui forsan commutata ratione seruati essent. Fabius Maximus impetum Annibalis eludendo, rem Romanam tutatus est: Scipio contra fortiter occurrendo liberauit & auxit. Hi commutata ratione bellandi ambo periissent. Neque enim Fabius par erat efficaciæ Annibalis: nec Scipio, si rem produxisset, occasionibus, quibus per celeritatem vsus est, imparatos opprimendi fretus fuisset. Nobis maximum attulerunt auxilium patientia & constantia summa & pluribus cum impedimentis modica potentia, magno studiorum apparatu, diuturna incolumitate. Itaque factum est, vt inimici diuturnitate temporis magna ex parte exstincti sint, & ego interim multa in re literaria simul profecerim. Alteri, qui potentia polleret, nec haberet tot æmulos, nec nisi in vno genere aliquid elaboratum, hæc procrastinatio inutilis fuisset: quod si etiam cum hoc in ipsa

ipsa iuuenta obiisset, valde damnosa. Quamobrem Catullus, Tibullus, Lucanus, Persius gloriam, qua nunc etiam florent conscriptis libris, ex celeritate sibi arripuerunt. Hi si maturitatem ætatis meæ aut etiam Horatij vel Virgilij exspectassent, iam de illis diceretur,

Omnes illachrymabiles
Vrgentur, ignotique longa
Nocte.

At nos contra, si quamprimum conatus nostros edere tanquam immaturos fætus properassemus, quid futurum erat, quandoquidem multi etiam cum hac exspectatione me importunitatis accusent? Certè non solum ea in vanum edidissemus, sed & his, quæ postmodum fuissemus maturiore consilio, & maiore cum diligentia ac labore edituri, viam præclusissemus ad gloriam, si qua est, fuit, eritve, consequendam. Itaque non vna videtur horum omnium ratio, & tamen, vt dixi, ea vna est.

Conandum est ergo, vt rem ipsam per generalia capita distinguamus: iudicium, quo in in singulis aut omnibus coniunctis vti debebemus, vnicuique pro occasione relinquentes: præsertim cum multa sint, velut etiam aliis in artibus, quæ scribi nequeant, & tamen ad recte deliberandum sunt valde necessaria. Igitur primum stultè egeris, si, cum inferiorem te in causa & armis esse animaduertis, eodem pugnæ genere decertare volueris: aut alieno, si superior sis. Si ille eruditior te est, tu amicorum fauore pugnà: si experientia notior, tu disputando ipsum aggredere: ille te iudicio & opibus si oppugnat, tu amicitiam principum oppone. Ita fac, vt semper imparibus cum superiore, paribus cum inferiore decertes. Si vim ille intentat, ad senatum, ad iudicem, ad communes amicos rem trahe. Si litem, ad iudicem, qui componere velit, ad æquitatem, ad potentium amicitias, ad vim refugies. Multa enim iure solent, quæ tamen iniusta sunt, obtineri: vt in probationum defectu.

Similiter eos, qui oppugnare te aggrediuntur qui qualesq; sint, cõsidera. Si enim plures sint, tempus trahendo illorum coniunctionem dissipabis: interea enim vnus moritur, alium cœpti negotij pœnitet, alius segnior redditur ad oppugnandum, cogitur alius abire, alium detinent propriæ res alij in inimicitias deueniunt inter se, quidam exorantur ab amicis, alios pudet facti cum quietum te esse animaduerterint: & tu ipse socios tibi adsciscES, causæ honestatem docebis, seres inter illos discordiam. Raro eueniet vt cunctando aduersus plures, seorsim infirmiores, superior non euadas. Vnum est exemplum Trojæ à multis Regibus, in vnum conspirantibus, expugnatæ diuturno bello: mille eorum, vbi nihil plures contra vnum profecerint protracta expeditione; multa, vbi etiam succubuerint. Et ne longius petamus, quoties à Christianis aduersus Turcarum principem, conspirationibus pluribus licet principibus & populis tamen infaustè dimicatum est? nunquam vero quidquam insigne, tametsi properantibus, actum. Quid maius aut admirabilius expeditione illa belli sacri? quæ tamen incommoda multa fructum exiguum peperit. Italia aduersus populum Romanum bello Italico conspirante, quamvis similibus armis, ducibus egregiis, potentia longè maiore, quid actum est? Itaque aduersus multos & furore percitos cunctando, velut alter Fabius, restitues rem. Eadem ratio est in ira principis, in qua latere aut quiescere tutius est, quàm vel rationem innocentiæ ostendere, vel etiam exorare. Primi animi motus non sunt in hominum potestate. Tum quidquid sanciuit princeps pro lege habetur, etiam si aberrauit. Pudet quoque ipsum magis pœnitere, quàm errare, aut insontes plectere. Exemplum cape ab obligatis vulneribus, quæ si repente detegere velis, præter id quod ingentem excitabis dolorem, etiam carnem lacerabis. Si sensim subducas gluten, tuto id facies & sine dolore. Tempus omnia dissoluit, & vt maturandum est in gratia principum ad commoda sibi paranda: ita in ira sustinendum ac tardandum. Plerique homines canes imitantur, qui fugientes insequuntur, in contra se venientes irruunt, vt par videatur periculum in vtroque, in quiescentes neutrum agunt, sed quosdam blandiuntur, sæuiores admirantur & quiescunt etiam ipsi. At quiescere, vbi de magna principis suspitione agitur, aut cum vehementer est iratus, omnino periculosum. In magistratibus tutius est quiescere. Quamquam, vt dixi, nec pro illorum natura, nec potestate, nec calumniæ genere ac magnitudine ratio generalis statui potest. Quia verò vita nostra nauigatio est omnibus, pluribus etiam naufragium, imitare nauigantes. Hi cum sæuiunt venti, cum mare feruet, anchoras demittunt: cum placidum est atque tranquillum, vela expandunt. Sic te si primis rerum perturbationibus statim obiicias, etiamsi quandoque necessitas cogat id facere, multa tibi incommoda adsunt. Primũ, non intellecta re te obiicis: vnde ab aliis irrideris, ab aliis reprehenderis. Deinde, etiamsi rem intellexeris, imparatus consilio atque opibus contra paratissimos vtroque modò tendis. Sed fac vt paratus sis & tu, quòd vix fieri potest, primùm illum impetum, illam alacritatem cogeris excipere seu inimicorum seu alterius calamitatis. Quòd si inimici sint, confirmas illorum conspirationem, dum repugnas. Multi enim malè accepti, quamvis iustè id contigerit, accepta mala vlcisci volentes illis adiunguntur, qui secus illos fuissent deserturi. Nam sæpè accidit, vt ab inimicis in societatem falsis persuasionibus sint allecti, quas cum illi intellexerint, non solùm cum eis esse nolunt, sed frequenter ex amicis hostes ipsis fiunt. Quicunque superare aliquid vult, superiorem se præstare oportet. Quod si solus aduersus plures pugnare cogitur, vel illos disiungere oportet, vel alios sibi socios adiungere, vel, quòd optimum est, vtrumque efficere. Memineris etiam, quòd qui ex hostibus tibi iungitur, modò fideliter id agatur, duorum vicem, imò etiam plurium gerat. Primùm, quòd vnus tibi adiungitur: secundum, quòd vnus ab hostibus deficit: tertium, quòd animum illis adimit: quartum, quòd peritus est negotij &, quòd omnibus maius est, etiam consilij hostium. Quamobrem

procu

procurandum est diligenter, modo id tuto possit, vt aliquis ex hostibus ad tuas partes accedat. Sed caue, ne hoc perniciosum tibi sit. Multi enim, cum lucri tanti auidos sciunt esse inimicos suos, è sociis vnum ad eos amandant, qui vel dolo, vel vi, vel consilio eos perdat. Hac arte Romanis clades Cannensis illata est, desciscentibus ab Annibale per dolum equitibus Numidis, Romanis verò excipientibus. Tutissimum vero fuerit vnum è tuis amicis occultis adiungere, qui cum desciscat & illorum animos frangat & consilia reuelet. Quòd si aduersus potentem tu cum pluribus aliis obuiam eas, contraria ratione id agendum maturandumque, ne tuus ille exercitus dilabatur, aut cogitando ob timorem eneruetur. Eadem quoque doctrina in morbis inuenitur, in quibusdam enim statim obuiam eundum, vt si vena in pectore disrumpatur, si turgeat materia, si venenum sæuiat: at contrà in quietis febribus haud properandum. Itaque medicorum opera atque solertia nobis pro exemplo sit, quandoquidem & hoc mederi sit malis superuenientibus. Illud quoque semper præ oculis habere oportet, nullam esse tantam vim humanam, quam tempus non frangat, solertia non euitet & eludat, occulatio è periculo non eripiat. In his igitur tribus, tanquam in supremis anchoris, collocare oportet summam spem euadendi potentiam & persecutiones. Quid Assyriorum, Medorum, Persarum, Græcorum, Romanorum potentiam fregit, nisi tempus? Antipater & Aristoteles an non temporis beneficio Alexandri minas vitauerunt? Sertorius Solertia & Viriatus & Spartacus quam diu eluserunt Romanam potentiam? adeò vt illos ad desperationem fermè redegerint, Annon plures lepores fugiendo atque occultando se, quam leones aut apri pugnando vitæ periculum effugiunt? Tria ergo sunt, quibus vitari possunt incommoda, quæ nulla vi superari posse speramus: dilatio, solertia & fuga. Verum non omnibus omnia hæc conueniunt, nec ex æquo. Nam dilatio omnibus necessaria est, aut saltem occultationi. Latuit Christus septem annis, donec Herodes Antipatris obiit, & Mithridates decem annis fermè in syluis, & Sara Columna aliquot annis Pontifici inuisus. Hi omnes postmodum magnas res gessêre. Solertia, quę à suspicione liberat, temporis auxilio non indiget. In vniuersum sapientia plerumque atque Philosophiæ studium à magnis calamitatibus nos vindicat: nam vt rectè Seneca ait, vita sapientis ad felicitatem est velut temperati ad sanitatem: plerumque enim temperati sani sunt, non tamen semper & omnes. Cauendum verò, vt, si velit alio modo viuere quam vulgus, ne id publicè instituere videatur, atque alios docere velle: hoc enim maximam solet conflare inuidiam, dum & mores pristinos & communes damnare videtur, & in populo seditionem mouere. Illud verò diligenter obseruare debet vir prudens, vt inter duo mala positus semper id vitet, quod reparari, si accedit, nequeat: est enim honorabile, honestiusque ac tutius.

Verum, vt dixi, non solum prohibere mala & vitare ac ferre commodius, præceptis Philosophiæ docere instituimus, sed etiam lenire arte atque industria. Philosophia enim, si res necessariæ nobis adueniunt, consolationem affert: sin fortuito, etiam auxilium. Primum igitur illud cogitabis, quod moriturus sis, atque id certo & breui. Hinc illud Virgilianum sub Mezentij persona:

Phœbe diu, res si qua diu mortalibus vlla est,
Viximus. Et illud:
Stat sua cuique dies, breue & irreparabile tempus
Omnibus est vitæ.

Ita iuuentus pueritiæ, senectus iuuentuti coniuncta est in qua mors necessario reposita est: vt, diffugisse vitam, apposito certè & pulcherrimo ille epitheto rectè dixerit. Hoc cum memineris, cum molestiam illam tecum reuolueris, necessitatemque ac temporis breuitatem consideraueris, nulla est tam grauis calamitas aut animi tristitia, cuius non statim obliuiscaris, eamque depellas ex animo. Oh dices, sed filij manebunt fratresques! Quid ad te stulte? tu ipse moriturus es: illi nihil sentient: tu tormentum id intolerabile perpetieris, tu nunquam redibis, omnia illa quid ad te? Ergo quid agam? torquebor-ne semper hoc metu? nequaquam: sed postquam hoc tantum malũ negligere potes, negligas & hoc minus. Inde vide, cui vsui futurus sit hic dolor? quem si æquo animo perpetieris, & constantis & sapientis viri famam promereberis, & cursum pristinæ felicitatis augebis atque implebis, non interrumpes. Quemadmodum de Horatio Puluillo, Paulo Æmilio & Quintio Martio Rege, Anaxagora, Xenophonte, Pericle, M. Bibulo, M. Antonio Philosopho, Tiberioque narratur. Contra alius, cum è septem filiis vnus obiisset, vix quarto mense post lugubrem deposuit vestem, ad omnem commemorationem flens: ita decem annis senior vno vix mense factus, malè cæteris prospexit filiis, isti nihil profuit. Sed hæc ferenda, si non laudanda. In cæteris animum qui deiicit, nec commiseratione, nec excusatione dignus est, sed potius infamia graui: quod illud amentiæ non leuis argumentum sit, ac perfracti animi. Quamobrem non abs re erit tunc, si aliter commodè perferre nequeas, molestiam voluptatibus lenire. Sic apud Virgilium, à naufragio.

Vina bonus, quæ deinde cadis onerarat Acestes,
Littore Trinacrio, dederatque abeuntibus heros,
Diuidit.

Alibi etiam epulum inter maximas curas instruit. Leonidas prandete, inquit, viri, hodie apud inferos cœnaturi. Sapienter mihi videntur antiqui ludos in funeribus ad leuandum mœrorem instituisse. Vnde etiam is titulus manet in Codice, de sumptibus funerum & ludo aleæ. Nihil mihi tam profuit in morbo illo tabifico quàm alea. Nam cura vincendi potuit diu morari eam tristitiam, quam mihi ex imminentis exitij periculo finxeram, Nec vlla in re ludum cordato viro conuenire posse crediderim, quàm ad leuandas curas, quas perferre non queat. Quare existimo iniustè obiectum Augusto,

Augusto, quod bis victus à Sexto Pompejo nauali prælio, ludere pergeret. Nam leuandarum curarum causa lusisse, id argumento esse potest, quod cum maxime tuto ludere posset, lusit absque omni suspicione auaritiæ aut luxus. Neque damnauerim Principes, qui mimos, histriones, aretalogosque alunt leuandarum solicitudinum causa, quas illi molestissimas ferunt: sed cum eo, vt ipsi his homuncionibus vtantur, non abutantur; habeantque non habeantur. Neque enim exhilarare animum honestius conuenit, quam in doloribus atque tristitia. Importune enim in seriis, superflue in lætitia adhibentur. Eadem quoque, imo etiam magis statui possunt de aliis voluptatibus à vitij suspicione alienis: quales sunt venatio, piscatio, aucupium, iter, cœnæ, pompa publica, scenæ, reliquaque huiusmodi. At filios amplexari, amicos conuocare, magnum affert in exilio atque morbis lenimentum. Auocare etiam se acribus studiis & negotiis arduis, litibusque tractandis vsque eo vt pro amicis depugnes, obliuionis molestiarum non leuem ansam præbet. Ita arte non minus quam fortitudine atque prudentia graues ex animo curæ depelli solent. Sed alios alia solatia iuuant. Nam quidam lectione historiarum, quidam fabularum, alij pangendis versibus, alij musica & multiplicis harmoniæ dulcedine plurimum leuantur. Quibusdam ædificandi iactura vtilior est. Delectantur alij ectipis, statuis, picturis, rebusque peregrinis aut monstrosis. Omnia tentanda sunt in magnis discriminibus ac malis, quorum certa non est medela. Sed nihil certius, si quem hæc cura delectat, quam in agrũ se conferre. Ibi enim præter mutationem aëris ac loci, quem forsan intuendo lachrymabaris, multa accedunt quæ animum à mœrore auertere possunt. Primum quidem colonorum simplicitas, vita misera, noua rerum species, arte atque natura constans, spes anni, mutatio temporum, atque in arboribus ac herbis non mediocris varietas, studia deinde rusticorum in tam leuibus rebus, eorumque inanes spes atque in exilibus negotiis repositæ, auocare mentem à tristitia solent. Proximum huic est studium chymicæ artis, quæ hac in parte, vt mala alia plura, merito locum inuenit. Nam vbi spes veræ ob paruitatem implere animum & tristitiam depellere non queunt: ibi id inanes, quoniam nullum sibi finem statuunt, efficere possunt. Licet autem minore malo maius depellere, & iactura rei, vitæ & incolumitatis ac famæ damna atque pericula auertere. Seu enim res noua aliqua successerit, quod rarissimum est, seu in irritum alea ceciderit, quod huic arti perquam familiare est, magnum leuamen curarum aduehit. Hoc quidem, memoria perditæ impensæ, & noua spe fabricata sibi: illud, dulcedine inuenti ac spe in immensum prolata. Neque enim vllum genus hominum magis suos clientes, imo semetipsos miris ac incredibilibus speratis lactare solet. Quid cum illa enarrant, quæ nunquam fuerunt neque esse potuerunt, tanquam præsentia & sub eorum manibus posita? cum ratiocinantur, diuidunt, numerant, disputant, certant tanquam de verissimis rebus atque experimento compertissimis? cum errores suos sponte accusant? cum emtiones ex nondum parta pecunia, sed quæ indies minor fit, aliaque opera facienda non mediocris sumptus proponunt? Vidi patritium mihi familiarem, in luctu vnici filij ob has tantas spes, ob tam locupletem fabulam, quam breui potuit, amissi filij obliuisci, cum tamen esset senex. Nescio an hominum amentiam magis rideam, an auxilij potentiam admirer? Sed vt mihi videtur, nihil melius est aut firmius, aut honestius narrationibus de immortalitate animorum, quibus in suprema die Iulianus Imperator, Cato Vticensis, ac Socrates vsi sunt. Quorum vnus fugientem mortem retraxit: alter, vt necessariam æquo animo quamvis iuuenis & Imperator, pertulit: tertius, cum esset Philosophus, lethum læto animo exspectauit. Sunt quibus acta fortium virorum atque exempla eorum, qui sponte mortem subire, satisfaciant. E quorum numero ego aliquando fui. Cum enim anno trigesimo ætatis pauperrimus & miserrimus ex tabe, ex qua postmodum Deo auxilio seruatus, imminentem mihi mortem exspectarem, nullo alio consilio tantum timorem atquæ mœrorem leuare potui, quam assidua lectione eorum, quæ passi fuerant, qui pro Christi lege interierunt. Mecum enim ipse dicebam, quid est, quod tantopere doleas mortem naturæ lege tibi incumbentem, cum hi sponte eam sibi accerserint? atque ipsi diuites & beati erant, tu autem miserrimus & infelix vndequaque: illi incolumes, tu æger? Quod si effugeris etiam hoc periculum, quamdiu viuere poteris absumtus febricula hac & sputo tam copioso ac purulento? cui vero negotio idoneus? Itaque dum miseria miseriæ dolorem leuabam, vtrumque effugi. Sed ad rem redeo. Alij in grauibus curis familiam nouis seruitiis augent, alij affinium alunt filios, & in educandis illis atque instruendis (quod consilium, si res familiaris admittat, non vitupero,) delectantur. Sunt qui horum loco catulos, simias, aues alant. Vt non mirer Augustum, cum hanc superfluam curam quorumdam conspiceret, interrogasse, An apud eas gentes mulieres filios non parerent? Quod vero senes ex quavis causa de vitę breuitate solicitos multum alleuat, est, si se alicui mortis præsenti periculo obiiciant, velut nauigationi aut bellicæ expeditioni. Nam vbi euaserint, maiore metu minorem pellente, quod superest vitæ quasi pro lucro ducunt & obliuiscuntur fermè eius inanis curæ. Hæc igitur atque similia facere, excogitare, fingereque licet ac decet, ad molliendas animi molestias, ad leuandas calamitatum curas timoresque, seu iusta causa seu inani conceptos, modo cum decore ac sine crimine fiant. Ex physicis autem buglossum, melissa, pimpinella, crocus, apium, hyacinthus, smaragdus & similia contra illos laudantur.

Ergo vt hæc honeste ac sine crimine facere possis atque, quod difficilius est, efficaciter, dicti illius Epicuri memineris, Qui vult liber esse, seruum se Philosophiæ faciat. Neque vero præceptis & studiis, quæ non adeò homines mouent, sed vita & conuersatione ad imaginẽ iustam veri sapientis se effingat. Cũ verò

sapientis

sapientis dico, non est vt adiiciam etiam Philosophi: quippe vere sapiens esse non potest, qui etiam optimus vir non sit. Hoc autem declarare quia huc non pertinet, & alibi à nobis ostensum est, longáque indigeret oratione, nunc, vt manifestum, supponatur. Verum vt rem tamen breuibus amplectar, Sapiens quomodo sapiens erit, si non beatam sibi vitam comparare norit? At quomodo vitam sibi comparabit criminibus atque multiplici scelere inuolutus? Quod si velis, etiam sic beatum esse posse, quod tamen verum esse non potest, non illud saltem negabis, fine his longe beatiorem futurum? Ergo sapiens aut omnino probus erit, aut præstat sapienti omnino bonum & purum esse potius quam sceleratum atque improbum. Sapientem ergo, qui aduersus fortunæ ac naturæ iniurias munire se vult, sic se conformare decet, quasi singulis diebus rationem de vita illius diei, tanquam puerulus magistro sæuo, redditurus sit. Quod si quis hoc efficiat, hominémque optimum aliquem sibi deligat, quem moribus & actionibus suis præficiat, cuique cuncta, velut in exomologesi, referat non solum acta, sed & cogitata, is sane aduersus imminentia mala se præparare poterit. Vnde patet: exomologesin erga virum vndequaque bonum & sapientem, non solum ad Christianos pertinere, sed esse ex lege naturæ, cum quis optimè sapienterque viuere curauerit. Neque enim aliter quam hoc præsidio ab improba vita, à vitiorum lapsu, à tam multiplici peccandi licentia, à tot erroribus quisquam se retrahere poterit, quam si & pudore & metu quodam ac reuerentia, tum etiam consiliis sapientis contineatur. Quod si talem omnino inuenire non queas, mortui alicuius, vtputa Zenonis aut Antisthenis aut Cleanthis aut Platonis aut Socratis aut sancti alicuius viri acta, maximè illorum qui in Eremo vitam duxere, imitanda tibi propone. Vbi vero sapientiam adeptus fueris, indies quasi per scalam ascendens Deo propior fies: etsi non ita, quin tamen quantumuis sapiens infinito interuallo distes. Nam vt centrum cuiuscumque circuli quantumuis maximi vim quamdam huius ac similitudinem refert, & potestatem effingit: ita sapiens dum per causarum cognitionem ad supremam tendit, propior ac, vt verius dicam, similior illi efficitur. Atque ita Deum agnoscens aliquanto melius, sui ipsius autem comparatione longè plus ac perfectius, illi assimilari conabitur puritate, constantia, probitate, contemptu fortuitorum, cognitione multorum ex paucis ac per pauca: & curare, vt ne erga illum ingratus sit, dum cogitat, quot mortales reliquerit post se impuritate, metu, suspicionibus, ignorantia, erroribus, inconstantia fortunæ atque propositi finis ignorantia, omnes vero inquietos & insatiabiles, ob hæcque omnia tristes & planè infelices. Quod si interim sapienti fortunæ bona non adeo adsint, non tamen ob id infelix erit: sed velut Deus antequam mundum ordinasset semetipso felix, vt qui totus felix sit, ad opera tamen felicitatis non prodit. Hac igitur sapientia atque constantia, cuius pars patientia non parua est nec contemnenda, tum etiam reliquis, vt diximus, fortunæ bonis velut optimus nauta instructus, magnos fortunæ impetus nullo negotio declinabis aut elides, quin ad ingruentem validam tempestatem paratus vndequaque occurres, qua tandem superata, felicem ac beatam duces vitam: nec solum, vt dixi, contemptus philosophica illa quiete, sed & præter illam adeptus quantum par est sapienti, ex commodis omnibus naturæ ac fortunæ, vtputa filiorum, amicorum, sanitatis corporis, prudentiæ, scientiæ, gloriæ, laudis, opum, honestæ voluptatis, potentiæ longæuæque vitæ, atque cæterorum, si qua sunt alia his potiora.

Quod si quis obiiciat vulgatum illud:

Ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων,

Vult vlcerosus alteri mederier.

Cur non hæc omnia te qui alios doces? Diuinum quidem est bona docere ac præstare: habere autem, multum æstimantis talia. Nam cum fortuna parentum multa nobis denegauerit, vt sanitatem & opes: (natus quique sum à senibus ac infirmis iam parentibus, quique pauperes erant & contemnebant illarum acquisitionem, clientelas, amicos,) necesse erat vel hæc negligere sapientiæ studia parare volenti, vel illa ob sapientiam & incolumitatem. Quid de litibus dicam, quas pater mihi reliquit, & multas & cum potentissimis viris & inextricabiles? Annon sol in hominibus aliisque viuentibus facit ad generationem filiorum? ipse tamen filium nunquam progenuit. At sol filio non indiget. Sed neque nos multis, quæ hic adipisci docemus. Prima enim bona docuimus esse virtutem, sapientiam ac filios habemus, de virtute & sapientia aliis iudicium relinquimus. Sed neque aliorum, quæ ad hæc seruanda sunt necessaria, quidquam Deo dante, deest. Non ergo omnino sum medicus ille vlceribus scatens: sed cum pluribus natus vlceribus, cum tot laboribus & tam imbecilli corpore, tum studiis assiduis, floridæ senectutis limina ingressus sum. Eam felicitatem magis Dei auxilio, quam sapientiæ nostræ (veraces enim sumus) tribuimus. Sed & sapientiam ipsam si quis non omnino seu Dei munus æstimet, non solum impius est, sed etiam insanus. Deinde vt antea dixi, non potuisset calamitatum historiam ac commoda conscribere, aut conscribenti integra fides haberi, nisi easdem, vt nos, fuisset omnes fermè expertus, atque ab his explicatus. Vt ergo Matthiolo, dum de Plantis scriberet, Ananiam vallem lustrare sæpius, imo assidue expediebat: ita mihi de calamitatibus scribenti conuenit, vt seruitutem, imbecillitatem corporis, paupertatem, inopiam omnium rerum, lites longas & graues, contumaciam parentum vxorisque, affines, ciues, potentes inimicos, contemptum populi, publicam infamiam, graues iniurias, amicorum ingratitudinem, morbos præterea innumeros, pestem, hydropem, ventriculi, coli, dentiumque dolores & casum, oculi sinistri lacrymam, podagram, lepram, dysenteriam, nephritim, meiendi tenesmum (rem sane molestissimam,) destillationem, vulnus profundum in fronte ex casu, febres, cordis palpitationem, melancholiam, nocturnos timores in somnis, concoquendi imbecillitatem, hæmorrhoidas, impotentiam veneris

vsque ad vltimam desperationem in ipso flore iuuentutis, quod inter cætera summum malum esse ducebam, quæ omnia subij, tum casum equorum frequenter, iacturam ex alea, insidiásque & domesticorum peruicaciam, principum quoque iras, ne quid ad cumulum calamitatum deesset, experirer. In filiis autem nullum defuit malorum exemplum. Sunt enim contumaces, stulti pene & improbi aut omnino miseri, maior natu acerbissimo cum luctu extinctus ac publico iudicio, infœcunda puella. Ita iure factum est, vt extremam senectam ingrederer, ne vitæ meæ malorum aut bonorum, quæ ex malis colliguntur, experimentum vllum desideraretur.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

De Deformitate.

IAM ergo quandoquidem hunc calamitatum celebrem numerum adimpleui, quarum nonnullas perpetuo, plures diu perpessus sum, quis audeat se calamitosum aliena culpa dicere, si ego cum tot tantisque malis non solum infelix non sum, sed etiam felicissimum me existimem? Forsan nec immerito, cùm eo iam peruenerim, quo præuentus morte vix dici potero: cúmque omnibus gentibus ac populis natus factus sim, atque etiam Principibus maiora præstare possim quàm illi mihi, si vera sunt, (quæ tamen vera esse comperimus,) quæ Epicurus Idomeneo scribit: Se plus illi, quamuis principibus familiaritate maxima coniuncto, maximísque defuncto honoribus profuturum quàm Epicuro Idomeneus posset: scilicet, immortalitatis nomen largiendo. Sint Principes in offensis potentiores: commune est hoc cum feris atque lapidibus. At benefacere cùm Deo commune nobis est, & veræ felicitatis argumentum. Itaque illi nos miseros efficere possunt, seipsos beatos minimè. Quod si filiorum fortunam, quod plurimi Philosophi fecerunt, è felicitatis substantia segreges, abundè me felicem esse putabo. Nam præter commoda omnia priuatósque ac publicos honores, præter tot libros euulgatos, longè plures etiam aliorum quibus insertus sum, maius quidpiam esse existimauerim scientiam tot arcanorum, quæ mortalium generi noscere fas non est. Quamquam his vti, idque temerè, quando velim, liberum mihi haud sit. Nam si licuit Senecæ hoc verè dicere, sapientiam illam, quam se possidere profitebatur, (truncum quidem quasi inutilem, vtpote non solùm sine vllis arcanis, sed etiam sine disciplinarum cognitione, sine vitæ integritate,) eam producere felicitatem, quæ longè hac vulgari, ex naturæ, fortunæque bonis ortum habente, maior & sine errore, splendidior atque diuinior sit: quid sane dicendum erit de hac absoluta, quæ mortali concedi potest, omnibus numeris sapientia, eáque & continentia vitæ & omnium bonarum artium notitia munita? Ergo infelicem esse, non naturæ vitium est, non fortunæ, sed tuum: postquam ego cum tot tantísque malis felix etiam esse possum. Nec quisquam me accuset ob id insolentiæ, quasi superuacuis laudibus me efferam. Nam hæc ipsa bona, mea non esse, agnosco: imò verò minima illa, si per se existimantur. Plura enim scit longè, qui ex geniis quasi nullo censetur in numero: vt argumentum res hæc à me extorserit, non acceperit.

Quare igitur quis ob deformitatem discrucietur, postquam tanta mala æquo animo perferre deceat sapientem? Sed hoc iam nostri operis non est institutum: verum, vt diximus, ex ipso infortunio (postquam hoc pro infortunio habent,) commodum suum elicere: imò si elicere non possis, exprimere. Sic natura è napello præsentissimo veneno muscas eduxit, & mures aduersus venena salutares. Et in persico, fructu, inutili sane vitæ nucleum tot morbis commodum. Ars quoque è scorpionibus oleum aduersus illorum ictus, & ex serpentibus theriacen proprie aduersus serpentem morsus excogitauit. Voluit & ad alia alterius generis commoda traducere, cum vinum aduersus elephantiasin, ex iisdem conficere docuit. Sic qui agros stercorare, gallinas vermibus per hiemem atque vtricis pascere, vt oua parerent inuenit, & è blattis philomenas, atque huiusmodi exempla humana solertia obseruare plurima potest.

Deformitatis ergo vitium, quòd leuissimum est inter corporeas calamitates, quæ sunt morbi, dolores, cæcitas, surditas, senectus atque mors, plus aliis quam tibi incommodi affert. Voco autem deformitatem, non solum quidquid abominantur oculi, sed & incomptam vocem, quæ aures fatigat, & os fœdum, & anhelitum male olentem, rem sane merito cuique inuisam: omnia denique propter quæ homines & adspectum tuum & conuersationem, mensæque aut cubiculi societatem oderunt, vt sunt fœda vitiligo, scabies, turpes cicatrices, pediculi: hæc enim cuncta atque similia sub deformitatis genere comprehendo. Eidem adscribi volo, si putrescant dentes, si tubercula in facie oriantur, si deficiant capilli vel barba, vt plerisque elephantiacis, si anteriores dentes desint, si sudor, si pedes multum fœtent. Quibus sex vniuersum corporeum malorum genus contineri, nec plura esse posse, operæ pretium fuerit ostendere. Omnis itaque defectus est aut maximus, vt mors: aut ineuitabilis, vt senectus: aut vitari ante potest, sed vbi superuenit, totum aufert quod afficitur, vt ἀναισθησίαι, cæcitas, surditas, claudita: qui quidem omnes fermè sunt insanabiles. Ex sanabilium autem genere alij sunt cum noxa magna, sed paruo sensu,

ſenſu, vt morbi : in aliis ſenſus noxam exſuperat, vt in dolore. Cum vero vitium non eſt in operatione, vocatur deformitas, ſiue ſanabilis ſit, ſiue inſanabilis. Ex quibus iam duo omnino immedicabilia ſunt, mors & ſenectus : duo natura ſanabilia, licet ob vehementiam aut cauſas aliamue occaſionem non poſſe ſanari contingat, morbus & dolor: vnum, quod natura particeps eſt vtriuſque, licet magis inſanabile ſit quam ſanabile, ἀναισθησία : vnum denique, quod indifferens eſt ac commune, deformitas : de qua nunc agere propoſitum eſt. Verum, vt antea ſum præfatus, leui malo leuia etiam commoda ſociantur.

Si fœditas adſit, curandum eſt, vt auxiliis medicæ artis tollatur. Quid fœdius naſi defectu? & tamen poſſe in totum reparari quadraginta dierum ſpatio ex brachij muſculi carne, nuperrimo inuento conſtat. Leuiora, velut pediculi, ſcabies, cruſtæ, te admonebunt, vt diligentior ſis in balneorum vſu, præſertim odoriferorum: ita enim fiet, vt non ſolum mundus, ſed & bene olens euadas. His etiam incommodis dum corpus purgatur, dum exquiſitiore victus ratione vteris, diuturna ſanitate frueris. Memini, cum ſcabie triginta annorum laborarem, nullum interim aliud, præter tabificam illam tuſſim & febrem tertianam duplicem ſeptem dierum, me ſenſiſſe incommodum. Exiſtimo etiam me perpurgato ex tam aſſiduo malo exquiſitius corpore, euaſiſſe phthoen, Cuius indicium eſt, quod cum medicamento validiore ſcabiem, quæ poſtmodum nunquam rediit, anno quinquageſimo primo ætatis curaſſem, nunquam poſtmodum conſtanti valetudine adeo, vt antea, vſus ſim. Et, ſi morbos leues ſponte ferre Medici conſulunt, quoſdam etiam arceſſere, vt à grauioribus tuti ſimus, quanto magis iam conſuetos & nihil mali inferentes tolerare bono animo decet? Siquidem, vt dixi, huius cauſa homo continentior euadit. Continentia autem mater eſt ſanitatis, & roboris virium, longitudiniſque vitæ.

Cæterum quid eſt etiam quod deformitate torquearis? Fuit Plato leuiter gibbus, & ſic appellatus, quod latam frontem haberet, cum antea nomen illi verum eſſet Ariſtocles: adeo vt non ſolum deformis fuerit, ſed & à deformitate quaſi per irriſionem nomen illi ſit inditum. Fuit & Ariſtoteles paruus, & paruis oculis, & gracilis cruribus. Quid vero vtrique hoc obfuit, quominus in admiratione omnibus gentibus ac toti poſteritati hi deformes fuerint? Cum leuem hanc naturæ iniuriam ac turpitudinem corporis incomparabili animi pulchritudine penſauerint. Neque enim damnum eſt, quod non poſſis melius emendare, quam quòd à deformitate eſt. Nam quantumcumque fuerit, ſummum eſt, vt ſis ridiculus. At rideatur ſimia & cercopythecus ob deformitatem : non vir ſapiens, ſtrenuus, fortis, prudens, innocens, probus, illuſtriſve : tales potius ſuſpiciamus, amplectamur, admiremur. Verum nec hanc exiguam labem Ariſtoteles neglexit, ſed veſtibus, annulis, comitatu egregio, aliiſque ornamentis texit: nullis tamen maioribus, quam ſermonis elegantia, prudentia, comitate, ſapientia, amicorum multitudine, gloria, ſplendoréque vitæ. Sic exiſtimo Colomanum Pannoniæ Regem claudum, gibboſum, luſcum, blæſum, ore deformi, nec ipſo Nireo viſum inferiorem. Rectè iubebat Socrates, ſpeculum nos conſulere, vt ſi deformes videremur, deformitatem illam animi pulchritudine ſarciremus. Imo ſi quid magnum eſſet corporea pulchritudo & facies decora, Spurinna non ſibi ſponte os vulneribus deformaſſet. Si mulierem quoque aut puerum formoſiſſimum & deformem ſenem excoriatos inſpicias, minimum diſcriminis in pulchritudine eſſe animaduertes. Quid ergo eſt, quod cuticulæ ſolius ratione fucatam hanc formoſitatem tanti facias? Forma nihil citius perit. Vnde illud,

Crudeles diui ſerpens nouus exuit annos:
Formæ non vllam fata dedere moram.

At dices, auxilium peto, lucrum quæro, philoſophari non vacat. Illud pro lucro deformitatis pone, quod formoſis ob formam perit. Perit autem pudicitia, pereunt vires, perit mens. Omnia hæc in deformibus tuta. Quod ſi quis talis amatur, ſecurior eſt duplici cauſa: & quod ſe amari, id eſt, animum non corpus intelligat: & quod is amor nec ætatis nec fortunæ arbitrio ſit periturus.

Verum ad morborum hiſtoriam tranſeamus, tanto nobis vtiliorem, quanto morbi iactura turpitudine grauior eſt.

CAPVT II.

De Morbis.

Ergo morbos, etſi multis ſint graues, ita qui ſapiens eſt, reget, vt in poſterum longè melius ſibi conſulat, eorumque monitu & incolumitati & longitudini vitæ & rei familiari, ac cæteris omnibus tum ſuis tum ſucceſſorum etiam commodis melius proſpiciat. Fertur Alexander tum primum à longa inſania, qua ſe & Iouis filium & Deum quoque ab impoſtoribus Ammonis ſacerdotibus perſuaſus credi voluerat, reſipuiſſe, cum vulnus graue accepiſſet in crure, & dixiſſe, Nunc agnoſco me eſſe mortalem, quod mortalium dolores experior. Sed hac admonitione, qui mente non exciderit, haud indigebit. Verum oculis intentis in præſentia reputabit ſecum, quod & quanta negocia, eáque confuſa adhuc, habeat reliqui &, ſi iam obiret, quàm graue onus his, quos maximè diligit, eſſet relicturus: dicétque ergo, in poſterum res meas ita tractabo, vt qualicumque hora mors mihi ſuperueniat, omnia meis hæredibus expedita relinquam. Inde conuerſus ad præterita, hui, dicet, quantum mihi temporis fruſtra periit? quare in poſterum etiam momenta ipſa colligam. Neque enim video quidquam mihi periiſſe, quod non poſſim recuperare præter tempus. Omnem ergo diligentiam in futurum adhibebo, vt ſolicitam temporis rationem habeam. Cúmque cognoſcam quanta ſit eius non ſolum caritas, ſed & penuria, non niſi rebus magnis ac neceſſariis illud impendam. Rurſus ad amicos conuerſus facilè intelliget, quinam doleant, qui ſimulent, qui hæreditati

reditati etiam inhient. Postmodum ad familiares respiciens videbit alios lætos, alios tristes, alios promptos in officio, quosdam segnes, alios stupidos, de quibus vbi conualuerit, vel etiam in ipso morbo, quod videbitur illi & dignum & è re sua statuet. Post hæc & Medici industriam & Pharmacopolæ fidem diligenter explorabit. Demùm illud considerabit, quo morbo laboro? Vnde mihi causa? An, quæ mutaui, morbum hunc peperunt? Imo illa quidem omisi, his præter consuetudinem vsus sum, illa nimis frequentaui, deliciis nimium indulsi, ab ira & curis me vinci passus sum: obfuere hæc, quia nimis imbecilli ventriculo sum; illa, quoniam iecore sum calidiore: in posterum prospiciam ne crapula me occupet, ne perturbationibus vincar, studium salutis anteponam negociis: frigidam omittam, exercitationi matutinæ incumbam, crudis vix vnquam vtar. O me beatum, si mihi ab huiusmodi nimiis, dulcioribus ac crudis temperare potuero; sed temperabo, vitæ summa cura habenda est.

Iam vero rem exemplo per quam apposito declarabo. Valueram annis quadraginta sex perpetuis, modo valere dici potest cum podagra, scabie, tussi, totque aliis incommodis valere. Sed valuisse, dixi, quod hoc toto tempore tantum tribus diebus decubui ex febre duplici tertiana. Itaque anno quinquagesimo quarto die tertia Septembris ægrotare cœpi febre, quæ, vt plerumque solet, ab initio lenior visa est: verum septima die tanta me vis morbi circa os & imum ventriculi inuasit, & sensu tam incerto, vt cor virésque omnes deficere, & me venenum hausisse existimarem, déque salute desperare inciperem. Epoto tamen oleo, quibusdámque alexipharmacis, ea molestia sanè sublata est. Sed nihilo secius febris me hora vespertina inuadebat, tam lenta tamen, vt ad statum vix perueniret. Mane autem absolutum Medici me, & laborare duplici tertiana arbitrabantur. At ego cum indies res mea deterior fieret, eò recurri quò solitus eram, scilicet ad Deum; quem supplicibus verbis exoraui, vt me per somnum admoneret, quid facere oporteret. Quieui autem ad solemnia sacra templi, quod diuo Michaëli, ad Clusiam vocant, sacrum, è regione domus meæ positum est. Tum præter morem ante diem tempestiuius experrectus, nihil me per somnum vidisse animaduerti, verum credidi ob horam insuetam illam, qua experrectus fueram, admoneri, vt mihi ipsi consulerem, quod & feci. Vocato ergo vno ex familiaribus pueris, iubeo afferri mihi Auicennæ codicem, quod studendi libris aliis laborem me sustinere posse diffiderem. Cumque tertianæ nothæ caput reuoluo, nihil prorsus meo morbo consentiens inuenio, non rigorem, non sitim, non vomitum, non oris amaritudinem, non calorem vehementem, non sudorem sub accessionis fine. Verum vbi ad caput amphemerinæ me transtuli, inueni omnia mihi meóque morbo ad amussim congruere, tam in vrinis quàm in pulsibus, atque aliis accidentibus. Quamobrem iam concepta spe, eumdem authorem, quasi mihi diuinitùs oblatum, de ratione victus consulo, tum vero & Galenum ad Glauconem, quod morbus & hora antelucana longiorem non admitterent laborem, siquidem iam dies imminebat, & ego cupiebam corpori requiem aliquam ante cibum Medicorúmque aduentum dare. Quæro etiam medicamenta eo studio, vt leuiora iuberem parari, de omnibus interim cum Medicis meis consilium initurus. Vbi ergo paululum quieuissem, adueniunt illi, sed non simul. Primus autem à me multis beneficiis ornatus fuerat, adeò vt quidquid haberet existimationis, mihi deberet. Hunc ergo læto excipio vultu, narrans me morbum inuenisse, existimans tum ob officia præstita illi, tum ob longam consuetudinem, quæ inter nos intercesserat, nec solum consuetudinem, sed etiam familiaritatem, tum ob alias causas etiam maiores, illum grato hæc animo & vultu excepturum: at fefellit me opinio. Tantum enim abfuit vt læto vultu hæc exciperet, vt etiam adiecerit me insanire, esséque hoc vnum ex meis figmentis, appellabátque hæc suo more imaginationes, id est, falsas (vt, quod dicere vellet magis, quàm quod diceret, exprimam,) imagines. Nec eo contentus subiecit, nihil referre, quomodo quis medeatur: artem enim nihil ad salutem ægrorum conferre, sed siue quis benè vel malè morbum agnoscat, siue etiam curet rectè aut perperam, vel vnum pro alio, statutum esse, qui debeant mori aut sanari. Hæc ego cum audissem, obstupui & vera illum dicere existimaui, qui me insanire affirmaret, cum in tanto discrimine vitæ illius opera vterer, cuius comparatione Thessalus ille illustris sane Medicus vocari posset. Quod si & nunc Galenus viueret, non iam tanta contra illum declamaturum, cum is vel id saltem admitteret, discrimen esse inter artis vsum & abusum. Quamobrem tu modò cogita, vter nostrum esset insanior? Itaque abiecta illa mea immodica, vt par erat tum, patientia, ablegaui eum, nec vnquam postmodum illius consuetudine sum vsus. Existimans non meliori consilio eum erga reliquos ægros vti solere, quàm erga me vsus esset. Vbi eum amandassem, paulò post aduenit alter, multo quidem priore prudentior & eruditior, quem nihil de socio conquestus, sed læta, vt priorem, fronte exceptum moneo de his, quæ pro salute mea inueneram, docens eam febrem amphemerinam esse, seu quotidianam, non duplicem tertianam. Inualuerat interim in vrbe opinio à quodam Medico regio introducta, non inueniri febrem quotidianam, neque ab se, quanquam senex esset, vnquam visam, cúmque esset magni nominis, omnes sine vlteriore inquisitione, in eam sententiam descenderant, perinde vt, quod ego dicere solitus sum, ignis elementum nullum est, sed tantum ad complendum tetradem elementorum adinuentum: ita ad explendam febrium tetradem adinuentam amphemerinam esse, cæterum inane nomen. Hac imbutus persuasione meus ille alter Medicus, statim negat febrem meam esse amphemerinam: adiiciens etiam, velle me insinuare, cum iam tamdiu pro duplici tertiana eam tractassent, se mihi mortem potius quam salutem molitos. Cumque illi apographum omnium signorum congruentium, per anagnostam

gnoſtam iuſſu meo elaboratum oſtenderem, dixit ſe reſcriptum, quod & fecit. Verum etſi pari iure certaſſet, vix potuiſſet obtinere: quanto minus, cum inferior cauſa eſſet? Quamobrem tametſi rationibus reſpondere neſciret, ſalúſque in periculo verſaretur, maluit tamen periclitari amici ſalutem quantum in eo fuit, quam dogma prodere. Collegi itaque animum, vt ne memetipſum deſererem, & auxiliis paratis commutatáque medendi ratione, ita ſtatim melius habere cœpi, vt trigeſimo die febris intermittere viſa ſit & quadrageſimo per vrinam copioſam perfectè iudicatus fuerim. Tum verò mecum reputare cœpi, quanto in periculo ob deſidiam ac pertinaciam Medicorum mortales verſarentur, mecúmque dicebam, quid miſeris iſtis, qui artis ſunt ignari continget, ſi me, quem ſe fallere non poſſe intelligunt, ita tractant? Verum ſecundus ille Medicus, quamuis affirmaret me laborare tertiana, omnia tamen auxilia velut quotidiana laboranti adhibebat: plurimum enim amabat me. Is-ipſe poſtea tot inuenit quotidianas, vt iam fermè iuſto plures inuenerit, & quam forſan ego fuiſſem inuenturus. Et quamquam affirmaret illas eſſe quotidianas, meam tamen fuiſſe nunquam fateri voluit, vtut in mea exactiſſime omnia ſigna adeſſent, in illis multa deeſſent, & quæ aderant, non eſſent neceſſaria. Interim verò, ne quidquam prætercam, rogaui Deum vt me certiorem redderet, an ex eo morbo eſſem ſuperfuturus? & intellexi plane me ſuperfuturum, & numerum quoque annorum ſeu verum ſeu per hypallagen prope accepi: qua fiducia aggreſſus ſum multa, quæ antea ne tentare quidem auſus eram. Itaque iam habes tria egregia bona, quæ ex hoc morbo lucratus ſum: Dei clementiam erga me indignum, vitam ſecuriorem, & cognitionem ignorantiæ deſidiæque ac pertinaciæ Medicorum. Iam vero dum ægrotarem, mecum deliberare cœpi, vt aliam vitæ viam inirem, atque omnia in melius commutarem. Scripſi ergo, ſeu potius pueri mei me dictante ſcribebant librum, cui titulus erat ἀλήθεια ſeu de Dedicatione, quem etſi non perfecerim, in Dialogum tamen de ſolitaria vita, ſeu Eremita, poſtmodum magna ex parte transtuli. Multa verò, quæ perperam ſcripta exiſtimaui, lacerans abieci. Filium natu maiorem, quanquam haud admodum rei literariæ deditum, ita impuli, vt biennio exacto Medicæ lauream ſit conſecutus: deinde etiam in Collegium medicorum vrbis, quod ſanè eſt celeberrimum, ſit cooptatus. Alium etiam filium minorem vrgebam, vt nunc etiam magna in ſpe ſim ſatis illum, tametſi contumacem, profecturum. Conuerſus etiam ad librorum curam, tantum quadriennio toto profeci, quantum vix decennio ante, ſcribendo, caſtigando, perficiendo: adeò in hanc rem intentus fui. Sed nec remiſſior in pecunia, auctoritate, honoribuſque augendis: ob quæ latrunculorum ludo, qui mihi non paucas horas ſuffurari conſueuerat, valedixi. Etiam oſtio bibliothecæ & è regione ianuæ intus in pariete ſuperſcripſi elogium illud: Tempus poſſeſſio mea. Venire enim ſoliti erant plures, qui cum diuites eſſent, tempus ſubripiebant, pecunias non dabant; quos omnes ita hoc elogio abſterrui, vt in poſterum hæc gratuito conſulendi via patuerit ſolis pauperibus: quod pium non ſolum eſſe duxi, ſed etiam humanum: adeò vt, quod illis impenderem & operæ & temporis, lucro mihi eſſe ducerem. Cumque creberrimis Epiſtolis vndequaque abſque fructu diſtinerer, edito de libris propriis libello, interpoſui hæc verba, quamobrem male faciunt Germani atque Itali, &c. quibus obtinui, vt poſtmodum minus moleſti eſſent. Quia verò animaduertiſſem me ægrotaſſe, quod ſæpius dilato in veſperam prandio plura ederem quàm deceret, nec ederem quidem, ſed præ fame deuorarem: & his crudis multiſque nec attritis cibis ventriculo pleno rurſus per vrbem diſcurrerem: intellexiſſem etiam multum mihi obfuiſſe oliuas, quibus ob ſaporem & quod ventriculo meo imbecilli ſalutares viderentur, plurimum veſci ſolitus eram, omnia commutaui, potum quoque vberiorem prætermiſi, & locum tempeſtiuæ cœnæ reliqui. Maturius etiam, omiſſis negociis vel ſaltem dilatis, ientaculum ſumpſi, à prandio abſtinens. Ientaculi forma, leuior panis, paſſæ vuæ, mel, panis martius, amygdalæ vel pineæ è ſaccharo, olei aliquid: ex herbis vero, quæ & iucundi ſunt odoris & tenuioris ſubſtantiæ, abſinthium, ruta, mentha, meliſſa, draco, fœniculum, ſaluiæ germina aut cauliculi teneriores, omnia ex oleo & ſale citra acetum: nonnunquam ſalita piſcium oua, & piſtacia, punicaque mala & dulcia arantia: ſed ex his non niſi vnum: pleraque tamen, vt dixi, ex oleo & ſale. Omittens interim quæ frigida eſſent facultate, quæque pinguia, vt carnes, oua, piſces, caſeum, & ſi quæ talia, præter oleum. A cibi etiam copia abſtinens, illo frequentius vtebar, qui opportunior videbatur. Si pituita ventriculum obſideret, ſumebam cappares: ſi is refrigeratus eſſet, rutam: ſi imbecillis, vuas paſſas: ſi robuſtior ac frigidior, indigerétque ſolidiore quodam alimento, piſtacia: ſi ſiccior atque calidior, mala punica & arantia. Cum verò fame minus & temporis anguſtia premerer, procurabam vt diligentius etiam manderem, ſenſimque ſtudui, vt etiam lentius. Difficilimum enim eſt exactè ſimul & celeriter mandere. Ex hac vero lentitudine triplici afficiebar commodo: & quod interim minus ederem, & quod fames celerius ac magis frangeretur, & quod, quæ glutiuiſſem, coctioni aptiora eſſent, quia melius manſa. Addidi, præter hæc, alia tria præſidia: & quidem primo pedeſtrem deambulationem leuem, cum antea per vrbem diſcurrerem, & inde laſſitudo mihi & ſanguinis feruor, & fames impendio excitarentur. Lenis vero deambulatio ieiuno ventre, vt Celſus refert, maximè confert imbecilli ventriculo. Deinde puluinar ſuperpoſui toti ventri hora ſomni, ſomnúmque auxi vel celeriùs me ad lectum conferendo, vel ſerius ſurgendo. Per hiemem quoque leporis Sarmaticæ pellem candidam & molliſſimi pili ventriculo ſuperpono. Ita factum eſt, vt his auxiliis non ſolum firmiorem ſanitatem adeptus ſim, ſed etiam ad omnia obeunda munia paratior. Dentibus quoque cum laborarem, non modicam adhibui diligentiam,

gentiam, præsertim quod iam quinque pene mihi excidissent, malúmque id esset hæreditarium. Pater namque anno quinquagesimo octauo, quem nuper ego excessi, omnes amisit dentes: mater autem perpetuò fermè illorum dolore laborabat. Materna quoq; auia, vt à matre audiui, ob id satis alias firma periit, quod cum dentes sensim amisisset, cibum deglutiret haud vt decebat attritum atque commixtum. Ergo curaui, vt singulo mane os aceto scilitico, in quo piper tritum diu iacuisset, colluerem: tum ne quem cibum valde calidum sumerem. Plus enim obest calor immoditus quam frigus ipsum, in primis tunc cum calidos cibos frigidior statim potus exceperit: hinc enim dentes infirmi euadunt, & facilè excidunt. Ergo hac cura, tum etiam purgatione corporis in priore morbo, atque auxiliis ob eum adhibitis, sanus non solum vixi, (hoc enim commune bonum est atque emolumentum cuiuscumque morbi, vt in posterum melius se habeant, tutioresque ac securiores sint ab aliorum morborum periculo, quicumque morbum aliquem grauem euaserunt:) sed quasi aduerso flumine deuectus, quamquam ingrauescente indies ætate, prosperiore tamen valetudine sum vsus. Indicio est profitendi munus renouatum, tòtque labores in artis exercitatione suscepti. Ergo si quis reputet tot tantáque commoda, quæ mihi euenerunt ex eo morbo, videbit vere posse me idipsum dicere, quod Philosophus ille, cum naufragio omnibus bonis amissis, ad philosophiam se contulisset: Perieram, nisi periissem. Præterea cum essem nimium negociis familiaribus & studiis scribendísque libris, tum artis operibus implicitus, nec possem simul etiam ciuili vitæ vacare, quod tamen necessarium est ad amicitias opésque parandas & auctoritatem augendam, etiam id feci, vt methodum hanc mihi ipsi conscriberem aliaque longè vtiliora, scilicet Artem medendi paruam, & Dialecticam, quibus sub breui compendio maxima quæque necessaria complecterer, & sine temporis dispendio omnibus necessariis satisfacerem. Atque hæc ita se habuerunt.

Sed video quid dicturus sis: rectè quidem omnia hæc atque vere, quoniam contigerunt viro multis modis aduersus huiusmodi mala præparato, & semel tantum in tam longo annorum spatio: sed si illa tibi quidem sæpius, vel semel homini imperito literarum aut etiam perito, sed non adeò vario genere, neque tam exercitato aut pauperi accidissent, nescio an tunc iactares, Perieramus nisi periissemus: & non doleres potius, Periimus quoniam ægrotauimus. At ô egregie, non negauerim primum, quod Aristoteles dixit, Grandia & multa mala premere, vitamque beatam lædere: afferunt enim dolores & multas operationes impediunt. Sed iam ab initio testatus sum de assiduis morbis cum paupertate, aut sæuis me loqui non instituisse. Sed fac sint tolerabiles, redeant verò sæpius, impedient tunc quidem plus quam si semel tantum quis eos experiatur, verum nec ob id omnino vtilitatis expertes erunt: licet non æquè vberem fructum colligere liceat ex morbis cum sæpius repetunt, quam quidem cum primo adueniunt. Commune enim hoc etiam est ipsis bonis, vt noua magis delectent & iuuent, quam cum sunt consueta. Nempe causas morbi intelligere, vera auxilia conquirere, mortem minus formidare, æquius ferre morbum, medicos, assistentes, ac necessaria melius parata atque commodius habere ei magis conuenit, qui iam sæpiùs ægrotauit, quàm qui semel. Sed adime timorem mortis, dolorem & paupertatem, videbis multos esse, qui, si rectè velint rem expendere, melius vitam ducant ægri quam sani. Scio quosdam, dum torquerentur podagra perpetua, sed citra magnum dolorem, assidue legisse, librósque conscripsisse. E quibus vnus fuit Iulius Cæsar Scaliger, qui contra nos scripsit: alter Erasmus Roterodamus, aliique plures. Tempus sanis adimit amicorum multitudo, forum, deambulatio, tædium illud induendi atque exuendi caligas, vestes: & tamen felix vita non in corporeis actionibus, sed propriis, id est, animi reposita est. At, dicis, tibi quidem tam multa, quid aliis? Forsan plura & plebis iudicio maiora melioráque. Dionysio Borræ, cum cerdonicam artem satis infeliciter exerceret & correptus indica lue lecto, ne quid misero deesset, affigeretur, nec vllis auxiliis liberari posset, euenit post multos menses, vt corpore & bonis iam absumptis in quemdam Empiricum incideret, qui illum sanitati restituit. Hic Dionysius, vt erat vir inter plebeios minimè vulgaris ingenij atque solertiæ, ad omnia, quæ Empiricus ille administrabat, diligenter animaduertit, & muneribus donato homine, cœpit literarum prorsus rudis medicinam profiteri, non quidem cuiusuis morbi, sed indicæ duntaxat luis, quam adeò feliciter curabat, vt multis vndique Hispanis, quibus hic morbus familiaris est, concurrentibus, è cerdone factus sit medicus, longéque meliore fortuna, quam in priore arte vsus, mendicitati valedixerit. Post, ne quid præpostere illi contigeret, è medico chirurgus, è chirurgo tonsor factus est. Atque ita credo ex morbo tonsor, chirurgus ac medicus factus omnia simul exercuit pluribus annis, filiósque reliquit artis & bonorum hæredes, verùm longè præstantiores atque etiam literarum non ignaros. Quod si liberaliorem ab initio nactus fuisset Medicum socium, non mediocres reliquisset opes: sero enim nobiscum amicitiam contraxit. Sed vel sic pulchram domum exædificauit. Simile quidpiam Ioanni Firmo Triuultio Comiti (nomen hoc est Sarmaticæ dignitatis. Italiæ inuectum,) accidit. Hic cum eodem morbo diu laborasset, quemdam tandem inuenit, qui illum è feretro reuocauit, docuítque medicamentum quo postmodum per ministros, quod nobilis esset ac prædiues, vsus famam magni Medici, sed in eo tantum genere morbi consecutus est. Neque exempla defutura essent, si vellem referre, qui à lapide vesicæ, à comitiali morbo, à podagra ipsi liberati, magnum quæstum ob morbum fecerunt. Sed tempus est, vt ad alia properemus, ac de doloribus dicamus.

CAPVT

CAPVT III.

De Dolore.

VT enim morbi metum magnum incutiunt, cruciatum exiguum: ita dolores magnum cruciatum, metum nullum. Quod intelligi velim, non de nephriticis aut ventriculi, sed dentium, podagræ, arthritidis, hæmorrhoidum, capitis, atque huiusmodi. In his vt metus mortis abest: ita non licet ob tormentum vacare contemplationi aut disponendis rebus. Quamobrem peculiarem quamdam vtilitatis rationem inire oportet. Quæ in eo primum consistit, quod qui dolent, vbi à dolore quieuerint, beati sibi esse videntur. Est enim ea mortalium conditio, vt bonum ex malo metiantur. Memini cum podagræ dolores quieuissent, me multo tum feliciorem visum mihi, quam cum nondum illos expertus essem. Anteà enim omnia metuebam: tunc verò mihi persuadebam, si modo à doloribus essem liber, beatum fore. Nec videor indolentiæ munera, vnquam sensisse, nisi postquàm dolores acerbissimos expertus fui. Ob id etiam Podagræ celeberrimum scripsi encomium, quod adhuc extat. Suauis etiam quædam voluptas in membris ipsis leni prurítui similis relinquitur, vt compensare doloris molestiam natura voluisse videatur.

Accedit aliud commodum ex dolore, quod calamitatum omnium interim & diu etiam post obliuisceris. Nullus quippe sapo vestium sordes adeò eluit, vt dolor infortuniorum molestias. Seu quod animum ab ea cogitatione auertat, seu quod totum corpus immutet, seu quod assuetus homo maiori malo, minus non sentiat. Et non solùm paupertatem tollit, sed & luctum & carceris ac seruitutis sensum, qui solus mortem desiderare cogit.

Vnde illa quæstio satis frequens, An, ad doloris acerbitatem vitandam, liceat homini sibi consciscere mortem? Ideò dixit Aristoteles: Neque si quis dolorem fugiens, quod solent multi, mortem accersat, (vt de Chirone referunt, qui quamuis immortalis esset, ob vlceris dolorem, mortem optauit,) fortis erit. Similiter & fabulæ narrant Herculem ob intolerabilem dolorem, quem ex Deianiræ interula conceperat, flammis se iniecisse ac periisse. Certè aliquibus mors ferè euenit sine dolore, etsi non optata: aliis optata quidem, sed non leuis: his, qui diuturno dolore fatigati sunt, & optata & leuis aduenit. Sed nemo tamen optare dolorem debet, vt sine dolore moriatur: sed ei, qui doloribus ineuitabilibus torquetur, hoc vnum solatio esse potest, quod sine dolore sit periturus, & sine metu interim eam exspectaturus. Nemo enim, quod optat, metuit. Sed dicam tamen, plus veritati quàm rei argumento tribuens, quid acciderit, vt à fide dignis audiui. Lugduni latro, sub specie vendendarum mercium inuitatos aduenas mercatores, qui quater in anno nundinarum tempore ex prescripto frequentes confluere solent, iugulabat, etiam impransos, ne quid periret sibi. Supra viginti cum occidisset, dolo tandem fuit detectus & viuus rotæ impositus meritas pœnas daturus. Dum ibi aplicaretur, carnificem adduci valdè rogabat, qui se strangularet. Erat autem carnifex in vrbe, latro ad secundum fermè lapidem. Victi tandem misericordia ij qui præerant, exoratis iudicibus carnificem adducunt. Quem vbi procul venientem vidit, dixit, malle se sic mori. Ita metus mortis dolores illos intolerabiles superauit: forsan quod defatigato corpore, dolorum acerbitas iam esset imminuta. Verum strangulari iusserunt seu aspernati hominis mollitiem, seu irati quod illos frustra fatigasset, seu quod non liceret iudicum sententiam transgredi, aut decretum esset, quod damnatis propter atrocia delicta fieri solet, nulla ipsi in re obsequi. Sed ad rem redeo.

Habet & hoc dolor, quod, si quis ab eo vincatur, turpe non est: sin illum superet, pulchrum dat spectaculum & laude dignum. Anno ergo res illa vtilis & digna censeri debet, in qua iacturæ nullum est periculum, & tamen non leuis lucri spes affulget? Et magnum non est, sæpe magnum dolorem superasse. Vt enim ignis, si alimenta aliena subtrahas, quanto maior, tanto celeriùs extinguitur, quod suam sedem destruat: ita accidit etiam omnibus his, qui ea dissoluunt in quibus sunt. Neque ergo superare dolorem, qui sponte imminuitur & finitur, res magna est: neque superari, turpe. Quinetiam nulla in re magis (quamquam, vt dixi, omnibus hoc aduersis commune sit,) amici dignoscuntur, quam in dolore, præsertim diuturno. Faciem enim amici ex commiseratione, ex officiis agnosces, quodque tædio non afficitur. At verò quantum intersit rectè amicos dignoscere, anteà dictum est. Cum verò cuncti morbi mentem perturbent, plus, minus, dolor omnis hoc habet præcipuum, vt cum illustret, nisi ex perniciosorum genere sit: vt cum ad conuulsionem spectant, de quibus non est nunc sermo. Non parua autem res est, quomodocumque accidat, serenare mentem nostram atque illustrare. Hæc enim est omnis nostræ felicitatis & gloriæ auctor. Omittam alia: illud satis sit ad probandum, nec morbum nec dolorem res esse magnas, quod Plato ea sponte quæsierit, atque ex saluberrimo loco in Academiam insalubrem se contulerit: vnde etiam duodeuiginti mensibus quartana laborauit. Vt videatur existimasse, quemadmodum in nimis luxuriante vite obruuntur vuæ nec maturescunt: ita in nimis firmo & sano corpore turbari & opprimi animam. Ne igitur magnum malum arbitremini, quod tam sapiens Philosophus quæsiuit. Sint ergo robur & firmitas corporis atque salubritas, tum magnitudo & pulchritudo ac cætera huiusmodi, insignium belluarum priuilegia. Homini nihil magis expedit, quàm vt hæc omnia in animo sint. In corpore enim firmitas ad iniuriam, salubritas ad luxum, pulchritudo ad flagitium, magnitudo ad augendam impensam

penſam dum veſtibus opus eſt, magis opportunum reddunt. Quare de Senectute agamus, breuiter, quod Cicero luculentum de ea librum conſcripſerit.

CAPVT IV.

De Senectute.

SEnectute non maius malum nec magis neceſſarium, nec minus reparabile inter mortalia eſſe videtur. Non ſolùm quòd morboſa ſit & deformis & imbecillis viribus: ſed morti quoque proxima, imò coniuncta: nam omnis ſenectutis terminus eſt mors: deſpectui inſuper & irriſui cōtemptuiq; habita. Quamobrem qui ſenectutem dicit, maximum malorum dicit. Neque eſt, quod cuiquam poſſit imprecari, malum ſenectute maius. Quòd ſi quid aliud calamitoſum adiungatur, vt vxor aut filius contumax, aut paupertas, aut morbus aliquis familiaris, aut ſtoliditas, morte ſanè deterior eſt. Nec eſt quod pulchris verbis Ciceronis decipiaris, qui Catonem quemdam Polycleti ſtatuæ inſtar nobis deſcribit, incolumi corpore ac valido & ſenſibus etiam & memoria vigentibus. Talia enim in ſene, maximè illo mortuario, pro miraculo, non pro cōmuni ſenum natura habenda ſunt. Sunt enim omnes queruli, moroſi, triſtes, nugaces, fœdi & inualidi. Reliqua mala etſi non ſemper præſentia adſint, nullum tamen à ſenectute in exilium relegatum eſt, quinimo in foribus adſtant, vt, ſi aduocentur, nullam moram ad parendum interpoſitura ſint. Exclamabis forſan, heu me miſerum, non noueram tanta mala? Imò etiam longè plura ſunt atque maiora, quàm dixi. Vnum addam ex Ariſtotele, quod ſenex parum ſperare poteſt: quo maius aliud malum non eſt. Et tamen ſi te piget ſenem eſſe, tua culpa id accidit, quod anteà mori noluiſti. Eſtne verò aliud in ſene maius malum? Eſt. Quodnam? inuiſum eſſe ſuis, etiam propriis filiis. Heu, dices rurſus, hæc ſanè non ſunt ferenda. Quid? humana conditio nimis bona eſſet, ſi quemadmodum iuuenes, ita ſenes bonis frueremur. Sed hoc malum tale eſt, vt nemo vel cogitatione euadere queat, ne vel mors intempeſtiua ſit, vel ſenectutis mala non experiatur. Quid ergo agendum? Eſtne vlla via euadendi tanta mala? Eſt ſanè: non tamen omnibus conceſſa. Oportet ergo eum, qui hæc euadere velit, non ſecus ac Regem, qui bellum in longinquam regionem facturus ſit, omnia parata habere, quæ illi neceſſaria futura cognouerit, nihil prorſus ſperans ex inimicorum agris. Animo igitur & corpore & fortunæ bonis ita præparatum eſſe ſenem decet, vt non, quemadmodum in generali tractatione dixi, habeat quod ſatis eſt: verum omnibus abundet cumulatè, antequam eam ætatem ingrediatur. Spectare igitur oportet duo: primum, qua ratione illis malis occurrat: inde, quibus bonis magis indigeat. Indigebit autem maximè his, quæ aduerſantur illis, quibus ſenectus opprimitur. Diximus autem illam maximè opprimi ſeptem rebus, imbecillitate corporis, deformitate (ſub qua etiam feditas continetur,) morbis, contemptu, mortis expectatione, deſperatione, & quod ſuis inuiſa ſit. In omnibus his quærenda ratio, vt mala vitentur, vt parui à nobis æſtimentur, & vt, quod proprium eſt huic contemplationi, ex his malis bona expiſcemur.

Principio igitur videndum eſt, quid priùs ſeneſcat in nobis, mens an ſenſus? Velut in ciuitate, quæ cingitur ab hoſtibus, refugimus in arcem, atque in ea omnia bona collocamus, licèt ſciamus capiendam; tamen, quia ſeriùs, eò reponimus chariora. Et certum eſt, quod vltimò ſeneſcat mens, inde ſenſus: primùm autem, corpus. Ergo omnia non ſolùm ad mentis arbitrium bona collocanda ſunt, ſed æſtimare etiam mentis bona potiora oportet, etſi non ita eſſet. At cum ita modò ſit, neque vlla de hoc, vtut magna de cæteris placitis inter Philoſophos, ſit contentio, quanto magis nobis proponere debemus bonum verum, ſummam fœlicitatem, & veram voluptatem eſſe in mentis bonis collocatam: quæ ſunt, vt diximus, ſapientia & honeſtum ſeu virtus. Horum verò cùm nullus ſenex, ſi anteà voluerit, poſſit eſſe expers: manifeſtum eſt, nullum ſenem, niſi culpa ſua cariturum perfecta fœlicitate. Quod ſi & filios ſub felicitate comprehendas, nec ob id ſenex noſter felicitatis hac parte carebit. Nam etſi ad generandum tunc idoneus non ſit, anteà quis vetuit, ne liberis procreandis operam dederit? Iam ergo conſtat, nihil deeſſe ſeni, quod ad felicitatem principaliter ſit neceſſarium. Videamus modò de reliquis. Id verò tibi accommodato exemplo oſtendam: ſolent enim exempla magis mouere quàm præcepta, quod etiam anteà diximus.

Annum agebam quinquageſimum octauū ac propemodum ſuperaueram, cum paucis iam anteà mēſibus deferbuiſſent calamitoſa illa ac diuturna bella: ego verò in ciuitate ad lucrum duorum talentorum magnorum auri ſingulo anno perueneram; indies creſcente cum gloria diurno quæſtu. Exceſſerat enim è primariis medicis vnus, alter ſenio maximo confectus erat. Et quæ mihi obiiciebantur ab æmulis, quæque per ciuitatem ſparſa erant, falſa eſſe deprehendebantur. Et ego alioqui in medendo fortunatiſſimus, tum primum etiam intentus in rem maximè, & auxilio libelli à me conſcripti nuper, quem Artem medendi paruam appellaueram, adeò profeceram, vt neque Galenum ætate ſua, nec aliorum quemquam, qui poſt floruerunt, adeò felicem in artis operibus, ſeu ſanando ſeu producendo vitam eorum, qui ſanari non poſſent, ſeu prædicendo, fuiſſe, exiſtimauerim. Eorū enim quos ſolus curabam vix è quingētis vnus interibat. Quidam etiam cum ſociis à me curati è deploratis caſibus, ſed non adeò multi, neque tam facilè ſeruabantur. Quod igitur alios accendere potuiſſet, me à cœpto munere deterruit. Primumq; ſuſpectam habui immodicam illam felicitatē: & eò magis, quòd & natalitia mea noui, & fortunæ meæ blandientis fidem atque conſtantiam & quantis viribus contraniterer aliorum quorumdam dolis ac improbitati: metuebam

metuebam & ciuium meorum credulitatem nimiam. Sed nihil adeò hortabatur me, vt hoc munus effugerem, quàm quod interim libros, quos conſcripſeram, pati iacere cogerer: & quod hæc fortuna ea ætate aduenisſet, in qua vel deſiſtere ſponte neceſſe mihi foret, vel deficientibus viribus creſcentéque labore breui interire. Quamobrem id mecum cogitaui, quemadmodum illi, qui equum militarem aſcendit, cui regendo viribus eſt impar, nihil melius eſt quàm deſcendere, præſtátque longè id, quàm ſpecioſo ſpectaculo, ſed haud diu edito, elidi ac ſimul vitam amittere: ita mihi ſatius eſſe vitæ genus mutare. Quare ad hoc omne conſilium adhibui. Animaduertens ergo vires mentis indies augeri, ſenſuum conſtanter perſtare, corporis eſſe in interliminio: totam rem mentis arbitrio atque actionibus committendam ratus, cœpi, quonam pacto id commodius efficere poſſem, diligenter conſiderare & adniti, vt efficerem. Plura enim ediderant, plura edenda reſtabant. Quamobrem intercedente Duce Sueſſano profitendi munus Papiæ rurſus impetraui. Sed deerat hic vſus, intermiſſa octo annis conſuetudine: & ventriculus, ſuapte natura imbecillis, vehementer ob frigidi aëris hauſtum affligebatur. Huic obſtiti ſingulo mane, antequam profiterer, deuoratis mali punici pauculis granis, & longè plurium etiam ſucco, ſubmiſſáque inter profitendum voce. Memoriæ verò & ordine & raritate verborum ſuccurri. His tot tantíſque præſidiis munitus aduerſus incommoda ſenectutis, tum etiam victus ratione diligenti non ſolùm, ſed etiam accurata, effugiturum me ſperabam omnia ſenectutis incommoda. Verùm fortuna ſe noſtris conſiliis oppoſuit, vt nihil mihi tam fauſtum contigerit, quin in aduerſum euentum deciderit. Hoc enim, vt dixi antea, metueram.

Propoſitum fuit primum. Senes querulos eſſe, moroſos, triſtes, inutiles, nugaces, fœdos. Curabimus igitur, vt parum & compoſitè loquamur & læti maximè in conuerſatione degamus. Quod ſi multa nos torqueant, multa occurrant, quæ dicamus, ſæpe nobiſcum id reuoluamus.

Qui querulus eſt, amicitiæ haud accõmodus.
Et illud: *ſed non replenda eſt curia verbis.*
Et rurſus: *Senectus loquax.*

Cæterum vt omnem feditatem vitemus, moderata victus ratione vtendum: ita enim munditie & cura ſocios minimè offendemus. Diximus autem de illo in tertio libro de tuenda ſanitate. Diligenter quoque cauendum, ne edentes in conuiuiis loquamur. Subſiliunt enim ciborum fragmenta ex ore: maximè ſi dentium aliquis anteriorum defecerit. Tum ne potibus ſe miſceat alienis, aut edulia manibus tractet. Omnia enim, quæ ſtomachum mouere poſſunt his, qui munditiam amant, vitare decet ſenem. Memor illius, odioſum eſſe ſenem, ſenectámque carioſam appellari. Et tunc quidem maximè ſi ſtillet naſus, ſi tuſſiat, ſi ſaliuario lentore (quem materna lingua *banam*, Græci ϖέλχνον vocant) abundat os, infantium more. Imò, ſi ſenex meo auſcultet conſilio, vix vnquam alienis miſcebit ſe conuiuiis. Quid enim adducere ſecum poteſt? Siue ſemper taceat ſiue loquatur, æquè moleſtus erit, & tam ſibi grauis tacendo, quàm aliis loquendo. Interim cùm multi libenter ſenes loquentes audiant, ceu ætatis beneficio ſapientiores, cauebit ne, quod facilè ob ſaliuæ copiam contingit, loquendo ſputum emittat & σιαλόχος, *ſaliuator* appelletur, vel, quod etiam deterius eſt, pitizans. In vniuerſum magnam ori diligentiam adhibere ſenem decet, vt & mulieres & pueros. Sed diuerſis modis diuerſáque ratione. Nam cum ſeni ob dentium rimas inhærere ſoleant pridiani cibi reliquiæ, quæ & aſpectu teterrimæ ſunt, & odorem inſuper malum emittunt, curabit vt pennis perdicum carumue aculeis, vel lignorum fragmentis tenuiſſimis eruantur: nam craſſioribus hiulci fiunt, & fatiſcunt. Cum verò etiam ſcabri fiant ac nigreſcant, dentifriciis vtendum, quæ & dentes confirment, & gingiuas extendant, non abſumant. Colluat igitur os vino aliquo leui albo, modò aceto, modò ardente aqua, ſed non coram conuiuis. Et antequam loquatur, os ſputo purget, & tardè ratóque verba proferat, ne vt dixi, pitizet. Aſſueſcat etiam conſtrictis quaſi labris loqui. Si namque ob dentes anteriores amiſſos id faciunt pleríque, omnino vtilitatis & decoris gratia adhibere eam diligentiam oportet, quàm alij minore cum vtilitate propter neceſſitatem. Valde enim decorum eſt, loquenti relucere dentes candidulos, quod in fœminis ac pueris benè inſtitutis animaduertere licet. Neque ſenem *μυριπνοῦντα, vnguentum ſpirantem*, abhorruerim, modò delicatius quàm vehementius oleat. Vt enim odores exotici dedecent, ob luxuriam: ita omnia experiri debemus, ne cuiquam moleſti ſimus. His artibus noſter ſenex inſtructus, & ſecurè inter pueros, & honeſtè inter iuuenes, & vtroque modo inter alios ſenes verſari poterit. Nec multum aberit ſimilitudine à Gorgia Leontino illo, quem ferunt ad centeſimum ſeptimum annum ſine vllo incommodo vitæ perueniſſe. Vnde verò illi tam felix decrepita ſenectus? Reſpondit, nunquam voluptatis cauſa quidquam feci aut admiſi.

Cæterùm ne contemnatur noſter ſenex, diſcat ab animalibus, quod boues cornibus non dentibus pugnent: equi calcibus, non cornibus aut capite: feles vnguibus: lepores verò atque cuniculi nullis armis ſe defendant, ſed protinus fugam arripiant. Cum ergo ſenex noſter mente præditus ſit, non debet ſe brutis his deterius gerere: quin potiùs animaduertens ſe neque oculis neque auditu præſtare, nec robore aut agilitate, vel curſu vel peritia armorum, ſed ſola mente atque conſilio, penitus illis aliis relictis, ea in parte ſe exercere, qua ſe ſuperiorẽ agnoſcit. Hinc fiet, vt victi adoleſcentes illum, cum audierint, venerentur. Et quidni? cum natura etiam animalibus inditum ſit, vt victi victoribus cedant, atq; hos venerẽtur. Id enim in gallis, perdicibus, tauris, equis, canibus, ac aliiſquibuſcũque certamẽ expertis comperimus. Non ergo, vt Medicus quidã noſter, decrepita ętate haſtiludio in ægrorum domibus operam dabit ne, vt illi accidit, conſauciata fronte, & ſeipſum & artem & ætatem ridiculam faciat. Sed ſanis conſiliis & ſapiẽtia admirandum ſe præſtabit, adiiciẽt

adiicietque hunc titulum senectuti ad duos, quos requirit Aristoteles, vt scilicet sit prudens ac veneranda.

Verùm, occurres, hæc non omnibus concessa, non omnes profiteri publicè possunt, libros condere, Principum amicitiæ se insinuare, quin nec omnes eruditi, nec omnes adeò prudentes sunt. Deinde, tunc adeò prudens es, quem toties multi irriserunt, vt te tanquam Polycleti normam esse existimes, quique aliis omnibus viuendi formam iniungas? Hoc erat sanè, quod me sæpius segnem reddidit ad hanc prouinciam capessendam, quandoquidem viderem, vix sine accusatione eam transigere posse. Sed plus valuit apud me publici boni atque vtilitatis ratio, quàm metus hic aut pudor, si quis esse debet, aut verecundia. Atque, vt vno verbo omnibus his satisfaciam, Platonem secutus, existimaui hæc omnia bona atque mala, calumnias atque laudes esse vmbratiles. Quid ergo est, cuius gratia aut metuam aut verecunder? Ex infinitis vmbris, etiam maximis, ne quidem minimam scobem vel tenuissimam effeceris. Hoc eodem consilio irrisus sum, quod ea non curarem, quæ illi vel mala vel bona esse existimabant. Atque illi quidem penè omnes mortui sunt, & quamuis multo longiùs abesse se crederent, multo minus tamen, vt euentus ostendit, distabant à morte, quàm ego, qui ab ea parum abesse me intelligo, etiamsi centum annis sim superuicturus. Quid ergo ex illis reliqui est, quàm quod constet fuisse insanos? Ergo si irrideri aliquid omnino esset, (quod haud fatebor,) certè ab insanis irrideri, pro laude ducendum est. Irridemur omnes, insani à sapientibus, ab insanis sapientes, sed vtri plures sunt? Insani sanè & magno numero. Ergone mauis esse insanum quàm sapientem, vt à paucioribus irridearis? Stulta quidem cogitatio.

Sed reuertor ad proposita. Non omnes possunt profiteri: at plures absque eo labore viuere. Quid horum melius, habere ex quo viuas absque labore, an posse tua industria viuere? Prudentis viri est parare sibi ante senectutem, quo vitam ducere possit. At dices, si hoc munere fungi non potuisses, an non, vel te iudice, aberraueras? Non. Nam si quotidiano labori addictus fuissem, delectatio studiorum me non detinuisset, sed aliorum more tantas congessissem opes, vt in senectute mendicare non cogerer. Qui ergo studiis liberalibus non sunt dediti, hoc facere debent: qui sunt, non coguntur. Ego gloriæ comparandæ intentus facere non poteram. Vt enim mendax non sim, aliter loqui non licet. Neque etiam, more aliorum, tegere mea vitia volo; sed fateor eo me vitio laborasse, quod virtuti proximum & habetur & est. Porro quod non omnes hanc disciplinam callere possint, excusatione dignum non est, cum stultum sit omnes scire numerare, loqui, decipere, ludere, quorumaliqua superflua sunt, aliqua etiam mala, certè omnia minus necessaria: at rectè viuere pauci norint, ob id solum, quod pauci discere curent. Namque ad id naturæ instituto ferimur, vt non nisi supina negligentia ignorare hæc præcepta possimus. Sed ad rem redeo atque pergo, quænam sit vita, qualisque esse debeat prudentis senis?

Quicumque igitur eò peruenit, primum meminerit, quanto beneficio obstrictus sit Deo atque naturæ, quod eò peruenerit, quò paucis peruenire concessum est. Deinde, pedem retrahat ab omnibus vitiis, si quæ natura aut vsu aut feruore ætatis contraxerat. Nec solùm ab his, sed etiam muneribus iuuentuti propriis, laboribus, coniugio, crudorum esu, verbis factísque non solùm turpibus vel obscœnis, sed etiam leuibus atque inanibus. Duris quoque negotiis, & his, quæ ad finem nisi longo tempore deduci nequeunt, ne Regis Nicomedis exemplo ciuitatem ædificare incipiat decrepita senecta. Itaque nec profiteri aggrediatur, qui nunquam professus fit: aut nauigare, qui nunquam nauigauerit. Sequatur autem studia ætati congruentia: sapientiæ scilicet, moderationis, institutionis filiorum, gubernationis Reipub. Versetur inter pares studiis, auctoritate, moribus & ætate: hoc enim tutum est & honestum. Quod si sapientia non adeò polleat, inter pueros. Melius est enim prodesse quantulumcumque, & venerari atque obseruari, quàm nihil proficiendo irrideri ac contumeliis affici. Circa vitam quietus & lectionibus non arduis, deambulationi, somno, balneísque se tradat: à perturbationibus omnibus, maximè ira, vacet. Otium non probo: nam segnes reddit & cótemptos, timorémque mortis adauget. Ita etiam res suas constituat, ac si indies esset moriturus. Quæ occasio inter senectutis beneficia numerari potest. Nam etsi cuique liceat res suas rectè, quandocúmque velit, ordinare: beneficij tamen non vulgaris loco habendum est, si quis cogatur ea facere, quæ illi decora sint atque vtilia. Hoc à senectute autem impetrare licet: cuius aduentu, vt vasa quàm primum colligamus, admonemur. Si iuuenes existimat esse feliciores, illa sibi proponat, iuuenis & ego fui & omnia possedi, quæ illi: illi autem breui mihi simillimi erunt: quid est ergo, quod discrucier tam iniustè?

Porrò, dices, omnia hæc vera sunt, sed vnde hæc tam ampla bona, quæ ab initio pollicitus es, collecturus sim, non video? An non dixi? Primum est, huius ætatis beneficio venerari ab omnibus. Deinde, carere perturbationibus, & conquiescere ardorem illum amoris amarum. Tum, admoueri propter eam magistratibus ac honoribus. Nam paucis, nisi omnino stupidi sint, aut nimis graui inuidia laborent, secus contingit. Præterea, à tot laboribus iustã veniam impetrare: quæ etiam militari disciplinæ & cuicumque ordini fermè concessa est iure tam diuino quàm humano, vt etiam ob debita capi non possint: quod non vulgare priuilegium est. Consuli etiam ab omnibus, quod gloriosum est & veræ sapientiæ testimonium. Concessum est huic quoque ætati, vitam ducere salubriorem. Nam vt dicit Hippocrates, Magnam partem senes iuuenibus minus ægrotant. Sed quod præ omnibus maximum est, est studiis sapientiæ se dedere. Hoc enim ætatis huius proprium est atque præcipuum: seu quo se viuentes adhuc participes reddunt immortalis eius felicitatis, cuius compotes cæteri nonnisi à morte fiunt.

CAPVT

CAPVT V

De Morte.

QVAMOREM, esse senium in mortis interliminio, non ob aliud graue esse potest, quàm ob timorem mortis. Quippe is omnibus aliis quàm grauis sit, nescio: me sanè adeò torquet, vt nil aliud magis molestum sit. Et cum recordor me moriturum, non solum nihil tam suaue est aut triste, cuius non obliuiscar: sed animo etiam linquor. Nactus enim cor frigidum atque humidum, imò leporinum sola cogitatione mortis deficio: credo ne quid mihi ad cumulum infelicitatis & ærumnarum deesset. Et cum in omnibus aliis aduersis non parum Philosophiæ præceptis profecerim, in hoc vno (vera enim fateri volo,) nihil penè auxilij inueni. Suspicor in aliis idem fermè contingere: verum plerique dissimulant, velut qui iam suspendendi cachinno timorem mortis velant. Ego ad veritatem natus ea fateor, quæ nemo vlla ratione extorquere possit. Nescio sanè num quis sit, qui mortis timorem effugere queat? Quamuis non ignorem, quanta Stoici, imò Epicurei hac in causa iactent. Quinetiam non verbis solùm, sed vultu ipso animi robur ostentant. Et certè, obliuisci mortis, nec pauere, ob ignorantiam fieri existimo: non esse autem qui id possit in morte aut cognita aut præsente. Belluas enim maximè iratas, & pueros videmus non pauere mortem ob mentis stuporem: quicumque tamen ex his prudentiores sunt, maximè timent.

Sed verò rursus repetenda sunt huius rei capata, ne in incerto vagemur. Sunt autem, an quis queat mortis obliuisci? an doloris illius? an eam cognoscens non timere? Videtur autem timor omnem dolorem posse superare. Nam dolor est eorum, quæ sunt: timor autem non solùm eorum quæ sunt & esse possunt: sed etiam quæ esse non possunt. Certè timor maximus est omnium affectuum. Nam & labant genua in eo & tremunt & concutiuntur dentes, aliquibus excrementa profluunt, nonnulli etiam repente moriuntur. Ergo timor doloris animi genus est: dolor autem communi nomine dictus, corporeus est affectus. Videtur ergo timor homini magis proprius, dolor autem corpori. Vterque interficit, sed timor certiùs. A maximis enim timoribus vix vlli euadunt, quin pereant: à doloribus non ita. Nam & ex dolore capitis Galenus affirmat neminem vnquam esse mortuum.

Sed ad rem redeo, quæ proposita fuit, scilicet an quis queat obliuisci doloris mortis? Posse sensibus imminutis, & doloris & mortis eadem ratione, certum est, non tamen sensibus integris & morte præsente. Vbi enim recordaris, non timere, hoc arduum est. Sed est-ne præter timorem dolor aliquis alius major? Vt dixi, non maior, sed magnus superest. Quod si dolor non esset nisi in neruis, nec aliud esset genus doloris ab illo communi, paruus esset dolor in morte. At ego in meipso expertus sum, & in aliis prudentibus viris apertè cognoui, nullum esse dolorem adeò magnum, qui dolori cordis comparari possit. Morientibus autem proculdubio cor affligitur, & siue diu siue paulò antequam moriantur, vehementer afficitur. Ipsum enim est, quod propriæ in contrarium mutatur, quoniam solum primò viuit. Valeant ergo Medici cum suis nugis, affirmantes cor esse paruo vel nullo sensu præditum, quod paucis neruorum ramulis irrigetur. Cæterum & illud animaduertendum est, iuxta mortis genera etiam doloris esse varias mensuras. Mortis enim dolor in tribus consistit: in cognitione, in cogitatione, & in affectu ipso. Horum omnium maximum est cogitatio, inde affectus. Opposita ergo minuunt hæc. Sunt autem opposita, non cognoscere, non cogitare, sensum minui. Atque hæc partim à natura, partim ab accidentibus aut animi aut corporis sunt. Ergo natura, qui inter homines belluini sunt, ac feri, mortem contemnunt: sicut econtra, quæ inter belluas maximè valent sensu, vt elephantes, mortem formidant. Vnde referunt Pompeium Magnum, seu potiùs Paruum, edito spectaculo, in quo plures elephantes morti destinati erant, adeò illos mortem expauisse, ac vocibus, gemitu, gestu significasse, vt populus, ad vocem hominum puerorúmque & mulierum ad bestias damnatorum immisericors, ad horum supremas voces moueretur ad commiserationem. Itaque quidam fortes sunt & intrepidi natura, alij consuetudine, quæ altera natura est: alij verò ob iram, quæ, cum exardescit, vtriusque vice fungitur. Naturæ quidem, quatenus cor excalefaciendo & perturbando obliuionem mortis inducit, ac cogitationem omnem aufert: quinetiam dolorem tollit. Nam corpora, ira feruentia, dolorem vulnerum non sentiunt: Quoniam enim sensus in mutatione consistit, impedit illum immodicus calor, mutationem prohibendo. In præliis quoque omnia hæc adsunt, & præterea mors fit cum sanguinis copioso effluxu, qui si liber sit, multum minuit mortis dolorem. Id autem deprehensum est experientia, sub Augusto primum, inde Tiberio & Caligula. Illis enim temporibus homines, præter bonorum amissionem genus mortis acerbum metuentes, ideóque leuissimum quærentes, ad venarum sectionem communi consensu confugerunt, continuato experimento, quod appareret illos è vita migrare. Quamobrem rectè videtur dixisse Virgilius:

Pulchrúmque mori succurrit in armis.

Et rursus.

Pulchrámque petunt per vulnera mortem.

Non solum quod pro Regibus aut Republica suscipiatur, (nam mortem Reguli nemo pulchram esse dixerit, quamquam pro populo Romano susceptam:) sed etiam ea mors quod omnium sit mitissima, nec sentiatur, quæ in tanto animi ardore contingit. Accedit huic mortis generi, quod velociter finiatur: vnde & breuius tormentum & minus est. De breuitate non est, quod indiget declaratione, cum iam supponatur: sed de leuitate ex hoc dignoscitur, quod quæ admodum sensim lentéque aut subitò fiunt mutationes, dolorem non inferant, vt cum crustæ auellun-

auelluntur aut pili: quæ autem mediocri celeritate, magnum soleant inferre dolorem. Interim ergo homo moritur, antequam, dolorem percipiat. Inopinatum ergo & breue moriendi genus C. Iulius Cæsar optauit & consecutus est: non minus hac in re felix, quàm in reliquis omnibus. Maximum ergo præsidium est in ira & pugna ac prælio. Sed hoc est accersere mortem leuem ac præoccupare, non lenire venturam.

Proximus huic modus est, cum ex grauibus sollicitudinibus mortẽ quis oppetit, adeò vt memoria illarum, mortis memoriam aboleat. At istud multo deterius est, quam si mori contingat sine illis. Vtrimque enim dolore cingeris & doloris finem dolor alius excipit. Atque hi peiore sunt conditione, quàm is, cui Epigrammaticus ait,

Dic rogo, quis furor est, ne moriare, mori?

Deinde stulti esset aduocare hanc tam sæuam occasionem, quæ ipsa morte grauior sit. Absque eo autem, quod eam aduoces, non facilè occurret. Itaque hoc genere auxilij, imò potiùs panis lapidosi aut ficulnei Capræ Scyriæ relicto, ne incendium oleo restinguamus, ad tertium deuenire licet. Tentanda enim plura sunt, vbi pauca non sufficere apertum est, nec spes de his omnibus posse satisfacere.

Igitur cum multa præterea sint, quæ ab authoribus classicis, Cicerone in primis ac Seneca adducuntur, ad quatuor capita redigi posse omnia videntur. Primum, vt ostendamus, non esse in morte malum. Secundum, vt meditatione assuescant homines illam veniẽtem minori cum dolore excipere. Tertium, vt omnino illius memoriam ex animo explodant. Quartum, vt quandoquidem sit ineuitabilis, rationibus certent, æquo animo esse exspectandam & ferendam. Itaque qui obliuisci illius cupiunt, quamuis per noctem & in otio reminisci cogantur, hoc tamen temporis lucrifaciunt, in quo nihil de ea cogitant. Hinc prudentissimi quique viri olim, vt obliuiscerentur eius, aut negociationi incumbebant, aut Reip. tractandæ, quemadmodum Cato maior fecit. Quibus præterea id etiam commodi accedit, quod fortes atque prudentes existimentur, cum non sint, atque amicis reique familiari augendæ ad extremam vsque diem rectè consulant. Verum interim non viuunt, imò & quod est vitæ reliquum, vigiliis laboribúsque ac curis decurtant. Hoc autem duplex incommodum adeò magnum est, vt nolim, si fieri possit, illam sollicitudinem tanti facere. Aliud enim est, temperatè operam dare filiis, amicis, reipublicæ & rei familiari: aliud est, ita operam consultò dare, vt respirare non possis, neque mortis etiam meminisse: Additur & tertium, quod id, quod cupis, ne sic quidem, vt dixi, assequeris. Nolis enim velisue dum ægrotas, dum dormis, dum aliquantisper quiescis, hæc cura te maximè si senex fueris, discruciat. Quamobrem vidi quosdam senes, qui cum hæc omnia & cumulatè agerent, nihilominus inter loquendum dicebant, omnia nihili facio, nisi quod septuagesimum annum excessi: hinc enim nullus reditus est, & quotidie fio senior, iam tremit caput, dentes laborem perferre nequeunt. Paucissimis verò contingit, vt à septuagesimo anno omnia integra illis relinquantur. Eos, vbi morbus lethalis accessit, viderunt plerique ex amicis palam flentes, & mortem miserabiliter deplorantes. Quid ergo ex tam assiduo labore commodi sint adepti, non video. Quinimo cum essent ditissimi, optare se iuuenes esse & sine vllis opibus, stulto planè, non solùm irrito conatu dicebant, quod vix pauperiorem quis dicere debuisset, nec vnquam etiam dixisset. Constabat ergo, & genus hoc vitæ & consilium istud profuisse omnino nihil Philippus Vicecomes Mediolanensis Regulus olim, vt à patre meo, qui & ipse ab aliis audiuerat, intellexi, totas noctes solus deambulando consumebat, quod die negotiis impensa & sine molestia præterita, noctem metu, terroribus, cogitationibus tristem ex horresceret. Erat enim breuis modicíque somni, & tenebræ illum curæque discruciabant. Quæ quales essent, & de quibus, etsi incertum erat, verisimile tamen fuit, cum regnum occupasset, mortis potius, & quæ cum ea coniuguntur, quam aduersæ fortunæ metu hanc vespertilionis vitam duxisse. Et quamuis ista mala per se sufficiant ad improbandam hanc consuetudinem, non tamen negligere debeo, hac opinione vsque præscindi spem vitæ futuræ, fieríque homines hoc ipso deteriores. Quod si id contingat, vita hæc nostra nihilo melior fuerit aut felicior, imò potius miserior belluarum vita. Etenim illæ maiorem vitæ partem in otio consumunt neque laborant nisi pro necessitate, neque curis aliis, quod ignorent se morituras, anguntur aut discruciantur.

Proxima fuit opinio illorum, qui quàm beatè atque luxuriosè viuendo non Catonem, vt dixi, illum in Republica versantem, reíque familiari & honoribus atque magistratuum administrationibus studentem, sed Epicurum potius atque Aristippum, imò verius Sardanapalum æmulati satagunt, vt mortis molestiam, id est, memoriæ illius discutiant. Quos ego vt laudare non possum, prioribus tamen his duobus anteposuerim, tum quod vitam suam laboribus haud minuant, nec tristem reddant, tum quod meliores euadant, pietatémque ac ius magis colant. Narratur fabula seu historia; Thrasylum Axonensem, Pythodori filium, hoc insaniæ genere fuisse correptum, vi existimaret naues omnes quæ in Pireum appellerent, suas esse. Idcirco aduenientes summa cum voluptate excipiebat, discedentes comitabatur lætus; si qua periisset, non contristabatur: atque ita felix hac opinione viuebat. Cum verò, adueniente è Sicilia Critone fratre & Medicorum opera sanatus interrogaretur, quantum gratiæ deberet, quod seruatus esset;

Pol me occidistis amici,
Non seruastis, ait, cui sic extorta voluptas,
Et demptus per vim mentis grauissimus error.

Si ergo voluptas hæc ementita beare hominem potest, quanto magis vera? Vt cum Horatio rursus dicas,

In rebus iucundis viue beatus. Et rursus:
Si, Mimnermus vti censet, sine amore iocoq;
Nil est iucundum: viuas in amore iocisque
Viue, vale.

Iterúmque

Iterúmque melius adhuc, (nam hoc ex instituto eius erat:)

Tu quamcumque Deus tibi fortunauerit horam,
Grata sume manu, nec dulcia differ in annum:
Vt quocumque loco fueris, vixisse libenter
Te dicas.

Quod etiam acer ille virtutis exactor, lib. 1. Ethic. ad Eudemum fermè fassus est, dicens: Plurimi enim felicitatem idem quòd secundam fortunam esse arbitrantur. Et nonnulli etiam voluptatem virtuti atque prudentiæ anteponunt, Sardanapalus ille, cum sibi felicissimè vixisse videretur, semetipsum cum coniugibus & concubinis ac deliciis omnibus concremauit. Itaque, cum & magna voluptate & dolore & furore obliuiscamur supremæ diei, videtur voluptas quidem horum trium esse præstantissima. Non enim hic agitur de optimo vitæ genere, quòd certè cum honestate coniunctum esse debet: sed de eo, quo tristis memoria mortis depellatur. Id autem voluptate constare dicimus quum non solùm mortis obliuiscimur, sed quodcumque viuimus tempus, iucundum facimus. Itaque in hoc vno acquiescerem, nisi aliud se melius offerret. Quale verò illud esse existimem, dicam non solum nunc, sed etiam posteà. Nobis enim hæc meditantibus occasio quædam honestior affulsit, inueniendarum nempe artium ac conscribendorum librorum: in qua omnia, quæ ad institutum faciebant, continebãtur: scilicet voluptas, honestas, & mortis obliuio. Ista, ob ipsam rem, quàm omnes homines natura desiderant, & propter spem gloriæ atque laudis consequẽdæ. Illa, ob virtutem & sapientiæ studium & beneficium generis humani. Denique hæc ob studij intentionem. Verum rursus obiicies, non omnibus concessum est nouas artes inuenire nõ omnibus occasio & facultas conscribendi libros. Sed hoc necessariũ non est, cum aliud per se sufficiat, quòd omnibus certè concessum est. Quisnã tu es, aut omnis expers artis, aut tã expers vt eã addiscere vel in senio nequeas, cum Cato octuagenarius Græcas literas didicerit? At ego diues sum, molliter enutritus, non potui discere, nec decebat. Non? quot Principes picturam, sculpturam, fingendi tornandique artem calluere? Deinde Philosophia non solùm principes decet, illisque vtilis est sed etiam quàm maximè necessaria. Geometria autem, Arithmetica, Musica, Astrologia, naturalis Magia, seu Mechanica experimenta, Optica, quemcumque præclarum virum, quamcumque ætatem decent. In his quia noua semper inuenire licet, nulla studia honesta & cùm voluptate atque vtilitate coniuncta, deesse possunt. Vt iam suspicari non debeas, more terrestrium ranarum terram sibi defuturam timentium, in tam infinita rerum, qualis se offert congerie defuturum tibi in tua hac fugitiua vita, quòd quæras & inuenias: inprimis cum tot seculis nihil adhuc dum alicui defuerit. Sed iam aliò transeamus & tentemus, an rationibus conuincere possimus. Mortem malam non esse, neque hominibus illius memoriam formidabilem.

Id verò prius ostendere decet, quibusnam ex causis (quamquam & id ex parte supra attigimus,) mors grauis atque molesta sit. Videntur autem autem in ea esse hæc tria maxima: dolor moriendi, amissio omnium bonorum & iucundæ consuetudinis, & desperatio absoluta redeundi. Propter quæ omnia mortis memoria adeò terribilis est, vt sapientissimus mortalium eam esse vltimum terribilium pronunciauerit. Durissimum est animæ, corpus relinquere, cum quo tam longa consuetudine, tam arcto vinculo coniuncta fuit. Durissimum, nunquam reuerti, neque quidquam ex his amplius posse adspicere, non affines aut sanguine coniunctos, non amicos aut filios, non ipsam mundi machinam, cœlum, elementa, & tot præclara in eis contenta. Et tamen cum ita sit, non solùm Philosophi & Oratores, sed etiam Poëtæ consolari nos audient iis rationbus, quæ iam in omnium ore sunt, quod ineuitabilis sit mors, quòd naturalis. Ecce enim Ausonius quid dicat:

Mortem optare malum, timere peius:
Faxis vt libeat quòd est necesse,

Martialis etiam:

Mortis, Paule, timor tibi vitæ gaudia tollit:
Nam moriens viues dum metuendo peris.
Inter naturæ si ponas munera mortem,
Te de morte metus sollicitare nequit.

Hæc certè quis inania esse non videt? Hoc solùm docere nos possunt, non esse fugiendã mortem ob flagitium & dedecus, verum homini potius mori præstare quàm subire turpitudinis aut sceleris notam, quandoquidem omnino paulopost fit moriturus. Nihilo secius tamen hoc non elevat mortis acerbitatem vel teruncio. Quid enim facit hoc, quod sit naturalis & inevitabilis? Horum enim altero nihil proficitur, altero etiam conditio mortis grauior redditur: cum ob hoc ipsum præcipuè grauis sit, quod ineuitabilis. Grauia autem, antequam superueniant, terribilia sunt. Si duo in carcere homines detineantur, quorum alter sit jam ad mortem damnatus, de alterius exitu non constet, judicibus inter se diffidentibus, quem horum miseriorem esse dicis? Haud dubiè eum, qui jam damnatus est. Spes enim mala minuere, timor bona solet. Quid ergo adfers ex hac ratione consolationis? Solum illud mones, non proferendam tristitiam, nihil tentandum, ferendum, æquo animo, quod, etiamsi nolis, nihil juvet, sed potius tibi tuisque deducus addat. Ad rem verò ipsam nihil hæc afferunt vtilitatis, neque dolorem vel tantillum minuunt, quin potiùs augent. Alij volunt ad consolationẽ hoc ipsũ pertinere, quòd dolendo metuendoque nihil omnino proficias. O pulchrum consolandi inuentum! Quoniam malum hoc immedicabile est, quoniam conqueri ac dolore nihil affert auxilij, ob id dolorem leuius perferes? imò minus, quoniam spes, omnis mortalium, vades & lenimentum periit. Simile est illud Senecæ: mors omnibus est, Regibus, potentibus, pauperibúsque, ob id ferenda æquo animo. Hoc enim solùm adimit iniuriam, ne nos soli moriamur. Affert interim hoc, vt inuidi non simus, aliquam medelam timori aut dolori de morte concepto, quòd omnes moriemur. Sed quid me iuuat hoc, quòd omnes mecum morien

rientur? illud forsan aliquid facit ad rem, quòd ab initio vitæ incipimus obuiam morti ire. Illa quippe inde ab ortu semper nos dormientes vigilantes, ludentes, plorantes, euntes, stantes comitatur & crescit nobiscum, vt arbitrari non debeas aliquid noui venturum, cum venerit. Verumtamen, vt dixi, hoc tristitiam augere potius quàm minuere potest cogitantibus nobis, quàm acerba conditione nati simus. Refert idem Seneca, Pacuuium quemdam, qui Syriæ imperitauit, virum nefarium, solitum fuisse quotidie sumere cœnam funebrem, audiréque à cœna pueros næniam occinentes dicentésque, hodie viximus, tanquam vt memor esset mortis. Sed quorsum hæc, scelerati viri factum referre, & stulti ac imperiti consilium vanum probare? Mortis enim memoriam nemo est qui vtilem esse dicat aut non damnet, nisi quantum ad benè sanctéque viuendum conducit. Quare hanc consuetudinem, non nisi atri humoris & cuiusdam amentis, si non occultioris doli, argumuntum fuisse crediderim. Est & illa, cuius nos meminimus, consolationis ratio, quòd per mortem ab multis incommodis soleant homines liberari, videlicet ipsa moriendi molestia, tædiisque multis, & metu mortis, atque aliis innumerabilibus. Quæ quidem si conferri possent, cum bonis quæ amittimus aut omnino, iam, dum cogitamus, peracta esset res, forsan nos conuinceret. Verùm tam pauca aqua tanto incendio, aut tam vmbratile lenimen &, vt solet dici, fumi vmbra tanto dolori quem ex memoria amissionis tot bonorum concepimus, leniendo, satisfacere non possunt. Itaque non videntur hæc argumenta, quæ doloris magnitudinem fatentur, quidquam proficere ad ostendendum, mortem non esse terribilem.

Videamus ergo si qua sunt, quæ nobis persuadere possunt, non esse in morte vehementem dolorem, nec horrendam esse ob id, quòd nunquam simus nostros reuisuri, neque, amplius redituri. Id verò cum nulla ratione ostendere possimus, exemplis demonstremus. Et primum illud nobis apud Senecam egregium exemplum occurrit Tullij Marcelli, qui cum iuuenis esset & ægrotaret morbo difficili, quamvis non insanabili, amicos consuluit de consciscenda sibi morte. Omnibus dissuadentibus, Stoicus quidam hominem iam propensū ad id persuasit, imò potiùs confirmauit in sentētia. Vnde diuisis pecuniis non multis inter seruos, tribus diebus, iuxta Stoici consilium, à cibo perpetuo abstinuit, quarta die in cubiculo vase collocato, iussit sibi aquam calidam superfundi: atque ita dissolutis, non sine quadam (vt æger referebat,) voluptate, viribus, leni morte absumptus est. Similiter, vt Censorinus refert, Dionysius Heracleotes & Diogenes, cum ad annum octuagesimum primum peruenissent, ambo sibi mortem sponte consciuerunt, vitæ, vt videtur, tædio. Et Dionysius quidem inedia. Diogenes cruditate extinctus est. Atticus etiam ille Ciceronis amicus, seipsum cibi abstinentia occidit. Horum igitur iudicio, quādoquidem tales essent, quibus nihil deerat præter iuuentutem aut sanitatem, rectè censueris neque mori malum esse, neque mortem ipsam. Omitto, quot milites se sponte in funere Ottonis Imperatoris occiderint, solo illius amore ad hoc incitati: quot ob amorem, aut iram, aut carceres, aut seruitutem vel amissam pecuniam, seipsos interemerint. Non ergo existimandum est, mortem esse rem difficilem. Nec verisimile est in re tam communi ac necessaria, magnum malum naturam collocasse. Et, quod diximus aliàs, Aristoteles censet, senum mortem sine dolore aduenire. Erat præterea sententia Bassi Aufidij senis apud Senecam, mortem senum facilem esse, quod spiritus his sit in labiis, & ignis, cui modica & leuis materia subsit, leuiter extinguatur. Omnium etiam mortem aut exiguo cum dolore esse: aut si magno, cum breui. Vidimus nos sanè pueros & mulieres tam æquo animo & expectasse & tulisse mortem, vt appareret neque dolorem, qui ante illam contingit, neque in ipsam magnum esse. Dicebat Cato apud Ciceronem, Gaudere se quòd moriendi causam nactus esset: quandoquidem dominans in nobis Deus vetet nos iniussu suo hinc discedere. Hæc an verè dicta, an iactationis causa, non satis ausim affirmare. Quocirca neque illa magnifaciam: Nihil iuuant voluptates, nisi securus & absque mortis metu vixeris. Neque illa: si quis vitam contempserit suam, alienæ dominus erit: atque multa huiusmodi, de quibus alibi. Nunc de hominum potentiorum ac sapientum consensu agendum est.

Ad quid verò referunt, quòd Conon se spontè occidendum pro Atheniensibus obtulerit, cum esset Rex? Socrates cum posset è carcere aufugere, noluerit? Curtius in hiatum se præcipitauerit? Duo Bruti pater & filius se deuouerint inferis? Cato lacerauerit vincula? An vt ostendant, mortem non esse timendam? At hæc ostendunt, non esse fugiendam illam, cui paulò post certò, &c, si fugias, cum dedecore forsan & crudeliori sis occursurus. Non enim quo fugiendam non esse docent, etiam timendam non esse demonstrant. Imò & ego, quantumvis timidus, honesti causa mortem non vitarem, ideóque minus adhuc quia iam senex sum. Nihilo secius tamen id magno cum metu facturus essem, vt vt sciam omnino nec multo post moriendum esse. Quòd si vitam in perpetuum aliqua via producendi spes esset, forsan non inuenirentur tot Socrates, Bruti, atque Catones: quos existimo eodem metu, aut paulò minore è vita excessisse. Vnde pulchrè Lucianus, versutus ille homo, Socratem trepidantem ad inferos descendisse fingit, quòd & existimo contigisse, quanquam & vsu & conatu quodam, vim sibi tum ipse, tum cæteri inferendo, constantiam & fortitudinem prætulerint. Quo autem consilio dixerit illa apud Ciceronem Cato Maior, nunc docebo: si modò tales nugas vnquam agrestis ille vir meditatus est, neque eas, vt multa talia rhetorum more, mentitus sit ad hanc rem Cicero.

Rusticus quidam erat inter suos municipales satis diues &, vt tum videbatur æqui rectique tenax Cato Censorius, qui, nescio qua causa, certè fauentibus astris, Romam vocatus sæculo illo meliore & nondum Annibalis minis è memoria obliteratis, non solùm cum Scipione illo Africano maiore Senator meruit

uit appellari, sed, proh fortuna! Romanorum quoque Censor creatus est. Hic rusticus de salute non solùm prouinciarum, sed & capitum Romanorum decernebat, & Carthaginem scelesto, vafro, denique inutili consilio euertit. Hunc tamen virum optimum fuisse memorant. Quales igitur fuerint improbi, & quibus moribus præditi, non possum assequi. Præsertim cum constet ea illum fuisse auaritia atque immanitate, vt seruos vetulos, debiles, ægros, atque agriculturæ laboribus incommodísque attritos publicè in corona venderet: quod vix ciues nostri de equis facere sustinerent. Non illum merita laborum, non misericordia ætatis aut valetudinis, non paupertatis respectus, non vlla humanitatis recordatio monebant. At dices, optimum virum ob id censebant, quòd muneribus non corrũperetur. Vidimus improbitatis argumenta manifesta: quid dubitamus etiam hanc innocentiam non à probitate, sed à vafricie originem duxisse. Sciebat hominem rusticum, alienigenam, non admodum diuitem, nullis fultum affinitatibus, nullis præclaris gestis, nulla eruditione, etsi pessimam illam fallendi rhetoricam artem pro temporum conditione immodicè ostentare doctum, non posse aliis artibus insinuari populo & tot præclaris viris anteponi, quàm sanctitatis opinione: qua ad summos honores euectus, & magistratus adeptus, diuitias sibi magnas comparauit. Quòd si, quod pauci tum vix faciebant, corrumpi muneribus se passus esset, quis rogo hominem inquilinum, ignotum, ignobilem, aut saltem senatorio ordini imparem, ciuium res diripientem, & venale ius habentem tulisset? aut accusatum defendisset? quandoquidem etiam sic, vt Plinius testis est, quadragies quater pro se causam dixerit. Nec credendum est, fuisse iniustè semper accusatum, atque in factionis patritiorum fauorem, quòd inter plebejos numeraretur, intérque eos qui tenui erant censu, ideóque à iudicibus absolutum, sed exsuperante potius, vt dixi, eloquentia iudices elusisse atque sic damnationem euitasse. Ergo is homo nonagenario iam propior post contractam cum patritiis primariis per filios duos affinitatem, post summos magistratus atque honores functos, post rem familiarem locupletatam, quomodo potuit quid aliud cogitare quàm præsentem fortunam, eaque pristina comparata non eò animo è vita excedere tanquam semetipsum per filios superstites in perpetuum collocasset in vrbe mundi domina? Verumenimverò deceptus est vir Philosophiæ expers in opinione sua: idque in tribus. Nempè quòd crediderit primum Romam perpetuò futuram mundi dominam, cum nec mansura esset vrbs, aut mœnia, nec diu etiam, si tempus illud, quo superfuit, perpetuitati comparetur: deinde stirpem suam semper victuram, quæ duo iam euentus declarauit: denique, stirpis spem, vt dixi, mortis atrocitatem obtundere posse aut certè lenire. Sed, vt dixi, viro imperito, rustico, pauperi, inani gloria inflato, nihil non potest persuaderi. Quia tamen Cicero, vt erat eloquentissimus, ita adornauit, vt fermè ipsum me, nisi admodum vigilantibus hæc sensibus tractarem, fallere possent.

Simili ratione Senecam damnabimus, qui nos vult perpetuò de morte cogitare, vt quantulumcumque vitæ est amittamus. Nec affert etiam in hac cogitatione solatium vllum, nisi quod animaduertens suas esse meras nugas & rei veritate coactus fateatur nostras animas non interire, sed diu obdormiscere, deinde in corpora noua reuerti: iuxta Virgilij illud,

Rursus & incipiant in corpora velle reuerti.

Vt loco elysiorum illorum locorum atque pœnarum infernarum, vnus sit omnibus ex æquo somnus diuturnus: quamquam hoc videatur iustitiæ diuinæ non respondere. Ergo insanientem hunc hominem & inani solùm gloria cum Catone Censorio tumentem relinquamus, vt omnis mali exempli atque præcepti authorem. Quando enim suadet nobis perpetuò de morte cogitare, non vt boni simus, (hoc enim etsi laude dignum non esset, esset forsan ferendum:) sed vt superuenientem mortem fortiter sustineamus, gloriosèque obeamus: non tantum in altero quidem horum decipitur, in reliquo nullam prorsus vtilitatem ostendit, sed & à sapientia nos & studiis bonarum literarum, quin etiam ab omni humanitatis cura ac pietatis auertit. Conscripsit verò stultas has & plenas atræ bilis epistolas homo auarissimus & rapax inuidúsque, si quis mortalium, cum iam meritam sibi à Nerone mortem imminere cerneret. Hinc enim factum, vt adeò oscitanter illa, de quibus ibi disputat, tractauerit, vt nec animaduerterit à se toties explosa ab Aristotele atque Cicerone, tanquam verissima & ab omnibus per se concessa assumi. Quemadmodum illud: si in morte dolor diuturnus, non magnus; si magnus, non diuturnus. Quod merito à Cicerone irridetur: cum ipsa experientia quotidie nos doceat multos esse dolores acerbissimos ac diuturnos. Ergo, Quid tibi ô Seneca, respondebimus? De morte nos cogitare non volumus: non enim imminet truculentus Nero, sed mitissimi Reges nobis dominantur. Non nos Italiam fœnore exhausimus: sed libera nobis est atque innoxia paupertas. Non nos Suillium senatorem teipso meliorem, in gratia & sæuitia Neronis confisi, accusantes ad mortem compulimus: sed innocentes viximus, & osores tantum sceleratorum vitiorúmque, cæterum accusationes & damnationes delatoribus ac magistratibus reliquimus. Non nos tot flagitiorum, quæ Nero te vel suadente vel laudante vel saltem ob gratiam & ambitionem conniuente admisit, authores aut participes sumus, neque omnino rei: sed vitam nostram in priuata conditione humilem & pauperem turbulentæ & periculosæ aulicæ prætulimus. Non nobis contigit, vt Neronem occidentem matrem tam læto vultu, tot gratulationibus exciperemus, vt omnes fermè existimauerint, non esse te inscio occisam. Non nos prodidimus principem nostræ fidei creditum, atque cum eo totum orbem, ob inanem solùm gloriam & vt ignarus Philosophiæ te triobolarem Philosophum suspiceret, quem constat ex tuis ipsius Epistolis putasse te solùm scire benè moriendi artem, atque in hac, sapientiam totam, spretis cum tuo Epicuro omnibus

disciplinis

disciplinis tam diuinis quàm humanis, collocasse. Sed neque hoc te scire constat, multóque minus quàm alia, vt paulò pòst ostendemus. Non nos stimulos proditoribus iniecimus ad proprium principem interficiẽdum, cùm vna spe occupandæ etiam tyrannidis. Non nos cum corpore extingui animam arbitramur, vt securi, id est, sine metu diuinæ vltionis mori possimus, etsi multò minus quàm tu flagitiosi. Non nobis beata & iucunda vita ex scientia tot rerum aut beneficio locupleti iuxta nostras vires communicato mortalibus, deest: vt nec, si centum annis viuere contingeret, ipso vltimo anno viuere pigeat, nec defuturæ sint suauissimæ voluptates. At tu, cum & imperitus omnium bonarum artium esses, & tantis flagitiis obnoxius, & metu tyranni, cui meritò eras inuisus, perterritus, nec vllum à morte sperans suppliciũ, sed inani illa cũ Catone Censorio aliisque virtutis ementitæ simulatoribus, gloria turgẽs, iam ætatis incommodis, & pœnitentia tot scelerum anteacta vita admissorum, fœnorum, furtorum, rapinarum, sæuitiæque, per quæ eras tuo illo discipulo non melior, sed occultior tyrannus, & quòd maximum est, adrastia illa vindice tibi ipsi fieres odiosus quid mirum est si summum desperationem coactus nihil nisi mortem cogitaueris: nihil loqui consueris nisi quod ad illam pertineret: atque in ea spem omnem, omne refugium tam flagitiosæ vitæ collocaueris, in qua nullus nisi amens aut improbissimus spem suam reponit? Christus enim & Apostoli, cæterique viri sanctissimi mortẽ, quoad licuit, refugierũt nec subeundam nisi ob honestatem prædicarunt. Non quia illa bona sit, sed quia turpia & flagitiosa committere deterius certè sit, quàm paulò antequàm naturæ lege decretum est, mori. Sic Socrates, sic alij fortes viri mortem non recusarunt. Ea mente omnes sapientes atque Philosophi & vitauerunt mortem & rem omnibus meritò inuisam esse dixerunt.

Sed hæc omittamus, & tria illa, quæ ad propositum nostrum conducunt, aggrediamur & inquiramus, num Stoicus hic noster, Epicurus & omnino Diagorista atque Theodorista optimus, in arte hac benè moriendi, quam solum se nouisse opinatur, præstet quæ pollicetur. Et primùm quidem, an satisfaciat his, de quibus homines conqueruntur, scilicet an doceat mortem non esse atrocem? Deinde, etsi id rectè efficiat, an vtile sit aut homini ob id totum se dedere huic de morte contemplationi, omnibus aliis neglectis? aut etiam Reipublicæ, atque ad bonos mores idem pertineat? Demùm, an in vitæ hoc glorioso & forti & sapienti exitu tanta felicitas sit collocanda, adeóque res sit laude tam eximia digna?

Equidem quod ad primum attinet, nihil minus efficit, quàm vt doceat non esse metuendam mortem, sed solùm non esse fugiendam. Hoc minimum est negotium, cum persæpè vitari nequeat, &, si queat, hoc solùm argumentum sufficit, vt eam non fugiamus, quòd diu effugere non liceat. At id, in quo cõsistit vita beata, scilicet carere metu mortis, non docet. Vt enim mortem non esse metuendam doceamus, tria ostendere oportet. Primũ, quomodo obliteranda sit illius memoria: tum, quòd in moriendo dolor non sit: denique, quòd carere tot bonis malum non sit. At primum adeò bellè interuertit, vt semper nos, vt dixi, cogitare de ea stulto suo exemplo atque consilio velit, vitamque nobis acerbissimam efficiat, & nos stultos planè. Secundum forsan exemplo illius sui Marcelli obtinuisset, nisi ex Aufidij Bassi verbis, haut amplius in sententia more suo constans, fateretur, mortem afferre maximam perturbationem. Si enim ita est, quemadmodum adeò lenis esse potest? Sed & in tertio deterius se gerit quouis alio Philosopho præter Epicurum, quando nempè spem omnem secundæ vitæ, omne solatium immortalitatis animæ adimit. Sed etsi mors res esset non solum lenissima, verùm etiã iucunda & vtilissima, non deceret tamen homines de ea semper cogitare. Dicebat enim sapientissimus mortalium, omnis excessus, etiam ad virtutem, signum est dementiæ. Atque id est, ac si quempiam de conuiuiis, parasitorum more, perpetuò differentem vituperaremus, & postmodum æquis auribus pateremur alium quempiam perpetuò loquentem de exoneranda aluo. Sit mors iucunda, vtilis, necessaria, naturalis: finis tamen est. Cur ergo de hoc vltimo exitu tantum cogitare decet, & sermones nostros omnes in illius laudibus consumere? Nonne finis eius, cuius est finis, minima pars est, vt limes agri, punctum lineæ, crepusculum diei? Quis verò adeò insaniat, vt de agri limine solùm verba faciat, nec agri ipsius vnquam meminerit? Est & id maximè admiratione dignum, etiam anteà à me propositum, quòd cum sit vnum aliquod in hac meditatione bonum, vt inferius docebimus, de illo tamen ne verbum quidem fecerit.

Secundò hanc cogitationem vtilem esse hominibus aut reipublicæ, mortémque contemnere præclarum esse & ad bonos mores spectare, non facilè admiserim. Videtur enim mors nec optanda vlli, nec æquo sanè animo ferenda, nisi his, qui à morte aliquid melius sibi futurum certò sperant, vel odio vitam habent suam. At qui certò sperare possint, me meliora vix queas inuenire, ob multa difficillima, quæ spem istam abrumpunt. Necesse est enim, vt scias primum, superfuturum te: tum, vt talis superfis, vt boni particeps esse possis atque intelligentia frui: denique, vt talis sis, vt te bona hæc promereri posse speres. At quomodò tot & tanta tibi euentura sint, & qua via, non satis intelligo. Leges enim multa habent intermixta, quæ vt supra naturam sunt, ita & creditu difficiliora: nec vlla est lex, quæ vsum talium bonorum certò polliceatur. Philosophorum sententiæ discordes sunt & ancipites, præterquam quod omnes fermè, Academicis exceptis, in hoc conueniant, non esse exspectanda præmia à morte. Qui verò ob aliam quàm hanc exspectationem, mortem oderunt, omnes egregiè prauos fuisse, & ratio suadet, & experimentum docuit. Brutum enim & Cassium & Otthonem & reliquam omnem eorum Romanorum turbam, qui sibi manus intulerunt, sceleratissimos homines fuisse cõstat. Sed & ratio id declarat. Cum enim, vt dixi, mortem non formident quod vitam oderint, odisse vitam illos necessarium fuit. At nemo per se odisse vitam potest. Ex naturæ enim lege

lege omnia appetunt eſſe: vti etiam in viliſſimis atque infeliciſſimis animalibus ſpectamus. Odere ergo, quoniam aliquid eſt, quòd vſque eò oderint, vt etiam vita faſtidio fuerit. Id quòd etiam videmus in magnis cruciatibus, mœroribus, infortuniis atque timoribus. Si quis ergo citra hæc & quidem maxima, aliud adeò odiſſe poteſt, vt ſibi diſpliceat, ſcelus eſſe neceſſe eſt. Quinimò nec propter timorem aut cruciatum, aliudve infortunium meritò quiſquam aut ſapienter vitam odiſſe poteſt, niſi talia ſint, vt ea omnino etiã & neceſſariò mors ſubſecutura ſit. Nemo ergo ob luctum, carcerem, morbos, tormenta, ſeruitutem, iniuriam, mendicitatem, iuſtè poterit odiſſe vitam: quandoquidem maximum malum, quòd ex hoc conſequi poteſt, ſit ipſa mors. Multo autẽ minus propter exilium aut leuiora mala. At propter flagitium odiſſe vitam, & rationi conſentaneum eſt, & experimentum ita fieri docuit. Sic plures morti ſe ſponte ob ſcelera dederunt, velut Iudas Chriſto prodito atque venumdato. Ita & multi ex Romanis iudicio damnati, cum nemine prohibente in exilium abire tutò poſſent, ſemetipſos interemerunt. Sic manus ſibi intulere Antonius deſperatione poſt tot nefandas cædes ac ſcelera ſeditionéſque impulſus: Cleopatra, re infanda in illa Ptolomæorum ſtirpe, pòſt inexhauſtam luxuriam & inaudita crimina. Appius quoque Claudius decemvir, quo nemo fuit flagitioſior aut iniuſtior: Carbo ſceleſtiſſimus: Craſſus auariſſimus, qui miſerorum ciuium rudera emebat: Dolabella Timbriaque nequiſſimi & ſeditioſiſſimi ciues: C. Marius iunior, qui magnam partem Romanæ nobilitatis occiderat, vt bonis eos ſpoliaret: Gn. Norbanus, qui contra ius gentium Syllæ legatos violauerat: Fannius Cipio, qui Auguſtum nulla cauſa occidere tentauit: Licinius Macer & Silanus, T. Manlij filius à patre damnatus, repetundarum rei ambo: Nero, quo nemo flagitioſior inter mortales: Sæuus Petreius Pompeianus dux & Iuba Rex Numidarum: Cornelius Gallus, qui cum ſua poëſi Thebas ſpoliauit: Papyrius, qui ſororem violauerat: M. Colius iam infamis muneribus regum Orientis, ſed is veneno ſe peremit: L. Iubulus ſacrilegus ab exilio reuocatus, cum eſſet omnis flagitij nocens, qui & ipſe ſic perire maluit, ne carceri includeretur: Diocletianus, qui tot inſontes Chriſtianos occiderat: Magnentius & Decentius tyranni à Conſtãtino ſuperati: Oppia Veſtalis ob inceſtum: Taurea Iubellius Capuanus, vir ſeditioſus, occiſa vxore priùs ac filiis: Amyntas, cum fruſtra tentaſſet Alexandrum cauſa turpi occidere: Herodes, Antipatri filiorum & infantium carnifex: Arbogaſtes, qui iuniorem Valentinianum ſtrangulauerat parricidio inſigni: Annibal, perfidiæ exemplar & ſæuiſſimus: Aſdrubal, prius enectis filiis & vxore: Mithridates, quo nemo truculentior, filiis, vxoribus, amicis, inimicíſque ſine diſcrimine crudeliter occiſis: Nicias, Athenienſium auariſſimus: Ecelinus tyrannus, quo nemo immanior. Sed & Menippus Phœnix, cum Cynicam ſectam profiteretur, amiſſa pecunia, laqueo ſe ſuſpendit. Quemadmodum & Sardanapalus, Regum dedecus, cum turpiſſimè vixiſſet, regno ſpoliatur. Hos omnes peſſimos viros ſumma conſtat mortem ſibi conſciuiſſe, non fortitudine. Quorſum igitur exempla peſſimorum hominum ſequi, vt optimi habeamur?

Verum obiicies, forſan aliquos fuiſſe viros non improbos, qui tamen ſeipſos occiderint, velut Empedoclem, Themiſtoclem, Demoſthenem; vt & Adrianum Cæſarem, quem conſtat minimè malum fuiſſe, ſi recta facta cum libertate, & ipſe cum ſuperioribus ac ſequentibus Cæſaribus conferatur. Dicam de Empedole primum cum Horatio,

Siculique Poëtæ
Narrabo interitum. Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus
Ætnam
Inſiluit.

Quid iugulem mortuos? In quo melior haberi debet inſanus improbo? At improbus hic annon hominum totum genus ficta diuinitate decipere voluit? Verum fac, non fuerit malus: quid in illo probas? ſtultorúmne facta ſunt imitanda? Succedit Themiſtocles; Hunc nolim vituperare etiamſi poſſim: nam iure ſe interfecit, ne aut impius eſſet, aut ſimul periurus & ingratus: at hoc eſt neceſſitatis, non conſilij. Porrò anteà teſtati ſumus, poſtquàm diu nemini ſuperuiuere licet, præſtare homini mori, quàm vitam pro ſupplicio retinere. Hoc vnum enim eſt, quòd excepimus. Demoſthenem haud tuebor, lingua loquacem, pede fugacem, conſilio doloſum, manibus rapacem, tam Athenis inutilem, quàm fuit Romæ Cicero. Adrianum non defendam, quòd voluerit, non potuerit. Nam id fuit pietatis ac ſummæ diligentiæ Antonini, adoptiui filij atque optimi viri. Sed nec Medicum illum accuſabimus, qui inter vtrumque metum poſitus, ne daret venenum petenti Adriano aut non pareret, ſemetipſum interfecit. Quin enim hic laude dignus non fuerit, nemo dubitare debet. Sed nec Adrianum, vt cauſæ faueamus, plus iuſto accuſabimus, quod Antinoum & Seruianum nonagenarium ſenem & Architectum occiderit. De primo enim incertum eſt. De ſecundo feciſſe, vt ſucceſſorem optimum ab inſidiis & riuali liberaret: vt & tertio iratum ob contumaciam. Adeò vt hæ cædes vel ſine crimine, vel cum exiguo peractæ ſint. Quòd ſi benefacta illius reſpicimus, ſi diſciplinam militarem, ſi præſtantiam animi, paucos aut nullos Imperatores ſimiles habuit. Inter reliqua inſignis virtutis exempla eſt, quòd ſexagenario maior, nudo capite per ſoles, imbres, niues & frigora totum peragrauit orbem: vnde etiam illi cauſa mortis fuit. Sæpè loricatus vna die vinginti paſſuum millia peregit: res in priuato milite, nedum orbis domino admirabilis. Quid ergo cauſæ fuit, vt mortem optauerit? Non vitium vllum, ſed certa ſpes immortalitatis animi. Teſtantur id carmina illius, parum licet quorundam iudicio ornata:

Animula, vagula, blandula,
Hoſpes comeſque corporis:
Quæ nunc abibis in loca,
Pallidula, ridigula, nudula:
Nec, vt ſoles, dabis iocos.

Itáque optare mortem & adſciſcere, res infamis

infamis est & sceleratis viris, non probis digna aut consueta. Quamobrem refert Ælius Spartianus Euphratem Philosophum veniam impetrasse ab Adriano, vt liceret sibi seni & morbo graui laboranti cicutam sine infamia bibere.

Postquam ergo contemptus mortis nec bonos efficit, nec probitatis est argumentum, sed improbitatis potius: quærendum est, An forsan vtilis sit, quòd multi credunt, ad Rempubl. Videtur esse, quod ex hoc contemptu viri fortes reddantur, qui in bello eam magis tueantur. Sed ego non illos vtiles esse reipublicæ arbitror, qui mori malint, quàm viuere: sed qui, cum breui necesse sit mori, non formidant ob reipublicæ vtilitatem, nec tamen cupiunt odio vitæ aut mortis desiderio mori. Tales enim sunt, quos verè fortes appellamus, & meritò. Nam qui ob vitæ odium mori cupiunt, omnia negligunt omnibus dominis ac magistratibus formidabiles, stulti ac desperati Rempublicam nec constituunt, nec illius pars sunt, sed singulis momentis euertere apti. Quin etiam amicitia annon maximum est reipublicæ vinculum & auxilium? At quis huiusmodi hominum amicitiam desiderabit, qui seipsos magis oderunt, quàm quis maximum hostem aut inimicum?

At, inquit Seneca noster, qui vitam suam contempserit, alienæ erit dominus. Ideò quid refert quòd tyranno seruias, quem potes, quãdocumq; volueris, occidere? Strenua verba & hoc ipso Philosopho digna: admittantur tamen postquam omnia tyrãnicidio fauent. Sed annon hoc est quod diximus quod quivis illi tyrannus esse potest aut videri? Illo etiam iudice decertare ausim, deterius esse tales habere tyrannos, qui semetipsos oderint, in quibus nullus fidere possit, qui ob odium vitæ sine delectu talia audeant, aut audere possint: quàm homines benignos, gratos, amicis fidos, commoda curantes, qui solùm ob id morti se expositurі sint, quod publicum bonum priuato præponant, & primum diligenter iudicent, an ille tyrannus sit? Et si sit, an morte dignus? Deinde si morte dignus sibi videatur, an è Republ. sit illum occidi? Sepè enim cum tyranni morte Respubl. simul occidit, non exsurgit, vt in cæde C. Cæsaris, & Galeazij Sfortiæ, de quibus satis constat, satius fuisse Reipublicæ, vt superuixissent. Denique, si expedit Reipublicæ occidi tyrannum, an ad ipsũ pertineat occidere? Nugantur enim, qui dicunt pertinere ad omnes, vt eorum auxilio Respublica à tyranno liberetur. Nam neque ad filios, nec fratres, nec vxorem, nec medicum, nec amicum, nec ad eum, qui beneficia accepit, hoc pertinet.

Sed si tantus amor sæuum prostrasse tyrannum:

Renuntia amicitiæ, beneficia prius repende, abdica temet ab illius domo, fac vt non suis beneficiis cædes illi empta fit. Ostende te fortem virum, non ingratum: patriæ amicum, non amici proditorem: vitæ tuæ contemptorem, non alienæ insidiarum. Postquam egregium & supremum facinus editurus es, fac vt omni infamiæ non solùm labe, sed etiam suspitione careat. Nescimus tam esse iustum occidisse tyrannum, quàm scimus iniustum prodidisse amicum aut benefactorem. Si occidere licet eos, qui nobis coniuncti sunt, nunquam deerit causa occidendi. Inquies, tyrannus est, pessimus vir est, deseruit, dolosè nos amabat, iniuriam intulit, iratus, prouocatus feci. At ego iure respondebo, hæc omnia non tam mihi nota sunt, quàm quòd sis perfidus, periurus, & parricida. Ergo hac vnica dempta causa tyrannicidij, quàm vides vt infirma sit, & iustius ac honestius per alios exerceri possit, quid habet sanè hic vitæ contemptor aut vtile aut honestum, aut pro exemplo bono benèque institutæ reipublicæ?

Quamobrem his relictis, ad sermonem iam propositum reuertamur. Is erat, vt doceremus, tum Mortem non esse formidabilem, aut malam: tum quomodo, vt minùs formidabilis & mala sit, efficere possimus. Cum enim sint tantum duo malorum genera, præsens & futurum: futuri, vt aliàs dixi, metus est & formido, præsentis autem dolor. Si quis igitur docere possit in morte malum non esse, aut quomodo effici queat, vt hoc non sit, aut illa non sit formidabilis, is sanè totum negotium absoluerit. Quod si vel hoc vnum docere possit, Mortem, etiam dum adest, non esse malum, à metu futuræ nos haud dubiè liberabit.

Ergone prorsus sufficiet ostendisse, non esse in morte malum? Sufficiet quidem, si hoc efficere liceat: sed si non licet, poterimus tamen cum hoc, quòd mala sit, ostendere, non esse formidabilem antequam eueniat. Nam discere & fatigare mala sunt, non tamen formidanda. Aut ex alia ratione, quemadmodum quòd necessaria sit, aut quod occupemur, aut quod in hoc simus stupidiores. Maximè ergo in hoc elaborandum videtur, vt doceamus, mortem haud malam esse. Id fiet, si docuerimus in ea dolorem aut non esse, aut exiguum: post eam autem nullum incommodum. Forsan verò operæ pretium fuerit id prius docere, cui bono fuerit Naturæ, mortem adeò formidabilem constituere? Nam cum natura cuperet species animalium conseruari non potuit id obtinere, nisi vt manerent, quæ iam essent, aut postquam semper manere non possent, alia propagarentur, quæ in mortuorum locum substituerentur: & hoc quidem generatione factum est. Duobus igitur indiguit ad illarum perpetuitatem: conseruatione præsentium, & futurorum generatione. Singulis autem horum duobus modis prospexit. Nam vt manerent in vita, nec tot laborum pertæsa atque incommodorum, vltrò mortem quærerent, bifariam prouidit: nempè morti præsenti quidem dolorem adiiciendo, futuræ autem naturaliter summam formidinem. Similiter & generationi antè quidem veneris dulcem immodicè stimulum, & à generatione amorem sobolis. Necesse igitur fuit, vt in morte dolor esset non exiguus, & in eius exspectatione formido: vt sic, cum tot incommodis atque ærumnis, etiam inuiti in vita maneremus. Nisi enim ambo hæc essent, quotusquisque ex ex tot millibus hominum in vita manere vellet? Quòd si dolorem præsenti solum morti coniunxisset, metum autem præuium sustulisset, vltrò ad illam homines aut necessitate inducti properarent, postea quam pœnitere

non

non liceret. At si solam formidinem antea iniunxisset, mortem autem dolori non coniunxisset, spreta inani formidine homines sponte se morti offerrent. Indicio est sic esse, quod adhuc cum his ambobus vinculis tam misera est vita humana, tam parua in illa commoda, tam facilè homines cogitationem ab ea auertunt, vt plerique morti nulla ex causa se offerant: innumeri verò vel minimo proposito præmio, vt quotidie cernere licet in istis gregariis peditibus, qui ad militiam proficiscuntur, nec solum ad manifestum mortis periculum eunt, sed ad innumera incommoda, ipsa fermè morte deteriora. Præstat igitur hæc proposita scire ac considerare, vt de reipsa plenius ac maiore cum ratione tractare possimus.

Vt ego ad propositum redeamus, sex mihi ostendere necessarium esse videtur. Primum, Quonam pacto mors ipsa quàm maximè possit retardari? Nam ex hoc triplex nobis commodum eueniet. Primum, vt interim vitæ bonis diutius fruamur. Secundum, vt mortem minus formidemus. Nemo enim negare potest, imminentia formidolosiora esse his, quæ procul absunt. Tertium, vt, vbi relegata fuerit in extremam senectutem, leuior mors sit & quasi optata. Ostendere præterea oportet, nec in morte, nec ante eam, nec post esse ingentem dolorem, sed in mortis causa nonnunquam. Tertiò, Quoniam pacto causam mortis leuem efficere liceat. Quartò, Mortem non esse formidandam, etiamsi mala sit. Quintò, Vitæ incommoda tot & tanta esse, vt iure non solum mortem non debeamus effugere aut timere, sed optare potius. Sextò demum. Quæ à morte sunt expectanda, optabilem efficere posse ac debere mortem. Sed cum hæc tractatio in Theognosto seu Theude, qui & Eremita inscribitur, absoluta sit multis disputationibus, sufficiet hac in parte paucula suo loco subiunxisse.

Quod igitur primum attinet, etsi de proferenda vita quatuor libros conscripserimus, qui de tuenda sanitate inscribuntur, nihilominus vt præsenti instituto satisfaciamus, oportet rem hanc repetere & ad paucissima quædam & facilima redigere. Quod itaque ad vitam attinet, necesse est curam habere horum quinque, scilicet ventriculi, dentium, capitis, vesicæ, ramicum. Vt verò etiam benè viuamus, sensuum omnium, præcipuè visus & auditus. Nam olfactus in homine non admodum est necessarius. Tactus & gustus vix deficiunt quamdiu homo viuit: quamquam viderim Augustum Corbetam fratrem Gualterij illius insignis viri, qui multis iam annis & olfactu & gustu prorsus priuatus viuit. Sed hæc rara, & ad morbos pertinentia. Nos hic quantum proposito satisfacit, solũ tractare decreuimus.

Ventriculi igitur prima cura habenda est, quod illo vitiato & iecur & cor & caput simul ac vesica afficiantur. Hunc verò si diligenter commodéque tractaueris, omnibus ex æquo consules. Curandum est igitur, vt omnes, suos sentiat affectus, nullis discrucietur aut oneretur: non sine fame sumat cibum, non cibi defectu fame torqueatur: non grauetur cibis, non desint cibi quibus satietur: vnus sit cibus illi familiaris & innoxius: semel in die aut bis sumpsisse cibum contentus sit. Vuæ passæ, mel, lac, pineæ, caseus, carnibus & ouis ac piscibus præferantur. Pisces tamen marini lati & squamosi, itémque carnes auium syluestrium laudabiles sunt. Senibus etiam vnicum ouum cum pane prodest, quia euinci potest. Saccharum, quod mellis loco haberi potest, vt & mētha, absinthium, chærefolium, cotonea, piper sanitati conducunt: reliqua omnia medicamenti potius, quàm cibi loco sunt. Aqua potior est vino, vinúmque album rubro, austerum dulci, odoratum inodoro. Somnum exercitatio, exercitationem cibus, cibum potus excipiat. Eadem contraria ratione inita sunt intempestiua. Ideóque, si priora defecerint, à succedentibus abstineto. Pauca assa aut frixa elixis, etiam multis, præferantur. Quidquid edis, mandes diligenter. Ob id enim dentes necessarij sunt. Non numerus cibationis, aut mensura vlla, sed sensus atque vtilitas pro lege sit. Lætus viue, nec exercitatione corporis aut animi odiosa interpellabis animum. Hoc verò, quo tot viri pij, Philosophi, Grammatici, Rhetores, Musici atque Pictores ad extremam senectam peruenere, abstinentia est, continentia est, animíque tranquillitas est. Si quis veneri operam perpetuo non det, nunquam reddetur impotens ad venerem: si quis famem quotidie velit expectare, nunquam opus ventriculi frustra desiderabit. Mortalia seruat motus moderatus: perpetuum immortalia sibi iniunxerunt. Motu trahuntur cibi, coctioni aditus patet, membris agglutinantur, permeant membra, quidquid est inutile excernitur. Qui ante senectam obeunt, omnes adhibita naturæ vita intereunt. Adhibetur vis, externis malis, calore, frigore, mole, ferro, insidiis, internis curis, labore intempestiuo, vigiliis, crapula, inedia superflua, malis cibis, quiete nimia, qua functiones membrorum impediuntur. Est & vis aëris à sideribus contracta, eaque vel vniuersalis vel homini propria. Hæc vt rarissima est, ita frequens est interna: externa non adeo sæpè incidit. Quotusquisque sibi viuit, & non id in vltimis habet, miniméque curat, propter quod cuiusque beneficio omnia agit? Si verò & oleum commendauero intus ac foris, non abs re fiet. Referunt gallorum ventriculos naturæ similitudine multum prodesse: vt & mugilum oua in furno exsiccata. Sed hæc medelæ potius causa sunt, quàm vt diu integrum seruare robur membri possint. Super omnia verò panem triticeum & carnem suillam vel apri commendauero.

Succedit Capitis cura, quod mundum & siccum seruare decet: velut & pedes, quorum calor ventriculo & capiti salutaris est. Ob id etiam abluere quandóque frigida, sed exactè rursus siccare conuenit. Conuenit & exerceri nonnunquam ac liberum aërem experiri, à curis omnino vacare, diu dormire, nares palatúmque purgare, & frigida caput abluere, sed exigua: multa enim nocet. Cauendum quoque ab igne & ictibus. Summum denique præsidium est, vt ne doleas, beneficium alui procurare. Atque hæc oculis etiam & auribus conducunt. Oculis præterea confert lucem magnã, vt solis vel ignis non inspicere, & cauere à fumo. Aquam frigidam non solũ ipsis, sed

ſed & fronti admouere, tutum eſt. Caliginem oculis offundunt cepe & quæ ex huius ſunt generc, itémque lens, lactuca, braſſica: iuuant è contra eoſdem xyloaloe, cardamomum ac feniculum. Auribus conueniunt ſicca & calida, ſi cum goſſypio imponantur: vt & auertere ab immodicis ſonis.

Dentes non ſine capitis cura ſeruabis, ſed nec illa per ſe ſufficit. Quamobrem calidis vt ne vtare, aut dura confringas, gelidumve potum ſumas, diligenter cauere oportet. Peſſimum eſt, ſi à calido cibo frigidiſſimum potum ſumas. Dentibus, capiti, & ſenſibus aër purus ſiccúſque mirum in modum prodeſt, vt & aqua munda. Obſunt autem, quæ his ſunt contraria. Nocent quoque omnibus illis venus immoderata & crapula. Dentibus etiam obſunt lac & palmarum fructus. Idcirco ab eorum vſu colluere os vino decet. Quædam dentibus obſunt, quia illos ſeparant, vt punici mali grana: quædam, quia gingiuas exedunt. Conuenit ergo à prioribus abſtinere, & tenuibus radicum nucúmve ramentis, quod interjacet, educere. Gingiuas & dentes confirmat acetum ſcillinum cum pipere in ore contentum; quod præter id caput etiam purgat à pituita. Rariorem etiam vſum agarici aut ebuli germinum in vere non abhorruerim, aut quando caput aut ventriculus adeò infirma aut aër tam prauus, vt neceſſariò caput cruda pituita repleatur. Oportet autem rariſſimè hoc facere, & exquiſitiſſimè, & à purgatione exiguo, denſo & optimo alimento vti. Quod ſi leuioribus per interualla ventriculum & caput purgare libeat, lacryma lentiſcina cum roſa ſubacta tuto facere licebit. Memineris etiam, capiti & his quæ in eo ſunt, conuenire cubiculum ſiccum admodum & temperatum: ſtratum verò in ſerico vel goſſypio, non pluma.

Veſicam & renes tueberis, ſi à caſeo & piſcibus, cancrorúmque generibus, tum & quæ dura vel molli teſta integuntur, caueas, aluumque lenem habeas. De hoc enim Auenzoar exiſtimauit poſſe vniuerſum corpus incolume ſeruare. Quæ incidunt & renes expurgant commoda etiam ſunt, vt cappares ſaliti cum multo oleo paucóque aceto. Hoc namque oculis & neruis obeſt, ſi pluſquam decet eo vtaris, ſed & rugas accelerat & canos: vt contra oleum, lac, mel, nuclei ceraſorum purgant renes & veſicam: vt & radix lapathi, quàm coctam cum oleo vel iure edere oportet. Laudantur cicadæ apicéſque & tegmina teſtarum cochlearum. In vniuerſum expurgatos ſeruare renes ac veſicam oportet. Propter quod tranſire in vſum debent germina ſaxifragiæ, radices graminis, ſuccus limoniorum: carduorum etiam ego germina cum ſumma radice eſitare ſoleo. Semper autem in fine mejendi curare oportet, vt veſica perfectè ſe expurget. Renes tegere non conuenit, niſi lineis. Exiſtimant columborum pullos naturæ proprietate plurimum his membris prodeſſe, quod ſeu purgent ſeu confirment. Conuenit & lac ouillum. Vbi calculi metus eſt, vrinas nonnunquam obſeruare oportet. Nam in veſica calculus non ſenſim, ſed maiori ex parte ſimul gignitur. Lacrymam etiam terebinthi, quia purgat membra hæc & aluum, tutáque reddit inteſtina à doloribus, ſubinde deuorare bonum eſt: ſed lentiſci aliquid, menthæque odoratæ adiicere conuenit. In vniuerſum exercere ſe frequenter oportet, vt ne coïre calculus queat, & vitare cruditates, ne materia eius generetur.

Vt ramex non infeſtet, colliget vitta ſuperiora inguinum, caueat à flatuoſis, contento ſpiritu, & ponderum eleuatione.

Cæterum non eadem eſt ratio temporum & ætatis. Sufficient enim hæc à quadrageſimo ad ſexageſimum annum. Ab eo verò ad ſeptuageſimum frictiones adhibere oportet, & leuibus vti deambulationibus, atque omnia, quæ nutriunt minuere, quæ non nutriunt, abdicare: vt & veneris vſum, & ſtudia omnia laborioſa, longéque magis curas. Sæpe contentus vnico ouo, & pane modicóque mellis. Abdicabis etiam quæ contumacia concoctu ſunt, & vt concoquas melius, ſomno diutius indulgebis. A ſeptuageſimo vſque ad octuageſimum deambulationem minuere, earúmque loco frictionibus vti oportet, & leni equitatione in aſturone aut mala exerceri, ita tamen ne multum crura diuarices. Cubiculo calidiore cubabis, & plumeo lecto decumbere licebit. Si dentes deſint aut inualidi ſint, ferculis vteris. Pater meus à quinquageſimo ſexto anno ad ſeptuageſimum vixit ſine vllo dente. Iacobus Hebræus, hac in vrbe fenus exercens, etiam per multa incommoda, quibus miſera illa gens affligi ſolet, à trigeſimo anno ad octuageſimum abſque vllo dente peruenit, & adhuc viuit, ſatis robuſtus. De aliis etiam audiui, qui ad extremam ſenectam peruenere, nec fraudi fuit caruiſſe dentibus. Exiſtimo quod plus vtilitatis in cura victus repoſitum fuerit his, quàm iacturæ in dentium defectu. Præſertim quod qui ex toto dentibus carent, etiam cruſtas panis optimè atterunt, quod in patre meo ſæpius obſeruaui. Qui imbecilles habent dentes aut non è regione inuicem poſitos, deteriori conditione ſunt, præcipuè ſi in illorum vſu confidant.

Vbi diuturnitati vitæ rectè proſpexeris, illud æſtimare debes, non eſſe poſt mortem malum vllum. Hoc verò tribus rationibus conuincere facilimum erit. Prima, quod ſi non es, nullum patieris malum: ſi futurus es, multo veriſimilius eſt debere te bona ſperare, quàm mala timere. Deinde, quòd nemini inferior futurus ſis. Nam qui iam mortui ſunt, pári laborant calamitate, vt illis non debeas inuidere. Qui nondum nati ſunt, qui conuenit vt inuideas, cùm nondum ſint. Præſentibus verò, cum & illi omnino ſint morituri, non potes aliud inuidere quàm mortem ipſam. Quæ ſi bona eſt, iam tu eam adeptus es: ſi mala, euaſiſti.

At dices, ſcio omnes pari conditione futuros, ſed cur tamen non ego, vt ſidus aliquod, perpetuo manſurus ſum? O ſtulta cogitatio! Cur non mœres, quod & Deus non ſis? Annon ſatis eſt, quòd nemini cogaris inuidere? quòd nemo te ipſo beatior ſit? quod nihil mali patieris, aut omnino pati poteris? Atque hoc, ſi peſſima conditio naturæ ſit: at ſi non peſſima, & tu benè vixeris, etiam ſperare potes optimam & ſempiternam vitam. Rurſus tam infelix eſt conditio huius vitæ noſtræ,

vt melius sit, non esse, quàm esse. Sanctè tibi iuro, Octauiane Cusane, non accepturum me, etsi quis Deus à morte mihi potestatem faceret redeundi in vterum mulieris, atque iterum nascendi optima conditione. Optima, dico. Qualis mihi est nō Regia: hanc enim infelicissimam esse infra ostendam: sed Pheludensis Ptolemæi, aut Hippocratis. Nam hos duos homines verè felicissimos fuisse existimo. Nam & ad summam senectutem peruenerunt, & maxima in tranquillitate vixerunt, & sapientiam singularem, & sua ætate & posteris sæculis gloriam raram sunt consecuti: neque necessaria defuerunt, quin vni etiam eorum duos filios adfuisse certum est: alteri an defuerint, non est compertum. Quæ septem conditiones vna cum virtute non solum absolutam fœlicitatem, sed etiam omnium ad illam necessariorum numerum explent. Vide autem & considera si in tot sæculis, in tot prouinciis, duo tantum homines inuenti fuerint fortunati, quàm arduum sit, si forte distribuantur vitæ, in talem aliquam incidere. Nam si per aliorum vitas discurres, omnes his duobus inferiores inuenies. De Regibus enim res ad suum locum relegabitur: nunc satis fuerit admonere, illos omnes esse planè infelicissimos. At de Sapientibus nunc dicendum. Aristoteles mortuus est exul, & non admodum senex, multásque persecutiones innumerásque molestias passus est. Plato vera sapientia caruit, tum etiam filiis. Socrates damnatus obiit in carcere, filios mendicos reliquit, ipse veræ sapientiæ expers & pauperrimus vitam perpetuis cum difficultatibus egit. Ciceroni ex omnibus, quæ ad fœlicitatem spectant, præter gloriam & diuitias ac vnicum filium, quo caruisse præstitisset, nihil fuit. Pari fermè conditione, imò ob orbitatem deteriore Demosthenes fuit, ac multo minus splendida opibus, potentia, gloria tum præsenti, tum apud posteros. Virgilium infelicem fuisse, gloria illa, vt ita dicam, inani excepta, constat. Horatius pari fortuna. Ouidius planè infelix. Cæteri Poëtæ aut pauperrimi, aut prima iuuenta extincti sunt: omnes etiam fermè orbi & infames. Galenus, & Plinij vtique orbi fuerunt & haud longæui. Falsò enim illa referuntur de longitudine vitæ Galeni. Pliniorum etiam vnus, præter humaniores literas, nihil sciuit: alterum, cum purus grammaticus fuerit, quis inter sapientes numerare audeat? Quintilianum sua ipsius vox testatur infelicem, duobus sublatis filiis, quos solos habuit. Reliquorum rhetorum & grammaticorum turba misera, de felicitate non contendat. Plutarchus à duobus tertius esse posset: filios enim habuit, senex vixit, vxore egregia ornatus, gratia principis atq; diuitiis: sapientia tamen vera & gloria apud posteros longè illis inferior. Reliqua philosophorum turba aut orbitate infelix, aut paupertate grauis, vel vitæ breuitate futilis, aut stultitiæ potius quam sapiētiæ opinione infamis, à fœlicitate procul abest. Nam de Seneca iam satis dictum est, & si dictum non esset, nemo adhuc sortem suam illi inuideret, quandoquidem improbus vixerit & in summo diu metu, vitáque ad extremum & fortunis omnibus simul spoliatus sit. Orbum etiam mortuum fuisse constat. Vt nesciam, vnde quidam fratres & fratrum filios, tanquam ab eo genitos, illi tribuerint. Constat enim ex Tacito, postulasse supremo momento vitæ tabulas, vt amicos hæredes institueret: quod si filij adfuissent, neque amicos hæredes instituere oportebat, neque Tacitum decuit, qui vxoris & conuiuarum meminit adeò minutim, filiorum tam necessariorum mentionem omnino non fecisse.

Sed hæc omittamus, quæ extra propositum sunt. Quod proposueramus, potius prosequamur. Dixi autem, si post mortem mihi Hippocratis conditio offerretur cum eo, vt redirem in vitam, nolle me suscipere: & quidem iure merito. Nam cum à morte æqua sint bona malis, nihil autem horum adsit; oportet vt si quidem iure suscipere volo, bona plura vel maiora sint; quàm mala: at non ita esse, sed Hippocrati plura & maiora mala fuisse quàm bona, nunc ostendam. Principio quidem ab eo momento, in quo conceptus est, vsque ad annum quartumdecimum, nihil ferè nisi malum passus est. Fœdè, vt vermis, latuit in vtero, natúsque mox cum labore est. Ob id enim infans primum natus flet, vt & pluribus diebus post ob dolorem, quem nascendo, vmbilicum abligando, insolitámque lucem & frigus ferendo tolerat. Inde inter sordes propriúmque stercus & vrinam educatur, & eorum, quæ patitur, nihil nisi fletu significare potest. Vnde plura admonent nutrices quibus irritent, quàm lenent illius molestiam. Traditur postmodum fastidiosis magistris, vapulat, obiurgatur, nulla est miserior vita. Effugit pueritiam, euasit minas præcepturis. Hic iam nouus labor est inchoandus. Nunquid putas Hippocratem ad tantam peruenisse sapientiam, quin reuoluerit omnia, vel saltem potiora volumina antiquorum non solum in Medicina, sed & Geometria & Philosophia suorum temporum? Ostendit studia illius in Mathematicis Tetragonismus: in Philosophia, exortus siderum, & naturæ, terrarum, aquarum, ventorum, temporúmque ratio adeo exacta, vt eam tot quidem florentibus sæculis post nemo quisquam æquare potuerit. Succedunt Epidemiorum libri, qui abundè docent quantum in artis operibus insudauerit. Quid ergo? An non magnam partem Græciæ atque finitimarum barbaricarum regionum peragrauit? Imò, sed studiorum causa. At studia quid aliud sunt, quàm spontanei labores? Labores ergo habuit? Omnino: sed gloriæ causa. Si præsentis, inquam, breuis: si futuræ, quam incertæ, quam periculosæ, quam inanis? Quam parum abfuit, quin illius scripta omnia interierint? Nisi Ptolemæus Philadelphus superuenisset, nescio quota pars voluminum Hippocratis iam superesset? Et sic, à tot successoribus vellicati, reiecti in Cæsariano incendio plenè aboliti sunt. Sed nil horum euenerit, quis potuit facere, vt in tam rarò euentu tam securus esset, tam benè speraret? Sed fac, vt speraret, si nihil à morte superest, quid ad illum hæc gloria? si superest quota pars eius quod superest? At lætus interim & cum spe vixit. Sit sanè: sed & laboriosus & anceps & multis cum molestiis. Quid durius quàm ægris inseruire? Quàm enim periculosum est Principibus inseruire? Quàm humile

humile & laboriosum & molestum plebi? vt etiam ex his, qui assiduè id faciunt, vix quisquam ad senectutem peruenire possit, ipsique aliis seruiendo consumantur, quin & pro aliorum vita dum laborant, tædeat suæ. Hæc ego omnia expertus aufugi, etiam vt lacertæ solent, cauda relicta. Omnia humana dura sunt, omnis seruitus molesta est: sed hac ipsa nihil durius, nihil molestius excogitari potest.

At Prolemæus, inquies, ægris non seruiuit. Verum est: sed quoties vigilauit & pernoctauit, vt sidera contemplaretur, quantus labor ei fuit in concordandis his, quæ decretis suis repugnare videbantur? quanta molestia in tollendis erroribus? qualis angor in excogitandis tot támque subtilibus rationibus? quanta cura in tot minutiis supputandis? denique quæ anxietas, ne vno deficiente, totus labor in irritum decideret? Atque hæc omnia inanis cuiusdam gloriæ studio. Quid si in medio cursu sors aliqua vitam, vt multis clara conantibus, abrupisset? Quis Deus illum hoc metu liberauerat? aut quis alius à Deo illum liberare potuit? Ipse se, dices: ex astris enim hoc dignouerat. Sed quis sextercium deponat sub ea fide atque promissis? Verum hæc relinquo: quænam interim voluptates? Summa vitę voluptas est, malum non sentire: at dolor ac cruciatus vnius diei multorum annorum voluptatem huiusmodi æquare possunt. Nihil tam incertum, quàm bonorum diuturnitas: nihil tam certum, quàm mala non nisi sero & magno negocio posse amoueri. Quæ voluptas est in filiis, quos multi menses & anni dant, vna nox aufert? si non auferat, miseri, improbi vel contumaces esse possunt. Quidquid horum contigerit, molestiæ vt sint potius, quàm voluptati, necesse est. Ergo necessitas hæc quidem omnia in vita nostra tolerabilia facit, sed non vt viuere ob illa possimus desiderare. At vide modò, quàm pauci sint, futurique sint Hippocrates aut Ptolemæi. Alius orbus moritur, alius nondum exacta iuuenta, quidam etiam in pueritia. Alius victum mendicat, alius animi perturbationibus detinetur, alium detinet seruitus, alium exagitant lites, alius est imperitus, alius ab inimicis, aut Principe vexatur. Tot sunt modi pereundi! Vnica verò ad fœlicitatem est via arcta, obliqua, ardua & penè inaccessibilis. Sed fac, vt omnia benè cedant, est adhuc moriendi metus, certa exspectatio, incerta temporis dilatio, vt in momenta singula mori nos necesse sit. Præsertim si inimicis non careas, aut ægrotes, aut pestis diuagetur, aut cœlum coruscet, aut ancillam dubiæ fidei habeas, sexcentáque talia. Quis enim à terræ motu, à casu tegulæ, à lapidis incerto ictu, à canis rabidi incursu, ab equi calce tutus esse potest? Nepos ex sorore Pontificis huius occisus est, dum mingeret, ab aliquo cui erat incognitus, sed qui exiens è caupona ebrius iurasset occisurum se, quem primum casus obtulisset. Succedit senecta plena malorum omnibus, plerisque etiam plena miseriarum. Iam verò quid census, satin' tibi iure videor non recepturus conditionem renascendi? An alia exspectas &, vt dicam, molestias affinium, contumaciam familiarium, perfidiam clientum, puerorum & ancillarum tædia, fastidia, fœda ministeria? Si quæ edis, quomodo tractentur consideres, fame potius sis periturus. An non ancillæ & pueri exonerant aluum, pediculos è capite tollunt, inde illotis manibus, quæ comedis, tangunt & attrectant? Sed de his aliàs. Quis ergo redire in hanc vitam, nisi insaniat, velit? Aut cur miramur Hægesiam oratione facunda potuisse Ægyptios ad mortem spontè adsciscendam impellere: quando nuda oratione perspicuum sit, optimè se habere, qui iam vita functi sunt?

At dices, nihilominus iucundum est viuere, spectare cœlum, sidera, terras, maria, flumina, montes, tot pulchra, talem ornatum, tot artium effectus, sensus omnes oblectare. Sed quæso te, quando finem impositurus es? annon ad eadem perpetuò redis? Bis eadem spectasse satietas est; millies vidisti & adhuc videre desideras? Sexaginta sunt & ad summum centum, per quæ quotidie reuolueris, nec piget ad eadem semper reuerti? Singulis diebus surgere, vestes induere, cœlum, solémque ac sidera intueri, forum inuisere, prandere, cœnare, ludere, disceptare, numerare, rationes exigere, tandem vestes exuere ac lecto se ceu mortuum condere, incertum lucis futuræ & de multis anxium? Sed &, si hæc omnia disputauerimus supposito animæ interitu, ob idne abiicere spem nos decet immortalitatis animarum? Certè non. Nam ego quid aliàs testatus sum? quin huiusce immortalitatis certus sum. Quid habes, quod mihi obiicias in hoc maximum atque præcipuum? Quod nemo vnquam reuersus sit ad nos ex tanta mortuorum multitudine: quod videamus homines sensim augeri, deinde versus senectam rursus sensim sensuum ac mentis viribus destitui. Quod si homines, qui nati sunt, ante pubertatem perirent, nemo cogitaret nedum dubitaret, quanto minus auderet pronuntiare animas nostras esse immortales Quod si aduentu ad iuuentutem multa egregia superaddantur, nemini tamen dubium esse potest, hæc non huiusmodi esse, vt digna sint immortalitate infinitáq; natura, quæ cum immortalitate necessariò coniungitur. Quod si quid diuinum esse contendas, vt esse mentem constat, illam tamen palam est abscedere nobis integris sæpius. Demum videmus ea, quæ sunt immortalia, alterius esse generis: corpora quidem immensa, imò & incertum illorum finem ac perpetuò æqualique motu semper agitata, spiritus autem secretos ab omni corporea mole. At homini pusillo quid ex his simile, & non potius ex aliorum animalium natura, moribus atq; fortuna? ego tamen rursus sanctè iuro, me in memet agnoscere animæ immortalitatem, semperq; esse agnosco, nec nūc quasi fortuitò: sed si quis modum à me requirat, non satis dixerim, nec docere possim. Verum illud præclaris viris perspectum pariter fuisse existimo: Aristoteli dico, Thephrasto, Themistio, Alexandro, Auerrhoi, Auicennæ & Ptolemæo. Hippocratem eoúsque, multominus Galenum peruenisse nō puto, vt nec clarius diuinis intētum Platonem. Quamobrem suspicatus sum sæpius, Deum illū, qui nobis est immortalis, intellectum esse adeptum, quod non nisi post magnam mentis perfectionem hoc sentire cōtingat. Nam in his adeò menti nostræ vnitur,

vt

vt nos vnum cum illo esse sentiamus. Tunc ergo existimantes nos semper esse & immortalis naturę, haud aberramus. Qua in opinione etiam nobiscum consentit Alexander, dubiúsque ob id Philosophi sermo. Sed si alienum Deum in nos immigrare non contingat, vt illius vice fungamur, longiorem viam huius consilij & asperiorem disputationem inire oportebit, cogemúrque vera, sed non verisimiliora certiora sed obscuriora dicere. Etenim cuique facile fuerit persuadere, mentem nostram lumine diuino conspersam, non coniunctam Deo, sentire per illud immortalitatem in eo, quod recepit, non illud sed ipsa, non in illa sed in ipso, vt nihilo secius ipsa mortalitati suæ relinquatur, & lumen ipsum, cum casus aduenerit, denuò sed vnde defluxit, recipiat. Atque hic modus est fucatæ immortalitatis: quam nemo refutare ausus est. Sed altior quædam est causa, licet, vt dixi, abstrusa magis. Nam cum animus ipse eò peruenit, vt semetipsum colligat, tunc seipsum agnoscit & substantiam suam mortali vinculo liberatam, non aliis rebus tunc incumbentem, sed sibi ipsi. Plura etiam contingunt & in discessu & parum ante discessum tum nostrum tum amicorum, qui purè sanctéque aut omnino impiè vixerunt, per quæ dignoscimus nos Deo curæ esse. Et quanquam hæc cura Dei de nobis, vtut euidens, satis firmum immortalitatis animæ nostræ argumentum non sit, cum & nos ouium, canum & gallinarum curam habeamus, quamuis nec immortales esse illarum animas arbitremur, pluráque ex eis ad tempus & in escam nobis educemus, spem tamen præbet superstitis animæ. Existimant Stoici, animas nostras non prorsus esse immortales, sed tamen diu à morte superesse. Quæ opinio, nisi exitum non inueniret, magis congrueret his, quæ apparent, quæq; vulgo dicuntur de mortuis, & simul enormia quæq; quæ ad immortalitatem ac infirmitatē numeri animarū sequi videntur, effugeret. Itaque & aliquos ad nos reuersos fuisse à multis receptum est. Et liberari non augeri mentem, palam est ex hoc, quod paucioribus cibis ac potibus clarior euadit. Si quis Solem solum inter nebulas spectasset, Solis pulchritudinem atque diuinum fulgor non posset deprehendere: nec tamen ob id, quin pulcherrimus sit & fulgentissimus diuinúsque, negare. Apparent etiam non solum in pueris, sed & infantibus, si non mentis atque immortalitatis vestigia, saltem naturæ ab omnibus aliis animalibus alienæ atque altioris. Audiebam matrem meam dicentem, quod cum quadrimus essem, circumducerérque in porticu quadam depicta (memini autem illius & loci & figurarum, non tamen eorum, quæ dixerim) responsa plura me dedisse, de quibus omnes, qui circunstabant, non solum admirarentur, sed stuperent. Nunquid ergo hæc ab equo vel elephante, aut cane vel simia, etiamsi loquantur, audiri aut exspectari poterunt? Turdos, picas, psittacos loqui didicisse, sæpius omnes obseruare potuerunt: nemo tamen gloriari potest vidisse se aliquem ex istis, qui vocem proposito accommodare didicisset. Et tamen non minus aut certè parū minus ingeniosa est natura horum, quàm canum, elephantum aut simiarum. Mentem ergo in nobis diuinam esse constat. Quæ etsi abscedere videatur, potius conquiescit, quàm abscedit. Si enim abscederet, maximè in somno abscederet & prope mortem destitueret. At his temporibus non solum semper adest, sed & nonnunquam quædam admiranda videt & ostendit. Nam homo axiomatum nunquam obliuiscitur. Non ergo exercetur sine cogitatione: cogitatio autem nobis semper ex confesso inest nec quisquam mentis opus in cogitatione frustra desiderauit: non ergo mens recessit interim, sed conquieuit. Fidere igitur debemus nos superfuturos, tametsi quomodo id futurum sit, solum ex religione condiscere liceat. Quod si ita est, non hæc vita, illa mors: sed contra hæc mors, illa vita appellanda erit.

Succedit modo examen. An in morte sit dolor? Dicebat Diogenes Cynicus, Mors mala non est, quæ cum aduenerit, non sentitur. Sed hæ cauillationes parum me mouent. Illud potius magnifacio, quod Scipio, Pompeij socer, cum ad oram Africæ inuitus appulisset & gladio se transfoderet, quod sciret ibi se in manus hostium venturum, quærentibus hostibus, Vbinam esset Imperator? respondit, benè se habet. Qua in re & exiguum dolorem perpessum se & magnam animi constantiam declarauit. Cato Vticensis, cum obligatum esset vulnus, quod sibi intulerat, manibus idipsum dilacerauit, tanquam exiguum esset semel se interfecisse. Quid de filia eius dicemus, quæ se accensis carbonibus suffocauit? De qua elegans illud Martialis epigramma existat.

Coniugis audisset fatum cum Portia Bruti:
Et subtracta sibi quæreret arma dolor:
Nondum scitis, ait, mortem non posse negari:
Credideram satis hoc vos docuisse patrem.
Dixit, & ardentes auido bibit ore fauillas.
I nunc & ferrum turba molesta nega.

Quamquam de hoc satis dubitem, cum tam clari exempli nullam Seneca mentionem faciat inter tot minus admiranda, & vbi toties patris eius meminit. Sed statuas de eo vt libet. Ego multos vidi pueros atque fœminas, qui dum morerentur, benè se habere dicerent. In his autem suspicio non erat quod fingerent, vel edocti ita loquerentur, multo minus ne philosophiæ operam dedissent. Et quod maius est atque à Ciceronis ætate ad hæc nostra tempora perseuerauit, Indæ mulieres concertant, quænam in mariti funere se cum eo comburat, & tristis abit non quæ peritura est, sed cui perire non licuit.

Quamuis autem non ignorem, fatale mihi esse de morte scribere, idque ex somnio illo, de reditu ad culmen domúmque rusticam, ob quod etiam aboleui libros, quos de morte scribere cœperam: quia tamen, quid ex illa domo mihi decernatur, non intelligo, & quodcumque statutum est, vel me volente expleri postulat, vt publicæ vtilitati satisfaciam, quæ de morte sentio, hic aperire institui. Habet ergo mors quæcumque tria tempora: vnū, in quo ad interitum tenditur: secundum, in quo sensus deficit: tertium, in quo anima efflatur. Hæc verò tempora breuia sunt aut longa, coniuncta aut disiuncta, pro ratione morbi ac cæterorum, à quibus accidere consueuit.

Quæ quidem etiam in his, quibus vno ictu ceruix præſcinditur, omnia effluunt. Nam dum ceruix præſcinditur, cauſa mortis ſuperuenit: præciſa, amittitur ſenſus: ſenſu amiſſo fermè ſtatim, ſed non omnino ſubitò moritur homo, nam & aliquandiu cor palpitat. Iam ergo, ſenſu amiſſo, dolorem nullum fieri poſſe, haud obſcurum eſt. Eſt enim dolor ſenſus affectus. In ipſa igitur morte dolor nullus. Deprehendas etiam illud ratione atque experimento. Experimento, quod nullus, dum efflat animam, contorquetur, ſed manet immobilis, etiamſi diu anteà ſe torſerit. Ratione, quod, qui obdormiſcunt, nihil prorſus ſentiunt nec animaduertunt, quamquam illis ſenſus ſolum ſopiatur, non autem intereat. At verò dum ſenſus amittitur, quod tempore mortis diuturniore mora fit, multi ſpeciem aliquam doloris præferunt, dum ſe diu torquent. Quod ſi maior non eſſet dolor quàm in ſomno, quàm in animi defectionibus illis, quas olim paſſus ſum, in altero quidem nihil ſentiremus, in altero etiam, vt retuli, voluptatem. Exiſtimo autem pro cauſæ ratione hæc contingere. Nam ſi exſoluatur ſenſus defectu animæ & caloris vitalis, voluptatem potius quàm dolorem ſentiri exiſtimandum eſt: ſin autem dolore aliquo aut ſuffocatione, vt in ſtrangulatis, aſciticis cruciatibúſque, non ſine dolore fieri exſolutionem arbitramur. Rurſus in prima parte, qua ad hanc ſenſus amiſſionem tenditur, & quæ proculdubio aliis longior eſt, magnam ſentire perturbationem omnes fatentur, ſecedente ſenſu, oppugnatis arcibus. Ob id pro morborum ratione res ſuccedit. In ſanguinis enim & humorum immodicis euacuationibus, primum quidem quietè res agitur: poſt vbi eò peruentum, vt deficere cogatur, ſi non celer ſuccedat effluxio atque vehemens, diu torquentur perturbatione quadam, quæ eſt omni dolore deterior: vt Senecæ contigit, dum iuſſu Neronis ſeniles venas incidiſſet. At ſi ſtatim effluat, ſtatim ceſſat. Ob id modici quæſtus gratia, ſues apud nos magno ac miſerabili cruciatu, modo retinendo ſanguinem, modo fluere ſinendo, occidunt. Qui ergo laqueo ſtrangulantur, crudeliſſimè pereunt. Ob id leges oppoſitum eius, quod fieri in furibus debuit, ſtatuerunt, ſcil. atrocem mortem & minus horrendam, cum præſtitiſſet horrendam & minus atrocem in tam exiguo ſcelere conſtituere. Quibus verò ceruix vno ictu amputatur, partim ſtrangulatione, partim ſanguinis effluxu moriuntur: atque ob id & illa mors non ſine cruciatu eſt, ſed minore quàm in his, qui ſuffocantur laqueo, celeriúſque abſoluitur. Mortem verò ex ſuffocatione acerbiſſimam eſſe, indicio ſunt conuulſiones & contorſiones, quæ illis accidunt, & quæ referebant duo Patricij fratres ex Caſatis, qui ambo ex ſuffocatione, facta ob morbum peculiarem, quamuis ſenes eſſent, interierunt. Qui verò ad decrepitam ætatem perueniunt, vix vllum dolorem ſentiunt. Nam in mortis hora parem ſubeunt conditionem: dum enim ſenſum amittunt, qui iam in eis per ſe hebes eſt, leuius afficiuntur: antea verò, quod eſt primum tempus, parum eos affici experimentum docet. Aut igitur ſine dolore obeunt, aut cum perquàm exiguo. At ſi in morte dolor non eſt, neque vel ante magnus, vel poſt vllus eſt aut eſſe poteſt, mortem timere omnino ſuperuacuum eſt. Quin nec oportet etiam, propter magna, quæ à morte ſolatia propoſita ſunt: ſicuti docetur ſomnio illo Ioſaphati, quod à Damaſceno his propemodum verbis recitatur. Vidi, inquit, me ad pratum amplum deductum, floribus decoris ac benè olentibus ornatum: vbi arbores omnis generis erant ſuis fructibus, & quidem magna ex parte mihi incognitis onuſtæ. Earum quoque folia ſuaui agitata aura, dulcem quemdam ſonum reddebant: totúſque locus mirum in modum flagrabat odoribus ſuauiſſimis. Ibi ſedes auro gemmíſque nitebant, lectíque erant precioſiſſimis ornamentis diſpoſiti: limpidiſſimíque aquarum riuuli dulci ſuſurro demulcebant animum. Aſpectus verò ipſe aquarum iucundiſſimus, in quarum imò lapilli varij coloris refulgebant. Per hæc loca tam amœna, ad ciuitatem longè amœniorem ducti ſumus. Nam muri ex auro erant, gemmíſq; rutilantibus, quarum maxima pars mihi incognita erat. Ipſa nobis propugnacula altiſſima, è ſommo autem ſplendidiſſima lux eam totam illuſtrabat. In ea exercitus ſolum cœleſtes habitabant, veſtibus ornatiſſimis induti: nouam ſymphoniam ſuauiſſimámque canentes, cuius ſimilem mortalium nullus vnquam audiuit. At dices, ſomnia narras. Fateor: ſed hæc ſomnia tamen longè minorem felicitatem declarant, quàm quæ bonis viris à morte propoſita ſit. Dices, vnde ſcis? Quod quidam optimi viri, paulo antequam obirent, his maiora vidiſſe ſe affirment: nec illos, quibus tam parum vitæ ſupereſt, commenta talia confingere veriſimile ſit. Ratio quoque ipſa ſuadet, futuræ vitæ delicias incomparabiles eſſe his, quas in hac vel cogitatione aſſequi licet. Quod etiam in inſomniis, & euidentius in ectaſi deprehendimus. Adeò vt melius ſit aut negare nos talium poſſe eſſe participes: aut, ſi fatemur, multo ſuauiora, pulchriora, maioráque àc ſplendidiora exiſtimare. Stultum enim eſt, arbitrare eam lucem propter quam hæc illuſtrantur, eam voluptatem propter quam hæc voluptate perfunduntur, paria eſſe aut paulò maiora. Aut igitur totam habere conuenit eam felicitatem, aut nullam. Igitur ſi animo erecto intentóq; meditere omnia, quæ videre continget, quæ adire, tot amplas regiones, tot ſplendida ſidera, tot pulchra & decora, ſempiternam quietem, vitam ſecuram, lucem clariſſimam, ſocietatem iucundiſſimam, ſapietiam fœcundiſſimam, quodque omnibus maius eſt, amorem eximium æternúmque & immenſum Dei, iam te pœnitebit ad mortem interpoſitæ moræ, quæ te à tam gratioſa ac iucunda vita interpellet. Talia mente reuoluens facies, vt ſi quid in mortis memoria acerbi aut amari relictum ſit, dulceſcat. Quod ſi falleremur, quod tamen non ſpero, hoc errore nihil melius aut vtilius eſſe poteſt: fallereque ſic ac falli, gratum ac commodum eſt. Multos vidimus ex his, qui vitam ſanctam agunt, moleſtius mortis moram tuliſſe quàm mortem. Atque hac in parte religio noſtra, ſeu continentia morum, ſeu ſpe promiſſorum, apicem ſapientiæ ſummum attigit, quod ſimul & ſanctè & feliciter nos viuere doceat,

ceat, & futuram beatitudinem plenè explicet.

Quo fit, vt non parum admirer homines hac ætate, qui ob tam breuem voluptatem, tam magnæ, tam diuturnæ fœlicitati, quæ à morte sperari potest, renunciant. Sit quantulacumq; spes exigua, præmium certè tam magnum est, vt non nisi insani sit valedicere tanto fœnori. Genuenses, qui fœnus exercent, vel nulla spe spem emunt ex trigesima, quadragesima, vel ad summum quinquagesima. Sors hæc si gloriæ perpetuæ fœnori cōferatur, ne millesimam quidem attingit. Adde quod sortem ipsam duplicatam reddat vel sola spes ipsa. Quandoquidem hoc ipsum sperare vitam producat & maiorem solidioremque voluptatem afferat, quàm vitia quæ dimittis. Deinde, quid amittis? ludum. At qui ludunt, tempus primum rem pretiosissimam terunt, inter spem & metum, qui maximi & grauissimi affectus sunt hominibus, discruciantur, infames fiunt, somni iacturam faciunt, & se ferè semper reos vel inimicos. Non occidam, inquis? Sed cogita quantum periculi sit vt ne facias, & cum facis aut fecisti, à legibus & affinibu eius qui periit, quod dedecus sequatur, quam te, sceleris conscientia, quam manes exagitent. Nonne noluisse præstat, quod non potuisse vtile est? Non autem potuisse vtile est, quod fecisse pœnitet. In deliciis non viuam, ais. Si non facias, citius non morieris, voluptates veras percipies, fucatas vehementius & exactius, magis laudaberis, timeberis, suspicieris. Nullum vitium magis contemptum & morbos parit, quàm luxuria & desidia. Sed fœnerari non licebit. Aspice, quàm beati sint feneratores, aut quàm contempti! Leges fœnus interdicunt, ideóque multi nolunt exercere, etiamsi planè sint Epicurei. Furari non potero, nec decipere. Furtis proposita grauis est pœna, atque dedecus maximum. Qui decipiunt, si detegatur dolus, efficiuntur infames, & pœnas iratis dominis sæpè dant. Annon melius longè est, laboribus propriis in tuto viuere, quàm sceleribus in periculo? Denique, si tot Philosophi & inter hos ipsius voluptatis laudator Epicurus, etiam nulla spe futuri sæculi proposita, optimum censent, secundum virtutem viuere: quod malum, quæ furiæ nos exagitant, quæ amentia nos obcæcat, vt malimus nullo compendio, imò non leui iactura in perpetuo metu & nulla spe viuere, quàm in perpetua spe ac ab omni metu securi? Posset id sanè videri impossibile, nisi se dæmon aliquis improbus humanis consiliis admisceret.

Aliud est stultitiæ genus, non tamen vt hoc perniciosum, verum potius risu dignum, quod reprehendere cogor. Nam in eo, quem de præparatione ad mortem ille scripsit, hominem in ipso mortis agone cum iam penè sensus omnes dolor obruit, inducit cum cacodæmone differentem, atque ea dicentem ac respondentem quæ vix Theologus nulli negocio occupatus, prudens, sanúsque dicere atque respondere nosset: & ea quidem omnia meditata oratione, ac per κῶλα diuisa, vt comœdias recitantes, aut in scholis disputantes planè imitari videretur. Et ne quid tanto decori deesset, præmium pietatis, & benefactorum remunerationem, & liberalitatis diuinæ insignè munus, ad sui dialogi rectam recitationem memoriámque tot argumentorum ac responsionum reuocat. Parum sapienter & ridicule, si apud Philosophos: parum pie, si apud Theologos. Illud etiam absurdius, quod cum admiranda proponat, persuadere nititur: cum talia vel probanda sint vel supponenda. Nam probationibus sapientes, suppositis imperiti acquiescunt, persuasionibus verò neutri; quod rem in dubium reuocent, neque deinde à difficultate illam explicent. Vbi ergo eò venisti, vnde te regredi posse non speres, quatuor hæc perficere propera, si non anteà, quod tuum erat, prouidisti. Primum, cōsidera, an cuiquam quidquam dolo, vi, aut necessitate, aut fœnore eripueris, aut detraxeris ex existimatione, aut impedieris, quo minus aliqua adeptus fuerit: id totum atque cum fœnore ipso cumulatè illi, suisve hæredibus restitue. Si filiis patrem vtilem cæde aut tua opera eripuisti, pasce filios & instrui illos tua pecunia iube. Deinde ad eos, qui tibi benefecerunt, te conuerte, illósque beneficiis mutuis aut officiis liberalius pro conditione tua remunera. Si locuples es, partem bonorum ad extinguenda delicta diuide. Si pauper es, noli ex alieno esse liberalis. Si sunt necessarij hæredes, hæredem constitues necessarium, nisi omnino erga te ingratus fuit, aut qui illi succedunt pauperes admodum & ille diues. Iniurias omnibus his remitte, qui te quaque ratione læserunt, nisi forsan per improbitatem. Nam improbos tanquam Dei, bonorum & virtutum osores odisse non solum licet, sed etiam par est. Prauos enim non propter te odisse, iustitiæ pars est. Ad filios inde atque domesticos conuersus, eos ad concordiam, ad patientiam, ad virtutem, ad continentiam, ad prudentiam, ad educationem filiorum, & defensionem infirmioris ætatis atque sexus hortaberis, maximè verò ad ardentem Dei amorem. Prouidebis etiam tu, vt quàm meliùs fieri possit, illis consultum sit. Inde conuersus ad religionem, omnia de more facito quæ iussa sunt, curatóque vt fiant diligenter. De funere ac pompa ne sis solicitus. Licet tamen, vbi cadauer tuum esse velis, voce instituere. Demùm ad Deum totus conuersus, illius immensitatem, bonitatem, ac beneficia in te collata recogita. Tum super his, quæ aduersus bonos mores, illiusque Mandata admisisti, veniam pete ac ingemisce, dicens: Clementissime Pater, quod tibi libet de me facito, indignus enim omnino sum, vt aliquid abs te petam. Verùm eo animo paratus sum, vt te aliquo modo offenso, etsi mihi liceat, non sim recepturus vel sanitati restitui, vel æternam post obitum gloriam inter mortales, aut inter faustos tuos perpetuam beatitudinem consequi. Atque hæc non verbis, sed mentè statue, ac perpetuò volue atque reuolue, omníque alia cura relicta, totum te trade cogitationi de amore Dei Patris in te creando, Dei Filij in te pretioso suo sanguine liberando, Dei Spiritus S. in te sanctificando, deque beata vita, similibúsque, in quorum felicitate omnium aliorum, qui sequuntur beatorum spirituum, perpetua exultatio consistit. Verùm de his satis. Prosequamur autem quædam alia huic negocio necessaria.

Dictum est enim, non esse metuendā mortem

quod in morte non ſit dolor. Quare igitur repentinam, in qua minorem eſſe dolorem docuimus, magis formidamus. Forſan non abs re eſt, quod in re tam contraria naturæ omnes aberramus. Vide quemdam ſenio confectum, qui ad fulmina vehementer expaueſcebat, fatebatúrq; ſcire ſe mortem non multum abeſſe, tamen hoc ipſum repente mori reformidare non minus, quàm iuuenes ipſos. Verùm ob tres cauſas id contingere reor. Prima, quod videatur repentina mors ſemper præſens eſſe poſſe: at malum quod præſens imaginamur, magis nos torquet. Si enim plures videamus mori ex morbo attonito, periculum repente nobis præſens aliquod fingimus, & cum eo mortem, atque ideò vehementer terremur: at ſi ex fluxu aut morbo alio longo, quia nos ſanos exiſtimamus, nullum periculum metuimus, quod perſuaſum nobis habeamus, oportere aliquem prius in morbum incidere, hunc augeri, neque ex illo niſi poſt diuturnam luctam demùm interire. Hic autem plurima ſpes eſt. Prima, ne morbo corripiamur. Secunda, vt correptis in tanto tempore proſit aliquod auxilium, vel ex medicina, vel temporis mutatione, quemadmodum ſæpè videmus in paſſim vagantibus morbis, vel ex caſu, vel diuina ope. Et, ſi nihil proſit, ſaltem mors ipſa tam diu neceſſariò abeſt, quamdiu morbus protrahitur. In violentioribus autem caſibus non ſolum menſium dilatio & dierum nos ſolatur, ſed & horarum & momentorum. Vidi quandóque condemnatos ad laqueum petere potum, non tam quod ſitirent, quàm vt vel illo exiguo momento vitam protraherent; alios, vt verba ad populum facere liceret. Ita in tam arduo tranſitu nullam dilationem aſpernari ſolent. His rationibus non ſolum repentinam mortem magis timemus quàm lentam, ſed etiam occultos morbos magis quàm notos. Quoniam, dum ſani ſumus, ſcimus etiam nos ſanos eſſe, atque ideò à notis morbis tutos, ab incognitis non ita, ſed veremur, ne quamuis eos non ſentiamus, ab illis tamen ſimus deprehenſi. Sic etiam ab exemplo ſontium, ſi nos ſimus inſontes, quamuis acerbiſſimum ſit mortis genus publicum, non terremur, quia abeſſe hoc periculum à nobis plurimum exiſtimamus. Itaque cum mortem repentinam ſingulis momentis inſtare nobis imaginemur, & præſens malum nos magis terreat, quam quod procul aut ſaltem longius abeſt, ideò repentinum moriendi genus magis nos terret quàm lentum. Qui verò per morbi centum genus propè mortem peruenerunt, non adeo, vt qui ſani ſunt, timent inſtantem mortem, tum quia magna pars ſenſus periit, tum quia fatigati morbo non tam optant mortem, quam odere vitam. Reſolutis etiam viribus fieri non poteſt, vt multum doleant: neq; vt vehementer timeant, cum ſenſus adhuc viget, vt de Caſatis fratribus dixi. Præterea, cum tam diu reſtiterint, non putant ſe morituros: præcipuè quando virium lapſus eſt exiguus. Secunda cauſa, quod mors repentina ſit formidabilis magis quàm lenta, eſt, quod ibi tranſitus à vita ſimul, ac ſanitate ad interitum maior eſt & periculoſior, ideóque maiore cum labore ac vexatione naturaliter illum contingere arbitramur. Velut cum turrim eminus altiorem latiorémque digito diiudicamus, tametſi ſub angulo æquali ambo appareant. Nota enim natura æſtimat vt ſunt: ignota verò multo plerúmque maiora, certè grauiora ſemper Ducimus etiam exemplum ab actionibus noſtris. Nam ſi gradatim per centum paſſus deſcẽdamus, id tutè & securè agimus: ſi per viginti ſimul, agimur præcipites. Idem oſtendit ſenſus & iudicium oculi. Si enim in monte admodum excelſo, ſed accliui ſedeamus, haud timemus: ſin verò in præcipiti loco vel turre longè humiliore illo monte, multum timemus, vixque ſtantibus genua ſubſiſtunt. Propterea igitur terribilis eſt mors repentina. Idcirco reis læſæ maieſtatis, eiſque qui prodere Rempubl. voluiſſent, pro ſupplicio, tanquam grauiſſimo, ſtatuerunt, vt ex alto præcipitarentur: tanquam terribilia meditantibus aduerſum remp. terribilis mors deberetur. Ita Manlium maieſtatis condemnatum de ſaxo Tarpeio præcipitarunt. Ita & Poëtæ finxere Aſtyanactem Hectoris filiam hoc mortis genere ab Achiuis interemptam idque odio patris, quorum præcipuè acer Hector interemerat. Tertia cauſa eſt, quod mors repentina rara ſit. Rara autem inſueta ſunt, & inſueta conſuetis formidoloſiora. Vnde homines magis horrent cæde mori, quàm morbo: & magis à feris occidi timent, quam ab hominibus: oderunt etiam magis naufragio & ruina perire, quàm à feris. His ergo omnibus de cauſis, magis horrendum eſt, repente mori quamuis minore contingat cum dolore, quàm ſenſim. Cæſar autem non tam repentinam mortem optauit, quàm inopinatam: attamen illam propter hanc. Nam quæ inopinata eſt, timeri tanquam repentina haud poteſt. Quam enim cen repentinam formidamus, inopinata nullo modo eſſe poteſt. Quod verò ob id repentinam mortem quidam vereantur, quod homo ſit imparatus ad pœnitentiam, iam hoc ad Chriſtianos ſolum pertinet, non rei naturam qualitatémque ſpectat. Imò nec ad illos pertinere multum videtur, quandoquidem antea & dum valemus, animo conſtanti præparatos fidémque viuam aliquibus operibus teſtatos eſſe oportet. Nam metu mortis multa benefacere etiam ſanum, nedum ægrotantem, timidi potius eſt quam pij hominis.

Sunt igitur tria tempora mortis, vt dictum eſt. Quorum primum, in quo morbus lethalis eſſe incipit, (incipit autem quibuſdam talis, quibuſdam non, ſed vel ſuperueniente alio morbo, aut ex errore aſſiſtentium, aut ægri, aut medici, vel caſu aliquo lethalis, fit:) noſcere ad ſolos medicos ſpectat, eoſque peritiſſimos, ideóque ad pauciſſimos. Pauci enim ſunt medici, & inter hos etiam rari, qui admodum ſint periti. Tertium autem tempus, cum animam ſcilicet efflant, omnes fermè etiam plebeij norunt eſſe illud, cum amiſſo iam ſenſu & ſpiratione facta difficili, mox omnis ſenſus ac motus ceſſat. Contingit verò quandóque ceſſare motum omnem atque ſenſum, hominem tamen viuere. Quod in quatuor maximè caſibus fieri ſolet, ſcilicet animi defectu, syncope, morbo attonito & ſtrangulatione, quæ à frigida materia oritur, cuiuſmodi ea eſt, quæ accidit in aqua ſuffocatis atque hyſtericis affectibus. Sed defectum animi pulſus manens

detegit:

detegit: ſyncopem, reſpirationis reliquiæ, aut ſaltem antea non multum vitiata ſpiratio: ſuffocatio à frigida cauſa, tum cauſa ipſa, tum ſpirationis, vt in ſyncope, reliquiæ, aut eadem non breuis & frequens antea: denique attonitum morbum, caſus repentinus. Fuere etiam qui aſſumpto opio temperato mortem mentiti, & carceribus pro mortuis elati veram meritámque mortem euaſere.

Itaque cum tot ſint modi ſimiles morti, ſuadeo vt nemo ex his, qui cum incolumi ante ſpiratione repente concidunt, aut ex mulieribus grauidis, quæve iam pepererunt aut affectibus vteri vexari ſolent, ante triduum ſepeliantur: aliquas enim eouſque diſtuliſſe accepimus, antequam reuiuiſcerent. Eos ergo mortuos, qui ab Aſclepiade atque aliis ſuſcitati ſunt in ipſo, vt ille ait, rogo, verè mortuos fuiſſe non crediderim: quandoquidem miraculo diuino fieri oporteat, vt ſeparata anima ab homine, denuo corpori coniungatur. Muſcarum autem animam aut redire, aut aliam generari forſan non tam abſurdum credere. Sed melius eſt exiſtimare etiam in illis latuiſſe, non ſubductam prorſus fuiſſe è corpore.

Porro tempus illud ſecundum, in quo homines, quamuis adhuc moueantur inconditis quibuſdam motibus, reſpiréntque, ſenſum tamen omnem amiſerunt, veréque moriuntur, illud multi quidem deprehendunt, etſi non adeò tot, nec niſi magna adhibita induſtria. Deprehendunt autem ex eo, quod expaueſcere ægri & concuti ſolent eo momento, quo ſenſus abolentur. Vnde nonnullis perſuaſum eſt, dæmonem malum illos tum videre: pauent enim & vocem quidam emittunt, alij etiam ſurgere conantur. Cum enim ſubito communis ille ſenſus abrumpitur, quod is cum motus origine coniunctus eſt, imaginantur terribile aliquid, ideóque timent ac ſe concutiunt. Forſan verò & alia quæpiam altior cauſa huius eſt. Quidquid ſit, ſatis hoc vnum conſtat, vbi id ſuperuenerit, nec ſentire amplius, nec quemquam ex his reſtitui. Sed ſi ſenſim pereat ſenſus, vix hoc apparet, nec terrentur aut leuiter ſanè. Quibuſdam autem, qui firmiore ſunt corde ac cerebro, redit terrificum ſemel aut iterum hoc malum, antequam ſoluantur: quibuſdam diutius perſeuerat, pleriſque ociſſimè tranſit, & momentum ſolum durat. Quibus verò aut redit aut perſeuerat, non vltra tamen exiguam horæ partem perſeuerare poteſt. Atque hæc ſunt, quæ intus moriturus adueniunt.

Præter quæ etiam exterius quædam contingere quibuſdam videntur, quæ loco prodigiorum habentur. Operæ pretium igitur fuerit & de hoc ſermonem habere & inquirere, An talia ſuperueniant, & an omnibus? Et ſi aliquibus, cur his magis quàm illis? Tum verò naturaliter hæc fiant, an non? Præterea, nunquid etiam ſupra naturam apparere poſſit? vtputa quod cum multis Cicero refert de victima, cæſa idibus Februarij quibus Cæſar purpuram induiſſet, quæ corde caruit. Videtur enim ſupra leges naturæ eſſe, vt animal perfectum & magnum, & imprimis quod optima victima fuit habitum, corde careat. Denique, ſi talia accidant, an mortem præſagiant? De quibus, qui obſcuram habent latentémque cauſam, nec ſatis certam hiſtoriam aut negligentius explicatam nonniſi probabilia proferam.

Quod ergo primum concernit, videtur veriſimile, fermè circa omnes contingere aliquod prodigium. Nam ſi aliquibus euidentius hoc illudve contingit, obſcurius aliis contingere eadem credendum eſt: præſertim quod homines non natura aut nobilitate inter ſe differunt, ſed fortuna & virtute vitiiſque. Siue igitur hæc prodigia ab eadem cauſa, quæ interitum approperat; ſiue à genio proprio, ſeu ab his, qui hæc inferiora curant geniis aut Deo ipſo fiant, credendum non eſt in talibus, hominem homini iuxta blandientis fortunæ auram præferri, ſed potius omnium æqualem eſſe cuſtodiam, aut ſi quid intereſt, amorem eſſe optimorum, odium peſſimorum. Verum homines cum fortunatos ſuſpicere ſoleant, etiam in illis ſingula, tametſi fermè nullius ſint momenti, animaduertunt. Deinde quia cauſæ etiam, quæ grandem illam fortunam peperere, vehementiores ſunt, veriſimile eſt, illis etiam euidentiora prodigia atque ſigna apparere. Sed quæ quiſque, vt libet, interpretatur. Interim rarò moriturorum prodigia quiſquam animaduertit, mortuorum autem quàm frequentiſſimè. Facile enim eſt, iam exactis rebus, quæ viſa fuerunt, quæque quis egerit, ſucceſſui accommodare. At mihi quoties canes ante oſtium vlularunt, corui crocitarunt, ſtrepitus inconditi auditi ſunt? quæ dum contempſi, viuo: ſi periiſſem, non defuiſſent, qui hæc inter certa prodigia mortis meæ numeraſſent. Certum tamen eſt, inſignes viros rarò admodum, ob cauſas dictas, citra ſui interitus manifeſta ſigna interire. Dicam autem quod nuper mihi contigit, cum captus fuit filius meus Ioannes Baptiſta. Ea die apparuit in annulari vngue dextræ manus ſignum fuſcum & tenue valdè, partem tertiam & ſuperiorem vnguis occupans, quod paulatim aſcendens fiebat breuius. Nocte quæ diem quinquageſimam præceſſit, qua capite mulctatus eſt, cum iam ad finem perueniſſet maius longè apparuit, adeóque rubens, vt flammam & ſanguinem ſuperaret: quo facto me inſcium futuri valdè exterruit. Eadem nocte Papiæ, in domo mea duæ catulæ pauones domeſticos maſculum & fœminam, quos iam diu in delitiis habebam, adeò diſcerpſerunt, vt ne fruſtum inuenire licuerit, ſed omnia membra minutim ſparſa, quamquam catulæ illæ in domo natæ eſſent atque nutritæ. Huiuſmodi tamen quia nos lex Chriſtiana vetat obſeruare, & curare prohibet, rectè quidem iam exoleuerunt &, vt verè fatear, parua iactura. Siue enim vera ſint & ineuitabilia, ſiue falſa, fruſtra anxiam mentem noſtram torquent. Imprimis cum conſtet, nullam faciliorem eſſe viam impoſtoribus ad fallendum, quàm ſi quem his fidem habere animaduertant.

Melius igitur iam fuerit ad id, quod relinquebatur, redire; ſcilicet, quonam pacto & dolorem mortis & illius exſpectationem lenire liceat? Cum verò, vt dixi, mortis dolor, maiore ex parte pendeat ex genere morbi, oportet

circa

circa huius lenitionem versari. Quidam autem ab initio sæuiunt, quidam post, quidam in ipso sensus discessu. Ab initio quidem, dolores vehementes, vt colici, nephritici: post, phthoe, lateralis morbus: in ipso sensus interitu, febres, effluxiones sanguinis. Alij ab initio ad finem mites perseuerant, vt pestilens febris, attonitus morbus, diarrhœa. Ita Augustus in multis fœlicissimus, cum lene mortis genus optasset, eadem extinctus est, nullo prorsus doloris edito signo, quamuis cõstante sensu. Cũ verò sẽsus partes tres sint, cogitatio, cognitio, dolor: primum & vltimum auferre oportet, secũdum auferre, nihil prodest. Quod enim æger videat audiátq; solatio potius esse debet, quàm mœrori aut timori. Curabimus igitur, vt dolor omnis & cogitatio auferatur. Id fieri potest cicutæ potu, vt etiã in Euphrate dictũ est. Quãuis Socratẽ legamus, qui eam biberat, iuxta mortẽ breui momento sustulisse oculos, quod conuulsionis indicium fuit. Eodem faciunt, opium, mandragora, solanum, hyoscyamus, papaueris abundans esus, caro muris alpini & columborum, crocus, malum spinosum, aqua nymphææ, nux lanugine obducta, quam falso vomicam appellant, atque alia huiusmodi. Viperarum morsum, vt rem difficilem, omitto. Sed dulcis vini potum haud aspernor, quo Epicurus aliíque Philosophi non insusè vitam claudere maluerunt. Et nuper Aloysius Gonzaga Patritius vir, cum desperatam salutem videret, potu vini, quod maximè optauerat, extinctus est. Velut enim in somnum prolapsi absque dolore tales extinguuntur. Sed hoc solum difficultatis superest, quod antequam sint deplorati, certum solet afferre exitium: postquam fuerint, aut non meminerunt, aut se deploratos esse non existimant. Referabat Guilielmus Postellus, amicus noster, grauatos multo croci pondere viatores, vbi sudassent & quieuissent, dulci somno in via corripi, atque prorsus sine dolore in eodem ipso exspirare.

Ergo cum sex sint, quæ ad mortis tractationem pertinent, vt sine dolore sit, vt non sit timenda: vt eam leniamus, vt vtilitatem ex ea capiamus, vt gloriosa sit, vt persuadeamus fortiter ferendam: duo autem vltima inutilia sint, tria verò prima docuerimus: reliquum est, vt de vtilitate mortis agamus. Sed prius, quod propositum est, explicemus, scilicet. Nihil referre, fortiter an ignauiter, gloriosè an turpiter, pulchrè an fœdè quis moriatur, modò non crudeliter & magno cum cruciatu. Item nihil pariter referre, fortiter quis exspectet illam, an perpetuò deploret illius aduentum, modo dolor par sit in cogitatione, atque idem metus. Quod enim mortem gloriosam esse velit, quid ad nos, si & tunc & postea perpetuo sensu simus cariturí? At gloriosa res est. Nugaris, etiam quando ea gloria ad nos pertinere posset. Quoties verò nobis, Catonem inculcas, eosque qui fortius mortem oppetiere: quorum nec nomen nec memoria vlla extat? Stultum autem est credere, Catonem ob mortem esse celebrem, quæ illi cum multis communis fuit: propter vitam, quæ singularis fuit exempli, non coli memoriam viri continentis, innocentis, incorrupti, fortis, reipubl. amatoris, iusti, prudentis, magnanimi, vitiorum osoris: imprimis quia incidit in tempora bellorum ciuilium, in reipubl. euersionem, inimicus eius remp. eámque orbis dominam occupauit, in sæculum florentissimum. Sed vir hic quia ipse pessimus erat & fœnerator, auarus, raptor, malignus, inuidus, ambitiosissimus, imperitissimus, & quod deterius erat, bonarum omnium artium hostis, virtutum expers, nihil virtutibus tribuit, sed omnia stultæ morti & impatientiæ doloris. In quo inimici potius quam tyranni rationem habere visus est. Nam si tyrannidem odio habuit, cur secutus est Pompeium totius mali primum authorem? Deinde, cur non experiri maluit clementiam tyranni cum spe iuuandæ reipublicæ, quàm illam ex toto deserere? Quæ gloria est semetipsum occidere, si tam facile? aut si adeò gloriosa est hæc res, cur ardua nec omnino facilis? Rectè mihi Theologi nostri dicere videntur, dæmonibus malis non esse obsequendum, etiamsi pia suadeant. Ita nec Senecæ credendum est, etiamsi vera persuadeat. Iam enim nostri quis sit, qui scripsit de Ira, Clementia, Prouidentia Dei, Beata vita, de Beneficentia, de Tranquillitate, denique tot Epistolas, quod omnium est ridiculosissimum, de vitæ institutione, in quibus (si librum de paupertate illius esse neges,) paupertatis laudes præcinit. Et quis ferat Claudium de prudentia, Neronem de clementia, Nomentanum aut Vitellium de frugalitate disserentem? Mihi quidem videtur præcepta sanctæ Philosophiæ irridere, non docere voluisse. Sed hæc omittamus. Si gloriam ex morte quærit, illustre sepulchrum & diuturniorem & maiorem præstabit. Si hanc contemnit, cur illam tantum desiderat? Quia in virtute reposita est illa, hæc in opibus & profusione. Nil agis: nam quæ virtus est, semetipsum occidere? Si enim ob calamitates facis, nonne te docuit Aristoteles, mollitiem esse? Si ob iniuriam, cur illum potius, qui tibi intulit eam, vel inferre meditatur, non occidis, quàm temetipsum? Iam ergo pars vna inutilis est.

Fortitudinem laudas & auxilium non addis? Quis ignorat, omnino hoc amarum catapotium esse deuorandum? Vtcumque ducas mortem, tibi nihil prodest. Quod si perpetuò eam formides, vnico carmine tibi Poëta dicet,

Dum mortem metuis, amittis gaudia vitæ,

Mortem enim dum timemus, ipso timore ad eam magis accedimus: adeo vt aliqui ob mortis inanem metum mortui sint. Num verò solatij aliquid multumve possit in ipso extremo agone adferre cogitatio parentum, affinium, filiorum, vindictæ, spei, quamquam breuis, dubitatur. Videntur sanè hoc testari Epicurus in Epistola, & Philosophus, dum fortium virorum mortem refert: & lex nostra, quæ morituris consolatores adhibet. Virgilius quoque id insinuat dicens:

Hoc tamen infelix miseram solabere mortem,
Æneæ magni dextra cadis.

Breuitas etiam vitæ nostræ id admittere videtur, cum temporis punctum felix pro tota vita sit.

sit. At è diuerso, si labitur, quid prodest? si nihil superest, vbi gaudium? si superest, quota pars in eo puncto? Itaque hæc quæstio altior est, quàm vt hic finiri possit tanquam paucis. Opinione igitur hominum id constat.

Sed ad Senecam redeo. Narrat omnibus nota, sed magno supercilio. Non est, inquit, vita fugienda, vt nec mors. De vita haud dubium est. De morte, si possum honestè, malè docet: si non possum, frustra: si turpiter, iam Philosophi alij multò id grauioribus sententiis atque argumẽtis docuere, plures etiam ipso experimento, vt eius doctrina non indigeamus, in qua nihil docet, nihil distinguit, nullius dicti firmas rationes affert. Non decet, inquit, adeò esse generosum, vt vitam contemnas, adeo ignauum, vt illa te grauetur. Ad insanos si hæc dicantur, parum proficient: sapiens verò his præceptis, tam absurdis, non indiget. Sed quorsum hæc tanta? Volebat vir fortis videri & tamen viuere: diuitiarum contemptor, sed illas retinere, imò augere etiam, licet essent immensæ, & quas, vt ipse Neroni fassus est, ferre non posset. Volebat sanctus non solum, sed & Philosophus è Stoa existimari, & omnibus cupiditatibus indulgere. Quare hoc monstrum horrendum, omnium improborum hominum exemplar dimittamus.

Deueniamus autem ad principale institutum, quod ab initio tanquam primum propositum vltimo loco postulat absolui; scilicet, Quid ex morte mortísque timore boni consequi liceat? Primum igitur hominem admonet, vt omnia parata ad discessum, velut longissimum iter ingressurus, habeat: prospiciat successoribus, vitiis omnibus valedicat, acceleret peragenda, quod superest vitæ viuat piè, sanctè, religiosè: explicet inuoluta, deleat ineptiarum testimonia, omnium aliorum malorum, paupertatis, orbitatis, iniuriarum, obliuiscatur, eaque omnia ceu bonum maximum exspectans contemnat. Damnatus ad triremes, cum submersionis instat periculum, humanior fiet, suósq; omnes charius amplexabitur, ceu nunquam amplius eos reuisurus. Mortis itáque memoria omnibus vtilis esse videtur: sceleratis & impiis, vt à vitiis se retrahant: infelicibus, vt sciant se ab ærumnis liberari: probis, vt præmia exspectata recepturos se sperent: sapientibus, vt cognoscant fortunæ bona virtute esse longè inferiora: beatis, vt moderatè atque magis secundum virtutem occasione vtantur. Vt quisque igitur erit affectus, ita opportunè vtilitatem suam excipiet ex mortis meditatione. Achillinus autem, vt erat Philosophus Peripateticus, dicebat se visurum quomodo se res haberet?

Finem huic argumento impositurus eram, sed duo dubia prius absoluere decreui: vnum, quod iam propositum est tanquam à Philosopho, scilicet. An à morte aliquid premij, vel pœnæ sperandum sit? Alterum, vbi mors grauior sit, in fœlicitate maxima, an in maxima calamitate? Primum vt expediam, extra dubium est, Deum non curare fabulas, puerilia, nugas, scommata, nec cognoscere talia, vt nec saltus aut lusus, quia non sunt, & simul perabsurda sunt, quæque omnia etiam è nostra memoria breui euanescunt & obliterantur. Non igitur nec facta aut dicta cogitationesve hominum curabit. Nam & apud nos vix paruo tempore post imago illorum superest, minorísque habetur & inanior quàm pueriles fabulæ aut lusus præsentes: hæc enim non ex toto, quemadmodum illa apud homines obliterantur. Quamobrem præmia quidam, imò non præmia, sed beatam solum vitam proposuerunt: pœnas autem nullas. Iure merito igitur credendum est, quod sciri non potest. Et maior fides habenda est his, qui supra naturale lumen sequuntur, quam rationibus leuibus: præsertim quod quæ de naturalibus traduntur, velut in cœlestibus de orbibus homocentricis, non omnibus experimentis satisfaciant. Benè igitur sperandum est tam miseris, quàm his, qui ex hac vita beati discedunt. Nam in eo magnum est discrimen, vt benè aut malè speres: mori autem fœlicem aut infelicem non tantum refert. Nam quod ad se attinet, infelix fœliciter, felix infeliciter moritur: quod ad suos, è contra. Simpliciter autem, infelicior est mors orbis fœlicibus: filios autem relinquentibus fœlicibus, fœlicior. Claudere decreueram hanc tractationem, sed recordatus carminum, quæ iunior olim in mortis laudem exarassem, diu dubitaui num ea hic adiicerem, quod tam acerbæ commemorationi non cõuenire ludicra existimarem, imò potius mecum dixi, tam tristis narratio aliquo ioco dulcescere debet. Accipe igitur iuuentutis ineptias, ne quid mihi pereat.

Perpetua nemo timeat silentia mortis,
Nulla tuam post hæc vexabit cura quietem,
Dulcibus æternis produces tempora somnis:
Candida florenti fulgebunt lilia prato:
Securus cœli tempestatúmque ruinas
Et maris, & sæuitiam formidata tyranni
Imperia, & fastus fugies tetrósque dolores:
Cum cinis vmbrosa iaceat mollissimus arca.

CAPVT VI.

De Cæcitate.

PRoxima morti calamitas est cæcum esse, seu natus sis, seu casu aliquo factus. Vtrùm horum grauius sit, non facilè explicauerim. Ille delicias non sensit: hic memor esse potest eorum, quæ viderit. Ille optare potest se vel semel orbem, cœlum, solem, sidera, pratáque florentia, maria, montes, domos, picturásque spectasse: hic, cum viderit, nouit quanta voluptate, quantísque commodis priuatus sit. Causam ergo certam maioris doloris ille habet: at hic magis dolet, quia nouit, quæ amiserit. Si enim recta ratione æstimare res velimus, sola præterita fœlicitas maximam affert voluptatem, quod secura est. Sin peruersa hominum ingenia sequimur, nihil durius est aut grauius, quàm posse quidem dicere habui, non autem, habeo. Ita diuersis sub iudicibus res æstimanda erit. Ita visus ob id charissimus est, quod plura nobis ostendat maxima & maximè opportuna

tuna vsibus vitæ nostræ, ac maximè procul. In quibus omnibus cum alios omnes sensus præcedat, merito omnibus aliis etiam præferri solet. Orbatos vno oculo cæcos non licet appellare. Pertinétque hoc calamitatis genus ad deformitatem potius quàm ἀναισθησίαν. Neque enim impedimento fuit Philippo Macedonum Regi aut Annibali, quo minus fortia facta gererent post oculum vnum amissum, quam antea. Horatio quoque Romano & pontem tuenti excussus oculus Coclitis agnomen addidit in gloriam. Non nescio tamen, quod quidam fuisse iam anteà vnoculum affirment, & in ea pugna trabea coxam solum illi transfixam. Quod si verum est, saltem id illi nihil obfuit ad tantam laudem consequendam. Sed hæc mittamus, cæcorum vera solatia quæramus. Vbi ego Homeri, si non fabulosam, incertam saltem cœcitatem in medium ad defensionem non afferam. Non enim Philosophi hoc, sed Rhetoris potius officium est: non vera docentis vtilitatis gratia, sed persuadere conantis ac fallere volentis ambitionis aut contentionis studio. Non etiam Appij Claudij senis laudatam adeò fortitudinem consiliúmque prudens producam. Primum, quod non omnibus cæcis & Senatorum Romanum & Pyrrhi ætate esse contingit. Deinde, quod fortitudo illa in togato ac cæco, qui aliena ciuium corpora non suum periculo exponebat, potius inuidia aut desperatio, quam fortitudo merebatur appellari. De consilij prudentia facile est laudare, quod benè cesserit. Sed si quis periculi magnitudinem & raram virtutem ducum & prodigiosos euentus, (vt Medici illius, qui Pyrrhum occidere veneno pollicebatur, (& Consulis Romani constantiam, sociorum denique calamitatem, quibus omnibus Pyrrhus magis quàm armis victus in Græciam rediit, æstimare velit, insanum potius aut saltem temerarium Appij consilium, quam forte vel prudens appellare malit. Sed non sunt huiusmodi rationes à casibus aut vnius fortuna sumendæ, sed ab ipsarum rerum ordine, magnitudine, dignitate. Cæcus est, ablata est vis videndi, relicta ratio ac cogitatio cum aliis sensibus. Non dicam, quod solent dicere qui solantur, habet & nox delitias suas. Habet sanè habeátque, quis nescit? sed suillas, veneris vsum atque ciborum. Sed nec in his quidquam perfectum esse potest oculis ademptis. Maxima voluptatis pars in venere, est forma patientis: aliter enim à Diogeniano scortillo parum abest. Quomodo ergo sine oculis spectabis formosa sit an deformis mulier? Quis sustineat cum anu fœda, leprosa, tuberibúsque ac vlceribus scatente congredi? nec velit potius sponte semen per somnum diffluere? Quid ergo argutis verbis opus est, solari cæcum, cui minus hac in causa quam in vlla alia relictum est?

Ergo ad solida argumenta, ad rectam viam redeamus, & solemur non solum cæcum, sed etiam adiuuemus, peculiarique aliquo antidoto, ex ipsius infortunij occasione sumpto, tristitiam curemus, illique auxiliemur: Id vnde sumemus? Certè ex partibus illis, quibus cæci aliis præstare solent. Eæ sunt mens, auditus, & tactus. His enim tribus qui cæci sunt, maximè à natiuitate, aliis hominibus præstare consueuere. De mente Poëta dixit,

Obruit ora Deus, totámque in pectore lucem
Condidit:

De Tyresia, ni fallor, loquens. Tactu autem præstare argumento est, quod videamus cæcos eo dignoscere nummos, quod sanè nemini ex his, qui vident, concessum est. Idem denique de auditu experimentum & ratio docent, quod de mente ac tactu dictum est. Est enim multitudo illa spirituum magna, quæ videntibus per neruos opticos, quorum maxima proculdubio cauitas est, perire solet, & in cæcis seruatur ad aliorum sensuum auxilium, vt & memoriæ imaginandique ac rationis functionem. Deinde, visu sublato minus mens aliíque sensus distrahuntur: adeò vt vel hanc præcipuè ob causam longè melius discamus à somno, sensuúmque functionibus perfectius vtamur. Denique, cum ex quadam consuetudine visui fidere non possumus, idcirco mente ac reliquis sensibus magis intenti cæci firmius operibus incumbunt. Atque his iam tribus de causis etiam in omnibus aliis actionibus, quæ ad cognitionem pertinent, cæci videntibus longè præstare solent. Quo fit, vt, absurdum non existimem credere, quod affirmari consueuit, Homerum cæcum fuisse. Etenim id & hoc suadet, quod multi in disciplinis egregij viri, tametsi non penitus cæci fuerint, visu tamen valuerint minus quàm communiter alij. Homerum tamen cæcum fuisse non putem. Non enim tradere potuisset tam exactam notitiam regionum, locorum, rerum omnium. Parum vidisse & imbecillem oculis crediderim, atque ex hoc cæcum dictum, quod eminus minimè videret. Quod verò de se ipso dixisse volunt,

Τυφλὸς ἀνὴρ, οἰκεῖ δὲ χίῳ ἐνὶ παιπαλοέσσῃ,
Vir cæcus est, & aspero in Chio domi:

Non persuadet mihi, vt opiner cæcum & mendicum eum fuisse. Neque enim adeo credulus sum aut stultus. Quin id illi potius ab Herodoto mendacissimo Græcorum adscriptum. Quamquam si hæc ita essent, non parum causæ meæ fauere non ignorem. Ergo ad argumentum institutum redeamus.

Qui cæci sunt, plurimum tactu, auditu, & memoria valent. Ob id orantem quemdam æmuli cum euertere vellent, collocarunt ei suggestum aduersus radios solis. Per hoc enim miser ille repente omnium est oblitus, qui alias Cinea memoria recitare solitus erat. Omitto nunc Didymum Alexandrinum, qui cæcus natus ad arcana tamen diuina peruenit, & quod maius est, etiam geometrica sciuit.

Prosequamur autem quomodo optimè singula assequi liceat, & quid cæcitas in vnoquoque genere præstet, quod ab aliis haberi non possit, ostendamus. Ferrariensis cæcus, qui duorum fermè magnorum auri talentorum stipendium in singulos annos, vt audiui, ex diuina organa pulsandi arte meruit, eo profecerat, vt cum Petrum Bonum consulto

malè

malè chelyn pulsantem audisset, rogarit, vt chelyn è manibus eius, quisquis esset, auferrent. Rursus, vbi eum mutato consilio artis suæ excellentiam declarantem animaduerteret, admiratus primum ac parum subsistens, eruperit in hanc vocem, hic Petrus Bonus est: quasi & nemini eo profecisse concessum esset, & quòd maximum ipse intelligeret. Sicque vno testimonio incomparabilem in vtroque artis peritiam declarauit, & in Petro illam exercendi & in seipso iudicandi. Cneus Aufidius Iurisconsultus & senator egregius, quamvis cæcus, Græcam historiam tamen scripsit. Diodorus Pythagoreus & Philosophus & Geometra euasit: idem etiam fidibus pulsabat: egregiè verò omnia. Lippus Florentinus cæcus factus ex morbo, Philosophiæ ac Rhetoricæ auditoria frequentabat. Quid igitur obest, quin tu quoque studiis liberalibus diligentiam adhibeas? Quòd si ingenio sis melior, memoria firmior, nullis interim officiis occupatus, nullis distractus negotiis, mirum in modum proficere poteris. Memini etiam me legisse, Cajum Drusum Iurisconsultum, cum suis oculis non posset prospicere, ad vincendum causas alios consilio mirum in modum adiuuisse.

Verùm, dices, proficiam quidem, sed magno labore, & nihilo secius tamen non videbo. O stulte, an non melius est, non videre & rectè sapere, quàm non rectè sapientem benè oculis prospicere? Annon proprium est hominis scire atque eruditum esse: oculis autem videre cum omnibus fermè animalibus commune? Quæ semel vidisti, si videas iterum, quid prodest? aut in quo proficere iterum videndo potes? aut in quo belluis fieri melior? At exactius intelligere, quantum prodest? Quanto melior te ipso euades, si vltra progrederis? Nunquam autem vetaberis augere sapientiam & longè plura scire quàm scieris. Nihil verò in eo commune est cum belluis. Nec dolebis, nisi insanias, quòd alea ludere non possis discere. Etenim id didicisse perniciosum fuisse multis, luce ipsa clarius est & quam dici postulet. Si ergo studiis te dedas, tot & tanta vnius pueri auxilio discere poteris, vt animam ceu splendidum quoddam iubar efficias. Dic verò, quid iuuat oculis videre mortalia, si mente immortalia intueri non licet? Oculis cernimus multa quæ placent, sed etiam plura: quæ displicent at mente solum pulchra & iucunda. Si tantum esset in oculis vtilitatis & gratiæ, num quem putas sibi sponte oculos effodere voluisse, vt fecisse Democritum ferunt? Sed id vanitatis exemplum sit, aut certè vanum, quis non mallit sapientissimus esse, quàm oculatissimus? Sed fac, vt etiam hoc tibi condonem, melius esse mediocriter sapientem esse & oculis prospicere, quàm cæcum & sapientissimum: an non melius tamen est in hac calamitate, scire beneficio hoc vti quàm nullo? Certè id non consulo, vt adipiscendæ maioris doctrinæ causa temetipsum aut filios, excæces sed postquam fortuna in eam te calamitatem coniecit, occasione vti scias.

Sed iam ad secundam vtilitatem transeamus, quid est, si in Musica tantum, vt Ferrariensis iste, profeceris, cur oculos desideres? Nescio quantum aliis id persuadere possim, certè ego in harmonia longè maiorem voluptatem percipio, quàm in quovis lęto aspectu. Vnde est, quòd Philosophi, maximè Academici, finxerint animam nostram esse harmoniam motusque cœlestes ad symphoniam temperari, non ad aspectum aut colorem vel lucē? Certè quod dulcius nihil, nihil iucūdius, nihil ea sit diuinius. Cur ergo non anniteris, vt hanc perfectissimam exactissimamque artem semper tecum habeas & sis tibi ipsi iucundus, atque aliis omnibus voluptati & admirationi?

Sed dices, qua in re ex tactu proficiam? Non alia nunc mihi succurrit, quàm in admiranda illa pulsuum cognitione, vt possis summum artis medicæ culmen attingere. Quòd si obiicias, ad cætera signa deesse auxilium oculorum. Respondemus, vnius signi exactam notitiam multis imperfectis longè præstare.

Omitto nunc, quòd cæcis non tam grauis est mors: maximè quòd, velut belluæ, omnes non nisi morientes mortem agnoscant. Cosmus Medices moribundus cum clausisset oculos, cur ita faceret interroganti respondit, vt assuescant. Magna enim pars doloris mortis est imaginari tenebras illas. Denique cæcis pleraque sunt iucundiora, & maximè filij: velut etiam sensibus, quòd in his sentiant restitutum, quòd ipsis deficit.

CAPVT VII.

De Surditate.

SVrditas malum est cæcitati compar. Sæpèque dubitatum est, quis horum morborum sit deterior? Nam vt dixi, oculis captus similior est morti, & solus incedere vix audet aut potest: at surdus ab hominum conuersatione, quæ res dulcissima est, seiungitur. Sunt autem surdorum tria genera. Quidam enim sunt à natiuitate tales: de quibus nunc agere propositum non est. Sunt enim hi omnes etiam muti: nam cum discamus audiendo loqui, qui audire non possunt, nec loqui etiam. Alij postquam orti sunt, surdi fiunt, sed antequam loqui discant. Atque hi pari conditione muti euadunt, vt non sint à prioribus dissimiles: quamobrem & sub vno genere atque tractatione continentur. Reliqui sunt, qui surdi fiunt postquam aut loqui tantum, aut scribere etiam didicerunt: atque de his sermonem nunc habere instituimus.

Qui igitur iam scribere didicerunt, etiam conuersari cum hominibus possunt. In his ergo magna se vtilitas & voluptas offerunt: paruus dolor ac minor iactura. Legendo enim omnium præteritorum mentem assequi possunt, vt prudentiam atque scientiam. Quam potentiam si minorem esse existimas, nō parū falleris. Quantum est, quòd non cogaris audire tot dicta importunè, inaniter, ineptè, superfluè? Vides in antiquorum libris omnia quæcumque possederunt bona: malorum & vitiorum nihil, præterquam in Seneca, qui adeò insolens fuit, vt nec scribendo deposuerit vitia, quæ haberet. In reliquis omnibus totam medullam assequeris ingeniorum, corticis & tegminis ac quisquiliarum nihil, paruoque

temporis spatio, quæ illi multorum annorum labore collegerunt, videre atque assequi potes. Illud etiam lucrifacies, quòd cum ineptiarum nihil audies, oratio tua pura & optima ab illis, etiam te nolente, futura sit. Etenim vt, qui soli Ciceroni operam dant, non nisi ciceroniana lingua loqui ac scribere norunt: ita si nunquam ineptias audias, vt ineptè scribas vix fieri potest. Solemus enim dicere.

Corrumpunt bonos mores colloquia praua:

Imò magis sermonem nostrum inficiunt. Quid aliud nobis per Homerciam illam fabellam Syrenum & Vlyssis sociorumque aures obturantium significatur, quàm præstare, vt multis aures non præbeamus? Quibus non? Pluribus sanè, quàm hi sint, quibus præbere vtile sit. Non adulatoribus primum insidiantibus, improbis, scurris, impiis, stultis, amasiis, atque his perturbatione animi aliqua detinentur, velut iratis, inuidis, mœrentibus, auaris, timidis, amantibus, iniuria lacessitis. Iam videas licet, quota pars hominum ab his omnibus reliqua sit, & an non vbique Sirenes inuenias? His, qui tibi consulent rectè, necesse est vt tria adsint: vt sint amici, sint prudentes, & res tuas apprimè norint. Quæ si in quoquam non agnoscis, melius est consulere non alium, sed semetipsum. Sermones inepti tempus surripiunt, audiendis inutilibus homines assuefaciunt, & nostras actiones interuertunt, ac nos ineptè loqui docent. Atque hac conditione surdus esse cuperem, si diues essem. Si, inquam, diues essem: nisi enim sim, auditu indigeo, vt possim familiam alere. Non credo, ais. Verè: neque enim impia verba, turpia, scelerataque audirem: non cogerer tempus terere, ineptiis audiendis, quas si non audias, morosus & fastidiosus haberis. Talia sunt hominum ingenia. Adhuc non credis? nunc nunc faciam vt credas. Dic sodes, cur sancti illi viri, Antonius, Hilarius, Hieronymus, tótque alij in solitudinem se transtulerunt, nisi vt hominum sermones nō audirent? Tanti fecerunt hoc commodum, vt plurium commodorum, quæ ex conuersatione hominum habentur, obliuiscerentur, aut ea ob hoc vnum contemnerent. At qui surdus est, eo incommodo caret, nec indiget pera, igne, casula, neque se feris exponit. Cur igitur non putas me, si diues essem, non malle surdum esse potius, quàm cogi tot inutilibus sermonibus operam dare? At dices, non poteris resalutare salutantes, aut pro salutatione maledicentes deprehendere? Agam vt surdaster ille, qui cum labia mouere obuios ac sibi cognitos animaduertebat, sic resalutabat. Et vobis etiã. Itaque si illi dixerant, benè tibi sit, conueniebat responsum: si, carcinoma tibi eueniat, pereas, non minus responsum cōgruebat. Sed, iocis omissis inquis, expers eris musicæ eius, quam modò tantum laudabas. Sit sanè, nullum egregium bonum est inter mortales absque aliquo leui saltem malo. Malo tamen hominum conuersationem auersari, & sic mihi viuere musicæ voluptatis non expers quàm obsurdescere etiamsi diues essem. Verum illa dixi, vt ostenderem minimam esse huius surditatis iacturam. Sæpius enim testatus sum, me hoc in opere non hortari quenquam vt mala perpeti aut quærere velit: sed docere, si eueniant, quàm leuia sint, aut leuiter ferri possint, atque ex illis vtilitatem colligere liceat. Nihil mirum igitur, huius mali tam pauca inueniri exempla; quoniam adeò leue sit, vt inter admiranda aut difficilia referri non mereatur. Cicero dum simul maxima mala enumeraret Tuscul. Quæst. v. surditatis haud meminit. Idem paulò post cum surditatem commemoraret, vnius Marci Crassi nec surdi planè sed surdastri mentionem facit. Testimonium Ciceronis libenter affero, Senecæ refugio. Hic enim virtutem laudat, vitiosè viuit: Stoicum se profitetur, Epicurum amplectitur: eruditus vult videri, & quæstiones naturales tam temere quàm insulsè scribere ausus est, eruditionemque & scientiam rerum non vno in loco detestatur, inque ipsos eruditos malignè inuehitur: denique in ea, quam vnicè profitebatur, eloquentia nec cautus, nec eruditus, nec fœlix: impietatis & mortalitatis animorũ auctor egregius. At Cicero culmen eloquentiæ, quem etiam qui accusant laudant, omnibus eruditis fauit, omnes Philosophos præsentes fouit, mortuos collaudauit, ad virtutem omnes hortatur, pietatis & immortalitatis animorum prædicator: Epicuri improbum dogma insectatus est: facundius an verius, an subtilius singula tradat, incertum est: Reipubl. quam tuebatur & in qua erat educatus, fidelior quàm prudens defensor: vni iracundiæ, fatis Reipubl. id postulantibus, nimium indulgens, vitam tamen professioni similem habuit. Locupletatus est testamentis amicorum, quos officiis sibi deuinxerat, & assidua orandi opera: at ille fœnore impudico, tyrannique spolis. Sed vereor ne, si manes Ciceronis nunc hæc audiant, indignius ferant se tam nefario homini comparari, quàm gaudeant his laudibus nostris, quæ illius gloria ac virtute factisque longè sunt inferiores. Verum ad institutum redeo, argumentisque ipsius Ciceronis vtar. Laudo autem Tusculanas illius quæstiones, non minus prudentes quàm fortes, quo illas adiungas his ipsis, quæ nunc, disserimus.

Si igitur apud barbaros & aliena lingua vtētes viueres, an non apud omnes illos surdus esses, & tamen posses feliciter viuere? Vt enim certum est, surdum loquentem à cæteris intelligi: ita etiam extra dubium est, vbi conuenerint duo diuersis linguis loquentes, à neutro alium intelligi. Qui verò alium non intelligit, an non apud ipsum surdus est? Id mihi euenit, cum apud Scotos essem, vbi vt neminem intelligebam, ita nec illi me: interim tũc feliciter, imò felicius solito, quandoquidem nacta occasione mihi ipsi viuebam. At latino sermone, ais, intelligebaris & intelligebas. Et iam surdo non desunt scripta, vt dixi, quibus & intelligat & intelligatur à pluribus. Sed dices, omnia traducis ad studia literarum & sapientiæ, quid si faber surdus sit? nunquid & illum ad philosophiæ disputationes atque arcana traduces? minimè. Quid ergo faciet hic? Scrutabitur Vitruij, Neronis, aut Athenæi dicta, succos, puluerésque ac illorum potentiam experietur & condiscet, aliquidque indies arti addet. Semper est quo proficere possis, modò musicum surdum non proponas.

Verùm

Verùm si antequam legere ac scribere didicerit, surdus efficiatur, quid agere illum miserum oportebit? Crimen quidem hoc est, cum deceat discere simul & loqui & scribere & legere. Sed sit parentum hoc crimen, quid modò faciendum? Oportet vt discat scribere ac legere: id enim licet, velut & cœco, vt facere alibi docuimus. Ardua est res, sed quam tamen etiam natus surdus efficere possit. In arduis magna vtilitas, maior gloria & laus est, etiamsi non assequaris: non enim omnibus datum est adire Corinthum. At talis cum nec præceptis hic indigeat aut iuuari possit, quorsum igitur hæc scribere? Scribimus non tanquam discenda, sed velut possint sponte illis in mentem venire. Si loqui didicisti, rogare potes vt commonstrent tibi arcana, quæ sunt circa artes. Sunt autem, vt dixi, in singulis plurima. Possunt verò ea tibi signis non secus ac verbis commonstrari. Constat sanè Romæ Mimos fuisse, qui barbaro Regi ita omnia gestu exprimerent, vt cum duos ex his petiisset ab Imperatore, acceptos pro maximo munere habuerit. Sed & res ipsas & scripta citra vocis sonum literis hieroglyphicis, quemadmodum olim, repræsentare licet.

Verùm vt etiam de primo surditatis genere, quod ab ortu aut paulò post contingit, loquar, annon tota infantia surdi sumus ac muti, minusque sensibus robore ac mente valemus? Attamen nullus tunc infelix est eo ipso, quin artes vnusquisque proprias discit. Deum itaq; surdi mutiq; venerãtur & colunt, & quia mentis sunt participes, nihil est quòd prohibeat, quominus in artibus elegantiora & politiora opera perficiant, & sibi ipsi magis viuant, vnde omnibus, vt & ob morum elegantiam, maiore sunt in admiratione. Memini me quosdam surdos ac mutos nouisse, qui cum Principibus aliisque proceribus inseruirent, eisdem erant grati, minusque turbæ ab illis excitabatur in aula, minus & ipsi ab aliis infestabantur. In vniuersum, cui mens non deest, eidem nihil tam magnum videtur deesse posse, quòd mentis auxilio comparari non queat.

CAPVT VIII.

De Mutis.

SEd si mutus solùm sit homo, non autem surdus, hui, quàm illi parum periit! Vix vlli sermo seruauit, innumeris ademit. Solis sapientibus ac prudentibus, postque longam meditationem oratio vtilis est. At vide quàm pauci sint sapientes simul ac prudentes, & quàm rarus homo, quantum necesse sit, cogitet quæ dicturus est. An non adagij illius meministi?

Nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum.

Contendat aliquis non rectè adagium vocari: modò verissimum sit, vincat etiam. Quin etsi pares numero essent boni ac mali exitus, qui ex sermone ortum habent tamen multa maiora mala ex verbis perperam editis proueniunt, quàm bona. Annon vnico verbo multi exitium sibi, multi exilium, paupertatem, carcerem & vincula, iram principis, alij stultitiæ opinionem, alij inscitiæ, alij impietatis, vel impudicitiæ, aut scelesti pepererunt? At vide, quæ his bona æquare possis? Quòd si vel semel contingat opes aut eruditionis opinionem ex verbis acquirere, quot verbis opus est? quoties repetitis sententiis, verbis autem mutatis, aut etiam sententiis ac verbis? Quis vnquam verbo sibi parauit amicum? nisi forsan, qui verbo illo vilior sit. At quoties vno verbo capitalem accidit pari inimicum? Nihil igitur tutius mutitate, aut si ita mauis ἀφωνία, vt, quandoquidem id latinè dici nolis, dicamus ea lingua, cui nihil non dicere est concessum.

Aphoniæ proximum est silentium, adeò laudatum. Sed postquam silere tam pauci norunt, melius est mutum esse omnibus his, quibus vita sermone non constat, vt professoribus, concionatoribus, tubicinibus, salgamariis, quàm non. Equidem quot fideiubendo pro aliis exuti sunt bonis? quot impræmeditato responso donarunt, mutuo dederunt, aut polliciti sunt, propter quæ postea, dum seruare vellent, in maximas calamitates inciderunt? Quare Areopagitas non alio titulo honestarunt quàm taciturnitatis? quare Pythagoras quinquennale silentium omnibus suis discipulis præcepit? nisi vt intellegeremus, nihil esse nocentius lingua. Ex his, qui priuatis odiis trucidantur, (vt eos excipiam qui in acie cadunt,) vix quarta pars aliam ob caussam perit, quàm ob verba imprudenter effutita. Non est itaque quod doleas, si erepta tibi sit occasio tot periculorum atque malorum.

Cæterùm, vt de vtilitate agam, cum homines vniuersi, tribus temporibus contineantur, præterito, futuro atque præsenti, qui proculdubio pauciores sunt: cum præteritis legendo, cum futuris scribendo, cum præsentibus loquendo atque audiendo versari poteris: Cum verò mutus noster auditu non sit destitutus, atque præsentes paucissimi, intelligere licet factam ex ἀφωνία iacturam, minimam esse, & quam scribendo sarcire possit. At scribere tam multa laboriosum est. Quia laboriosum, pauca scribas. Annon Lacones hoc ipso celebrabantur ab omnibus, quòd breuiloqui essent? Sed & nutu ac gestu, quemadmodum dixi, omnia significare potes. Esse autem ἀφωνίαν rem leuem ac facilem, indicio est, quòd multi silentium perpetuum aut imperarunt sibi, aut finxerunt. Interim verò dum per illam erepta tibi occasio est, tot modis tamque pernitiosè peccandi, quòd tibi ex hoc commodi deesse, quodve temporis te lucrifecisse existimas, ita quidem illud omne comparare tibi, atque hoc impendere studebis, vt præstet mutum fuisse quàm eloquentissimum. At quænam desunt tibi? Semina tempus terendi, discordiarum, atque malorum omnium, & quòd neminem susurro aut murmure in suspicionem trahes. Cura igitur vt occasione vtaris. Si eruditus es, lege, scribe: si artifex, disce, animum instrue, ingenium acue, expoli fabrefacta.

CAPVT IX.

De Obliuione.

SVccedit his malis (qui mala esse putant) Obliuio. De memoria enim plerique conqueruntur, quòd nec Cyri aut Mithridatis vel Cineæ habeant. At contra Themistocles querebatur, quòd multorum non posset obliuisci. Etiam ego hac obliuionis præstanti dote fui ornatus, ne quid ad ærumnarum cumulum deesset conscripturo præsertim tot libros, publicè professuro, artem exercitaturo, quæ memorem maximè hominem expostulat. Negãt hoc aliqui, mussant alij, multi sunt qui nec iuranti sint credituri, & tamen ita est. Vbi enim ἐφηβίαν, *pubertatem* excessi, duas lineas, nisi numeroso pede alligarentur, tribus vix diebus memoria mandare valui, sed nec facilè quatuor aut ad summum sex carmina. Nunquid verò hoc me, qui dimidio tantum vnius diei ludum literarium adij, deterruit latinæ linguæ ignarum, pauperem, ægrum? minimè: sed artificium inueni, quòd non solùm ad profitendum, ad studia, ad exercitationem artis, sed etiam ad libros conscribendos plus omni natiua memoria contulit. Hic ego quid aliud dicam, quàm quod Epictetus? Claudus natus sum, seruus & pauper, Deo tamen gratus. At ego etiam quidquam deterius, pauper natus sum, robore corporis inualidus, memoria infirmus, charus tamen Deo. Ergo memoriæ diffisus, quæ videbam, quæ legebam digna mihi adnotatione, antequam artificium illud egregiũ inuenissem, vngue signabam, certum numerum mihi ex ordine declarante. Anteà verò indefesso labore transcribere solitus eram. Sed hoc parum vtile inueni, cum multitudo confusionem pareret, essetque nouus obeundus labor, vt ex tanto labore fructum caperem. Sed tamen effeci, quòd ostendere possunt reliquiæ eorum, quæ absumsi. Post hæc etiam in apice foliorum, ne me falleret memoria aut numerus, numerum æqualem describebam eousque donec mutaretur. Aliter necessarium fuisset vel omnino inuisos margines ac res scitu dignas prætermittere vel singularum paginarum margines diligentiùs explorare. In quo duplex incommodum erat, iacturæ temporis & periculi, ne quid adnotatum, delitescente litura, amitterem. His ergo duobus præsidiis armatus, (quorum in libris de Subtilitate memini, sed obscurè, alterius quòd constat dictionibus, cuiusque copiam Principi feci,) cœpi latinam linguam assiduè loquendo exercere, ac ei studendo operam dare. Quòd verò ex memoria natura detraxerat, ita ingenio addidit, vt simul duabus rebus diuersis operam, adiuuante vsu, possem pulchrè præstare. Dico, legendo humaniores literas & in medicina scribendo. Nonnunquam etiam præter id Mathematica meditabar. Atque sic amissi temporis non minimam partem sarciui. Itaque cum familiarem mihi linguam reddidissem, conceptas verò res & locos vna vel duabus dictionibus comprehendissem, facilitati dicendi & industriæ confisus, & quòd multa perlustrassem in medica arte, atque exercitatione ipsa probassem, ausus sum profitendi muneri me accingere, nec solum hoc, etiam ex tempore perorare, orationi semper confisus, cum meditatam memoriæ mandare desperarem. Hanc verò artem adeptus sum nõ ex Circes præcantationibus carminibusve, quæ omnia fabulosa sunt: non medicamentis anacardinis, quæ perniciem homini atque vim naturæ vigiliasque afferunt: non consuetudine assidua, quæ laboriosa multum, parum autem vtilis est: non admiranda illa locorum imagine, quæ laborem cum rebus ipsis memoria seruandis conduplicat: sed singulari beneficio summi Numinis: quo me docente, aduersus naturæ auaritiam quæ quidem memoriam rerum multarum, verborum nullam concesserat, leui præsidio consecutus sum rem tãtam, quantam nemo mortalium adipisci præter illius liberalitatem potest. Verum cum etiã in ingenio labem insignem mihi reliquisset, siquidem turbidum illud effecerat, (quod & positus Mercurij & Veneris sub lactea via declarant,) diligentia Patris, qui me Geometricorum elementorum principia docuit, & studiis Ricardi ad mediocrem claritatem reduxit. Quid ergo est, cur queraris inepte, quòd memoria non abundes? Rideo sæpè tot querulos homines, ac tum magis cum me hac in parte laudant, & mediocritate non contenti extollunt, in qua etiam quæ habeo, mihi ademit Iul. Cæsar Scaliger, seu mastix seu mastigia, nam vnum ab altero deriuatur. Quare mihi longè plus contulit obliuio, quàm aliis memoria. In me siquidem obliuio industriam peperit: at multis memoriæ securitas negligentes atque inertes reddidit. Habes ergo tot contra illam præstantissima auxilia, vt immeritò queraris, si querare. Habes calamum, lituram, nodos imagines in notis domibus comparatas, Stichionoma nostrum, vt & ego cum Circe aliquid habeam, nouisque nominibus rei auctoritatem addam; inde antidotorum vnguentorumque pyxides. Quid amplius? Minus falluntur, qui deficiuntur memoria, quàm qui abundant. Velut & plures natatores submerguntur in aqua, quàm natandi expertes. Itaque, cum dicat Aristoteles plerosque memores minus reminisci, & qui benè reminiscuntur memoria minus valere: qui memoria destituti sunt, reminiscantur, ingenium exerceant disputent, sæpius relegant, lecta in ordinem redigant, diligentia summa omnia trãctent, adnotentque præcipua. Experimento ego esse possum, neminem diffidere debere, quin res pręclaras aggrediatur, tametsi memoria sit infirma, quemadmodum & aliorum admirabilium Antesignanus factus sum.

CAPVT X.

De Veneris Impotentia.

NAm & hoc incredibile malum mihi successit anno ætatis vigesimo primo. Quo, nescio, quo casu abreptus peste pueris familiari, cœpi primum cum iuuencula concumbere de more, iam satis, vt mihi videbar, ad venerem validus ac promptus. Verum aliter res cessit. Nam redire in patriam coactus, ab eo tempore vsque ad trigesimum primum

primum annum exactum, hoc est, integro decennio nũquam mihi licuit cum muliere concumbere. Etsi enim plures mecum dormitum ducerem maximè eo anno, quo Academiam Patauinam regere contigit, liber animo, viribus cætera validus, ætate florentissima, abstinentia ac ciborum delectu pari industria vtens, omnes tamen siccas reliqui: ita vt cum sæpius idem fecissem, tædio, pudore, desperatione, in totum ab hac experientia desistere decreuerim: nempè aliquando tribus perpetuis noctibus apud me mulierculas habueram, nec quidquam profeceram. Fateor ingenuè hoc vnum mihi malorum fuisse grauissimum. Non seruitus paterna, non paupertas, non morbi non inimicitiæ, lites, iniuriæ ciuium, repulsa medicorum, falsæ calumniæ, infinitáque illa malorum congeries me ad desperationem, vitæ odium, voluptatum contemptum, tristitiamque perpetuam adigere potuerunt: hoc vnum certè potuit. Deflebam calamitatem, ludibrium naturæ: deflebam veritas nuptias & perpetuam orbitatem. Dices, vnde hæc tibi tanta mala? certè fateor me nescire. Cumque hac causa & ne tanta labes deprehenderetur, mulierum conuersationem fugerem, hoc ipsum malum, quod vitabam, in infamiam, inque suspicionem maioris dedecoris, ne quid mali afflicto deesset, conuersum est. Quid hoc? potuine ego fatis resistere? aut in parte mihi defui consilio vel opere ipso? Si non ludere, furis argumentum est: non furari, latronis: non decipere, pecuniam adulterantis: certè non veto, quin quisquam me pessimi criminis reum agat. Sed video quid dicas, quis tandem exitus? Anno trigesimo inchoante pernitiosissima illa tabe laborare cœpi, inops, sine fratribus aut sororibus, anu matre, extra patriam à collegio medicorum rejectus, cumque multis inimicis atque potentibus affinium litibus inuolutus. Verum ita prostrato Deus voluit ostendere, quàm ipsi omnia deberem. Præter spem enim liberatus tabe, post septem menses statim & hoc vinculo sum solutus, sic vt ne vestigium remanserit, quin aliquando, quam deceret, pronior essem ad venerem, & quam mihi vtile. I modo & verborum euentus deplora. Seruauit me, vt est apud Valerium Maximum, lethale vulnus: deplorata, inquam, vomica, lethalis aliàs ægritudo, ex desperato morbo me seruauit.

Sed quæ, quæres interim, mihi ex hoc malo commoda affers? Plura: nam etsi æquare omnia nolim incommodo, tamen vbi hoc adest, ex nullo alio malo tot commoda consequi licet. Primum enim abstinentia veneris robur non leue corpori additur, & vita longior efficitur. Vnde Eunuchi & mulieres sunt plerumque longioris vitæ quàm viri. Deinde cum plerosque ferè omnes vagæ libidini operam dantes præhendat lues indica, præhensosque misere omnes conficiat, tuti quidem ab eadem erimus impotentia hac. O quot vellent fuisse impotentes! multo pluribus etiam præstaret. Quòd si iacturam temporis & pecuniarum æstimemus, quæ ex amore mulierum contingit, potest vel solum hac pensare voluptatem illam. Denique, quot & quanta pericula ex amore mulierum adueniunt? Non est vt vtar exemplis in huiusmodi: vt nec de his, qui ob verba periere imprudenter effutita. Exemplis enim vtendum in rebus, quæ rarò eueniunt. Hæc autem tam frequenter accidunt, vt nihil frequentius. Omnes enim priuatæ iniuriæ oriuntur ex verbis ac iurgiis aut amore mulierum, aut ob pecunias. Cum verò contentionem de pecuniis iudicia dirimere soleant, sequitur quod rixæ omnes & homicidia propter has duas causas fiant.

Quid ergo agendum cum tanta vtilitate? Vti ea vti scias. Musicæ igitur, foro, negotiis, studiis, venationi, Reipubl. honestisque aliis rebus, ceu ab omni seruitute liber operam da. Sed dices, at interim carebo filiis. Non sum pollicitus restituere te in integrũ. Sed de hoc aliàs sum dicturus, vbi etiam de orbitate verba faciam. Interim non deerunt filij ex fratre, vel etiam adoptiui, si hoc vnicum bonum tibi natura inuidit. Sed, vt dixi, aliàs de his locupletior erit sermo. Hoc vnum sufficiat nunc, multos, qui possent filios suscipere, sponte his carere velle. Quippè certum est, plures esse qui nolint, quàm qui velint illos habere.

At dicat quis, curam huius morbi quæro, non commoda. Ede bulbosa, nucesque auellanas cum saccharo modico & pane: bibe modicum mombasij. Sume ieiunus rasuram virgæ ceruinæ aut taurinæ cum aqua, aliáque id genus: quę cum Medicorum sint, docebunt illi.

CAPVT XI.

De Claudis.

CÆtera, quæ nunc dicam, incommoda his, qui inani vulgi aura detinentur, vt manifestiora, ita grauiora sunt: apud illos autem, qui res ratione metiuntur, leuiora. Dicam igitur de Claudis primum. Hi periculis, quæ ex pugna & prouocatione contingere solent, honestè se subducere possunt, id quòd integris non licet. Sunt & à belli muniis excusati. Certè lentius etiam eundo & lassitudinem & febres non incurrent. Solet eorum hæc moderata seruitus nos continere, non impedire: vt contra multis nocere libertas. Ita quæ ego diuturno morbo, vt aliàs dixi, serò monitus vix reliqui, claudicatio confestim vitare docet & cogit. Dices, at ego integer equitando hæc incommoda deuitabo. Neutiquam. Nam primum, non exerceberis. Quantum verò exercitatio, maximè deambulatio necessaria sit tuendæ sanitati, haud obscurum est, dictumque prius. Per saxosam etiam vrbem equitatio tuta non est, & cum periculo coniuncta atque molesta. Sed quid si equum alere non sufficias? Quid si claudicet, an non ex nouo labore periculum subeundum est?

At parua, dicis, hæc commoda sunt. Sed & exiguum malum est, vt præter deformitatem vix inter mala numerari mereatur. Non possum, inquis, fugere, nec sequi fugientem. Munera hæc sunt equorum, non hominum. Aut, si hominum, hominum è plebe, non nobilitate. Nec adhuc omnium è plebe: sed eorum, qui cum periculo vitæ alios in idem

idem periculum prouocant. Cur maxima pars plebis sine gladio incedit? Cum tamen magis necessarius sit gladius ad pugnam, quàm fuga? Leges eos, qui in certamine occidunt, non adeò graui pœna afficiuntur, ac si fugientem persequendo interemerint. Videris enim hominem omnino occidere voluisse. Quies hæc ab importunis motibus etiam animo non parum conducit: memoria firmior redditur, ingenium acutius, consilium melius, inanium laborum occasio subtrahitur. Denique id contingit semper fermè, quod claudi callidiores sint atque magis comes.

Diximus paulò ante, nihil obfuisse hoc Epicteto Philosopho, quin ad maximam gloriam peruenerit. At non omnes, quod sæpè dictum est, sumus Philosophi: adiicio etiam nec omnes artifices, quid ergo claudicatio mihi proderit? quid agam? Nulli deest benè gerendi rem occasio, si velit proficere, & è re nata consilium capere. Facit claudicatio duo: eximit te atque excusat primum à multis importunis laboribus atque periculis. Hoc verò per se bonum est, nec indiget compensatione. Deinde etiam impedit te ab expeditis quibusdam actionibus. Sed & deformitatem adiicit. Hanc sarcire decet atque oportet. Non possum, ais, ingenio, quia literis careo: non arte, quia nullam didici. At potes assequi famã, opinionemque diligentis, prudentis, probi, constantis: quibus longè plura adipisceris, quàm ex quavis plæclara arte, ne dicam etiam liberali atque eruditione. Sapientiæ, mihi credas, cum integritate coniunctæ nec defuerunt vnquam, nec in posterum defutura sunt magna præmia. Dico opes, pecuniæ, amici, dignitates, administrationes, necessaria quæque tum etiam voluptates. Atque hæc, quæ hic dixi, de trium bonorum genere seu simul seu singulatim parando, in omnibus calamitatibus dictũ velim, ne semper repetere cogar. Verum hic ea omnia enumerare volui, quod hæc calamitas maximè explicatum hominem linquat, & quasi inter externas numerari mereatur. Porro in externis hoc addam, vt species horum commodorum referam. Ita enim superflua, nec diminuta hæc tractatio relinquetur.

Dices, quod sæpe objeceras, annon & hæc ei, qui claudus non est, adipisci atque habere licet, & melius vtique Quid ergo claudicato ad probitatem, fortitudinem, diligentiam, prudentiam? Iam dixi, eos qui sic impediti sunt leuiter corpore, & natura & vsu ad hujusmodi paratos esse: tum etiam facilius assuescere his, quod non distrahantur adeò, vt integri, à superfluis negotiis. Sed & hujusmodi homuncionibus fides magis habetur maisque in eis & virtus relucet, prorsus vt calliditatis & probitatis in quibuscumque aliis natura infirmioribus. In illo, qui sine manibus fuebat, hoc quidem erat admirabile, quod in omnibus aliis omnino despicitur. Ita admiramur in multis solertiam, in puero prudentiam, in muliere literarum eruditionem. Calamitas etiam commiserationem mouet: commiseratio amoris pars est: amor ingenerat in nobis fidem, quam illis habeamus: atque ob hæc ambo magis in illis, quàm cæteri confidimus, eadem ratione, qua & in eis, quos educauimus. Nam & in illis commiseratio amorem, amor fidem facit, & fit ex vtroque conuersatio assidua: ex quibus omnibus verò sæpè euenit, vt tales dominorum etiam euadant hæredes.

Quin etiam claudi cum incommodè satis eant, curabunt, si sapiant, vt equos & seruos habere possint. Hanc igitur ob causam ex inertibus fient in rem diligentiores ac magis attenti. Sunt & pluribus filij, quos claudos esse patres optare possent multas ob causas, quas adducere non est præsentis instituti. Illos tamen claudos facere, quemadmodum de Ioue & filio illius Vulcano Poëtæ fabulantur, non licet: quoniam iactura certa est, vtilitas incerta. Nam quidam etiam filij frugi temporis auxilio euadunt, absque tanto tamque periculoso supplicio: quidam nec à supplicio mutantur, adeò ferini sunt aut nepotes. Si tamen casus ferat, vt sine periculo esse possit, multis erit vtile. Nam hoc fabulæ figmento docemur, eos qui artibus incumbunt, oporterere sedentarios esse, non ambulatores.

Quod si manu sis destitutus, altera fungetur officio. Constat Senecam manu truncum fuisse, Cornelio Tacito authore: vixit tamen diu lætus, diues & potens, nec ob id à sapientiæ professione alienus. Vtinam illi non plus Neronis timor, quàm manca manus obfuisset. Parum est carere manu, si parum est oculo. Cæterum multis te incommidis, multis periculis eximet hoc incommodum. Non pugnabis, non rixaberis: non chiragra ab eo latere vexaberis.

CAPVT XII.

De Paralyticis, seu his, qui motu priuati sunt.

QVòd si homo totus correptus sit atque immobilis, is sanè deteriore conditione erit, sed non adeò deteriore, vt multi existimant: nam & quies habet suas delitias. Nolim illum esse pauperem: nimis enim graue est duobus egregiis malis hominem implicari. Sed tamen si sit, etiam studiis ac meditatione tantum proficere poterit, vt semetipsum & familiam alere possit. Nũquid existimas Socratem etiamsi perpetuo in lecto decubuisset, potuisse alere se cũ tota familia? Certè sic. At dices, nõ sunt iã eiusmodi tempora: neque enim Socrates hodie, etiam integer vel panem sibi verbis, consilio, disputationibus comparare posset. Ganeonibus & scurris potius locus erit. Sub regibus viuimus: sub quibus quanto securiores ob potentiam sumus, tanto minus curæ est institutio ciuium. Neque enim illi, maioribus impliciti negotiis, diligenter omnia vt in parua Republica, neque vnus vt plures, curare possunt. Sed falleris: non desunt Critones, sed Socrates. Vidimus paucis antè annis Franciscũ Caluũ, qui omnia decoxerat, in lectulo immobilem perpetuò decumbentem, cui cum nihil esset, nihil tamen deerat, alebatque anagnostam, qui ei & puer erat & ancilla, iuuenem eruditum, patientem, prudentem, quique optimè scriberet. Et tamen Caluus adeò querulus erat, vt nemo alius eum sustinuisset

Podagra.

Podagra triumphans illum inuaserat calculúsque, alternam illius curam gerentes, ipse miser inter dolores velut marmorea statua in lecto iacebat. Affulsit tamen beneficium liberalitásque Alphonsi Auali, Principis Isthoniæ, qui menstruum illi stipendium ex publicis reditibus constituit. Itaque nulla sapienti viro atque bono vitæ commoda deesse possunt, etiamsi immobilis in lecto iaceat.

Lingua & mens arma sunt hominis, non manus, aut hasta, vel gladius. Leget sapiens, dictabit, docebit, mouebit, disputabit, confabulabitur, non deerunt auditores & amici, qui sæpiùs illum inuisant, imò plures quàm velit. Memini duos me cognouisse, ad quos, etsi essent immobiles, ob hoc ipsum tamen innumeri confluebant, quod scirent non frustra se ituros. Alter quidem, quem puer noui, Ioan. Antonius Vicomercatus erat, literarum ignarus, sed nobilis ac diues. Huic quantum etiam tum, cum puer essem, illi inuidebam? Quamquam enim esset literarum expers, rerum ciuilium tamen erat scientissimus, narrabat pulchra, audiebantur pulchriora. Noua pleraque, certè mihi noua. Alter erat summus Theologus & planè vir doctus, ex Phratriis Dominicanis, quos Gratiarum vocant Mediolani, Corneus Balbus & ipse patritius, ad quem primarij ciuitatis ventitabant. Hunc iuuenis cognoui. Tunc intellexi, non omnino mala hæc esse. Neque enim vllus eorum quouis voluptatis genere honesto caruit. Sed & Ioan. Antonius, senex & sic affectus, filium suscepit Casperem nomine, quem superstitem moriens reliquit.

CAPVT XIII.

De Amore.

MAius malum est insanus amor, siue ille sit filiorum, siue vxoris aut alterius mulieris. Sed quoniam de vxore & filiis inferiùs dicturi sumus, ideò de vulgari amore nunc tantum dicendum erit. Verùm de illius remedio lepidè doctéque scripsit Ouidius: & nos earum calamitatum, quæ à nobis ipsis originem ducunt, mentionem facere non decreueramus: attamen amantes relinquere fas non duco, multo minus odisse amorem. Præsertim quod, qualiscumque sit, illius diuini amoris imago est, qui in nobis omnium bonorum causa est. In hoc ergo semina etiam aliqua esse eius, vnde duxit originem, verisimile est. Ardet ille purus in mentibus, & ad originem suam nos etiam inuitos trahit. Ille sapientiam, ille fœlicitatem, atque decorem nobis largitur. O sancte amor, quem ego venerari cogar! Quamuis autem humana fragilitas tuam pulchritudinem ad caduca hæc traxit, & si non adest, etiam fingit: attamen non omnino immemor splendidi illius atque æterni amoris, studia quædam non prorsus inutilia in amantibus ipsis ingenuit mundiciei. quod purissimus sit ille supernus amor: nitoris, quod splendidissimus: decoris, quod pulcherrimus: virtutis atque sapientiæ, quòd per ipsum omnis virtus ac sapientia humanis mentibus infundatur. Quamobrem qui amant, etsi rustici sint, mirum in modum venusti euadunt. Nec res alia est vlla, quæ moribus maiorem addat decorem, nobilitatemque animis, aut corpori cultum, quàm amor. Ille nos ad musicæ studia impellit, armis ludere, piláque & palæstra se exercere. Ille nos Deum venerari: corpus ornare vestibus: comitatem, hilaritatem, mansuetudinem, fortitudinem, liberalitatem, magnificentiam, innumeráque alia hominum aut potiùs Heroum ornamenta, clarasque virtutes præ se ferre docet. Etiam eloquentiam addit, iuxta illud,

Facundum faciebat amor.

Docet & carmina scribere. Vnde Propertius,

Non mihi Colliope, non hæc mihi cantat Apollo:
Ingenium nobis ipsa puella facit.

Et rursus alius,

Carmina dictat amor.

Cum igitur ornatiores ac venustiores efficiamur ex amore, ac magis moderati temperatíque & fortes, sapientes, liberáles, magnanimi atque eruditi, vt non immerito Bocatij fabulam Cimonis Cyprij flagrantis Iphigeniæ amore imitemur, amor hic potiùs inter virtutes quàm perturbationes, inter commoda quàm calamitates, modò moderatus sit, numerari debet ac recẽseri. Inde certamina Euriali, & Nisi apud Virgilium & fortia facta: pugna apud Homerum acerrima Paridis & Menelai propter Helenam. Ptolomæus, propter Galetis pueri amorem, ex crudeli, etiam in sontes, clementiæ famam adeptus est. Petrarcha exẽplo Ouidij & Propertij librorum condendorum argumenta ex amore sumsit. Omnium Poëtarum maxima pars libri ab amoris narratione pendet. Itaque si amicitiam adeò laudamus, etiam in amore semina illa æternæ dulcedinis latent.

Quamobrem illud quæri meritò debet, Sitne inter voluptates amor, an inter dolores reponendus? & videtur sanè in Rhetoricis Aristoteles hoc definiuisse. Cum enim in amore tria sint, potiri, sperare, timere: iuxta hos affectus diuiditur etiam voluptas & dolor. Qui enim potiuntur, perfecta voluptate fruuntur: qui sperant, imperfecta: siquidem spei timor quidam semper immixtus est. Vt enim in ouis subuentaneis, quod vacuum est humore, aëre impletur: quantoque minus est ex vno, tanto plus de altero inest, nunquam tamen ouum illud exactè humore repletum est, sed aëre totum quandoque. Ita spes nulla sine timore est, quamquam perexiguo nonnunquam: timor autem absque spe rarissime, sed quandoque tamen. Vbi ergo timor, ibi dolor. Commemoratio ergo & exspectatio, cum sint spei partes, voluptatem afferunt, sed vt discessus & ne redeat timoris argumentum, vel vt accedere non liceat, doloris. Idẽ rursus in Ethicis ostendit amorem esse iucundum, quod sit rei iucundæ & bonæ appetitus atque desiderium. Verum cùm bona iucundáque bifariam dicantur, alia quidem verè, alia opinione: ideò etiam fit, vt amor quidam iucundus verè sit, vt filiorum, parentum, fratrum, vxorum: alius autem non verè, nempe qui cum honestate non coniungitur, velut cum scorta amamus.

Puerorum autem amor, quoniam sapientiam ex animo elidit, insaniæ pars est, neque vt mulierum allicit hominem aut impellet ad veras virtutes: sed plerúmque cum auaritia, immunditia, ac multis aliis vitiis coniunctus est, vnam solam exposcens audaciam. Propter immoderantiam enim temerarios efficit. Immoderatus est autem, quoniam cum aduersus naturæ leges sit, necesse est vt à maxima causa fiat, atque ob id semper immodicus. Est etiam immodicus, quia, vt dixi insaniæ pars cum sit, frænis sapientiæ exclusis, non habet quo rogatur. Quis autem dubitat esse insaniæ partem, amare tam labilem pulchritudinem, sine reciproco affectu, tam fœdo vsu, tam infelici fine? Præter enim id, quod in vsu ipso cernitur abominabile, etiam illud euenit, quod qui amantur, vel fœdi laxato musculo, vel rupto cristati euadant. Sed & præter fœditatem scelus admistum est, cum iniurij simus in eos quos amamus. Ipsi etiam qui hæc patiuntur, maiore scelere obstricti sunt: iugulant enim homines. Vt autem iugulare iam natos, audacius est ac impudentius: ita præscindere nascituris viam, crudelius. Quo in crimine non tantum sunt qui sic amant: sed &, vt dixi, in alio etiam his, qui amantur grauius peccant, propter ætatem & potentiam. Attamen vterque grauissimo scelere obstrictus est. Finis etiam ipse pessimus est, cum non solum generationi hoc filiorum, sed eorum educationi plurimum obsit. Quantum enim potest proficere puerulus inter exempla eiusmodi aut agentis patris, cui natura & instituto assimilari cupit: aut patientium, à quibus ætate parum distat? Omitto licentiam, quam in his videt, reliquosque malos mores. Ob id igitur hi summo bono non solum generationis, sed & rectæ filiorum educationis priuantur. Quamobrem si sui compotes essent, non indigerent vllis legibus, aut pœnis, quibus coercerentur: ipse enim amor sibi maximum supplicium est. Quanto autem minus atrox legum pœna sceleris pœna est: tanto etiam certior ac, vt ita dicam, securior est. Porrò quamuis hic amor ad audaciam præ omnibus aliis affectibus magis impellat: non tamen laude dignos efficit. Nam & Aristogiton Atheniensis Hipparchum, & Amileon Metapontinus, & Menalippus Agrigentinus, vt ex Plutarcho etiam Petrus Victorius narrat, tyrannos occiderunt: & Amyntas ob eamdem causam Alexandrum Magnum occidere est conatus: quem inde tamen honorem habuerunt? Nam si tot alias hi iniurias tyrannorum, mortes affinium, raptum virginum & filiorum, incestum vxorum, immania facta, bona sibi erepta, inultas esse passi sunt, apparet illos non fuisse fortes homines, verum insanos & insanos & audaces, cum nec Reipublicæ, nec suorum, nec propria damna sint vlti, sed infames amores. Tales enim, si modo aliquos diligunt, diligere pueri solent, non sapientes aut liberales aut venustos. Quoniam verò amor eorum semper fermè timori coniunctus est, ideò illos tantum amant, quos timent, & à quibus iniurias vindicari posse sperant, eorum quibus ob ætatem obnoxios se existimant.

Reliquum igitur est, vt enumeratis his calamitatibus, quæ hominibus intimæ sunt, tanquam dicta recolligentes, instituamus traducendæ vitę viam quamdam atque normam, quæ etiam ad sequentia tum intelligenda, tum exsequenda sit vtilis, initium facientes ab eo quod principale est. Id verò vnum est: & principium omnis solatij in calamitatibus ad quod nisi, ceu ad vnum aliquod, omnia à nobis dicta reduxerimus, frustra hæc tanta in vnum congesserimus, tanquam vnam facturi doctrinam: sed erit aceruus potiùs quidam præceptorum. Hoc ergo ipsum principium totius tractationis est, quod tempore omnia dissoluuntur & in nihilum rediguntur, non solùm voluptates & dolores, sed & vniuersa mortalia. Cumque tempus facilè ac celerrimè diffluat, infinitúmque sit, hoc solum est, vt præsentibus decenter fruaris, futurísque sic prudenter prospicias iuxta conditionem fortunæ tuæ ac temporum, vt scias quæ optanda, quæ fugienda, quæue magis optanda aut fugienda magis sint: & rursus hæc magis optanda sint, an illa fugienda? demùm, quæ consequi possis ex his, quæ optanda sunt; quæ vitare ex his, quæ fugienda: quæue ex parte, si non perfectè, assequi liceat aut vitare. His paucis præceptis, quæ ex vno, vt dixi, oriuntur, tota vita nostra constat. Verum cum in singula capita distribuuntur & & membratim discerpuntur ad longè plura deueniunt.

Propositus etiam est finis vnus, nimirum viuere quàm feliciter. Id quomodo fiat, dictum est, supra sed tamen, qua via compendiosissimè, non satis constat. Epicurus certè vnam tradit regulam huic proposito aptam, quæ si non omnia complectatur, plurima saltem nos docet. Is enim cum vitæ nostræ finem scopúmque ac felicitatis culmen constituisset voluptatem, vnum dixit, alterum docuit. Quod docuit, est, Ita voluptatem sequaris, ne præsens voluptas futuris ac succedentibus viam præscindat aut impedimento saltem sit. Itaque dicenti, luxuriosè viuam: viue, inquit sed caue ne non sint tibi postmodum pecuniæ in loculis, neue esurire cogaris. Caue etiam ne valetudo offendatur, cogarisque dolores perferre, qui multo molestiores sint, quàm fuerit iucunda voluptas. Caue rursus ne infamia subsequatur, ex qua contemnaris, iniuriisque obnoxius fias. Caue etiam ne societatem ex hac cum hominibus ineas, quæ tibi pericula & mœrores pariat. Caue etiam luem Indicam. Caue vigilias, ne postmodum, cum vigilare iucundum erit, aut oportebit ac decebit, dormire cogaris. Vxorem alterius possidere volo: posside, respondebit Epicurus, sed obnoxius eris legibus: cogeris in perpetua suspicione mariti viuere, ne ob iniuriam te occidat: ab illa, quæ mœcha est, quomodo tutus eris? nam cum timebit se relinqui, veneficiis insidiabitur, tibi aderit etiam infamia. Decipiam aliquem: decipe, inquit Epicurus, sed ille te statim ad iudicem vocabit, irascetur, inimicitias palam tecum exercebit, apud omnes te infamabit, qui audient omnes te refugient, sceleris conscientia vrgebit, vnumquodque malum plùs offendet tibique nocebunt, corporis dolor, timor, tristitia, infamia, iniuria, quàm possit solari voluptas. Ob id

id ergo dicebat Epicurus, non posse viui secundum voluptatem, nisi iustè, moderatè, temperatéque viuatur.

Statuit igitur Epicurus felicitatem in voluptate, quæ tamen moderata sit & temperata. Cúmque illam diffluere cerneret & inconstantem esse, dixit illius memoriam ad felicitatem conferre. Quæri igitur solet, an memoria voluptatum perceptarum iucunda sit an tristis? Si enim memoria calamitatum, quas euasimus, iucunda est: quare non tristis erit voluptatum, quæ effluxerint? Qua in re tanti momenti paucos rectè versatos video: & tamen hoc necesse erat, nec quidquam vtilius. Perpessum fuisse calamitates, triste proculdubio est: sed euasisse, iucundum. Quid verò maius ex his? Breues calamitates vitam faciunt iucundiorem, diuturnæ tristem & infelicem. Euasisse longam calamitatem tanto minus dulce est, quanto grauem & magnam, sed breuem, iucundius. Cum enim comparatione res humanæ constent, eò dulcior est voluptas, quò dolor, qui recessit, maior fuit. Quinimo recessus ipse doloris solus voluptas est. Rursus, si tempus, quo voluptate frui concessum est, longè maius fuerit calamitatis tempore, dulcis res est meminisse: si contra graue ac durum. Ob id scitè Iuuenalis?

Gaudent vbi vertice raso
Garrula securi narrare pericula nautæ.

Breuia enim illa sunt & magna. Et illud Virgilij huc spectat:

Forsan & hæc olim meminisse iuuabit.

Ita Homerus:

Μετὰ γάρ τε καὶ ἄλγεσι τέρπεται ἀνὴρ,
Ὅστις δὴ μάλα πολλὰ πάθῃ καὶ πολλ' ἐπαληθῇ.

Namque viro dulce est meminisse dolorum,
Qui mala multa tulit, quem sors exercuit olim.

Idem Seneca:

Quod fuit durum pati, meminisse dulce est.

Tangit & Cicero hanc quæstionem, sed non sufficit, vt sint insignes hi labores & sine turpitudine, nisi etiam, vt dixi, breues fuerint: alioquin non minus tristis est memoria illorum, quàm dulcis voluptatum. Sed Aristoteles de hoc, vt plerisque aliis scitu dignis, in primo Rhetoricorum ad Theodectum disputans, reddit hanc rationem: quoniam, cum iucunda sint quibus delectamur, quocumque tempore homo intelligit se illa percipere, delectatur: cum ergo vel percepisse meminerit vel percipit, aut percepturum sperat, in omnibus voluptatem capit. Verum illud nos non docuit, cur, si malum non percipere iucundum est, bonis carere triste non sit? Ob id videtur adiecisse, si quidpiam ad miserias honestum aut vtile consequatur. At hoc iam ad primum modum pertinet. Ideò miseriæ virtus quandoque non est coniuncta, velut in naufragio: quandoque est, vt in plerisque periculis aliis. Vbi virtus coniuncta est, obscurum non est, cur delectet nos memoria partæ salutis virtute nostra. Quòd si virtus specimen non adsit, delectamur comparatione præsentis. Ita enim Medici dicunt, reditum ex dolore ad indolentiam fieri cum voluptate. Hoc ergo cum recordamur, quia iucundum est, voluptatem gignit in animis nostris. Non ergo miseriarum memoria, sed quod euaserimus dulce est atque iucundum: hæc enim inter iucunda numerantur. Neque enim cum recordamur naufragij, delectamur: sed cum meminerimus, quomodò ex ipso naufragio euaserimus. Ita & voluptatum bonorumque memoria iucunda est: at si recordamur amisisse felicitatem, id triste, si casu: tristius, si nostra culpa: minimè autem triste, cum id ordine naturæ factum est. Velut si alterius vxore quis potiatur: ab initio enim perpetuam hanc voluptatem homines non statuunt, sed potiùs continuam esse non posse propter innumeras difficultates. Quod si casu contingat amissio & succedat noua voluptas, nec tunc percipitur tristitia amissi boni: imò si non succedat tam citò, modò tempus felicitatis diuturnius sit intermissionis tempore, iucunda est etiam memoria. Sed ab initio, dum amittimus, dolemus antequam aliud iucundum subrogetur, quoniam præteritum tempus metimur quantum fuerit: amissionis autem, propter timorem coniunctum, imaginamur esse infinitum. Cum verò nostra culpa id accidit, sæpiùs nos ipsos fallimus, quasi factum sit casu. Nemo enim stultum esse se libenter arbitratur aut credit. Ob hæc igitur omnia & tristium casuum recessus, & bonorum possessionis memoria inter iucunda & voluptates ab Epicuro rectè numerantur: nec satis considerare, quod cum venia dictum sit, à Cicerone refelluntur. Sed nec omnino clarè, vt decebat, ab Aristotele explicantur, cum tamen satis clare possent explicari. Cum enim & iucunda recordari iucundum sit, etiam illorum meminisse iucundum est. At non possumus recordari hos recessus, nisi & recordemur quæ passi sumus: nam in mutatione vterque terminus comprehenditur. Ideóque tristium etiam memoriam falso existimamus iucundam esse, cum non sit, sed illorum solùm quæ vel per se iucunda sunt, aut quæ cum iucunda sint, sunt tamen necessariò cum tristibus coniuncta, vt recessus ipsi miseriarum.

CAPVT XIV.

De Generali Vitæ institutione.

PORro iucunda sunt alia quidem per se, alia, quod ad illa deducant; alia, quod ab his, quæ nobis tristia sunt, liberent. Per se iucunda sunt, vel quia vtilia, vt opes & beneficia recipere: vel quia honesta, vt exerceri in studiis, in quibus sumus exercitati: vel quia præcellimus aliis, vt honos & gloria, & victoria: vel quoniam secundum naturam sunt, vt versari cum similibus ætate, moribus, arte, ac aliis eiusmodi. Repetere etiam consueta ad hoc pertinet: nam talia sunt nobis familiaria. Quædam plura ex his continent, velut regnare vtile, atque excellens: sapientem esse, honestum ac præcellens: amicitia, vtile simul ac secundum naturam. Quæ verò ad ea deducunt, sunt, v. g. ad gloriam, ludi concertatorij beneficiorúmque collatio, quæ excellentiam declarat; ad sapientiam, coarguere alios, videtur enim testimonium.

Et

Et rursus discere & absoluere inchoata, tanquam illis pares sapientia qui inchoarunt. Imitatio verò & pictura & sculptura delectant, quia his discimus: discere autem, vt dictum est, ad sapientiam ducit. Iniuriam quoque inferre ad regnum pertinet: potentiam enim testatur. Ridicula verò ad nostram sapientiam: nam qui ridentur tanquam stulti, inferiores nobis sapientia esse videntur. Admirari verò ad sapiētiam pertinet: ob id enim ad philosophiam homines peruenerunt. Subitæ autem rerum mutationes ob id delectant, quòd admirationem pariunt. Adulari verò, partim ad admirationem, partim ad comparandam amicitiam, quam diximus esse vtilem & secundum naturam, attinet. Quæ verò à molestia nos liberant, iucunda etiam sunt, vt dixi, sed alterius generis à præcedentibus. Quia verò molestissima est omnium malorum iniuria, ideò vltio iucunda est; vt & ira, quia est cum spe vltionis. Ideò Regibus & tyrannis parum irascimur, quia vlcisci etiā parum speramus. Cupiditates quoque expleuisse, iucundum: nam illis torqueri miserum est. Ea de causa etiam commutatio nos delectat: nam assiduitas tædium & dolorem nonnunquam parit. Ergo & in luctu, & magis in lacrymis voluptas est: in his enim exprimitur quòd molestum est, scilicet, spiritus ardens ac fuligine plenus: in illo recordamur eius, quem dileximus. Diximus autem eorum, quæ iucunda fuerunt, memoriam quoque dulcem esse. Sed & quia imaginamur infinitum id esse, quo carituri sumus, longè maior est in luctu dolor, quàm voluptas.

Ergo his visis, decet sapientem, ex Epicuri præcepto, quibuscunque honestis voluptatibus operam dare, vt illorum memoria exhilarari queat: atque interim eis frui, quandoquidem vita hæc tam breuis est & fugitiua, vt iuuentus pueritiæ cohæreat, iuuentuti senectus, & ex vna in aliam ætatem imprudentes delabimur velut in somnum. O quàm rectè ait Seneca!

Properat cursu
Vita citato, volucrique die
Rota præcipitis vertitur anni.

Et rursus:

At gens hominum fertur rapidis
Obuia fatis, incerta sui.

Quamobrem enitendum est, vt omnibus viis, omnique labore atque solertia, tempus ipsum quod commodato sumpsimus, rebus in egregiis atque honestis transigamus. Etenim sic mutuo sumpsimus, vt quidem nemini commodare: neque, si nobis præterierit, ab alio sumere commodato liceat. Quid ergo est, quòd tantæ rei custodiendæ atque dispensandæ adeò negligentes simus? Hortatur nos Poëta ad hoc, pulchrè dicens:

Stat sua cuique dies breue & irreparabile tempus
Omnibus est vitæ: sed famam extēdere factis,
Hoc virtutis opus.

Etiam cum tam pulchrè ipsum impenderis, adhuc dilabuntur quæ collegisti, & facta hominum diffluunt, & memoria rerum egregiarum euanescit, & quæ maxima videbantur, breui in nihilum rediguntur. Quòd si, cum mutuo aliquid accepimus intra certum terminum restituri, curamus interim vt eo vtamur antequam labatur tempus, vbi tamen rursus commodato alias sumere vel quid simile possumus, hoccine in tempore negligimus, cuius tanta est penuria? Tantum otij tibi sumes, quantum ad seruandam valetudinem est necessarium. Nec in prima ætate terendum tempus est, nec desperandum in vltima: nam quāto breuius, eo magis à voluptatibus liberum est. Ob id etiam, nisi aliquibus impedimentis turbetur, iucundissima est senilis ætas. Nec totum illud est viuere, quo anima corpori iuncta est: sed quo vacamus contemplationi ac studiis, seu liberalium, seu aliarum artium.

Vnde Similis, vir egregius, cum perpetuo in magistratu fuisset, vltimis dumtaxat septem annis exceptis, hoc iussit sibi epitaphiū sepulchro inscribi. Similis hic iacet, cuius ætas quidem multorum annorum fuit, septem autem dumtaxat annis vixit. Ob id Seneca ait rectè: contingit vt multi moriantur antequam viuere incipiant. Alij etsi viuere inceperint, non tamen ad vitam perfectam perueniunt, cum genus mutando sæpius illam inchoant. Nō solum inchoanda igitur est vita, sed &, quomodo inchoanda sit, scire oportet, atq; in illa persistendum est semper vsque ad mortē, si beatus esse velis. Nam sic agendo semper illa perficitur. Cogitare etiam expedit, quòd quotidie aliquid diffluit de vita, & ideò illud sarciri debere. Quamvis enim corpus & vires crescant, vita decrescit tamen perpetuo, atque minuitur. Quòd si miseriis opprimaris, morti potius occurrendum est ex sententia multorum Philosophorum, quàm inerter præstolari illius aduentum. Etsi enim non licet se interficere, licet tamē morti obuiam ire ad euitandum dedecus. Quòd si sic animatus esse potes, si non supra omnem potentiam esse tibi licuerit, eris saltem extra omnē. Quid enim iniuriæ facere ei tyrannus potest, qui mortem contemnit ac spernit? Verum interim si adeò curas, ne quis inuadat tua bona, aut agrum, aut domum pecuniamve, cur eis, qui vitam tuam inuadunt, teipsum concedis, quin & auxilium præstas? Et cum in rebus tam parui momenti tam oculatus sis, in ea, in qua omnia continentur, adeò conniues & supinus es? Vnus horam in nugis perdit, alius vt audiat circulatorē, alius vt pergat ad conuiuium etiā totum diem sibi suffuratur. Quidam cogunt te legere carmina malè consarcinata, quidam vt amico operam des. Requirit musicus vt illum audias, alius te deducit ad forum. Quid miserius quàm, cum omnibus aliis viuas, tibi vni soli non viuere? Omnes cum prodigè diuidant vitam, cuius tanta est penuria & in qua retinenda honestè auaritia vti possumus, mediocrē tamen pecuniarū summā inter pauperes nemo vult diuidere? Quantū verò ex inani metu, stulta lætitia, exiguo dolore, auida cupiditate, blāda cōuersatione tibi pereat, cū his si computes, inuenies vix minimam partem vitæ tibi relictam. Itaq; nulla cum istis vita longa esse potest: sine istis paucæ dici possunt esse breues, nisi quis à prima statim adolescentia abripiatur. Itaque honores, diuitiæ, eloquentia, voluptates, nos potius suffocāt, quàm vt cuiq; bono sint. Quid ergo dulcius, quā sibi ipsi, hoc est, in otio viuere? Quod etiā Augustus testatur in quadā epistola apud

apud Senecam, qui etiam decerpta ex Augusti epistola verba adscribit. Nihilominus nullum tempus, turpius perit, quàm quod vino, deinde crapulæ, post veneri impenditur. Hæc enim opera cum belluis communia, sordida atque etiam fœda sunt. Hodie quot videas, qui cum vrgeantur & vrgeant, nec sibi vnquam viuant, tamen non assequuntur quod sperabant? Ita miseri illi optimam rem abiiciunt, vt mediocrem assequantur: & certam amittunt, vt incerta potiantur, nec etiam id licet consequi. Non est longa nauigatio diu in mari esse, multo minus diuersis agitari ingentibúsque fluctibus: ita nec vita diuturna, longo tempore in hoc mundo esse, multo minus assiduis magnísque negotiis implicari: sed longa nauigatio est, longam oram præteruehi, multa loca legere: & longa vita, multa efficere posse, quæ ad opus vitæ spectant. Catullus, Tibullus, Persius, Lucanus trigesimum annum vix attigerunt, aut saltem paulò post excesserunt: hi tamen diutiùs vixerunt quàm Argantonius, quamuis Rex. Sibi enim vixerunt, magnáque spe freti, immortalē ingenij sui gloriam reliquere. Si quantum curæ impēditur in periculis, seu iudiciorū, seu morborū, vitę, tantumdē huic, dum imprudentes illā per mille inutiles, plurésque ex his damnosas causas terimus, impenderetur, longè diutiùs viuerent homines, nec de sua fortuna aut natura quererentur. Itaque quod tunc, cum perituros se existimant, facere decernunt; scilicet vt sibi viuant, vt partis fruantur, nec indies noua quærant, vt otio vacent: id multo anteà, vtiliore consilio ac certiore, sapientem facere decet. Proximum suillis voluptatibus est iners negocium conuiuiorum, cultus corporis, ornatus domus, cum tibi ex huiusmodi rebus perierit tempus. Dura verò conditio eorum est, qui opes congregant, atque ob id miserior eorum, qui sibi victum quærunt, quod hi finem habeant aliquem, illi nullum. Post hos sunt, qui foro operam dant, quique honores quærunt: propriam enim felicitatem semper in alieno nutu constitutam habent: quod si ex nutu populi, omnibus virtutibus hostis accerrimi, illa pendeat, magis adhuc misera est. Sed nec honestum locum in Republ. obtinere, aut summos magistratus gerere, tametsi gloriosum sit & generoso viro non indignum, ad propriam tamen felicitatem pertinet. Verùm ipsum hoc, quod nunc dicam: nec tamen ad viuum, vt dici solet, rem resecabo.

Quia ergo diximus, in voluptate esse & felicitatem & quatuor genera bonorum ac iucundorum: decet scire, quibusnam potiri ex his, posteaquam omnibus non licet, maximè expediat? Expedit autem magis his potiri, quæ maiora sunt, aut meliora, aut diuturniora. Meliora generibus ac speciebus distinguuntur: maiora, numero ipso bonorum, aut si vnum ad aliud sub eodem genere comparetur. Quod si eadem sint meliora & maiora & diuturniora simul, nemini dubium esse potest, quin ea sint aliis præferenda. Sin autem eadem non sint, in necessariis diuturniora; in his, quibus carere possumus, maiora sunt præferenda. Meliora autē ad eos spectat, qui verè feliciter viuere volunt: reliqua ad illos, qui cupiunt videri felices. In generibus autem quod secūdum naturam est, minus præstans est, minúsque afficit. Reliquorum trium honestum præferri debet apud eos, qui veram felicitatem quærunt: qui fucatam ac vulgarem, talis quæ præcellere faciat aut quæ vtilis sit. Ex his vtilis plebeiis & pauperibus est charior: quæ verò facit excellere, diuitibus atque nobilibus. Eadem quoque ratio est tum futurarum, tum præteritarum, quæ præsentium.

At dubium est, Sitne dulcior voluptatum memoria, an spes? Videtur enim Epicurus memoriam præferre spei, quod secura sit. Sed tamen omnes spe magis afficiuntur, quàm ipsa memoria. Quinino propter solam spem voluptatum ac bonorum multi periculis se exponunt: propter memoriam, nemo. Videtur etiam spes eorum esse, quæ quandoque futura sunt præsentia; memoria autem eorum, quæ esse non possunt. Iucunda igitur præterita minus mouent, memoria tamen illorum secura est, atque ideò pars felicitatis. Spes autem, quia incerta est & semper cum metu & propter hunc cum perturbatione mixta ac minus tuta, non adeò est sincera pars felicitatis: nos tamen magis mouet. Affectum ergo maiorem esse & esse felicitatis partem, non idem est: sed maior felicitas est in spe, purior in memoria perceptarum voluptatum.

Sed cum omnes laudent honestum atque virtutes, vnde est, quod vitia tamen homines magis ament atque sequantur? Contingit hoc ideò, quia virtus circa medium quoddam consistit ac quasi indiuiduum, ad quod difficile est collimare. Vitia verò in extremis magnum continent spatium: vnde & facilius in extrema incidunt homines, quàm in ipsum medium, vtputa in auaritiam aut prodigalitatem potiùs quàm liberalitatem, in audaciam aut timorem quàm fortitudinem, & sic porrò in reliquis, quæ in secundo Ethicorum ad Nicomachum enumerantur. Alia ratio est, quod vitia quædam oriuntur à naturæ defectu, qui accidit ex materiæ impedimento, vt quasi naturalia dici possint, quæ circa immoderantiam gulæ & veneris versantur: vnde & pronus est in illa lapsus. Cum enim, vt dixi, in medio consistat virtus, fieri vix potest, vt à medio natura non deflectatur in plerísque: quoniam opus ipsum naturæ etiam plerúmque in generatione, educatione atque institutione impeditum est. Principum quoque mores, à quibus tanquam Polycleti statua sumuntur exempla, ad vitia semper fermè deflectunt, non tam intemperantia & libidine ac libertate, quā abuti possunt: sed quoniam illis hoc conducere videtur. Auaritia enim opulentos reddit & omnibus ob id formidabiles. Prodigalitas verò illis amicos plurimos parat, vt vtroque tutiores sint. Liberalitate verò nec opum nec amicorum sibi, quantum sufficit, parant, vnde magis contemnuntur. Sic crudelitate nimia timentur, amantur misericordia: iustitia neutrum efficit. Ostendit hoc exemplum Dionysij Maioris, cuius summa erat sæuitia, adeò vt puerum, quem amabat, ob id solum, quod risisset, statim occidi iusserit. Refert Aristoteles Politicorum quinto. Eo Syracusis imperante

rante contigiſſe, vt ciues quinque annorum ſpatio cunctas facultates ſuas in ſoluendis tributis conſumpſerint. Ille tamen quadraginta duobus annis tyrannidem nullo periculo, magna licèt cum ſuſpitione tenuit. At contra filius ob contemptum, cum multo mitior tamen eſſet, ſpoliatus eſt, ea. Accedit, quod liberalitatem qui accipiunt, quando non quantum cupiunt, accipiunt, auaritiam appellent: iuſtitiam, qui læduntur, ſæuitiam aut odium, qui accuſant, indulgentiam aut remiſſionem: atque ita ab omnibus contemnitur. Horum igitur exemplo Aulici primum, inde alij virtutes contemnunt, & ad extrema tranſeunt. Similiter & populus liberales aut auaros vocat. Cum enim illius maior pars in extremis ſit, paucis circa mediocritatem verſentur, eóſque qui in medio ſunt, cum ipſi ſe mediocritatem obtinere putant, ad oppoſitum vitium traducant: prodigi auaros, auari prodigos appellant eos, qui ſunt liberales. Præterea cum omnes homines fermè ſecundum virtutem viuere ſe putent, ob id errore ducti, non voluntate vitia diligunt. Non ergo vitium virtuti præferunt, ſed quæ ſit virtus & vitium ignorant. Itaque decepti in vitio degunt, tanquam virtuti operam dent. Vitiorum etiam fines aliquod vnum habent, quo præcellunt: ideò ad felicitatem compendioſiore via deducere videntur, ac expeditius: velut rapinæ & auaritia ad opes, crudelitas & iniuria ad opinionem potentiæ, inſidiæ & fraus ſapientiæ, potentia autem & ſapientia & fortitudo ad felicitatem. Quare qui imperiti ſunt, (ſunt autem plurimi & penè hominum maxima pars,) aberrantes tot cauſis, vitium virtuti præferunt.

Sed dices, quid eſt virtus, & quot ſunt virtutes? Laudabile bonum profectò eſt virtus atque honorabile. Nam ex opere illius ſemper laus conſequitur, non autem ex opulentia, potentia, fortitudine, pulchritudine: iis enim & benè & malè quis vti poteſt. Eſt virtutis autem finis, honeſtum. Ipſius verò eſſentia in hoc conſiſtit, vt nemini fiat iniuria. Auaritia enim, crudelitas & iniuſtitia verſantur circa iniuriam aliorum: impudentia, prodigalitas, intemperantia, circa ſuimet. Sunt ergo virtutes. Fortitudo, Prudentia, Iuſtitia, Temperantia, Manſueto, Liberalitas, Magnanimitas, Magnificentia, Indignatio, Grauitas, Verecundia, Vrbanitas, Veritas, Amicitia. Id verò, quod virtutem fecerint à vitio, eſt, quemadmodum dixi, quòd non eſt in virtute exceſſus, & quòd nulli fit iniuria ſed mediocritas dum ſeruatur, iuſtitiæ cuiuſdam pars eſt omnis virtus. Verùm adhuc quæritur, quid ſit virtus? Eſt, inquit Ariſtoteles, quæ habentem perficit & opus bonum reddit. Sed quid ſit bonum, adhuc dubitatur. Itaque & hoc indiſcuſſum reliquit Ariſtoteles, nec facile erat illud ſtatim explicare. Homo igitur, vt altius repetam rem, ad quatuor comparandus eſt. Primo ad Deum, & ſic oritur pietas, quæ eſt cultus Dei rectus. Secundo, ad cæteros homines, & iuxta hoc qui illis benefacit, & pro ratione hominum, bonus appellatur. Vnde bonos dicimus, gratos, liberales, patientes, atque huiuſmodi. Qui ergo ad Deum & homines comparati rectè ſe gerunt, probi dicuntur. Eſt ergo probi officium, vt ſit pius ac bonus. Bonus ergo in omnes homines eſt beneficus, ſed tamen ordine ſeruato. Prius enim & magis curat eos, à quibus beneficia accepit, vt ſit gratus. Deinde, in probos alios, qui ſibi ſimiles ſunt magis, quàm in cæteros. Inde, in coniunctos, & ideò in parentes maximè: ſunt enim maximè coniuncti & ab illis beneficia plura & magna accepimus. Demùm, in egenos: hi enim maximè indigent. Vnde & in filios: ſunt enim coniunctiſſimi, & ob ætatem & paupertatem miſerabiles auxilio noſtro maximè egent. Sed virtutes, quæ ad ſemetipſum pertinent, nec bonos nec probos efficiunt, vt prudentia & fortitudo. Harum duplex genus eſt, honeſtum, vt magnificentia, fortitudo: & vtile, vt temperantia, continentia, prudentia. Differunt autem incontinens & intemperans, quoniam intemperans malo ipſo gaudet atque in eo perſeuerat: incontinens quaſi rapitur naturæ vi, nec delectatur malo, nec in eo perſeuerat. Vt verò bonitas genus eſt virtutum, quæ ad homines ſpectant: ita charitas cauſa eſt omnium horum bonorum. Quoniam enim humanum genus quaſi totam quamdam affinitatem diligimus, ideò benefaciamus illis & compatimur, curamúſque vt ne illos lædamus, vnde tolerantia. Differt autem charitas ab amicitia, vt ab intemperato incontinens. Amicitia enim mutuum amorem expoſcit, charitas non, ſed ſufficit vt amemus.

Comparati verò ad leges, ſi iuſtæ ſint, iuſti aut iniuſti dicimur. Iuſtæ cenſentur leges, quæ ab iiſdem conſtitutæ ſunt: vt Venetæ Reipubl. & communes Iuſtiniani. Nullius enim emolumenti proprij cauſa conſtitutæ videntur. At municipales, quantum ad ciues attinet, & tyrannicæ, cum de proprio commodo non agitur, etiam iuſtæ habendæ ſunt. Quæ verò de propriis commodis agunt, & municipales, quæ de exteris cum ciuibus decernunt, plerúmque leges non ſunt, nec iuſtæ. Vbi ergo leges iuſtæ fuerint, idem erit probus vir, ac qui leges ſeruabit. Vbi verò leges ſunt tyrannicæ, probus vir à legibus declinare cogitur; aut leges obſeruando improbus eſſe. Non enim ſufficit viro probo, vt in ciues bonus & æquus ſit, niſi & in vniuerſos homines ſit idem, & aduenæ ſicario debitam pecuniam exigenti, à ſuo affine ciue reddi iubeat: ita tamen ne ex hoc Reſpubl. in poſterum maiore quopiam detrimento afficiatur.

Iuxta hoc igitur erunt & plura etiam virtutum nomina: vtpote, Pietas, Tolerantia, Æquitas, Gratia, Clementia, Charitas, Continentia, Beneficentia. Qua etiam ratione in quinque genera ſuperiùs enarrata diſtinguentur omnes hæ viginti duæ virtutes: nimirum comparatione ad Deum, Pietas. Ad homines alios, Manſuetudo, Liberalitas, Beneficentia, Clementia, Tolerantia, Verecundia, Charitas, Gratia, Amicitia, Veritas. Ad leges, Iuſtitia, Æquitas, Indignatio. Ad ſui vtilitatem. Temperantia, Continentia, Prudentia. Ad decorem & honeſtatem, Magnanimitas, Magnificentia, Fortitudo, Grauitas. Hæ omnes cum virtutes ſint, ſolæ tamen, quæ ad Deum

Deum & homines spectant, probum faciunt. Quæ ad leges pertinent, bonum ciuem efficiunt: si iustæ autem sint, etiam ad probitatem spectant; quoniam vniuersis conferunt.

Sunt præterea sapientes viri, qui diuina, naturalia, humanásque leges nouerunt. Atque hi sapientissimi, qui iustis legibus operam dant. Propterea meritò sapientissimos Iurisconsultos appellamus, quod legum rationem atque morum teneant. Qui ergo ea agunt, quæ à probis & sapientibus viris laudantur, hi secundum virtutem operari dicuntur, si ea ex deliberatione egerint. Habitus autem in anima, quo hæc expeditè & sine cunctatione agimus, Virtus vocatur. Ipsum autem opus, Bonum humanum est. Id verò omnibus his partibus laudabile est. Primum, quod Deo similem reddit. Nam etsi Deus virtutem non habeat: esset enim virtus Deo melior, si Deus virtute bonus esset, vt rectè inquit Aristoteles: est tamen ipse virtutum principium, atque heroica virtus. Heroica virtus est, cum omne virtutis genus in vnum coit, atque excellenter. In Deo etiam, præter id, origo ipse est huius, non ab hac perficitur. Contrarium huius virtutis est feritas. Vnde ad heroicam virtutem maximè pertinere videntur prudentia & mãsuetudo: nam feræ stultæ sunt ac sæuæ. Prudentia vtilissima est nobis, vt insania deterrima: ita etiam mansuetudo aliis hominibus maximè prodest, vt crudelitas officit. Ergo per virtutes Deo quatenus licet, similes efficimur. Per easdem etiam prosumus nobis atque aliis omnibus. Quamquam enim iustus sontes ad necem publici boni causa damnet, priuato tamen officio clementer vtitur. Ita virtute omnibus prodest, scelerum fomenta subtrahendo &, quod boni viri est, in priuata actione clementem & humanum se exhibendo. Virtute etiam leges confirmantur, quibus vnio ac ciuilis vita humanáque commoda, quæ aliter stare non possent, constant. Quoniam hæc sola laus vera est, quæ à sapientibus est profecta: diuturna, quæ à bonis: nam malorum dicta non diu constant. Sunt enim mala quasi non sint, & priuationes ac defectus quidam. Et qui mali sunt, quasi deficientes sunt & manci. Itaque & natura & dissidio inter tales, nihil diuturnum euadit apud illos. Demùm à virtute conscientia bona & quies & animi constantia atque tranquillitas sunt, vnde felicitas oritur. Quare nullus malus inter tot fluctus ac turbationes animi felix esse potest.

Inde orta dubitatio illa, Vnde bonis calamitates? Quam Seneca, sub titulo de Dei prouidentia, satis ineptè, vt solet, tractat. Nam primo debuit ostendere Rei quæsitæ veritatem: inde, Quare id contingat? inquirere. Vnum Vticensem Catonem videtur proferre ad declarandum, bonos esse calamitosos: nam semetipsum occidit. Hoc sufficere debuit ad ostendendum, illum esse miserrimum. Nobis quidem hoc certè sufficit: apud Senecam verò, qui tantam felicitatem in fortitudine, in voluntaria morte constituit, nescio quomodo illum miserum & calamitosum pronunciare audeat? Sed admittatur, concedatúrque etiam, quod nemo concessurus esset, hoc vnum exemplum tanquam clarissimum sufficere ad hoc ostendendum, quod præstantissimorum ciuium exitus sint miserrimi. Illud etiam non rogatus relinquo, quod nesciam, quomodo hunc hominem adeò ceu virtute celebrem laudare possim, qui soleret inebriari: vnde & Martialis ridiculum,

Quid nimio gaudes noctem producere vino?
Ignosco, vitium, Gaure, Catonis habes.

Facessant, inquam, hæc quamuis apud plerósque maxima: quomodo ostendet mihi Catonem fuisse probum virum? Contendo ego fuisse improbum, nec prouidentiam vllam quærendam ob hoc in Deo, tamquam scelus sit occidisse Catonem, aut eo compulisse vt semet, si vir dignus videri vellet, occidere cogeretur. Dices, leges seruauit, fuítque incorruptus adeò, vt iudicia illa iustissima haberentur, quibus Cato præfectus esset: ciuis optimus fuit, & à toto populo Romano talis habitus est. Vnde illud Lucani:

Sed quo fata trahunt, virtus secura sequatur,
Crimen erit superis & me fecisse nocentem.

Omnia admitto, & optimum ciuem appellari permittam: contendo tamen fuisse pessimum hominem. Longè differunt optimus ciuis & optimus homo, bonus homo & bonus ciuis. Ciuis bonus est, qui leges ciuitatis saluas esse cupit & Rempubl. amplissimam, ciuibusque benefacit. Id quo studio? vt primum, si possit, illi dominetur. Sed absit in Catone, non cogitauerit illud: saltem quia noluit quemquam sibi præferri, vt ipse melius securiusque viueret, & stirps sua ac fama in perpetuum, quantum humanæ res possunt, propagarentur, in quibus minimè decipiebatur, an putat veram fuisse probitatem, quæ foueret tyrannum pessimum totius orbis? Detestantur vnius tyranni vrbis satellitem, eumque modestum: hunc satellitem tyranni orbis crudelissimi, dicemus optimum virum, quod tyrannidem foueat? Cur non simul omnes tyrannorum satellites, in tyranni verba iuratos, non collaudamus? nam & illi tyrannum saluum esse volunt. Sed cur? ob proprium commodum, non ob fidem: multo minus, ob vniuersorum vtilitatem. Cum Cato tantas turbas ageret, quis dubitat sui commodi gratia id non egisse? Eò enim potentiæ, sedens in vmbra, peruenerat optimi ciuis hac fucata opinione, vt nec Cæsaris sudores, nec Pompeij gloria, nec Ciceronis facundia, nec Chrassi diuitiæ illi resistere possent, ob idque coacti sint in vnum conspirare Cæsar, Pompeius & Crassus: vixque sufficiebant ad hanc tectam tyrannidem vitandam, nisi ad arma ventum esset: In quibus cum inferiorem talibus ducibus se videret, non ob molestiam, sed quia illis imparem hoc certaminis genere se videbat, sponte cessit. Quod etiam Cicero, alio tyrannidis genere certãs, fecit: sed viliori hosti quàm Cato, succubuit, ideóq; etiã turpius. Cur ergo non descendat deorũ aliquis ad hunc tyrannidis satellitẽ egregium, Catonẽ dico, certe tuendum? ô nefas, ô impietatem maximam! Sed quid maius etiam de Aristide ac Phocio-

ne dicam? Fuere præstantes ciues, non boni viri: munera enim imperatoria, cædes, oppugnationes vrbium exercuerunt: rapinis, incestibus, miserísque hominibus in seruitutem trahendis interfuerunt, & nisi Deus hos curasset, pro implenda libidine nihil pensi habuissent. Si rapuissent ipsi, & pro pecunia hæc fecisse conuincerentur, annon sine controuersia facinorosos appellamus? At nunc pro inani gloriola, pro ambitione id egisse illos certum est. Hoc verò quid est, quàm non esse innocentes, sed criminis genus mutatum seu potiùs causam esse? At hæc honestior rapina, illa multis forsan necessaria. Illa laudari non debet; hæc omnino non potest excusari. Hi ciues de legibus contenderunt, quas seruare nitebantur, quo consilio, nescio, certè non quia probi essent homines. Leges multi euertere student, plures illas in suum commodum trahere atque distorquere. Ob id necesse est, si hoc velint facere, (præsertim quum omnibus fucus subolet, cuius causa tueri leges adeò mordicùs conentur,) multas turbas magnásque exoriri, multósque sibi inimicos parere, & æmulos longè plures. Quid mirum est ergo, hos vel illos dare pœnas? quandoquidem omnes tyranni sint: sed hi legum authores ac defensores occulti; alij, qui hos oppugnant, manifesti. Quot enim ex illis hi sancti viri trucidarunt? Sed qui trucidabantur, nomen subierunt seditiosorum: qui trucidarunt, iustorum ac Reipubl. defensorum.

Scio me iam intelligi: vnus tamen restat, qui obiici possit, Socrates nempe, vir ille toties probus iactatus, qui cicutam damnatus bibit, cum nihil ipsi ad sanctitatem deesset. Hic enim, etsi pauper, non se vnquam tractandæ Reipub. immiscuit, quamuis sæpiùs potuerit: ciues ad omnem virtutem hortabatur, tyrannísq; pro ciuium salute cum videnti mortis periculo se obiecit. Quid ergo ad hæc dicis? Habeo multa sanè. Vbi quidem omitto nunc eos, qui felicitatem in sola virtute consistere aiunt. Nam de his dicam illud Philosophi: Nec sponte, nec inuitos vera dicere, qui in rota pendentem felicem esse aiunt. Dico autem, Socratem eam mortem vltrò sibi accersisse, quod etiam aliàs testatus sum, vt & quibus ex causis. Fecisse verò id etiam anteà seductum inani ambitione, Aristoteles insinuat. Quorsum eos, qui profitebantur disciplinas, coarguere? non erat hoc vitia reprehendere, sed irritare: non virtutes serere, sed irridere. Non fuit Socrates infelix, sed felicissimus, dempto mortis genere. Vixit senex: anno enim septuagesimo obiit. Vixit sanus perpetuò & summa, quam ille maximè affectabat, gloria tum præsenti, tum post mortem conseruandæ spe. Amicos & cognitos in omni Græcia, quantum vel alius quisquam anteà vel post, seu Philosophos seu ciuitatis principes, habuit. Nihil ex necessariis illi defuit, adeò vt Aristippus dicere soleret, Diuites Athenienses fuisse penu Socratis: omnia enim contribuebant, vel non petenti. Sapiens, corpore firmo, vegetis sensibus, natura & instituto fortis: quod ad obtinendam felicitatem non paruo auxilio est. Filios tres masculos reliquit incolumes, amoribus suis aut potitus aut potiri haud prohibitus, etiam illustrissimorum adolescentulorum. Duabus simul vxoribus etiam frui contigit, ne quid ad explendam libidinem deesset. Vixit denique in ciuitate florentissima & totius Græciæ emporio, nec vnquam aliàs ante in iudicium vocatus & rarò coactus ire in expeditionem. Addidi de adolescentulis, non quod non ignorem potiùs ad infelicitatem, quam ad felicitatem hoc pertinere: sed vt iuxta mores illius ætatis corruptos declararem, optatis nihil potuisse deesse. Si modo felicitas iuxta vulgi opinionē est, potiri votis suis. Ille idem conuiuiis sæpe intererat. Nihil, cum tamē esset filius sculptoris, tota die agebat, quàm colloqui modo cum eruditis modò cum adolescentulis in foro, circumstante corona atque illius sapientiam, vt vulgi mos est, admirante atq; laudante. Adeò vt, si ausus fuissem committere inanes has rationes ac disputationem cum disciplinarum solida scientia atque ex ea vera gloria, nec mors ea infelix, si non optata, vel infamis, si non eo inuito contigisset, tertium inter felices homines numerassem, pari quasi fortuna, nominis splendore ac vitæ tranquillitate. Hoc igitur voluit, hoc habuit: quis hunc hominem calamitosum dicere audeat?

Sed videamus Antisthenem, Zenonem, Platonem, Diogenem, Theophrastum, totque alios Philosophos, quamquam nec omnino bonos, qui fuerunt vndéque fermè felices. Sed & Cleanthes minimè fuit aut appellari meruit infelix. Et, si modò infelicem hunc dicas hominem, natum, non factum ira deorum, fateri cogeris. Dixi, non bonos fuisse hos viros perfectè: nam ex tot philosophorum sectis nulla efficit hominem bonum, sed Christi lex sola homines efficit bonos. At dices, hi non fuerunt felices. Fateor: sed id contigit, quoniā Christi cultores id genus felicitatis ex professo spernunt, quare nihil mirum, eos non adipisci quòd spernunt. Boni ergo felices sunt eo in genere, quo boni esse volunt, non qui vt Christiani viuere volunt, sed qui simpliciter felices esse cupiunt.

Sed iam tempus est, his quæ ad rem necessaria erant cognitis, quem cœperam, institutum sermonem absoluere. Fuerat autem is, Quomodo possit homo felix euadere? Dixeram verò tria esse necessaria ad felicitatem: sapientiam, virtutem, filios. Et quoniam felicitas in vita & operatione perfecta consistit, vt hæc commodè possint ad finem atque ad opus perduci, tribus aliis indigemus, libertate, bona valetudine, atque opibus. At de libertate non solùm quæritur, ne in carcere sis aut seruus, sed etiam vt ibi habites, vbi leges optimæ sint atque seruentur. De valetudine bona, quantum necessariū est, superiùs diximus. Reliquum est, vt de opibus dicamus. At de virtute & sapientia etiam superiùs sermo habitus est, & quantum huic generali tractationi necessarium est, mox subiungetur: Relinquitur igitur, vt de Filiis & opibus generaliter agamus: nec non vt nos præparemus aduersus calamitates, si superueniant: nam, *præuisa minus tela nocere solent.* Itaque ad ingruentes casus paratum esse oportet: sed de hoc etiam posterius.

Quod igitur ad filiorum numerum attinet, duo

duo sufficiunt. Quanto tamen plures habebis, tanto securior viues: ita tamen, vt non magno studio, maximè si opes non suppetant, illorum numerum augere cures. De opibus autem, si solus sis, metam statuere oportet, quantum possis ex reditibus emere frumenti annui pro duodecim viris. Nam si frumenti pretium creuerit, habebis etiam quo compares reliqua: si vilius fiat, eodem modo. Melius est ergo, vt frumentum pro reditu habeas, scilicet quantum sufficit ad duodecim homines alendos. Sunt autem libræ tritici XIIMDC. Vltra vt habeas, non est necesse, ne soliciteris: si tamen occasio detur, vsque ad duplum peruenire potes: vltra autem oneri potiùs sunt, quàm vsui. Tria etiã præter hæc habere conuenit: reditũ vnius anni in numerato semper & paratum, ob fortuitos casus: domum propriã, nec tibi locatam: atque industriam vt si contingat perire reditus, aut non sufficere, non cogaris mẽdicare. Quæ autẽ hæc sit & qualis, in sequenti libro diffusè docebimus. Præterea, si filios habueris, reditum augere oportet, frumentum ad alendum sex viros sufficiens pro vnoquoque filio, tantumdem pro ducta vxore. Cæterũ cum his carueris, ancilla vna sufficiet ad beatam vitam traducendam. Sed cum virtus ac sapientia expedita sint bona, filij bonum onerosum & implicatum, curandum est, vt tam tempestiue eos suscipias, vt cum senecta superuenerit, illi iam sint iuuenes, à iuuando enim iuuenes dicti sunt. Nam si eousque distuleris, vt iam tibi seni sint filij adhuc impuberes, periculum est, ne duplici onere grauatus succumbas, cogarisque illud occinere poëticum:

Tres sumus imbelles numero, sine viribus vxor,
Laertésque senex, Telemachusque puer.

Cæterùm vt rem ab initio repetam, postquam iam tantum præfatus sum, vt modò omnia simul intelligere liceat, sciendum quatuor esse à me proposita, ad felicitatem habendam necessaria. Subiectum quidem, quod diximus esse triplex, sapientiam, virtutem, filios. Et quæ ad illorum vsum sunt opportuna: quæ rursus tria sunt, libertas, sanitas & opes. Modum etiam, qui est perceptio voluptatis: & denique Scientiam vsus horum. In singulis verò generibus scire necessarium est, quomodo quodque adipisci liceat, quomodo quæ aduersantur, tolli vel minui debeant? Quomodo adipisci liceat, non possumus scire, nisi metam sciamus. In principalibus ergo nullam metam statuere oportet. Nã quanto maiorem sapientiam, plures virtutes ac filios possederis, eo beatior eris. In necessariis ad vsum meta est, vt, quàm celeriter & expeditè principalibus vti possis. Nam & celeriter & expeditè ad felicitatem ipsam peruenies, atque ideò ad finem optatum, vt diutius beatitate humana frui possis. Et licèt in principalibus nulla meta sit necessaria, filios tamen suscipere non ante vigesimum quintum annum properabis: fiunt enim incontinentes. Post quadragesimum autem secundum imbecilles plerumque nascuntur. Nec tamen etiam tunc contemnere natos decet, licèt serò ad iuuentutem peruenturos: curare enim oportet ne orbus decedas omnino. Nec in his tamen, nec in virtute aut sapientia id constituas tam esse necessaria, vt vel metu amissionis, vel si perfectionem non assequaris, infelicem te esse existimes.

In virtutibus verò ipsis scire decet, quomodo ad vtrumque vitiorum latus declines? In quibusdam enim perspicuum id est, vt in liberalitate ad auaritiam & prodigalitatem, in fortitudine ad timorem & temeritatem. At in aliis, quæ plures longè sunt, hoc non est adeò perspicuum: velut in veritate ad mendacium quidem, perspicuum est; ad exuperantiam, non ita. Tamen est, vbi non rogatus & insidiantibus veritatem prodis: vt si plura dicas quàm requiratur, inanis cuiusdam gloriæ cupidus: circa veritatem enim peccas. Vt & si quæ non scis certè, aut suspiciones narres, quamuis vera esse non affirmaueris: potes enim silentio illa transigere. In pietate ad impietatem & ad superstitionem deflectitur: nam Deus venerari vult, non tamen hoc cultu indiget. Plures verò ita agunt, vt omissis necessariis rationibus ad illum se transferant, quasi indigeat. Mansuetudini perspicuè altera ex parte opponitur feritas: nõ illa de qua diximus, & quæ caput est vitiorum, sed de qua Aristoteles dixit, minus malũ esse quàm vitium, dicitúrque asperitas, velut in agrestibus capris, ceruis ac tauris. Ex altera autem ignauia, cum nimis socordes tractari nos malè permittimus. Est autem mansuetudo, vt nos hîc volumus, Humanitas quasi, virtutum omnium decus quoddam & ornamentum. Clementiæ perspicue sæuitia, obscurius ex altera parte remissio & misericordia. Inter iram & stuporem tolerantia posita est. Prudentiæ, imprudentia & astutia assident: Beneficentiæ, durities & indulgentia, seu potius, qui aliena plus propriis negotiis curat: officiosissimum id, sed non in bonam partem interpretando. Charitas ex aduerso odium habet & affectum illum quo quis deperire dicitur, seu insanum amorem. Amicitiæ cum sit, vt dixi, mutua charitas, etiam eadem contraria erunt: Verecundiæ, impudentia & δυσωπία, seu nimia vel damnosa verecundia, Gratiæ, ἀχαριστία & redundantia: Vrbanitati, scurrilitas & rusticitas. Magnanimus inter insolentem & abiectum submissumue ponitur. Magnificentia profusionis & fastus ac sorditici medium est: Indignatio liuoris & improbitatis seu nimiæ patientiæ. Æquitas & iustitia in eodem genere sunt, sed ad diuersa referuntur. Æquum enim dicitur, quod iustum est verè & legis interpretatione: iustum verò, quod iuxta legem fit. Quare Æquitas inter seueritatem & legis contemptum posita est: Iustitia verò inter legis excessum & diminutionem. Grauitas inter morositatem & leuitatem: cum leuibus verò iidem sunt, qui ridiculi appellantur. Intemperantiæ & abstinentiæ, temperantia: sed continentiæ, incontinentia & nimia abstinentia opponuntur. Par enim est, vt tantumdem ab extremis extrema distent, quantum media inter se. Sunt etiam quædam virtutum partes. Ita fortitudinis pars est patientia, seu in doloribus, seu in laboribus; & prudẽtiæ constantia: quæ tamen inter duo extrema iacet, vt vir-

tutes cæteræ, pertinaciam scilicet & mobilitatem. Quædam ex duabus: vt fiducia seu fidentia ex prudentia & fortitudine, inter diffidentiam vel desperationem & confidentiam virtus posita est. Moderatio quoque & modestia partes sunt prudentiæ: sed modestia etiam ad vrbanitatem pertinet. Inter ambitiosum etiam & abiectum virtus est nomine vacans, quæ liberalitati respondet. Illa in honoribus seruat mediocritatem, vt liberalitas in diuitiis. Promptitudo etiam media est inter præcipitem & segnem, seu lentum & tardum, quæ virtuti quidem est similis, sed ad corpus potius pertinet. Ingenuitas quoque, honestas, & venustas ex his sunt. At heroica virtus & innocentia, modi sunt virtutum, non virtutes simpliciter. Vna enim omnes eas excellenter comprehendit; altera, omnia excludit vitia: ob hoc non inter duo extrema positæ sunt, sed vni tantum opponuntur. Meminisse autem decet, virtutes non esse medias inter extrema, quoniam ex his conflentur: sunt enim quidam auari in quosdam, in alios prodigi, nescientes medium tenere, nec liberales esse.

Circa sapientiam, cum non omnem adipisci liceat, quæ ad mores, quæque ad naturam conducit, vtilior est. De Deo autem lex nostra plura docet, tum Aristoteles & Plotinus. Mathematicæ autem ante aliás: certiores enim sunt. Pingere, fingere, numerare, scribere, canere, pulsare, omnibus præter hæc debent esse communia. Quædam autem nescire præstat, velut carmina condere. Nam carmina quodam furore, vt poësis, constant: ob id stultè multa solent furentes ea ratione edere, quæ alioqui non fuissent edituri. Eaque causa sola tres vidi, quorum vnus pecunia grauiter mulctatus est, nescio an etiam grauiore pœna: alter in equuleo decies octies tortus: tertius publicè laceratus est. Fuit & alius multis vulneribus confossus, quamuis superuixerit. Decent carmina vel eruditos vel eos, qui illis componendis solum incumbunt. Studiorum vero naturalium pars optima est, quæ de cælo, astris, elementorum motu ac quiete est, de diis ac anima & his quæ à morte: adeò vt in horum ac similium contemplationem, velut miracula moresque animantium non male Seneca felicitatem; sed meliùs, vt dixi, felicitatis partem collocauerit. Verùm hæc omnia ideò ad fœlicitatem pertinent, quod voluptatem pariant: hic enim est vsus.

Cum ergo Voluptas sit cognitionis modus, (est enim delectatio ex cognitione,) tot modis delectari contingit, quot sunt cognoscendi differentiæ. Sunt autem externæ quinque, tot enim sensus: interiores autem quatuor, mens, ratio, memoria & vis imaginandi. Dubitatur autem, quænam maior? Certè interior his, qui illam facilè assequi possunt: manet enim diutiùs, & memoriæ auxilio, quoties libet, reuocatur in actum: vlteriùs etiam progreditur, éstque rerum nobiliorum & magis propria homini. Interiorum præstantissima quæ per mentem: est enim æternorum & immutabilium. Memoria verò gaudent pueri & imperiti. Mathematica imaginari solemus, atque ob id, quoniam certissima sunt, eam operationem diligere ac magnifacere. Verum ratio homini propria est, & etiam ad humanos vsus accommodata. Extoriorum maior est voluptas in tactu & gustu, quoniam sunt in materia: verùm impuræ sunt & communes cum belluis. Quæ ex visu habetur, magis est necessaria & scientiæ propior: quæ ex auditu, maior: minima & minore in pretio est, quæ ex odoratu oritur. Præstat autem, vt quisque est institutus. Quo facit consuetudo, & natura, & raritas rei seu nouitas, ac perfectio, cæteráque similia. Ergo virtutes, neque earum opera felicitatis partes sunt, sed cognitio ac delectatio tam operum quàm virtutum. Sensuum verò cognitio ad sapientiam pertinet, non quod sentire sit sapere: sed quia, cum tria diximus esse principia felicitatis, sensuum cognitio ad felicitatem pertinet, quoniam interiore cognitione exteriorem percipimus, atque de ea iudicamus. Vnde venus & cibi delicati in cane pariunt voluptatem: in homine, voluptatem & fœlicitatem. Canis enim quia mente & ratione caret, ideò fœlicitatis est, vt aliàs diximus, expers. Quamobrem felicitas in ratione tantum sita ac mente esse potest, non in sensu vel memoria. Nam de imaginandi vi videtur aliud genus esse, quàm quòd in belluis dignoscitur. Solum enim in ea cognitione est felicitas, quæ homini proxima est. Ergo in ratione & mente, & forsan imaginandi vi, si quod existimo, vt dixi, alia prorsus sit facultas ab ea, quæ in cæteris cernitur animalibus. Quamobrem filij & virtus à fœlicitate sunt remotiora, quàm sapientia: cum felicitatem non pariant, nisi quatenus cognoscuntur. Sed ne sapientia ipsa pars est felicitatis: sed scire nos sapientiam habere ac possidere, vel habuisse, vel sperare nos habituros. Quomodo ergo, inquis, gloria felicitatem parit? Nam ipsa non est sapientia, nec virtus, nec filij, nec sensus aut cognitio aliqua interior. Aut ergo plura erunt felicitatis principia quàm tria, aut non pariet gloria fœlicitatem aliquam? Oritur autem hæc dubitatio, vt & de sensuum cogitatione & multis aliis pariter, quoniam fœlicitatem primo posuimus in tribus illis, postmodum in omnibus quæ voluptatem pariunt. Sed tria illa felicitatem pariunt. Sed tria illa felicitatem pariunt solidam ac absolutam, paucis tamen congruentem: hæc verò omnibus communem & magnam certè, & quæ pluribus vel sola satisfaciat, & huic tractationi, quæ etiam plebeis hominibus scribitur, congruentem, ab Epicuro ortam, & ornantem priorem tamquam absolutam. Conueniunt tamen ambæ, quòd non consistunt aut in re ipsa, aut in voluptate vel sapientia: sed in ea delectatione, quæ oritur ex ratione mentis aut rationis, quod delectati sumus: seu mente, vt in sapientia; aut ratione, vt in gloria ac virtutum possessione; aut sensibus ipsis exterioribus. Tam ergo nostra omnis absoluta felicitas, quàm etiam Epicuri, in ratione constituta est, quoniam ratio quæstiones cognoscit. Sola ea, quæ mente mentem intelligit, dum separamur, momentóq; durat, aut aliquoties repetita paucis momentis, in ipsa mente sita est. De qua, vt præsentis instituti non est, agere: ita si prætermisissem, imperfectam reddidissem hanc

hanc tractationem, imò potiùs acephalam, relicta optima & digniore atque illustrissima parte.

Cæterùm postquam felicitas nostra in spe bonorum futurorum, in memoria præteritorum, & possessione præsentium posita est, dubium est, An præsentium bonorum possessio maior sit spe futurorum? Nam futurorum longa & maior plerúmque, quam præsentium voluptas est. Maiora enim sperare solemus, quàm eueniant. Præteritorum etiam longior est voluptas & æque secura ac præsentium. Oritur autem quæstio hæc iure merito ex dictis. Nam felicitas nostra non in sensu voluptatis reposita est, sed in cognitione illius sensus. Atque hoc velle Epicurum quoque perspicuum est. Etenim si in sensu & voluptate reponeret felicitatem, nihil ad eam faceret memoria præteritarum voluptatum, cum illæ iam è sensu sunt dilapsæ. Cum ergo voluptas felicitatem non pariat, sed cognoscere se percepisse aut percipere aut percepturum voluptatem, ipsa voluptas præsens nihil afferet commodi ad felicitatem. Cum itaque in hoc paria sint, præsens, futurum & præteritum: præteritum autem longitudine temporis superet præsens ceu momentaneum: futurum quoque & longitudine ipsa temporis & magnitudine rei, quæ exspectatur: videtur tam futuri exspectatio, quàm præteriti memoria, in iucundis maiorem posse parere voluptatem. Atque id etiam ratione colligitur. Qui enim possidet, statim ab initio timet ne destituatur: quod si non statim id contingat, sed quod iam diu possidet, gaudeat, ad præteritum voluptas hæc ac felicitas pertinebunt. Experimentum etiam huic ratio subscribit. Nam qui ad ciuitatem aliquam inuisendam pergunt, longè maiore voluptate fruuntur dum in itinere sunt, & maximè cum appropinquant illi, quàm cum iam in vrbem peruenerunt. Et qui in morbo salutem sperant, liberari se cernentes plus gaudent, quàm sani iam facti: imò cum sani sunt, voluptatem nullam prorsus percipiunt. Subscribit huic ratio aliàs dicta, quòd deliciæ oriantur in mutatione & reditu à statu præter naturam ad naturalem statum tantum non post reditum medici, vt experimentum ipsum docet. Alia ratio etiam dicta est, scilicet, quod timor & spes, ea, quæ exspectantur, maiora ostendunt. Quamobrem dicendum est, cognitionem illam fieri iuxta quantitatem perceptæ voluptatis in sensu, quæ, vt reliqua omnia, euanescente sensu, licèt non statim, paulatim euanescere incipit. At iuxta illam metiri oportet felicitatis quantitatem. Quia tamen ex diuturnitate voluptatis ac perseuerantiæ augetur continuè illa felicitas: vbi diu permanserit, si eam soli voluptati præsenti comparaueris, maior esse poterit. Sed si ad eam, quæ ex præsenti & proximè præterita conflatur, fuerit comparata, proculdubio minor erit. Si ergo, (vt exemplo rem faciliùs intelligas,) anno ab hinc vno puellam possideam relicturus eam cras, ad annum quidem maiorem sentiam ex hoc voluptatem, quàm prima die qua illam possidere cœpi, nisi spem futuram voluptati diei illius adieceris, non tamen maiorem voluptatem hinc ad annum ex hoc percipiam quàm hodie, imò nec quam sex mensibus exactis. Nam præsens illa voluptas cum voluptate sex mensium præteritorum maiorem parit animo mea satisfactionem, quàm post annum annuæ possessionis præteritæ memoria. Eademque ratio de futura spe conceptæ felicitatis seruanda erit.

Iuxta quam, quod quærere volebamus, disputandum est, An, maior sit felicitas senis vel iuuenis? Neque enim dubium est, quin omnia, quæ non sunt in extremo constituta, incrementum non assequantur & diminui non possunt. Deo, quòd supremus sit, vt nec puncto, quod minimum, quidquam maius non est, neque minus. Maius tamen puncto, & minus Deo dicere consueuimus. Sed de felicitate, tametsi perfectum sit bonum, haud dubium est, quin aliqua maior sit, aliqua minor. Maiorem in iuuene plerique existimant, quod iuuenum nullus senem se esse malit, senes omnes vellent se esse iuuenes, & de hoc vno conqueruntur. Si igitur bonum est, quod omnia appetunt, bonum est iuuentus, malum senectus. In bono autem constituta est felicitas: ergo senectus felicior non est, imò nec felix. Senectuti etiam proxima mors sensus hebetes, languidæ vires: in his autem quæ felicitas? Senibus igitur parua vel nulla felicitas. At è diuerso senex voluptate præterita securè iam fruitur: securior est etiam in filiis, quos habet iam grandiores: virtute insuper ac sapientia præstat, & post vitia abolita tranquillitas ipsi maior, maior à laboribus quies est, minora pericula. Si igitur felicitas in animi tranquillitate consistit, ac scientia multarum rerum, felicior erit senex quàm iuuenis. Habet hæc quæstio plura capita. Si enim statuamus animas immortales, haud dubie felicior est senex iuuene, vt qui iam prope metam est, superauítque labores, & cursus pericula. Sin autem mortales adhuc statuere aliter atque aliter decet, aut vnam iuxta populi opinionem, sic omnino iuuenis fœlicior esse dicetur, vt qui omnibus bonis corporis polleat, spéque diuturnioris vitæ præstet. Sin autem sapientum sententiam præferimus, senex ob ea, quæ dicta sunt, felicior est existimandus. Porrò velle apud duos, contrariis legibus vtentes, iudices eamdem statuere sententiam, non est arguti hominis aut sapientis, sed insani.

Propterea his relictis, iam tandem ad vsum eorum, quæ ad fœlicitatem pertinent, deueniamus, idque primùm statuamus, si felix esse velis, oportere omnino non res ipsas augere, sed minuere cupiditates: nec quantum habeas aut desit pecuniarum, honorum, amicorum, opportunitatis, considerare, sed solum quantum sibi sit necessarium. Omnia etiam, quæ non sunt vtilia, præscinde, ne tibi occasio infœlicitatem pariat. Vt enim arbor ramis præcisis, licèt deformis, firma manet aduersus ventorum impetus; patula autem, speciosa licèt sit, exstirpatur: ita homo negligens non necessaria, paucioribus cũ impedimentis & tutius ad culmen fœlicitatis peruenit. Dicebat Seneca, quod velut in tempestate qui enatare volunt, nudi enatant: ita ex hac vita tempestuosa nõ enatabit quisquã nisi

negociis vacuus. Ego licet sententiam grauem & similitudinem comptam videam, congruentiaque verba, futilem tamen comparationem esse cerno. Quomodo enim vita sine negociis? quomodo quis enatabit è vita? qui è mari enatant, seruantur: qui ex hac vita, iuxta illius sententiam toti pereunt. Ne tamen frustra illa verba huic libro inseruerimus, dicamus eum, qui nolit perpetuò fluctuare in hac vita, sed solùm natare in ea, oportere esse explicitum ab omni onere atque impedimento. Velut enim nauis oneraria cum onusta est, surgente tempestate, magno versatur in periculo, vacua superat vndas: ita vita nostra negociis oppressa, si bellum, seditio aut alia calamitas superueniat, mergitur. Atque id rebus ipsis & experimentis congruit. Quidam cum emisset frumentum spe belli, & ob pacem euiluisset, laqueo se suspendit. Alius cum arma in bello Principi vendidisset non numerata pecunia, illo succumbente, perpetuo in posterum mendicauit. Alius cum in pace multa emisset, bello superueniente direptis quæ emerat, dolore periit. Ergo qui in sui potestate collocat ea, quæ ad felicitatem pertinent, is felix est prorsus. Sed non possumus. Verte igitur & dic, qui felicitatem in his collat, quæ in nostra potestate sunt, huic facile erit felicitatem assequi, & de ea assequenda securus erit. Quod si sinistri quidquam euenerit, non euertitur à fortuna, sed concutitur. Quid enim stultius, quàm felicitatem in casibus collocare, qui vt secundi eueniant non nostri est arbitrij, sed fortunæ aut alterius potentioris causæ? Itaque accipere beneficium, arbitrij est dantis: impendere, nostri. In præstandis ergo beneficiis felicitatem nostram collocabimus, non in accipiendis. Sic honesta desideria, læta vita, operatio secundum virtutem, studia sapientiæ, recta consilia, fermè semper in nostra potestate sunt, & secura eorum possessio: ideoque in huiusmodi rebus collocanda felicitas. Est enim arbitrij nostri, collocare felicitatem in quacumque re voluerimus, modo vel bona sit, vel differens; vt potentia, diuitiæ, robur. Vnde homo fermè semper tam felix est, maximè sapiens & fortis, quantum se esse vult. Cum enim felicitatem in his collocauerit, quæ prorsus sua sint: imò quæ iam possidet, planè is omnibus numeris felix erit. Vnde qui dixit. Nosce teipsum: melius forsan dixisset, Impera tibi ipsi. In illo enim magnum est bonum, in hoc verò summum. Est autem hoc illius, qui prudens est & fortis, vsuque assueuit paulatim sibiipsi imperare. Id verò assequimur cupiditates comprimendo. Qui sibi imperat, similis est equum fræno regenti: qui autem assueuit iam cupiditatibus imperare, equum mansuetum cum fræno equitanti: qui non imperare assueuit, nec imperat cupiditatibus, equitanti agrestem equum absque fræno. Primus igitur non sine maximis difficultatibus seruabit se: secundus, sine difficultatibus & periculo lætus & cum voluptate peraget propositum iter: tertius, aut ab equo excutietur, aut agetur in præceps. Solus ergo sapiens felix esse potest: quia quæ cupit, possidet, & securus, nec putat sibi quidquam deesse. Ostendemus autem infra hæc ad felicem pertinere, licèt ad felicitatem non sit necessarium, vt securus possideat. Sapiens igitur cum tuto, quæ cupit, possideat, nec putet sibi quidquam deesse, quod omnia hæc in sua sint potestate, felix est. Alij nec tuto, quæ habent, possident: imò nec securi, cognoscuntque multa sibi deesse, quantumuis suas opes ac potentiam ostentent. Non igitur, etiam secundum Epicurum, qui sapiens non est, felix esse potest. Si ergo sapiens felix esse potest, qui sapiens non est, felix esse non potest. Sed solus sapiens felix esse potest: ergo sapientiam totis viribus quærere oportet. Quod verò arbitrij nostri sit, vbi nobis imperare didicerimus, quocumque voluerimus felicitatem collocare, ex hoc manifestum est. Explere cupiditatem iucundum est: iucundi autem possessio parit felicitatem: iam si omnes, vt dixi, ramos ex arboris trunco præciderimus, in ipso trunco iacebit tota felicitas, nihil aliud nobis ex decreto optantibus. At cupiditatem nostram ex concessis in eo qui sibi imperat, quocumque voluerimus transferre licet, atque ibi collocare: certum est igitur absolutam felicitatem in quocumque sapiente, qui sibi imperare possit, quacumque in re velit, constitui posse.

Iam ergo felicitatem absolutam in manibus sapientis, qui sibi imperare possit, irretitam habemus. Qua in re igitur illam collocabit, seu quibus in rebus? Plures enim sapienti, etsi possit sibi imperare, sunt necessariæ: nimirum quæ ad victum requiruntur & existimationem retinendam. Non potest autem vsquam melius, quàm in sapientiæ studiis. Qui enim vtilia scripsere documenta, successorum sunt procuratores. Idem ergo & de nobis si studuerimus, si inuenerimus, si scriptis mandauerimus, posterisq; tradiderimus. Oportet autem, vt antea dixi, in studiis & authoribus habere delectum, vt præcipuis insistamus. Quod si aliquando relaxandi animi atque recreandi gratia ad alios nos conuerterimus, statim redeundum, ne quandoquidem vita nostra adeò labilis sit & breuis, ad metam prius quàm scopum nostrum perueniamus. Vbi verò ad sapientiam peruenimus, erimus quasi in tuto. Est enim sapientiæ nomen venerabile, nec vnquam adeò malitia præualebit, temporaque infesta erunt, vt Philosophiæ nomen sacrum non sit. Verum nec publicè profiteri necessarium est, sed sapientem se præstare, & non tam studiis, quam etiam actionibus. Nec velle leges euertere, seducere plebem, certare cum imperitis, gloriam docendo captare: sed sapere & occulere, temporumque, loci, consuetudinis, imperantium, & hominum, cum quibus versaris, rationem habere: confidere etiam in iustis actionibus, & quod æquissimum est sperare. Si tamen perpeti cogaris iniustissima, si aduersa, si etiam dolores ac cruciatus, æquo tu animo fer, tecum dicens, multa & ego feci & horum causa tamen non fui. Teterrimum est, quo te afficere possunt, cruciatus & mors. At quales cruciatus perfert podagricus & nephriticus? imò puella dum parit? & quàm commodè illa ferunt? Et tu cum tua sapientia his vilior eris? Sed manent diutius? Deest nobis, quod illis præsens est, solatium?

solatium? Sed & hoc, quòd dixi, rarissimum est. Duo ad summum aut tres Philosophi periere tyrannica vi, Anaxagoras, Socrates, Anaxarchus: sed duo posteriores nolentes, ne dicam peruicacia sua. De primo etiam dubium est, annon culpa sua perierit. Certè à Pericle, qui tum rerum Athenis potiebatur, defensus est. At de morte plura, quàm etiam forsan opus erat, dicta sunt. Excute igitur metum, ne hæc prouidentia futuri, nulli vsui, tibi vtilis futura sit. Certè belluæ longe nobis in hoc beatiores sunt, quòd solum præsentibus periculis moueantur. Maior fermè semper est timor, quàm res ipsa & calamitas quā exspectamus. Cum etiam persæpè ea non superueniat, inanisque sit hæc perturbatio, & frustra discruciemur. Excute iram, quæ non pro causæ ratione accenditur; sed pro fomitis, quem illi subministras. Est enim velut ignis, qui quantumvis exiguus, plurimum in stipulis & palea augetur, omniaque deuorat: quātumvis autem magnus, si lapides inuaserit, extinguitur, nec obest. Quot præcipites ita egit? Ab omnibus rebus, quæ magna afferunt detrimenta, abstine: hæc enim infœlicem semper aut saltem maxima vitæ parte hominem reddunt: cuiusmodi sunt cædes, quæ non in vltionem factæ sunt, sed illam irritant; & amores puerorum atque nuptarum. In his omnibus res tempusque perit, comitantur pericula, infamia, conscientiaque sceleris. Et quòd in his duobus vltimis maximum est, pendes semper ex alieno arbitrio, quod cum felicitate è regione pugnat.

Iam verò si sapientiæ operam non dederis, felicitatem proximo loco, scilicet in virtutibus colloca. Nam hæc voluptas perpetua est, munda, sincera, laudabilis: vt rerum, quæ arbitrio fortunæ reguntur, inconstans, fœda, cruciatui mista, infamis. Vt hoc agas commodius, prædagogum tibi statue, id est, amicum, cui omnia quæ agis, etiam occultè, vt alias dixi, reueles. Tunc verò profecisse te scias, cum tui pædagogus factus eris, & tui ipsius puduerit. Nec à Deo illa pete, quæ si homines audiant, pudore afficiaris. Quam enim iniquum est à Deo petere audere, quæ non esses ausurus petere ab hominibus? Id ergo est sibi amicum factum esse, cum homo sibi potest imperare, ac semetipsum corrigere: nam horum vtrumque in amicis possumus. Pauci tamen sunt, qui sibi sint amici. Nam qui amicus est sibi, vitia odit: illa enim inimica nobis apertè sunt, & nobiscum bellum perpetuo gerunt, & nos in summas calamitates protrudere conantur. At nos, nos ipsos non amantes, illa non odimus, sed tanquam cum amasia cum ipsis litigamus, & de illis conquerimur: habere enim cupimus, sed offendi ab illis nolumus. Quia enim nosipsos stultos amore, non verò diligimus, diligimus etiā affectus nostros atq; cupiditates non secus ac adulatores. Ablādiuntur enim nobis, ideò etiā vitia cupiditatibus & voluptatibus iuncta diligimus. Et quamvis, quòd rectum est & quòd non rectum dignoscamus à vitiis, tamen ipsis, tanquam voluptatum lenonibus, spoliario metuimus, ne cum lenonibus discedant amasiæ nostræ voluptates.

Demum, si adeò in virtutibus nondum profeceris, saltem constanti animo esse discas, & senes imitare, qui solum vera timent. Nam pueri etiam laruas & personatos timere solent, & quidquid imaginantur: nec ab hoc vitio immunes sunt iuuenes. Vt verò non timeas, nec ama, nec spera immoderatè, vt Cato docebat. Vt non ames speresve immodicè, vilia ama, vel quæ prorsus sint in potestate, & parua spera. Sperabis parua si paruo cōcupisces & modicis rebus contentus fueris. Spes enim malorum certiores sunt quam bonorum, & euentus etiam frequentiores. Quoniam mala, vt eueniant, auxilio nostro non indigent, sed nolentibus nobis eueniunt: bona autem multa non nisi nobis consentientibus, imo semper fermè curam exigunt nostram. Quare & malorum prædictiones plerumque veræ, bonorum mendaces sunt.

Ergo vbi in parvis & securis spes tuas atque cupiditates collocaueris, cuipiam industriæ, sic nec sapientia nec virtus suppetunt, te totum trade, & illi operam da, in eius possessione, incremento, opere, vtilitate, laude fœlicitatem tuam collocans. Quod multos fecisse vidi & beatos euasisse, non solum proprio eorum iudicio, sed & aliorum & præcipuè Principum.

Quæ verò felicitatem maximè impediunt, duo sunt: vitium naturæ & impatientia, cum aliud statuimus vitam esse, alium viuendi modum. Velut cum sint tria vitæ genera, pium, sapiens, & iuxta existimationem, hoc est, Christianum, Peripateticum, Epicureum: si fœlicitatem quis statuat iuxta communem vulgi existimationem, & tanquam Christianus vel Peripateticus vitam duxerit, in maximas calamitates incidet, & videt miseram ducet. Qui verò contra egerit, felicissimus erit: vt si fœlicitatem iuxta legem constituat, viuat autem atque rebus suis prospiciat ex naturæ instituto.

Hactenus de generali vitæ institutione dictum sit, quæ in cura horum quatuor reposita est, sapientiæ scilicet, virtutis, filiorum, & industriæ, comitante voluptate honesta omniū sensuum, memoria quoque & spe illarum, tum & securitate, ne quid omnino desit ad explendam seu felicitatem, seu securitatem eorum quæ possidemus, tanquam ad fœlicitatem necessariorum, quantum tamen hanc in humanis obtinere licet. Quod si omnino aliquid præter exspectationem mali successerit, sat sit tunc dolere, si modo dolendum est, cum euenerit: interim de his, quæ possedimus, oportet gaudere, &, vt Epicurus dicebat, compensare præsentem iacturam cogitatione præteritæ voluptatis. Est enim fœlicitas vnum quoddam quasi homogeneum & vndequaque sibi simile, velut terra, aqua, caro: vt definitio illius & toti & parti eadem sit, ac ex æquo competat. Sicut enim aquam ex æquo dicimus & guttam & amphoram & totum elementum aquæ: ita quæcunque minima pars fœlicitatis & tota simul felicitas hoc nomine fœlicitatis comprehenduntur, eademque definitione, quæ est, Voluptas animi orta ex ratione cognoscente possessionem rei iucundæ. Manifestum est autem quòd cognitio hæc de possessione, intelligatur, vt dictum, de quacunque possessione & quocunque tempore,

præterito, præsenti & futuro, modò sufficiat ad generandam voluptatem in animo. Differt autem felicitas in hoc à stultitia, quod licèt stultitia possit esse cum voluptate animi, orta ex ratione cognoscente possessionem rei iucundæ: non tamen orta sit talis voluptas ex cognitione rationis, sed falsa opinione. Vnde nec illam habuit, nec ex illa orta est, nec potest esse constans, nec anima, quæ voluptate illa perfunditur, integra est, & ab aliis etiam exterius irridetur.

Vera autem felicitas non semper facit felicem. Vnde multum differunt, esse felicem & possidere felicitatem. Omnes enim fermè possident felicitatem aliquam, quamvis multi minimam: felix autem vix vnus aut alter est in tota vrbe. Vt felix quis sit, oportet absolutam possidere fœlicitatem, & nihil deesse, & securum esse de hac possessione. Diximus autem, quomodo securus esse poterit? Vt verò sit absoluta, oportet vt in paucis atque in paruis eam collocet, circunscribatque omnia quæ non sunt necessaria, & tamen nihil desit etiã, neque interrumpatur ab aduersis. De præsentibus quidem malis satis diximus: tum etiam de præcidendo omni metu futurorum. Quòd ad præteritorum autem malorum memoriam, in tuto arbitrio est, seruare iucunda, & obliuisci errorum atque malorum. Ob id non ineptè dicebat Themistocles, Cupere se multorum obliuisci: tanquam memoria illorum felicem eum esse prohiberet. In futurorum autem exspectatione spem tuam semper inter duo colloca, quorum vtrumque iucundum sit, sic enim semper felix eris. Velut inter amici exspectationem & studium aliquod gratum. Inter filij capti liberationem & hymeneum, aut vitam à curis solutam, cum ille fuerit nequam. Semper autem occasio horum talium est.

LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

De Principum Incommodis.

Svfficere poterant hæc, quæ dicta sunt, ad persuadendum hominibus, nec diuitias, nec honores, nec fœdas voluptates esse necessarias ad benè beatéque viuendum: nisi, quemadmodum & in morbis corporis contingit, quosdam tanta scabie laborare, vt existiment summam felicitatem in scabendo esse repositam: ita plerique se beatos esse non posse credunt, nisi maximas opes adipiscantur, primos occupent honores, & exquisitissimis ac plenis voluptatibus fruantur. Quos hoc ipso decipi conuincam, quod cum ad ista omnia peruenerint, haud conquiescunt: & qui ex his modestiores fuerint, finemque aliquem adipiscendo imposuerint, nullam tamen percipiunt voluptatem, sed solum dum adipiscuntur: adepti lætantur, quod non doleant, non egeant. Indicio igitur est ob id lætatos antea, quoniam indigere se existimabant. Nam aliter voluptatem in acquirendo non cepissent: cum ea, quæ parta sunt iam, non delectent, nisi antea doluissent. Dolebant ergo ante & tristes erant. Igitur cum nulla alia ex causa, palam est, eos fuisse persuasos, quod indigerent. At cum non indigerent, quippè qui plus satis habeant, quàm quod sufficere homini vni diximus, certum est ob errorem atque deceptos frustra doluisse, frustraque laborasse & triuisse non tantum perperam tempus, sed & corpus fatigando, animum curis opprimendo, vitam ipsam inani dolore minuisse. Cur ergo sanos hos homines esse dicas? & cur illorum non misearis?

Sed hæc scio illis adhuc non sufficiunt. Age igitur, extrema consideremus. Quis potentior aut ditior Principe? Cum omnia tibi ex voto successerint, imò vltra votum: non tamen eò peruenies, vt sis princeps; sed fac quod peruenias, dico te miseriorem mendico futurum. Volo autem, vt valetudine, robore, forma, sapientiaque sint pares. Quid ais? dicis: insanisne aut insanum me putas, vel iocaris? Ajo ita esse, nec jocor: iudicem temet constituo, qui hæc legis, non alium requiro. Rectène sapis aut deliras? Credo me sapere, & rectè, imò etiam rectissimè, nec delirare. Omitto, quæ de animis à lege nostra produntur: nam res sic in maximo discrimine posita esset. Quam nihil non coguntur regni tuendi atque prolatandi eius terminos causa facere Principes? Non iugulant hi hominem, sed integras vrbes, exercitus, noxios & innoxios, mares uc fœminas, viros & infantes, imò etiã qui nondum lucem viderint, fana ac profana spoliant, omuia sub eadem lege tenent. Et iustum habent quodcunque libuerit. Sed hoc extra aleam. Animam, tanquam nulla sit, omittamus in hac causa: de præsentibus solum bonis disseramus. Ajo igitur, Principes esse miserrimos & deteriore, vt ab initio dixi, conditione quàm Medici, præter hoc, quod impunè homines iugulare possunt, præterque illam felicitatis falsam imaginem, quam ostentant qui assistunt, cum nudo capite & flexis genibus, tanquam deos adorent, astare coguntur, pompámque illam auri & argenti expositi atque gemmarum, quasi argentarij sint atque gemmarij. Quæ tamen omnia etiam ad fœlicitatem nihil prorsus facere, inferiùs ostendam, si non existimes hoc esse felicitati inuidiam mouere, quemadmodum pueri solẽt. Sed & illud condono, vt ne sint tyranni: ne te reuocem ad Democlis exemplum apud Dionysium. Vt enim facilè vincam, volo Reges aut Principes à tyrannide sepositos, &

longa etiam serie maiorum in dominatione perseuerantes. Quæ eo magis adiicio, ne quis nouus in principatu læsum se possit suspicari. Miseram omnium conditionem esse ajo, qualescunque sint, die, noctu, domi, foris, inter suos & alienos, in pace & bello, sanos & ægros, ab vxoribus, à filiis, in conuiuiis illis sumptuosis, in furtiua venere, in rerum scientia, in oculorum & aurium voluptatibus. Si de his omnibus te conuicere, an adhuc dubitabis satin' vera proposuerim?

Iam primum à diurnis operibus incipiam, in quibus totus dies in audiendo subditorum querelas absumitur. Omnes petunt: si quid illis donant, dona sunt granorum. Nulla hora superest, imò nec ipsa dies sufficiet, si omnes admittantur. Nam quorsum tot ostiarij, nisi ad multitudinem illam clientum explodendam? non ob custodiam, cum illa ex Germanis militibus constet. Non multum hic laborabo, cum nemo tam sit Principum causæ addictus, qui hac in parte non fateatur eos priuatis omnibus inferiores.

Succedit nox, quæ nec ipsa minus laboriosa est scribendis secretioribus epistolis. Has plures esse necesse est, quoniam & plura, quàm cæteri, negotia habent cum principibus aliis, cum affinibus, cum ministris. Adest à libellis cum fasciculo mandatorum, quæ subscribere cogitur, nonnunquam etiam legere. Hæc diurna opera sunt atque nocturna, quæ nunquam cessant, & ob id à Poëtis fabula Sisyphi declarata fuerunt. Vnde illud pulchrè dictum,

Aut petis, aut vrges rediturum Sisyphe saxum.

Sunt quidam inepti, qui dicunt, omittere potest Princeps hunc laborem. Princeps si hoc agat, Sejanum sibi vt comparet necesse est, à quo metuat, & tandem ipse cum familia exscindatur ferro vel veneno. Principum tria sunt genera. Violenti & tyranni, qui semper metuunt, non tamen semper fraude aliena pereunt. Contempti, qui semper pœnas dant. Nihil enim adeo certum affert exitium Principi, quam contemptus, qui ex inertia & luxu accidit. Denique, boni, qui & molestia hac carere non possunt, velut inertes, & qui iniuriam nemini faciunt, atque ob id à tyrannis distincti. Nec in tot seculis, si id fieri posset, vt propria & publica negotia non tractarent, defuisset exemplum: cum nullius sceleris, nullius monstrosæ luxuriæ, nullius flagitiosæ vitę in eis defuerit, nec quidquam intentatum. Tiberius secessit, Nero crudelissimus fuit, & in scena publicè se prostituit, suxit inguina virorum, Vitellius in popinis, Heliogabalus in lupanaribus, Commodus in venatione & ludo gladiatorio fœdissimus Imperatorum, Seuerus Afer nulla causa trucidabat homines, octuagesimum annum excesserat; omnes tamen his laboribus incubuerunt. Sit satis hoc ad ostendendum, nullum Principem hac miseria carere potuisse, aut posse etiam.

Domi verò, etiam cum omnia habent quieta, plena perpetuo est aula strepitu. Vbi enim multitudo, ibi clamores, strepitus, confusio. Triclinium, cubiculum, omnia plena hominibus, vt vix respirare possint. Ex ordine stato adsunt cubicularij, pueri, domestici, inde frequenter ex magistratibus, ex amicis, clientibus, musici, & Principum nuncij, ipsique principes. Adeò molesta res est hæc, vt, quemadmodum dixi. Tiberius in perpetuum secesserit, Augustus sæpe, aliique principes omnes, quam frequentius potuerunt. Hic rursus dicis, cur non expellunt, & vacuam regiam efficiunt? Non scio, aut, si scio, non vacat dicere: certum est ita esse, nec huiusmodi rerum quidquam intentatum fuisse, compertum verò est fieri non posse. Solus Domitianus hoc ausus est facere, atque id malè illi cessit: nam solus cum esset, occisus est. Cum minimum adest familiarium, nunquam sine quatuor aut quinque esse possunt. Sed & hoc quàm exiguo illis tempore licet? Sed etiam cum dormiunt, in cubiculo sunt alij, vt & peditus aliorum saltem dormientium audire cogantur, & ipsis vix pedere liceat. Hæc est fœlicitas Principum. Sed aufugiunt, secedunt? Interim quouis etiam priuato in ipso itinere miseriores sunt. Si puluis est in via, quanto cum puluere hi equitare coguntur ob turbam? Nam equestri custodiæ valedicere non possunt: indecorum enim est, & periculosum etiam optimis Principibus. Sunt alij Principes, nobiles, necessarij, quorum importunitatem, etiamsi nolint, perferre coguntur. Accurrit etiam persæpè morio molem pulueris excitans: opportunè aduenisse illum fateri oportet, ac ridere simul, quamvis molestè id ferat. Ita mos est, sic consueuerunt, & qui lege nulla teneri, quamvis optima, poterant leges graues (consuetudines scilicet absurdas,) sponte sibi ipsis imposuerunt. Sed vt hoc effugiant calamitatis genus maiorem subeunt, & per angarias iter peragunt, tam periculoso & damnoso exemplo, vt hoc genus iter agendi inter supplicia acerba etiam numerari possit. Incommodè sedent, periculosè cursitant, plusquam oporteat prominent ab ephippiis, crura contracta molestè ferunt, ne cœno impediantur, & corpus ipsum, quod peius omnibus est, ita concutiūt, vt ventriculum & viscera omnia labefactent. Vnde morbi, tristisque senectus, ipsaque mors multo celerius aduenit, eóque magis, quod nec à cibo, vt par est, abstinent, nec, vt deberent, vinciuntur. Tandem ad secessus locum peruenitur, nec tunc quidquam habent melius priuatis hominibus. Omnia enim turbulenta, & antequam singula disponantur, ipsi incommoda multa patiuntur. Et quanquam minora illa sint, maiora tamen videntur: quoniam consuetudine & diuturno luxu adeò languent corpora Principum, vt dolores & incommoda omnibus aliis hominibus plus sentiant, voluptates autem minus. Indicio est, nec in secessibus illos conquiescere, quod raro ibi diutius maneant. Et certè magnis, cum difficultatibus tot homines in locis solitariis & extra vrbes viuere possunt, & qui in vrbibus sunt, Principis præsentiam requirunt. Quòd si hieme iter faciendum sit, luto onerantur ob multitudinem, & seligere illis viam tam facile haut licet, vt priuato.

Iam in bello quanti labores? quot curæ? metus etiam, & suspiciones longè frequentiores, & pericula priuatis non minora? quandoquidem vnus ipse, vt belli caput, ad necem ab hostibus expetitur. In pace verò inter alie-

nos

nos minimè tutus est: inter suos autem quantis agitatur & & fluctibus & æstibus? Si personarum conditionem inspicias, inter fures, scurras, adulatores, constitutus est. A furibus bona diripiuntur, à scurris mores corrumpuntur, & vt quisque melior est ex aula abigitur, ab adulatoribus veritas, summum inter mortales bonum, ablegatur. Vnde miseri principes propter has laruas, in Cimmeriis ignorantiæ tenebris perpetuo viuunt. O miseram Principum sortem, qui nunquam norunt, quali in statu res suæ positæ sint! Adeò verò aures Principum emollitæ sunt, vt ad veritatis nomen, tanquam ad Nili cataractas obsurdescant. Ab istis non solum omnibus bonis amicis spoliantur, sed etiam beneficiorum gratia. Nam vbi in quenquam beneficium contulerint, hi in quos contulerint, ab illis antea vel emere, vel saltem vbi acceperint, non Principi, sed illis acceptum referre coguntur: se enim authores fuisse persuadent. In quo vnus alteri semper præstat & tanquam muli se mutuo scabunt. Quippe coniurati omnes ad fallendum principem, ad furandum, ad persuadendum his, qui beneficium acceperunt vel accepturi sunt, nil agere Principem nisi ex socij præscripto, aut reddendum omnes, qui beneficium acceperint, in ipsum Principem ingratos. Quòd si quem eiicere velit Princeps, vix potest, ob cæterorum omnium preces, quæ à minis parum absunt: eoque tandem pulso, velut parua quantitas vini ab aqua fluminis absorpta, statim in aquam transit: ita qui denuò subrogatur in illorum mores concedit, non priore melior, sed minus ad fallendum exercitatus ac promptus. Ita, quòd summum existimas & esse contendis bonum in Principe, diuitiæ, non Principis sunt, sed dispensatoris, procuratoris, cubicularij, coqui, lenonis, scurræ, adulatorum, milleque aliarum pestium, à secretis, à libellis, ab epistolis, thesaurariorum, prægustatorum, magistrorúmque Aulæ. Sed nulla maior est authoritas quàm lenonis, post quæstoris, inde eius, qui est à secretis, sed & cubicularij ex horum sunt genere, post Medici. Hi omnes in vnum conueniunt, vt quantum possint rapiant, ne quid illis pereat, ne quid rescifcat Princeps: in aliis discordes pugnant, & inimicitias exercent inter se capitales ob inuidiam. Scurrarum verò peculiaris quædam calamitas, qui ad omnia minus honesta hortantur Principem, vt sibi similibus faueant, & vt opes profundant in pessimos quosque atque inutiles homines, mimos, ludiones, saltatores: in eos autem ne obolum quidem impendant, quibus debent aut propter singularem artis operam, aut diuturnam seruitutem, aut merces illis sub fide creditas: aut quia ob suam salutem manifesto periculo se exposuerint. Nihil horum genere peius. Sunt autem quidam scurræ natura, minus quidem mali, sed magis procaces: quidam studio, qui pessimi sunt. E quorum numero fuit is, qui Florentiæ Principem occidere conatus est. Horum verò apud Principes maxima est auctoritas. Quæris, cur? & cur tam inutilibus animalibus profit tantum donare pecuniarum? Non ineptè forsan primum. Nam scurræ in penetralia Principum aliorum ingrediuntur, cum proceribus versantur, tum etiam cum populo, imò & plebe: vnde Principis nomen fit illustre, fama grandescit, gloria illius omnibus nota fit, simul timetur atque amatur. Scripta & libri nomini suo nuncupati, non adeò mouent hominum animos, vt hi viri: cum non ad multitudinem nec alios Principes tam cito perueniant: hi enim lectioni librorum haud vacant. Quin etsi scripta tam cito etiam ad hos omnes, vt scurrarum voces peruenirent; minus tamen illorum animos mouerent, quam viuæ voces horum balatronum. Et licèt scripta ad posteros demigrent, parum curant quæ illis sint post mortem euentura. Deinde ab illis decepti rursus sperant ab obitu se omnibus, vel sine scriptorum auxilio, quemadmodum etiam dum viuunt, notos futuros. Adeò verò illos tum hi, tum cæteri adulatores è sensu proprio exturbant, vt se similes diis esse sibi persuadeant Dum, vt Satyricus ait, laudant.

Sermonem Indocti, faciem deformis amici.

Ita dij illi miseri, morbis, inopia, seditionibusque ex inopinato opprimuntur: at hi statim cum præda diffugiunt, & ad alios luxuriosos se conferunt, nihil præter infamiam stultis illis relinquentes, tum etiam odia bonorum. Nam à suis decepti multipliciter errant. Primum, differentes benè agenda tanquam perpetuo victuri: cum tamen, vt dixi, etiam in his, qui ad extremam perueniunt senectutem, dici possit mors ortui cohærere: quanto magis, si qui antea præter spem accidat? Deinde, quod tempus, cuius maxima inopia vrgentur, quantulumcumque exiguum sit, non solùm dilabi patiuntur, sed etiam quod moretur & tardet, quærunt. Vide, quo stultitiæ genere & quali errore teneantur, cum existimant se maximam copiam eius rei habere, cuius maxima penuria laborant. Tertium, quod ab his impulsi, bonos viros & frugi ablegāt, alios iniuriis afficiunt, vt sic commodis simul suis priuentur, & ex amicis hostes sibi pariant infamiámque. Demùm, quod in inutiles res atque homines pecuniam & opes profundentes, suismet manibus confossi dici mereantur. Sed quòd hæc tam perpetuam profundant, absurdè, vt sibi videtur, quemadmodum dixi, non faciunt. In plerisque enim principibus hæc donatio esca est, non liberalitas. Falsa enim ratione musici, satellites, mercatores, artifices, aliique qui industria sua viuere solent, sic argumentantur atque concludunt? Si in ineptos nulliusque vtilitatis homines tanta profundit, quid mihi facturus est?cui iure tenentur, atque ex beneficio præstito plurimum omnino debet. O stulte, nihil. Cur non? Verre syllogismum, videbis trifariam concludi oppositum. Si dat immerentibus, igitur merentibus non dabit. Contrariorum enim contrariæ sunt rationes, & contrarij euentus. Et rursus, si dat immerentibus, prodigus est: si prodigus, non liberalis: tantundem enim à liberalitate distat prodigalitas, quantum auaritia. Si ergo liberalis non est, quibus debet non dabit: hoc enim si faceret, esset liberalis: at non est, non faciet igitur. Tertiò, si dat quibus debet, non habebit. At nemo dat quòd non habet: non dabit igitur.

igitur. Vide quàm pulchrè te tuo syllogismo confeci, tuisque assumptis propositionibus. Apud quos ergo aliquid, ne dicam plurimum post hominũ genus hi Principes necessariò miseri sunt multis modis. Primũ, quod in his spẽ confidentiamque reponunt, quæ securitati ac bonæ existimationi nihil prorsus conducunt: scilicet in horum nebulonum & rabularum nugis, opinionéque vulgi ac principum nobiliumque ex his concepta. Quod quam absurdum sit, imò damnosum, quisque potest intelligere, cum ex hoc deprehendantur minus prudentes. Deinde, quòd mali, postquam hac occasione multi decipiuntur, liberales eos esse existimant, atque ob id parte bonorũ spoliant. Demum, quod eos amplectantur, per quos & amicis & viris probis ac sapiẽtibus, & existimatione priuantur. In alium præterea errorem horum persuasione non solum Principes, sed etiam potentiores omnes incidunt: quod suis tam iniustè, quàm etiam iustè fauent, partim hoc ipso, quod dixi, scil. persuasione adulatorum, partim precibus importunis egentium: tum etiam, quoniam has operas, loco præmiorum dant, & vt ab amicis ceu benefici suspiciantur, ab aliis ceu potentes & acres fautores timeantur. Eò verò processit hoc malum, vt pro ingratis habeantur, si officium aduersus æquum & iustum non præstiterint. Ita inter duo mala potentes constituti sunt: vt si non faueant ingrati; si faueãt, iniusti habeantur, & qui Dei leges frangant. Quid cum illi postmodum petunt, quibus aut debent, aut qui consanguinitate coniuncti sunt, quique aut magna aut periculosa aut iniusta aut damnosa aut malo exemplo rogant, quibusque denegare turpe videtur, concedere deterius etiam est? Neque tales petunt æqua, quoniam seipsum & sua officia pluris iusto quisque æstimare solet. In his difficultatibus versatur tota Principis vita.

Sed forsan saltem melius in officiis, quod plures habeant familiares, excipiuntur? Nihil minus: quanto plures enim, tanto peius, vno in alterum onus reiiciente. Sic vt miseri illi prædium cœnamque non solum ob id, sed etiam ob parandarum rerum multitudinem plus cogantur exspectare, quam quisque priuatus. Eò enim peruenit res, vt nonnunquam horam excedat hæc exspectatio. Nec audet queri, ne illorum exemplo plures audacius peccent, si sine vltione queritur; nec pellere, ne totam confundat aulam. Si modò queratur, Architriclinus respondet, coqui culpam fuisse, coquus queritur de emptore, negat emptor potuisse antea haberi, imò nec tunc nisi ab vno, & Terentiani senis per vrbem errores commemorat. Sed quid miserius, quam cum adulatores illi in apertas inimicitias prorumpunt, pro quibus adeò angitur Princeps? aut quid ridiculosius, quam cum illos inter se conciliate nititur? Non absimili exemplo eius mariti, qui vxorem plorantem mœchi mortem, existimans illam proprium aliquod deplorare incommodum, solabatur, atque cum illa plorabat etiam: annon hæc vel ipsi Heraclito risum mouebunt? Errant rursus in hoc Principes, quod iudicia inertium de viris præstantibus audiant. Quis vnquam imperitus sapienti, quis ignauus præstanti viro amicus esse potuit? Hoc vnum scito axioma, nullum vnquam laruatum sapientem vero, fucatam mulierem pulchræ, Vlyssem Ajaci amicum futurum. Itaque si quid habes, ô laruate amice, profer; licet & expedit res ipsas narrare, Principem facti admonere: iudicium alij, qui non inuideat illius dignitati, qui purum habeat animum, qui pluris faciat virtutes quàm proprium commodum, relinque. Quid, est, quod ab inimico, imò, quod peius est, ab inuido sententiam de illo, cui inuidet, requiritis? Probantur homines iudicio orbis & populorum, non coinquinatis Aulicorum sententiis.

Sed ægro principi plura auxilia sunt, præstantiores Medici? Hui! nulla in parte infeliciores sunt Principes, quam in causa vitæ. Primum, quales quærũtur Medici? Aulici, Aulæque moribus congruentes. Si Aulæ cõsiliis atque astutiis sanarentur homines, nòn Hippocratis & Galeni inuentis, certè optimè cum Principibus actum esset. Plerique callent quidquid in rem non facit, atque omnia, (vt quidam de medico quodam dicebat,) præter literas & medicinam. Sed hæc relinquamus tanquam odiosa. Sint Medici Principum quãtuncumque egregij non tamen impetrabis, quin etiam sub ipsis non pessimè in morbis se habeant Principes. Primum quidem, quod non audent auxilia strenua admouere, nec qualia oportet: quoniam sinistris successibus non solum infamia, sed etiam periculum coniungitur. Ipsi etiam Medici ceremoniis intenti &, vt officio deesse non videantur, vigilantes: adeò stupidi & obliuiosi euadunt, vt sæpè per tres integros dies, etiamsi in febribus, vrinarum obliuiscantur. Ita præparandæ carnis memores, & oxypori conficiendi, vel aquæ plusculum suauioris, maximorum ac necessariorum nõ recordantur. Miraris? Quid? annon Franciscus Sfortia, quoties ægrotauit, toties nimia sedulitate & assidua opera Medicos familiares ad mortem compulit? Nouissimus extremo morbo vix seruatus est, quia Princeps periit. Negas adhuc te credere? Quid est, quod Principes ex leuissimis quibuscumque morbis tam serò sanantur: ex mediocribus & magnis nullus euadit? Sed negas & hoc? Discas experimento: quem Regem Gallorum, aut Hispaniæ, vel Angliæ, vel Scotiæ, vel Turcarum Principem aut Mediolani, Ferrariæ, vel Neapolis trecentis ab hinc annis ad septuagesimum annum peruenisse inuenies? cum priuatis annorum hic numerus familiaris sit? plures octuagesimum, quidam etiam attingant nonagesimum. Vnde hoc? Num culpa Medicorum? an non & illi, vt nos, homines sunt, pluribusque selectis auxiliis ac medicamentis abundant? Non est sanè culpa Medicorum: sed, vt dixi, miseræ potius conditionis Principum. Non licet etiam illis velut priuatis gaudere beneficio superuocati Medici: primum, ob suspicionem odij inuidiæque, hæredum etiam nonnunquam: nec ipsi audent se committere Medico: nec Medicus, ne in suspicionem deueniat, solus quidquam agere. Vbi verò cum familiaribus coierit, si quid commemoret quòd non probent, irridetur apud necessarios Principis, & post etiam apud Principem ipsum, cum benè res cesserit.

Si

Si ea attulerit in medium, quæ improbare non liceat, dissimulantur, procrastinantur, vt non tanquam illius, sed ipsorum auxilia in vsum adhibeantur. Et præstat sanè: quanto enim diutius ægrotat Princeps, eo diutius illi imperant Medici, habentque qui rogent, quomodo valet Princeps? meliusne habet? atque interim suspiciuntur. Propterea rectè mihi videtur Philippus Rex Medico, os iuguli in ipso fractum curanti & pecunias vltra modum petenti respondisse, par est vt accipias quantum velis, clauem enim in manibus habes. Cum enim omnes, dum ægrotant, in Medicorum manibus torqueantur, ægro de salute timente: par est, Principes magis omnibus aliis torqueri, quod pluribus ex causis, vt dictum est, plus timere cogantur, & à Medicis in infinitum curando protrahantur.

Quid de incommodis postmodum dicam tot assistentium, cubiculariorum, clinicorum, pharmacopolarum, tonsorum, affinium, amicorum, ministrorum Principum, à quibus præfocantur? Nam apud Principes etiam hęc adest infœlicitas, quod singula, singulis ministeria mandentur, nec vt in priuatis vnus idémque homo plura præstet. In hac turba quam tutum sit Principi ægro versari, tu ipse considera. Quàm facilè, qui insidiantur, veneno tentare iam ægros audent, morbi vi insultum veneni repentinum excusante? Ergo cum plurimis indigeant, plurimos ferre coguntur. Adeò quorundam importuna quoque inuerecundia est, vt nec necessariis se exonerantis naturæ muniis citra illorum præsentiam frui liceat. Sed postmodum inter hæc omnia miserius est, vbique vngi, vbique epithemata & fotus illos infelices sustinere. Quòd si aliquantulum in deterius res declinet, tot susurros, tamque mœstam cubiculariorum faciem & aspectum amicorum mutatum videt, tam etiam multa præter solitum misceri animaduertit, vt millies timore ac mœrore pereat.

Hæc igitur sunt commoda Principum generaliter descripta: quorum causa Arrius Antoninus, Antonini Pij auus maternus, vir sanctus, qui bis consul fuerat, Neruæ conditionem miserabatur, quod ætate iam confectus, onus illud imperandi adeò molestum subiisset. Et Nicolaus Picininus, cum eum consolarentur amici, tanquam conualiturum à morbo: Nolite, inquit amici hoc dicere: nam libenter pereo, tam grauem domesticorum meorum molestiam euasurus.

Sed iam ad peculiaria illorum solatia deuenio. In primis adest vxor, qua nihil Principi onerosius, quod nescire possit vnquam, an sit pudica: impudica quòd sit, scire cõtingit. Quis enim Principis vxorem, etiamsi millies eam in manifesto adulterio deprehendat audeat accusare, habiturus & illã mœchum pro inimicis perpetuis? Et maximè si iam filios susceperit. Nam si eam non occiderit Princeps, qui accusauit, periit: si occidat, à filiis mortem exspectare oportet. Ob id paucæ mulieres antequam prolem susceperint, mœchari audent si coniugem habeant virum aut præpotentem. Susceptis filiis tuto quasi peccant, ob has difficultates. Quid si accusator non persuadeat marito? an non in mortis iam faucibus est? non an toti domui suæ exitium comparauit certum? Quod igitur optimum est, in coniugio fides, in vxore probitas, eam minus habere potest Princeps quàm vllus alius: atque etiam ob eam causam minus certus esse de propria prole. Peccandi etiam stimuli ac licentia maior in vxoribus Principum fit tãta libertate illarum, tot Aulicis ac audacibus iuuenibus, formosis, comptis, artibus denique malis instructis. Sit modò etiam pudicissima, (quanquam, si liceret dicere, in hac parte nulli Principibus sunt infeliciores:) nullis tamen grauiores vxores sunt, tum aliis, tum prò multis supplicando. Ad eas enim solent confugere vxores illorum, qui iniustum aliquid petere student, quod neque qui petit, nec quæ pro illo supplicat vxor, nec à qua petitur, pensi quidquam habent, nec quanti referat, iniustum aliquid patrare, norunt. Quamobrem oportet in perpetua rixa ac pugna cum vxore sit Princeps, &, quod pessimum est, aut dulci miscere absinthia, aut illius cedere importunitati cogitur, & bonum publicum peruertere, iustitiam violare, proprij honoris atque virtutis obliuisci. Horum noua exempla omitto, quamvis nihil notius, nihil frequentius. Illud solum dicere ausim, illorum, qui Principum vxores accusarunt de hoc crimine, quomodocumque res cesserit, neminem esse seruatum. Antiquorũ memineris Messalinæ Claudij, & Iuliæ Augusti filiæ, & vxoris Antonini Philosophi Imperatoris, de qua ille. Si eam dimittimus, dimittamus & imperium: illud significans par esse periculum & infamiam, mœcham vxorem retinere & vlcisci.

Sed melior forsan in filiis conditio? Imò verò nulli patri acriores hostes, à nullis magis timendum. Qui sunt optimi, eos patris tamen obitum sperare, quis sapiens pater non suspicetur? Dira est regnandi libido. Sed fac, vt ipsi boni sint, quis illorum apertè etiam non corrumpitur ab adulatoribus, cui non conantur persuadere, mortem patris magno sibi esse emolumento? Deinde, si vnus est solus, eius vitæ maximè timetur: si plures, necesse est, vt eorum aliqui patrem ipsum oderint, & fratribus aliis insidientur. Ob id Ottomannorum domus vnum tantum respicit ex filiis, cui regnum relinquat. De reliquis ita statuit, quòd longo experimento vides obseruatum, vt ille vnus omnes alios cum eorum etiam filiis perimat. Ita domus hæc tamdiu in vno filio, tanquam Indiæ fabulosa Phœnix seruatur. Quænam, rogo, felicitas potest esse horum patrum, qui norint vnum ex filiis, cæteros omnes cum tota stirpe occisurum? Nuper Solimanus Princeps illorum, Mustapha filium cum nepote ex eo annorum duodecim sustulit. Quæ maior infelicitas homini contingere potest, quàm ad id cogi, quod etiam leones & tigres horrent? Sed qui mitiores esse voluerunt, deterius etiam rebus suis prospexerunt. Velut Constantinus, qui cum tres filios reliquisset hæredes, inuicem postmodum pugnantibus filiis cum hæredibus, penè regnum periit. Narrantur duo aut tres, qui filios dilexerint, Principes, Ariobarzanes Cappadociæ, & Seleucus, alij Demetrium habent, Assyriæ. Qui cum inter res admirandas numerentur, non est aliud argumentum quærendum, quo demonstremus, quàm rara sit patrum in filios, mul

multóque rarior filiorum in patres principes charitas, amor & fides. Quidam Gallorum Reges cum filiis regnum diuisum reliquissent, causam dederunt, vt ob intestina bella Gallia fuerit grauissime afflicta & stirps eorum Regum penitus interierit.

Cum fratribus non est vt disputem. Ferrariæ Principis huius auus duos fratres excæcare coactus est, vt crudeliora exempla omittam. Sint optimi quantumuis fratres, hoc vnum est, Principem non posse illis fidere, non tam illorum vitio, quàm, vt dixi, improborum adulatorum, qui volunt ignem accendi, vt & ipsi calefiant. Sunt & amasiæ & vxores, à quibus expugnatur iuuenilis animus, nonnunquam etiam senilis. Contingunt simultates casúsq; in quibus facile est propter parem regnādi spem, ad aperta odia & bellum deuenire. Nostris diebus Persarū Regis frater, cum pro Rege fortiter ac satis feliciter depugnasset, mulieris sublatæ sibi à Rege iniuria commotus, defecit ad Turcarum Principem illi inimicissimum, & quantum ad eum attinuit, regnum euertit. Notissima est historia Marci Vicecomitis, qui fratrem & ex fratre filium regno spoliauit, non sibi, sed Cæsari acquisito, eosque in carcerem tristissimam coëgit, atque ab iisdem, cum iam euasissent, sub amicitiæ specie præcipitatus est. Inde etiam Galeatij alterius ac Bernabois, ex eadem familia, patrui & nepotis dissidia qualem tragœdiam excitarunt? ex qua regnum deuenit in Sfortiadum familiam. Rursus, non alia de causa, quàm breui ex hac familia in Gallorum, inde Hispanorum manus Insubrum regnum translatum est? Hæc est fraterna Principum amicitia canina, vulpina fides, lupina societas. Quid si etiam optimè cum fratre conuenias: ille autem aliquid agat iniustè, sinesne inultum, vt iniquus non solum princeps videaris, sed omne iniuriæ vlciscendæ periculum in te conuertas? Homines enim aliquando æquiore animo Principum quàm suorum iniurias ferunt. Sed si punias, crudelis vocaberis, qui in fratres tuos sæuias. Et quæsisse occasionem opprimendi fratrem ob inuidiam, non iusti amore id egisse dicent. Propter hoc omnes affirmant inutiles esse fratres principibus, & quod priuatis est dulcissimum, illis esse triste & onerosum.

Confugimus inde ad amicos, ad amasias: hi enim plures sunt principibus & nobiliores firmioresque. Falleris. Nihil in amore quouis iucundum, nisi sentire se amari: at quomodo sentire potes te amari, si illi omnes inter duos potentissimos affectus sunt positi, inter metum, ob potentiam tuam, & spem diuitiarum tuarum? At finge quod, quam diligis, ea amet aliquem suæ sortis hominem atque sibi similem conditione: hoc enim naturale est, & non rarò euenit. Qui enim existimat se amari ab infimæ sortis homine aut puella, idem agit ac si se ab vxore Principis aut Principe amari credat. Annon Aristoteles nos sæpius monuit, nobis cum diis aut principibus nullam intercedere amicitiam? Etsi enim nos illos amemus, illi tamen nos minimè. Finge ergo Principem, qui norit ab amasia sua non ipsum, sed alium quempiam suæ conditionis aut aliquanto inferiorem (quod sæpè accidit, quoniam hi efficacius illi blandiuntur,) amari, quam voluptatem ex illius concubitu percipiet? Quare homines non capiunt cum formosis, cum nuper è vita migrauerunt, concumbere? Quia, dices, anima abest: at & in his abest animus, qui dignior est anima. Illud etiam cogita, quod qui ex his callidi sunt, sciunt se non amari à te, multísque id indiciis agnoscunt: omnes Philosophi hoc etiam docent, & frequens experimentum demonstrat: cur ergo te amabunt, si sciunt se non amari à te? Quod si non amant te, quam voluptatem veram capere potes ex his, qui præterquam quod te non amant, tibi illudunt? Si seni cuipiam vestibus ac gemmis benè ornato puellæ abblandiantur in conuiuio, nunquid ille, ni insaniat, gaudebit ficto harum amore? cum non obscurum sit illi, se ab his irrideri, audiátque susurrantem hanc vel illam in aures aut sociarum aut iuuenum, quos verè amant, vellem mihi illam gemmam daret, vellem torquem aureum illum habere, & ipse esset in lupanari: quid illi cum torque, quam non decet illum, magis me deceret, mi animula, annon? Hæc si audiat, non satis sanus sit, si eas amet, si talibus ablandiatur mutuo. Dulcis res est amari: sed amarior, irrideri. Talem se intelligat Principes esse apud amicos & amasias, si sapiat. Sed sit, vt ab aliquo probo ametur Princeps, redametur ab aliqua: in tam multis enim fermè necesse est aliquem virum probum esse, aliquam puellam mitem & sapientem, moribúsque integris præditam: adhuc princeps maiore in æstu versabitur. Nam si omnes amare velit, tot nebulonibus vnius amici causa, tot improbis mulieribus ob vnam solam, quæ hoc amore digna est, fauere cogetur. At dixi, durius esse ac tristius irrideri ac decipi, quàm sit amari iucundum: si omnes negligat, nulla horum amicorum & amasiarum voluptate fruetur, quando ex æquo ab omnibus illis se existimet non amari. Si seligat, hoc in periculo versabitur, ne in vtroque aberret, eos easque reiiciens à quibus amatur, & à quibus decipitur & irridetur, pro amantibus habendo. Sed & illud cogitet Princeps, an dignus sit amari? Facilè intelliget, quod non. Nam quæ amari faciunt, sunt pulchritudo, robur, lusus, chely pulsare, saltare, perpetua seruitus, nihil denegare, quod Principi difficilimum est, nisi & potentia & amicos & existimationem euertere ob hoc vnum velit; facilimum priuato, hac vna excusatione, non possum: tum vt sis in veneris rebus potens & assiduus & asino Lucianico similis. Hæc si habeat Princeps, verè se amari persuadere sibi poterit: sin secus, credat derideri, ab amasia, non amari se, sed sua tantum. Quam rem optimè animaduertentes ac intelligentes tyranni, ex æquo in omnes sæuierunt, quasi iustè id agerent: omnes enim sibi insidiari cognoscebant. Quod vt esse verum scias, annon Phalaris & Dionysius, quos pessimos omnium fuisse tyrannos refert Aristoteles, pepercerunt amicis illis inter se, quorum vnus pro altero vadem se constituerat in crimine conuicto læsæ maiestatis & insidiarum aduersus tyrannum, alter ad pœnam suscipiendam reuersus est statuta die, tyrannúsque

tyrannúsque rogauit, vt se eodem amicitiæ iure tertium exciperent: quasi diceret, si amicum aliquem mihi esse intelligerem, non sæuirem. Adeò vt hoc & iustiorem efficiat causam tyrannorum & illos, quam vulgus existimat & scriptores referant, prudentiores esse ostendat, meliúsque forsan rebus suis prospexisse, quàm nostri Principes falsis amicis fidentes.

Sed in conuiuiis saltem fœliciores sunt Principes? Omnia namque habent quæ optant, ferarum carnes, pisces è toto mari conquisitos, embammata admiranda, exotica farcimina, aues raras, altiles, gallinas, cancros, ostrea, præcoces fructus, ientacula dulcia, & omnia iucundis odoribus concinnata, caseum placentinum, pretiosa vina. Habent: agam enim simpliciter tecum, nec commemorabo quanto periculo, quali metu, qua suspitione ista edantur. Non dicam, durissimum esse in Principum sorte, versari cum his, quos angue peius oderint: ab aliis, inquam, Principibus vocari & vocare eos ad cœnam. Nam si non feceris & parum prudens haberis, qui odium tegere & dissimulare iniurias nescias: & ex inimico hostem facies, & ex simultatibus in atrox bellum erumpes, idque tua causa factum dicent. Sed absit omnis, si fieri potest, metus, omne periculum facessat, recedant suspitiones, omnia sint libera iucundaque: hoc vnum adesse non potest, gustus; pridiana nempè cœna corruptus, inertia & otio sopitus, abundantia fastiditus, vnde tot conquisitæ cupediæ non sufficiunt. Quis negare potest, tot obsoniorum perpetuum vsum, tantam delicatorum ciborum copiam, nunquam cessantem crapulam & ebrietatem, nullum desiderio ciborum locum relinquere posse? Rectè, inquam, vt pluráque alia, dicebat Socrates, cum deambulationem solito concitatiorem produxisset in cœnæ horam, se obsonare cœnam. Nulla, mihi crede, sunt εὐόρεκτα, quæ naturali desiderio comparari possint. Deinde, cui vsui tanta? Si non edas solus & abstineas, præstiterit non adesse: omnes enim in suspitionem vocas, aliis omnibus sis suspectus, quasi tu solus sapiens videri velis, interim tua Tantalea cœna est. Si edas, annon Medici omnes clamant, te irritamenta omnium malorum edere, podagræ, calculi, grauedinis, nauseæ, grauolentiæ oris, diarrhœæ, quod minimum est illorum, febrium, difficultatis spirandi, hydropis, viscerumque duritiei? Quanto ergo melius & suauius & tutius, edere simplicem cibum: quàm adeò varium minore cum voluptate, cum iactura certa valetudinis, cum ingenti periculo? Quod etsi non eueniat, eo timore tamen caruisse plus longè refert, quàm in Sybariticis cœnis perpetuò volutari. Sed quid prodest lautitia illa cum tanta immunditie? Pueri ab aluo exonerata omnia tractant illotis manibus, alius tussit, sternutat alius.

Musici excellentes adsunt? Hoc aliquid esset, si Principes callerent musicam. Nulla, crede mihi, nisi vulgaris voluptas est musicæ, nisi artis peritis. At Principibus musicam scire Alexandri Magni exemplo vetitum est. Quid ergo voluptatis illis, saltem exquisitæ, afferre potest? Quid illi confert vndequaque exquisitus excellentium tibicinarum numerus? nisi forsan ad ambitionem & exemplum illud memorandum Clauisij Sabini recurras. In quo etiam facto periculum illud non leue est, ne, dum Principes quod nesciunt, scire se videri volunt, hæc probantes, illa damnantes, à peritis artis irrideantur: quod tam sæpè euenit, vt mireris. At non palam id audent? Fateor: sed quanto deterius est animis artem callentium irrideri, quàm vultu? Ob id inter egregias Alexandri laudes numeratur, quod, cum Apelles illi, multa apud se perperam de arte disputanti, dixisset, Tace, ne pueris his, qui colores miscent, risum moueas, Rex tacuerit, malueritque parum errando statim palam rubore perfundi, quàm diutius peccando, licèt non vultu, animis peritorum artis clam irrideri. Rex vel hoc solo prudentiæ argumento, atque iudicij tanta fortuna dignus. At nunc inertes hi in talia dicentem quid facturi essent?

Iam nihil reliquum est, in quo beatam vitam traducere illis liceat, præter aleæ ludum. Quid habes? In hoc etiam cæteris sunt miserieres. Nam ludi voluptas est, lucrari. Hac in parte verò, cum à familiaribus, cum à pauperioribus lucrentur, minor voluptas est. Quin etiam spes lucri decidit. Cæterum ludus ipse ad fœlicitatem an pertineat? dubium est. Plurimę in eo sunt perturbationes animi, metus, spes, dolor, vnica voluptas vincendi. At fœlicitas est voluptas animi ex ratione cognoscente possessionem iucundi. Sed non est possessio iucundi, dolorem metúmque pati. Quod si esset etiam, æstimare debemus, an non ob id iucundum aliud iucundius omiserimus? Nam, & qui luctantur, iucundo aliquo potiuntur, verum dum molestiæ id mixtum est, & locum occupat alterius potioris, ad fœlicitatem via non est, nec fœlicis hominis opus. Sic ergo intelligere oportet possessionem iucundi, vt nihil iucundius pro eo amittatur. Quocirca quatuor fœlicitatis ordines constituere decet: absolutam illam, qua Deo iungimur, contemplationem cum virtute, filiis atque aliis auxillis coniunctam. Aliam, quam communem diximus, securam voluptatem animi, & nusquam deficientem, ob rationem cognoscentem possessionem iucundi. Atque in hac nihil oportet omisisse iucundius, vt iam non sit ludus pars huius voluptatis: quoniam sinceriora alia iucunda licet inuenire, & quæ non tantum temporis eripiant pro tam exigua voluptate. Tertium fœlicitatis genus est, quod ex bonis atque indifferentibus oritur: velut honoribus, diuitiis, voluptatibus: atque in huiusmodi genere ludus etiam comprehenditur. Sunt autem quidam, imò plerique, qui voluptatem non existimant voluptatem, nisi tristitiæ modicum & doloris ac, vt ita dicam, tentiginis fuerit immixtum. Atque id exemplo veneris, cibi, potúsque probant. Non enim delectamur his, nisi antea appetiuerimus, & quantò acerbior est appetentia, eò dulcior voluptas. Quartum genus fœlicitatis est falsum, cum cupiditates improbas explendo, nobis felices esse videmur. Hactenus & nimis forsan de Principum incōmodis exterioribus: nā interiora piget dinumerare, tristitiæ,

metus,

metus, suspiciones, iræ, aliáque, quæ honestatis causa prætereo.

Verum, dices, audiui incommoda: dic nunc in quibus præcellant, Dicam. Cum Deus trinus sit, qui origo est, potestate significatur, sapientia secundum locum, amor siue iucunditas tertium possidet. Principes plurimum possunt, ideóque Deo & origini similes sunt. Quamquam hoc probabile sit, longiúsque petitum, respondebo tamen, Potestate illos esse fœlices, sed impares tamen ponderi. Ob id homines, qui id sustineant, esse infelices. Quamobrem sapientia hominibus magis conuenit & iucunditati proximior, est quoniam iuxta Philosophos amor ab intellectu proficiscitur: quamquam nostra lex affirmet ex vtroque pariter procedere: neque enim quæ simpliciter digniora sunt, sed quæ nobis magis congruunt, meliora sunt. Sapientia regit nos & non grauat: regnum non regit, sed vt regatur, indiget & nos grauat; ideò sapientia magis quàm potentia indigemus.

Dicis, cur ergo statum Principes priuatum non desiderant, priuati desiderant principatum? Emollitos habent animos, vt & corpora, ideò nec sufferrent illum. Podagrosus non desiderat ambulare nec equitare, vix tamen quidquam incundius, sed ferre non potest. Quin etiam, si tutum esset, vellent, quod Phalaris in quadam epistola testatur. Quidam etiam deposuerunt, vt Sylla: sed infelix eius successus deterruit C. Cæsarem Octauianum Augustum, qui visus est diu hoc optasse, nec ficte: nam postmodum, vbi deliberauit retinere, nullum deponendi vestigium præ se tulit. Deposuit & Diocletianus, sed & ipse posteros ab hoc exemplo deterruit, cum ab eo, qui successit, indicta causa mori coactus sit. Amarathes, etiam aliique multi, quamuis tam periculosè, imperio tamen se abdicarunt. Adeò res grauis est regnum, & homini miserum.

Dicis, cur ergo huic miseriæ suam vtilitatem non adiicis? Titulus enim tractationis hoc exposcit. Scribitur hoc opus his, qui se miseros esse queruntur, non his, qui sunt Principes etsi miserrimi sint, fateri tamen pudet se esse miseros, ideò quorsum erit ad illos dirigere sermonem. Sed tamen dirigam, monebo, docebo vtilitatem quomodo ex principatu assequantur, quamuis exiguo, vt scio, cum fructu. Non persuadebo, quod periculosum est, abdicare se principatu aut omittere custodias: sed vt ablegent nebulones, fortibus viris & sapientibus faueant, studiis operam dent, conuiuia rara celebrent, nec ipsi intersint: in adultores, sycophantas, deceptores, omnes qui simul conspirant, grauiter animaduertant, iustitiam colant, cæteràsque virtutes. Vis autem videre, quod Principes nostræ ætatis non sunt Principes, sed simulachra Principum? & quam facilè sit, si quis est princeps etiam vnius exiguæ partis prouinciæ, euadere in maximum Regem? Videas in singulis regnis id contigisse, quantum vis exiguis: quodque idem qui regnum ampliarunt, iidem & magna gesserunt, & moribus optimis fuere, omnésque propria curarunt. Tales verò, cum non, vt reliqui, otio sint molles, stupidi & à suis assentatoribus proditi, qui & ipsi sunt inertissimi, nullo fortunæ auxilio ad hoc egent nisi vitæ diuturnitate. Itaque indigent his tribus: vt sint prudentes, vt grati, vt diuturnæ vitæ. Præter quæ alia sibi tria primum comparabunt, militem excercitatum strenuósque duces, & arma ac pecunias, fidósque amicos. His sex ergo freti contra illos, qui omnia hæc conuersa habent, vel vnum tantum ex his, scilicet militem exercitatum retinent, quam parum negocij habent ad expugnandum eos? Obiicies tria, arces inexpugnabiles, potestatem, & populos: quæ fateor aliquid posse, retardabúntque aliquandiu magnitudinem incrementorum. Nihilominus vbi virtuti auctoritas ex strenuis factis accesserit, inimicorum vires atque impedimenta, velut nix coram sole, dissoluuntur: vt Ferdinādi Neapolis, & Ludouici Sfortiæ Mediolanensium Regum à Carolo & Ludouico Gallorum Regibus regno pulsorum. Ergo exemplo id colligas, nemini obfuisse parua initia ad maximam gloriam. Vide Agesilaum Lacedæmoniorum, Philippum Macedonum, Carolum Magnum Gallorum, Galeazium tertium Mediolanensium, Ferdinandum Philippi proauum, Hispaniæ Regem.

Cæterùm, vt ad rem propositam redeam, calamitosam Principum vitam quatuor maximè declarant, summa voluptas eorum, otium, Aulici & mors, vt reliqua omittam. Summa voluptas est in his, vltio aliorúmque miseria, etiamsi boni sint. Quod si beati essent, gauderent aliorum bonis. Iam beatos se cum non possint existimare ex propriis bonis, ex malis alienis iudicant fœlices. Sic simul gaudent & miserantur. Otium etiam declarat, quam exiguæ sint & inanes ipsorum voluptates. Augustus puerorum societate, nucibus cum illis ludens, gaudebat: eligebat autem Afros, ne credas cum nepotibus lusisse, aut formæ gratia. Domitianus muscas venebatur. Alexander Mammeæ Corturnicum pugna delectabatur. Quod si principum fœlicitas tanta est, aut etiam paulo minor, quàm æstimatur, alias voluptates habuissent. Sed si velis assiduas & communes, nullas præter ludum inuenies & spintrias. Alea luserunt, Augustus, Caligula, Claudius, Nero etiam: Spintriis, Tiberius, Caligula, Nero, Vitellius, Heliogabalus. Vides modò maximas Principum voluptates. Pernoctabāt, & more Ægyptiorum ac Hispanorum, die dormiebant, noctu vigilabant. quæ vita assuetis noxia, insuetis intolerabilis, omnibus peruerso ordine naturæ absurda est. Aulicorum vitam omnes deplorant, illi planè & ex confesso miseri sunt: at si beatus esset Princeps, illi non possent esse miseri. Rectè enim Theologi dicunt, dominum erebi & damnatorum maximis pœnis cruciari. Et rursus, consentientibus etiam omnibus Philosophis, omnes, quæ cum Deo sunt, cœlestes animas beatas esse, quod Deus ipse sit beatus. Neque enim vel vnum hominem libenter in Aula versari videas, nisi lucri cupiditate. At apud sapientes etiam omnes ipsi beati sunt, & tranquillam vitam agunt. Morte ex desperatione cum nullum genus hominum frequentius pereat, apparet vitam illorum, etiam dum valent, proximam esse

desperationi. Quæris exempla? Plura vidi, sed non nominare honestius est; cum tamen pauci sine hac infelicitate nostris temporibus Principes pereant.

Habes ergo vitam Principum, non solum mendicorum vita, sed ipsa miseria miseriorem. Vnde rectè dicebat Mecænas. Qui in sublimi positus est, ibi est, vbi semper tonat, id est, inter maximas perturbationes & pericula ingentia ac facta horrenda. Quorsum ergo cum tot laboribus, molestiis, curis, tanta vitæ iactura ac infamia, támque frequentibus casibus illuc properare, vbi cum fueris, deteriore quàm prius conditione futurus sis? Præsertim quod vita nostra hæc vmbratilis sit, & nos ipsi, si rectè rem pensitaremus, vmbræ simus & tanquam manes, cadaueribus immersæ per vias properantes, immemores vnde venerimus, quove tendamus, pauloque post simus peruenturi. Quamobrem contenti esse deberemus exiguis & sorte nostra, atque in ea fœlicitatem, vt dixi, reponere: præsertim cum ad fœlicitatem absolutam assequendam opus sit sapientia diuina ac naturali: aut si etiam hanc humanam sequi voluerimus, difficile sit omnes adipisci, ipsaque fœlicitatis possessio serò aduentura nobis. Itaque postquam fœlices sunt solum, qui quod volunt, possunt, & qui quod possunt, volunt: postquam posse, quod volumus, soli Deo concessum est, par erit velle, quod possumus, minimísque contentum esse.

Verum, dices, si parua despicere, imò etiam mediocria contendere oportet eum, qui felix esse cupiat, quomodo felix erit, cum in minimis velimus repositam esse fœlicitatem: ea autem, in quibus fœlicitas reposita est, optanda necessariò sunt, quia ad obtatum finem perducunt? Captio hæc est. Optanda sunt secura, non magna aut parua: & quæ obtanda sunt, despicere non oportet: parua despicere oportet, sed non secura: secura ergo despicere non oportet, etiamsi magna sint. Sed secura bona omnia parua sunt: ideò in paruis, non quia parua sunt, sed quia secura, felicitatem nostram constituere decet. Parua autem, quæ despicere conuenit, sunt mala, ne ex his discruciemur: nam sic, cum frequenter aduenniant, totam felicitatem impedirent: essemúsque perpetuò infelices. Sic ergo maioris claritatis causa distinguere oportebit. In bonis securis, quæ semper parua sunt, fœlicitatem constituere decet eum, qui felix esse velit, vt facilè possit adipisci & perpetuo retinere. Bona autem, non secura, non despicere debet, nec in his reponere fœlicitatem, sed vti iis, dum habes, seu magna seu parua sint. Mala autem necessaria, seu parua seu magna sint, despicere oportet, quoniam vitari nequeunt: fortuita quoque parua contendere, ne perpetuò infelices simus.

Sufficere igitur hæc poterant ad instituendum hominem, vt fœlicitatem absolutam consequi posset. Verum quia, vt dixi, quidam non videntur sibi posse fœlices esse, nisi diuites sint & honores adipiscantur, & nos quarumcumque calamitatem vtilitates docere ab initio polliciti sumus, ideò prosequamur.

CAPVT II.

De Paupertate.

Offert se primo, magnum illud malum, execrata Paupertas, nuda, misera, abiecta despectáque, & cui etiam miro quodam naturæ, illam persequentis, odio canes adlatrant. Hanc igitur, si licet, primum è domo expellas quouis modo: dicturus autem sum infra de his. Mihi autem, qui non hoc proposueram, scilicet vt pararem opes, sed solum ne mendicare cogerer, sufficit aliam iniuisse rationem non solum in hac causa, sed & in omnibus aliis. Ea fuit, vt non simplici restitutione aut emendatione erratorum, aut compensatione damni contentus essem, sed semper aliquid plus exigerem, quàm esset amissum aut erratum. Ita non sufficit mihi, vt inertes seruos facerem mediocres, sed impigros: ex helluonibus moderatos, sed frugi: ex iracundis non modo mites, sed etiam patientes efficere conabar. Ita in contrarium semper affectum vitia transmutare nitebar. Sic ex rudibus solertes, ex socordibus diligentes reddere solebam. Si decem coronati casu aliquo mihi periissent, non cessabam donec viginti extra ordinem recuperassem. Ita factum est, vt plerúmque damna mihi lucro essent: vt contra nonnunquam mihi, quod multis sæpè contigit, ex lucris damna ob negligentiam sequerentur. Si temporis aliquid sine vtilitate, velut in ludo, defluxisset, curabam vt edendo, deambulando, aliísque secretioribus operibus plus operis conficerem, quàm præter-missum esset. Maximam autem temporis rationem semper habui. Cum etiam in morbis & membrorum affectibus malis non sola sanitate contentus fui, nisi multo securior essem in posterum his, qui eo metu liberi erant. Pugnaui aduersus omnia incommoda pro viribus: nec in aliis damnis imperitiæ inimicorum, omissiue officij, simplici vnquam restitutione contentus fui, quod in ea iacturæ aliquid relinqui existimarem.

Verum quia ludi mentionem fecimus, quæstionem propositam absoluere decet. An ludus ad fœlicitatem pertineat? Videtur enim vtilis ad illam, quandoquidem fœlicitas, vt dixi, sit voluptas animi ex perceptione rationis cognoscentis possessionem rei iucundæ. Ludus res iucunda est, & adeo grata, vt multi principes in eo summam voluptatem esse credant. Sunt autem duorum generum publici atque priuati. Priuatorum genera tria: fortis, corporis, & ingenij seu industriæ. Corporis autem species tres, roboris, agilitatis, dexteritatis. Præter hoc sunt non proprij: vt certamina perdicum, gallorum, canum. Et Regis electio & ostracinda, qui fit discurrentibus pueris. Et Myinda, cum conniuent & quærunt quiescentes. Et Ollarius, cum deposito capite vellitur aut verberatur, cogitúrque diuinare: qui ludus frequentatur apud nos æstate, vocatúrque Pelucus. Et amatorij, quando cum puellis dilectis blandientes ducimus horas, quale illud Propertij:

O noctem

O noctem meminisse mihi iucunda voluptas,
O quoties votis illa vocanda meis!
Quum te complexa morientem, Galle, puella,
Vidimus in longam ducere verba moram.
Quamuis labentes premeret mihi somnus ocellos,
Et mediis cœlo luna ruberet equis:
Non tamen à vestro potui secedere lusu,
Tantus in alternis vocibus ardor erat.

Et rursus:

Subiecto leuiter positam tentare lacerto,
Osculáque admota sumere & arma manu.
Non tamen ausus eram dominæ turbare quietem,
Expertæ metuens iurgia sæuitiæ.
Sed sic intentis hærebam fixus ocellis,
Argus vt ignotis cornibus Inachidos.
Et modo soluebam nostra de fronte corollas,
Ponebámque tuis Cynthia temporibus.
Et modo gaudebam lapsos formare capillos,
Nunc furtiua cauis poma dabam manibus.

Illud etiam:

O me felicem: ô nox mihi candida, & ô tu
Lectule, deliciis facte beate meis.
Quam multa opposita narrantur verba lucerna,
Quantáque sublato lumine rixa fuit.
Nam modo nudatis mecum est luctata capillis,
Interdum tunica duxit operta moram.
Illa meos somno laxos: patefecit ocellos?
Ore suo, & dixit, siccine lente iaces?
Quam vario amplexu mutamus brachia, quantum
Oscula sunt labris nostra morata tuis?
Non iuuat in cœco venerem corrumpere motu:
Si nescis, oculi sunt in amore duces.

Et paulò post:

Quod si pertendens animo vestita cubaris
Scissa veste meas experiere manus.
Quinetiam, si me vlterius prouexerit ira,
Ostendes matri brachia læsa tuæ.
Necdum inclinatæ prohibent te ludere mmæ,
Viderit hæc si quam iam peperisse pudet.

Itidem Tibulli illud:

Sed corpus tetigisse nocet, sed longa dedisse
Oscula, sed femori conseruisse femur.

Simile illud Ouidij:

Diripui tunicam, nec multum rara nocebat:
Pugnabat tunica se tamen illa tegi.
Quæ cum ita pugnaret, tanquam quæ vincere nollet,
Victa est non ægre proditione sua.
Vt stetit ante oculos posito velamine nostros,
In toto nusquam corpore menda fuit.
Quos humeros, quales vidi tetigíq; lacertos:
Forma papillarum quam fuit apta premi!
Quam castigato planus sub pectore venter:
Quantum & quale latus, quam iuuenile femur!

Et rursus alibi:

Illa quidem nostro subiecit eburnia collo
Brachia Sitonia candidiora niue.
Osculaque inseruit cupide luctantia linguis,
Lasciuum femori suppofuitque femur.
Et mihi blanditias dixit, dominúmque vocauit,
Et quæ præterea publica verba iuuant.

Ad hoc pertinet honestius illud Virgilij:

Malo me Galatea petit lasciua puella:
Et fugit ad salices: & se cupit ante videre.

Et talibus quidem iocis refloret vita humana. Publicia ludi diuiduntur in spectacula, pompas & pugnam. Spectacula, sunt animalium atque ferarum pugna, aut nouarum rerum ostentatio, comœdię, tragœdię: pompa, cum ex tabulis, gemmis, aureis, argenteis, mirrhinisq; vasis, floribus, musica exhilaratur populus, vt apud nos in oblationibus. Et apud Athenienses in Eleusinis sacris, in qua cum duceretur Harmodius & Aristogiton, occiderunt Hyparchum Pysistrati filium. Apud Romanos erant triumphales, omnium certè pulcherrimæ, & vt par erat in vrbe orbis domina, sumptuosissimæ. Sed de his in libris de Rerum varietate scripsimus. Erant præter has priuatorum pompæ in publico ductæ: vt in nuptiis & præcipuè funerales, de quibus Alexander ab Alexandro his ad vnguem. Præficas, quæ luctui præessent, aduocare vel pretio conducere solebant, quæ cantu & funebri carmine lamentarétur, vitámque & præclara gesta, summásque virtutes non sine miseratione laudarent. Nonnunquam mimos, qui personas fingerent, factáque ac dicta repræsentarent, adhibebant. Quas quidem nænias Græcis in luctu sæpè decantari inuenimus, qui apio coronati, defuncti laudes recensere carmine, quod *Ialemon* vocant, & res memoratu dignas claro præconio celebrare assueuerant. Senatoribus verò & patriciis atque summis Ducibus, tuba; minoribus & plebeiis, exequiali tibia canebant siticines. Quam tibiam non in funeribus modò, sed in sacris, in ludis, in conuiuiis adhibebant. Imperatoribus etiam pluribus tubis mœstum clangentibus. Quod à Coribus & Phœnicibus deductum antumant, qui in funebri pompa breuibus tibiis, lugubre canentibus, vti consueuere. Deferendi verò feretrum propinquioribus virilis sexus dabatur munus. Itaque filij parentes, & fratres, sorores funere elatas deferebant, nonnubquam serui libertate, donati, nonnunquam senatorij, viri, prætorij & consulares, quique amplissimis honoribus functi erant, Imperatorum & Consularium feretrum detulere. Quare Pauli Æmilij, qui de Macedonia triumphauit, legati Macedonum: & Syllæ Dictatoris feretrum Senatores & sacræ virgines extulerunt. Et Metello filij tres consulares, duo triumphales, Censorius vnus, & alter Prætor lectum subiere. Dúmque effertur, insignia honorum, quos gessisset, vt fasces, secures, lictores, armáque ac dona militaria, coronásque omnis generis, quas in vita meruisset, vexilla atque vrbium dona, & legionum spoliáque hostium ac munera, quæ quis daturus erat, expressóque cera vultus, & decora, maiorum, totiúsque familiæ longo ordine simulachra & gentile stemma ab vltima origine præferebant, quanto cum poterant apparatu. Quare C. Cæsar in amitæ funere funere Marij statuas pro decore familiæ detulisse fertur. Et, Tiberius in Drusi funere originem Iuliæ gentis, Æneam omnésque Albanorum Reges, Romulum & Appium Claudium, cæterásque Appiorum effigies longo ordine produxit. Ferunt quoque Iuniam, quæ Cassio nupta fuit

fuit, viginti clarissimarũ familiariũ imagines, velut indiciũ splēdoris & vetustatis familiæ in funere habuisse. Inter quos Manlios & Quintios, Cassiúmque & Brutum. Nonnunquam, vt ampliore efferrentur funere, plures defuncto strauere lectos, qui instrati in pompa funeris anteibant: sicut de Sylla, cui sex millia, & Marcello, cui sexcentos prælatos legimus. Tum si qui ab eo serui manumissi, & libertate donati fuerant, illi præcipuè, qui fide insignes à domino cogniti forent, herilem interitum miserantes, & pleni lacrymarum elatum corpus præcedebant pileati aut alba lana capitibus velatis: qui quanto plures erant, tanto plus nominis, laudísque dedere, quod decedens dominus totam familiam tantis muneribus cumulasset, ac libertatis precio affecisset. Nonnunquam illos, qui rasis capitibus triumphantis currum fuerant prosequuti, eiusdem defuncti pileatos in funeris pompa corpus præcessisse inuenimus, vt Q. Terentium Culleonem, quem Scipio Africanus seruitio exemerat: post sequente proximorum affinium & amicorum turba, lugentium habitu, capillo demisso, veste pulla aut cœrulea, vt Cato significat. Cum enim adolescentis funus facerent, cœruleum frequentes induebant. Apud exteros verò phæus color sumebatur in luctu. Namque Antiochus, audito fratris obitu, purpura deposita, phæum induit, qui inter album & nigrum colorem fuisse traditur. Nunnunquam senatu vniuerso & magistratibus cum vexillis, interdum equitum turmis, si quando Regum aut Imperatorum funus efferrent, comitantibus. Funeris enim hæc lex erat, vt præcedente pompa funebri, viui sequantur, tanquam haud multo post morituri. Interim lectulo plerique flores & corollas iniicere, nonnulli vnguenta & odores, alij dona cumulare, idque noctu & obscura luce, ideò faces ardentes adhibebant. Nam die funus efferre vetusto more non licuit: quod Demetrius Rex cauisset edicto, vt ante lucem vel post crepusculum efferrent corpora, die verò neutiquam. Sæpè tamen Imperatoris aut Ducis, qui occubuisset funus milites, quantum poterant militaribus studiis celebrarunt. Ea pompa fuit, vt armatæ instructæque legiones, in turmas & centurias diuisæ, cum vexillis militaribus inuersis aut abiectis militiæ insignibus, defunctum comitentur, phaleràsque equis detrahant, ensium mucrones & lancearum cuspides humi deiectas ferant, & rogumlustrent. Id quod apud Græcos etiam seruari meminimus. Rogo igitur exstructo & pyra cupresso circumdata propter grauem cremati corporis nidorem, ne tetro odore abigerentur proximi adstantes, ac desuper defuncto corpore locato, illius oculos, antequam cremaretur, patefacere & cœlo ostendere mos erat, aliis etiam vanis vti superstitionibus. Præfica interim assistens lamentabili carmine populum rogo circumdatum ad comploratione m & lacrymas prouocabat, populo etiam largis fletibus & pari comploratione respondente. In quo luctu quædam ad miserationem canebantur carmina & versus ad tibiam cum laudimus & lacrymis, pietatem humanitatémque & defuncti interitum miserantes, dum per funerum ministros, qui pollinctores dicti sunt, corpus igne supposito cremaretur. Eam verò pyram pro dignitate & honoribus, quibus in vita functus erat, & prout amplissimos magistratus & imperia gesserat, modo maiorem, modo minorem exstruxere. Fuítque *lege* 12. *Tabularum* cautum, ne ex lignis politis exstrueretur. Solebant autem arida ligna papyrúmque, vt facilius accenderetur, adiicere: nonnunquam odoris gratia & pompæ augendæ, crocum & vinum affatim apponebant. Germanis struem rogi nec veste nec odoribus cumulare licebant, sed sua cuique arma & equus adiiciebatur rogo. Corpora verò clarissimorum virorum, non nisi ex lectissimis lignis certi generis, concremari sine vllo solemni apparatu permittebantur. Dúmque igne accenso corpus ardebat, pro dignitate, proque opibus, quibus quisque pollebat, ita amici & affines, qui coniunctissimi aderant, quæ chara habebant & præcipui cultus, cum gemitu & quæstu miserabili, in luctus & grauissimi doloris signum, ignibus iniiciebant. Sic multi vestes triumphales, enses, balteos, militaria nonnulli arma: mulieres verò, ne studio vincerentur, ornamenta sua, armillas, zonas, mundúmque muliebrem, vittásque virginalis comæ, retortos cincinnos & torques, ac bullas, prætextásque librorum flammæ indidere: thuráque, vnguenta & odores omnium generum, quos lancibus ferebant. Quare multos copia odorum ad pyram exanimatos, & præter infinita odoramenta, in funere Syluæ statuam iustæ magnitudinis ex odoribus confectam, absumptam comperimus. Quæque etiam defuncto clarissima & cordi fuisse arbitrabantur in vita, quarumcumque rerum mirum & efficax studium fuerat, vt scuta, gladios & arma, dilectos equos, canes, luscinias, auésque defuncto charas iugulabant ad rogum, eique imponebant. Vnde exemplis palam factum nouimus, accensis multos dominorum rogis, doloris impatientes vel violentas sibi manus intulisse, aut igni pariter absumptos esse. Quod etiam exemplum (quamquam dictu admirabile,) aliquos canes secutos esse referunt. Velut de Hieronis & Lysimachi Regum canibus memoriæ proditum est. Græcorum quoque & Æthiopum præcipuus mos erat, ad rogum dissecare comas, corporique & igni imponere, atque cum his equos, boues, pecora, canes, vinum quoque & oleum fundere. Vtque rege, morte sublato, familiares & qui cum eo coniunctissimè vixerant, charitate principis vim vitæ sibi ad rogum afferrent, vnaque concremarentur. Indorum peruulgata historia est, vt quæ viro defuncto charissima coniux in vita fuerat, igne eodem absumatur, vnaque concremetur. Thracibus & Getis idem mos, sed ornata cultu ad tumulum mactabatur, vt eodem conderetur. Gallis verò olim serui clientésque viui in eadem pyra absumebantur. Scythæ Gerri cum Regis cadauere, aromatibus condito, præcipuam concubinarum, prægustatorem, coquum, agasonem ministrum, vna tumulabant. Quinquaginta etiam ex ministris equosque ad rogum præfocabant. Græci Imperatore aut Duce mortuo, funus apparatu regio & solemni

solemni pompa efferebant, boues & oues mactabant, milites sponte, captiui iussi inter se ad necem digladiabantur circa rogum: equi viríque tondebantur, propugnacula è muris diruebant, templa lapidabantur, aræ subuertebantur, lares abiiciebantur, partus exponebantur, (quæ res ad impietatem pertinebant, Deorúmque contemptum,) ignem extinguebant, abstinebant à cibo: in funeris pompa Sacerdotes, Magistratus, pueri ac iuuenes cum coronis ac trophæis & militaribus armis sequebantur. Ita etiam funebre iudicium apud Romanos seu ferale indicebatur, in quo iura foráque silebant. Ferales quoque cœnæ apud Græcos instituebantur; in quibus crateres vino, lacte, sanguine pleni, nec non mella & crocus ad rogum deferebantur. Galatæ morem nunc habuerunt, vt amici & affines, defuncti & familiares Epistolas in rogum iniicerent, tanquam legendas apud inferos à mortuo, Mitiore sanè atque humaniore insaniendi exempli. Funebrem vero laudationem optimates & natu maiores proximíque ac in honore constituti recitare consueuerunt: in qua facta illius tum dicta, totiúsque vitæ cursum, maiorúmque gesta recitare mos fuit. Primus Valerius Publicola Bruto mortuo id muneris accurata oratione prosecutus est. Inde institutum, vt clarorum virorum in funeribus solemnis laudatio esset. Vnde etiam Apij decemviri defuncti dationem sequutis temporibus plebs æquis auribus audiuit. Et Scipionem in funere, vt hominem diuinum Maximus commendauit. Apud Ægyptios quoque defuncto Rege, antequam iusta darentur, per supremum sacerdotem omnis vitæ series illius facta, dicta, bella, mores ex suggesto recitabantur: omnibus pensatis à populo indicabatur, an indignus esset sepultura? atque sic insepultum cadauer abiiciebatur: an verò esset ornandus laudibus, & cum pompa & vnguentis sepeliendus? Reliquos cuiúsque ordinis sine vlla fortunarum & potentiæ mentione à sola iustitia, pietate, religionísque cultu, aut commendabant aut vituperabant. Inde orta opinio illa de inferis & pœnis eorum ac iudicibus, vt ex Diodoro Siculo habetur. Apud Indos verò multa sæcula viguit mos, vt, cum quis moriebatur, magistratus, cui hoc munus incumbebat, ante fores domus describeret anteactam vitam moresque, quo eorum virtutes ac vitia omnibus palàm fierent. Fertur inter miracula fortitudinis atque constantiæ, vt ad nostra redeam, Fabium Maximum infracta oratione ac magno spiritu laudem filij in funere apud populum recitasse. Proditum est primum apud Græcos fuisse Periclem, qui carmine ac laudibus eos, qui pro patria in Peloponensi bello occubuissent, celebrauerit. Alij Solonem funebris orationis inuentorem faciunt. Et quamvis à principio virorum tantùm gesta laudari consueuissent, quia tamen Camilli tempore à mulieribus collatum aurum fuit, vt se populus Romanus à Gallis redimeret: ideò cautum fuit, vt in earum funeribus, sicut in virorum, solemnis laudatio esset. Nemo verò die reliquias defuncti & cremati cineres mater, soror & propinqui affinésque in nigra veste & effusis comis, aut Pontifices & Sacerdotes: nonnunquam primores Patrum perfuncti honoribus, tunicati ac discincti, lotis manibus & nudis pedibus, ossa à cineribus separata lacte & vino lauabant, deósque manes inuocabant. Græci vino & vnguento inspergre solebant, cumque odoribus effusi in lacrymas, in vrna componere & lineo ventilare. Solemne etiam fuit apud Indos & Ægyptios, Regum funebres tunicas, quibus cineres cremati à reliqua fauilla distinguebantur, ex licio, quod igne non absumitur, conficere, easque ad rogum defunctum corpus induere. Quippe in Carysto lapis nascebatur, qui velut lana intextus nullo igne exurebatur. Tunc postquam, defuncto conclamato & nomine deplorato, satis lacrymarum luctúsque fuerat, ipsique qui hæc curabant ter aqua aspersi & lustrati erant, omni munere absoluto, supremum salue & vale, tanquam eos nunquam visuri vltra, clamabant: & à præfica feralibus officiis iustísque persolutis, post lamenta & conclamationes, I, LICET dicebatur: qua voce missum populum faciebat. Inde funeris comites, quasi supremo functi officio, ad proprios lares reuersi: & aqua aspersi ignem supergrediebantur, hoc se piaculo ex funere expiari arbitrati, Quod expiationis genus suffitionem dixere: cuius rei causa ferias sæpè indixerunt, Denicales vocatas. Græci verò aqua lustrabantur pura, eadémque expurgabantur, in qua prius torrem ex altari extinxissent. Scythæ post funus amicos excipientes, epulum præbebant his, qui cadauer fuerant comitati. Peracto funere Romani, vbi à luctu quieuit animus, viscerationem & funebres ludos, plerúmque gladiatorios, Græci Gymnica certamina & equestria, in defuncti memoriam, nonnunquam nauium cursus ac naumachiam populo exhibere solebant. Quidam etiam anniuersaria, vt etiam nostra ætate, sacra cum lugubri temporum ornatu & flebili modulatione. In ipsa visceratione institutum erat, vt omnia carius venirent: quare ad pollinctum emere dici solet. Fertúrque in his epulis ex Numæ edicto, non licuisse pisces emere qui squammosi non essent. Et quamvis ea in cœna omnia affatim suppeterent, lætari tamen non decebat. Fuit hoc institutum, vt per cibi ac potus lenimen, tum etiam ludos (vnde in Iure titulus de sumptibus funerum & ludo aleæ,) desiderium defuncti leuaretur. Præter hanc erat etiam exequialis cœnam, quæ senibus & ætate grandioribus dabatur, ex qua discedentes alter alteri vale dicebat: hancque Silicernium appellabant. Athenis per funeri præfectos epulum apud defuncti maximè necessarium dari consueuit. Argiuorum verò instituto, defuncti affines, statim ab excessu Apollini sacrificant, & trigesimo post die Mercurio: Apollinis autem sacerdoti hordeum dant, ignémque extinguunt & rursus accendunt, carnésque victimarum percoquunt, quibus postea vescuntur. Eosdem ludos apparatu magnifico continuis quidem diebus nouem, in hisque gladiatorum paria, qui venalem sanguinem habebant, Romani exhibuere: ad quos intromitti matronas nefas habitum. Idque adeò vsu ac moribus interdictum fuit, vt P. Sempronius vxori, quod

ludis funebribus interfuisset, repudium dederit. Domi quoque & in loco celebri defuncti imagines in memoria posteritatis, plerúmque cereas, aut marmoreas, vel æneas columnas, etiam cum trophæis & titulis, ac magnificentissimis decretis publico consilio erigere, & res gestas monumentis insculpere, leuandi desiderij causa, antiquis mos fuit. Quas etiam iniuria cæsis ciuibus sempiterno æuo duraturas, publico decreto erexerunt, vt gratiam benemeritis ferrent. Apud Lacedæmonios his, qui in re militari facinora fortia gesserant, statuas & columnas pariter cum elogiis post obitum dedere. Rege verò defuncto ipsius simulachrum, ita vt viuus appareret, in toro & purpura & auro instrato effinxere. At mortem statuarum non solum ob virtutem militarem, sed etiam sapientiam ac potentiam tota Græca imitata est, sed nulli magis his studuerunt quàm Romani.

Plura sanè, quam oportuit, de funebri pompa ac ludis ex Alexandro decerpsimus: nunc ad propositum redire par fuerit. In vniuersum ludorum genera decem sunt: publica, quæ, vt dixi, in spectacula, pompas & pugnas gladiatorum diuiduntur. Sortis corporis, quod in tria diuiditur: Roboris, agilitatis, & dexteritatis: Ingenij, certaminum animalium: Societatum, Ostracinda, Myinda, Ollarius & Amatorius. Funebres enim pompæ ludíque partim publici sunt, vt ludus gladiatorius, rogus, pompa feralis: partim priuati, vt epulæ & alea. Porro de ludis ingenij ac sortis abeunde aliàs scripsimus.

Quod hic quæritur, An ad beatam felicémque vitam conferant? vt & venatio, quæ mixta est ex corporeo ludo ac certamine ferarum. Videtur autem non congruere, quod studia interuertat, nec sapientes his vsos fuisse legamus. At maxima pars procerum nihil suauius expetit. Primum igitur ludis in atrocibus calamitatibus locus est: nam & oblectare solent, & leuant, si quid aliud, curas, maximè venatio & latrunculi. In his etiam, non absumi tempus, dici potest, cùm ob doloris animi vehementiam is studiis vtilioribus applicari non possit, leuétque periculum morbi & insaniæ. Cæteris non conuenit, qui in disciplinis sunt exercitati, nisi honesti generis sint: vt Musici, Amatorij & corporei, ætati & conditioni congruentes. Societatum & ingenij rarò admitti possunt, licet tamen. A musicis autem, id est, non studiosis bonarum artium, quicúmque sine iactura & dolore sunt, vt sortis moderati, in quibus de parua pecunia certatur. Nunc cum in tanta calamitate verser, vbi de capite maioris natu filij summo discrimine agitur, victus à dolore non sum, quoniam ludo nonnunquam latrunculorum interposito, aliquantisper conquiesco. Quamquam in disciplinarum cognitione maiorem esse delectationem, quàm in ludis, argumento sit, Philosophos ludis non fuisse oblectatos. Quamobrem sapientum, quàm Regum maior longè felicitas est.

Sed rursus ad pauperum commoda reuertamur. E quibus maximum fermè est illud, quod pauper à multis muneribus & periculis immunis est. Primum quidem in exactionibus tributorum minimè vexari solet. Et quamquam videatur in hoc diuitis conditio melior, falleris. Aut enim, licèt habeat fundos & domos, pecuniis caret: aut, etiamsi has habet, habet & onera domestica, &, si non habeat, etiam grauius videtur iniustè quidquam soluere, quàm non habere, quod soluat, quoniam in illo continentur & iniuria & dolor, dum commodo priuatur. Sicut etiam grauius est excæcari, quàm cæcum esse. Res enim humanæ omnes motu mirum in modum augentur: mutatio verò causa est sensus. Si quis habeat mille coronatos aureos in reditibus, satis sibi locuples esse videtur: si ad sexcentos redeat, aut quadringentos, dolet & tristatur. Quidquid enim est, aut effunditur, aut consumitur, aut reconditur. Si effunditur, deest vbi imminuatur. Difficilius est, enim prodigalitatem retundere quàm liberalitatem: quod vitia cum circa extrema consistant, potentiora sunt & magis firma virtutibus, qui circa medium. Si consumitur, manifestum est, defuturum necessariis quod decedit. Si reconditur:

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Quot & quanta sunt etiam diuiti ex consuetudine onera extra ordinem imposita? Petunt amici, clientes, vicini, pauperes, sacerdotes: ita vt diues nostris temporibus sit administrator, non dominus opum suarum. Quid de filiis, vxore, domesticis, affinibus dicam? quid de furtis? Argus sit oportet, nec sufficiat ad eas custodiendas. Prandia exhibere amicis, Principibus conuiuia oportet. Denique, si dona non possint auferre, mutuo petunt adulatores. Si deneges, totidem habebis inimicos, & qui de te malè dicant. Si des, non habebis, aut vix habebis, aut reliquos etiam ad hoc officium inuitabis, quod omnino deterius. Nam his si des, iam nundinis domus tua similis erit: si non des, etiam ad iurgia peruenies. Queruntur enim hi, quibus dedisti, se postpositos esse. Si retineas & abscondas, aliquanto deterius tecum agitur ac si non habeas. Nunquam deest importunus adulator, impudens amicus, tædiosus familiaris, ambitiosi proceres, vicinus, cliens, sycophanta. Nimis beati essent, si qui diuitias habent, eas possiderent. Ita est de illis, vt de hortis ac viridariis, minor est dominorum voluptas atque possessio. Adde, quod etiam magis oblectantur, qui rarò his fruuntur, quàm qui assiduè.

Sed iam, vt dixi, etiam in periculis longè tutior est diuite pauper. Ab occultis quippe insidiis ac veneno securus est: hæc enim potentioribus parata videntur. Sed & de vi ipsa non dubito, quandoquidem diuites diuitibus inimici fiunt ac potentioribus. His quoque de honore contentio est & de magnis rebus, vnde tales maioribus frequentioribúsque in periculis versantur. Principes ex proceribus certos destinant quos periculis obiiciant, non cerdonem aut fabrum.

Iam verò vt videas, quanta sit paupertatis vtilitas, nullus diues feliciter viuit, nisi dum pauperi similis efficitur: scilicet si cum paucis domesticis, si frugaliter, si Philosophiæ operam

operam det, si diuitias possidet tanquam non habeat, atque eo animo. Quod igitur similitudine sua beatum efficit, beatum est. Quomodo enim inter turbas felix esse potes, vbi rumores, iræ, verba, murmura, omnia incondita? Atque hæc quo ad animam. Quod ad corpus attinet, peditus, ructus, tetri halitus, nihil iucundum in homine præsertim viro, præter cutem. An dormire malis solus, an cum multis? Nam humana felicitas quieti & somno simillima est, imò per id illa tempus maximè habetur. Scripserunt de solitudine, atque illius laudes non insulsè plures. Nihil enim tam dulce, quàm solum esse: proximum huic, cum paucis; minus, cum multis. Si felicitas est voluptas animi ex ratione percipiente possessionem iucundi: quomodo in turbulentis & inter strepitus felicitatem percipiemus, aut illius compotes esse possumus? Principes & Imperatores legimus, quoties felicitatem & voluptatem consequi voluerunt, in recessus se contulisse. Augustum primo, inde apertius Tiberium, Domitianúmque. Quinetiam, quantavis licentia concessa, dulciores sunt veneris voluptates, oscula, amplexus, lusus, quotiescúmque testis deest. Videtur enim primum principium nostræ naturæ, vnitas: proximum, duo: inde, tres: atque in his finitur tranquillitas, Quam suave est cum vno commumicare consilia sua, atque pandere secreta, quæ objici nequeunt? Nam conuinci vnico teste nemo potest. Itaque solitudo, paucitásque clientum & familiarium, quàm diues assequi non potest, res est perquam suauis, imò suauissima. Melius seruit vnus quàm duo, & duo quàm tres, mihi crede sæpius experto. Quot famuli, tot domini: imò potius tot hostes ac inimici: maior quies in paucis, & minus tædij atque impensæ. Abest domestica rixa, malorum maximum.

Frugalitas quoque valetudini & voluptati tam commoda, paupertatis comes est, diuitibus exoptata & quæsita. Semper autem id animaduertere decet, iucundiora esse, quæ contrarij speciem retinent. Velut falsa veris similia, vera quæ falsis assimilantur. Pueri puellarum effigies, puellæ puerorum imaginem habentes: frugalitas in diuite, apparatus in paupere: humanitas in potente, constantia in humili: clarus sapientis sermo, prudens idiotæ. Horum omnium vna causa est admiratio. Admiramur enim, quæ magis naturæ contraria esse videntur, & rara & difficilia. Admiratio animum mouet. Motus autem animum exhilarat, si sit rerum iucundarum. Iucundum verò est, cognoscere, sentire, atque intelligere. Falsa, quæ veris simillima sunt, appositè describuntur, quod fortuitò contigerunt, aut conficta sunt, vt veris veriora videantur: multáque continent, quæ pulchra & ornata adeò sunt, vt plus delectent. Vera, quæ falsis similia sunt, admiratione & miraculo grata fiunt. Ita quod præcipuum est in contrario, in alio continetur. Quid præcipuum est in vero? fides. Quid in falso? rei magnitudo. Vtrúmque igitur in vtroque continetur. Falsum, quod veri imaginem refert, fidem recipit ob id, quod vero assimilatur, & magnitudinem ex sua natura possidet. Verum, quod falso simile est, magnitudinem recipit ab imagine: fidem, à natura propria. Ita puer fœmineis moribus, agilitatem, ingenium, robur, præstantiam à natura propria habet: pudorem, patientiam, mansuetudinem, ab eo, cui similis est. Puella etiam puero moribus similis, pulchritudinem, patientiam, mansuetudinem, pudorem, decorem & veneris vsum, quem præstare potest ex natura fœminea habet: promptitudinem, ingenium, memoriam, iudicium, agilitatem, nitorem morum seu sinceritatem, ex masculina idea, vt ita dicam, recipit. Ita etiam in actionibus quæ sciuntur, tanquam non sciantur, tractentur, ô quàm multum proderit! Nam & gratus videberis & bonus, & omni denique virtute præditus, & inimicum aduersarium inuades. Multi vt scire videantur, multo plura efficiunt agúntque quàm conueniat, & quædam etiam leuiter & malè, sicque incautos opprimunt. Alij taciturnitate, quod securissimum est, cuncta tegunt. Est autem præceptum sanè vtile, dissimulare quæ geris. Sæpe etiam quæ non nouisti, tanquam noscas, tractare vtile est, ac ad fallendum inimicos tuos.

Sed vt ad rem redeam, frugalitas optima est, quoniam cùm paucis indigeamus, si paulò comtior mensa fit, lauta poterit videri, nec sanitati tamen oberit. Non esurire, non sitire, & ventrem saturare minimo ære licet: ideò paupertas, quæ lege naturæ constat, magnarum opum vicem gerit. Quamobrem rectè Epicurus dicebat diuitiarum acquisitio non est miseriæ finis, sed mutatio. Nam & sub his non minus, quàm sub paupertate, laborat animus ac æstuat, licet alio modo. Pauper indiget, diues opprimitur. Pauper, vt acquirat, solicitus est: diues, vt seruet. Pauperi omnia desunt, diuiti immensa habendi cura est, pleribúsque, quæ possidet, offenditur. Pauper optat habere, diues timet amittere. Pauperi, quo vtatur, deest: diuitem vsus multarum rerum ac non necessariarum fastidio afficit. Pauper vim, diues longè magis timet insidias. Pauper dolet, quod non possideat: diues, quod breui sit relicturus. Pauper angitur, quod his, quos amat, quod relinquat, non habet: diues, quod relinquere cogatur his, quos non amat. Pauperi tempus deest ob labores: diuiti, ob luxum, inertiam & socios. Ergo mundus victus, non lautus nec luxuriosus opportunus est: atque ita figulinis tam iucundè ac accuratè vt argenteis viuendum est: atque argenteis tam familiariter ac figulinis. Ita de omni ornatu ac suppellectile dicendum est, atque etiam vestitu. Si sericeas vestes induere non licet, geras lineas laneasve, sed pulchras, mundas, corpori appositas ac conuenientes. Ob id metam parandarum diuitiarum Epicurus & cæteri sapientes statuerunt vsus necessitatem. Quorsum laboras, vt sericeis induaris, si laneæ sufficiunt? Quænam ista superflua cura est laborque? Quorsum, vt argenteis vtaris, si figulina sufficiunt?

Quidve domus depicta iuuat, si clarior alba est?

An non candor ille pulchritudinem suam

diutius

diutius quavis pictura integram seruat? Vis videre meliorem multo esse conditionem pauperis quàm diuitis, vtriusque risum inspice. Pauperis lætus & effusus, diuitis semper languidus.

Forsan dices, at præstat luxuriosè, delicatè splendidéque viuere, atque alios, qui bonis fortunæ abundant, imitari? Si ducaris inuidia, semper habebis cui inuideas: sic nunquam assequeris finem. Itaque quantumvis diteris, semper dolebis. Dolor autem felicitati, seu animi sit seu corporis, è regione aduersatur. Nam felicitatem voluptatem esse diximus animi ex ratione cognoscente possessionem iucundi. Inuidiæ ergo vitium est, quod solum rectè ex aduerso felicitatis positum est. Adeò vt omnes vitiis laborantes, felices esse ac dici possint, solis dumtaxat exceptis inuidis. Auarus, superbus, iracundus, iners atque gulosus libidinosúsque, felices esse possunt: propriis enim vitiis sæpè delectantur: inuidus nunquam. Inuidia purus dolor est. Cum verò duplex sit inuidia, ea sola propriè nomen hoc meretur, quæ de alienis bonis dolet: nam quæ optat bona, dolorem affert, sed longè minorem. Quæ vero gaudet de alienis malis, non affert infelicitatem vllam, quamvis sit vitium. Sed quia gaudere de malis alienis & tristari de bonis, se inuicem consequuntur: sequitur quod tales, qui alieno malo gaudent, cùm etiam de bono doleant, necessariò sint infelices. Triplex igitur ratione inuidiæ genus est. Horum igitur qui inuident, cum triplex sit genus, quod optat bona, vitio non ascribitur, felicitatem tamen impedit, vitium tamen graue est: quod de alienis bonis dolet, felicitatem impedit, & vitium graue est. Qui ergo, vt aliis æquentur, diuitias quærunt, hi miseri sunt atque infeliciores his, qui ob pauperiem. Nam hi finem suum assequuntur, aut assequi posse sperant: at illi rectè sperare non possunt ad finem peruenturos, multo minùs illum assequentur; Quamobrem in perpetua molestia sunt. Magnum igitur commodum est, gaudere partis atque vt illis ita, vt velis, quæ habere possis, non vt possis, quæ velis habere. Proximum huic est, vt quæras, quæ habere possis, licèt nondum habeas. Nam sine honesto, spes laborque tuus eluduntur.

Vt verò habeas, quæ quæris, diuitiásque nanciscaris, vel vt partis commodè vtaris, aut patienter & æquo animo paupertatem ferre discas, non cuiúsuis est, vt multi existimant, hominis, sed artis opus: non minus quàm Geometræ aut Astrologi. Vnde etiam ad specialia atque præcepta veniendum, scireque ac contemplari singula diligenter oportet. Itaque ab initio, vt de primo dicam, mentem adhibere oportet, atque etiam cùm mente operam. Vt enim in singulis minimus error in principio, maximus fit in fine: ita etiam in hoc casu, atque magis quàm in aliis, siquidem diuitiæ ex diuitiis fiunt, & res ex re, non ita omnino in cæteris. Nam ex fundis & domibus aliísque rebus reditus colliguntur, ex pecunia fœnus, ex mercibus lucrum. Cùm ergo ab initio decem collegeris aureos coronatos, sæpè euenit, vt viginti annorum spatio ad decem mille perueniant, replicato sæpiùs lucro. Quanto enim minor est pecunia, lucrum maius fit pro ratione. Nam homines in paruarum rerum emptione conniuent, sæpius repetere licet. Magnarum verò pecuniarum lucra licèt non sint adeò magna nec frequentia, nihilominus per se lucra sunt magna. Adeò vt solum ex permutatione monetæ (ita dicere licet) non exiguam vtilitatem consequamur. Ergo ab initio maximè diligentissiméque studendum, vt aliquid colligas, memor illius, dicti, ex nihilo nihil fit. Vt ergo aliquid colligas, duobus illis Epicteti præceptis vtaris: scilicet, ἀνέχου καὶ ἀπέχου, *sustine & abstine*. Ob id dicebat Nicolaus Vignarca, qui ex pauperrimo factus est ditissimus, cùm à Cæsare Vicecomite interrogaretur, quonam pacto id egisset? respondit, patientia & abstinentia. Nullum enim laborem, quem mihi vtilem existimarem, prætermisi, nullam voluptatem cœpi. Addo quòd temporibus difficilimis & in calamitatibus publicis hæc contigerunt. Nulla autem tempora opportuniora sunt his, qui ditari volunt. Vnde Marcum Crassum ex ruinis incendiisque publicis, tum seditionibus in immensum ditatum historiæ tradunt.

Vitanda ergo maximè quæ depauperant hominem. Ea autem sunt quinque, ludus, Alchymia, Architectura, lites criminales, & luxus. Ludus duobus modis hominem depauperat: dum pecuniæ amittuntur, & dum negliguntur negocia & artes. Verùm non semper qui ludunt, amittunt, sed qui vel imperiti sunt, vel infortunati, vel qui cùm deceptoribus ludunt. Luxus verò manifestè depauperat hominem, siue quis circa libidines, seu circa comessationes profundat. Alchymia verò noua spe semper animos replens, loculos euacuat: nec vlla sine fructu certior aut maior iactura est, quanquam ludus quandoque celerius cuncta absumat. Numerum eorum, qui horum modorum altero repente mendici facti sint, non facilè collegerim. Accusationes verò atque defensiones, & ob contentionem & ob necessitatem exhauriunt suauiter patrimonia. Sed cùm in aliis abstinere liceat, atque ob id Epicteti præcepto salubri vti: in accusationibus etiam vtile erit, in defensionibus non ita: sed profundere cogimur ob accusatoris peruicaciam. Atque hæc de abstinentia generali.

Specialiter autem singulis diebus multa occurrunt, quæ hominem ad emendum & consumendum pecunias inuitant. Quæ quanquam paruæ iacturæ singula sint, si tamen colligantur, cumulum satis magnum in anno coaceruant. Quod si plures sint anni, etiam magnum cumulum è pluribus cumulis paruis conficiunt. Et præcipuè in primis, vt dixi, annis, præsertim in mercatoribus, diuitias aut paupertatem afferunt. Quamobrem maximè studere oportet, vt ab initio parcus sis & nihil perperam, quantumvis minimum, effundas: sed vale dicto cupiditatibus ac iocis pecunia colligas. Tot igitur de abstinentia dicta sunto.

Patientia verò in laboribus, in industria, in inuentione adhibenda est: tribus enim his

patientia

patientia absoluitur. Ex quibus ea, quæ ad labores pertinent, minus fructuosa est ad quæstum: quæ ad inuentionem, optima maximéque lucrosa: quæ ad industriam, media est inter has. Quamuis ex contrario in contrarium difficilimus sit trasitus in omnibus, præterquam ex ignominia in gloriam & honores, quod affectus in solo animo positi sint. Nam non ita ex orbitate in sobolem, ex morbo in sanitatem, ex impudicitia vxoris in pudicitiam, facilis est transitus. Attamen patientiæ atque industriæ medio contingit hoc frequentius in paupertate, quàm in cæteris malis, scilicet vt in contrarium fiat transitus. Vehemens enim appetitus ex paupertate oritur, ex quo oblata occasione, perseuerante ob appetitum labore, opes egregiæ parantur. At si ex orbitate soboles oriatur, non tam industriæ aut alterius virtutis nostræ munus est, quàm fortunæ. Ex morbo autem curatos contigit aliquando diligentius ad meliorem statum peruenisse. Multas enim mulieres steriles ex curatione superuenientis morbi fecundas effectas vidimus. Vidimus idem in viris, quamvis non tam sæpè: & ex febribus curatis alios factos fuisse melioris habitus. Sed vt ad rem redeam, ex patientia industriáque vel inuentione persæpe magis ditantur pauperes quàm mediocres. Nam in pauperibus vehementior ille affectus comparandarum diuitiarum & timor expertæ iam inopiæ augent patientiam ad labores, ad industriam, ad quærendam nouam inuentionem, atque amplificandam illam. Ergo in hoc manifestè vides ad opes non parum conferre paupertatem.

De laboribus ergo res perspicua est: at de industria non adeò. Intelligo igitur industriam augeri debere ita, vt artificum opera diligentius absoluantur. Diligentius dico, politius, subtilius, ornatius, maiore cum gratia, atque proportione ad vnguem seruata. Nec solum in forma, sed etiam in materia eadem cura adhibeatur. Sic fiat aliquid è chalybe purgato potius, quàm impuro ferro. Quin & chalybs eligatur qualis apud nos sagittalis, melior autem Damascenus aut Persicus: coquatur sæpius, tundatur, succis imbuatur. Hæc omnia ad industria pertinent. Si quid autem minus vulgare fit ex his, ac præcipua aliqua vtilitas ex ea industria oriatur, ad inuentionem pertinere dicemus.

Sunt & alij modi parandarum diuitiarum. Hæreditas Principum atque potentiorum, gratia magistratus, Mercatura & casus, vt thesauri inuentio. Sed & in his abstinentia, & patientia in obsequiis, inque officiis præstandis, industria quoque ac labore opus est non exiguo.

Cum verò ex his non omnibus omnia conueniant, videndum est, quibus hæc vel illa congruant. Hoc igitur scire expedit ex hominis conditione, arte, statu, loco, tempore, causáque paupertatis. Si enim res naufragio pereat, ad mercatores confugiemus: si bello, ad duces & socios milites: si pauper natus sis, ad Principum familiaritatem, ad industriam & artem: si sumptibus immodicis & luxu, alios quæras, qui luxuriosè viuant. Quædam sunt artes, quæ breui discuntur & sine sumptu vllo, quæ tamen vtiles sunt, sed omnes infames: velut lenonia, prosenetarum, vatum, ludicra, causidicorum, eorum qui solicitant, non legibus defendunt lites, præstigiarum, vnguentariorum & fucorum, parasitarum, tubicinum, conuiuia ordinantium, medica, atque huiusmodi plures aliæ. Quibusdam ipsum infortunium opes attulit: velut Virgilio bonorum proscriptio, Horatio etiam captum fuisse. Vterque enim longè magis, quàm anteà ditatus, amicitias etiam Augusti & procerum promeruit; gloriámque non mediocrem, non solum sua ætate, sed ad hanc vsque diem perennem sibi comparauit, Quis ergo est, qui sic aut capi aut proscribi nolit? Conueniebant hæc illis sæculis: nunc prandio Poëta conducitur, & auro carius opera illius emitur. Si reuiuiscat Homerus, id dicere vulgatum licebit:

Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

Irridentur Astrologi, contemnuntur Geometræ, esuriunt Musici, mendicant Grammatici, quis ergo sanus Poësi his temporibus operam dabit? Hier. Fracastorio obfuit non parum fuisse Poëtam: mihi, ad opes, Mathematicum. In pretio pretium nunc est. Medicina & leges violenter potius, quàm ob hominum eruditionem, magnificentiam, æquam voluntatem, aut rectum iudicium adhuc propriam quasi authoritatem retinent.

Quare seu velis tu literis operam dare, seu filios instruere, ficum arborem in Poësi & Mathematicis imitare, ceras in ere ficum arborem in Poësi & Mathematicis imitare, cerasum in Medicina ac Iurisprudentia. Sciant prius homines te absolutum esse Medicum vel Iurisconsultum, antequam mediteris discere aliam quamdam artem: velut Rhetoricam, Geometriam, Poësin, Græcas literas, aut tale quid huiusmodi. Nec detestor hos mores: ignorantia enim meliorum Poësis olim in pretio fuit. Primus námque apud Romanos Cicero Philosophiam docuit: verum breui turbata res Reipublicæ seditionibus atque interrupta, locum incremento non reliquit. Sed vt Homeri tempore atque Hesiodi apud Græcos: ita Virgilij & Flacci apud Romanos, immixta pauca Philosophiæ præcepta multis carminibus effecerant, vt iidem essent sapientes & Philosophi ac Poëtæ: ita euenit, vt ob id etiam Poëtæ in pretio haberentur. Videndum est autem, quid commodi paupertas Virgilio atque Flacco attulerit? Num libros forsan aut Doctores, vel vitæ commoda, aut locorum ac gentium cognitionem? Sanè ridiculum. Quid ergo, patientiam laborum, industriam, potentiorum cultum, promptitudinem, obsequium, fortitudinem quandam, vt semetipsas experientiæ subiicerent, & quædam etiam supra vires auderent. Vnde in Epistolis ipse Flaccus:

Et laris & fundi paupertas impulit audax,
Vt versus facerem.

Itaque ex huiusmodi contingit, vt potentiorum amicitiæ insinuarentur, & ex hac famam & gloriam insignésque diuitias sibi compara

compararent. Nolim dicere, si pauperes non extitissent, si propria non amisissent, pauperes fuisse futuros: sed illud dicere ausim, serius aliquanto ad hæc omnia peruenturos, nec etiam opera illorum tam elaborata conscripturos, vt non solùm opum, sed & gloriæ & famæ minus illis in posterum relinqueretur.

Verum, vt dixi, non ex æquo omnibus hæc alea succedit, imò nec expedit, quandoquidem si naturæ lege vixerit, nunquam possit esse pauper: si opinione, nunquam diues. Opinio enim, cum falsa sit, nullum finem suis desideriis statuit: at natura finem rebus omnibus imposuit. Vnde tibi pulcherrima Senecæ sententia: cum volueris dignoscere, an, quod desideras, naturale sit ac iustum, an ex opinione & absurdum? considera, an quod desideras, metam habeat an non? Si habet, naturale est: si non, ex opinione falsa desiderium illud oritur. Infinitum enim illud nostrum desiderium in nobis non est, ob naturam nostram, quæ huiusmodi sit: quid enim absurdius? sed ob defectum atque stultitiam & imperfectionem. Velut etiam in materia illa prima, quam hylen vocamus: neque enim formis vnquam satiatur: ita nec nostra opinio, quoniam perfecta non est. Vt igitur, quod infinita optemus, ob imperfectionem nobis euenit: ita quicumque infinita optant, nec finem desiderio imponunt, se stultos & insanos esse declarant. Desiderium igitur pecuniarum & opum immensarum, stultitiæ signum est. O quàm rectè Horatius inquit:

Latius regnes auidum domando
Spiritum, quàm si Libyam remotis
Gadibus iungas, & vterque Pœnus
Seruiat vni.

Et quamuis aliquando, licèt rarò contingat, vt maximis opibus ad nos seruandos indigeamus: sic vt in captis à Turcis, edendísque splendidis operibus: vt etiã solæ diuitiæ nobis æternam gloriam comparent, quemadmodum in labyrintho Minois & Persæ Hetruscorum Regis, in Pyramidibus regum Ægyptiorum, in Mausoli sepulchro: tum etiam in benefaciendo amicis, ac bonis & eruditis, quod præstantissimum est magnarum diuitiarum commodum: nihilominus hominem torqueri animo, & corpore fatigati assiduè non decet, ob tam incertum, rarum ac leue commodum, atque ob id certò iam maximóque incommodo affici. Præsertim cum tantùm, imò plus obsint opes in educatione, vt inferius exponemus, quàm iuuent in fortuitis & aduersis casibus. Quamquam non negauerim, malum esse, imò pessimum, pauperem delitiosè & in luxu viuere & educari. Quin potius optimum est, diuitem in laboribus & continentia summa ac parcitate & educari & viuere. Ideò optimè dictum est, Illum magis frui diuitiis, qui eas minus curat. Et horum etiam præstantior est educatio frugalis, quàm vita. Nam teneriores anni magis in vitia delabuntur; &, quod ille dicebat:

Crescite & in titulos surgite rite meos:

Sic cum annis virtutes aut vitia crescunt ac confirmantur. Adeò vt pauperi etiam hoc inter cætera commodum in filiorum educatione accedat. Ideóque si diues educare rectè filios velit, educet vt pauper: atque ideò apud magistros Grammaticæ, non in domo, atque id à primis annis, ne iniuriam puer sibi fieri existimet. Quamobrem non à comparandis diuitiis, vt mos est plebeiorum hominum, sed à studiis sapientiæ Seneca prudenter inchoãdam hanc breuem vitam iubet. Si enim, inquit, illi qui obsidentur, tantùm vt ne seruiant aut ob gloriæ studium, famem tolerant: quanto magis ob Philosophiæ amorem talia perpeti decet, minus molesta fame: cùm Philosophiæ possessione non solum libertas vera, sed etiam securitas & animi ab omnibus vitiis purgatio ac puritas comparentur. Vnde etiam Deo dignus esse non potest, nisi qui illas contemnit, eisque tanquam re fugaci ac minimè stabili vtitur. Quod & lex nostra comprobat. Qui enim diuina præcepta seruare cupit, non solum diuitias, sed & amicos & filios & omnia commoda negligere cogitur. Quod si quis, vt dixi, diuitias ad seruandos filios necessarias esse contendat, siquidem boni sint, illis ad seruandum minimè opus erit: sin mali, non expedit: sed neque etiam cum illis seruari poterunt. Quid enim profuere diuitiæ Claudio, Vespasiano, Antonio Philosopho, aut Seuero Pertinaci, Getæ patri ad filios seruandos? Dicat vir probus, si modo cordi sint ipsi filij, quod Christus, scilicet, Nonne potens est Deus suscitare ex lapidibus istis filios Abrahæ? At quidam mali sunt filij in iuuenta, qui postmodum processu ætatis in bonos vertuntur: è quorum numero fuisse Augustum legimus, & me quoque talem fuisse agnosco; sed nullis pecuniis opus mihi facit vt me seruarem: seruauit me ab innumeris atque præsentibus periculis longè melius diuina prouidentia, quàm mille talenta seruassent. Iusti progenies non deficiet in æternum. Si iustus esse nolis, non est, quod de stirpis perpetuitate discrucieris. Præterea superest, quod ante diximus, de generali interitu seu iuxta legem nostram, seu iuxta Academicos. Tum verò, quæ etiam super his diximus, si æterna sit hominum progenies: & quod, si animi sint superstites, parum prodest hæc continuatio: gaudebis enim eùm maioribus tuis. Si non, quid prodest, vt in tuto sepulchro multi è stirpe tua condantur? hoc enim homines solum desiderant, vt cum maioribus suis in sepulchris iaceant, non cùm descendentibus. Denique nulli affines desunt, quibus sunt filij: tu verò in communi atauo aut tritauo cum illis coniungeris. Si is viueret, omnium illius descendentium filios tânquam tuos existimaret: mors illius efficere non debet, vt sententiam ac iudicium mutes. Nihilominus diligenter, si ita videbitur, cura vt habeas, aut non discrucieris, si non habeas, quin potius vt omnino non discrucieris. Quare opes sic nulli vsui erunt.

Verum objicies, vbi de filiis cura habenda sit, plurimum prosunt opes si cum sapientia coniungantur. Erudiri enim apud magistros, & illis in contubernium tradi, quamvis ibi paupere cùm cultu degant, vitámque simplicem agant, non est pauperis tamen hoc opus, sed diuitis. Vnde etiam illud;

Haud

Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.
Quomodo enim pauperes adhibere doctores possunt, qui erudiant, pædagogos, qui à mala societate, quæ nunc frequens est malum, auertant: ab iniuria tueantur: à periculis arceant: continentiam iniungant: vnde libros habere ad institutionem, reliquaque necessaria huic negotio? Pauperibus pereunt filij in infantia ob necessariorum defectum, in pueritia ob casus, in iuuentute ob rixas. Vnde diuiti duo filij solent maiorem descendentium multitudinem afferre, quàm pauperi duodecim. Moriuntur pauperum filij, dispergunturs, alij celibes ob paupertatem viuunt: aliis, vbi nati fuerint, ob tot mendicitatis incommoda, breui moriuntur. Quin etiam pauper quanto est numerosiore prole, eo infelicior existimatur & appellatur: diues autem felicior ac fortunatior. Filij quoque diuitum certiores. Nam vxor nobilior & melioribus instructa moribus, plures custodes, nulla peccandi necessitas: pauperi malè morigera vxor, solitudo, fames, nuditas, multaque alia ad fallendum coniugem inuitant: præsertim vbi adulteri non puniuntur. Verum, vt dixi, hac in parte, etiamsi felicitatem in sobole præcipuè constituas, nulla ratione vel quadrante infelicior diuite pauper est.

Vt verò singula breuiter percurram, (nam vbi de filiis agetur, locus erit omnia sigillatim prosequendi:) primum id constituere decet, quòd qui feliciter viuere cupiunt, omnia iustè, si possunt, peragant: sin minus, saltem prudenter: si nec hoc, fortiter. Quæ enim iustè aguntur, legibus non subiacent. Iustum enim est, quod secundum leges fit. Leges dico non solum imperatorum, quæ solum verè iustæ sunt: sed etiam municipales, quæ plerumque tyrannicæ. Iniustum verò est, quod est contra illas. In his ergo parum prudentia indiges ob securitatem. Quòd si non idem sit iustum verè & secundum leges municipales, aut magno versaberis in periculo, aut præpotentem esse, aut valde prudentem, aut locum deserere oportet. Nam multa accidere solent aut saltem possunt, in quibus, quo te vertas, non habeas. Si igitur non omnino iustè agere possis aut liceat, prudentia non parua opus est. Quod si prudentia te non seruauerit, fortiter aut agendum aut repugnandum aut ferendum quodcumque euenerit. Dico, fortiter agendum, vt si adulterum clam necaueris, quàm primum aliò te conferas. Si non licuerit, aduersus lictores te tueberis, ne capiaris: pugnabis decipies, in apertam fugam te coniicies: captus, vt è carceribus euadas, nihil intentatum relinques. Si non liceat, factum denegabis, tueberis te rationibus, prudenter respondebis: demùm etiam equuleum, ignes, omniaque potius fortiter feres, quàm vt fatendo moriaris. Vbi ergo aliquo modo succubueris ac conuictus fueris, nihil reliquum est, nisi vt fortiter feras necessitatem.

His ergo constitutis, ad singula obiecta veniamus. Doctorem te esse oportet filiorum tuorum, non alium quærere necesse est: neque enim illorum amantior quisquam esse potest, nec circa eorum curam diligentior aut attentior: nemo fidelius illos instruet, nemo mitius in illos animaduertet: nullus magis in illorum instructione occupabitur, nullus vitia eorum naturalia magis intelliget, aut melius obuiam ibit. Quòd si eos instruere oporteat in literis, (hæc enim de moribus dicta sunt,) tu verò ignarus earum sis, non deerit amicus tibi, qui vel ipse hoc possit vel vt alij velint, efficiat. Sunt ludi literarij communes & musicæ. Mnlti etiam benè institutos pueros precario docent, tum sponte, tum persuasi ab amico: nonnunquam etiam pecuniis ab eo acceptis, adeò vt è ciuibus quantumvis mendicis nullum videam, cuius filij ob paupertatem magistro, artes liberales docente, indigeant. Itaque factum est, vt plures pauperes in optimos musicos euadant, quàm diuites. Et Erasmus nostra ætate in linguis eruditissimus, non aliis magistris, quàm è publico stipendium merentibus, vsus est. Libri nunc beneficio Germanicæ inuentionis, typographicæ scilicet artis paruo væneunt mutuo habere licet & vti vetustis & obsoletis codicibus, in quibus præter nitorem nihil desideratur, cum sint castigatiores. In infantia securius agunt. Nam optimus cibus est panis coctus in iure non pingui. Diuites, carnes, oua, vinum, non infantium, sed morborum alimenta subministrant. Apud Rhætos & in villis depastos pulte, somno & quieti tradunt, quo nihil melius est, seu ad corporis robur, seu ad ingenij acumen, seu ad bonum habitũ, aut mores mansuetos, aut patientiam, aut labores, valetudinemque prosperam. Laudabantur Ægyptij, vt Diodorus Siculus refert, qui filios suos caulibus palustribus & graminum radicibus nutriebant: ita minimo alebantur. Ætatis successu piscibus, demùm etiam pecoribus vescebantur. Sic plures alere licet & simpliciore cibo & vtiliore ad mores, ad sanitatem, aut fecunditatem.

Mori ex inopia necessariorum eos persuasum habemus, quibus delitiæ & lauti cibi tum potus non suppetunt. Pueritia pauperum, cum in custodia assidua parentum sint, securior est à casibus, quàm diuitum. Fato nemo obuiam ibit: quo laxiores habenæ, eo periculosior euentus. Vbi adoleuerint artibus instructi, necessitate operi alligati, paupertate modestiores, rarius periclitantur ob rixas & cõtentiones. Fœcundiores sunt diuitibus pauperes, & ô quot sunt pauperum filij, qui diuitum esse existimantur? Incubant alienis lectis pauperes frequentius, quam pauperum diuites. Ob id nec certiores sunt filij diuitum nec securiores, quàm pauperum. Paupera mulier facilius, qualis sit, dignoscitur, cum plures habeat peccandi occasiones. Vbi peccauerit, facilius est de illa pœnas sumere. Hoc plus prodest ad morum probitatem, quàm generosa stirps, frequentiaque custodum. Sed quis custodes custodiet ipsos? Fœcundiores sunt pauperes diuitibus ob tres causas: ob laborem, qui absumit aqueum humidum, quo generatio impeditur: ob somnum, qui profundior illis aduenit: & ob labores & victus simplicitatẽ. Nulli etiã gnauo pauperi ob paupertatem & defectũ necessa-

riorum filij pereunt, sed solum ignauis & improbis. Quamobrem & iisdem filiorum numerus magnus grauis est & quasi dedecori. At præstantibus viris, etiamsi mendici sint, nequaquam. O, quoties pauperioribus me ob numerosam sobolem inuidi? Omnes originem ducimus à diuitibus & pauperibus, sed à pauperibus longè pluribus quàm diuitibus.

Quæ igitur, vt dixi, obseruanda sunt, scilicet iustitia & fortitudo atque prudentia, in pauperibus plus afferunt vtilitatis, quam si in his peccet diues. In criminibus confessis nulla est venia. Euasit nuper ob constantiam in tormentis famulus filij mei, qui pretio venenum dederat dominæ sine causa: periit filius meus, qui nec iusserat dari. Aliqui iudicia ob diuitias euadunt, corruptis ministris, testibus, iudicibus: longè plures tamen ex pertinacia negandi crimen. Habent singula, quæ indifferentia appellamus, sua bona, sua commoda, suas securitatis ansas, suasque defensionis rationes. In his tamen, quæ mutari possunt, nec tanta iustitia, prudentia ac fortitudine opus est. Iuuant hæ virtutes in omnibus: sed in his, quæ mutari nequeunt, quæque magna sunt, etiam necessariæ sunt: velut apud nos in coniugiis, in criminum confessione, emptionibus ac venditionibus fundorum, in Principum seruitute, in suscipiendis magistratibus, aut profitendi munere. At si equum emas, nec bonus sit aut non placeat, vendere licebit non magna iactura. Si iter importunum susceperis, redire licebit. Si tibi domum conduxeris, quæ non arrideat, vale dicere potes. Vbi de hominis salute agitur, memento magnam rem esse admodum, & inreuocabilem errorem, si occideris. Nam multi in iuuenta mali, optimi ætatis processu euadunt. Quamobrem iudices ad misericordiam deflectere in his, qui iuuenes admodum non antea deliquerunt, semper debent. At multi inani ambitione & sortis humanæ & propriæ conscientiæ immemores ducti, non illud Euangelicum obseruant, Quisquis vestrum sine peccato est, primus in eam lapidem iaciat, sed sæuiunt. Itaque & hoc pauperi commodum, vt nec iniustus nec sæuus dici mereatur. Plura enim sunt, in quibus non possis benè consulere, nec quidquam sit melius, quàm negotij non esse participem. Horum ergo malorum expers est pauper. Sed tamen plerique optant hæc iudicia exercere, vt timeantur atque amentur, existimantes etiam hoc illis gloriosum esse. Verum si quis reputet difficultates incorrupti iudicis, cum hic diuina clementia, illic humana ambitio, hic lex, illa æquitas, hic gratia, illic iusti amor, hic lucrũ, illic innocentia; hic potentium respectus, illic scelus ingens; hic veritas facti, illic pertinacia negantis vrgeat: cum ille fassus est etiam quæ non fecit, hic in tormentis obduruit deteriore in crimine: quonam pacto incorruruptum te præstabis? Sed tamen ob id hanc aleam subimus, quod maiora existimamus quæ habemus, quàm quæ exspectamus: tandémque eò deuenitur, vt rata etiam apud Deum, quæ nonnunquam à regibus rescinduntur, iudicia credamus. Horum igitur omnium malorum expertem esse pauperem, sibi pro lucro, non pro calamitate esse putet.

At veræ ac solidæ laudis & gloriæ non minus particeps est pauper quàm ipsi Reges, quamuis non adeò manifesta sit pauperum, vt Regum, dum, viuunt, fama: quoniam regum laus & gloria fulcitur potentia, pauperum non Plures videas è pauperibus quàm potentioribus, quorum fama celebretur. Numera Philosophos omnes, quorum haut vnum diuitem natum esse crediderim, Grammaticos, Rhetores, Poëtas, Medicos & Mathematicos, præter vnum Galenum, vnumque Ptolemæum, quos diuites fuisse existimo; Iurisconsultos, etiam plerósque pictores, statuarios, sculptores, artium inuentores, viros sanctitate insignes, omnes Pauperes fuere. Soli Reges & exercituum duces, (quamquam & horum aliquot præcipuique pauperes fuerint, vt Camillus, Fabius, Cincinnatus, Miltiades, Cymon) & qui respublicas rexerunt, diuitibus adnumerantur, vt Nicias & Alcibiades. Sed & inter hos pauperes etiam aliqui gloriam magnam consecuti sunt, vt Lycurgus, Solon, Aristoteles, Phocion, Publicola, Catones vtrique, quamuis iunior mediocri censu fuerit. Ita difficile fuit ac quasi monstrosum in tam diuite republica eos, qui magistratum Romæ gerebant, pauperes fuisse. Vt ergo gloria lausque communia sunt diuitibus ac pauperibus: ita etiam non est pauperum conditio diuitum vlla ex parte hac in causa inferior. Si enim ad multitudinem spectes, longè plures paupertas obtinuit. Si ad antiquitatem, nec in hoc paupertas cedit opibus, nec Orpheus, Hesiodus, Homerus, Irus Agamemnoni comparatus. Si ad causam, efficacior in pauperibus est, virtus nempe & eruditio. Si ad magnitudinem, pauperum multo excellentior. Nam regnum sola nomina recensentur, quorumdam etiam gesta leguntur: at eruditorum libri in manibus habentur, & eorum mentes, dum hos reuoluimus, nobiscum sunt atque versantur. Quamobrem non est, quod diuitias optes propter gloriam: cum potiùs impedimentum, quàm auxilium ad eam afferant: ipsæ verò, nisi cum immensæ fuerint, per se ingloriæ sint.

Cæterùm, ad reliqua diuitiarum commoda redeamus, quæ sunt cibi, vina, vestes, ligna, supellex, domus, famuli, ancillæ equi, amici, medici, medicamenta, ornamenta, viridaria, concubinæ, aliáque infinita cum ad decorem, tum ad voluptatem, quibus omnibus miseram paupertatem carere perspicuum est, Sed & diuites plures ac magis fidos amicos habent. Id verò duabus maximè de causis: prima quidem, quod amicitiam inimus ob spem consequendæ vtilitatis in aduersis, si quid contigat: at à paupere non possumus sperare auxilium, quemadmodum à diuite. Altera est, quod timemus, ne nobis pauper petendo grauis sit. Nam si & nos simus pauperes, plus verecundiæ nobis merito negantibus iniiciet, quàm sibi importunè petendo cõparauerit. Sin autem mediocri simus cẽsu, aut dando depauperabit nos, aut negando renuntiabit amicitiæ nostræ. Sin verò ditiores simus, ob dissimilem cõditionem negat Aristoteles, amicitiam facilè posse conflari. Omnibus igitur in vitæ commodis paupertas videtur opibus inferior. Similiter & in honoribus

gratia Principum, magistratibus, & quæ ex his omnibus comparatur, quanquam mortales omnes appetunt, quæ etiam felicitati proxima est voluptate &, quæ conflatur ex his antedictis, potentia scilicet, & quæ ex potentia statim defluit, libertate omnium dulcissima, tum etiam quæ optima est rerum humanarum & immortalibus bonis simillima, securitate. Pauper è contra, quod potentia destituatur, etiamsi quid præstans habeat, vt vxorem formosam & prudentem, filium egregiæ indolis, gemmam raram, picturam pulchram, antiqui operis exemplum aut simile aliquod, nec tutò nec securè, atque ideò nec cum voluptate illa possidere potest, cum liber haud sit. Nec putes vana esse hæc. Viget mos apud Turcas nunc, vt quidquid est pulchri apud Christianos, rapiant, & abutantur virginibus, pueris, aliisque minoris pretij rebus. Et olim apud Taurinos consuetudo fuit, vt Principes nuptas primùm deflorarent. Vt dicere possimus, quod aliàs etiam ex Satyrico adduximus:

Libertas pauperis hæc est,
Pulsatus rogat, & pugnis concisus adorat,
Vt possit paucis cum dentibus inde reverti.

Verum falleris, si prudentia adsit, nihil pauperi deest ad benè beatéque viuendum. Sed oportet primùm eum, qui feliciter viuere velit, cauere, ne sub Tyrannis viuat. Nam cum sub tyrannis viuitur, infelicem hominem esse, necesse est. Necesse est enim iniuriam inferre aut pati. Si infers, malus es, atque ideò, vt iam ostendimus, infelix. Si pateris, etiam infelix: nihil enim inter mortales casus iniuria durius est. Ergo quomodocumque sub tyranno vixeris, infeliciter viues. Illud præterea etiam grauius, quod tyranni sunt omnes tyrannorum ministri, tum morum similitudine, tum ob emptinem magistratuum. Quamobrem nihil durius, quàm sub tyrannis viuere. Optimè igitur agit, qui patriam sibi non sub tyranno, sed Rege, aut quod minus fallax, sub republica nouit eligere salubrem & in qua eruditio arsve tua & mores in pretio sint. Quid igitur optimum sit homini, iam dixi. Scire nempe patriam & locum, in quo habitet, eligere. Secundum est, eligere vxorem: tertium, artem & exercitationem: quartum, amicos. Qui hæc norit, aut felix aut etiam beatus erit. Beatum dico, omnibus felicitatis numeris absolutum.

Si igitur locum delegeris liberum, omnia tuta erunt: aliter inferre se collegiis vel societatibus oportet, aut Principi familiaritate iungi. Sed & hæc omnia non omnino tuta. In societatibus ac collegiis suspecta est inuidia: adeò vt, vnde fauorem exspectes, timenda sit iniuria. Principum amicitia à seruitute parum abest. Itaque ad libertatem, ad iustitiam rursus recurrendum est. Quòd si non idem sit locus salubris & in quo ars tua in existimatione sit, vel vbi Reges dominentur, primum puta esse Reipubl. statum, quod aduersus tyrannidē ab initio sint præsidia, & in processu temporis maiora & sæuiora immineant: post salubritatis cura habenda. Quid enim proficies, vbi semper ægrotaueris? Vltimum denique est, vt obserues lucri occasionem. At prauis tyrannica potentia aliquando arrisit ob morum similitudinem. Sed iam fac, quod sub republica benè instituta viuas, qualis Venetorum, quid tibi metuendum est? Cæterum patientia, industria, & corpus ad labores & incommoda firmius, priuilegia sunt paupertatis. Non quòd diuites non sint industrij & patientes ac firmi: nam duces exercituum nulli pauperi in hoc cedunt, vt nec Reges bello assueti: sed quia pauperes vsu & necessitate in his meliores euadunt. Ex industria & patientia, prudentia ac fortitudo oriuntur. Ex industria tamen prudentia, ex patientia fortitudo magis. Inde ex paupertate tandem militia, quæ omnibus his constat, mediis scilicet, industria & patientia, & ad media consequentibus, prudentia & fortitudine. Quòd Virgilium sensisse Seruius declarat exponens versus illos,

Sum patria ex Ithaca, comes infelicis Vlyssi.
Nomine Achemenides, Trojam genitore Adamasto
Paupere (mansissetque vtinam fortuna!) profectus.

His etiam causis & firma valetudo & eruditio comparantur. Sola enim necessitas hortari potest ad assiduum vsum studiorum & exercitationum: sine quibus bona valetudo & eruditio non comparantur, neque manent. Opes enim luxum pariunt: luxus tam animum, quam corpus eneruat. Si qui diuites eruditi emerserunt, cura atque diligentia parentum factum est. Itaque honestius necis genus Siculi tyranni inuenere, luxuriosam adolescentium educationem. Nam non videtur is pater ad desperationem compulisse filium, qui illi in omnibus obsecutus est. Sed præstiterat, dum puer esset, durius tractar, seuerius castigari: ita tamen, ne ille videat alios melius mitiusque haberi. Vnde ad hoc παιδοσοφία vtilissima. Tam est inutilis sibi aliisque & patriæ adolescens malè institutus, quàm qui mortuus iam. Quamobrem curare oportet, vt sint optimè instituti adolescentes. Paupertate igitur opus est, seu ad patriæ seu ad coniunctorum vtilitatem, pro instituendis pueris atque adolescentibus. Sic doctrina sapientiáque familiaria sunt paupertati.

Vt verò labor paupertati, ita non minus dura solicitudo diuitiis congenita videtur. Diuitiæ sine labore sunt, paupertas ἀμεριμνίᾳ fruitur & vacat solicitudine. Neque enim minor est labor, diuitias à fortunæ manu acceptas seruare, tueri, colligere, dispensare, quam de nouo pauperi parare. Et cum pauper acquisierit, longè faciliùs eas tractat, quam cui sorte obuenerunt: facilius etiam, quam acquisierit. Nemo verò diuitiis vti rectè nouit, aut illarum commoda perfectè percipere, nisi qui eas parauerit. Porrò diuitiarum duo genera sunt, hæreditarium & partum. Parantur duobus modis, iustè & iniustè. Quæ iustè parantur, inter bona Christiano & viro probo digna numerantur. Sunt autem talia, quæ malo alterius non parantur: velut & virtus, gloria, libertas, incolumitas, sapien

ſapientia, tranquillitas, amici, vxor, filij. Ex diuitiis ergo, quæ donis, mercatura ac laboribus acquiruntur ſeu induſtria, laudabiles ſunt, & inter bona repoſitæ. Quæ verò iactura aliorum, non ſunt optimo viro dignæ: velut nec vltio, nec victoria aut fraus. Quòd verò pluris ſit modus parandi diuitias ipſis diuitiis, declarat iudicium Ducum illorum, qui in direptione vrbium nihil ſibi ſeruarunt, vt Epaminondas, Scipio, aliique multi. Earum autem, quæ hæreditate habentur, vſus obtinuit, vt acquiſitio honeſta eſſe videatur, etiamſi forſan non ſit. Nunc in dubium hæc quæſtio reuocanda non eſt, poſtquam fœneratores, publicani, & id genus hominum, primum locum in republica obtinent. Sed non eſt noſtrum propoſitum hic de illis agere, aut aliquem laceſſere, nec quid honeſtum ſit aut turpe, iuſtum aut iniuſtum, decernere, ſed omnem ſermonem ad vtilitatem dirigere. Inter modos igitur honeſtos, quibus homo è paupere diues efficitur, eſt militaris ars atque prudentia. Nam etſi, quando fortuna votis non ſecundat, quando res malè cedit, vita & paruæ opes in diſcrimen adducuntur: vbi tamen afflauerit, bona non ſolum militum, ſed & ſubditorum pro præmio ſunt victoribus. Simile quid accidit in nauigatione & alea, quæ ſagittæ Philoctetis appellantur: iiſdem ſanamur ac reſurgimus. Io. Ambroſius Bizozora è meis pueris familiaribus vnus, cum in virum euaſiſſet è ſumma paupertate diues, è diuitiis miſer nauigatione factus eſt. Quæ enim celerem habent motum & incrementum magnum, reparandis opibus ſunt accommodata, velut, vt dixi, ars militaris, nauigatio, alea: at diuitibus fugienda. Fenus verò infame omnibus ex æquo conducit. Publicani etiam, & qui ad magna opera facienda conducuntur, ſub his continentur, qui facilè è diuitiis in pauperiem, & è contra permutantur.

Quòd ad gratiam Principum, Abarthonius ex hortulano Sidoniæ Rex factus eſt ab Alexandro Magno, & Seleucus, cum illi eſſet à pedibus, Aſiæ minoris & Syriæ. Iuſtinus Imperator è ſubulco bubulcus, inde lignario fabro operam locauit. Maximinus è lixa & calone Cæſar factus eſt. Alij plures è ſcribis, inter quos Mauritius. Noſtra ætate tot tantáque viſa ſunt, vt Sfortiæ Iacobi Attenduli caſus admiratione dignus non ſit. Fuit inter cæteros humilis fortunæ Iacobus Medices, ſolo virtutis ſplendore nulli arte militari ſecundus, peritia, fortuna, authoritate, potentia, opibus. Eſt Caſtrucij Caſtracanis nota omnibus hiſtoria. Sed in ſacerdotiis etiam maior & frequentior fortunæ mutatio. Qui panem quærebat oſtiatim, factus eſt Cardinalis, & nunc magno miraculo celebratur. Sic Io. Bellua & Gulielmus Briſſonetus è ſordido ſtatu & ipſi Cardinales euaſere. Pontifex, qui nunc eſt, frater fuit Iacobi Medices: & certè citra omnem adulationem Pontificum, Pontifex præſtantia & integritate dici poteſt. Quid mirum, cum fortuna neminem indignum reddere poſſit, quod iniquè ſuſtulit, liberaliter reddidiſſe: & in aliis dediſſe ea, quibus hi ne teruncio quidem aut meliores aut digniores euaſerint? Nihil eſt opibus mobilius, nihil incertius. Cum omnia amiſeris, plura interdum reddi & cum fœnere, vnde nunquam ſperaueris, contingit. Si honor, ſi incolumitas, ſi filij pereant, nunquam vulnus hoc ſine cicatrice obducitur. Si alij renaſcantur filij, non iidem ſunt, nec tam tempeſtatiuè, ſed ſerò fructum ab illi expectare cogeris. Nulla merx vilior opibus, nihil nobis ſine ſpe minus illis perit. Nullum exemplum apud hiſtoricos frequentius aut admirabilius, quàm eorum qui vel ex humili ſtatu diuitias magnas compararunt, aut amiſſas recuperarunt. Fortiſſimo igitur animo paupertatem ferre debemus, atque illi obuiam ire, nec infortunium aliquod minoris facere, ſed, ſi liceat, commutare. Quo animo ego filij ſalutem redemiſſem, niſi fata obſtitiſſent?

Sed iam vitæ meæ curſum exemplo quodam paupertatis multiplici atque illuſtri recitare decreui. Ea tamen ratione, vt quæ aliàs diffuſè narraui, breuiter pertranſeam: quæ alibi breuiter, hic diffuſius. Indulgeant mihi hac in parte Lectores, cum in acerbo iſto caſu filij hæc tanquam leuamen quoddam doloris ſcribam: neque enim aliud quidquam faciendo, quam cum hæc ſcribo, dolore adeò ingenti leuari poſſum. Hiſtoriam verò exordior miſerabilem, & quæ vel ipſi Syloſonti aut Neroni lacrymas excutere poſſit.

Natus ſum anno Salutis milleſimo quingenteſimo primo, quaſi inchoante nouo ſeculo, die vigeſimo tertio Septembris, quo Romani Indictionem inchoant. Papiæ verò, vt prius, quam naſcerer, exilium experirer, mater, vt abortiret, medicamentum abortiuum, dum in vtero eſſem, alieno mandato bibit: ſeruatus ſum tamen in tanta calamitate. Fratres mei, ſororeſque Thomas, Ambroſius, Catilina, tanquam nollent aduentum exſpectare, peſte abſumpti ſunt. Mater triduum laborauit in partu, capite prominente. Cum ipſa tam diuturnos ferre dolores amplius non poſſet, per vim ego fui extractus, vt matrem meo ſupplicio liberarem à morte. Mortuus extractus, nigris cum capillis prælongiſque, augurium fortunæ meæ mecum in hunc mundum tuli. Vini balneo, quo cæteri extingui ſolent, reuocatus ſum ad vitam. Paulò pòſt, nutricio diecula peſte abſumpto miſerante patre, à peſtilenti domo ereptus ſum opera Iſidori Peſtæ, patritij Ticinenſis, ſed non à peſte: ſtatim enim ea correptus in facie crucis ſigno. Cumque nec Petrus eſſem, nec Andreas, aut Iudas, vel Simon, Chriſti tamen crucem ferens ac in poſterum laturus, euaſi. Inde lac prægnantis hauſi, per varias nutrices lactatus ac iactatus, hydrope, febribus, aliiſque morbis conflictatus ſum, donec ſub fine octaui anni ex dyſenteria ac febre vſque ad mortis limina perueni, pulſaui oſtium, ſed non aperuere qui intrò erant. Antea verò variolas etiam rurſus ſub imagine crucis, prodigio claro, malo nullo pertuli: vnam namque in fronte, in mento alteram, tertiam in naſi apice, in ſingulis genis ſingulas, vt eſſent quinque velut & carbunculos peſtiferos, eiſdemque in locis. Ex hoc in paternâ, vt tunc rebar, ſeruitutem duram tranſij ad annum vſque decimum nonum. Anno nono

tegula

tegula vulneratus sum in capite, vt & ante morbum illum grauem, in fronte, malleolo è scala decidente, tam grauiter, vt adhuc cicatrix, credo, dehiscente osse appareat post quinquaginta annos.

Interim me pater docuit loquendo latinam linguam, & Arithmeticæ, Geometriæ atque Astrologiæ rudimenta. Sed & somno matutino indulgere permisit: nam & ipse ad tertiam diei horam decumbebat. Sed illud graue admodum mihi videbatur quòd quæcunque haberet, mutuo daret aliis: quorum pars, quod non essent soluendo, periit: pars, quòd Principibus data esset, maximis periculis & maioribus etiam laboribus & sine vsura vix potuit recuperari. Hæc nescio, an dictante dæmone illo, quem triginta octo annis obtinuit atque possedit, sed integrè ad annum vsque MCXI, atque ita viginti quinque. Rectè igitur, quod ad educationem attinet, vt postmodum successus declarauit, pater filium deduxit, cum acrioris essem ingenij. Huiusmodi enim pueris, non secus ac mulis frenum mandere, vtile est. Cæterum conuersatione sua haud aspernanda facetus, iucundus, miraculorum & fabularum recitator, multa de dæmonibus narrabat, quæ quàm vera essent nescio, certè ea historia & admirabilis & pulchrè conficta, mirum in modum me oblectabat. Quòd damnari in ipso potuit, id erat, quòd aluit pueros aliquot in spem hæreditatis, si obiissem. Quòd nihil aliud erat, quam me manifesto periculo & insidiis patrum illorum exponere, proposito præmio. Torquebant se mutuo ob hæc mater & pater, adeò vt separare habitationem decreuissent. Qua animi molestia perculsa mater per interualla etiam hysterico, vt existimo, affectu oppressa cecidit in ceruicem integra, collisitque occiput pauimento, quod è lateribus constabat, vixque post horas duas, nonnunquam tres rediit, & superuixit semper magno miraculo, tum maximè quod spumam ex ore ingentem vltima vice emiserat.

Interim simulato religionis ingressu, in phratriam, quam vocant mendicantium Franciscanorum, totam tragœdiam commutaui: in gymnasium enim me contuli, anno vicesimo primo inchoante. Ex quo desiderio absentis filij lenitus pater, & illi mater reconciliata est. Antea verò musicam didiceram, suppeditante pecunia matre clam ipso patre, & dialecticam ab ipso etiam patre. In qua adeò profeci, vt antequam in Academiam me transferrem, priuatim aliquos docerem adolescentes. Ergo in Academiam honesto cum viatico me transmisit, nec mihi vel verbo negotium vnquam exhibuit, clemens in me admodum, benignus & pius. Verum toto quo superuixit tempore (superuixit autem quatuor fermè annis,) mœstus semper vixit, vt declarauerit quantum me amaret. Quin etiam cum quodam fato, dum ægrotaret, in patriam reuersus essem, quod pestis sæuiret, quamuis supremam horam aduentasse præsentisceret, rogauit, imperauit, compulitque me omnino inuitum, vt periculo quam celerius possem, me subtraherem. Lacrymæ cooriuntur mihi, cum illius in me beneuolentiam mente reuoluo. Sed satisfaciam pater, quoad potero meritis tuis, pietatique tuæ. Et donec chartæ hæ legentur, nomen tuum ac virtus celebrabitur. Fuit enim incorruptus ad omnia munera, verèque sanctus. Ego tamen implicitus multis litibus remansi, nihil penè explicatum habens præter domunculam.

Stultè verò & id egi, quod Rector Gymnasij Patauini effectus sum tum, cum inops essem, & in patria maximè bella vigerent, & tributa intolerabilia. Matris tamen solicitudine effectum est, vt pondus impensarum, quamvis ægrè, sustinuerim. Dices enim, quid te ad hoc compulit? Ira certè & insania. Quod enim, vt anteà dixi, impotens essem ad venerem, adeò torquebar, vt vita mihi odio esset, tentabamque omnia, fatis ea volentibus, quasi remedium tanto malo inuenturus. Et certè euenit, vt hac causa inuenerim. Ergo cum redirem eo anno in patriam (fuit autem MDXXI,) pecuniarum exigendarum causa, nihil abfuit, quin in Benaco lacu tempestate submergerer. Anteà quoque pestem, dum annum agerem vicesimum, expertus & anthracem è regione iecoris super vltimam verarum costarum passus sum. Memini tamen, (ita mihi semper malis bona & bonis mala fuere coniuncta,) cum primum conualescerem ab eo morbo, me petiisse à patre, an dæmonem verè haberet? Qui, vt dixi, iam me amabat palam, fassusque est habere, sed non vinctum tunc: soluisse enim cum morbo illo graui premeretur, tumque desiuisse vera prædicere.

Vt ergo ad rem redeam, cum in patriam Patauio rediissem, omnia aduersa inueni, Collegium repellebat, Medici societatem meam renuebant, lites cum agnatis, cum potentibus. Itaque iterum ad explendum munus, quo fungebar reuersus, amicitiam contraxi cum Francisco Bonafide, Medico probo, qui me ad Saccense oppidum deduxit. Ibi duxi vxorem adolescentulam, quam per somnum videram & cum qua solutus sum eo vinculo. Anno MDXXXVIII. redij in patriam cum vxore, sine dote ducta, ob votum. Ea postmodum mihi peperit Ioan. Baptistam primogenitum, Claram & Aldum. Cum ergo inter extremas inopiæ difficultates versarer, ex Gallarate oppido Mediolanum, desperatis quasi rebus, redij. Alebam enim me, vxorem, matrem, amicam, nutricem, filiolum, seruum seu famulum, ancillam & mulam. Nunquam tamen felicior fui, si sperare futura potuissem. Nam & collegium ingressus, & filij superstites, & lites sedatæ, & ego diuturnam præter exspectationem vitam nactus, felicissimus ex tot incommodis inter mortales euaseram.

Quid ergo egerim dicam, vt sciat, qui pauper est & familia oneratus, se à paupertate explicare. Sũt autẽ pauperum genera quatuor. Primum, cũ iam premit paupertas, quod grauissimum est. Secundum, cum instat iam, nondum tamen premit. Tum nisi artem habeas quæ te alat, & filij crescunt & tu existimatione decidis. Tertium, cum in periculo omnia versantur, vel quia credideris debitori potenti, aut qui soluendo nõ est, aut naui ac ventis omnia. Quarum, cum casu aliquo præter

exspectationem omnia pareunt: vt furto, incendio, homicidio, quo ad fiscum omnia deuoluuntur. Priorum modorum discrimen haud obscurum est, quo inter se differant. At quartum à primo sic distinguitur, quod qui natiua paupertate premitur, nullius miseratione dignus videtur. Qui non est potentes amicos adeptus, non est quòd se iactet, aut nouis negotiis inserat, aut fidem pro vade exponat, aut tractationem præferat: quæ omnia illi sunt, cui casu aliquo res omnis periit. In tertio & quarto paupertatis ramo decet sapientem quemlibet ab alea, à fortunæ arbitrio, seu in fundo seu in peculio, tantum excipere, vt victum sibi saltem tenuiter seruet. Sic enim frugi rusticum, apum curatorem imitabitur, qui non vniuersum mel ex vase excipit, sed tantum apibus relinquit, quantum in sequentem hiemem (autumno enim auferre solent,) sufficere possit. Sed quomodocumque opes iam desint, vt nobis, qui non tam in primo genere, quàm in secũdo versabamur, duobus hic accincti telis occurremus, successione superfluarum impensarum, ne quidquam omnino inutiliter pereat, & lucri fomitibus. Sunt autem, vt dixi, lucri fomites, inuentio noua, in arte existimatio, blanditiæ, amicitiaque potentiorum, aut illorum, qui cum pluribus versantur, & quid commune cum tua arte habent: velut si Iurisconsultus sis, defensorum causarum, tabellariorum, magistratuum: si Medicus, Chirurgorum, tonsorum, obstetricum, pharmacopolarum, circulatorum, sycophantarum: si mercator, pannariorum, vestiariorum, sutorum, zonariorum, limbolariorum, textorum, fullonum, infectorum, prosenetarum ac similium: tum vadimonia & mutuum, atque alia huiusmodi. Nec segniter hic agere debes, ne te prius opprimat infortunium. Nam cadentem retinere facile est; qui iam ceciderit, eleuare longè difficilius. Itaque in his casibus hominem duobus contrariis motibus reluctari oportet pauperiei, causam retardando, & auxilia prompta contra illam conquirendo. In neutro hærere debes, imò velut in vocibus, tam quæ diu ac in longius producuntur, quàm quæ ocissimè mutantur suum tenorem seruare oportet: ita in auxiliis aduocandis & in resistendo his, quæ te absumunt, quamvis lente procedere in istis, in illis summa celeritate opus sit, eadem tamen vteris constantia ac firmitate, in nullo territus, in nullo titubans. Oportet verò primum maximam in singulis deligendi obseruationem habere. Ergo primum explicemus.

Vita igitur res magni pretij, vt gemmas & vestes sericeas tenuiores præcipuè, & quæ licet pretij magni non sint, breui tamen atteruntur vsu, vt lineas & molles telas atque delitias. Sit scopula vestis nouæ loco, & pro scopario seruo tu ipse te nitidiorẽ feceris. Etiam quæ non viuunt, vt gemmæ & vestes, opes minuunt quotidie etiamsi illis non vtaris, & ea diligentissimè serues. Quæ viuunt, singulis diebus te absumunt. Ex his quædam non solum dum viuunt, sed etiam moriendo rem perdunt: velut equi, simiæ, psittaci auesque canoræ ac loquaces, ingentis pretij. Itaque nihil horum habe, nisi sit ex vsu & necessarium, & tum etiam tenuis sumptus & impensæ, ac cum maxima cura atque custodia, atque ita, vt antequam pereant, commutes aut rusticis vendas. Nihil enim adeò inutile, quòd pretio careat, maximè si sub fide vendatur, ac mora solitudini interponatur. Diligenter verò caue, ne multos habeas familiares: paucos enim habere atque hos multiplici vsui accommodatos, satius est, non solum quòd pauciores sufficiant, sed quòd dum perpetuo occupantur, minimè graues sint, & tu promptioribus vti possis, adeò vt ab vno plura officia consequaris ob sedulitatem, quam à quatuor, dum desides vnus in alium mandata domini reiicit. Simili studio à conuiuiis, ab epulis exhibendis suscipiendisque hostibus abstinebis, ideòque domum angustam conducere expedit. Minorem enim impensam conducendo facies, & melius tua vasa ac ornamenta domus colliges, & aduenis spem hospitij præcides. Et vt in vestibus munditiem loco splendoris subiicere te docui: ita loco tabularum & statuarum archetyporumque nitorem, paucosque cyathos & toreumata in pluteis exhibebis. Sit vilis supellex, sed munda; exigua & pauca, sed accommodata & ornata.

Curabis verò rem non solum domesticam, sed etiam rusticam, memor vbique Catoniani illius præcepti, Oportere patrem familias esse multo magis vendacem quàm emacem: ideò potius desint necessaria, quam supersint. Quæ enim supersunt, atteruntur, amittuntur, mutuo dare oportet, atque ita sine fructu pereunt. Vtile est & illud Catonis præceptum: Duas, inquit, aut tres habeas familias, à quibus vtenda mutuo accipias, quibusque des: ita enim paucis tibi satisfacies. Ectyppos, vascula, librosque preciosiores existima diuitibus solis conuenire.

Nisi è literaria disciplina quæstum feceris, duos aut tres libros sufficiat habere pergameno velatos: vnus facta, gesta, vitamque religiosorum hominum contineat; alius, carmine lepido demulceat animum; tertius, vitam ciuilem doceat. Alios sumere commodato licebit, dum & illi tuos à te petent. Ciuilem institutionem tradent Plato aut Plotinus, aut, si altior tibi sit mens, Aristoteles vel Plutarchus aut Lucianus, quanquam hic aliquanto sordidior. Cauere oportet, ne in aliquem incidas, qui te dedoceat. Multi enim tales non solum de præceptis, sed etiam in sacra pagina circumferuntur. Melius est, vt decem præcepta salubria solum contineant, quam mille salubria quidem, sed simul duo aut tria perniciosa. Quamobrem non nisi prudentissimorum virorum in his duabus facultatibus, scilicet, vbi de religione ac moribus agitur, libros legere oportet, quanto minus in domo habere. Sed & cum iudicio documenta degustare debemus. Ob id Senecam ego libenter ac Lucianum ex hoc numero, nisi inuidiosè fecisse viderer, expungerem. Quanto magis multos alios materna lingua scriptos, in quibus sanctis veterum præceptis sua venena aut ineptias plurimi miscuerunt. Altius enim & ab initio deducenda sunt omnia, si salubrem doctrinam contexere velis. Cum ergo illi, quis sit au quotuplex finis humanarum rerum, nesciant, nec diuidere ad minima sciant, quæ necessaria sunt ad benè beatéque viuendum, pluri

plurima consarcinant vtilia, inutilia, recta, non recta, pia impiáque simul, non necessaria valde necessariis miscentes, nec distinguentes inter ea, quæ honesta sunt & quæ turpia. At in aliis disciplinis non idem est periculum, sed qualescumque libros legisse iuuat. Verum hæ duæ, vt dixi, cum omnium difficilimæ sint, in nullis tamen plures libros comperias. Plerique enim existimant hæc, quæ ob difficultatem maximam à se non percipiuntur, esse fortuita, & nulla arte contineri: quæ autem mediocriter sunt difficilia, ab his, difficultate deprehesa, abstinent.

Ergo, vt ad propositum redeam, multis ab impensis non necessariis abstinens, per totum annum cumulum quemdam coaceruabis tanto vtiliorem, quanto tempestiuius collectum. Nam ex multis annis vsura sorti iuncta aceruum non exiguum comparabis, nulla iniuria alicuius, vel fœnore vel flagitio. Appello autem vsuram legibus permissam: velut perpetuas locationes, mercaturam socialem, cultum agrorum, quos conduxeris. Simili ratione in diurno victu multa contrahes & ad pauca reduces. Quod præceptum non solum ad incrementum opum facit, sed ad bonam valetudinem, ad morum temperantiam, ad studia literarum, ad tranquillitatem vitæ, ad institutionem liberorum. Vides, quanta bona ex vna hac admonitione oriantur? Animus in crapula agitatus, inter vina fluctuans, nec conquiescit, nec quidquam bonum sapit: hinc ad veneris illecebras rapitur, illinc in iram prorumpit: semper otio corrumpitur, desidiam amat, fugit labores, admonitionibus non acquiescit, odit studia ac disciplinas omnes, sui impotens nec semetipsum nec corpus inualidum regit.

Iuuenibus ergo triticeus panis leuis ac mundus, qualem nostri vocant Teutonicum, & sal & aqua ex cisterna vel salubri fonte collecta sufficere possunt in prandio. Sed, si libet aliquid iniungere gratius, sint pro ientaculo, Persico more, nasturtium aut dracontium, aut surculi germináque fœniculi, radices syluestris scolymi, quibus ego maximè vti soleo; aut claua cardui, quæ suauis admodum est & in delitiis haberi solet; item candidi strobili, vel encephali surculi, Siciliæ tamen potiùs quàm Italiæ peculiares; & mentha & apij ea species, quam Alexandrinam vocant, quæ hieme viret cum cæteræ herbæ, quæ odore sunt iucundo & paulum acres, etiamsi amaræ sint. Sunt qui diligant absinthium, rutam, saluiam, melissam; quæ vt sunt salutares, ita minus iucundæ gustu, quod nutrimenti nihil fermè exhibeant. Lactucam etiam non vitupero, eiusue radicem: neque etiam decocta, inter quæ sunt asparagi, crispati & candidi caules, res noua & Genuæ (delitiarum Italiæ matre) nuper inuenta, florem caulinum vocant, admodum gustu iucunda & suauis. Mihi grata est & renibus, iecori, vesicæ salutaris medulla radicis grandioris lapathi, vt & surculi: quin etiam maluæ asparagorum modo paratæ. Ex fructibus etiam fabæ recentes, pisa & lentes conueniunt, sed cocta hæc: castaneæ, nuces, sed optimè auellanæ, & meliores his amygdalæ, arantia, citria, vuæ passæ, pineæ, pistacia & punica mala. Sed hæc quinque maximè conducunt etiam senibus. Verùm senibus consulo, vt modo mel aut saccharum mollioribus addant, vt lactucis & caulibus ac maluæ surculis: à maioribus atque acrioribus oleum affatim. Dictum est autem de his in libris de tuenda sanitate. Oliuas etiam pingues carne succóque, non omittemus. Vesperi lac vel caseum recentem, vel carnes senex edat. Iuueni quoque vnum horum, aut in crate assatus piscis conuenit. Senex sine melle non comedat illum, vt nec oua piscium in membrana sua inuoluta sine pluri oleo. Zingiber quoque contritum subtiliter, & piper haud contritum, senibus ex vsu maximè sunt. Non omittam nostrum allium, cepas, porra, quæ & per se cum eduliis apparandis seni congruunt: quæ cruda etiam & libentius quàm cocta edere soleo. Piperitis in eodem vsu est, nec oris halitum vitiat. Vini fului modicum aquæ mixtum conuenit seni, tum etiam his, qui adoleuerint, si imbecilli ventriculo sint, ne Apostolo videamur asperiores, qui illum discipulo suo suasit.

Hæc cupediæ, Turcarum & occidentalium Regum lauta conuiuia superant, quandoquidem concinnantur famè atque exercitatione. Adde quod in tam frugali victu id commodi accedit, quod, cum ad opiparas aliquas cœnas vocaris, aut aliquid tibi ex amicorum vel clientum liberalitate accesserit, tum suauitatem quandam indicibilem experiri videris. Itaque hæc vita beata longè melior est quàm diuitum, quibus redundantia nihil parit præter exitium: quod si in inopiam decidant, conditio eorum redditur miserabilis.

Verùm cum his rationibus adhuc impensæ graui non sufficerem, nec liceret aut matrem aut materteram excludere citra pietatis offensam, nec aliorum quemquam non læsa existimatione, (Volo autem nostrum hunc pauperem nec Cynicum esse & impudentem, nec Diagoreum aut impium, sed optimum pariter atque etiam tantumdem prudentem) aliam viam excogitaui. Vt enim, qui per sentes ac dumos iter facturus est, cogitur aliquarum spinarum aculeos sentire, egregiè autem secum actum existimat, si citra magnum incommodum ex tot difficultatibus euaserit: ita & hi, qui in maximis difficultatibus constituti sunt, satis esse sibi ducunt, magnos illos aduersæ fortunæ impetus eludere. Gallaratum itaque, procul ab vrbe viginti quatuor millibus passuum, me contuli. Nam in vrbe nec collegium recipere volebat, nec cum aliquo ex illis artem exercere licebat, & sine illis difficillimum erat. Oppidum verò illud, ab arce, ex qua oriundus sum & Cardanum vocatur, milliario distat. Sunt qui putent nos esse familia Castillioneos. Ita enim templi magni habet prothema: Castillionei ex Castilliono & Castillionei ex Cardano, qui nunc Cardani dicuntur. Attamen quia & quoddam genus Castillioneorum Cardani habitabat, ex quorum numero fuit Branda, cuius filium Guidum cum filiis nos cognouimus & iam annis quadringentis supra quinquaginta Milo Cardanus Pontificatum vrbis nostræ, atque cum Pontificatu prouinciæ imperium

perium adeptus esset, regnaritque in ea annis penè octo, successeritque Vberto Cribello Mediolani Pontifici, qui postmodum euasit in maximum Pontificem Vrbanum eius nominis Tertium: tum verò ne etiam Milo Cardanus non Castillioneus diceretur, inter tam densas vetustatis tenebras quid dicam non habeo, præsertim cum in eodem templi prothemate nulla alia familia Cardanorum inueniatur. Et tamen nobilem eam, qualiscumque sit, seu Castillioneorum ramus, seu familia seorsum, esse constat: & tum, cum prothema conditum est, sacerdotem ex eadem familia eodem loco fuisse, quo nunc est Iacobus Cardanus patruelis nostri filius. Ergo eo consilio me illuc contuli, vt quatuor commodis fruerer. Primò, vt in saluberrimo aëre conualescerem prorsus ex tabe illa quam Mediolani conceperam. Secundò, vt aliquid ibi lucrarer, cum libera esset medendi facultas. Tertiò, vt ne Medicos alios, à quibus iniuriam pati me existimabam atque existimatione spoliari, florentes autoritate ac lucro videndo contabescerem. Vltimo demùm, vt frugaliorem vitam ducendo in longiùs sufficerem. Nam ruri omnia viliori venduntur, quandoquidem ex rure soleant in vrbem comportari, pleráque gratuitò habentur. His rationibus eò me contuleram, quæ non ex toto me fefellerunt: namque plenè sanitati restitutus sum, auctúsque eo filiolo, quem nuper mihi eripuit Senatus. Verùm præter spem pauperior factus in patriam redij, auxilióque Philippi Archinti, qui postmodem Pontifex vrbis creatus est, viri virtute insignis, conditionem tolerabilem, si non locupletem, tum medendi, tum profitendi adeptus sum. Diximus autem de his in libris de Consolatione, tum aliis. Satis est interim me multa excogitasse ad augendam artem, noua, pulchra, artificiosa.

Scribendo etiam ansam lucri alterius arripui. Cui si soli intendissem, poterat lucrum ad octo millia sextertium in quatuor vel quinque postremis annis edendo accedere. Sed hoc toto tempore caui, ne quidquam flagitiosum, turpe, sordidum, humileve admitterem, aut in valetudinis iacturam, aut iracundè. Paupertatem æquo animo ferebam, mendicitatem exuere sufficiebat. Nemo duriorem fortunam diutiùs aut moderatius tulit. Nam per quadraginta & sex annos, si etiam tredecim illos, quibus à patria abfui, excipio, sine cessatione me afflixit, in infantia morbis, in pueritia seruitute, reliquo toto vitæ tempore summa paupertate, atque insuper iuuenis filij supplicio tanquam insigni aliqua coronide: neque enim aliud exspectandum tam inclyto certamine. Nec enim (tam dira fuit vitæ meæ conditio) paupertatem inter infelicitatis causas numero. Seriò enim tibi dico, exilium & paupertatem non esse mala prorsus, si quis gnarus sit & prudens. Inter mala connumerabo morbos, contemptum, iniuriam, carceres, dolores, mœcham vxorem, nepotem filium, atque huiusmodi. Paupertas & exilium, licèt Cicero grauiter talia tulerit, non sunt mala, nisi vel aliis malis iungantur, vel quis sit ignauus aut imp rudens, vel ex diuitiis in paupertatem deciderit. Cæterùm septem illi anni, quibus Papiæ iam profiteor, inter calamitosos à me numerantur, quod hunc excepit casus ille atrocissimus. Viginti quatuor enim annis extra patriam vixi. Quatuor primis dum essem infantulus, Moiraghi nutritus, quibus fui infelicissimus, quatenus ætatis ratio patitur. Sex annis aliis, quibus Papiæ & Patauij studui, quos inter felices recenseo, cum sex illis, quibus in Saccensi oppido Medicam artem exercui, quamuis pauperrimus: annum quoque illum connumero, quo in Scotiam profectus sum.

Sed ad rem redeo, nulla inuentionis in arte occasio vnquam deesse potest, quandoquidem omnium artium præcepta numero sint penè infinita. Et ratio temporum & locorum alia atque alia nobis vsibus requirat: pleráque etiam postulet obsoleta reuocari in lucem. Adeò vt nunquam defutura sit tibi ratio instituendi noua auxilia, atque hæc inuentio nunquam inutilis esse potest. Quæ verò extra artem minus habent existimationis apud homines, minus decora, lucrosa aut secura sunt. Quamobrem consulo vt ab huiusmodi abstineas, postquam certa & honestiora non desunt. Versatur ergo ratio expugnandi paupertatem circa quatuor. Circa abstinentiam scilicet tum in victu, tum & in aliis impensis: tertio circa lucra, quorum causæ sunt existimatio & amicitia, de quibus suo loco dicemus: atque vltimo circa temporis diligentem curam. Tempus autem est omnia, quoniam omnia in illo fiunt.

Vtile igitur considerare, An Musicæ operam dare expediat? Videtur autem expedire. Nam & Plato & Arist. in ea iubent pueros institui. Ratio quoque id suadet. Nam cum non liceat perpetuò incumbere laboribus, interponere otium necesse est. Otium autem inane & vacuum beatam vitam efficere non potest, quod beata vita in operatione consistat. Necesse est igitur in otio atque per otium vti aliquo exercitationis genere, tametsi neque vti & multo minus necessario, dummodo honesto ac liberali, quale est musicæ studium. Deinde etiam ob id, quod musica & delectet, vt iocus & ad disciplinam, & ad vitæ institutionem vtilis sit. Præterea cum delectationem absque detrimento afferat, omnibus vtilis erit ac præcipuè pueris. Atque in eius laudem quædam in octauo de Republica scripsit, quæ cum admiratione digna sint, & ad præsentem tractationem pertineant, adiicere decreui. Inquit enim: Atque nos ab ea affici ex Olympicis cantibus perspicere licet, qui sine controuersia mentes permouent, & instinctu quodam diuino afflant. Mentis autem permotio & instinctus diuinus, quædam est morum in animo affectio. Iam qui simulacrum & speciem musicæ audiunt, vna afficiuntur animis, etiam sublatis numeris ipsis atque cantibus. Omnium autem rerum, exceptis veris naturis, nulla verius, quàm numerus & cantus, iræ, clementiæ, fortitudinis, temperantiæ, omniúmque, quæ his contraria sunt, aliorúmque ad mores pertinentium similitudines imaginésque exprimit. Idque res ipsa indicat. Mouemur enim animis cum hæc audimus. Etenim in quibusdam grauiore ani-

mo & contractiore, vt in eo, qui mixtus est est ex Lydio: in aliis molliore & remissiore animo, vt in remissis: moderato & contento maximè in alio, quo in genere is solùm est concentus, qui Dorius dicitur. Phrygius autem ad permouendam mentem valet. Verùm quia obiiciebatur, quod musica sordidos homines & segnes efficeret, delectum non solum in instrumentis, sed etiam in numeris habendum censet: ita vt tibia primum & pectines ac barbiti, heptagona & trigona, & sambucæ, & quicumque manuum officium desiderant, explodantur. Archytæ enim solùm canorum ac honestum probat. Verùm in cantuum varietate tantum ponit virium, vt hæc etiam adiecerit. Sed in tradenda arte iis vtendum est, quæ moratæ sunt maximè, vt Dorius est concentus. Cum autem alij manibus artis opus exequentes audiuntur, iis agendum, quæ ad permouendas mentes valent. Quæ enim permotio mentis in quosdam animos vehementer irrepit, ea inest in omnibus. Differunt autem paruitate & magnitudine, vt misericordia & metus, & animi mentisque permotio. A quo motu nonnulli probi efficiuntur, quos etiam videmus, cum vtuntur cantibus animum ad sacrorum cultum expiantibus, confirmari non aliter, quàm si medicina vsi essent & purgatione. Quod necesse est vsu venire his, qui misericordia, qui metu, qui denique cæteris animi perturbationibus facilè commouentur. Aliis autem quantum ad quemque hæc ipsa spectant, omnibúsque necesse est quamdam quasi purgationem contingere, eósque leuari cum voluptate. Itaque his talibus harmoniis, cantibusque eius generis spectandi sunt hi certatores, qui theatralem musicam sequuntur. De Dorica autem inter omnes constat, eam rem stabilem maximè virilésque motus & animos inprimis continere. Dithyrambum referunt ad Phrygiam harmoniam pertinere. Est autem dithyrambus carmen non numero temporum, sed syllabarum sono dulcis, vt apud Pindarum. At verò pueris Dorius ob id conuenit, vt senibus Phrygius, qui animos emollit & remittit, in suauitatem ac sonum reducens: vt Lydius, qui temperat, iuuenibus, non ad prælium concitatis, aptus.

Quod si quis spectet operosam hanc nostram canendi harmoniam, quæ pluribus simul inuicem canentibus fit, cum neque per otium fieri possit, tot indigens sociis, tamque dissolutis moribus, certè inutilem eam cuicumque statuemus. Vnde nostra ætate neminem fermè musicum inuenias, qui non omni redundat vitiorum genere. Itaque huiusmodi musicam maximo impedimento non solùm pauperi & negotioso viro est, sed etiam omnibus generaliter. Quinetiam virorum egregiorum nostræ ætatis neminem musicum agnouimus, Erasmum, Alciatum, Budæum, Iasonem, Vesalium, Gesnerum. At verò quòd domum euerterit meam, si dicam, vera fatebor meo more. Nam & pecuniæ non leuem iacturam feci, & quod maius est, filiorum mores corrupi. Difficile est congregare quatuor aut etiam quinque, qui promptè canant. Cùm sæpè id fieri curemus, quomodo per otium id fiet. Si in domo habuerimus magnis sumptibus alendi erunt, & adolescentium aut puerorum filiorum ingenia corrumpent. Sunt enim plerique ebrij, gulosi, procaces, inconstantes, impatientes, stolidi, inertes, omnísque libidinis genere coinquinati. Optimi quique inter illos stulti sunt.

Ergone explodenda musica à domo est, & à filiorum institutione? nequaquam. Sed cum musica tribus constet, voce, numero, & cognitione, quæ per sensum habetur: cognitio omnibus vtilis erit, tum vt vires artis intelligas, tum vt, si contingat audire canentes, non sis expers voluptatis, tum denique ea possis vti: quomodo autem, posterius dicam. Ergo numerum etiam tenere ob poëticam vtile est, atque ob delectationem scientiamque rei, ac vsum eiusdem. Vox verò eatenus est exercenda, vt instrumentis sociari possit non vt plures simul canant. Instrumenta huiusmodi sunt chelys aut lyra, vel quod vocatur Organum, seu canaliculis & & fistulis constet, seu etiam fidibus. Hæc enim instrumenta satis perfecta sunt, & vnum solum desiderant hominem: atque ideò licebit per otium solum se exercere ac voluptatem capere. Ita genus hoc musicæ tribus illis commodis, quæ Aristoteles proposuit, satisfaciet, scilicet ad mores & affectus & actiones confirmandas aut mutandas. Eisdem etiam conuenient modi illi iuxta ætates, tum etiam mores puerorum & adolescentium ac institutum vitæ.

Sed & plenam musicam diues perdiscere poterit, & societatem constituere ex delectis hominibus, quod quamquam arduum sit, peragi tamen potest. Sed neque pauperibus, nec pueris aut adolescentibus, nec his, qui in domo filios instituere volunt, vtilis est musica socialis, verùm scientia ipsa potius quàm vsus, atque perfectorum instrumentorum. Nullius tamen ex eo genere, quo buccæ inflantur, vsum vsque adeò atque cornuum inter reliqua magis detestor: quod neque honestus sit nec decens, nec cerebro aut pulmoni aut ventriculo vtilis & ramicosos reddat. Aristoteles verò cum etiam horum instrumentorum, quæ nos laudauimus, vsum non probet, publicam respexit vtilitatem, nos commoda singulorum. Et forsan quod longiori tempore indiguit musica suæ ætatis, vtpote quæ in triplici genere Diatonico, Enharmonico & Chromatico versaretur, quàm nostra, quæ Diatonicum solum complexa est, nec hoc etiam absolutum.

Iam verò occurrat forsan aliquis, hæc mihi obiiciens, quod cum plures artes nouerim lucrosas, facile fuerit euadere incommoda paupertatis, atque illam contemnere. Sed quid faber, quid fullo aget, aut nobilis pauper, nullius artis gnarus, aut omnino imperitus? Hoc volumus, hoc doce, quæ scribis omnibus fermè nota sunt. Quam multi sunt ex idiotis, qui minoribus opibus, sine tot præceptis, breuiori temporis spatio, & longè faciliùs ad multo maiores opes transierunt? Quæ dicis, trita: quæ ostentas, exigua: quæ doces, vulgaria sunt. Sed audi, fateor nil esse in his admiratione dignum, nisi quod iustè acquirere decreui: nec opes, sed nomen quantulumcúmque mihi pro scopo fuere. At opes

satius

satius fuissent? Sapientes nimis essemus ac fortunati, si ita, quemadmodum præterita cognoscimus, futuris prospiceremus. Homo sum, multis implicitus negotiis, à cura rerum propriarum vsque in præsentem diem minimè semotus. Publicæ vtilitati & gloriæ studeres? Fata obstabant, non existimans tantum esse in hominibus improbitatis, tantum in filio amentiæ, tam aduersos me habere deos; victus sum, succubui, fateor.

Sed videris vitæ tuæ cursum magis prosecutus, quàm propositum argumentum. Fateor: de me ipso exempla retuli, quod facile non sit hominem tamdiu pauperem inuenire, tantisque cum sumptibus necessariis, qui adeò paupertatem ipsam perpetuò pertulerit, cum plerique vel in vincula coniecti, vel solum vertere, vel turpiter mendicare, vel filios non erudire, aut filias in domo detinere, non habentes quod pro dote dent, vel à studiis literarum vacare, vel necessariis carere, aut per vrbem lucri captandi causa matutino discurrere, vel pacisci cum pharmacopolis atque tonsoribus pro ægris habendis, aut his, quos habebant, illorum more seruiliter addici, aut xenodochia, aut sacras virgines phratriasque pauperes curare, aut quædam minus honesta facere, aut flagitiosè aliquid committere, aut ob inopiam & labores ægrotare, aut sordidi & pannosi per vrbem vel sine asturcone cursitare, aut saltem à scribendi munere cessare, vel sumptus familiæque amplæ numerum imminuere coacti sint. Quorum cum nihil mihi prorsus contigerit, etiam magnis ac damnosis filiorum erroribus, de quibus iam egi, cum tot aduersis, cum tot æmulorum conspirationibus, inter bella perpetua, cum summa annonæ caritate, sine reditibus vllis tritici aut vini, certè non vt proprium, sed vt rarum exemplum proposui. Nec enim credo tam diuturnæ calamitatis sine vllo prorsus incommodo vllum aliud exemplum inueniri. Sola namque patientia, virtute, moderatione, industria, contra tot impedimenta non solùm euasi, sed iam felicitatis ramum, verum heu! fragilem atque caducum apprehendi. Vbi contra multi quidem longè me ditiores, & paucioribus cum incommodis, suffulti etiam affinibus atque agnatis cognatisque, plura ex his, quæ proposui, quin admitterent, effugere non potuerint. Vidi Iurisconsultum è primariis ob alienum æs, contra leges duci in carceres. Quot Medici aufugerunt in oppida vrbi circum vicina? Alius obsidebat tabernam pharmacopæorum, alius cum tonsoribus & obstetricibus de lucri portione, aut saltem de mutua ægrorum transmutatione paciscebatur: omnes per vrbem satis tempestiuè discurrebant. Numera præterea honores, dignitates splendidas, occasiones, quas habui, videbis quod nulla ex parte comparari in his, quæ mihi oblata sunt, quisquam alius mihi ex arte queat: in receptis autem à nemine superer.

Quam ob causam pertinax occasio, inimica credo virtuti meæ, quo maiore me potuit incommodo afflixit, vt medio vinculo tantæ felicitatis abrupto dissoluere adeò compactam tanta diligentia & prudentia sedulitateque ac virtute coagmentationem. Nam si me peremisset, quid egisset? Annon felix mortuus fuissem? Annon pro me virtus contra illam gloriari poterat, alumnum suum vicisse fortunam? Quid si filiam sustulisset? Nihil prorsus actum erat: non lucrum, non nomen familiæ imminutum, non spes propagationis sublata. Quid si filium natu minorem? Nihil etiam, quamquam ille ingeniosior: vno enim in anno duos tales nepotes reparare poteram. De lucro, de existimatione, de vinculis cum ciuitate, cum collegio nihil periisset. Fac vt omnia amisissem bona! O res apud me consueta, nihil habere, nihil possidere! Sed timuit ne gloriosiorem tanto me spectaculo efficeret. Sciebat, quàm spernerem omnia illius bona. Fac vt morbo aliquo perenni me implicuisset. Timuit, ne maiore adhuc admiratione apud homines tanquam Deus colerer. Nam in filiis sospitibus, in nepotibus numerosis, qui successissent, in linguæ meæ artibus, in libris conscriptis, in gloria iam ex illis parta, in sedulitate filiorum, ingentem lætitiam cum fiducia ostendissem. Quid verò hoc aliud fuisset, quàm fecisse id, quod fabri, qui flammæ parum surgenti, aquæ modicum inspergunt, vt illam excitent, ac longè validiorem splẽdidiorémque exsurgere cogant? Ergo hæc omnia nihil erant: manebant tamen amicitia Principum, Senatus amor, procerum in me studia, & apud populum existimatio, nullæ inimicitiæ, nulla priuata aut publica iniuria; seu solùm spes sobolis amplioris, bináque millia coronatorum, quæ in illum pro educatione impendi, amisissem. At nunc effracto, vt dixi, medio vinculo, præter spem sobolis & pecuniam, periit amicitia Principum, Senatus in me auersa voluntas, Procerum consuetudo & in me fides dilapsa, tum populi existimatio: inimicitiæ insuper plures mihi creatæ nunquam finem habituræ. Et quales quidem? cum his, quos, etiamsi amici sint, ferre non possis. Qua verò ætate, & à quo perferendæ? A senescente iam à medico, togato, studiis addicto, & insueto huiusmodi certaminibus, ac maximè, cum illud Nasonis pulchrè mihi conueniat, dicereque possim.

Tres sumus imbelles numero, sine viribus alter
Filius, ipse senex; paruulus atque nepos.

Vides ergo conuulsam domum funditùs. Id præterea à fortuna videtur excogitatum, ne magnitudine doloris, quod videbatur facile fieri posse, non interirem aut insanirem: quandoquidem Baptista tonsor Mediolani solo metu, ne filius pœna capitali plecteretur, & insaniuit primùm & inde periit, cum etiam essent illi filij plures quàm vellet, inter quos tres aut quatuor iuuenes. Vnde apparet sanctæ Philosophiæ potentia. Sed iam ad propositum reuertamur.

Fingamus verò me ipsum fuisse lignarium fabrum. Non adeò certè ad lucra tam magna, ad honores via tam ampla patuisset. Sed nec mula, seruo, tótque togis ac sericeis opus mihi fuisset: nec vxorem indotatam ex voto coactus fuissem accipere. Iam ergo hæc omnia excipias, & cogita tunc (quod, vt dixi, nunc non fuit,) omne studium, diligentiam, laborémque ad opes parandas, non ad conscribendum

bendum libros, aut gloriam acquirendam me directurum fuisse. Sed dices, à voti persolutione abstinere potuisti? Non. Nam etiam Galenus, quamquam non Deum verum, sed vana idola & heroas coleret, & animam nostram mortalem existimaret, tamen votum Æsculapio nuncupatum tametsi celeberrimus medicus propter salutem adeptam persoluit. Insani enim atque impij prorsus hominis est, cum naturali auxilio & artis solertia euadere à calamitate non possis, Deo vota non facere. Maius verò impietatis argumentum atque ingrati animi, cum voueris & acceperis, Deo non persoluere, pro quo hominibus ex lege teneris. Quidquid enim mentis, quidquid consilij nobis inest, id per singula momenta nisi à Deo tibi impartiri intelligas, stultus es. Quamobrem & finem haud iucundum exspectare te decet. Multa enim in stulti vita incommoda euenire necesse est, & miserum finem subsequi.

Rursus ergo ad lignarij fabri historiam redeamus, facque vt inops fuissem ab initio. Multa noua in arte excogitassem, vnique illi industriæ tum similium incubuissem, tabulas construxissem variis ex lignis quasi depictas, mensas ductiles, arcas cum abditis loculis, tessellati operis, scrinia, tincturas floridas lignorum perpetuas stabilésque inuenissem. Quid dicam de dolabra tabulis ad summam tenuitatem, ad summam politiem deducendis? quid de structura musica? amusseata libenter dixerim cum Philandro. Quid de sculptura ornamentorum & musicorum instrumentorum? Alibi de huiusmodi actum est. Non piget tamen adiecisse, organi maioris templi Mediolanensis limbum tribus talentis aureis amplius magnis seu HS. DCCC. venisse, cuius materiam ne tribus quidem aureis coronatis aut sestertio emas. Ita nemini deest parandi opes occasio, modò arripere eam nouerit. Torno lecti fabricantur è nucis vel buxi ligno ingentis pretij. Nunquam deest quod agas, modo scias quid agas. At deest pecunia? Mutuo accipe & redde bona fide sortem cum fœnore. Ita indies augebis & rem & fidem. Qui enim mutuum dat, lucrum facit & amici officio fungitur: nec fœnus est, cum certum non est lucrum: ideò multi hac occasione delectantur, eamque libenter arripiunt.

Obiicies forsan, si tam facile est cuique ditari, etiam lignario fabro, cur non omnes ditantur? Quoniam non omnes assiduè laboribus intendere volunt, non omnes diligentiam adhibere, non omnes industria ingenióque valent, multi aliena opera spectare dedignantur. Sed & horum, qui insignes habentur artifices, quidem quæ lucrantur abliguriunt, profundunt in conuiuia, in ambitiosos sumptus, in meretrices. Cum summa diligentia annitendum sit, vt lucella, quæ ab initio parantur, quantumuis minima colligas. Vt enim tenellæ arbores per initia facilè dissipantur, nec nemus adolescit: ita si non ab initio exigua illa lucra curaueris, longè serius, quàm hac causa fieri posse credas, ad diuitias peruenies. Dicebat sapientissimus ille Philosophus, Paruus error in principio, maximus in fine est.

Similiter & in aliena tractanda pecunia maximam adhibere diligentiam oportet, ne vel nimium pollicendo lucri nec dando, fidem euertas; vel dando absumas quod industria comparasti; vel nihil aut valde parum pollicendo, ille mutuum dare nolit. Laborat enim pauper in mutuum inueniendo, &, vt dici solet, habenti dabitur, & à non habente auferetur quod habet: ita plures plura exigunt à pauperibus quàm diuitibus, cum tamen res hæc contrario modo habere se deberet. Similiter caueas, ne iactabundus illum spes impleas, aut admoneas totius lucri atque solius sumptus, vt sic plus vsuræ requirat, aut non dando exprimat: aut ne cum malo viro & improbo tibi res sit, qui quàm primùm videat te exsurgere, ob inuidiam & auaritiam & ne illo non indigeas, postulet maximam lucri partem, imò ferè totum ipsum lucrum. Semper verò, vt dixi, per initia cura maxima habenda est lucri, quantumuis exigui. Nam si lucreris sestertios XXV. solùm, inde liceat superlucrari sestertios LXXV. differentia quidem erit HS.L. at cum ex HS. XXV. post decem annos perueneris ad censum XXMHS. erunt ex LXXVHS. LXM. differentia HS.XLM. seu aurei coronati penè mille. Quantum verò intersit fabro lignario habere in censu aureos coronatos MD. aut D. solum, vt cuius vsura cum industria tertiam partem soleat superare totius sortis, facilè intelligis. Nam si D. habueris, propter sumptus quotidianos nunquam tota vita ditaberis: si MD. decem aliis in annis habebis VM. aut VIM. quibus amplam familiam honestè alere poteris. Ergo non solùm in dando mutuum, cui des, videre & antiquum illud præceptum obseruare oportet, sed multo magis in accipiendo. At verò quia mutuum accipere, reddere, emere, fabricare, omnia cum iactura fiunt, mutuum dare etiam cum periculo, sola autem venditio lucrosa est: maxima diligentia in vendendo opus est, ne vitium aliquod committas, si enim contentiosus, obstinatus, iracundus, superbus, tristis, dolosusue sis, abiges emptores, non allicies. Eris ergo non effusus, sed blandus; non periurus, sed in dicendo suasor egregius, comis, facetus, patiens. Memineris interim te pro rebus verba vendere.

Sed iam fabrum hunc vna, nec ampliùs pagina ditauimus, modo generalium, vt dixi, præceptorum meminerit, scilicet eorum qui vænales efficiunt merces. Sæpe etiam amandare aliquos in alias regiones, cum in tua non fuerint in pretio vel emptores defuerint, cumque mercibus vel mercatoribus generalem quamdam venditionem facere vtile fuit. Licet & commutare, vbi pecuniæ aliquando desint. Nam mercium plura genera celeriùs ac faciliùs distribuuntur, quàm vnum solum.

Offerat ergo iterum se patritius, nullius artis peritus & pauper, qui vitam ducere velit, imò, si fieri possit, ditari etiam cupiat, quid agendum? Multa, sunt quæ mihi occurrunt in huiusmodi casibus, auxilia, agros, fabricationes, vectigalia conducere, parua impensa magis reditibus. Trapezitarum numerare pecunias, aut xenodo-

chiorum,

chiorum, in quibus præter ſtipendium ex pecuniarum permutatione, ex donis, ex numeratione ante tempus lucra non exigua colligere licet. Licet etiam magnorum mercatorum tractare negotia, nobilium exigere reditus, à principibus gratuitas impetrare penſiones, diſpenſatoris aut eius, qui eſt à ſecretis aut à libellis, officio munereque fungi, nuncium agere, cubicularium eſſe, præeſſe equis, familiæ, coquinæ. Omnia hæc egregiè alere poſſunt homines &, ſi diligenter & induſtriosè adminiſtrentur & apud liberalem dominum, etiam illos ditare. Sunt qui aucupio, qui canibus præſunt, aut cæremoniis. Licet etiam publicos minoris autoritatis magiſtratus habere atque exercere: præeſſe annonæ, reparandis publicis viis: præeſſe lictoribus aut carceribus. Licet cauſas tueri. Hæc enim ars ſex diebus diſcitur, & alienis ſumptibus atque iactura. Iam ergo vides vbi nullum exitum ſperabas, innumeros atque opportunos ſeſe quaſi ſponte offerre. Verùm vnius ſingularis exempli atque artificioſi meminiſſe volo.

Altobellus de Bandarenis ex oppido Saccenſi, annos natus circiter triginta quinque, hirſutus toto corpore, paruus, teretibus membris, ſubnigro colore, cæterum planè comis ac prudens erat. Is ex Thaddæa vxore ſuſtulit tres maſculos filios, quatuor fœminas; quarum natu maiorem, vt dixi, ob votum Deo nuncupatum, in vxorem duxi. Illi trecenti aut ad ſummum quadringenti erant aurei coronati, nec ampliùs quidquam: quos amico cum dediſſet, cauponam ipſe erexit. Ex hoc quæſtu viuebat ſocer ille meus cum vxore ac filiis. Nam in parte cauponæ habitabat, ne ſumptum faceret in conducenda domo: viuebat, & qui cauponam exercebat, eodem ex quæſtu. Pecunias iſtas in bello, vt reor, iuuenis acquiſierat. Nec mireris tam paruam pecuniam tantis reditibus ſuffeciſſe. Prudentiſſimus erat œconomus, pleráque ante tempus longè viliore prætio promercabatur, multa præſens, longè etiam plura ſub fide accipiebat: ita vt, cum omnia temporis ſucceſſu cariora euaderent, his pecuniis non ſolùm cauponæ ſatisfaceret, ſed mercaturam etiam egregiam exerceret. Erat enim fidei obſeruator, cautus, diligens, comis, blandus, parcus, & quod omnium maximum erat, mulierum ſuffultus amicitiis, nec ſolùm popularium, ſed etiam nobilium ac magiſtratuum: adeò vt quorumdam tuendo cauſas apud Prætores, pluribus veniam impetrando admiſſorum errorum, & libertatem transferendi, quæ edictis interdixerat, tot dona acciperet, vt fermè ad alendam familiam tenuiter ſufficerent. Vina enim, frumentum, anſeres, gallinas, columbos, auenam, ſues, & caſeum ſuis quiſque temporibus dono mittebant. Plus etiam commodi hæc afferre poterant, quod ipſe vel inuitus apud alios fermè ſemper prãdebat atque cœnabat. Nam ſeu pompa ducenda eſſet, ipſe apparatui præerat, pompámque ducebat, & quæ ad illam neceſſaria erant, partim emebat, ſi abſumi oporteret, aut mutuo accipiebat ab oppidanis atque nobilibus, ſi eiuſmodi eſſent, quorum pretium non leue eſſet, & tamen vſus eorum ſolùm ei pompæ eſſet neceſſarius. Seu conuiuia cecelebraret, aut alea certaret, aut legatos exciperet Prætor aut nobiliorum quiſquam: ſeu ocium grauaret illos, omnibus ſanè intererat, amicitia, officiis, lepore ſermonis, modeſtiáque morum omnibus gratus atque iucundus, adeò vt etiam veſtes aliáque nobiliora munera ſæpe acciperet. Sunt enim Veneti illi Patritij admodum grati ac verè liberales. Quàm enim ſunt in neceſſariis ſumptibus ſplendidi, & in ſuperfluis parci, tam ſunt in amicos & illos, à quibus coluntur officiis, grati, atque etiam liberales: vt verè hos ſolos homines appellare iure poſſis, & eorum Rempubl. eam, in qua feliciter probis viuere liceat.

Sed vt ad rem redeam, hanc tantam in pauperrimo homine fœlicitatem fortuna inuidit, nec longiùs procedere paſſa eſt. Namque magno lini aceruo, quem in ſpem lucri congeſſerat, puerulus natu maior, Marcus nomine, ignem iniecit, ex quo tota domus cum ſupellectile vniuerſa conflagrauit, vnde nihil omnino ſuperfuit. Ille tamen vnguem arrodens, nec iratus eſt, nec verbum vllum profanum edidit, ſed Deo gratias egit, quod filios ſaluos reliquiſſet. Dixiſſes Philoſophum egregium, qui tamen nunquam literas didicerat. Rudera autem ſtatim iubebat inuerti, vt ſi quid non omnino abſumptum reliquiſſet ignis, id recuperaret. Interim euulgatâ calamitate confluxere amici varia afferentes, alius atque alius filios domi excipiebat. Collectis igitur pauculis pecuniis ex his, quæ incendium non omnino corruperat, tum amicorum liberalitate, atque etiam nonnullis mutuo acceptis cum cogitaret, nullam eſſe viam, quâ ex tanto infortunio ſe redimeret, cœpit militiam exercere. Ars enim ea nobilibus & ruſticis, ſenibus atque iuuenibus, robuſtis ac inualidis, peritis literarum ac imperitis, ex æquo fermè communis eſt. Namque fortitudinem & prudentiam, exercitationem in ea aliquam, quæ omnia ille habebat habuerátque, ſolùm requirit. Itaque cum prætorium frequentaret plus ſolito, dixiſſes. Thomam Marinum locupletem virum ibi adeſſe, adeò erat comis, hilaris, officioſus, facilis, beneuolus ac decoris perſonarum, cum quibus verſabatur, memor, vt omnes ſtatim in ſui amicitiam impelleret. Quid, quod ludendo probaſſes hominem omni virtute præditum. Ludebat enim ſine dolo, auaritia, iactantia, contumacia, verbis turpibus aut impiis, ſine ira: verùm feſtiuè, prudenter, vſque ad ſui admirationem, hilaritérque. Sic & pro quibus ludebat & contra quos, pariter alliciebat. Neque enim de pecunia, niſi rarò paruáque admodum, ſed ſocialiter & de conuiuiorum ſumptu plures cum pluribus decertare ſoliti erant. Quid de aliis dicam officiis? quàm fideli opera? His aliiſque artibus partim laude dignis, partim quæ improbari non poſſent ſatis munitus, vt amicitiis nobilium, ſolum opperiebatur occaſionem, quæ & breui euenit. Contigit enim, at flagrante Italia barbarico bello. Princeps Ferrariæ in ſpem veniſſet occupandi partem illam Patauini agri, quam vocant Poleſmum. Itaque ſuffragantibus

gantibus amicis conditionem offert Altobellus Reipubl. Venetæ, si ducentis iuuenibus ducentæ bellicæ machinæ (Archibusij vocantur) dentur, eos se ad omnem occasionem paratos habiturum absque vllo pretio. Placuit conditio Senatui. Increbrescebat enim fama belli, hostis propinquus, nullæ arces mediæ, res opportuna, exigua pecunia opus erat, amici prædes se dabant, ipse agnitus omnibus, & pro integræ fidei viro & prudenti, & milite veterano & amico Reipubl. Suasit ergo & persuasit. Numerata pecunia, emptæ machinæ, distributæque in iuuenes rusticos & amicos quos habuisse plurimos iam diximus. Cogit ergo rusticos illos, & festis diebus modo in alam format, modo in cuneum, modo in cornua, modo in quadratam figuram agit. Receperant & iuuenes libenter conditionem, non solùm ob illius familiaritatem, sed ob exercitationem libertatémque ferendi arma. Ergo mense vno aut ad summum altero, edocet turbam illam dirigere quocumque aciem. Tympana emuntur & vexillum. Res primò imperitis ac rudibus risu digna videbatur, sed nasutis fucus subolebat, nec contemnenda. Expleuerat iam quòd pollicitus fuerat, atque vberius quàm teneretur, cùm statim rumor belli omnis sedatus concidit. Quamobrem Altobellus Venetias pergit, exponit labores, iacturam temporis, diligentiam, profectum atque vtilitatem inchoati operis: rogat Senatum, vt cùm ducentis illis liceat abire, quo velit, ad locandam operam suam, vt milites habeat mercenarios, vbi opus fuerit, semper Reipubl. pariturum reuersurúmque, inopiam cogere, non auaritiam incitare ipsum. Ibi amici inhibent, ne abeat, statuitur stipendium illi in singulos menses, immunitas militibus.

Paulò post fortuna, quæ illum interquiescere non patiebatur, alium obicem opposuit. Oppidani aliquot priuatis ex causis illi parum amici: nam à sorore cuiusdam ex præcipuis vidua amabatur: alij etiam illius potentiæ & gloriæ inuidentes ac irati, quod ipsorum rusticos à cultu agrorum seuocasset, facti infensiores, cùm apud Rempubl. Venetam accusant, quòd tentasset omnes machinas vendere atque abire, quodque pecunia in delectu accepta quosdam dimitteret, qui essent militiæ apti, alios frustra vexaret extorquendorum munerum gratia, iam cœpisse agrum totum tributarium facere. Facilè credi hæc poterant etiam sine testibus, quod pauper esset, familiáque plurima oneratus. Ducitur in vinculis ferreis Venetias. Ibi rursus amici, cùm ipsum culpæ conscium non esse animaduerterent, tuentur eum, insons maiore cùm gloria liberatur. Ex ea itaque accusatione maiore in existimatione habitus est, & charior amicis. Vnde paulò post Venetias regressus docet, bonum esse vt, trecentis aliis machinis additis, eligantur quingenti milites. Ex accusatione enim priore constabat, dum illi, quos eligere potuisset & omisisset, enumerant, amplissimum esse agrum, multóque plures posse secerni tirones. Quinetiam suadet, vt in tota parte ea Italiæ, quàm possiderent, id agere velit. Triplex, vt video, ex hoc consilio emolumentum capturus; prudentiæ opinionem, vtilitatem Reipubl. & sibi securitatem. Nam vbique electo & parato tirone periculum non imminebat, ne inchoatum hoc opus intermitterent, ac simul ipse à tribunitia militum potestate decideret, persuasit. Adeò vt nunc tota ea militia, quæ sub Venetis ad Reipublicæ securitatem magnam parata est, consilio soceri mei debeatur. Quinetiam alij principes, inter quos Florentiæ dominus, eam imitati sunt: cœpitque in Gallia, sed, vt audio, non perseuerauit, partim assiduitate bellorum, partim dissidiis religionis, partim, vt reor, nobilium timore intermissa. Persuasit ergo vtrumque, numeratur pecunia pro machinis, tympanis, vexillis, reliquoque apparatu. Quia verò nusquam, vt dixi, homines toto orbe gratiores sunt, adeò etiam vt pro inuentis exiguarum rerum perpetuas pensiones inuentoribus statuerint, nec quemquam sua spe fraudarint, auctum fuit & illi stipendium longè plus, & ob laboris magnitudinem, & ob consilij vtilitatem, & ob innocentiæ experimentum, illatamque quasi ex vinculis iniuriam, sic vt iam nobili condignam ducere vitam posset. Vix delegerat trecentos illos, atque in area exercuerat, cùm rumor certus affertur, Carolum Cæsarem in Italiam properare. Muniri vrbes Senatus statim decernit. Ad hoc vel sponte inter primos eligendus ab amicis etiam proponitur, præficiturque cum parte selecta cohortis suæ periculosiori portæ Veronæ, de qua etiam maximè dubitabant, quòd vicina esset viæ, per quam ducturus erat comitatum Cæsar: nam absque exercitu venit, vt suspitionem, credo, dilueret. Ibi & diligentia summa, studio, industria, vigilantia ita se gessit, vt neque ad fidem ergo Senatum, nec ad modestiam erga ciues vrbis, nec ad fortitudinem, nec ad officia circa Venetos, qui vrbi præfecti erant, nec ad declarandam peritiam militaris disciplinæ quidquam desiderari posset.

Itaque optimum iam nomen adeptus, confirmatáque opinione de se apud Rempubl. meruit, vt reuerso in patriam auctarium, quod expeditionis causa habuerat, stipendio ordinario adiungeretur. Itaque iam res suas in tuto non solum videbat, sed etiam feliciter processisse. At verò non dormiebat fortuna, illius virtuti inimica. Namque cùm domum amplam pro tribunitia, qua fungebatur, dignitate, conduxisset, erat in ea officina textoris, cuius solum tabulis constructum cùm esset, factum est, vt nocte quadam puer, qui solebat texendo vigilare, prima vigilia obdormisceret, cumque ob frigus patellam carbonibus accensis plenam (erat enim hiems,) pede pulsasset, illam euerterit, atque ita tabulatum primum cœperit ardere, demum flamma concepta prodigioso certè euentu, vt cùm esset occluso in loco, nec vlla materia igni apta præter tabulas & arundinetum, totam quasi repente corripuerit domum. Quid plura, aderam enim præsens, vix ipse cùm filiis seruari, nec omnino sine offensa puellæ natu minoris potuerunt. Quibus ereptis flammis omnia

cernebat comburi, adeóque vrgebat ignis, vt crederent totum ardere oppidum debere. Sed seu muris lapideis sine calce statim erectis à Pelizariis opulentis mercatoribus, seu diuino quodam iudicio id actum sit, plenè & sola domus illius absumpta est incendio. Vbi illuxit, pari patientia, qua & in prima calamitate, ore gratias Deo reddidit, & gratulabatur, quod è tam ingenti periculo ipse cùm omnibus suis seruatus esset. Offerunt se amici interim donáque afferunt, filios in domum recipiunt, hortantur, vt æquo animo ferat, hominem iam sua sponte, vt videbatur, ad maiora paratum. Ita ad solitum refugium, scilicet Venetias, statim literas obtinet, vt sex mensium stipendium adnumeretur, domum mihi contiguam conducit.

Sequenti æstate, anno siquidem MDXXXII. filiam suam in vxorem duxi, quo facto admodum lætatus est: neque enim cogitauerat me in patriam rediturum. Sed paulò post, licèt æquo animo reditum meum tulerit, vehementer tamen tristitia affectus est. Existimabat enim filiam bonæ fortunæ suæ quasi principium aut Omen quoddam esse. Paucis ante diebus, quàm discederem, tegula nescio qua causa igni supposita & maximo strepitu nocte diffracta, per totum cubiculum sparsa est: quod ille augurium vt infaustum semper postmodum abhorruit. Vbi discessi, paucis post diebus, neque enim toto anno superuixit, seu dolore maioris natu filij, qui pessimè se gerebat, seu quod multi affirmant veneno, quasi repentino morbo periit: cùm adhuc vix quippiam incrementi à Republ. Veneta habuisset.

Ita tota hæc tragicomœdia septem fermè annis absoluta est. Annum enim vt reor, XLIV. ingressus iam erat cùm obiit: XXXVI. fermè absoluerat, cùm incœpit. Ex his tres annos primos exiguo cùm fructu, magno cùm labore exegit, quatuor postremos feliciùs. Si diutius vixisset, potentia & gloria inter primos illius Reipublicæ duces, opibus inter mediocres euasisset. Referebat se nunquam pauperes oppressisse, sed misertum illorum calamitatis. Si veneno interceptus non est, existimandum est curis multis oppressum: licèt de ipso Poëtam dixisse:

Spem vultu simulat, premit alium corde dolorem.

Dicere posses. Tum quòd ob amicitias, quas colere studebat, non parceret conuiuiis, neque in ipsis conuiuiis cibo & potui, non ob vitium, sed vt illis magis placeret. Dici enim solet, quod apud alios edentes debemus esset comedones. Nam si apud parum beneuolentes discubuerimus, inimicorum rem absumimus: si apud amicos, libenter illi nos vident suis cibis ac inuentis delectari. Ergo quem non potuit fortuna toties proiectum vincere, letho tradidit, vt succumberet. Tametsi gloria hæc sua si non esset, nec virtus in illo posset gloriari, contempsisse ac superasse fortunam.

Iam ergo insigne exemplum numeraui eius, qui sine vlla arte, sine opibus, sine affinium potentia ad magnam existimationem euaserat. Sed objicis, singulare est hoc, paucísque conueniet. Dicam quod Demetrius ille apud Senecam, si mores bonos commutare voluero, diues facilè breuique euadam. Quæris modum? Vnum dicam, Genuensibus familiarem. Lælius vult ducenta millia in Hispania, numerant centum nonaginta millia: Scipio vult centum nonaginta millia in Italia, cogitur numerare in Hispania ducenta triginta millia: horum ducenta millia numerat in Hispania Genuensis Lælio; in Italia, quæ accepit à Lælio, centum nonaginta millia Scipioni. Ita Genuensi in Hispania triginta millia supersunt, cùm ne obolum è suo exposuerit, sed solam fidem.

Qui verò è potentia exciderint, longè facilius ad pristinas opes, quàm qui de nouo omnia parare coguntur, restitui poterunt. His enim iam paratæ sunt pecuniæ, amici paterni, nomen, gloria, familiaritas principum, affines cognatíque, peritia & consuetudo tractandarum magnarum rerum, homines beneficiis deuincti, & ob causam ac factionem coniuncti, spes populorum: quibus omnibus iuuantur ad recuperandam pristinam potentiam, aut aliam nouam adipiscendam. Quoties Mithridates regno pulsus? quoties restitutus? Annibal quoties dignitatem suam recuperauit? primum apud proprios ciues, inde inuidia factionis pulsus apud Antiochum, post apud Prussiæ Regem. Alcibiades quoque modo exul, modo domi, nescius vbi gloriosior extiterit. Exempla hæc tam multa sunt, vt meminisse superfluum sit, ac tanquam lapillum in maris littore ostendere, vbi innumeros esse constat. At Agathocles & Io. Iacobus Medices vtriusque euentus exemplum exhibent. Vtrique enim humili loco nati, & sæpius loco pulsi potentiam toties recuperarunt & auxerunt, quoties ex ea exciderunt, insignis virtutis argumentum. Vt contra animi vilis & profligatæ virtutis eorum, qui in potentia nati & eiecti, ne ausi quidem tentare sunt reditum in regnum: vt Arragones & Sfortiadæ, quanquam in Sfortiadis filij maius virtutis specimen ediderint.

Eorum verò qui sine arte splendidè vixerunt, vnus & tanquam caput Socrates fuit. Is namque statuarij filius, locupletum Atheniensium omnium fermè opibus innitebatur: adeò vt, cum Aristippus illius discipulus argueretur, quod contra magistri morem pecuniàs à discipulis acciperet, responderit. Socrati diuitiæ ciuium locupletiorum pro penu sunt. Plato quoque & Aristippus sola moralis sapientiæ opinione, quæ nullo studio camparatur, sed cuique quasi obuia est, à Dionysio iuniore ditati sunt. Accepit Plato, qui modestior erat octuaginta talenta auri magna: Aristippus tantùm, vt etiam iusserit seruum, quoniam pondere nimis grauaretur, partem abjicere. Xenophon ex priuata militia suis sacrificiis & oraculis magnas opes sibi comparauit. Æsopus libertatem consecutus, diues demùm mortuus est, solis cùm fabellis. Quidam amicus cùm naufragium fecisset, receptus ob id inter familiares principis, cùm illius industriam cognouisset, ornauit

ornauit eum magistratu, atque sic magis ditatus est, quàm si feliciter nauigasset. Demosthenes fabri, Euripides olitoris filij fuere, ambo diuites facti sunt.

Dices, exempla rara sunt? Fateor, si ad ignauos, rudes, luxui deditos referantur, imò penè nulla. Sed si ad industrios, ingeniosos, patentes, abstinentésque conferamus, adeò frequentia, vt neminem fermè sis excepturus. Mauritius Cappadox, vnus inter multos è mendico factus est orbis Imperator.

Volo autem nunc ostendere tibi adeò optatum Chymistis verum Philosophorum lapidem, eumque aureum atque argenteum. Aureus quidem est, gratia principis: argenteus, sedula industria, cùm abstinentia & patientia coniuncta. Porrò de paranda gratia principum, seu quomodo in orbis te amicitiam insinues, prosequemur, dum de humilitate fortunæ agemus. Scilicet, ne hanc tractationem, in qua tandiu versamur, reddamus immoderatam.

Nunc de aliis pauperum commodis agamus. Sunt autem, cum in Republica tractanda magistratus & honores nihilominus adipiscimur. Nostrum autem est tunc, vtrum velimus etiam parare diuitias. Quidam solis honoribus ac potentia contenti fuère. Vt enim gemma illustris quantò liberior, tantò pulchrior: ita magistratus & potentia in paupere magis sunt admiranda. Velut Athenis Limachus, &, vt dixi, Aristides & Phocion: Thebis Epaminondas & Pelopidas, Romæ Menenius Agrippa, Paulus Æmilius, Seruilius, Isauricus, innumerique alij. Hi quamvis in Republ. summos adepti sunt magistratus, & honores gesserint, quidam tamen à Republ. vestes, alij dotem filiarum, alij impensam funeris, plerique seruos ad publicum munus tractandum acceperunt. Demonax quoque Philosophus centum propè annos mendicus vixit. Demetrius Stoicus seu Cynicus, Senecæ ætate, vt aliàs dixi, nudus erat. Zenonem ab Antigono ditatum vox Antigoni ipsius declarat: alioqui etiam sine opibus clarus Athenis, vt retuli, vixit. Sed Origenes, ob studium Christianæ religionis pater eius supplicio affectus, & bona ad fiscum deuoluta essent, ipse cùm paruulis fratribus relictus, nec studia sapientiæ deseruit, nec Christi cultum: adeò verò in vtroque profecit, vt nescio quomodo à Mamea matre Alexandri Seueri Imperatoris, quæ tamen Christiana non erat, Romam reuocaretur. Hic ergo cùm nec satis habuisset propter diuinum nomen spreuisse opes, semetipsum eodem studio castrauit, existimans delitias humanas esse nullas cùm ad cœlestem amorem conferuntur. Nec in hoc deceptus est. Nisi enim opes, gloriam, potentiam, filios quoque & vitam spreueris, aut spernere posse saltem didiceris, miserrimus viues. Dicas hymni illius quotidie eam partem: Deo Maximo gratias agite, qui iustitiam colitis & pietatem, gratulemini nostræ felicitati, & de ea gloriemini.

Quod si te etiam huius præsentis status bona delectant, non ob pietatis studium ea desperes. Nam hominum mentes, etiamsi principes sint, cœtúsque mortalium, velut cotonea mala exiguis pediculis pendentia, huc illuc iactantur. Sed si constantem gloriam atque felicitatem nancisci cupies, nec diuitiis opus erit, nec gratia principum. Siquidem felicissimos ego fuisse reor Hieronymum in solitudine. Benedictum, Franciscum, Bernardum, Dominicum, Albertum, Thomam, Bonauenturam, Brunonem, quamvis non solum pauperes, sed etiam mendicos. Atque hi paupertatis beneficio Diui nomen, gloriam perpetuam, vitamque felicem sibi, Christianæ autem Reip. commodum immensum peperère. Namque seu felicitas nostra in possessione, seu in opinione, seu in alia vita constituatur: horum solum ac pauperum est felicitas, qui cùm nihil habeant, omnibus potiuntur. Quid? quod plus est, nihil optant: nihil ergo huiusmodi hominibus deest. At diuitibus nostris cum longè plura desint, cur eos non pauperiores cæteris existimabis? Vera ergo paupertas est consilij inopia. Quod si mendicum filium vix velis viuere, illius misertus, multò minus eum qui consiliis inops est. Si citra Dei aut Philosophiæ notitiam, solius gloriæ amore incitati Coruncani, Fabritij, Publicolæ diuitias in Republ. spectauere: num Deum cognoscentes, Philosophiæ præceptis imbutos, sub Regibus, quorum arbitrio cuncta subiacent, viuentes pudebit diuitias omnino contemnere ac veris bonis incumbere? Referunt Lactantium Firmianum, cùm esset Imperatoris magister, vsque ad mortem tamen in voluntaria paupertate vixisse. Hos homines quis non in terris, vt Deos veneretur & colat? Quis ab huiusmodi hominibus iniustum quidquam timet? quis dolo circumueniri? quis sæuum aliquid, aut horrendum, aut iniquum expectare possit? Ostendit voluntaria paupertas innocentiam. At si nolis omnino tantò, vt existimas, malo testari innocentiam tuam: saltem fac, vt ita viuas, ita indices, vt ostendas opes innocentiæ obesse non posse. Id forsan, etsi securum testimonium non sit, sufficere poterit. Oribasius medicus, (cuius scripta tantò malo publico periêre; nam si inuenirentur, non esset cur Galenum desideraremus:) diues cùm esset, pulsus in exilium, imò apud barbaros relegatus, spoliatúsque bonis, expleuit tamen opus illud celebre septuaginta librorum, vixitque non solum lætus apud illos, sed & magna in veneratione habitus est.

Sed hæc videntur ab instituto semota, cùm de vtilitate capienda ex aduersis, non laudanda paupertate agatur. Imò ad propositum maximè conscripta sunt. Si enim ituro Byzantium quisquam viam ostenderet compendiosiorem, quâ nec periculo maris se exponeret, nec insidiis latronum, nec frigorum inclementiæ, an non is vtilem se illi præberet? Sanè sic. At si gloriam, potentiam, honores, felicitatem denique omnem opum auxilio occupaturo, si ostendere compendiosiorem viam & quâ hæc omnia absque opibus haberi possint, annon auferam illi totum hunc laborem & efficiam, vt & breuius ad bona perueniat, & facilius ac sine labore? Optimam ergo, vt breuiter dicam, conditionem

nem esse ducas eius, qui felicitatem ponit in virtute & sapientia & filiis, aliisque his proximis, vt gloria, potentia, fama, quæ similia sunt quasi virtuti. Qui diues sit, ornatior erit. Post eius, qui diues est, & diuitias aliquid esse putat. Nam talis cum semper torqueatur, multa sæpè praua admittit, & verorum bonorum obliuiscitur. Pessima est eius, qui pauper est, nec sic se putat beatum esse. Tantùm interest ob solam opinionem, vt quis sit felix aut infelix hac in causa, adeò manifestè constantibus iisdem rebus, scilicet inopia. Nam qui putat opes minimè ad felicitatem esse necessarias, & ad gloriam, honores, sapientiam, virtutem, Dei cultum, filiorum procreationem atque institutionem properat, ille felicissimus est proculdubio. Qui hæret & non nisi partis opibus se felicem esse posse putat, is planè est infelicissimus.

Atque hæc est rerum ipsarum ratio atque mortalium conditio. Cui penitus nihil repugnat, nisi quantum ex errore quorumdam persuasum est, in illa acquisitione beatos se esse, & quod ad securitatem attinet, cum sub tyrannis viuitur. Verùm & illa commutatur, cùm priores ob potentiam firmandam diuitibus faueant, qui succedunt eosdem perdant, vel vt ipsi ditentur, vel vt suos amicos locupletent, aut vt plebem ad se trahant, cuius studium securius & minore iactura atque incommodis continetur. Itaque quod ad securitatem attinet, eadem est ratio, licèt pro temporum conditione varietur. Sed, vt docebimus, vbi de exilio loquemur, omnia hæc commoda in recta locorum incolendorum ratione reposita sunt. Semper probo viro ea patria vtilior est, vbi opes non sunt in pretio. Ergo si cui res pereat, possitque recuperandi studio carere, nihil melius est, quàm Zenonis & Origenis exemplo, studiis sapientiæ incumbere. Nam ex aduersa fortuna melius aliquid eius, quod amisit, recuperare poterit. Tametsi enim, licet nihil amiserit, hoc commodo cariturus non sit, expeditius tamen literis incumbet pauper, ac maiore cum voluptate. Facilius quidem, multis sublatis impedimentis, curandi, custodiendi, voluptatum, parasitarum, lenonum, adulatorum. Nam si mihi villa aut ager aut viridarium aliquod extra pomærium non procul fuisset, dum emissem, dum coli curassem, dum inuisissem diligentiam rusticorum, dum ornassem, dum me eo contulissem relaxandi animi causa, vel amicos excepissem, quantum temporis periissent: quàm serius omnia absoluta essent opera? Nunc mihi sufficiunt lucus paternus, nullo dispendio temporis aliis locatus, & paruus ager, cuius si fructus pereant omnes, non laboro: & materna domus, quæ curam conducendæ domus aufert, non auget. Itaque prospectum mihi à Deo immortali benè intelligo. Cum vero sic videam in his, quæ manifesta sunt, cur est, quod etiam in aliis, licet rationem non intelligam, non ita existimem?

Quod si adhuc vel sic opum desiderio teneris, etiam sapientia ipsa viam ad illas parabit. Verùm cum ea dulcedine fueris imbutus, eo potu inebriatus, vix aliud quidquam optare poteris. Et quamvis hæc non omnibus satisfacient qui opibus vel inhiant, vel amissas dolent: sciant tamen hoc potius esse & decipi se nimio earum desiderio velut ægram mentem corporaque, quæ inutilibus vrgentur cupiditatibus. Quod si non esset hoc optimum, cum aliud se non offerat auxilium, qualecumque illud esset, hilari atque pacato animo excipiendum erit. Tum maximè, quod vita pauperis ab inuidia, quæ magnum malum est, tutior est, & melior ingentibus opibus illis, quas habere (etsi propositum sit docere paupertatis fugam,) nolim, etiamsi possim, modò mihi auscultare velis. Quid enim in illis præter inane nomen? Hic ingentes parauit diuitias, ædificauit, opera egregia construxit. Verùm cùm hi participes sint omnium incommodorum, quibus laborant principes, commodorum tamen haud participes esse possunt: veluti gloriæ, obedientiæ, securitatis, tractationisque regnorum ac secretorum, quæ ad eam pertinent, nec non explendæ omnis libidinis.

Forsan optabis illas ingentes opes aut saltem mediocres ob filios? Nequaquam. Vel enim ob sapientiam, atque sic pauperum conditio melior est, cum hos, vbi adoleuerint, necessitas: diuitum, pædagogi vrgeant. Vnde in pueritia diuitum filij sunt eruditiores, in iuuenta pauperum. Maior enim ac validior est stimulus necessitatis quàm pædagogus, & longior ætas iuuentæ quàm adolescentiæ, magisque instructus iuuenis quàm puer. Ergo paupertas ad erudiendos filios opibus magis conducit. Eadem verò ratio est in obedientia & morum probitate. Quamdiu enim sub pædagogis contineri possunt, meliores sunt diuitum filij: vbi euaserint, longè deteriores. Filiorum enim regiorum, qui parricidium tentauerint, quique etiam expleuerint, non defutura sunt exempla, vt Mithridatis, Tigranis, Ptolemæi cognomine Euergetis, Eucratidis regis Bactrianorum, Horodis Parthorum, Pysistrati Orchomeniorum, Artaxerxis Persarum, in quem admirando & miserabili exemplo quinquaginta filij conspirasse leguntur, Bajazetis Turcarum, quem nostra ætate filius Selinus occidit. At nobilium atque diuitum tantò plura crede exempla esse, quanto plures etiam sunt nobiles quàm reges. Vnde etiam illud:

Filius ante diem patrios inquirit in annos.

De pauperum filiis ne suspitio quidem est eius. Propter quid enim, aut cui bono?

Forsan ad pietatem conducunt opes? Nequaquam. Pauper non cogitur dare, quia non habet: diues si non det, impius est. Si det, quid plus habet paupere, nisi tractationem, solicitudinem, & laborem? Imprimis quia magis inuitus dat diues quàm pauper. Vt vix hac in parte liberaliores locupletes pauperibus inuenias. Quin etiam illius Hieronymi memineris. Omnis diues iniquus est aut iniqui hæres. Quod si ita est, vtrouis modo malè parta quomodo salua pietate retinere poteris aut licebit? Vnde ortum etiam illud Christi, Facilius est camelum ingredi foramen acus, quàm diuitem regnum cœlorum. Idem dixit rursus, Beatos esse pauperes spiritu,

scilicet

scilicet qui omnia distribuerint: illorum enim cœleste regnum esse.

Reliquum est, vt videamus, An ad virtutem & gloriam paupertas vtilior sit, an diuitiæ? Nam, vt dixi, si hæc, quæ ad felicitatem pertinent aut illi proxima sunt, absque diuitiis ex æquo comparare liceat, haud dubiè compendium leue fuerit, diuitiis relictis, ad hæc primùm acquirenda se accingere. Iam verò anteà quædam cognoscere oportet, quæ ad rem sunt necessaria: scilicet, An liceat seruare diuitias iniustè prorsus? an ex lege iniustè, iustè autem verè & apud Deum? Idem dico de parandis. Veluti quis accepit talentum ab amico sine chirographo, sine chirographo reddit: filij post patris mortem rursus repetunt pecuniam numeratam, exigunt iuramentum, an acceperit? Iurare tenetur, se non debere quidquam. Si vltra cogant, potest iurare non accepisse, quia dolus est in iuramenti petitione. Quid si verè debeas & exuaris omnibus bonis restituendo? negabísne? Si necesse est, melius est exui bonis quàm fide. Si potes euadere, melius est vt iures sic, vt vtrique quod suum est, saluum sit. Quamobrem periurium non est, cùm iurando non læseris quemquam. Id fiet, si nihil retinueris quod suum sit. Quamobrem & in criminibus eadem ratio seruanda erit. Neque enim peiero, si mille accepi & negem accepisse, quia si nunc dem, postquam euiluerunt prædia, exuor bonis, reddo autem mille, cum pretium redierit quale tunc fuit. Si vrgeat, tantùm iurabis te accepisse quantum valent nunc prædia, quæ tunc mille æstimabantur: atque hæc vbi animo eo dederit atque acceperit. Si igitur iniustum est diuitias acquirere furto, periurio, dolo, etiam retinere iniustum erit: ergo non faciendum. Ergóne virtus malum? vtputa fides, quæ hominem depauperat? Nequaquam: sed tantùm boni est in ipsa virtute, in ipsa æstimatione, quæ paupertatis malum periurio postponit, vt virtus malum esse non possit.

Quæ verò molestiam paupertatis minuunt, ea sunt primum, quæ asperitatem illius leniunt, velut eruditio & maximè rei iucundæ, vt Astrologiæ Musicæ. Quod adeò faciunt, vt in huiusmodi hominibus vix vnum inuenias tristem. Plus enim potest affectus, quàm effectus. Deinde, quæ spe implent homines, vt Chymica, & propria quædam singulis negotia. Tunc quæ differre possunt in longius calamitatem, donec regressus pateat ad reparanda necessaria, vt prospera valetudo: vel quibus regressus pateat ad opes, vt industria & potentum gratia: vel quibus non sentimus incommodum paupertatis, vt pietas, virtus, dolor, tristitia: vel quæ bonum aliud præstant, vt filij plures bonæ indolis, scientiave multarum rerum: vel quæ plura ex his simul exhibent, vt gloria. Hæc enim magnam voluptatem parit, amicos comparat ac venerationem, paupertatis ariditatem irrigat, & viam quoque ad magistratus reparandásque diuitias præparat. Quare optima pauperi res est gloria, & ideò etiam rara. Rara autem paratu difficilia. Ideò si ex paupertate ad gloriam aditus pateat, pro lucro etiam paupertas haberi debet. Cæterùm quoniam gloriæ humilitas generis opponitur, de generis humilitate dicendum erit.

CAPVT III.

De Generis Humilitate.

Affines sunt valde humilitas generis & & paupertas: sed paupertas, vt dixi, gloriosa inuenitur, & diuitiæ seu opulentia sordida. Eam etiam gloriam, quæ inanis est & in ostentatione fundatur, quæ certè vulgaris est & applausu populi, etsi & principum nonnunquam & procerum constat, Seneca non solum inter bona non collocandam censet, sed potius inter ipsas calamitates: atque id rectè admodum, si sapis. Etenim quod virtuti innititur, quod veris bonis commune est vel affine, id solum etiam optari debet, celebrari, in honore haberi atque desiderari. Illam verò siquidem ad suam naturam referas, falsa cum sit, nulla est: si ad firmitatem, instabilis atque mutabilis: si ad tempus, quo durat, momentanea est. Ergo si gloria hæc inanis est & contemnenda, humilitas fortunæ ac generis nihil obest, dicámque cum Ouidio:

Nam genus & proauos & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco.

Loquitur autem hic sapientissimus Vlysses, qui tam paternum quam maternum genus ad Iouem referebat. Quin etiam tum videntur ipsæ virtutes in alia commoda ordinatæ, vt temperantia in sanitatem, comitas & lepor & hilaritas in amicitiam & beneuolentiam, prudentia in potentiam, iustitia fidésque & innocentia in gloriam. Inane verò hoc nobilitatis nomen atque falsa opinio vulgi neque ortum habet ex aliqua virtute, neque in aliquod verum bonum desinit. Cúmque cum ea esuriant plurimi & caduca sit, inter bona censenda non est.

Quod si dicas, eam esse viam ad lucrum, vt in circulatoribus quo quisque pulchrius ad populum verba facit, eo maiore in pretio est, atque plus lucratur: respondemus de hac nunc non esse sermonem, sed habituros cum de contemptu in arte loquemur. Certamen verum atque iustum est inter potentiam & sapientiam, vtra melior sit ac magis expetenda? Nam potentia omnia nobis commoda suppeditat, sapientia autem nos diis iungit: illa maiora bona præbet, hæc securiora: illa magis explet nos, hæc iucundius satiat: illa plura ad felicitatem fomenta subministrat, hæc diutius durat ac in futura sæcula propagari solet: illa nos malis ostentat, hæc puram beatitatem in nobis creat: illa vulgo gratior est & magis expetita atque in maiore veneratione, hæc probis, piis, atque diuinis hominibus in maiore existimatione: illa digna humanis honoribus, hæc Deos venerari docet atque intimè colere: illa ostentat corporis delicias, hæc animi suauitatem parit: illa falsò ementitur Deorum imaginem, hæc quid nos simus verè edoceti

cet: illa magis necessaria, hæc præstantior: illa frequentior, hæc dignior: illa à pluribus expetitur, hæc à prudentioribus: illa totum hominem vndequáque ambit, hæc quod in nobis diuinum ab omni mortalitate segregat: illa felicitatem totam circuit ac complectitur, hæc pars est ipsa felicitatis præcipua: illa à pueris & mulieribus ac imperitis sola cognoscitur atque expetitur, hæc senes ac viros & eruditos ornat: illa miseros ad felicitatem deducit magno cùm stupore mortalium, hæc diuinis honoribus dignos ex æquo facit tam miseros quàm beatos: illa prouehit homines ad regnum, hæc vt cunctis potiatur efficit: illa vitiis ac virtutibus pariter delectatur atque cum eis versatur, hæc virtutes educat & cum illis viuit: denique potentiæ summum bonum est, posse obesse plurimum atque proesse; sapientiæ autem scire, cur & cui & quando prodesse, & quando, cur, cuique non obesse expediat. In illa etiam, ignorare suam ac mortalium ex æquo conditionem, optimum est ac velut necessarium, vt tenebræ quasi ac non meditari impendentia atque nouissima, portus sit salutis, in hac autem lux, claritas, scientia, exquisitissiméque omnia scire, omnia tenere, plenam affert voluptatem, fructúmque illius perfectum. Quid ergo est, quod pro potentia subiicias, si illi eam præferri nolis, dignius aut melius aut iucundius sapientia ipsa?

Quid ergo miramur Iubam, Mauritaniæ regis filium, regno spoliatum incubuisse herbariæ cogitationi? Existimo & tum maiore cum voluptate, certè tranquillitate vixisse, quàm patrem in regno: & nunc etiam magis ob opus illud admirabile celebratur quàm pater. Filium Persei Regis Macedonum fabrilem artem Romæ exercuisse accepimus. Tulit humilem fortunæ conditionem, sed tanta mala vidit quanta pater: non victas acies, cæsos amicos, se in carcere strangulari, cathenatum duci pedibus in triumpho cùm filiis infantibus, certum propè sui exitij, incertum exitus filiorum, non denique captiuos omnes ac in seruitutem duci quos amabat. Huic exspectationi, huic etiam periculo non iure prætulerim viuere cùm vxore in officina ferraria. Sadocupus Marcomanorum Rex, ab Arnulpho Imperatore pulsus cùm tribus aliis sociis, solitariam in nemoribus vitam ad extremum senium ducere maluit, quàm vel iterum regni tentare fortunam, vel ab inimico locupletiorem impetrare conditionem.

Ergo, si amissa potentia, studiis sapientiæ te dederis, tanquam dimissa sarcina atque impedimentis gratias fortunæ ages, quod ad iucundiorem ac tranquilliorem, &, si nolis fateri nobiliorem, certè pari nobilitate vitam transieris. Quod si absque diuitiis esse potero, quæ multa afferre solent commoda, cur esse sine hac ambitione non queam, quæ non nisi mala, æstus & pericula afferre consueuit? Memineris semper Horatiani illius:

Quamvis pontica pinus,
Siluæ filia nobilis,
Iactes & genus & nomen inutile.

Nil affert commodi dignitas, quæ te inuidiæ exponit, & à multis necessariis negotiis retrahit. O quàm benè Politianus ille dixit:

Felix ille animis diuisque simillimus ipsis,
Quem non resplendens mendaci gloria fuco
Sollicitat, non fastosi mala gaudia luxus,
Sed tacitos sinit ire dies, & paupere cultu
Exigit innocuæ tranquilla silentia vitæ.

Quid est rursus, quod cùm hac fortunæ superbia boni sperare possis, nisi vt molestus sis aliis & tibi ipsi grauis & Deo ingratus? Non obliuiscaris, quod

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus: & celsæ grauiore casu
Decidunt turres: feriúntque summos
Fulmina montes.

Sed si modò tantùm territ hoc potentiæ, hoc granditatis, hoc splendidæ fortunæ nomen: imitare Ichneumonem, quem feruntpugnaturum cùm serpente, luto se circundare: ita & tu seruitutem indue, vt ingenuis antecellas. Pilam effinge, quæ, vt altius ascendat, maiore impetu illiditur solo. Dominum ergo quære, in cuius amicitiam ita te insinues, vt ille multo minus sine te esse possit, quàm tu sine illo. Hic vides triplici artificio te indigere, vt eligas qui te ac velit tueri, qui talis sit quem officiis ad id impellere, cuiusque gratiam consequi possis. Scripsit Io. Casa in hoc genere opusculum politum & elegans, titulus est, de Potentiorum ac tenuiorum mutuis inter se officiis. Verùm ego ea non attingam, quæ ab illo tractata sunt: liber enim in omnium manibus est: sed meo more, quæ capita sunt rerum, quæque ab illo prætermissa, leuiter attingam: neque sub eodem titulo, sed hoc potius de Gratia apud dominos captanda, conseruanda & augenda. Scripsit & materna lingua Hispanus quidam pulchrè, sed minus artificiosè: tamen non pigebit illum legere. Doctrinam enim Aulicorum & monita gratiosorum appellauit.

Ergo primùm deligere dominum oportet, qui possit, qui audiat, quique velit tueri amicum: aliter in ruinosum murum impegisti. Atque hæc non ex coniecturis, sed certa scientia accipies. Videbis quàm gratus fuerit in eos, à quibus aliàs beneficia accepit, & quando, & qua causa. Plurimum enim refert, si quæ iam quindecim annis egerit, in mentem reuocauerit. Mutatur hominum natura ætatibus. Videas an profecerit, & quod optimum est, an ab initio Alexander, nunc Galba euaserit: vt nostra ætate plurimi. Videas quibus ex causis? Qui in absurda profundit, in ganeones, adulatores, leuium rerum causa, eum certè existima inutilem his, qui officiis & sincera seruitute & magnis periculis aut laboribus gratiam quærunt. Itaque aut perseuerantem aut in melius proficientem quære. Quære fortem sapientémque dominum, non voluptatum ac adulatorum dominum: non aliorum dominum, horum autem seruum: minimè verò ambitiosum. Stultum est existimare adeò fatuum, adeò imprudentem fuisse Aristotelem, vt ausus fuerit sperare quod crederemus, aut ipse multo minus crediderit, magnanimum esse ingratū: sed voluit vt intelligeremus, in huiusmodi homines

homines beneficia non esse conferenda. Visus est tuto laudare eos, à quorum familiaritate absterrere, cum periculosum duceret, cupiebat. Est igitur ac si diceret, Ambitiosis hominibus ne inseruias, ne adhæreas. Quod ego malo fato meo præceptum non seruaui. Gallos iracundos, truces Germanos, Italos infidos aliquando flectere licebit, ambitiosum nunquam. Putasne me studio aut dolore falli? Cur principi dæmoniorum malorum atque ipsis cacodemonibus non iram, non inuidiam, non stultitiam, non perfidiam tribuerunt Theologi, sed ambitionem, nisi quod nunquam flectantur precibus aut monitis, aut meritis vel suasionibus vllis? Itaque ambitiosum dominum, cacodæmonis memor fuge. Si te seruauerit, si euexerit, inanis gloriæ studio aut alios captandi causa faciet, non tui gratia. Atque ob id etiam leuioribus officiis ac beneficiis promerentes ditabit, vt euidentior illius sit liberalitas, atque illustrior remuneratio. Plerique enim, quoniam hominum maxima pars stulta est, existimant tanto maiora futura præmia benè merentium. Eosdem puta esse bonos & malos: si secus existimaueris, decipieris. Qui atrox est in infidos, idem beneficus erit in iustos atque fideles. Qui asper in maximis, in minimis conniuebit. Qui fures odit, amplectetur vindices. Qui abiget inertes homines, idem eruditos studiosósque fouebit vsque ad aram. Qui leges ex verbo seruabit, nullas sibi leges esse, cum opus erit, putabit. Qui in templo spuere nefas ducet, minget in altare. Vbi ergo potentem, fortem, sapientem, gratúmque Principem delegeris, caue ne nimis properè quærendo gratiam illam amittas. Memineris semper Horatiani illius,

Virtus est vitium fugere, & sapientia prima.

Fac vt tui te primum dominum agnoscat. Quomodo enim si aliis te seruire intelliget, sperare poterit ipsi addictum fore? Id verò erit, si vitiis & cupiditatibus alienis non seruias, sed totus tuus sit. Plerique etiam multa sibi de suis officiis atque obsequiis, quamuis exiguis & vulgaribus sibi pollicentur, importuniúsque à dominis petunt aut conqueruntur, vnde pro gratia indignationem promerentur.

Quæ verò impedimenta in Aula maxima sunt, difficile est effugere, inuidiam scilicet & odium. Nam si negligens fueris ac humanus, quasi humilis animi despicieris ac contemneris: si existimationem seruaueris, odio habeberis. Simili modo si parum gratus domino fueris, contemneris, nihil sperandum: si charus, maxima inuidia laborabis. Vndique prospiciendum tibi erit, vndique cauendum ab insidiis. Itaque vt partam virtute gratiam tuearis, multiplici alia virtute opus est, industria, diligentia, patientia, lepore, comitate. Audaces officiis, timidos terrore continebis: alios opprimere, qui contumaciter tibi aduersantur, cogeris: spem omnibus iniicias, cum occasio dabitur, illos in gratiam domini maiorem euecturum. Id etiam cura, vt minus tuum nulli alij commune sit, sed ab omnium aliorum munere disiunctum. Velut si à libellis, à secretis sis, aut medicus, aut tonsor, vel cursoribus equis præfectus.

Est & aliud periculum, etiam dum gratiam adeptus fueris. Nam si non petas, caue ne in longum re deducta aut impedimentum prohibeat cum velit, aut officiorum obliuiscatur. Nihil enim gratia celerius senescit, & maximè cum multi fuerint competitores. Si vrgeas, vide ne gratiam amittas. Ergo si proprio cuidam muneri addictus sis, tutius est petere. Nam alium si velit substituere, non facilè poterit, quoniam externum cogitur quærere. Præterea nouatione illius animum mouere potes. Noua enim delectant & quæ delectant animum, mouent, animúmque præparant ad benefaciendum & remunerandum. Sed si commune sit officium tuum, aliquo adiutore opus habes, aut occasionem exspectare. Iam verò id facilius, quando Principalis propositi compos iam factus es, scilicet existimationis atque potentiæ.

Cæterùm gratiam domini consequeris, vt paucis agam, sedulitate, taciturnitate, diligentia: si prudens sit, patientia summa, industria, δουλοπρέπεια seu seruili humilitate, perseuerantiáque. Nam de fide vt dicam, opus non est. Simili ratione considerandum, quoniam omnibus, non solum gnauis, hæc scribuntur, vt si deses sis & nullius aut parui pretij homo, ne sapientibus atque gnauis adhæreas, sed his solum, qui fortuitò viuunt & omnia agunt. Vbi enim alij tibi præstant, melius est totam rem arbitrio fortunæ atque incertæ aleæ committere, quàm certare cum his de iure, qui iure sunt tibi præferendi. Nam referunt Artaxercem Cannio cuidam rustico, qui manus aqua plenas, vel vt alij dicunt, galeam obtulerat, & gratiam & pecuniam ingentem reddidisse. Fortunati enim vt non virtute, sed casu beati sunt: ita casu etiam ad benefaciendum mouentur, & pro paruis rebus & hominibus stupidis atque indignis multa sæpè reddunt: pro magnis verò beneficiis & præstantibus, nihil. Quoniam magna nolunt, parua turpe ducunt. His ergo ignaui & nullius vtilitatis viri vt adhæreant consulo: habebúntque, quod dici solet, suas labra lactucas. Sed iam de contemptu agere opportunum fuerit.

CAPVT IV.

De Contemptu.

CONtemptus est honoris priuatio, & è regione illi aduersus. Non est, verò, quod quis doleat qui merito suo contemnitur. Nam cum es in aliena potestate, quid aliud ab alio exspectare potes, quàm quod promereris? Si non meruisti contemptum, non lædit te. Extra nos enim honor est. Ex honore etiam, ceu re admodum instabili, non solum qui contemptu digni sunt, sed etiam indigni relabuntur. Nihil tam instabile quàm vulgi fauor, siue quidquam tibi accidat, siue non accidat: mutantur enim illorum iudicia à mane ad vesperam. Accidunt etiam persæpè casus, qui homines debitis honoribus spoliant. Iræ Principum, inimicitiæ potentiorum aut intimorum vel verbosorum, amissio

opum, cæcitas, surditas, senectus, vxor mœcha, filius amens vel improbus, eius aut parentis aut filiæ aut fratris insignis calamitas, aut error illorum aut tuus: in quibus omnibus studia auræ vulgi mutantur. Si ausus est dicere Socrates, quæ supra nos nihil ad nos: quanto nobis licet verius, quæ extra nos omnino nihil ad nos? Iam sæpius dixi, sapientem his non debere commoueri, neque ea cauere quæ perpetua non sint: quanto minus quæ nec perpetua nec diuturna, nec in nostra sunt potestate, nec vtilia, nec magni momenti?

Nihilominus si iustus est contemptus, aut illius causam submoue cum te torquet, aut aliquid honore dignum meditare ac facito, vt honor alia causa recuperetur. Etsi enim vulgus virtutem ac sapientiam in honore non habeat, nihilominus quemquam non despicit, nisi imprudentem aut flagitiosum, aut valde à fortuna afflictum. Si omnes miseros vulgus contemneret atque despiceret, non esset misericordiæ locus in vulgo: at est: igitur misericordiam oriri necessarium est, cum constans aut probus vir immerito aduersis afficitur. Verum dices, nihilominus & ipsa misericordia cum contemptu est. Nam etiam miseret eorum, qui ad supplicium ducuntur, quos palam est indignos omni honore esse. Erit ergo duplex contemptus, alius quidem cum voluptate, alius cum dolore, quem misericordiam appellamus. Ille est odio habentium, hic amantium: ille deterior, hic miserior. Præterea misericordia non oritur, nisi quia aliquid in illo esse existimamus indignum supplicio: velut ætatem, dignitatem, causam facti, virtutes & benè anteactam vitam, officia in nos ipsos, parentum innocentiam, filios paruos, inimicorum potentiam, patientiam illius, acerbitatem supplicij atque huiusmodi. Odium verò crudele cum contemptu, ex oppositis oritur causis. Est etiam misericordia cum honore & veneratione coniuncta, cuiusmodi apparuit in Socratis nece, & in his qui vel ob seditionem, aut religionis dissidia, aut iram populi vel principis, aut ob acres potentiorum inimicitias absque scelere perierunt, cum antea inter nobiles censerentur. Vnus Phocion, cum toties in supremo magistratu fuisset, cum contemptu tamen populi & absque flagitio periit. Nocuit illi opinio virtutis: vt etiam Ochi Artaxerxis patruo, qui solum ob id ab eodem cum centum ac pluribus filiis atque nepotibus occisus est. Multum ob id sidera posse credendum est, atque legis nostræ præcepta. Quæ vt atrocitatem mitigant, ita cultu intimo nunc obliterato non mitiores efficiunt, sed verecundiores: quandoquidem, vt lex rectè inquit, summum supplicium omnino sit mors, seu, vt Seneca inquit, ignibus seu carnificinis minutis excogitata, seu simplici vulnere. Ad idem omnia redeunt. Vnde Nero non vltra mortis simplicis genus etiam in coniuratos contra se sæuiit. Vt constet Italos hos nostros & Christianos, nomine tantum & Italos esse & Christianos, verè barbaros & Epicureos institutis, imitarique Germanos cum rotis, & Turcas exquisitissimis suppliciis. Ita effecerunt, vt occidere possent quos lege non liceret, tanquam morte ipse aliquid dirius esset, quo sublato liceret interficere. Sed quas habent leges ipsi, si suo tempore experiantur, à barbaris conqueri non poterunt. Si ergo iniustè contemnaris, non potest hic contemptus esse diuturnus. Quod si sit, in aliam patriam te conferas: egregias enim tuas dotes tecum deferens, relinques contemptum illum qui adeò te vrget. Maxima pars auxilij in contemptu est, contemptum contemnere posse. Sic Cæsar Catullum, qui probrosa admodum & infanda de se carmina scripserat, ipsa die cœnæ adhibuit. Qui parua contemnere non potest, magna ferre cogitur. Ita leues iniurias aut à plebeiis contemnere disces. Sed neque in his, quæ à principibus aut regnis totis, aut religionis causa, aut à magistratibus proueniunt, contendere vi oportet aduersus illos; sed blanditer rogando, deprecando, hortando, adiurando, beneficiis & officiis sibi deuinciendo, impetrare decet quæ velis. Tempus & occasiones interim & ius ipsum mouet hominum corda, & mutant existimationem de te.

Ex hoc autem genere maximè sunt repulsæ, quas tot viri illustres æquo animo tulerunt. Ferox S. Sylua & Portius Cato à præturæ petitione repulsi sunt. L. Æmilius Paulus, & Q. Cæcilius Metellus, cum consulatum obtinere non potuissent, & consulatum & censoriam dignitatem, & victorias insignes atque triumphos assequuti sunt. Nec P. Scipioni Nasicæ probitatis insigne nomen profuit, nec auunculi præpotentes Q. Ælio Tuberoni, vt à repulsæ rubore vindicarentur. C. Marius quoque septem consulatibus memorabilis Cimbricisque trophæis & Iugurthæ captiuitate triumphóque, vna die binas, totidémque pro ædilitatibus repulsas tulit. Marcus Coriolanus etiam, qui ob virtutem ab hostibus exercitui præfectus est, à ciuibus ob vnius diei dilationem consulatus repulsam subiit. Gabriel Condelmarius Venetus patritius, cum electus in Pontificem Senensem esset, à populo ipso reiectus est: hic tamen Pont. Max. creatus, Eugenius quartus est appellatus. Leontius è priuato sacerdotio eiectus, Pontifex Antiochenæ Ecclesiæ euasit. Simili exemplo Theodosius sacerdotio priuatus, ab Eugenio Pont. Max. & Gregorio IV. illius successore Saguntinæ Ecclesiæ Pontifex electus est. Quid aliud est ergo repulsa in præstanti viro & conteptus in probo, quàm stimulus ad maiora promouendi? Dico non solum ad honores, sed & dignitates ac magistratus ac potentiam. Iusta enim indignatio exacuit ingenia, animos addit, cogit auxilia quærere, reconciliari inimicis, blandiri æmulis, multa ferre, noua excogitare, dignitatis personam retinere, liberalitate vti, alios premere, alios euehere, potentibus atque principibus se insinuare, colere diligentius amicos & magistratus, valedicere studiis literarum, & ad ciuilem conuersationem animum applicare, ferre inter inimicos simultates, quosdem eò promouere, quò tu non possis pertingere. Quæ omnia quid aliud sunt, quàm gradus certi ad ciuilem potentiam obtinendam, atque ad honores ac nomen inter ciues egregium sibi comparandum? Non secus enim ac concusso lapide

ignis excutitur, qui aliàs latebat intus, vt ne vestigium quidem illius appareret: ita leui hac iniuria irritata feruida ingenia edunt mira virtutis exempla. Adrianus, antequam esset Imperator, agrestiùs orationem in senatu pronuntians ab omnibus est irrisus: at tantum abfuit, vt ille irasceretur, vt ex hoc ipso ad summam orandi & pronunciandi peritiam peruenerit. Memini, cum aliquando à Senatu repulsam quandam passus essem, nihil æquè ad authoritatem mihi in arte comparandam profuisse. Existimant enim homines in his, quos præstanti ingenio iam esse existimant, tanto plus illos valere vna in re, quanto minus in altera. Vt etiam contra, quanto plus in altera existimationis habere cernunt, eo minus in reliqua posse putant.

Est ergo vnius repulsa ac eiusdem disciplinæ aut peritiæ contemptus, alterius incrementum. Qui plus valent opere, minus creduntur docendo apti, atque è contra. Qui ciuilibus in negotiis præstant, minus in artibus præstare posse putantur. Habent enim plerumque homines sibi persuasum, tum quod

Non cunctis dat grata Deus,

tum quod

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Quocirca pluribus operam dare rebus artibusve, in singulis minuit existimationem. Memoratur à Cicerone pro miraculo Hippias quidam, Socrati coæqualis, vir omnium artium genere peritus & eloquens præterea, quod videantur vix contingere posse, vt mortalis homo imprimis propter vitæ breuitatem excellat in multis. Quamobrem quid de huiusmodi hominibus statuere debent principes ac mortale genus, qui tam præclaris naturæ conatibus pulchrisque spectaculis aut insidiantur, aut minimis ex causis periculum vitæ afferunt, aut, quod deterius est, succrescentia in maximam spem germina succidunt?

Vt verò contemptus iustam ob causam difficilis tollitur: ita qui iniustè nobis aduenit, intolerabilior est ac magis molestus. Sed vnde hoc? Ob tres maximè causas: inimicorum & æmulorum dolos, vulgi & imperitorum vanitatem, vitiáque tua, si non circa artem, proximam tamen arti; vt desidiam, auaritiam, iracundiam, inconstantiam, nimiam ambitionem, iactantiam & garrulitatem, rusticos mores, importunum ingenium, sordidum & incomptum corporis habitum, nec decentem professioni & auctoritati, petulantiam, lasciuiam, improbam stultitiam quamdam, & mores incompositos & inæquales, vitiáque & inimicitias ac infortunia magna coniunctissimorum, vt parentum atque filiorum & fratrum. Omnibus enim his atque aliis tam iniustè quàm necessariò minuitur auctoritas, læditur nomen, & existimatio offendit. Multis obest inopia: velut & mihi, cum ob paupertatem Mathematicas profiteri cogerer. Non ignorabam enim quantum auctoritati in Medicina ob hoc decederet. Sed quid facerem? non habebam. Eadem ratione & pannosus incidere cogebar. Vnde qui

Ante videbatur specie fœdicissimus esse,

Nunc diuis similis, magnus quos pascit Olympus.

Tantum potest vestium mutatio apud vulgus, teste Homero.

Ergo hæc in triplici genere collocanda sunt: quæ in nobis, vitia, flagitia, imperitia: quæ circa nos, maiorum mala, fama, vestes sordidæ, ingenita difficultas: quæ præter nos inimicorum & falsæ vulgi persuasiones. Vt verò circa hæc & de his aliqua singulariter, & ad rem proferam, cum aduenis & ignotis occurris, maximè cum comitate seruanda est auctoritas: atque ideò paucis verbis vtere, propriorum negotiorum nihil refer, nihil admiratione dignum recita, de temetipso non dicas quidquam, fugè opinionem leuitatis, garrulitatis, & ostentationis, & blandus esto tamen. Qui ergo immerito contemptus accidit, vt etiam reliqua infortunia, exacuere nos debet, non exstimulare in eum qui nos vt piscem cibi causa expetit. Quod si cum implacabili hoste rem habeas, debes non submittere ceruicem, non corpus humi deiicere, sed animosè obstare ingruenti procellæ.

Neque enim conuenit arma abiicere, veniam petere, spem in deditione aut precibus aut misericordia hostis vllam reponere. Abeant lachrymæ, facessant argumenta commiserationis, quæ animum tuum labefactare possunt, crudelis hostis sæuitiam minuere nequeunt, nec eius duritiem frangere aut propositum mutare. Dum enim speras, dum cunctaris, dum animum remittis, eo te deducit inimicus, vbi nec veniæ nec defensioni locus relinquitur. Inuidiam enim frangere, non lenire: rumpere, non placare oportet.

Interim verò, vt etiam aliquid ad principale propositum afferam, duo commoda gignit, maiorem scilicet securitatem, & occasionem minuendæ impensæ.

Abstulit clarum cita mors Achillem,
Longa Tithonum minuit senectus.

Quid etiam ad pietatem, ad iustitiam, ab bonos mores, ad liberiorem vitam magis conducere potest, quàm vt abditus viuas, nec tanquam expositus in publica scena? An manis prandere, cœnare, dormire in publico spectaculo, an in domo tua? Similem existima vitam eius, qui splendido in honore positus est, si ad humilem hominem comparetur. Caue tamen, ne cum te contemptum putes, nimis suspiciant homines. Neque enim idem est iniuriam accepisse atque contemni. Nam qui à principibus, à magistratibus, à multorum conspiratione iniuriam patiuntur, tantum abest vt contemnantur, vt etiam intelligant magni se æstimari. Cur enim ille se contemni iure existimare potest, ad quem opprimendum non vlla priuata vis, non plurium conspiratio sufficit, nisi publica potentia & nomine regio suffulta adiiciatur? Quamobrem qui secus existimabit, duplicem committet errorem: vnum, quod se contemptum putabit, cum non sit, duplicabitque iniuriam: alterum, quod magno in periculo se esse credet, cum arbitrabitur ex contemptu esse securum. Decet verò contemptos quietius viuere.

Sed cauere oportet, ne nos falsò contemptos existimemus.

existimemus. Vbi verò contemptos nos intelligimus, duplici modò occurrendum erit. Primùm, vt causam auferamus: scilicet garrulitatem, importunitatem, impatientiam, aut aliquid simile. Sed vt sciamus hoc, nos ipsos circumspicere oportet. Quamobrem velut iecur & pulmones magni abscessus occupare solent, non ita ventriculum aut vesicam, quod hæc membra magno sensu prædita sint, illa non: ita Reges & benè fortunatos frequentiùs magna mala opprimere repente solent, quàm contemptos & humilis sortis viros. Hi enim sibi semper, vt custodes vrbi, quæ in periculo est, cum cura aduigilant. Narrat Plutarchus Ciceronem, cum è Sicilia rediret, existimasse vniuersum Populum Romanum ei occursurum: at cum intellexisset, plerósque etiam rogasse post aduentum, vbi tamdiu fuisset? cœpisse nomina & prænomina singulorum, affinitates, ordines, amicitias, villas & etiam prædia quærere ac discere, atque hac ratione tantum profecisse, vt toto vertente anno, omnes ciues alicuius nominis aut existimationis de facie cognoscere ac nomine & prænomine salutare didicerit. Vnde postmodum tantus ei fauor, tantáque potentia accreuit, vt beneficio huius diligentiæ & eloquentiæ Arpinas Rex appellatur per iocum, quod certè in Republ. plurimum posset.

Memineris tamen duorum dictorum C. Iulij Cæsaris, eo notabiliorum hac in causa, quod vti lubenter admodum vnaqualibet in re credimus iis, qui in illa vltimum de se experimentum dederunt: ita Cæsari fidem debemus, & tanto promptiorem, quanto ipse omnes mortales gloria, etiam ante adeptum imperium, superauit. Erat autem alterum eius dictum, Facilius hominem è secundo gradu ad vltimum in ciuitate detrudi, quàm in primum in secundo ascendere. Quod etiam verum est in principum gratia, atque aliis ad dignitatem quamlibet aut ornatum pertinentibus. Alterum erat, Malle se primum esse Capuæ, oppido exiguo in transitu alpium, quàm secundum Romæ. Significans hoc, debere nos potius dignitatis rationem habere seu in arte eligenda, seu in ciuili conuersatione, quàm rei aut loci. Ita dicemus, malim esse primus tonsor quàm vulgaris Iurisconsultus, quamuis hic plus longè lucretur, & maiore sit in existimatione.

Sed nihil huic voluptati comparari potest, quæ ex conscientia principatus in quauis re percipitur. Verum melius est & optimum firmitatis animi argumentum, non sequi vulgarem consuetudinem, nec trahi inuidia aliorum, neque quæ aspernanda sunt natura, quæque ex te ipso negligeres, optare, quoniam alij magnifaciant. Hoc enim est alienis sensibus atque iudicio magis credere quàm tui ipsius. Denique vt voluptatibus non vincaris.

Iam si vides ambitionem nihil esse nisi inutile animi pondus & molestam vitam, cur quia modò alios ea detineri vides, denuò, quod reiecisti, amplecteris? Longiores sumus forsan hac in re, cum ad contemptum tollendum pauca sufficiant. Quia enim in negatione consistit, idcirco quælibet virtus, quælibet bona fortuna contemptum tollere potest, infamiam verò non ita. Nam cum in actione consistat, opinionem vt tollas necesse est: hoc autem difficile, vt suo loco explicabitur.

Verùm quia contemptus gloriæ & honori aduersatur: gloriam autem & honorem consequuntur potentia & opes atque amici: ideò ea, quæ contemptum tollunt libenter quisque discere cupiet. Sunt autem sex. Primum est Ciceronianum illud, vt τὸ πρέπον serues. Id simul congruum, honestum, dignum, decénsque significat. Latini non habent nomen simile: proximius tamen in significatu est, Decor. Hunc igitur, exploratis conditione tua, tempore, loco & consuetudine, diligenter ostendes in sermone primum, inde in vestitu, tertium in ambulando ac gestibus, itémque in societate, inque aliis actionibus, vt & familia atque habitatione retinebis. Secundum, vt vitiis careas. Ob id etiam raro ad conuiuia accedes, cum difficilimum sit in his non peccare, vel ipse non delinquendo vel delinquentes non irridendo, vel non inuitando vicissim, quo fit, vt rusticus auarusve aut sordidi domi apparatus existimeris. Propter hæc enim tria homines à conuiuiis celebrandis plerúmque abstinere consueuerunt. Denique, si inuitas, perit res, & difficile est seruare mediocritatem in sumptu, ne accuseris aut irridearis: in vtroque verò iacturam affers valetudini. Quid dicam de temulentis ac voracibus, quibus ferè in omnibus est inseruiendum? Alia res est apud continentes ac temperatos. Symposia tamē illa Plutarchi & Philelphi & Erasmi cōficta existima. Si sic posset celebrari, vt scribuntur, interesse illis non dubitarem. Sic tertiò à turpibus amoribus quæstibus sordidis, mutuo rogando abstinere oportet: operam quoque suam in pretio retinere, nec vili potentibus collocare. Sic Plautinum illud:

Illi issent drachmis miseri, nemo potest.
Minoris quisquam nummo, vt surgam, subigere.

Quod si cogaris, precario potius & gratis artem exercebis. Peccatur etiam quarto loco, non minus eruditione quàm inscitia, maximè apud plebem & æmulos, cum præposterè aliena profiteris: vt Iurisconsultus grammaticam, Medicus astrologiam, Princeps picturam. Sic Alciato, quamquam esset eminentissimus, apud inuidos eloquentia: nobis peritia Mathematicarum aliquid detraxit auctoritatis. Inuidus enim vt potator est. Nam sicuti huic ad bibendum omne vas: ita illi ad maledicendum omnis causa satisfacit. Ita etiam si nimium incumbatur his, quæ multum ab arte absunt & longum postulant studium: hoc namque apud omnes damnari solet. Vt Nizolius medicus, qui quantum gloriæ sibi in studiis Ciceronis ac nominis comparauit, tantum ab artis medicæ detraxit. Quocirca ad aras vsque progredi licet, aut studia exercitatione comparare: vt Leonicenus, Matthiolus, Vasaliúsque. Quintum est, vt amicos tibi potentes, aut plures, aut quàm addictissimos nomini tuo pares. Id autem, quomodo? superius dictum est. Vltimum est, vt opes tantas habeas, vt necessariis satisfacere possis. Necessaria

cessaria voco, dignitati tuæ, ordini atque existimationi congruentia.

Accidit autem sæpè circa huiusmodi negotiationes, vt homo simul ad duos magistratus aut dignitates ex diuersis prouinciis aduocetur, túmque versatur in periculo, ne ambas occasiones amittat, aut ambabus se implicando iacturam fidei & honoris, dum vtrisque pollicitus est, faciat. Ergo tunc sic agendum, vt rescribas te venturum his conditionibus, modò illi tempestivè receperint. Nam & aliunde te vrgeri. Id verò tutius ac modestius, si petieris vt quam celerrimè fieri potest, nulla adiecta causa, negotium absoluant.

Quod si contemptus hic circa artem proprium versetur, vt, quasi alter Bibulus in consulatu, domi maneas, speciatim ac diligentiùs res quemadmodum, patitur, non quantum postulat, excutienda est. Nam non sola auctoritas, vt in contemptu: sed res etiam atque lucrum petit. Eiusmodi autem aliqua auxilia, dum de paupertate loqueremur, attigimus. Verùm hic propriè locus cum sit, singillatim omnia attingere propositum est. Cum verò ex vnaquaque arte commoda quædam, præter lucrum, consequi liceat, opportunum esse duco de singulis differere, vt facilius intelligamus, quid ex illis commodi consequi possimus.

Ergo Grammatica memorem hominem faciat, & vt quæ scimus eleganter & clarè rectéque explicare possimus. Efficit autem & garrulos, velut & Rhetorica. Sed hæc facundos insuper & valdè memores, & ad argumenta conquirenda atque inuenienda accommodatos. Dialectica acutos & solertes in rationibus inueniendis, sed contentiosos. Vtraque autem harum facit, vt alias scientias pene nullius pretij esse existimemus. Quoniam idem esse putant, scire loqui de rebus & res ipsas tenere ac scire, nugari atque contendere. Geometria & cæteræ mathematicæ docent dignoscere verum à falso, tractationes exquisitas à probabilibus argumentis, iudicium præbent & ingenium acuunt. Ob id Aristoteles & Plato suaserunt, vt pueri illas discerent. Verum Geometria ad diiudicandas figuras & picturas, statuásque & rerum magnitudines & tardum iudicium atque securum confert. Arithmetica ad tractationem cum hominibus, ad mercaturam, ad solertiam ingeniique promptum discursum facit. Musica peculiarem medicis vtilitatem ad pulsuum cognitionem præbet, delectat plurimum, & promptitudinem in negotiis peragendis miram affert. Quoniam qui canunt aut pulsant, coguntur maxima velocitate & nullo interposito penè tempore voces acuere aut remittere, & verbis accommodare, & aliis canentibus aures adhibere, aut verborum loco manus mouere. Ob hoc inconsulti euadunt in negotiis suis, plerúmque etiam, vt suo loco dicetur, malorum morum & luxuriæ perditæ. Geometria verò & Arithmetica tristes efficiunt, ob longas cogitationes. Profunda enim ars & inuentio rerum earum, quæ certæ sunt, plurimum detinent animum atque delectant. Astronomia eadem facit, quæ Geometria & Arithmetica, sed magis cogitabundos efficit. Quoniam difficilior est, & longioribus periodis inuentiones illæ continentur, & imaginandi facultatem plus fatigant, & plus delectant. Sed omnes Mathematicæ immemores reddunt, & à ciuilibus ac domesticis actionibus hominem seuocant, vt vix inuenias quemquam illorum, qui multum profecerit in eis, bonum œconomum aut prudentem ciuem. At Architectura solertes prudentésque efficit, versatiles & ingeniosos: minimè tamen aut memores verborum aut officiosos, nec vlla in re excellentes. Sunt tamen & ipsi melancholici. Leges faciunt prudentes & memores valdè: in œconomicis tamen minus versatos, & pertinaces ac immobiles, vbi iam hæserint. In moribus autem ad extremum deducunt: aut enim optimi efficiuntur aut pessimi, medium tenere non possunt. Nam cum sciant tantum quod rectum est, si ei omnino student, necesse est optimos euadere: sin peruertantur, studio ipso & facto pessimos fieri necesse est. Sunt autem omnes ambitiosi, quamobrem & iræ eorum & odia & vitia quæcumque, si ab eis teneantur, nulla ratione sedari possunt. Ostensum est enim ambitionem esse omnium malorum propugnaculum, non tamen originem. Medicina facit rerum memores non verborum, callidos, versatiles, ingenio inuidos, auaros, dolosos, laboriosos, non ingeniosos & minimè graues. Opus enim eorum & exercitatio minus quàm liberalis est, & cum variis hominibus & assidua: ideò etiam varij sunt ingenij. Militaris disciplina impios, sagaces, vafros, crudeles: nihil boni dotibus ingenij addit præter promptitudinem & vigilantiam. Poëtica multum musicæ, etiam teste Aristotele, assimilatur, furorem addit & leporem, ingenio nihil, memoriam exercet. Facilè enim numerosam orationem memoriæ mandare docet. Differt autem toto genere quæ à studio & quæ à lymphatico impetu fit. Astrologia, reliquæque diuinandi artes, faciunt deceptores, captiosos & prudentes, mendacésque vanos & inanes: tales enim sunt mendacio addicti. Milites, poëtæ & vates in hoc communicant, quod læti viuunt, parúmque de futuro soliciti: licèt vates nihil aliud curare videantur, & militibus incumbant multa, omnésque atra bile incitentur. Ars rustica facit auaros, curiosos, solicitos, stabiles, agrestes, laboriosos, in quibusdam rebus solertes, litium inimicos, & voluptatum parum amatores: nec ingenio nec memoriæ conducit. Venatio laboriosos, agiles, crudeles, impigros, lætos atque alacres. Philosophia naturalis sapientes, probos, veri amatores, ingenium & memoriam auget, digna omni viro ingenuo. Moralis autem prudentes & vafros: ingenij & memoriæ non adeò vtilis. Politica simulatores & graues, in actionibus suis modestos quoque & auaros: in sermone gratos, factis parum pios. Chymica mendaces, cogitabundos, plenos vanæ spei, modò hilares, modo tristes, deceptores, nec memoriæ nec ingenij vtilis, adulterinæ pecuniæ fabricatores, planè stultos. Necromantia vanos, inanes, mendaces, stultos, deceptores, rudes, inornatos, vt etiam Chymica, atque pannosos. Mercatura dolosos, blandos, solertes & ad

omnia

omnia ciuilia negotia aptos: verborum memoriam aufert, ingeniúmque minuit, lucri cupidos & in conuiuiis liberales. Nauigatio sordidos, laboriosos, vigiles, contumaces, clamosos, impios, audacésque facit, haud ciuiles. Geographia, comes, studiosos, eruditósque, memoriæ verborum conducit. Videturque disciplina omnibus fermè vtilis atque conueniens. Fabrilis ferri industriosos, mediocriter laboriosos, simplices & melancholicos. Pictura inconstantes varij ingenij, melancholicos & circa mores valde inæquales. Pædagogia insaniam parit & ambitionem stultam, facitque iræ auidos. Scultura similis est picturæ, sed laboriosos magis facit, minus ingeniosos. Vtræque harum valde exercent vim, qua imaginamur, & ad libidinem puerorum plus cæteris artibus hominem inclinant. Gymnastica & saltatoria eisdem penè malis laborant, tantóque magis obsunt animi viribus, quanto corporis robori atque agilitati conducunt, faciúntque lasciuos, procaces ac incontinentes. Qui scribere docent, callidiores sunt pædagogis, & magis ciuiles ac cauti, ad picturam accommodati. Est enim id picturæ genus. Vestium autem artifices, solertes, fures, nugaces, mendaces, iucundi. Tonsores, nugaces, simplices, fatui, officiosi, neque ingeniosi, neque memores. Gemmarij, præter alios mercatores cauti, splendidi, graues, puerorum amatores, nisi vxoribus citò iungantur: sunt enim melancholici, & multa imaginantur. Caupones, dolosi, comes, hilares, faceti & mendaces. Coqui, læti, iocosi, ociosi, non satis firma valetudine. Chirurgi, dolosi, crudeles, sordidi, auari, faceti. Cursores, vigilantes, laboriosi, mendaces. Lictores, sæui, helluones, improbi, lusores. Argentarij fabri, morbosi, melancholici, parci. Mini, histriones, scurræ, ludiones, aretalogi, sycophantæ, circulatores, moriones, pantomimi atque huiusmodi homines è sordida plebe ac quasi fæx quædam, mendaces, gulosi, ebrij, nugaces, improbi, omnibus malis moribus præditi, nullis virtutibus, impudentes, procaces, lusores, nihil pensi habentes His proximi sunt præstigiatores, sed in victu temperati magis ac etiam ingeniosiores. Præstantiores his etiam qui in scena fabulas agunt. Ad memoriam hoc maximè confert, vnde pueros tum in his, tum in declamationibus exercere solemus. Tabelliones, memores, probi, cauti, neque vlla disciplina ingenuo viro dignior. Primæ Philosophiæ studium hominem facit ambitiosum, ingenio turbulento & ancipiti, callidum: negligit disciplinas omnes, parum etiam memoriæ confert. Professores gymnasiorum, auari, pertinaces, ambitiosi, contentiosi, grati, iucundi, memores, prompti, eruditi. Disputationes dialecticæ quantum prosunt imaginandi facultati, tantum obsunt rationi & memoriæ. Propterea didicisse præstat ac scire: vti non est necesse. Mathematicis tamen disciplinis conducunt. Sophisticæ ingenio vtiliores sunt, non tamen ad perquirendam veritatem sunt vtiles, nec vllis disciplinis. Quædam earum conducunt his, qui pulchrè mentiri volunt. Nam consententia præcedentibus dicere docemur. Tornare ad politiem spectat, & vitæ longitudinem, vt etiam lignaria fabrilis: cuiusmodi carpentaria sinceros & veridicos facit. Textores non vniusmodi sunt. Qui enim pictorum sunt operum, ingeniosi, melancholici, aliquanto constantiores: in opere pictoribus, in reliquis illis similes. Cæteri, vt aliarum vilium artium opifices, simplices, parum prudentes, nihil præter artem ipsam norunt, assidui in opere. Aurigæ, duri, fallaces, contumaces, crudeles, improbi, laboriosi, clamosi. Pharmacopolæ, callidi, mendaces, ingeniosi, ad ciuilem vitam satis accommodati, rerum maximè memores. Vnguentarij, blandi, irrisores, & ipsi rerum memores, adulatores, mendaces, deceptores. Ab his duobus seplasia originem duxit. Lanij, salsamentarij, molitores, deceptores, fures, iracundi: minus tamen salsamentarij: auari item, viles, sordidi, parum mente valent. Lusores, clamosi, impij, fallaces, fures, blandi, auari, sed inconstantes: quandoque enim & quibusdam in rebus prodigi habentur. Qui libros velant, læti, simplices, nugaces, corpus parum, animúmque minus exercent, varietate negotiorum delectantur, nouarum rerum cupidi, semper pauperes. Trapezitæ fidei tenaces, prudentes, parci, ad ciuiles actiones & conuersationem accommodati. Fœneratores, blandiores & mellifluis cum verbis, impij, auari, deceptores, credules & qui omnia, præter opes, negligant. Cæterum mercatores his etiam deteriores sunt, latrones domestici, seu laruati. Obstetrices inuidæ, mendaces, voraces, ambitiosæ, nugaces. Proxenetæ, mendaces, blandi, astuti, multarum rerum habent notitiam, inuidi, loquaces, auari, impudentes.

Generaliter autem artes omnes ac disciplinæ minus aptis sunt vtiliores: atque ideò quibus sunt magis necessariæ, his minus conueniunt. Velut tardis musica ad promptitudinem magis conducit: qui tamen tardi natura sunt, in musica minus proficiunt. Et qui memoria minus valent, verborum declamationibus & comœdiis recitandis admoueri debent, cum tamen cæteris his muneribus minus sint accommodati. Ita natura hominum sortes distribuit, vt vbi plus est necessitatis, ibi minus conueniat. Ergo quod proprium est vnicuique arti vtiléque, id excolere licet: vt in musica promptitudinem, in legibus memoriam, in mathematicis claras tractationes, efficeréque omni studio, vt homines te præstantissimum in arte ea esse intelligant, illíque maximè intendere. Ergo & abdicare debemus quæcumque eam opinionem possunt aut minuere aut mutare: velut aliena studia, curas graues, disputationes de aliis rebus atque ostentationem.

Quam stolidi quidam etiam notitiam earum rerum, quas non norunt, præ se ferunt? Quod quidem eo spectant, vt artem tenere perfectè atque scire te existiment. Verum neque hoc satis est, si non etiam credant te scire optimè vti. Id eueniet tum eisdem rationibus, tum si intelligant, te exercitationi assiduè incumbere, & si in potentioribus ac sapientibus viris id agas. Sapientes nunc ciuili illa sapientia intelligo, non eruditos aut literarum studiosos. Deinde si vtilem atque lucrosam esse videant. Illud verò ab ornatu & emptionibus ac sumptibus coniectantur. Illud

verò

verò tibi aliquod emolumentum afferat. Fac ergo vt obliquis quibusdam viis in eas coniecturas, incidant, atque vt eas combibant. Tum si te in omnibus rebus prudentem intelligant. Namque ex eo colligunt prudentem esse in exercitatione. Vt ergo prudentiæ opinio in omnibus & ad omnia vtilis est: ita stultitia cuncta euertit. Vt verò prudentem existiment, in Salomonis præcepto repositum est. Is enim, inquit, ex verbis, vestitu atque ambulatione esse coniectandum. Ea omnia loco, tempori, homini, consuetudiníque congruere debent. In omnibus autem his mediocritas est præstantissima, proxima illi parcitas, ac melior atque laudabilior effusione, vt taciturnitas loquacitate, tarditas in eundo celeritate. Vestes etiam sint iusto viliores potius quàm sumptuosiores, astrictæ magis quàm nimis amplæ. Loquacitas item, præter generalem iacturam, scilicet vanitatis, stultitiæ, ineptiæ & leuitatis, habet duo alia præcipua mala, quibus deterior est incompto ornatu & præcipiti incessu. Horum alterum est, cum multa loquendo aliquid dicis omnino imprudenter, & quod existimationi tuæ aduersetur. Alterum, cum aliquid profers quod ipsis rebus non congruit, & non solum vanitatis sed etiam mendacij coargueris. Ob id rectè dictum est in adagio. In sermone abundantiore non deest error. Quintum argumentum legitimæ exercitationis ab ipsa operum nobilitate sumitur: vt si pictor tabulam exponat numeris mancam, medicus deploratos curauerit, aurifex vasa ostendat operis Mentaris aut Phydiæ. Opificibus verò facilius est hoc atque commodius, quàm Medicis aut Iurisconsultis. Ratio est, quia opifices in opere ipso artis excellentiam declarant: illis verò, non opus sed iacturam & periculum, quanta sint, docere ad artis ostentationem necessarium est. Quocirca opificibus faciliùs est inclarescere & breuiori tempore, quàm Medicis aut Iurisconsultis. Cum opificibus erunt etiam musici & astrologi. Omnes enim opus suum ostendere possunt, atque in opere disciplinæ excellentiam. Verùm tametsi his in difficultatibus versentur huiusmodi nobiliores artes, vt etiam militaris, quæ quasi media est inter opificum & harum excellentiorum conditionem: nihilominus frequens deploratorum ægrorum cura multum ad existimationem mihi contulit, queadmodum in libro de libris propriis testati sumus.

Recolligamus ergo primùm quæ iam dicta sunt ad comparandum sibi opinionem peritiæ artis: atque ea sunt, munus publicum &, si occasio eius desit, aliquid in arte edere aut disputare, quod exiguum est, tum ob euentum, tum ob iudicia hominum aliqua, tum ob victi opinionem: aliena studia semouere & graues curas. Vt verò in exercitatione te clarum esse putent, diximus primam coniecturam à scientia, quæ in his tribus dictis reposita est, sumendam esse secundam, ex perpetua actione tum in potentioribus ac prudentioribus. Tertiam, à fine existimationis, scilicet lucro. Quartam, à prudentia in cæteris actionibus. Quintam, à fine artis, scilicet operis nobilitate atque perfectione. Est verò tertium necessarium, vt legitimè eam exercitatione administres, vt amanter, vt piè. Legitima verò administratio consistit in virtute, veluti fide, diligentia, patientia. In quibusdam præterea artibus, præter id necessarium est, vt in medicina & causarum defensione, vt cum collegis comiter concorditérque omnia geras, nec ambitiosè præripias munera, nec contentiosè repugnes, aut humiliter nimis agendo despiciaris.

His ergo tribus præceptis, quæ ex arte sunt & breuiter à me colllecta, dulciorem gloriam & securiorem & diuturniorem consequeris, quàm ex collusionibus cum sociis, obstetricibus, chirurgis, tonsoribus, pharmacopolis, cum cauponum famulis. Quæ etsi iuuent, non tamen parem afferunt gloriam, neque adeò ingens lucrum & maiore cum labore: & quod omnium peius est, non nisi cum scelerata conscientia, proditione laborantium, atque diuina indignatione. Idque inditio esse potest, quod cum tot opibus, potentia tanta, tot conspirationibus nihil fermè profecerant aduersus me, quamquam nullis senatorum fauoribus, nullis procerum suffultum patrociniis, antequam publica filij cæde & senatus ac principis auctoritate omnia, fateor, concussa sunt & euersa. Quibus non ego offensus sum, sed diuina maiestas tot annis mihi tutrix ac propitia. Quæ quamuis eadem priuatàm à filio repulerit manifesto miraculo, certis tamen fati sui legibus hanc tantam labem, omnis mali exempli simulachrum, in illum incurrere permisit. Quo id consilio, ad me non spectat scire. Id solùm scio, quod si vir bonus amicum suum in aduersis atque calamitatibus non deserit: Deum Opt. Max. id minus facturum in seruo suo, qui in illius gratiam etiam filium, Abrahami exemplo, iugulari passus est, ne tot annis patientiam, ob illius amorem & venerationem susceptam, in aliquo violarem aut interrumperem. Itaque quid illi egerint, videant. Namque, vt dixi, de fœlicitate in artis operibus eousque res his consiliis processerat. Vt verò indignum existimo, (ad rem enim redeo,) his artibus turpibus quæritate gloriam: ita neque commoda, quæ eueniunt saluis honestate, pietate ac fide, aspernari non debemus, neque ego sum ad hanc vsque diem, multóque minus ab initio aspernatus.

CAPVT V.

De Otio in arte.

PRopositum verò non est, vt diximus, otium in arte auellere, nec docere pollicitus sum, quamquam id præstiterim: sed ex otio illo inuiso, quod, quia cum iactura coniunctum est, grauius est contemptu, & certi & principalioris generis bonorum nostrorum vtilitatem capere: quare de hoc nunc dicere me oportet. Quæcumque igitur in arte consecutus sum præter cæteros, seu prædicendo, seu curando, seu quod politè artis opera tractarem, seu cum existimatione aut cum splendidiore lucro, aut in principibus, aut quod procul aduocarer, aut consilia pro exteris plura cōscriberem, aut quod maxi-

mum esse existimo, non solùm sine errore, sed etiam securè in eisdem operibus versarer, exiguóque cum labore, si modò quidquam horum mihi contigit, haud dubium est, totum illud me ocio debere. Nam velut qui saltare aut cheli pulsare discere cupiunt, id si sensim ac lente ab initio discant, ita proficiunt, vt perpetuò artem ipsam integrè & absolutè ac sine vitio vllo exerceant? sed si præproperè discant, nunquam ad absolutam & sine culpa artis illius exercitationem perueniunt. Ita ocium in arte præcipuè medica efficit, vt concinnè, pulchrè, ad amussim atque perfectè assuescas cuncta peragere. Inde vsu confirmatus tam promptè tu rectéque & absolutè cuncta perages, quàm cæteri inordinatè, confusè, perperámque sua administrare solent. Vnde tibi laus cum animi lætitia & bona conscientia adueniunt: illis multa incommoda.

Secunda vtilitas ex ocio est incolumitas, valetudo prospera, vitæ diuturnitas. Nam ex intempestiuis laboribus temperatura euertitur, vita cum viribus atteritur. Itaque per ocium valetudini operam dare licet, aptare rem domesticam, filiósque diligentiùs educare, aut etiam scribere. Cicero deplorabat omissum forense negotium, quo se beatum existimabat. Attamen hoc septennium, quo vacauit, scilicet ab anno vrbis conditæ DCCIV. L. Lentulo & C. Marcello coss. ad annum DCCXI. C. Octauio & Qu. Pædio coss. effecit vt etiam hodie ipsius nomen floreat. Illo enim tempore libros istos omnes, qui nunc extant, & multo plures, qui perierunt, scripsit. Quin solis his, qui supersunt, adeò gloriosus existit, vt vixisse dici possit in his annis, in quibus perire se existimabat: periisse, in quibus viuere. Nos quoque, quæ scripsimus, ocio debemus omnia.

Quæ res, forsan, quid ex scriptis ac studiis disciplinarum commodi? Quinque sanè præcipua & certa & cum reliquis bonis incomparabilia ex illis proueniunt. Sunt autem scientia ipsa rerum nobiliorum & abditarum commodum quod ex hac scientia habetur, quod tantum est, quantus est vsus in quem illa venit: gloriæ præsentis sensus, & eiusdem spes in posterum consequendæ: denique gloriæ vtilitas apud posteros tuos. Sunt præterea quædam minora aut minus certa, vt mens ipsa, quæ in scriptis rediuiua manet: tum gloria quæ superest, ob quàm solam multi, licèt absurdè, mortem oppetiere: & sensus, à suprema hora, tum gloriæ tum sapientiæ relictæ apud nos, si quis sensus est inferis. Et honores atque opes & principum gratia. Quæ cuncta solent plerúmque opinionem eruditionis consequi.

Rursus otio adiutore dum à profitendi munere vacarem quasi ociosus, insigne illud ac longum iter peregi, quo tot inuisi prouincias & sine quo, vt verè dicam, penè nullus eram. Adeò vt in præstantibus ingeniis simile quid videatur ocium facere ei, quod referunt de aquis lacus Samosathensis, qui in Comagene est prouincia. Quemadmodum enim illæ igni inspersæ flammam accendunt: ita otium in vna arte hominem ad nobilioris aut vtilioris disciplinæ vel negotiationis exercitationem accendit. O quàm sæpè accidit, vt omissa occasione leui maior & vtilior se offerat. Quemadmodum mihi accidit, cum recusassem in me solum suscipere totum onus curandi collegium Fratrum, quos vocant Regulares, quosque XVII. annis curaueram ita vt nullus ex ipsis interierit; qui mos aut fortuna mihi persæpe familiaris est. Recusatione enim illa collegij curationem amisi, cuius honorarium erat quinûm aureorum, & rebar mihi illatam iniuriam: sed incredibile quantum ex ea iactura lucri, ex illo casu gloriæ mihi comparauerim. Nam suprà duo integra talenta auri res illa mihi attulit, & curam Principum & profitendi munus Papiæ. Vt melior omnino fuerit hæc commutatio, quàm ea, de qua Homerus dixit:

Τεύχε᾽ ἄμειβε,
Κρύσεα χαλκείων, ἑκατίμβοι ἐννεαβοίων.

Permutat arma,
Aurum cum ferro, centumque boues bobus octo.

At malè postmodum cessit. & malè Aristoteli tanta sapientia, vt magna parte bonorum mulctatus, exul in Chalcide Eubœæ insulæ interierit. Dauus sum, non Oedipus. Noueram mores multorum in patria, sed non tantum profeceram, vt eò vsque attingerem. Quamuis & id ægrè confidebam, quod me tot annis tutatus essem, etsi sub aliis præfectis, sub aliis præsidibus. Tantam amentiam præsumere in filio non potui. Si præuidissem, facile fuisset auertere omnia. Sed, vt dixi, hæc diuinitus erant antea constituta.

Quod si vir inclytus iam prope senium in vrbem aliquam non admodum opulentam se conferat, vbi emendicare, vt ita dicam, clientes aut quasi trio precario artem exercere turpe sit: cogatur tamen ob inopiam, ob fortunam paruo viuere, quomodo tam perniti oso ocio occurrendum erit? Ne quidquam intentatum relinquerem, hoc iam proposui. Quid ergo aget? Occasio enim præceps est, neque exigua lucra indecora sufficiunt. Diu exspectandum est, quod moram non patitur. Ego sanè, si ibi nihil habeam constitutum, in ditiorem vrbem & magis populosam me conferam. Sed fac, vt non possim, quid agendum, inquis? Oportet è tuis submittere, qui in vno genere te plurimum posse affirment. Velut si medicus sis, in curatione hydropis aut tabis: si arithmeticus, artem magnam te optimè scire ac docere posse euulgent: si chirurgus, in sinuosis vlceribus aut ani: si tonsor, in purgandis aut confirmandis dentibus aut fuco illustri conficiendo, aut manibus mollibus reddendis te extollant ac singularem tuam experientiam prædicent. Namque quod vna in re excellere te dicant, facilè persuadebunt, & quod vni illi incumbas, consentaneum est, vt credant etiam te esse expertissimum: nec inuidiam mouebis, quæ principiis maximè aduersatur. Ex hac vna ad plures sensim transibis, artibus iisdem, quibus dixi, munitus ac rationibus. Oportet autem illos tentare, qui cum pluribus versantur: vt proxenetas, tonsores, eosque qui affinitatibus multis fulti sunt, quique nugaces sunt.

Verùm seni in ocio, modo per inopiam

viuere liceat, magnum certè commodum est. Vt enim dicebat Seneca, quando quidem vita tota nauigauerimus in tempestuoso mari, liceat saltem, cum morimur, esse nobis in portu. Neque vlli dubium esse debet, quin moriturus non æquiore animo mortem laturus sit, si ex ocio emigret, quàm si ex assiduis artis negotiis: sua etiam melius ordinabit ac constituet. Si etiam inuideas aliis, quod neque illis vtile est, neque tibi futurum salutare, maximæ stultitiæ te coarguam. Forsan hoc te latet, quod omnis negotiationis finis est ocium, vt belli pax, & itineris accessus ad locum & ingressus, litis victoria, studiorum scientia, quin & huius vitæ mors. Atque hæc est Aristotelis sententia. Quis ergo tam amens est, vt velit negotiationem in infinitum protrahere? Ergo quanto celeriùs ad finem perueniamus, tanto nobis melius erit. Verum iam de infamia agamus.

CAPVT VI.

De Infamia.

OMnis infamia honori ac laudi opponitur. Quocirca eos, qui infames habentur, laude & honore indignos existimamus. Sunt autem duplices: alij, quibus à legibus infamia inuritur, cum grauibus pœnis, licèt euadant, aut postmodum liberentur principum venia ac gratia. Alij, qui solùm infames iudicantur, tametsi pœna nulla adiiciatur. Qui ergo capite damnati non sunt, in potestate infames fiunt, vt & qui ad triremes releganttur, aut in insulam deportantur, & qui tabelliones eò munere priuantur. Erat olim Censorum hæc potestas. Alij vulgi voce infames appellantur: quod perinde est, ac si quis à coruo infamis nominetur. Ergo hæc calamitas neque munera, neque honores publicos aufert, aut eis nos priuat. Obest tamen tribus modis. Primùm, quod in hos permissum est iudicibus seueriùs inquirere, si eius criminis, ex quo infamia laborant, accusetur. Secundum, quòd multi ab illorum consuetudine absterrentur, maluntque se tutos esse, quàm experiri. Tertium, quod omnis infamia vrit hominem. Nam si iusta, periculum est, ne æmulatione, odio inimicorum, aut casu ad iudicium tribunal deferatur: si iniusta, quid crudelius, quid miserius, quàm haberi pro improbo cum probus sis?

Verùm vbi habites, quod sæpè dixi, considerare debes. Nam plurimùm refert vbi viuas, & vt vulgi clamoribus non infameris. Cum enim rectè vixeris, ibi habitandum est, vbi existimatio hominum in iudicum solùm sit potestate. Nam præterquam quod existimatio tua his vocibus lædatur, simul etiam virtus & eruditio premuntur, obfuscantur & obtunduntur, scelesti & pessimi quique & imperiti euehuntur. Hoc hominum genus Socratem & Aristotelem & perdidit. Quod certè veneficis ac latronibus longè est pernitiosius. Nam hi propriis solùm dolis, insidiis ac viribus innituntur: illi quorumcumque etiam magistratuum, vt quos propriis viribus obruere posse diffidunt, alienis & sub specioso iustitiæ titulo opprimant. Nullibi magis vixit hic mos, quàm Athenis: vnde & eam vrbem ex florentissima reddidit calamitosissimam. Vbi enim vides bonos euerti, malos dominari, infandáque omnia atque iniusta perpetrari, ibi & seditionibus vrbem agitari necesse est. Quod si iam mali dominentur, nulla quidem seditio oritur, sed oppressis imbecillioribus, in aliorum seruitutem omnes decidunt: vt in Lacedæmoniorum Athenienses sub triginta tyrannis.

Ergo miserrimum est homini populari, infamia obrui: in qua non habes de quo conqueraris, quem accuses, quod crimen aut cuius criminis suspicionem deuites, cui irascaris, de quo vltionem sumas. Quod si obluceteris, vbi te sentiunt torqueri, audacius insurgunt, vt cruciatu & dolore te perimant. Quicumque te oderit, ob iram, ob iniuriam, ab eo, qui bonus esse potest, sperare licet remissionẽ vltionis: at qui te ob virtutem, ob sapientiam lædit, non est quod speres quod tui misereatur. Inoleuit consuetudo, vt bonos stultos existiment, & sapientes solùm insignis improbitatis viros, in dicou dos, fures, insidiatores, crudeles, modò cautè & saluis legibus cuncta facere norint. Quod si vlcisci coneris, subiaces magistratui. Imò, quod maius est, Deum offendis. Hæc autem offensa multis vitæ spatiis, multis imperiis pensari non potest. Vno etiam aut duobus interempto, quid actum? si occultè, nihil egesti, mille supersunt: si apertè, vt alios deterreas, pœnas das legibus.

Christiano viro hæc facilia, Apostolum consule. Integram institutionem seruare oportet, non in diuersis vitæ generibus versari, qui felix esse velit. Si existimas, (omissis modò frigidis ratiunculis Philosophorum,) animum superesse, durum non est pati. Si non existimas, non est cur, vt inuidiam moueas, alieno vitæ genere vti velis. Nam ex hoc inuidia, ex inuidia conflatur infamia, seducta ab æmulis plebe. Cur enim alij, qui teipso beatiores sunt opibus, auctoritate atque aliis fortunæ bonis, infamia non laborant? Ergo, quo tu labores, tuum crimen est. Inanem quæris ambitionem, ideò conflas tibi inuidiam. Si sanctè viuere vis, non prohibeo dicunt æmuli, sed hoc non ostenta, præbe vitæ speciem similem nostræ, quos vis tuo more viuere. Ergo querela iniusta est. Quod si iam te oppresserit, causas infamiæ dilue amicorum testimonio, ostende cur erumpant, cur confictæ sint. Facile est euincere. Si vnius generis imperitum te esse aiunt, disputa in foro. Si perfidum, negotia alicui publico cura vt præficiaris. Si insolentem, exhibe te humilem. Sed si stultum appellent, in iudicium voca. Nam hoc infamiæ genus adeò incerti generis est atque perniciosum, vt hominem euertat, nec possit conuinci. Si igitur magistratus vlciscatur, liberaris metu & infamia. Si non curat, aliò te confer, vbi occasio superuenerit. Difficilis est enim ille cruciatus, qui nunquam hominem deserit. Cum abis, simul, Æneæ exemplo, deos tecum auehe.

Sed iam ad principale propositum reuertamur.

tamur. Primum quidem vltiones plurimas videbis, atque eas cum voluptate spectare licebit. Namque scriptum est, Beati qui esuriunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Licet odisse malos & improbos, non inimicos: at inimici boni esse possunt. Improbi verò sunt, qui sine causa malè de te loquuntur. Iustè ergo hoc inimicorum genus odisse potes, atque etiam de illorum incommodis & calamitatibus gaudere. At ne dubites quod calamitates sint perpessuri necessariò, & quidem tribus ex causis. Prima est, quod natura mortalium eiusmodi est, vt semper sit obnoxia multis aduersis casibus: qui quanto serius adueniunt, eo postmodum sunt atrociores. Secunda, quod iniurij cum sint, & in ciuitate malè ob id instituta, necesse est, vt multa mala succedant. Tertia, quod Deus vltor non deest. Inquit enim Salomon, Aquæ vnda animus regis est, & in manu Dei, qui quocumque libet, inclinat. Sunt etiam iniqua iuditia Iurisconsultorum, errores Medicorum, doli pharmacopolarum, bella, pestes ac innumera alia mala. Fac modo, vt iustè dicere possis illud Micheæ: Popule mi, quid tibi non feci? Ego pro te depugnaui, multorum subij odia, pluribus periculis me exposui, damna magna accepi, tu verò has mihi gratias reddis? Verùm, vt dixi, duplici emolumento in hoc frueris? & quod, de quibus dolebas quod opprimerentur, gaudebis tanquam de improbis & tibi meritò inuisis: & quod his, quos oderis, iam mala superuenire videas. Nec metuas aut fallare, aut exiguam moram iniquo animo feras. Nam velut murus ex lapidibus absque cemento consistere nequit: ita nec diu ciuitas absque bonis & eruditis, eorumque defensoribus. Ergo iusta infamia vera magistra vitæ nostræ est: iniusta, dolor calamitatum aliorum, vtpote improborum & propriarum, quoniam cor obtundit & in aduersum flectit, aufertque aut magna ex parte minuit. Erit etiam tibi liberum, velut in captis vi vrbibus hostilibus sæuire iustius, multare pecunia, exigere sine respectu, modò nihil dolosè: omnia enim liberius agere licet in tui commodum, illius autem incommodum. Quarta vtilitas est, quod cum falsa infamia premeris, efficies vt vera de te crimina minus habeant fidei apud sapientes, atque Principes & magistratus. Quinta, vt sæpe te, dum lacerant, euehant. Dum Mediolani senex quidam me inuisum haberet, dicerétque inutilem arti medicæ, collaudabat me Præsidi Sacco Senatus tanquam ad profitendum aptiorem. Eam vocem ita ille excepit, vt, qui sciret ab æmulo proficisci, ei muneri me præficeret, quod mihi vtilius fuit. Ocium etiam maius nactus sum, & in arte existimationem auxi. Tot infamiæ igitur sunt commoda atque etiam alia, vt nempe tibi caueas diligentius, vt pluribus sis cognitus, vt deprehenso fuco celerius emergas.

Solum illam metuere oportet quæ ad crimina maxima pertinet, velut læsæ maiestatis & hæresis. Vix enim ab illa, quantumuis innocens, euadere licet. Quare in eiusmodi nec contemnere initium, nec differre oportet: sed statim delatores ipsos accusare expedit. At quoniam infamia ab inuidia oritur, si iniusta sit & ex calumniæ genere, ideò de inuidia dicendum est.

CAPVT VII.

De Inuidia.

TRia sunt, dicit Seneca, quæ hominem deuitare summo studio decet, odium, contemptus, & inuidia. Eodem fermè tendunt hæc omnia, vt hominem scilicet euertant. Sed contemptus rem peractam potius ostendit, odium & inuidia mali seu iacturæ atque malorum nostrorum causam: Sed si inuidia non obest, aut inuidus ignauus est, vel impotens, vel stultus, vel timidus: tam inuidus, quàm inuidia magno, si qua res alia, nobis non emolumento. Cum enim inuidus cuncta quasi perspiciliis videat, æstimétque aliena bona pluris longè quàm sint, nullius opinione beatior aut potentior est homo, quàm inuidorum iudicio & existimatione. Est autem, vt Plutarchus inquit, inuidia odio persimilis: & in hoc conueniunt, quod vtraque beneuolentiæ aduersatur, ac de felicitate commodísque alienis dolet. Differunt verò, quod inuidia est omnium & ob felicitatem: odium autem quorumdam hominum solùm, & quoniam simpliciter illum malum esse existimant, aut sibi saltem malum. Rursus inuersa ratione, odium in omnibus animalibus inuenitur ex offensa: inuidia autem in solo homine atque canibus. Inuidia etiam sine causa est: odium autem cum causa. Inuidia etiam affectus est minor odio. Nam inuidia est eius solum, quod excellit, quatenus excellit. Quamobrem inuidus, solum cupit vt homo, cui inuidet, ad mediocritatem reducatur, non autem illius interitum. Neque ob id miseris aut principibus inuidemus. Sed his quidem, ob excellentiam nimiam, non audemus comparare nos. Illos autem negligimus ac potius eorum miseremur, quam vt eis inuideamus, quoniam non excellunt. Et ob id etiam fratribus atque coniunctis inuidemus: non tamen illos odio prosequimur. Odium quoque interitum cupit, & quanto magis, qui odio habetur, virtute aut fortuna augetur ac grandescit, tanto magis odium confirmatur & viget. Inuidia autem, vt dixi, interitum non optat. Odium etiam in quoscumque dirigi potest, si ab his offendamur: inuidia autem solùm in cognitos. Cessat verò aliis ex causis quàm inuidia: scilicet, si vel melior illo euadas, vel intelligat se abs te nullam passum fuisse offensam, vel ob beneficia in ipsum collata. Inuidia verò tantum abest, vt ab his sedetur ac extinguatur, vt etiam ab opinione, quòd probus sis, & à beneficiis irritetur. Inuidia præterea semper est cum vitio: odium autẽ sine illo esse potest. Nam malos odisse ad virtutẽ potiùs, quàm ad vitium pertinet. Propterea Lycurgi filium Chariclem Spartæ principẽ plerique, vt Plutarchus refert, vituperabant, quod malos, vt par erat, odio non prosequeretur. Ideò omnes homines aliquos prosequi odio se, tanquam rem minimè turpem, fatentur: at inuidere se alicui, nemo vult fateri: quoniam ipsa re crimen

crimen detegitur. Inuidia animi vitium est, & inuidere peccatum atque flagitium. Inuidia etiam cum iniuria in hoc conuenit, quod vtræque malè afficiunt hominem. Etenim inuidia autorem suum discruciat & vrit, non alios vllos. Vnde illud.

Inuidia Siculi non inuenere tyranni
Maius tormentum.

Itaque & qui inuidet & qui iniurius est, malè afficiuntur. Pari ratione cui inuidetur & qui patitur iniuriam, calamitatem non leuem perpetiuntur. Hic, quod durissimum est, ferre cogitur: ille, tot habet inimicos, quot inuidos. Inuidia etiam iniuriæ quoddam initium est & quasi semen, atque iniuria imperfecta: iniuria verò effectus & finis inuidiæ. Ob id etiam, qui iniuriam inferunt & qui recipiunt, per inuidiam inferunt atque recipiunt. Namque qui damnum aut dedecus alia ratione recipit aut infert, quàm propter odium aut iram: non iniuriam recepisse aut intulisse dici debet, sed vltionem potiùs. Aliter etiam hæc inter se ac quasi contrario modo conueniunt, velut si eum, qui inuidet, ei, qui iniuriam patitur, comparemus. Vterque enim dolore afficitur. Etiam qui infert iniuriam, cuique inuidetur, is præstantior esse videtur. Licèt ergo inuidia causa sit iniuriæ: inuidia tamen est calamitas & flagitium. Iniuria autem solum flagitium in eo, qui eam infert. Inuideri verò nec calamitas nec flagitium est. Iniuriam accipere, calamitas est, non flagitium. Ex quatuor igitur his, vnum sub vtroque collocatur, scilicet inuidere: vnum sub neutro, scilicet inuideri: duorum reliquorum singulum sub singulo, vt in tabula hac exposuimus.

Inuidere, calamitas & flagitium.
Inuideri, nec calamitas nec flagitium.
Iniuriam inferre, flagitium.
Iniuriam accipere, calamitas.

Ergo cum sermo sit de calamitatibus, non autem de flagitiis institutus, de his, qui inuident, dicendum non est. Quoniam, vt ab initio diximus, flagitium admittunt & peccant. Similiter nec de his, qui iniuriam inferunt. Reliquum est ergo, vt de illis solum agamus, quibus inuidetur vel qui iniuriam patiuntur. Attamen non abs re fuerit eorum, qui inuident, damna & effigiem, ab Ouidio pulchrè depictam, hic ob affinitatem nominis describere. Sunt autē huiusmodi carmina:

Domus est imis in vallibus antri
Abdita, sole carens, non vlli peruia vento,
Tristis & ignaui plenissima frigoris, & quæ
Igne vacet semper, caligine semper abundet.

Inde paulo pòst mores depingit:

Surgit humo pigrè, semesarúmque reliquit
Corpora serpentum, passuque incedit inerti,
Vtque Deam vidit, formáque armisq; decorā
Ingemuit, vultumque Deæ ac suspiria duxit.

Demùm etiam calamitatis eorum meminit:

Sic lethalis hiems paulatim in pectora venit,
Vitalésque vias & respiramina claudit
Nec conata loqui est, nec si conata fuisset,
Vocis habebat iter, saxum iam colla tenebat
Oraque duruerant, signum exangue sedebat,
Nec lapis albus erat, sua mens infecerat illū.

Est etiam inuidendi genus duplex: cum alij aut bona inuides, aut mala illi optas. Prius certè minus malum est. Tam enim proximum id est sibi, desiderare atque concupiscere bona, vt iam non sit flagitium, sed sola calamitas. Quia tamen in vitio animi reposita est, de illa pertractare præsentis non est propositi. Verumtamen cum bonum illud, quod alij inuidemus, honestum est & cum virtute coniunctum, tunc vocatur æmulatio. De illa igitur dicere operæ pretium fuerit.

Hæc sanè virtutis quoddam genus est & stimulus ad egregia facta. Quam idcirco, vt dixi, literarij ludi magistri ad exercendos, erudiendos, euehendósque pueros animis illorum adhuc purioribus insculpere debent, non in illis depingere. Dicere solebat Themistocles, Miltiadis trophæa illum excitare. Et verè ad summam pro patria virtutem & gloriam surrexit. Cæsar narrat de duobus tribunis exemplum admiratione dignum, quorum vterque alteri causa salutis fuit. Est autem æmulatio triplex: aut eiusdem virtutis: aut eiusdem honesti, vt opum, gloriæ, potentiæ, autoritatis: aut diuersorum, velut apud Salustium in comparatione Catonis & Cæsaris. Erat enim in diuerso genere, sed vtraque clarissima. Vtar autem ipsius verbis. Memoria mea ingenti virtute diuersis moribus fuere duo viri, C. Cæsar & M. Cato. Quos quoniam res obtulit, silentio præterire non fuit consilium, quin vtriusque naturam & mores, quantum ingenio possem, aperirem. Igitur his genus, ætas, eloquentia, prope æqualia fuere, magnitudo animi par, item gloria, sed alia alij. Cæsar beneficiis & munificentia magnus habebatur: integritate vitæ Cato. Ille mansuetudine & misericordia clarus factus est: huic seueritas dignitatem addiderat. Cæsar dando, subleuando, ignoscendo: Cato nihil largiendo gloriam adeptus est. In altero miseris profugium erat, in altero malis pernicies. Illius facilitas, huius constantia laudabatur. Postremò Cæsar in animum induxerat, laborare, vigilare, negotiis amicorum intentus, sua negligere, nihil denegare quod dignum esset, sibi magnum imperium, exercitum, nouum bellum exoptabat, vbi virtus enitescere posset. At Catoni studium modestiæ, decoris, sed maximè seueritatis erat. Non diuitiis cum diuite, neque factione cum factioso; sed cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinentia certabat. Esse, quàm videri bonus malebat. Itaque quò minus petebat gloriam, eò magis assequebatur. Hoc igitur est æmulationis in diuerso genere certum exemplum.

Est & alius animi affectus similis inuidiæ, & ex eodem genere fermè, sed iustius indignatio vocatur. Quæ fit cum indignos præter merita euehi vel fortunari videmus. Quod cum citra animi vitium accidat & tamē torqueat, vt de illo agamus, occasio ipsa nos admonet. Communicat inuidiæ, quoniam inuidus etiā de bonis ac dignis angitur, si quid contingat illis pro meritis. Vnde indignatio & inuidia homines ad studia rerum magnarum accendunt. Tria enim hæc, æmulatio, inuidia & indignatio, nisi desidiæ iungantur, stimuli sūt ad virtutes & magna opera, nec ob id pueri ab inuidia arcendi sunt, nisi fuerint ignaui.

Est enim calcar ad magna opera. Et inuidia, si coerceatur & temperetur, facilè transit in æmulationem vel indignationem. Ideò cum duas virtutes proximas habeat, non debet inuidia inter vitia aut mala numerari. Ferunt Aristotelem indignatione Xenocratis Academiam erexisse, & profiteri cœpisse; adiicientem etiam, turpe esse Xenocratem loqui & ipsum silere. Sed si indigni tibi præferantur, spes est facilè te locum recuperaturum: imò nec existimabitur illum prælatum fuisse, sed euersum iudicium. Ideò hoc non malum est. Si etiam indignus præfertur, & non cum aliis conspiret, facilè euertetur. Si autem cum aliis indignis conspiret, bonorum & præstantium virorum causa non periclitatur. Si verò cum dignis, illi non videbuntur digni. Itaque indignum præferri longè minus malum est, quàm dignum. Quinetiam, si quando occasio tulerit, vt ad eum locum peruenias, indignum superasse facilè fuerit: dignum autem difficilius. Ergo vt inuideri voluptas est & res vtilis ac gloriosa, & ad augendam existimationem necessaria: ita inuidere & indignari causa est, vt ad maiores honores ac statum digniorem perueniamus. Ferunt Themistoclem, cum iuuenis esset, dixisse, se coniectari quod nihil splendidum fecisset, quoniam inuidos non haberet. Ergo & inuideri & inuidere, si quis occasione vti norit, vtile est atque bonum. Sed inuideri, præsens est: inuidere autem, in futurum extenditur. Sed & inuidia, cum species sit inimitiæ, cautiorem reddit. Inuidus enim si potest, deprimit, non occidit. Quoniam propositum solum est, vt illum superet & ei superemineat, & quoniam minus est periculosum, quàm occidere: tum etiam minus mali exempli, & quod illius actio sit hominibus magis nota: sed si hoc non speret, pernitiem molitur.

Porrò cum quatuor sint rationes, quibus hominum iudicia & æstimatio moderantur; res, opinio, ratio, & necessitas: videtur opinio plus posse in hominibus. Quæ enim magni æstimantur, vt filij, multi omnino negligunt, putántque affines omnes, modo boni sint, eo posse reponi. Diuitias plerique maiores esse putant, nec res credunt aliquid esse, nisi quatenus ab hominibus in pretio habentur. Ratio vincere deberet verum necessitas superior est. Negligere ergo licet quædam tanquam parua aut incerta aut dubij euentus: quædam, quia opinione aliis minora sunt: nonnulla, quoniam rationi paremus: omnia, necessitatis & sortis humanæ memores. Quamobrem qui inuidia vel iniuria torquentur, soli opinioni succumbunt. Exigua enim vniuersa mortalium bona sunt: sed huiusmodi inprimis perquam minima mala.

CAPVT VIII.

De Iniuria.

Iniuria ergo est iniusta offensa sponte illata. Nec quidquam est quod magis mortalium genus moueat. Ob id scire expedit, à quibus iniuriam quis pati potest, & qui pati possint, & in quibus, & ex quibus, & an vlcisci bonum sit, & quomodo euitanda, & quæ bona ab illa decerpere liceat, nec non, quomodo iniuriæ satisfieri possit? Non patimur certè à Deo iniuriam: absurdum enim id putare, cum ille sit optimus atque iustissimus, & nostri prorsus dominus. Etenim Deus nostri est Dominus non vt rex. Regum enim dominatio tyrannica est: nam dominantur nobis solùm ex communi consensu aut etiam vi. Quare si quidpiam abstulerint, non auferunt quod suum sit, atque ob id iniuriam inferre possunt, si iniustè atque scientes &, vt iniuriam faciant, abstulerint. Neque enim reges nobis vitam aut formam aut corpus aut incolumitatem dedere, nec filios etiam nec sciétiam. Forsan fortunarum domini esse vel dici possunt, quoniam, etsi non dederint, dare possunt. At cum Deus omnia hæc dederit, si sustulerit, non iniustè dici potest id egisse, neque multo minus iniuriam intulisse. Non ergo à Deo propter has omnes causas iniuriam pati iure vnquam dicere possumus.

Sed neque, qui nesciunt quid sit iniuria, iniuriam pati possunt. Oportet enim eos scire, quid sit iniuria: quoniam ille, qui infert iniuriam, si debet inferre, eo animo oportet vt inferat, vt iniuriam faciat, nobísque eam accepisse intelligentibus. Quocirca iniuriam neque belluæ neque infantes neque insani recipere possunt. Neque enim, quid sit iniuria, tales norunt.

Alud autem est iniustè agere, aliud iniuriam inferre. Etenim & qui vi coactus tibi nocet, seu bona corporis seu diuitias seu honorem auferat: aut etiam si iniustè id agat, sed iustè agere se existimet: vel etiam iustè si id agat, vel omnino etiam si iniustè sciensque sed non vt iniuriam inferat, sed quia putet te latere, vel ob lucri cupiditatem his omnibus modis damna inferet, iniuriam non inferet, quamquam in plerisque etiam iniustè id agat. Contingit etiam ob id iniuriam inferendo iustè agere. Vt si contingat, quod idem iustum sit & tibi iniustum videri possit, ob inimicitias vel ob certas causas. Id fit, cum iudices auidè damnare aliquem videntur. Atque adeò vt etiam, si contingat, iniuste sint damnaturi. Eò spectat si alium quempiam iniustè absoluerint. Videntur enim damnaturi etiam si iniusta fuisset damnatio. Quod si in simili casu iniustè absoluerint alium, iniuriam tibi illatam potes existimare. Aliud ergo iniustum est, aliud iniuriam pati. Atque hoc deterius est quàm primum. Cæterùm si tu tanquam iniuriam factam existimas, iudicium, seu iustũ, seu iniustum, iniuria non est. At si ille putat se iniuriam intulisse, tu autem nõ accepisse, quia animum non noris, aut iudicium iustum esse putas, iniuria est. Sufficit enim ad hoc, vt iniuria haberi debeatur, quod animo eo intulerit, vt obesset & tu intelligere posses: quamquam neque obfueris neque intellexeris. Et ob hoc, vt dixi, nec cani aut equo aut puerulo iniuriam inferre licet: neque enim intelligunt nec intelligere possunt. At vir si non intelligat, intelligere potuit. Si ergo facere potuit, vt intelligeret nec ausus est, aut neglexit iniuriam, non intulit, nisi tu intellexeris. Cum enim, vt inferret, intulit: tu verò, etiam si mentem non declarauerit, intellexisti,

lexisti, iniuriam intulit. Quòd etsi intulit quidem, nec tantum declarauit vt intelligeres, cæteri tamen iniuriam illatam esse intelligunt, iniuria est: quoniam quòd alij intelligere potuerunt & tu intelligere potuisti. Idque maximè si iniusta sit offensa. Ergo rectè Parthenopæi, quòd & Aristotelis est, elata manu, quamvis procul quis absit, censent iniuriam & colaphum illatum & acceptum. Declarauit enim ille se nocere velle atque iniuriam inferre tibi, sic vt intelligeres iniuriæ inferendæ causa intulisse. Sed quid, tu prius illi iniuriam intulisti? Non potest sua iniuria appellari, quoniam tu iniuriam accipere non potes ab eo, à quo promereris vltionem. Vt enim iniuria sit, oportet vt tu, si non iniustè, immeritò saltem accepisse dici possis ab illo, quem neque tu læseris, neque illius coniunctum. Quare cum iniusta offensa ab illo dici non possit, qui infert, neque etiam iniuria dici poterit. A regibus ergo atque magistratibus, quoniam sub prætextu iustitiæ multa illis facere licet, non tam facile est existimare iniuriam acceptam. Sed neque ab his, quorum interest, vt ius administretur. Cum ergo nullam ob causam iniustè aliquid agitur quo læderis, seu à periurato seu à magistratu, iam iniuriam te accepisse existimare potes. Eò autem magis si inimicis ille sit vel inimicis tuis coniunctus, qui læsit. Atque hæc haud obscurè.

Quòd si etiam coniunctissimo tibi, veluti filio, parenti, fratrive iniuriam intulerint, tibi intulisse videntur. Licèt non, vt tibi inferrent, id fecisse videantur. Solum dubium est, cum illi offensam acceperint, non iniuriæ nomine neque iniustè, (nam tunc iniuriam non velle inferre videntur, sed vltionem:) verum casu & ob necessitatem, an tunc vlcisci velle ad iniuriam pertinet, dubium est? Nam de excessu si paruus sit, non pro iniuria censeri debet. Et similiter, si vltio longè maior fuerit aut in alio genere: vt si honor violetur pro pecunia sublata. Vt ergo minimè à Deo iniuriam patimur: ita à parẽtibus vix fieri potest, vt iniuriam patiamur. Primum, quòd ipsi nos ament: deinde, quòd etsi iniustè quidquam erga filios admittant, non tamen id agunt, vt iniustè agant, sed vt prosint vel, ad summum, vt vlciscantur. Ob id etiam raro à filiis parentes iniuria afficiuntur. Namque, etsi iniustè agant, vltionis aut iræ causa agunt.

Dubitandum est ergo, An iratus iniuriam inferre possit? Siquidem, vbi ira cessauerit, se in manus tradiderit eius, quem offendit, sic vt declaret se omnino satisfacturum, iniuriam non intulit. Nam amens iniuriam inferre non potest, quoniam actiones suæ iusti atque iniusti participes non sunt. Iratus autem, dum iratus est, amens est. Est enim ira furor, vt dixi, temporaneus. Ergo iniuriam inferre non potest, nisi cum ab ira recusarit satisfacere, aut verbo tenus tantum satisfacere vult.

Eadem ergo ratio in fratribus erit. Reges & magistratus iniurię suspitionem minus priuatis subeunt, quod iustitiæ velo se obtegant. Minus tamen Reges, quod per alios id faciant, & quoniam inuidiæ non sint adeò obnoxij erga subditos, nec facilè mediocri pecunia corrumpantur. Tametsi enim pecuniâ corruptus iudex non inferat iniuriam: tamẽ quia iniustus minister est eius, qui iniuriam infert, iniurius dici potest. Nam si pecuniam accepit vt alij fundum adiudicaret, iniustus est, iniuriam non infert. Qui enim pecuniam dedit, non iniuriæ causa dedit, nec vt illi eriperet fundum, sed vt ipse haberet: non ergo iniuriam inferre meditatus est, sed auarus & iniustus dici meretur. Raro ergo iniuria circa pecuniam versatur, sed circa corporis bona & honores, quæ qui aufert in se transferre nequit. Ob id ergo à latronibus iniuriam non recipimus. Agunt enim lucri causa, nec quos lædunt, agnoscunt. At verò iniuriam hic non definio quemadmodum Aristoteles, sed arctius, atque ad propositum iniurij hominis contractam. Iniuriam ergo à priuatis magis accipimus, & magis ab his, quibus benefecerimus. Et à paribus atque paulò humilioribus, grauiorem. Nam ab humillimæ sortis hominibus iniuriam non recipimus: quoniam vlcisci facilè ac promptum est.

Nihil est quòd iniuria magis nos in humanis commouere soleat. Labienus, vt ait in controuersis Seneca, cum in alios nimia dicendi licentia vteretur, hoc passus est, vt monumenta sua comburi videret: quo dolore perculsus, viuum se sepulchro maiorum iussit inferri. Hunc scripta sua magis, quàm pàtres filios diligere soleant, dilexisse constat, seu cupiditate gloriæ æstuans seu iniuriæ dolore seu ira, aut omnibus his, incertum est. Nunc hoc non quæritur, sed Aristoteles quinto de Republ. plures enumerat, qui iniuriam passi ita sæuierunt in autores, vt salutis propriæ obliti viderentur. Inter reliqua durissima legis nostræ præcepta est, remissio iniuriarum, cum dicat, Mihi condona iniuriam & ego retribuam. Itaque de hoc nunc agendum est, tametsi multa in libris de Æternitatis Arcanis de huiusmodi scripserimus. Non hic de diuinis pręceptis disputare propositum est. Quid enim Christiano homini fortunatiùs euenire potest, quàm vt ferat iniurias? Hoc enim salutare illi, & in quo animus conquiescit. Vnde etiam Paulus id suadet. Adiectæ etiam sunt in hoc consilio promissiones, tanquam in difficilimo. Paulus enim inquit, carbones accensos super caput illius congeres, quasi sauciæ tuæ menti hoc condonans. Diuina vox retributiones etiam pollicetur. Hoc solo igitur in præcepto homo humanam exuere naturam cogitur, ac conditionem sortis suæ superare. Sed quid diceres, si Philosophus vir satis pulchrè hoc comprobaret ratione? Seneca quidem, Deus, inquit, non vlciscitur iniurias. Aut ergo non potest aut non vult. Si non vult, non par est, nos velle. Nam ille optima eligit, illum imitari decet. Est enim sapientissimus. Si non potest, vt qui lege æterna teneatur, cum sit felicissimus, iniuriam non vlcisci non oberit felicitati. Quorsum ergo vlcisci? Sed verius dicet quispiam, non vlciscitur, quia inferri non potest? Nam ille beatus est nec quidquam ab illo auferre licet boni. Non est ergo iniuria, sed iniuriæ meditatio. Quinetiam pauci admodum sunt, nisi prorsus insani, qui Deo iniuriam inferre meditentur: quorum certè maior pars aut omnes forsan pœnas dant.

Grauior enim est vltio, dum animo pacato ac quasi obliterata iniuriæ memoria vltio superuenit. Vt enim, si quis scabiem acrius scalpat, dum pruritus sæuit, parum dolet; si iam pruritu cessante, multum afficitur: ita vltio sera semper grauior est, ea, quæ nobis dudum delinquentibus aduenit. Verum etsi Deus vlciscatur, quòd iniuria fiat ab ingratis: non tamen nos vlcisci decet, quibus gratia non debetur. Itaque sicut Deo nihil affert commodi ea vltio, si modò vlciscitur, nam statim vlcisceretur: ita nec homini ad felicitatem. Sed, velut, sedato quodam furore ac pruritu, homo sibi beatior videtur, cum nihil habeat amplius: ita in iniuriarum dolore accidit. Quamobrem cum Satyricus dixisset,

At vindicta bonum vita iucundius ipsa.

statim subiungit,

Chrysippus non dicet idem, nec mite Thaletis
Ingenium, dulcique senex vicinus Hymeto:
Qui partem acceptæ sæuæ inter vincla cicutæ
Accusatori nollet dare.

Itaque constat etiam Philosophorum sententia, quanquam durum videatur, vltionem non esse vtilem homini. Vltio ipsa doloris confessionem exprimit. Et si in debiliorem te dirigitur, parce illi: in potentiorem te, parce tibi; dicebat Seneca. Quin etiam omnes hos vltores infelicissimos fuisse vides, nec stirpem suam superesse. Declarant id exempla maximè iu Pelopis & Oedipi descendentibus. Pelops namque cum regnaret, tres reliquit filios Atreum, Polysthenem & Thyestem. Primus ergo cum regnaret Atreus, quia natu maior, absensque esset, Thystes vxorem illius Meropen corrupit, potitúsque regno sustulit ex ea tres filios, Tantalum, Philistenem ac alium, cuius nomen non memoratur. Pelopiamque filiam. Atreo reuerso, Thyestes in exilum perrexit cum filiis. Atreus, dissimulata re, illum reuocat cum filiis, tanquam regnum illi communicaturus, vxorem amplectitur. Reuerso, Atreus iugulatorum filiorum sanguinem cum vino bibendum tradit, & carnes in conuiuio apponit: quo tempore Sol maximum deliquium passus est. Thyestes re cognita consulit Apollinem, quonam pacto iniuriam posset vlcisci. Consulit ille, vt cum Pelopia filia concumbat, ex qua sustulit Ægisthum. Intem Atreus filios Polysthenis iam mortui multo ante in filios & regni successionem adoptat Agamemnonem Menelaumque. Agamemnon præficitur exercitui Græco Troiam proficiscenti, vt nobilior atque potentior. Dum abest, Ægistus cum Clytemnestra, vxore Agamemnonis, concumbit. Reuerso ex Troja Agamemnone, prætextu quòd cum captiua rem haberet, ex insidiis illum occidunt. Electra, Clytemnestræ ex Agamemnone filia, Orestem nuper natum Strophilo Phocensi, Pyladis parenti, educandum tradit. Quòd cum patefacere nollet, ab adulteris interficitur. Acta sunt hæc sub fine primi anni, quo Agamemnon è Troja reuersus est, atque ob id procreatus & natus Crestes. Hic ergo, vbi adoleuit, auxilio populi Mycenarum matrem cum adultero occidit regnumque recuperauit. Verum ob parricidium insanus factus est, tandem expiatus finem domui Pelopidarum sine filiis moriens posuit. Oedipus autem interfectis patre Lajo, & ex matre genitis, Etheocle & Polynice, cum alternis annis regnare deberent, quòd Oedipus regno se ob duplex scelus abdicasset, atque etiam excæcasse, negauit primus Etheocles Polynici regni successionem. Vnde cum Polynices in exilio Adrasti filiam duxisset, soceri & amicorum illius auxilio reuersus est Thebas, vt vrbe potiretur. Cum frustra vires hinc inde absumptæ essent, tandem conuenerunt inter se, vt pugnarent fratres, & victori vrbs adiudicaretur. Mortui sunt vtrique. Superfuit solum ex stirpe Oedipi Thessandrus, Polynicis & Argiæ filius, qui in bello Trojano absque sobole iuuenis obiit. Hi sunt fructus atque exitus vltionum. Sed & tot aliorum Græcorum atque Romanorum Persarumque, qui tam ad vltiones prompti erant dum viuerent, ne vestigium quidem vllum stirpis superest. Quid ergo Miloni Clodium, Cæsari & Octauio tot inimicos, Ciceroni Catilinam, Antonio Ciceronem perdidisse profuit? Omnia vanis stipulis assimilant. Est etiam vltionis contumeliosissimum genus, dignum non esse visum, ex quo sumeretur vltio: vt Seneca ait.

Ex aduerso tamen multa obiici solent, atque in primis celebre illud Publij Mimi carmen:

Veterem inferendo iniuriam, inuitas nouam.

Quin etiam autor libri de Mundo, vt hoc diuina etiam autoritate fulciatur, inquit: Deo ipsi comes adiucta est vltio, quæ diuinarum legum violatores vindicat. Cuius sane, qui beatus fælixque futurus est, iam inde à primis vitæ rudimentis particeps fuit. Sed quid clarius quàm in quarto Ethicorum: Qui non irascuntur pro quibus oportet, & vt oportet, & cum oportet, & quibus oportet, fatui sunt. Nam neque sentire neque dolere videntur. At qui non irascitur, non est aptus ad vlciscendum. Perferre autem contumelias & suos negligere, seruile est sanè. Exsuperatio verò per omnia quidem fit. Nam fit & in quibus non oportet, & pro quibus non oportet, & magis & velocius & longiore tempore quàm oportet. Itaque vltionem esse necessariam ad fœlicitatem, vbi occasio detur, sed circumscriptam his conditionibus, quas Aristoteles definit, haud dubium est. Scilicet ne personam pro persona multes: vt patrem pro filio, fratremve delinquentis pro ipso delinquente: vel ob nimis leuem offensam, vel vt nimis excedas modum, atque alia huiusmodi.

Itaque multis modis videtur vltio in iniuriis conuenire. Primum, cum egregiis factis ac virtute ostendis te illa iniuria indignum. Hoc autem semper licet. Secundum, cum periculum est, ne ferendo in contemptum deuenias, atque ita omnes ad inferendam iniuriam irrites. Tertium, cum ille eo solo iniuriosus fuit, quòd potuisse tutò id facere sperauit. Nam certum est illum in omnes bonos idem facturum. Quamobrem vt pestem publicam & odisse & castigare licet. Quartum, cum iniuria tuos attigit. Nam vt aliena donare non licet, propria licet: ita de iniuriis ac contumelia.

melia. Quintum, cum contumelia te contemptum reddit. Reddit enim & tuos. Quamobrem quòd tui causa sublatum est, necesse est vt restituas. Sextum, cum iniuria infertur sic, vt prætextu criminis tui illata videatur. Nam præter iniuriam sontem te facit. Quilibet autem tenetur se à suspicione criminis liberare. Septimum, cum iniuria à iudice proficiscitur. Iniustus enim iudex pro proditore habendus est. His ergo in causis vlcisci iniuriam necesse est. Tum verò magis si ille in contumeliam inferendo perseueret. Illud tamen præ oculis habendum in magnis vlciscendis iniuriis, vt prius cursum incrementi honorum tuorum decurras, etiamsi multis annis exspectandum sit.

Sed nunquid inter iniuriæ acceptæ & vltionis tempus iniuriam dissimulare conuenit? Hic sanè distinguendum est. Siquidem vlcisci decreuisti, bonum est dissimula, vt incautos opprimas. Quòd verò ex existimatione decessit, interim in ipsa vltione plenius restituitur. Tum & quòd insperata vltio nobilior est, & differendo prudentiæ nomen assequeris. Sed si non speras vltionem quoniam cum potentiore multo res est, memento illius Phocionis ad filium, cum per iniuriam damnatus esset ad mortem. Fili inquit, noli omnino obliuisci horum, nec nimium recordari. Nam in vno sciebat animum declarari seruilem, in altero non leue imminere periculum. Nam qui inferunt iniuriam, non minus oderunt eos, quibus intulerunt, quàm qui acceperunt, eos qui intulerũt; quoniam meritò se odio haberi intelligunt. Par est autem odisse inimicos. At cum potentibus inimicitias graues gerere periculosum est, cum vel necessarium sit, vt aut populus intelligat te contemni, atque ita etiam ab illis, qui è populo sunt, contemneris: aut vt qui læserunt, intelligant se non esse à te tutos. Omnes autem homines in tuto viuere desiderant. Quamobrem in his seruandus modus. Sed si abesse possis, & te à dedecore & illos à suspicione liberas. Si non potes, saltem ab vrbe illa discede. Nam durum est, quotidie occurrere inimicis. Non adibis, non salutabis, deuitabis occursum, non maledices, imò nec prorsus de illis loqueris. Ita existimationem retinebis, nec illis suspitionem augebis. Sed si quid ante iniuriam acceptam non eo nomine pollicitus es, præstabis absque insinuatione. Plus enim debes fidei quàm iniuriæ. Non enim illos, sed teipsum iniuria, fidem fallendo, afficeres. Iam verò sermones illi Platonis de vltione negligenda à Socrate introducti loco & tempori & personæ & professioni accommodati sunt. Nam ad quid laudasse conueniebat vltionem, cum esset in carcere senex contra ciuitatem, perendie, cum serius, periturus atque vir innocens, & tam probatæ vitæ ac super vitam ciuilem constitutus, de diuinis semper meditans? Propterea secus in legibus loquitur, optatque non offerri causam necessitatis vltionis: quàm si peragas, non sanaris: si non peragas, vnus pro multis, id est, pro Republica perit. Etenim bono Reipubl. est, non esse in vsu vltionem. Aristoteles verò in Ethicis consuluit, quid cuique esset optimum & honestum.

Vtrum verò de Regibus ac magistratibus, iniuria accepta grauissima, vltio sumenda sit? quæstio est. Antiquo tempore, vt dabatur occasio, de omnibus sumebant vltionem. Et nunc etiam in Italia & apud Scotos plurimi Principes suos occiderunt. At tamen licet sic? considerandum est. Propter priuatam quidem iniuriam, cum non prospicitur securitati sui nec suorum, minimè licet. Nam qui Principem occidit, Rempub. imò plures exscindit Respub. At non par est, tot insontes ob vnius necem, quamvis iniustam, plecti. At boni publici causa, vt caueant Principes etiam ab iniuriis, olim obseruabatur, vt tyrannicidis præmia quoque proposita essent. Verum quoniam plures & maiore detrimento occiderentur quàm par esset, non licere videtur. In omnibus enim decretis circa leges ac mores, quãdoquidem nihil semper optimum esse potest, cauere oportet ab his, quæ deteriora sunt ac periculosiora. Est etiam alia causa, quòd boni Principes indigni omnino sunt nece: mali autem sunt diuinæ vltionis ministri. Quamobrem nullo modo violandum est Regis caput. At magistratuum alia ratio est, nam legibus & iudicio Principum subiiciuntur: ob id exigere licet quòd iustum est, si illi certam iniuriam intulerint.

Quomodo verò deuitanda iniuria est? Nam hoc est optimum in hoc genere: quandoquidem, vt dictum est, vbi acceperis, æquè malum fermè est vlcisci, quàm ferre. Quare de illo nunc dicendum est. Atque in seipsos facilius est: sed difficile ob filios, parentes, fratres & famulos. Hi enim iniuriam ad nos pertinere putant, sibi illatam. Videamus ex quibus iniuria producatur. In aliis quidem præcipuè ob ambitionem, iram immensam, auaritiam & improbitatem atque consuetudinem. Ex te, cum iniustus fueris in alios, aut maledicus, irrisor, contemptus, aut pertinax. Ex vrbis legibus, vbi plus potẽtia valet quàm probitas, opes quàm ius & æquum possunt. ergo & in vrbibus benè constitutis habitare decet, & sub iustis magistratibus, sunt enim actus legum. Comitatum quoque ducere secum ex viris, qui autoritate apud ciues præstent, & vitare homines, vt diximus, petulantes & iracundos. Ob id à iuuenibus maximè, qui paulo adolescentiam excesserint, cauendum est. Nihil agas, quòd à consuetudine generali hominum, loci & incolarum discrepet. Ne sis iactator aut contentiosus. Si quid præter consuetudinem agere cogeris, clanculum & inter nos age. Solitudo his, qui minus possunt, & vbi solutis legibus viuitur, proxima est societati. Imitare Iudæos qui despecti ab omnibus, quantum licet, iniurias deuitant. Cum contemneris, non tam labor est in deuitando proprias iniurias, quàm tuorum. Ob id eos in maxima obedientia & metu continere oportet. Animaduertere etiam decet. Vt enim omnium rerum sunt quædam fœmina, antequam prodeant: ita etiam de iniuria statuere oportet. Quare prima irritamenta succidere bonum est, vel tacendo, vel commutando sermonem, vel abeundo. Idque facere decet, cum nondum iniuriam accipere vel inferre cogeris. Horum enim vtrumque malum. Quin adeò malum est iniuriam inferre,

ferre, vt hoc Aristoteles, in quinto Ethicorum, deterius existimet esse, quàm accipere. Nam qui infert, flagitium admittit; qui accipit, culpa caret. Attamen quoniam plerumque cum accepta iniuria etiam damnum recipitur atque contemptus, ob hoc homines malunt iniuriam inferre quàm accipere. Cum ergo initio nullum adhuc sit detrimentũ nec expressus contemptus, vtile fuerit iniuriæ causas statim præcidisse. Intelligitur autem facilè iniuriæ origo ex natura hominis, ex odio vel inuidia, ex admiratione astantium. Nam cum ad risum iam peruentum est, iniuriam iam tibi illatam esse existima. Definiendum est igitur, quòd deterius ac periculosius sit inferre iniuriam, quàm accipere: turpius verò & damnosius, accipere quàm inferre. Vtrum verò simpliciter deterius est, inferre iniuriam, an accipere? Mihi sanè non videtur rectum, vt simpliciter rem definiamus, sed distinguere. Nam si inter æquales res est, aut etiam minor maiori iniuriam inferat, deterius est iniuriam inferre quàm pati: tum quia qui infert flagitium admittit, tum quia in timore est. Timor autem affectionum animi, vt iam diximus, maxima est. At si iniuria à potentiore proficiscatur, ita vt à timore possit esse liber, deterius afficitur qui iniuriam patitur. Non solùm quod, qui infert, à timore immunis sit; sed etiam, quòd ob potentiam, & quia mala ipsa non sentit nec experitur: quæ, qui patitur, magna existimat; qui infert, exigua esse credit. Quare etiam parum afficitur. Cauendum est etiam ab his omnibus, quæ contemptum præ se ferunt: cuiusmodi sunt risus is, quem vocant irrisionem, & dissimulatio, qua Socrates & Scipio Æmilianus vtebantur. Nam tametsi venustè hoc sermonis genere vterentur, quòd ad opes parandas non dirigeretur, nihilo secius multos illis hoc inane studium ambitionis inimicos comparauit. Nunc sublata est ex vitio vitiosa res. Namque cum plerique sermones ad lucrum dirigantur, dissimulatione in loquendo non opus est. Comparant & odium, & ad iniuriam præparant scommata & veri nimis exquisita seu indagatio seu expressio. Si verò inter eundum iniuriam ab ignoto fermè acceperis, si sine teste, negligere potest. Memento hic exempli Diogenis, cum colapho percussus fuit. Si coram testibus, dissimulare verba potest, & facilè vlcisci.

Vtilitates autem, quæ ex iniuria accipiuntur, proximæ sunt his, quæ ex conteptu & infamia. Nam iniuriam nocere ob id maximè diximus, quòd hominem contemptui exponat & iacturam inferat. Docuimus etiam ex agnatis sumendam vtilitatem. Vt ergo aspersus aqua ignis validus vehementius insurgit. ita egregius vir ex iniuria accepta nobilior exurgit. Colligit semetipsum viresque suas, amicos; adulatores & infidos amicos, quorum pondere atque consuetudine grauabatur, reiicit, & maiora molitur: dum sarcire contemptum & damnum parat, sæpius plus reparat, quàm amiserit: industriam, prudentiam, patientiam, constantiam animi atque vigorem ostendit, Duobus Nicolais Siccis nihil plus profuit iniuria à potentiore fœmina accepta. Cum me Xenodochij præfecti olim lucello septem coronatorum in singulos annos priuassent, effecerunt, vt intercessione Francisci Sfrondati viri illustris & Francisci ac Lucæ Crucei fratrum, quorum alter Iurisconsultus, alter Medicus, reciperet in collegium medicorum, cum aliàs causa illa sæpius iugulata esset. Licebit verò tibi eius, qui iniuriam intulit, etiam inimicos adiungere. Sed quia hæc eadem referentur, vbi de vtilitate capienda ab inimicis tractabitur, ideò ad eam recurrere licebit,

Nunc peculiaria iniuriæ commoda prosequimur, è quibus vnum etiam est, quòd omnibus tu moderatior ac cautior efficeris: aliud, quod omnibus innotescis. At dices, non sic vellem innotescere. Falleris res eadem non eodem modo ab omnibus recipitur atque intelligitur. Qui commiserantur, amant: quidam ad virtutem tuam referunt: alij te laudant, quòd illum oderint, alij concursum amicorum tuorum admirantur: multi apparatum tuum industriámque, quâ ad vltionem te præparas, spectant. Plures, nisi te supinum præbeas aut nugacem, magis laudabunt, quam eum, qui tibi iniuriam intulit. Et præsertim si sine causa tua & repentè intulerit. Plures etiam excusant vel ætatem, vel armorum defectum, vel solitudinem, vel locum, vel metum magistratus: nunquam causa deest, vbi vel illum oderint aut te ament, vel tui misereantur. Ex accepta iniuria multa licent, quæ anteà non licebant. Ferre arma, colere societates, maiorem existimationem retinere aut exuere, ac quasi contra niti contumeliæ vel eam spernere. Si deliqueris, magis dignus es venia.

Vltimum est, vt videamus iniuriis quomodo sit satisfaciendum, & an omnibus satisfacere liceat, & quomodo vlciscendæ? Est enim duplex satisfactionis genus, voluntarium, & coactum. Alia enim erit fortuna exigendi vltionem, alia exhibendi satisfactionem. Ergo & ex his oritur quæstio, quot sint genera exigendi satisfactionem? Videntur autem tria, priuatum, publicum, & medium seu monomachia. Ergo exigitur satisfactio apud iudices honestiore modo, sed non tuto. Nam vel propter defectum testium, vel legum segnitiem, vel gratiam inimici, vel probitatem iudicis irrita iudicia euadunt. Quòd vitium apud Christianos magis, quàm vel Romanos olim, vel Turcas nostra ætate viget. Quocirca, quod impium per se erat, factum est necessarium, scilicet Monomachia à Longobardorum temporibus initium ducens. Anteà enim apud Romanos solùm contra hostes viritim pugnare licebat & consuetum fuit, Pugnarunt Romulus Rex, ipse Manlius & M. Marcellus. At verò citra inductum bellum, & cum alio, quam cum hoste, inusitatum fuit. Licet & præterea etiam sine iniuria repetundarum pecuniarum, quas quis negat accepisse, ad monomachiam vocare hominem, si res magna sit. Ob id etiam singulare certamen iudicium publicum antecedere debet, quo sanciatur, causam, pro qua ille in certamen vocatur, tanti momenti esse, vt nobilis pro ea se exponere morti honestè possit, alter verò teneantur. Et periculum esse de iniuria vbi accusatio vera sit. Apello nunc iniuriam,

more Aristotelis, iniustam quamlibet offensam. Ergo honestam reddit prouocationem eligendi arma facultas in eo, qui prouocatur. Neque enim verisimile est, ob iniustam causam tanta in armorum tractatione inæqualitate illum prouocaturum. Quare videtur legitima prouocatio, ne homines fiant adeò iniuriosi. Sed si iustitia omnibus ex æquo faueret, melius esset omnem litem iudiciis finiri. Quòd in vsu fuit non solum apud Romanos, sed apud omnes Respub. benè ordinatas, ac etiam regna rectè constituta.

Exigere autem satisfactionem æqualem aut paulò iactura maiorem, non infinitam, iustius atque honestius. Sunt autem offensæ iuxta bonorum genera quatuor, iuxta quæ libros hos distinximus. Sed animo offensa inferri non potest, verùm corpori; vt vulnera, verbera, amputationes membrorum: & fortunæ, ad quam pertinent opes, honos, amici, externa, vxor, filij, parentes, familiares. Honor igitur sola victoria aut confessione inimici restituitur: opes tanti, quanti fuere cum expensis pecuniis. At corporis vulnera & verbera vulneribus, amputationes membrorum & siderationes morte aut, vt apud Indos, pœna talionis rependuntur. Mortes autem parentum & filiorum & fratrum non nisi morte sarciri possunt. Quoniam non decet nos vitæ alienæ prodigos esse, tum minimè filiorum; partes enim sunt patris, vt Aristoteles inquit. Verum adiicit, dum pueri sunt. Cum enim iam ad iuuentutem peruenerint, æquales dicit esse patri. At æquales sunt & fratres & alij. Ita ergo æquales intelligit, quemadmodum si pars ipsa cresceret. Parum ergo differunt, sed non est ausus proferre, adulti filij ab ipsis parentibus. Pars enim vbi toti æqualis redditur, velut in arborum ramis, magis eadem est toti quàm si sit æqualis solum, nec tamen eadem prorsus. Sed inter simile & idem medium quoddam. Ob id ergo & in satisfaciendo & in exigendo, aut idem aut quòd magis vrget, recipere oportet.

Dignum ergo rursus est dubitatione, an maior sit iactura filij an patris? Et quis eorum maiorem exigere debeat vltionem? Et vnde maior proficiscatur iniuria, an perempto patre an filio? Ergo quòd ad iacturam attinet, si vnicus sit filius, maior est iactura in amissione filij. Quoniam parentes propter filios sunt, non filij ob parentes. Dignior autem est finis. Et quoniam stirpis spes, & plus etiam aufertur. Nam filius iunior est patre: ergo maior est iactura, auferre filium vnicum patri, quàm patrem filio. Sed de iniuria secus est, quoniam & dignitas semper & opes plerunque, patre sublato, à filio auferuntur; non autem à patre, sublato filio. Vbi ergo plus aufertur de honore, ibi maior iniuria fit. Si autem patri sint duo filij, atque etiam superfit patris ipsius pater, quoniam tum pars spei sobolis aufertur, maior adhuc est iactura filij quàm patris. Eademque ratione etiam, si plures sint. Plus tamen tenemur patri quàm filio. Ergo honestum magis residet in parente; vtile autem & spes, in filio. Si cui ergo vnicus filius & pater in vinculis sint; constitutum autem sit, vt decem millibus sestertium alteruter liberetur, ambo autem viginti millibus; non habeat autem ille nisi decem millia: quem redimere debet? Ex altera parte est honestum; ex altera vtile, vt diximus. Ergo si ad generandum potens sit, pietatis ratio & honesti haberi debet. Sin autem ad generationem aliqua ratione sit impotens, redimere debet filium: quoniam vinculum illud cum spe æternitatis coniunctum est. Etenim & hoc aui ipsius interest, si nullos alios habeat descendentes: Quid verò pauci illi anni aui ad tantam spem. Sed si auo sunt alij filij, scilicet fratres tui, hi loco filij tibi erunt: quamobrem melius erit seruasse patrem tuum. In huiusmodi autem multum refert voluntas eius, id est, aui. Nam si ille velit condonare vitam suam, poterit seruari nepos: si nolit, ipse dominus est. Attamen, si non superfit spes prolis, amens est. Amentis autem iudicium magnifacere non oportet. De vltione verò par ratio est habenda. Neque enim in vltione redimitur res, aut damnum restituitur; sed solum tollitur iniuria & honor recuperatur, dolorque ille tam immensus acceptæ iniuriæ sedatur. Ergo dolor in filij vltione magis irritat; in patris autem, ratio. Quare temperandum est inter vtrumque & par vltio vtrique debetur. De patre autem, neque pro patre, neque pro filio iniustè peremptis sumere vindictam licet. Nam iniustè nos nihil agere decet, propter id, quòd iniustè iniuria affecti simus. De filiis autem pro patre aut filiis, quanquam inhumanum sit, si sumatur vltio, hoc habet excusationis, vt discant homines ab iniuria parentum & filiorum abstinere. Semper autem satisfactio leuior esse debet, quàm extorta per vim vltio. Qui enim satisfacit, videtur, vel nõ iniuriam omnino intulisse, vel animo in iniuria non persistere, quod eam satisfaciendo damnet. Inter damna ergo maximum est, filij mors; inde cæcitas propria aut filij: post surditas & elisio dentium, reliqua ad deformitatem pertinent: post est ereptio bonorum. Euiratio autem morte ipsa deterior est: quoniam etiam dedecus adiicit. Si tamen ex morbo accidat tanto minus mala, quantum est, quòd superest vitæ. Fratrum verò iniuria, parentum ac filiorum minor est: sed filiorum vtilitati magis frater accedit. Iunior enim robustior & in spem magis stirpis quàm pater. Parentum verò honestati, quoniam digniores: neutrum tamen æquant. Iniuriam autem nobis illatam familiarium iactura & dedecore, proprio duorum aut filiorum eorum sanguine redimere non licet, quamvis hoc multi agant, vt multa reliqua stultè. Sed nec familiarium illius, quid enim illi potuerunt? sed iure agere oportet: nisi ille aduersus te aut tuos aliquid perniciosum attentauerit. Similiter nec de fratribus vltionem sumere, etiam amisso filio licet. Soli enim filij tam malorum quàm bonorum hæredes sunt patris; sed bonorum, ex lege: malorum autem, ex ira & impetu inimicorum. Quocunque vltra processeris, iniuriam immerenti facis, quæ nec iusta est, nec te eximit à dedecore. Propterea in parentes, fratres, familiares sæuire, est impotentis ac insani viri. Verum quicunque participes sunt iniuriæ aut de ea lætantur, iniuriosi sunt. Adeò maximum malorum inter mortales iniuria est: propter quàm facta immania subsequuta sunt,

ſunt, ſeditiones in Repub. euerſioneſque regnorum.

Verum cum, vt dixi, res æſtimandæ ſint vel ex ipſa ſubſtantia propria, vel opinione, vel ratione, vel ordine vniuerſi: hæc verò duo vltima adeò paruo ſint in pretio popularibus ipſis, ad quos ſermo dirigitur, vt vix vlla ſint in conſideratione, dubitandum de duobus primis meritò erit. Duo ſunt, exempli gratia, viri ſenes annorum ſeptuaginta: vni ſunt ſex filij natu grandes, morigeri, præſtantes, aliquotque ex illis nepotes, diuitiæ ad HS. vicies, alteri vnicus, infans, æger, in cenſu ne trecenta quidem ſeſtertia: vbi obierunt parentes, huius infans adoleuit, filios multos ſuſcepit, HS. decies lucratus eſt: alterius tota familia cum filiis atque nepotibus ſublata eſt peſte, ne vno quidem ſuperſtite. Conſtat hunc, qui hos progenuit antequam periret, feliciorem fuiſſe multo alio, cui exiguum ſpei non ſolùm in opibus, ſed de prole ſupererat opinione ipſa: alium verò re atque ſucceſſu, vt cuius maneat ſtirps decora: quem ergo, dum viueret vterque feliciorem dicemus? Nam pronunciare priorem ante obitum, alium poſt obitum feliciorem, abſurdum. Qui enim fieri poteſt, vt qui iam non eſt, aut ſaltem non inter nos, noſtra poſſit dici felicitate gaudere? Quòd ſi nihilo ſecius hic, alter ob bonum ſucceſſum atque felicem felicior eſt: ergo futura felicitas nihil ad nos pertinebit: quare neque ſpes futuræ felicitatis. At prior, ſi ob ſpem ingentem felix eſſe non poteſt, neque ob præterita poteſt, quæ diffluxerunt: neque ob præſentia, quæ plena ſunt acerbitatis. Nullus enim vellet perpetuo mori & toti orbi dominari. Nam quid ad illum primum potentia illa, qua frui non poteſt? Deinde, quoniam nemo morienti paret, ſed pro mortuo habetur. Demum, quòd tam acerbi ſunt morientis dolores, vt omnes voluptates mortalium omnium, ſi in vnum cogi poſſet, ne decimam quidem doloris illius ſeu moleſtiæ, vt exquiſitiore vtar nomine, extinguere poſſent. Nullo igitur modo felicior erit altero, nec dici merebitur, contra id quod propoſitum erat. Eſt ergo pater felix perſeuerante ſtirpe: quoniam filius patris pars eſt, & quidquid pars partis, etiam totius pars eſt. Quamobrem ego milleſimi maioris mei atque vſque in infinitum, ſi tantum procedere liceat, pars ſum. Viuit ergo ille iam in me, à quo tam longa licet ſerie ſum procreatus. Re ergo alter felicior eſt, alter opinione. Quis autem felicior dubitatur? Si anima ſupereſt & hæc meminiſcit, proculdubio ſecundus & abſque contentione. Sed ſi hæc non cognoſcit aut omnino negligit, tunc rurſus quærendum. Nam ſi aut diutius aut ſempiterno tempore manſura eſt progenies felicior erit is cuius manſerit, ob rationem dictam: aliter, qui cum maiore ſpe moritur.

Videtur enim ſpes, tametſi inanis, vbi euentus deprehendi non poteſt, facere ad felicitatem: quoniam voluptate afficitur. Vnde miſeremur eorum, qui orbati filiis ac omnibus bonis, ac deſperati prorſus intereunt. Contra congaudemus illis, qui alacriter, magnaque cum ſpe moriuntur. Atque id iure, quandoquidem omnia deſerant morientem, præter ſpem: ſeu illa in beata vita futura repoſita ſit, ſeu in gloria relicta hic apud nos, ſeu in filiis ac nepotibus fratribuſve. In his enim morientes ſe conſolantur. Quocirca qui animi immortalitati vale dixere, magno commodo priuati ſunt. Nam ſeu ſuperſit animus, ſeu non ſuperſit, deterius longè afficiuntur piis hominibus. Propterea rectè ſcriptum eſt, Mors impiorum miſera. Atque hæc de ſpe, cuius exitus nobis viuentibus deprehendi nequit.

At de illa, quàm, qualis fuerit, deprehendere licet, dubium eſt, an melior ſit metu? Vbi enim fefellerit, vehementer triſtamur: vt contra liberati à metu, multum gaudemus. Et ſi, quòd metuimus, euenerit, longè minus triſtamur: ſi, quòd ſperamus, ſucceſſerit, minus lætamur. Melius ergo eſt timere ac malè ſperare, quàm benè. At contra, qui benè ſperat, dum ſperat, felix eſt: qui metuit, infelix. Et longiore tempore durat vtrumque, quàm vt digna ſit tanta exſpectatione euentus, lætitia aut triſtitia. Quamobrem neutrum facere melius eſt: rem verò ipſam inter indifferentia collocare. Spe, ſi ſperandum eſt, quaſi exinanita per metum, vt, cum euenerint proſpera exiſtimatione elata, plurimum gaudeas: cum aduerſa, nec ſpectatione fraudatus, nec magnitudine tertius videare, cum non augeas exiſtimationem, ſed retineas. In vniuerſum de his, cum quibus læto animo viuere licet, melius eſt ſperare re aduerſa: contra, cum quibus neceſſe eſt mœrere, ſi longa ſit exſpectatio proſpera. Sed tota ars in minuenda de re exiſtimatione, collocata eſt. Sed de his hactenus, quod ad propoſitum pertinet. nam poſterius, ſuo loco dicetur.

Illud potius proſequamur, quod huic quæſtioni coniunctum eſt. Nam diximus felicem, dum moritur, ſi ſine ſpe moritur, id eſt abſque ſobole, infeliciſſimam mortem ſubire: eos autem qui miſeri ſunt in vita, dum ærumnas exuunt, minus dolere in morte. Quærendum eſt ergo, quid ſit miſerius horum duorum, miſerene viuere an mori? Seu an durior infelicis vita, an felicis mors? Omnes ſcio quid dicturi ſint, quod nempe pari temporis ſpatio accepto infelicior ſit mors felicis, quàm vita miſeri. Sed quoniam hæc multis annis durat, illa momento finitur, omnes mortem miſeram minoris faciunt quàm vitam. Atque hæc vera eſſent, ſi mors momento illo finiretur, & re ipſa conſtaret ſolum: verum mors multo antea incipit, quàm mortis cauſa incipiat. Morimur cogitatione, morimur exemplo atque metu. Cum enim vel leuiter ægrotamus, vel in periculo ſumus aliquo, mortis recordamur. Similiter, cum videmus incommoda ſenectutis, cum inter loquendum aut legendum illius memoria ſubit, aut cum alios præcipuè ætate pares, aut valde nobis familiares, aut multos ſimul, vt peſtis tempore, interire videmus, toties iam ſubit recordatio mortis. Itaque ſæpius in die morimur, & ſæpius hanc noſtram felicitatis dulcedinem amaritudine ſupremæ diei inficimus. Quamobrem hoc tantum malum eſt, quantum etiam illorum qui iniurias, quòd humilioris ſint conditionis, perferre coguntur. Sed iam ad alia tranſeamus.

De

CAPVT IX.

De Amicorum paucitate.

OFfert se pro incommodo non leui amicorum paucitas: familiaris, vt dixi, his qui parum possunt. De qua re Plutarchus pulchrum suo more librum scripsit περὶ πολυφιλίας: sed & nos aliqua superiùs diximus. Quia tamen locus hìc proprius est, quæ opportuna sunt, adiiciemus. Eò spectant libri de Officiis pulcherrimi Ciceronis, quos quilibet qui vel amicos parare vel retinere, vel copia eorum affluere, vel etiam ornare, vel ipsis vti commodè velit, perlegere sæpius debet. Plus verò hac in re Ciceroni, quam vel Aristoteli, vel Senecæ, vel alij vlli tribuo. Tum, quod elegantissimè scripserit & ad filios, & in republica florétissima, vbi maximè opus amicis erat, & vbi omnes huic negotio quàm diligentissimè operam dabant, quod in eo opes, magistratus, potentia, reliquaque omnia bona sua essent. Tum quod homo nouus cum esset, nemo tamen tantum amicorum potentia valuerit. Nam amicorum testamentis ita locupletatus fuit, vt inter primos ciues numeraretur, possideretque plurimas villas, inter quas Pompeianum, Tusculanum, Formianum, Arpinatem, Ancanam, Academiam, habitarétque in domo, cuius area sola vicies sestertium æstimata, etiam ab his qui illum in Republica crescere nollent, publica pecunia redempta fuit. Et cum vrbe pelleretur, viginti millia hominum vestem mutauerunt. His effecit, vt auctoritate quintus Romæ esset, dum vigeret respublica, scilicet post Cæsarem, Pompeium, Crassum atque Catonem: pulso autem Antonio, primus. Cui ergo magis in arte quam ei credamus, qui tale exemplum de se præstiterit? Quamobrem illius libros suadeo, vt semper in manu habeas atque euoluas: sic tamen vtaris, vt omnia ad nostrorum temporum conditionem accommodes, ne alter Longolius euadas: Christophorus Longolius Iacobo Sadoleto Pontifici. Cui nam Pontifici? Decet sanè loco ac tempori se accommodare. Dicebat Seneca, res præstantissima est amicus, cum sit alter ipse: ideò si vis eum tibi parare, ama. Eadem fuit Platonis, Aristotelis & Ciceronis sententia. Ego olim fuisse amicos puto: quia tot præclaros viros de his ceu de Centauris, qui non extarent, aut Satyris loquutos fuisse non existimem. Nostra ætate nullum vidi. Quominus certè laboro consolari eum, qui non habeat quod nullibi inuenitur. Facit, & vt hoc credam, paucitas exemplorum in tanto tempore: vix enim septem paria numerentur amicorum, atque inter hæc pleráque fabulosa. Sed modò si fuerunt, quid magis absurdum, quàm quod queraris de paucitate earum rerum, quarum vix vno aut altero seculo in toto genere vnum extat exemplum. Querare, quod non habeas plures phœnices aut opalos. Verum non exquisitos illos amicos desideras, sed gregarios, qui mutuo dant & accipiunt, benefaciunt si possunt, plorant cum plorantibus, gaudent cum gaudentibus, ludunt, exhilarant, solantur, adiuuant, comitantur, consilium præbent, admonent de periculis, de insidiis, communia habent studia, & penè etiam facultates.

Primum ergo, quantum est difficultatis & prudentiæ hos parare? quàm arduum est retinere? quàm operosum vti, vt simul gaudeas cum gaudentibus, cum flentibus fleas, atque ita dispari semper animo inter contraria verseris? Reprehendit Plutarchus hanc multitudinem, reprehendit & Franciscus Petrarcha in libro de Remediis vtriusque Fortunæ, nec probat Aristoteles. Si illorum incommodis succurrere velis, quantus labor? si inopiæ, quæ diuitiæ tibi satisfacere poterunt? Præterea, horum copia non deest cordato viro atque prudenti. Quondam cum vnum talem amicum amisissem, quinque pro illo recuperaui. In quibus etiam duo aut tres erant isto præstantiores. Sed & ille ad me rediit melior, cum vidisset non deesse mihi facultatem amicos parãdi, sed voluntatem. Pater, nescio qua ratione, nullos amicos reliquit. Vtinam non maior fuisset in paupertate atque aliis rebus iactura! Cum verò amicitia fiat ac constet delectatione quadam: delectatio autem coniunctione aut virtute, vel vtilitate præsenti aut futura, vel voluptate gignatur: erunt etiam totidem, quinque scilicet, causarum genera conflandæ amicitiæ atque retinendæ. Ab eorum quoque contrariis abstinere oportebit. Coniunctio igitur firmissimum amicitiæ vinculum, & ansa tuta: vt inter patrem & filium, maritum & vxorem, & inter fratres. Primum ergo ab affinibus, agnatis, cognatísque amicitiam, tanquam à faciliori, inchoare decet: tum verò etiam ab illorum rursus agnatis, cognatis, affinibus atque amicis. Senum morosa & tristis ac caduca est amicitia: puerorum, adolescentium, mulierum instabilis ac persæpè minus decora. Iuuenes ergo & viri maximè apti sunt. Vitare oportet ex his auaros, iracundos, ambitiosos, perfidos, ingratos, segnes & luxui deditos. Dices, nimis multa excipis? Verte orationem breui absolues. Elige viros honestos, probos, non omnino pauperes. Reliquos ita abige, vt si amicos non habeas, nec habeas inimicos, saluta, alloquere, leuioribus officiis gratiam quære. Virtute & communibus studiis parantur firmæ ac stabiles amicitiæ. Quoniam virtus benefica est, angustisque terminis continetur: contra vitiorum lata est area, & in offensa constant. Propterea cum magnas mutationes in vita efficiant, odia etiam progenerant. Omitto nunc pertinaciam, auaritiam, inuidiam, ambitionem, iram, toto genere odiosa & inimitiæ potius quàm amicitiæ aptiora. Annon prodigalitate pro liberalitate, dum immerentibus das aut iusto plus, inuidiam apud alios moues: apud ipsum contemptum? Scurrans euehit nimio hominem, vt existimet te illius indignum amicitia. Propterea Plato suadet ne nimium laudemus amicos. Facimus enim nostra consuetudine indignos: vt cõtra ambitiosus nimium spernit. Amicitia ob voluptatem turpé fœda est, ideò & parum pura ac decora & eius memoria pluribus odiosa: at propter

honestam voluptatem, vt iocos, carmina, musicam, satis stabilis, donec amor eorum studiorum manserit. In vtili autem maior est amicitia ob spem quam vsum & possessionem. Qui enim amant ob vtilitatem, etiamsi fruantur, ob spem amant, non ob id, quod iam perceperunt. Nam quod perceperunt, iam suum est: & si ament ob id, ad gratiam refertur. Neque enim, etsi vtile est quod percepimus, vtilis est amicitia ad id, quod iam percepimus: quoniam amicitia vtilis fuit ad percipiendum. Ergo vbi percepimus, vsus iam amicitiæ cessat. Verùm propter alia, quæ successura sunt, amicitia est vtilis, & ob id etiam propter sperata & lucri continuationem, non propter id quod lucrati sumus. Est igitur hæc amicitia cum spe coniuncta, non cum acquisitis. Quamobrem & principes & amantes & mercatores etiam in hoc decipiuntur, quod putant se amari ab his, quos ditauerint. Qua in re bifariam decipiuntur: & quod amari se existiment, si non adsit spes; & quod, si adsit spes, propterea quæ acceperint, non propter spem amari se putent. Vt ergo spem alant, oportet ostendere & quod possint & quod velint, & quod illi, à quibus amari se cupiunt, huiusmodi auxilio indigeant. Videtur ergo in huiusmodi rebus præsens cum præterito comparari.

Iure igitur dubitari potest, cuius temporis potius pars sit, præsentis an præteriti, an futuri? Siquidem cum præterito tribus modis conuenit: & quod in illud statim transit; & quod necessarium est, non dubium, vt futurum; & quod leuem tribuit ac labilem voluptatem. Nam quæ stabilis est ac solida, ad futurum, quod succedit, spectat. Futuro autem assimilatur eo, quod non periit. Nam præteritum periit. Tum quod futura in præsens ipsum feruntur, vt præsentia sint potestate. Denique quod pruritum quemdam mouent ac titillationem præsentia, velut & futura. Nam, vt diximus, voluptas ex præteritis, tametsi secura sit & purior, non tamen gliscit nec prurit, sed quasi mortua est. Memoria enim harum voluptatum etiam ad mortuos retrò fertur. Dicemus igitur, quod præsentia specie cum futuris magis conueniant. Cum dico, specie, cogitatione etiam intelligo. Cum præteritis autem re. Nam præsens est præteriti potius pars, quàm futuri. Sed ad institutum redeamus.

Vera ergo amicitia difficulter hac via retinetur, nisi à potentibus aut qui quæstuariam operam dominis exhibent: nec tamen vera est. Vera enim amicitia amantium amori similior est, quàm vulgari. Quoniam amicum non propter nostrum commodum amamus, sed ob suum. Etsi verò illorum multitudo grauis est, tamen illis prorsus carere non debemus. Quamuis enim sapiens in seipso sit beatus: attamen eorum, quæ extra nos sunt, optimum est amicus, filius & frater aut soror.

Rursus ergo dubitare licet, Quidnam melius sit, frater, filius, an amicus? Amicos quidem eligere licet, non fratres aut filios. Amici etiam mutuis beneficiis sunt coniuncti: illi, lege naturæ. Amicorum præterea laudibus & amicitiæ ipsius pleni sunt libri, non adeò filiorum aut fratrum. Qui etiam filios habuerunt & fratres, quæsiuere ac parauere nihilominus amicos, vt Cicero. Nam & Atticum habuit amicum & Quintum fratrem, & filium Marcum. Videtur etiam minus coluisse filium ac de illo curasse, quam de amicis, potentia, gloria. Amicus etiam res rarior est fratre aut filio, ad potentiam & gloriam parandam aptior. Amicitia etiam est animorum coniunctio, & sicut filij corpore nobis iunguntur. Fratres etiam fratres esse scimus, filios scire non possumus. Quamobrem, vt aliàs diximus, non absurdum Indorum consilium, qui sororum filios propriis in hæreditate præferunt. Ipsi quoque magis pares filiis, ætate, moribus, nobis etiam magis auxiliari possunt.

Plura etiam fermè pietatis fraternæ exempla memorantur, quàm parentum in filios: plura autem certè, quàm filiorum in parentes. Scipionis Africani iudicio, oppugnato Lælio, cum quo tam amicissimè vixit, vt inter exempla rara Lælij & Africani amicitia numeretur, prælatus Scipio frater, quamuis ei prouinciæ minus aptus, ad Asiam occupandam missus est. Nec erubuit maior natu minori, triumphalis non triumphali legatus accedere, nec solum Lælium ex hoc munere fratris gratia, sed etiam ex consulatus petitione deiicit. M. Fabius triumphum ob fratris mortem reiecit, cum Paulus Æmilius quarto ab obitu maioris filij die triumpharit. Nescio quo vultu: si lætantis, à funere filij: si tristi, in triumpho. Miles quoque Cn. Pompeij, cum nescius fratrem in Sertorianis castris militia fungentem occidisset, execratus funestam victoriam gladio se in funere transfodit. Cuius rei in filio exemplum nondum inueni. Quid de Timoleonte Corinthio, de Itaphernis iudicio, de quo aliàs diximus, qui fratrem coniugi & filiis prætulit? Quid de Clitaco & fratre Cappadocibus? Res supra omnem prorsus fidem. Sed nec ego, tametsi absoluendi momenta non obstitissent, pro filio meo, quamuis contumace, mori recusassem. Sed illud maiore miraculo agitatum, & inter iuuenes euentum rei habuit, cum minor natu frater pro maiore, dolo fallens, mortem subierit: hic senex pro iuuene. Nec euentu res confirmata, imò nec oblata, ne viderer iactantiam ostentare, cum scirem per leges non licere impetrari, nec vt ego occiderer, nec vt propterea ille liberaretur. Quid rursus de P. Rutilio, ac Ligariis fratribus, aliisque duobus eodem modo proscriptis. Iazates quoque Adiabenorum Rex, cum vigintiquatuor haberet filios, omnes præteriens regnum Menobazo fratri moriens reliquit. Elidurus quoque, Pius cognomine, Britannorum Rex, Artagalum fratrem, regno pulsum & in siluis abditum, in regnum restituit non sine magno periculo, nec meritum. Inter Ioh. Camillum etiam & Vitellotium fratres tanta fuit charitas, vt exemplum par inuenire difficilimum sit. Quamobrem non illud Val. Maximi subiiciemus. In eodem domicilio, antequam nasceretur, habitaui, in iisdem incunabulis infantiæ tempora peregi, eosdem appellaui parentes, eadem pro me vota excubuerunt, parem ex maiorum imaginibus

gloriam traxi. Chara est vxor, dulces liberi, iucundi amici, accepti affines, sed postea cognitis nulla boneuolentia accedere debet, quæ priorem exhauriat. Mihi sanè hanc voluptatem experiri neutiquam licuit.

Præterea quandoque, repudiatis filiis atque patribus, regna per amicos fidelius administrata fuerunt. Sic Darius sociis Midæ atque Eunucho regnum septuplo Sicilia maius diuisit & administrandum tradidit. Nemo tamen amicos filiis aut fratribus prætermissis hæredes instituit. Paucissimi etiam fratres filiis prætulerunt. Ex filiis etiam ac fratribus amicos facere licebit: ex amicis autem fratres aut filios facere nunquam poterimus. Ergo amicum filio supposito, sed ita vt non resciscat alumnus, fermè comparabimus. Erit itaque coniunctio filiorum ac fratrum propter æternitatis spem præstantior: in cæteris securior & vtilior frater, charior filius: amicus tamen omnibus numeris absolutus vtrisque præferendus. Atque inter rara etiam amicorum exempla referemus Mutianum cum Tito atque Vespasiano. Quid si filius sit contumax, aut patri inimicus vel stultus, aut frater einsmodi? Vterque tamen præponi ea ratione amico debet. Frater tamen filio, si malus fuerit filius aut insanus, frater autem bonus ac sapiens. Nam certior est frater & securior exspectatio. Quæ duo maius vnitatis vinculum superare possunt. Si tamen nepotes incolumes adsint, eos omnibus prætulero: fratri quidem, ob coniunctionem; patri suo, ob probitatem.

Sed ad institutum redeo: non tam amicum parare opportunum est, quàm eo vti scire. Id ergo agamus primum, ne plus intelligat nos posse, quàm præstemus. Id enim amicitiæ maximè aduersatur. Deinde, ne rogari te permittas: sed sponte accedens exhibeas, non offeras. Neque consiliis incertis abundes, nec vbi beneficio affeceris, commemorabis, quæ præstiteris, aut ipsi aut aliis, quod etiam deterius est. Sed nec recepisse te coram illo beneficia referes: adulationis enim species est. Apud alios autem non nisi aliquo iam cœpto sermone, atque id breuiter, sed amplè. Non tristis, morosus, reprehensor, castigator. Sed nec multo minus quæ ille peregit turpiter, aut quæ minus honorifica ei contigere, etiamsi non sua culpa, commemorare decet. Non ergo illi imprudenter acta, aut per desidiam omissa, aut iniurias aut dedecora quæ passus est, aut luctus tu ipse commemorabis. Sed si ipse iam cœperit de aduersis conqueri, aut errata propria coarguere, non leui prudentia opus est. Primum igitur sinceram mentem erga amicum declarare oportet, sed nec minus prudentem esse. Plerique enim, dum alterum nimis ostentare volunt, delinquunt in reliquo. Propositum est autem in vtroque doloris memoriam minuere. Id fiet, si duo effecerimus, si rem ipsam minuamus, & si futuri exspectationem parum vtilem ostendamus. Res præteritas minuemus, mortalium conditione extenuata. Nam in paruis paruus est excessus. Velut si ostendamus, nos in luctu æternitati non esse coniunctos, quod semen non sit millesima pars hominis: ergo millesimus ab hinc prognatus, millesimæ partis erit millesima. At licèt quantitas in infinitum diuidi possit, non tamen res naturales sic diuidi possunt. Quare necesse est aliquando hanc conditionem finiri. Vbicumque finiatur & quandocumque, postmodum nihil interest: cum decem annorum myriades non maior pars sint æternitatis quàm diecula vna, vel comparatione ad nos ipsos nostráque. Nam si in iuuenta, vt verisimile fuit, absumptus fuissem tabe, nec filij alij, qui supersunt, superessent, nec nepos, nec qui obiit ea vita, qua fruitus est, potuisset frui, nec illius, nec mei vlla memoria mansisset, nec spes vlla perpetuitatis, luctúmque maximum materteræ Margaritæ, quæ me non minus filio diligebat, attulissem, tum etiam ipsi matri. Similiter casus aliorum miseriores ostendemus maximè, si vel voluntarij fuerint: vt in Felicitate Romana muliere, quæ pro Christi fide quinquæ filios coram se crudeliter occidi permisit cum posset dehortando illos liberare. Ita ex causa, conditione rei, genere euentus rem ipsam minuemus.

Ad futura quoque conferendo ostendemus, quàm parua primum in omnibus spes. Inde in illos commemorantes omnia, quæ ad illius vituperationem faciunt, vt malo malum depellamus. In his nihil absurdum, humile, vel cum affectu coniunctum: talia enim à præficis ad excitandum vehementem fletum populari more comminisci solent: sed tanquam iratus proferre debes. Augenda sunt impedimenta & spes æternæ illius fœlicitatis animorum, atque ita agendum, vt vultum amici intuearis, atque in eo sermone perseuera, in quo vultum ad minus tristem speciem effingi animaduertis. In huiusmodi à salibus ac iocis facetiisque omnino abstinebis, nisi admodum graues fuerint. Cuiusmodi illa Senecæ, licet ad sermonem hic institutum minimè accommodata, de eo, qui, cum audisset carmina à quodam recitata satis nutante lingua, sua esse dixit. Ventum est ad iudicium, qui audiuerat, securius & melius recitabat aliena, quàm ille sua. Huiusmodi conueniunt, quæ animum cum grauitate mouere possunt.

Sed verò, licetne cum improbis amicitiam contrahere atque retinere non læsa existimatione? Haud dubium est de vulgari hac amicitia. Nam læto vultu illos excipere, cum illis versari blanditer, officiisque mutuis iuuare se inuicem licet. Proditores tamen excipio, quorum etiam odorem fugere decet. At nunc fallere in deliciis repositum est. Siquidem autem impium quid aut improbum exigat amicus, non iustè irascetur, si denegaueris, cum intellexerit te iustis causis illi non deesse. Ergo qui malus amicitia sibi deuincere desiderant, huic vni rei, tanquam maximæ incumbant. Est enim arduum.

Cæterum de vtilitate ex hac amicorum paucitate decerpenda, satis antedictis tractatum est. Strictum colligendo, nec temporis nec laborum, nec rei iacturam facies, si paucos habueris amicos. Quodque maius est & admirabilis, multo melius, quæ optas, consequeris. Multitudo enim amicorum incertum hominem reddit auxilij, ancipitem consilij, dubiúmque quid agat aut eligat.

Sed hoc omisso, de vsu illorum ac gratia nunc dicendum est. Scripsit non pauca Cicero de hoc argumenro eo in libro, qui Lælius seu de amicitia inscribitur, & in libris de Officiis. Sed & Seneca in libris de Beneficiis: quæ si essent exacta & lucernam olerent, parum nobis superesset. Nunc non quærimur quidquam deficere, at multa imperfecta esse, alia nimis breuiter explicata, nonnulla minus certa, ordinéque confuso & verioribus intermixta. Et tamen consulimus, vt eos libros perlegas, forsan quidpiam magis quàm nos inuenturus. Itaque hoc primum cogita, in amicis repositum esse decorum & vtile atque honestum. Adeò vt, si omnia arcana rerum complexurus contemplationi hæreas & veniat nuncius de periculo amici te certiorem faciens, iustum aut honestum existimare non debeas, ob quantumcunque sapientiam officium pro amico, vel temporis momento differre. Quamobrem conspicuum est, officia ista in amicos aut in coniunctos quouis studio præstantiora esse. Quod si, vel ob ludos spectandos, vel ob persuadendam mulierem, morulam interposueris, non solum iniustè atque stultè, sed etiam turpiter ac flagitiosè te gesseris.

In omnibus autem præstandis officiis ita nos temperabimus in animi atque corporis motionibus, vt intelligant homines, nobis non deesse constantiam. Ea enim sublata, nullum officium retinet suam dignitatē, nullus homo magnifaciendus est. Si videas hominem accurrentem in amici periculo vel etiam parentis, cogita, sitne hoc ex animi affectu potius, quàm ex necessitate casus. Si enim ex hac, vt in pugna aut rixa, non nisi laude dignus est. Et videbis hos tam feruidos ab initio defensores, in officio ipso languescere, in consilio vacillare, in exsequendo minus, quam deceat, esse liberales. Quocirca constantiam & exhibere in amicorum officiis & exigere & in eligendis amicis requirere oportet, ne nos amicitiæ vinculo operam seruam habeamus, non recipiamus. Quapropter & à sordidis viris cauebimus, qui vel operas suas locant vel artis excellentiam in opera repositam habent, vt sutoribus, carpentariis, fabris: aut quorum officia ad voluptatem spectant, vt tibicinibus, vnguentariis, talariis, aut qui mercaturam vilem, aut tenuem aut non longius auctam exercent: verum qui splendidas merces, qui magno ære multiplices ac longè petitas, & per ministros potius quàm per seipsos aduehunt, hi amicitia digni sunt: vt & qui celebres quasdam artes non vulgari more, sed ingentibus pretiis ac præmiis tractant: vt pictores egregij, architectique. Nam sculptores non receperim ob operam nimis seruilem: sed statuarios & aurifices quosdam, qui non per se metalla liquant, nec vasa formant aut poliunt, sed potius per discipulos atque ministros. Et equites strenuos, vita & moribus probatos. Et qui rura colunt ac curant, opera tamen seruorum. Et professores liberalium studiorum: non autem eos, qui quæstum faciunt ex diuturna aduocatione, multo minus ex medica arte. Quid enim, etsi Cratetes sit, differt ab his, qui in officina artem exercent? Et nobiles omnium sunt optimi, vt qui nulli alij rei incumbant, nec artium sorditie vlla sunt coinquinati. Sacerdotes quoque splendidos, & Principes sapientiæ studiosos & recti tenaces colere decet. Ab aliis cauendum, ne nimiam contrahas familiaritatem. Nam quamuis fieri possit, vt aliquem bonum inuenias: quia tamen rarò id euenit, melius est non tentare fortunam in tanto periculo, tantáque bonorum copia. Vndecim genera illorum descripsimus. Cauendum tamen est in amicitia potentiorum deligenda, ne fallaris. Nam velut qui arduos ascendunt montes, vt feras assequantur, si admodum periti non sint itineris, maximo periculo atque labori se exponunt: ita si imprudenter patrocinium vnius delegeris, facilè omnium iacturam feceris.

Quemadmodum ego, qui vel hoc vno exemplo admoneri potueram. Cum enim meus ille exemplar Geometricorum elementorum, quod vnicum mihi erat, diceret se amisisse, debueram ego, quod facere nolui, aspernari munus illud centum aureorum coronatorum, & existimare, quale periculum esset me aulæ non assuetum intermiscere his, qui dum cœlum capite tangunt, omnia hæc humilia parui faciunt. Neque solum enim spectanda est natura in principibus propria, sed eorum qui apud illos plurimum possunt. Munus sanè illud quàm inuitus acceperim Deus nouit, sed iactura, quam feceram fores obsidendo vt librum reciperem, me flexit vt acciperem. Quod si non accepissem, beatius Mediolani victurus fuissem. Quid ergo? Non cuique datum est adire Corinthum. Non tam est spectanda principis potentia, quantum tibi vtilis esse possit: nec natura illius, quàm bona sit: quam quibus ille delectetur studiis atque hominibus, qualibúsque ingeniis illi præditi sint, & tu quàm aulæ moribus sis accommodatus. Itaque si ego demens hæc spectassem, non minus illius, quàm præcedentium prouinciæ præsidum, quorum longè locupletiorem conditionem aspernatus fueram, amicitiæ me insinuassem, & retentis, quæ mihi virtutis atque fortunæ beneficio paraueram, auctoritate & lucro, perquam magno meo bono quieuissem, nullis furtunæ procellis iactatus. Nunc pro beneficio ita lucrum & nomen amisi, vt etiam vrbis mœnia horream, tanquam tantæ cladis conscia: Senatus & ipsius Principis amicitia priuatus sum: Filium vnicum, spem inclinantis ætatis meæ crudeli morte ac infami perdidi. Ego quàm parum abfuerim ne dolore interirem, nisi Deus specialibus auxiliis me tutatus esset, quilibet intelligere potest, qui, præter casum ipsum per se acerbissimum, tot causas, quæ illum miserum filium impulerint, quas alibi deduxi, nihil contulisse animaduerterit. Itaque hac egregia amicitia, hoc tam splendido patrocinio funditus pro meritis euersus sum, cogórque pendere à Senatus arbitrio, si in profitendi munere, si propè patriā manere velim. Nec est quod me solari possit, nisi quod, quem deseruerunt ingrati amici & cū his humanum genus, Deus nō deseret: pro cuius veneratione ac nomine omnia hæc mala libenter sustineo, nec piget me perpeti, nec, si possim mutare, mutasse velim. Cæterùm quod ad mortales attinet, & principum amicitiam, hæc fuere, quæ mihi

mihi euenire pro tot illius laudibus, quas in fronte librorum de Subtilitate verè, vt meo iudicio visum est, scripsi.

Verum in aliorum ordinum amicitia obeunda vti tanta spes non est: ita facilior aditus, ac longè minus periculum. In his etiam magis spectabis illorum indigentiam ac necessitatem, quam potentiam, quod pauci nostra ætate faciunt, in collocandis beneficiis, atque ea hilariter, promptè, ac maiore cum fœnore, si quidquam accepisti, sunt retribuéda, fœcundorum agrorum exemplo, vt ait Cicero. Ita tamen in alium non contuleris, vt tibi vel alteri amico plus noceas: vel in præsenti gratificeris ea in re, quæ postmodum successu temporis plus obfutura sit, velut improbi & imperiti medici facere consueuerunt. In amicitia autem, quæ vtilitatis causa solum contrahitur, illos sequere, qui, quamquam ex his ordinibus non sint, in parandis diuitiis sũt fortunatissimi, tametsi etiam fœneratores sint. Secundo loco gratos ac beneficos. Tertiò autem, liberales. Cæterum cum studia hominum quatuor sint, sapientiæ, administrationis rerum ciuilium, negociationis, & voluptatum: iuxta singula genera horum sunt amici. Sunt etiam eo ordine, quo scribimus, præferendi. Optimi enim, qui ob virtutem & sapientiam communem amicitiam iniere: inconstantes maximè, qui ob voluptates. In omnibus sanè officiis eorum atque actionibus, etiam vitæ humanæ, consideratè agere pluris est, quàm cogitare prudenter. Cumque in ipso beneficio conferendo, in præstandísque officiis summum bonum sit in ipsa actione, id tamen cauere debemus, ne omnino in ingratos conferamus. Nam gratiam sperare tametsi minus honestum est, est tamen adeò vtile, vt apud vulgus sit officij præstiti finis. Illud maius est, quod cum facultas nostra, seu in potentia seu in operibus, exigua sit, quidquid impenderimus largitique fuerimus in ingratos, id totum illis, qui natura gratiosi sunt, detractum puta. Præterea turpe est falli atque indecorum. Quin talia exempla ingratis impertiendi, aliorum mentes à beneficiis bonis præstandis, & à liberalitate deterrent. Quocirca si in hos impegeris, quid agendum sit, dicere nunc aggredior.

CAPVT X.

De Ingratis & Perfidis.

Illud ergo primum consideratione dignum est, an verum sit, quod Seneca ait, parua beneficia gratos homines reddere, magna ingratos, quod homines reddere parem gratiam non nisi maxima cum difficultate, aut magno cum damno posse se intelligant? Quod certè dictum omnes à magnis beneficiis conferendis absterrere posset. Mihi autem tametsi non inutile sit præceptum & naturæ illius accommodatum: tamen multis modis astringendum videtur. Primò enim in amicis veris haud obseruandum videtur. Nam in his idem est ac si in te illa conferas. Secundò, cum nullius gratiæ spe confertur. Quod maximè contingit, cum homines potentes in suos clientes beneficia conferunt. Neque est vt illi ingrati euadant, cum sciant, quantulamcumque gratiam sint relaturi, eum qui beneficium contulerit, æqui bonique consulturum. Tertiò, si casus id exigat, vt vel cogaris periclitari amicum, vel sinere maius spe beneficium afferre. Quo in casu Princeps ille erga me erat cum neglexerit. Tametsi enim par reddi beneficium posse non sperabat, quod tamen Deus nouit: nam maius forsan futurum erat Regi ac genti suæ, tum maximè quod postularem, denegare non debuerat. Quin etiam si non petat ob verecundiam, tantum valere debet verecundia, quantum perfrictæ frontis aut miseri animi lacrymabiles supplicationes. Quartò, cum in probos ista conferuntur, aut virtutis causa. Tametsi enim non reddent par, tantum tamen reddere possunt, quantum pro illorum viribus sperare licet. Iuuare enim sapientem aut probum, ipsum per se bonum est. Seneca autem omnia refert, more suo, ad dantis gloriam, cum magis personas spectare debeamus. Neque paruum est sapientem aut probum fuisse, quandoquidem tam rari sint in alterutro genere. Demùm, cũ beneficij collatio non à te, sed ab illo incœpit. Melius est enim restitutionem amisisse, quàm ingratum videri. Ideò probo viro ac grato multo magis perspiciendum est à quibus beneficia expetat aut suscipiat, quàm quibus tribuat. Velut magis considerandum, quid tibi furto subripiatur, quàm quantum dones. Qui enim donat scit quid donet, & quantum: cui aliquid furto subripitur, tametsi exiguum sit, nescit quantum esse possit. Tantum ergo esse existimare debet, quantum esse potest. At quod subripi potest, infinitum est. Itaque qui furum arbitrio viuit, etiamsi exiguum auferant, nihil habet. Qui donat, etiamsi magna donet, diues esse potest. Ita ergo, qui beneficium impertit, etsi immerenti, scit quid perdat: qui suscipit ac recipit, nescit pro quanto se obliget. Ergo, cum recipis, an recipere debeas, diligenter considerare decet.

Quod si non ἀχαριστίᾳ, *ingratitudine*, amici laborent, sed vitiis, ira, dolo, contumacia, negligentia, mora, id persæpè vtilius tibi erit, quàm si omni officiorum genere erga te promptè vtantur. Cogita enim illa eadem in te esse, & vide quàm grauiter alios afficias: tunc enim ex illorum erroribus ipse optimus & officiosus euades. Cum enim aliorum gratiam experieris, vel temetipsum consideraueris, facilimè temetipsum falles, & dignum amicitia existimabis, cum in multis delinquas. Sunt autem gratiæ duo genera. Quorum vnum est, vt in eos, qui nos beneficiis affecerunt, beneficij & ipsi simus: alterum, vt pro his, qui pro nobis mala perpessi sunt, & nos mala perpeti non recusemus. Est autem hoc genus certè prestantissimum ac nobilissimum, communéque omnibus esse potest. Quandoquidem nihil nos prohibere potest, quin mala subeamus, nec ad hoc opibus aut potentia indigemus. Vnde rectè admodum in vno hoc genere tota gratiæ lex nostra fundata est. Neque enim, si quis aut propter tot beneficia, quę à Deo accepit, aliis benefaciat, aut propter gloriam virtutemve vel consuetudinem mala æquo animo perpetiatur aut sponte subeat,

idcirco cœlestis regni particeps fiet: sed si ob Christi amorem, qui nostri gratia mortem acerbam passus est, & ob Dei beneficia & dignitatem, facere aut ferre, quæ debet, non recuset. Optimum igitur gratiæ genus, pati velle pro his, qui pro nobis sponte passi sunt. Et qui hoc agit optimus, & ad omnia bona facienda paratus est. Quippe, cui plus debet, satisfacit, & tanto maiore pretio, quanto maius est mala pati, quàm benefacere. In primo igitur genere ponendi sunt qui pro his, qui passi sunt, & ipsi pati non recusant, vt Martyres. Post, qui his, qui passi sunt, aut pro his benefaciunt, vt Paulus & Hieronymus. Tertio loco, qui pro his, à quibus beneficium acceperunt, pati non recusarunt, vt Machabæi, quorum festum etiam Ecclesia celebrat. Vltimo loco eorum, qui benefactoribus benefaciunt. E quorum numero maxima est turba, etiam Idololatrarum & aliarum Gentium: præcipuè tamen eorum, qui sancta Philosophiæ præcepta intimè hauserunt. At illorum, qui beneficia non reddunt, pessimi sunt, qui parentibus infensi sunt, quibus maximè debemus. Deteriores etiam, si matri quàm patri, & si verberent aut eos iniuria afficiant, quam si solum sint eis infensi. Qui ergo pro Christo multa volentes patiuntur, in his omne virtutis genus relucet: ideóque ad Rempubl. constituendam ac continendam optimi sunt. Sunt enim admodum iusti, benefici, pij, mites, misericordes, sinceri atque constantes amici. Quamobrem lex nostra optimos nos esse vno verbo docuit. Sed cum non facile sit his temporibus in tam amplo Christiani nominis ambitu, Christianos pauculos inuenire: ideò saltem iustos & gratos quærimus. Est enim iustitia in rebus humanis adeò necessaria, vt auctore Cicerone, etiam in his, quæ iniustissimè fiunt, velut latrocinio, pyratica, circumuentione, opus sit iustitia, & qui non illam administrare, sed ex sententia cuncta voluerunt, à suis sint deserti aut etiam obtruncati. Bargulus autem & Spartacus, ac Viriatus & Sertorius in latrocinio iustè administrabant cuncta, atque secundum latronum leges.

Ingratorum autem admirabilis quædam est natura, qui omnibus diuinis, humanis ac ferinis legibus relictis, exitiale & detestandum crimen exercent, & in quo omne sceleris genus cumulatim continetur, dolus, proditio, sæuitia, impietásque. Res profectò fœda auditu, horrida visu, memoriæ molesta. Latius patet hoc malum, quàm quis credat. Vndique ingratorum numerus est infinitus. Nec parua pars mali est, ingratis benefacere, aleréque hoc tam funestum malum in republica non solum re, sed etiam exemplo. Itaque fouere ingratum, ingrati est. Maléque consulit Seneca, vt etiam in illos simus benefici.

Sed quoniam, vt diximus, nunc atque olim ingratis omnia plena sunt: gloria autem constat multorum in nos beneuolentia ac fide, existimationéque dignitatis: quomodo hanc multorum beneuolentiam assequemur si non pluribus, pluribúsque necessariò ob id ingratis benefecerimus? Ergo aut à concupiscenda gloria prorsus abstinendum erit, aut ingratis benefaciendum. Difficile quoque videtur ingratos hos secernere, quod iidem homines in quosdam grati sint, in alios ingrati. Cn. Pompeius in Cn. Carbonem ingratus fuit, in multos alios gratissimus. Ingratus & Augustus in Ciceronem & C. Toranium. Itaque cum res humanas æstimo, nihil tam sincerum in eis statuere licet, vt generalem rationem de illis constituere possis. Mutantur ætates & cum illis mores: ita tamen, vt nunquam ex vipera agnum, aut ex agno viperam fieri speres. Adolescentium & puerorum animi vt sunt instabiles & à ratione ac consilio magis alieni, ita etiam rara ab illis gratia rependi solet. Senes verò ob timorem & auaritiam solent & ipsi parum grati esse.

Multa interim occurrunt, quæ etsi naturam non mutant, mentis tamen deliberationem vertunt modò in hoc, modò in illud. Cogita omnes homines, quidquid faciunt, sui causa, non alterius cuiuspiam facere: siue gratias reddant, siue sint ingrati, liberales, auari, ac eiusmodi, omnia propter seipsos faciunt. Colimus deos, non illorum causa, nisi admodum sapientes: sed vt benè nobis sit, aut vt pietatis nomen consequamur. Solum in crudelitate & misericordia naturæ potius vim sequimur, quam nostram deliberationem. Ergo cum variant hominum mores, illos à natura & deliberatione proficisci puta, quos habet dum maximè liber est & prudens, & quos quasi sponte exercet, tum verò in maximè necessariis. Quos verò vi potius, quàm natura vel consilio ingratos esse animaduertis, in istos conferes beneficia. In hos autem, qui ob inuidiam ingrati facti sunt, aut qui consilio & improbitate, conferre beneficia stultum fuerit. Sed si ab his tu beneficia acceperis, clam aliis reddes, vt re, non exemplo gratus in eum sis.

Iam vt videas ingratorum numerum, quotusquisque non iniurius est in Deum, à quo vitam, mentem, incolumitatem, ipsum hoc frui mundi pulchritudine adeptus est? Quædam etiam gentes non tam illum ignorant, quam nescire nituntur: vt quæ amplissimam regionem Tartariam appellatam sub Borea incolunt, & Indi occidentales. In Reges deinde quàm pauci grati? Nam apud ipsos qui stipendia, dignitates, potentiámque consequuntur, nihil minus quàm illius causa faciunt. Hinc auaritia, ambitio, inuidia, amicitia, odium, spes, amica omnia, Regis voluntati atque vtilitati præponuntur. Cicero homines septem rebus ad deliberandum commoueri tradidit: beneuolentia, beneficiorum magnitudine, præstantia eius de quo deliberant, metu, spe vtilitatis, nec non largitionis, & ipsa largitione. Iisdem etiam causis ad parendum alicui incitantur. At ex omnibus his nulla non prior est Regis vtilitate, vbi mentem alia quæpiam ex his causis occupauerit. Nam non omnes ab omnibus irritantur. Multi enim sunt, qui neque spe paruarum rerum, neque exiguæ largitionis, nec ipsa exigua largitione tanguntur. In parentes quoque quàm rari grati? In reliquos multo adhuc pauciores.

Est etiam perfidus ingratus, & ingratus perfidus: quod eo nomine quisque beneficium recipere creditur, quo, vbi occasio euenerit,

repensurum

repenſurum ſit. Iam qui fidem frangit, eo ingratus eſt, quod ille confiſus eſt in eo, ipſe autem gratiam non reddit. Hæc igitur cùm ſint ſumma mala, nihil mirum, ſi ſint affinia. Quis autem eorum deterior? certè ingratus. Nam ei beneficium credidit atque in eum contulit: ille verò ſolùm ei credidit. Quocirca ingratus perfido deterior. Vt facile ſit paululum mentem adhibenti perfido cognoſcere. Sed de his infrà.

Verùm cùm ſæpè contingat in vita humana, vt viciſſim multi multa conferant atque recipiant beneficia ab iiſdem, mutuóque ſe ingratos appellent: ob id ſcire oportet, à quo prius benefaciendi initium induxit, & quænam maiora, & quas ob ſpes? Sæpè enim multi benefacere incipiunt, non vt benefaciant, ſed vt recipiant. Cuiuſmodi ille Grammaticus fuit, qui & prius carmina in Augusti laudem ſcripſit, & pro acceptis carminibus ſtipem obtulit. Nemo enim ſanè mentis aut in carminibus offerendis aut ſtipe beneficium Grammatici laudarit, quod nullum eſſet tum ob paucitatem muneris, tum accipiendi potentiam, tum quia præſtabat ipſum accipere.

Ergo in ingrati officij iactura, quàm maximam & frequentiſſimam eſſe docui, & prudenti conſilio & ſtatim occurrere decet. Captabit verò, vt apud Plautum Euclio, occaſionem ſeruandæ rei, ſi iacturam pepererit ingratus aliquis, ob idque dicat:

Quid ſi quiſpiam ignem quærit? Extingui volo,
Ne cauſæ quid ſit, quo te quiſquam quæritet.
Nam ſi ignis viuet, tu extingue extemplo:
Tum aquam aufugiſſe dicito. Si quis petet
Cultrum, ſecurim, peſtillum, mortarium,
Quæ vtenda vaſa ſemper vicini rogant:
Fures veniſſe atque abſtuliſſe dicito.

Ergo nemini inſeruiam? nulli quidquam commodabo? Minime. Hoc enim eſſet omne officium ex humana vita, ſine qua ſtare non poteſt, tollere, ac imitari Ambroſium Aliprandum Iuriſconſultum, ciuem noſtrum, ad quem conſulendi cauſa Bonromeus Princeps Philippus cùm veniſſet, atque inter loquendum, vt multi ſolent, forficulam manu tractaret, Aliprandus inquit, Omitte forficulam: nam diebus his, cùm quidam ad conſulendum me veniſſet graphium ſuſtulit. Omiſit Bonromeus ſimplicitatem hominis admiratus. Dein, cùm inter loquendum, cogitatione credo multum intentus verbis, (nam de re magna, vt opinor, agebatur,) rurſus forficulam tractaret, quaſi indignanti ſimilis Aliprandus ait, Omittite illam, ſi vultis, vt rectè vobis poſſim conſulere: admonui enim quempiam his diebus cùm ſub ſpecie conſulendi nos veniſſet, furto ſuſtuliſſe graphium. Omiſi Bonromeus forficulam, plúſque illius ſcientiæ iuris tribuit & negotio ſeriò, quàm ſtultis interpellationibus. Scripſimus tamen de huiuſmodi viro multa riſu digna in Libro callidarum technarum.

Sed vt ad rem redeam, hoc ipſo malo ingrati officio habes, quo poſſis, indignos à petitione repellere, dignis ac merentibus inſeruire. Quibus verò nolis nec deceat, bonis verbis ſatisfacies. Durum enim eſt onerare hominem grauibus dictis, quem factis iuuare nolis. Quamdoquidem multi benefacientium aſpera dicta magis horreant, quàm gratum habeant quod recipiunt. Vt ergo ſincera aqua ventriculo oneroſa eſt, ſaccharo mixta non ita: ſic melliflua verba pro facti dimidio ſunt. Si ergo commodè inſeruire te non poſſe, ſi exemplum prioris iacturæ oſtendas, ſpecie ſaltem amici manebunt, nec de te conquerentur, Sin duriter repellas, malam famam ſpargent, multos in vno amittes. Pura enim repulſa non ſine contemptu eſſe videtur. Ob id durior ſanè, quàm vt animo beneuolo ferri poſſit. Eam etiam, qui amant veritatem, difficilius effugere poſſunt. Quamobrem verax his temporibus inter maiores perplexitates verſatur. Grauior igitur repulſa eſt contemptus, & maioris æſtimatur. Caue ergo ne quemquam contemnere videaris. Ego olim cùm lyras quatuor mutuo dediſſem, ſolúmque tres recepiſſem, voui nihil mutuo daturum niſi his, quibus, etiamſi dono, dediſſe haud pigeret. Sic eo voto multis incommodis liberatus ſum. Adeò enim quorundam impudentia creuit, vt etiam ignotis maiore verecundia deneges quod petunt, quàm illi flagitent. Nuper adoleſcens vadimonium à me triginta aureorum coronatorum tam perfricta fronte, tam conſtanti vultu requirebat, vt frater à fratre ſecurius non fuiſſet petiturus, cùm tamen illum nec è facile agnoſcerem. Quod ſi alteri mutuum dediſſe quis obiecerit; reſpondebis, maluiſſe dono ille accepiſſet, poſtquam tantùm ei debueras. Ergo quibus mutuo dandum, quibúſque beneficia impertiri deceat, paucis accipe.

Scripſit Lilius Gregorius Gyraldus noſtra ætate libellum de ingratis acrem ſanè & elegantem, quo vitium hoc deteſtatur, adeò etiam vt homines ab hoc vitio abſternere conetur. Sed ſanè luſerit hic operam, ſeu ingrati natura ſeu conſuetudine conſiliove fuerit. Horum enim vno tales fiunt. Nam cùm vitia quatuor modis coerceri ac depelli ſoleant: religionis inſtituto, gloriæ ſpe, legum ſeueritate, ac rationibus, quibus oſtendamus, quòd laudare volumus, eſſe vtile; quod vituperare, vtile: nullo horum effici poteſt, vt ingratos à ſuo propoſito dimoueamus. Nam quod ad fidem religionémque attinet, non eouſque, vt cætera omittam impedimenta, proceſſiſſet ingratus, ſi vel minimam partem aut beneficiorum aut pœnarum exſpectandam eſſe crederet. Gloriæ, virtutis, honeſti, decoris ſtudium adeò intermortuum eſt, vt ne chœnicè lupinorum illud emerim. Omnia pecuniæ atque potentiæ ſeruiunt. Ex tribus temporibus duo amiſimus. Sed vobis, ô Grammatici, certamen hoc relinquo. Neque qui fueris, curo, nec quid futurum ſit, curare debes: ſed qui ſis, quid habeas. Impar ſanè pugna tantò errori euellendo, tali monſtro fugando. Et ſi par eſſe poteſt, impar his armis gladiator, mihi ignoſcat, futurus erat. Oportebat Ciceronem aliquem aut Cratippum vel Hægeſiam declamare. Sed video faciliùs poſſe expugnari viuendi cupiditatem aut auaritiam, quàm ingrato perſuaderi, vt beneficiorum memor eſſe velit. Leges ipſæ in tanto cri-

mine silent aut torpent, vel hallucinantur. Quantúmque aduersus hanc belluam possent, visum est in Atheniensibus, qui cùm de ingratis seueram legem tulissent, nulli eo populo magis aut sæpiùs ingrati fuere.

Iam rationibus pugnandum esset: sed quia ab vtili honestum, ab inutili turpe non secernunt, aut aliud vtile ab honesto statuunt, nec conabor persuadere nec forsan potero. Quorsum etiam hic labor? In cæteris gratiã referre posse sperabam, ab ingrato gratiam sperare insanientis est. Est ingratus mortalium pessimus, tribus præcipuè ex causis. Prima, quod omni genere vitij sit coinquinatus, auarus, ambitiosus, crudelis, infidus, mendax, nec improbus solùm, sed ipsa improbitas atque nequitia. Secunda, quod in eos maximè peccat, in quos minus id licet, etiamsi peccare liceret, scilicet in Deum, patriam, parentes & beneficos. Tertia, quòd ipsam hominum coniunctionem dissoluit, qua omnia illis bona constant. Tribus enim cùm præstemus cæteris animantibus, intellectu, amore & concordia: hac ipsa tamen sola superiores sumus illis. Hanc verò ἀχαριστία, *ingratitudo* euertit. Vt ciuitatibus nihil pernitiosius esse possit. Fures, latrones, sicarios ipsos ciuitas ferre potest, ingratos ferre non potest. Quis enim alteri auxiliabitur? quis filium alet? quis parentes fouebit aut nutriet? Vbi ergo erit hic ciuium consensus? aut cui bono? Reliqua vitia omnia in inimicos, in incognitos, in alienos, in eos feruntur, quibus non constat ciuitatis ratio: hoc solùm crimen contra eos sæuit, quibus maximè sumus coniuncti. Dum iungit, dirimit: dum vnit, diuidit: dum colligit, abrumpit: dum seruat, perdit. Quid hoc ipso iniquius excogitari potest? Itaque gratiæ memorem inter tot pericula, sua, vxoris, filij, gentis, fortunarum, Æneam Virgilius sanum facit. Dum neque sine sene parente Anchise discedere vult, & dum ille annuisset, sublatum in humeros per media penè inimicorum castra detulit ad naues. Sed quorsum in Didonem ingratum facit falsa cùm historia? quem præstitisset à tam nefando crimine etiamsi verùm fuisset, vel silentio liberasse. Existimo nos docere voluisse, propter publicam vtilitatem etiam proprij debiti nos debere esse immemores. Sed non sufficiebat hoc. Nam publicæ vtilitati per priuatum sufficere potuit beneficium. Quomodo enim in Italiam peruenire potuisset, nisi refectis apud Didonem nauibus? Ob id quatuor adiecit huic excusationi præsidia. Primum, quod appulsus eo fuit vi, non sponte. Secundum, quòd mandato Deorum discessit, & Dido etiam non sponte hæc pergit, sed à cupidine decepta. Tertium, quòd nihil admisit contra illam. Quartum, non sperasse, quod neque verisimile fuit, illam sponte se occisuram. Ipsa quæritur:

Dissimulare etiam sperasti perfide tantum
Posse nefas?

Iam aliud Æneas fassus ante erat sponte, dicens:

Ego te, quæ plurima fando
Enumerare vales, nunquam Regina negabo,
Promeritam.

Excusat autem se libro sexto, vt diximus, de vltimo hoc illis verbis:

Nec credere quiui
Hunc tantum tibi me discessu ferre dolorem.

Et rursus:

Funeris heu tibi causa fui!

Hæc poterant ex verace ore excusare ἀχαριστίαν, *ingratitudinem*: at inter Heroas connumerari non meruisset, nisi mendacio mortem prætulisset. Hac enim præcipua causa diis homines gratos fieri docet Homerus, vnde & δικαίως, *veraces*, vocat sæpè. Et apud Sophoclem δίκαιος γόνος, verus filius est. Δίκαιος enim verax est, & omnem complectitur virtutem. Sed Poëtis multa licent, cum, præter historiæ seriem, adsit orationis ornatus, affectuum motus, sapientiæ obumbratio, morum exempla, personarum decor, ac delectatio non parua. Ad sapientiam enim peruenerunt. Velut enim hi, qui ex carcere exeuntes in dubia luce primum res inspicere gaudent, quòd à claro prorsus obcæcentur: ita qui rudes omnino sunt, velut etiam pueri, in sapientiæ vestibula per Poësin introducuntur, delectatione etiam adiecta. Ex quibus ad penetralia per Philosophiam postmodum patet ingressus. Sed præter cætera personarum decorem Poësis seruat, non solum excellentiæ, vt Deorum, Heroum, Regum & plebeiorum: sed & muneris, vt ducum & militum; atque affectuum, vt stultitiæ, timoris ac iracundiæ. Miscet tamen indigna dignis: quapropter studiosè legenda. Seruat etiam in imitatione personarum, vt in illo:

Aude hospes contemnere opes & te quoque dignum
Finge Deo, rebúsque veni non asper egenis.

Euander Graius senex & rex loquitur inter sacra Alcidis, qui fuit pauperrimus, quamvis diuitiis, nescio qua ratione, cùm Iunone illum præfecerint. Itaque multipliciter decoris ratio seruata est à Virgilio. Illud eos defendit, quod alij alia sentiant. Crudelitas apud Tartaros vitium non est: formido maximum vitium. Quidam etiam parentes edere, impium non putant. Nos grauius scelus, edere humanas carnes existimamus, quàm ipsos homines occidere. Ita creditum est, nullum esse vitium, nullum scelus, sed constare omnia legibus atque consuetudine. Verùm non hoc idem dubium est in ingratis, quos omnis lex atque consuetudo damnat & aspernatur. In hoc solo discrepant, quòd barbari ingratum neminem esse putant, qui beneficium alienigenæ non reddiderit: ciuiles homines, in omnes eisdem sacris initiatos, in cæteros non ita: probos autem in omnes gratos esse debere censent. Nam etsi in Scythas officia conferre superuacuum sit, cùm tamen ab illis afficeris beneficiis, iam ille nomine gentis suæ indignus haberi non debet.

Ergo summum studium, summa diligentia adhiberi debet in officiis præstandis, ac beneficiis impertiendis suscipiendisque. Quãdoquidem si in gratos contuleris, felix eris, si in ingratos, infelix. Quanquam in gratis non sufficiat ipsa animi virtus, sed etiam potentiam requirat. Decrepita ætate senex

senex & pauper inualidus tametsi grati sint, ab altero expectare non debes beneficium, alter verò etiam tibi oneri futurus est. Non tamen illum, quæ suæ virtutis speciem blandiente fortuna sæpiùs præbuit, despicere oportet. Cum enim non, vt Timon, in solitudine viuere velis, & à nemine sis accepturus beneficium, si nulli impertieris: necesse est in collocandis beneficiis maximam ponere diligentiam, summáque prudentia vti.

Id verò quatuor rationibus constat. Prima, ne tu ipse ingratus sis. Nam hoc deterrimum est & vitio ipso, & infamia, & iactura, atque in vita ciuili. Secunda, ne ita agas, vt, etsi tu gratus sis, eos tamen, cùm quibus verfaris, ingratos reddas. Tertia, vt ingratos à gratis discernere queas. Quarta, vt possis ipse beneficia cōferre. Plurimos enim scimus ingratos esse homines in nos, vel quia illis amicitia coniuncti non sumus, vel ob ineptiam quamdam beneficia collocare nobis in ipsos non licet. Est etiam consideratione dignum scituque necessarium, homines illos, qui grati sunt, plures plerúmque habere amicos: cogique vt in plures beneficia impertiantur. Quo fit, vt nouis amicis operam dare non possint. Quo fit, vt plura sæpius nobis à mediocris fortunæ viro beneficia consequamur, quàm à principibus. Non quòd plura non possint principes, aut quod beneficiorum memores non sint: sed quoniam petunt tot, vt vel omnibus satisfacere nō queant, vel saltem non æquè benè. Narrabat amicus noster Ioan. Petrus Buzius, Medicus ac artis Professor insignis, non inelegantem fabellam, quæ quia heri dum narratur, hunc in locum aptè incidit, nec recitare illam hîc grauabor. Dicebat contigisse quondam siccitatem magnam, adeò vt flumina, fontes, putei, cœlúmque nullas remitteret aquas: villicus ne cum tota familia ac iumentis periret, recordatus aliquando magnam aliàs etiam contigisse siccitatem, verum in radicibus montis se fonticulum inuenisse, eo perrexit, nec frustratus spe aquam, licet non multam inuenit: rediit domum, & affinibus peculiaribúsque amicis conuocatis dixit, fontem se inuenisse, sed ea lege deducturum illos, vt ordine quisque biberet: primum ipse cùm vxore filiisque, inde amici atque affines, post boues & equi sui, tum armenta itidem suo ordine aliorum. Assenserunt illi, postquam non haberent, quod sibi promptius occurreret, auxilium. Erat villico illi domestica pica, quæ cùm ordinem hunc audisset, secum dixit: etsi dominus meus me ducturus quoque sit ad fontem, cùm tamen tot mihi præferantur, aut fons ipse certè siccabitur, aut antequam omnes biberint, ego siti intereaam. Itaque aquam alibi quærere meliore fortuna possum.

Multi cùm cogniti sint principibus, solum id cogitant, quantum illi possint, non quantum sibi illos beneficiis deuinxerint, aut quod habeant illi apud se vel magis coniunctos vel magis gratos. Quare melius forsan fuerit in fluuio exiguo piscari, quàm in mari; tametsi mare longè plures pisces ac grandiores habeat. Sæpè melius est longè in mediocris fortunæ viros, aut paulò maioris quàm mediocris, beneficia collocasse, quàm in ipsos principes. Idque ob quinque causas. Prima, quod princeps intelligit beneficium illud spe potius, quàm amore in ipsum conferri. Secunda, quod eo beneficio non, vt mediocris fortunæ vir, augeri suam existimationem putat, nec magni fieri à te, vt ille nec si existimet, illud curat aut credit alios hoc exemplo moueri debere. Atque, etiamsi id credat, parum referre putat hoc. Quoniam potentiam suam ob id augendam non sperat. Quæ omnia in priuatæ conditionis viro sunt. Tertia, quod in competitorum concursu aut nunquam par beneficium reddit, aut tam sero, vt omnia exspectatione illa diuturna tibi pereant. Quarta, quod non audes ab illo repetere, vt à priuato. Quod si modo repetas, non audes omnia illi tam ex vngue explicare, vt amico familiari. Vltima, quæ maior omnibus est, quod hac spe fretus multa audes, multa audent tui: quibus euerteris, dum neque tu illis satisfacere potes, neque princeps vult. Visum est id nuper in filij mei miserabili casu: in quo bifariam patrocinium principis Suessani nos perdidit. Filium quidem, qui, cùm putaret iustè vlcisci, sperabat stultè quidem se defensum iri ab illo: me autem non tam stultè, licèt infelici euentu, qui in illo confisus certiorem salutis spem deserui. Quis dubitat, si me non adeò in illius nomen pronum vidisset filius, non fuisse talia ausurum? nec de hoc conqueri dignum est. Amentiæ enim illius fuit, non principis peccatum. Nihilominus ex confidentia illa ortum fuit infortunium. At de mea in principem fide, aliud statuendum esset. Sed, vt dici solet. Manum ad os opponere oportet, cùm de principibus loquimur. Interiere Augusti. Illud tamen sæpè mecum recordatus sum, quod apud nos dici solet. Vmbram principum stultorum pileum esse. Quamobrem consuluerim probis viris, ne principibus inseruire omnino velint. Sed sinamus eos illis, qui verbis solis & specie officiorum, non officiis & virtute gratiam illorum mercantur. Quorum nihil interest, quales domini sint: sed solum curant, vt ambitione atque opibus ipsi alios vincant, habeántque sua labra lactucas. Odio me fuisse diis non ob aliud esse existimaui, quàm quod immerentibus fidem, virtutem, constantiam, innocentiámque seruare voluerim. Rectius Alciatus Curtiúsque, tametsi libros de vtilitate ex aduersis capienda non scripserint, præcepta illius tractare nouerunt, sibi ipsis viuentes. At mihi hoc infelicitatis etiam inter reliqua fuit, quod nihil sciuerim vlla in arte aut negotio, antequam methodum in illa aliquam conscripserim.

Quod non obiter contigisse existimo, sed vt ad communem vtilitatem his in rebus, quibus mihi vsui opus esset, conscriberem. Sic Dialecticam totam Aristotelis, Galeni & Euclidis, octo simplicibus chartis plenè ac ordinatim conscripsi. Quod vtinam opus, quod iam triginta annis facere potuissem, fecissem. Sed non sunt nostra hæc, verùm, vt reor, Dei munera. Medicinam, viginti septem: mores, hoc vno opere: ludum latrunculorum, quod eo plurimum oblectaret, pluribus

pluribus fermè, quàm oportuit, chartis descripsi. Philosophiam trigintaocto libris de Subtilitate & de Rerum varietate amplexus sum. Astrologiam quatuor commentariis in Ptolomei libros descriptis. Theognoston sex. Has septem disciplinas & necessarias & in methodum deducendas ea ratione duxi, vt ad voluptatem veram Theognoston conscripserim, ad vulgarem & familiarem de latrunculorum ludo. Dialecticam ad rectè conscribenda opera, ad diiudicanda, ad explicanda, ad inuenienda quæ quærimus, & ad profitendas disciplinas. Philosophiæ libros, quod turpe existimarem, nescire quidnam essemus & vbi. Medicinæ autem præcepta, vt in promptu haberem, quæcumque essent ad ægrorum curam & prædictionem necessaria. Astrologiam, ductus admiratione rei. Libros hos, tanquam totius vitæ honestè peragendæ viaticum. Quod si quis expungere Astrologiam & latrunculorum ludum ex hoc numero, tanquam minus necessaria velit, non reluctabor: modò sciat, methodo exactissima illa conscripta esse. Cæterùm minus necessaria, & tamen etiam diligentius scripta intelligat Arithmeticam, Geometrica elementa, Musicam, septem libros de Arcanis Æternitatis, & quatuor de Fato. Reliqua methodo absoluta non sunt, quanquam plures magnificant ob ea, quæ à nobis audierunt commentaria in Auicennam, in Artem medendi Galeni, in Aphorismos, & Contradictiones.

Si qui ergo eruditi, qui pauci sunt, aulas frequentant & his magistratibus grati sunt, è quorum numero Delphinus ipse est, amicus noster, vir insignis, norunt quantis laboribus rem ipsam sustineant. Ergo quandoquidem tam pauci huic negotio ex sapientibus probisque apti sint, paucioribusque etiam res benè cedat, vnaque sit hæc tantùm vita, vnumque viuere, suaserim vt quis beneficia in amicos potius collocet, atque illis, antiquorum more, librorum nuncupationes dedicet, quàm potentioribus viris. Sed si non re, verùm verbis & opera seruili, tum adulationibus paratus sit principibus placere, & meliore quæstu vt faciat, consulo, & Neoptolemi vindicta.

Ergo, vt ad rem redeam, cùm nihil sit deterius, quàm ingratum esse, quomodo illos cauebis aut, ne efficias, prouidebis, si tu ingratus fueris, ipso scelere deterior factus, quàm si mille ingratos fuisses expertus? Qui enim ingratus est, beneficij accepti dulci memoria destituitur, & virtute, quæ ad gratiam referendam stimulat, priuatur. Exemplo quoque alios docet, vt parem gratiam referant: scilicet, vt & ipsi sint ingrati. Itaque primum illud præstare hominem decet, vt neque factis neque moribus aut cogitatione se ingratum ostendat, si ab aliis gratiam exspectare velit. Verum animum illum, quem à Deo nitidum & pulchrum accepisti, si nec sapientia, nec bonis moribus, sed solidis affectibus repleas, quid aliud agis, quàm si acceptam à Rege pulcherrimam vestem maculis totam fœdares & cœno conspurcares? Id verò annon in illius contumeliam fecisse videbere? Cum ergo homines hanc tuam vestem adeò sordidam viderint, quid tupe aut indignum in te admissuros se existimare poterunt, quod in tuam iniuriam cedat, etiamsi illos innumeris beneficiis affeceris? Vt enim non veremur principum proditores, quamuis de nobis minimè malè meritos, etiam sanguine coniunctos vel amicos explodere domoque eiicere: ita improbos & in Deo ingratos nemo contumelia & iniuria indignos iudicat. Quin pium esse ducit, erga illos esse ingratos. Quod etiam in Pontificio anathemate explicari solet, si quis alloquatur, faueat, iuuet, aquam aut ignem illi præbeat. Idque erat olim apud Romanos. Aqua & igne intercedere. Impia est enim opinio illorum, non solùm absurda, qui Deos ob id minus veneratione dignos putant, quod cuncta necessitate quadam facere videantur. Nam primum, cùm res humanæ atque præcepta tribus constent: persuasione populari, veritate, & vtilitate: de duobus primis nemini dubium est, Deorum venerationem esse necessariam. Pij enim apud omnes ex hoc habentur, & id adeò necessarium est, vt tyranni, securitatis gratia, fingant religionem, etiam vsque ad superstitionem.

Quod verò maximè Deo debeamus, quomodocumque agat, & vt memores beneficij, & rectè viuendi norma, haud dubium esse debet. Si enim propter vtilitatem tantùm grati esse debemus, neque parentibus decrepitis, nec his discessuri sunt & redituri in patriam suam longinquiorem, nec morituris, nec multò minus mortuis gratiam reddemus vllam. At quis adeò durus est, vt non sepeliat parentem? Memoratur insigne exemplum Simonidis Poëtæ, qui mortuum in littore maris inuentum sepeliuit, Sequenti nocte monitus ab illo ne nauigaret, paruit. Quotquot naues discessere, naufragium fecerunt & submersæ sunt, vt refert Valerius Maximus.

Necessariò agit, inquis, quid illi debeo? quid vtilitatis referam? Scito ita Deum agere necessariò, vt omnino liberius agat quàm nos. Quippe qui nullum habeat seipso maiorem. Aut ergo omnino liber agit, aut si aliqua est necessitas, illam sibi imponit. An enim pater, quia ob amorem, maiore necessitate vrgetur ad benefaciendum filio quàm seruo, propterea minus à filio diligendus est, quoniam necessitate maiore benefaciat? Quin potius & amore & gratia dignus est, quod eam sibi necessitatem benefaciendi deliberatione stabili imposuit, &, vt perpetuo prodesset, statuit. Quo fit, vt Dei beneficium maximum sit, & gratia dignissimum. Etsi verò non indigeat gratia Deus, nec iuuetur: attamen nos, quod debemus, præstamus, nostroque munere fungimur. Lacrymæ gemitusque, quas pro mortuis necessariis fundimus, quid illis aut nobis prosunt? Fundimus tamen, quia dignum est deflere charissimos. Quod si quid in illos deliquerimus, viuentes haud dubiè nobis remittunt iniuriam. Gratia nunquam perit: si illi retribuere non possunt, retribuit Deus, & cor & animus à conscientia liberantur.

At non prosum Deo, vel mortuis? Cum Regem veneraris, quid illi prodes? Et tamen

pulchrum est venerari Reges, atque illis iu- iucundum. Qui indigent nostro auxilio, beneficium ab vtilitate metiuntur: qui non indigent, à decore. At hoc saltem mihi inutile erit? Sed quæso te primum, quid amittis Deum colendo? Deinde, qui scis an necessitate agat? Quid si etiam necessitate agat? Sapientia illa, quæ infinita proculdubio est, venerationem simul ac compensationem coniunxit. Si omnino hìc cuncta non redduntur, à morte & in tuos posteros beneficium exspectare oportet. Quis nostrum est, qui ob merita patris non honoret filios ac illis faueat? Cur leges filios in bona paterna semper: in honores plerúmque admittunt? Cur C. Caligulæ, monstro humani generis, imperium delatum, nisi ob Germanici virtutem? Cur Mamerco Scauro Consulatus dignitas, cùm ille esset sordidissimus, nisi memoria Scauri veteris? Quàm memoranda illa Senecæ verba sunt in libris de beneficiis: Deos verisimilius est vt alios indulgentius tractent propter parentes auósque: alios propter futuram nepotum pronepotúmque, ac longè sequentium posterorum indolem. Nota est enim illis operis sui series, omnium illis rerum per manus suas iturarum scientia in aperto semper est: nobis ex abdito subit. Et quæ repentina putamus, illis prouisa veniunt & familiaria. Non est, vt quisquam de diuina prouidentia ac gratia dubitet. Si benefeceris, quod longo tibi videbitur tempore, post futurum diuina bonitas compensabit. Nos fallit exspectatio seu diuturnior vita nostra, seu etiam pro æstimatione nostra longior. Multa fiunt propter præterita; plura, ob futura; plurima ob replendos fati intermedios sinus: omnia tamen æqua lance pensantur atque procedunt. Ob id non insulsè ille rogauit Christum, an cæcus is peccasset, an parentes eius? Quæ putas felicissima, dum ad statum properant & ad interitum, quid sunt? Tu tamen admiraris & inuides, ô stulte? Fabella hæc rustici est, qui cùm omnia impetrasset quæ optauerat, nullum aliàs deteriorem frugum prouentum expertus est vnquam, quod roris non meminisset. Nescimus quid petamus, quid expediat. Imò nec quid prorsus velimus. Deinde, à suprema die nihil facient cuncta illa. Sed ea in Theognoston: nunc rem prosequamur.

Scripsit librum locupletem de sera Dei vindicta Plutarchus. Infinita ibi connumerantur exempla de vindicta Deorum ad quartam & vlteriorem generationem. Herodotus meminit de Crœso Lydorum Rege, quare, cùm pius esset, à Cyro tamen Persarum Rege pulsus & captus sit. Sed illa omittamus, quæ minus certa sunt. Diodorus Siculus refert Agathoclem Regem, cùm in Africam transiuisset, prosperè succedentibus rebus. Ophellam Numidiæ vlterioris Regem & amicum solicitasse ad commune cùm Carthaginensibus bellum, eundémque fine causa dolo occidisse, fortunis & exercitu spoliasse: sed ipsum præter omnem spem post paucos annos scilicet tres aut quatuor, coactum fuisse cùm nauicula fugere, totúmque exercitum & duos filios crudeliter necandos Cartaginensibus relinquere. Ego dira patior: Deus tamen mihi testis est, quamquam in intolerabili dolore, me vel minima cogitatione agit, non esse conquestum apud ipsum, Scio enim quæcúmque ipsum iustè agere. Ille filium, suum iustè obtulit pro humani generis salute, vt lex nostra docet: at hoc nihil excusat, quo minus Pilatus & sacerdotes execrandi non sint: etiam si Christus, quòd esse prorsus non potest, peccasset. Excusatione digni possent Iudæi videri, quòd legem illorum euerteret, si ob studium legis illum damnassent: errassent enim & falsam solum tulissent sententiam: sed nunc, cùm per inuidiam neci tradiderint, non ob studium legis, non errarunt, sed improbi fuerunt & iniusti.

Ergo, vt ad rem redeam, in Deum nos semper sumus ingrati: ille in nos, vt dixi, nunquam. Nam cùm morimur, quantumvis sera ætate, quærimur, quòd nimis citò hinc exeamus: inde flentes atque gementes nonnunquam atque Deum accusantes digredimur. Quantum vixerimus, quantum voluptatis cœperimus interim, non recordamur, non gratias illi agimus. Si ob dolorem mortis aut metum, tolerabile: si ob temporis breuitatem, ingratæ mentis. Quo in genere etiam Theophrastus, quamvis Philosophus grauissimus, non parum peccauit. Pulchrè quidem dixisse visus est, sed quasi scommate aduersus eum vsus, tum minimè hoc apud ipsum meritum, vt qui ad extremam peruenerit senectutem, pauloque minus quàm centum compleuerit annos.

Ergo, vt neminem ad ἀχαειςίαν, *ingratitudinem:* factis tuis inuites duplicem scopum habere oportet: diuinum, humanúmque. Diuinus, probitate constat. Probitate enim omne illud virtutum genus comprehenditur, quibus ad cohibendas animi perturbationes & impetus opus est. Nam virtus, ait Cicero tribus constat: hoc, quo dixi, genere, tum scientia rerum altiorum atque sapientia, tum vsu moderatè ac sapienter cuncta administrandi. Probitate igitur opus est ad scopum diuinum obseruandum, & vt homines exemplo tuo aut iniuria ad ἀχαειςίαν non inuitentur. Probitatis in vnaquaque specie duo sunt fines: excessus, qui nomine improbitatis, & defectus, qui ignauiæ declaratur. In humano verò cauere oportet, quòd & aliàs diximus, inuidiam, odium & contemptum. Inuidia ostentatione paritur, odium iniuria, contemptus impotentia. Et inter reliqua bona, quæ quasi occulere decet, maximè virtutem occulere oportet. Ita & exercere & occulere quod arduum est, necessarium planè est.

Nam virtus præ omni alia re maximè inuidiam excitat, plurimas ob causas. Prima, quod nec pecunia nec dolis, quorum apud multos abundantia est, parari potest. Secunda, quod in pauperibus maximè niteat, quos aliter despicere solemus. Tertia, quòd certè summum bonum sit atque diuinum, quodque nos similes Deo efficiat. Quarta, quod nobis propria sit: cùm opes & amici fortunæ bona censeantur. Quinta, quod non, vt opum & reliquorum bonorum, tam facilè possint esse participes reliqui homines. Ideò non sperant: & vbi non sperant, inuident. Sexta, quod

à pluri

à pluribus, quàm reliqua bona, laudetur: nec solùm, vt ista, laudetur: sed etiam sit in admiratione. Septima, quod vbi parta est, nullo prorsus labore, vt retineatur, indiget: cùm reliqua bona, nisi curaueris, diffugere soleant.

Iniuria vt non inferat odium, quamvis facile sit, tamen difficile est effugere. Odium enim in nos conflatur non solùm ob iniuriam, quæ infertur aliis, quamvis hæc præcipua causa sit: sed etiam ob eam, quæ à nobis aut coniunctis nostris accipitur: tum quoque inuidiam grauem & metum, vt & odia necessariorum. Solet etiam ambitio parere odium & inuidiam, vt nimia humilitas contemptum.

De conferendis autem beneficiis, vt gratos, qui recipiunt, experiaris, primum illud proponere oportet, Non semper beneficia esse conferenda vt gratiam recipias. Namque in amicos beneuolos, mendicos, senes, infirmos, generalitérque in bonos, Dei amore beneficia conferenda sunt, absque compensationis exspectatione. Estque id optimum etiam atque sincerum beneficium. Deinde, omnibus tum his tum aliis ita expedit benefacere, vt quamvis gratiam non exspectes, sic tamen agas, ne ingratos illos efficias. Ergo, vt ad rem redeam, non solùm ex Christi sententia & optimi cuiúsque Philosophi, sed etiam sapientissimi Aristotelis, Boni viri proprium est & amicis & indigentibus benefacere: tum etiam generaliter omnibus, sed illis, vt dixi præcipuè. Etenim quæ chara habentur, fortuna atque iniuria auferre potest: beneficium non potest, licèt quandoque beneficij fructum. Propterea benè dixit M. Antonius apud Rabirium Poëtam:

Hoc habeo quodcumque dedi.

Et apud Horatium:

Cuncta manus auidas fugient hæredis amico
Quæ dederis animo.

Eligendus est ergo, cui impartiaris beneficium, talis, cui, etsi nullam gratiam referat, non pigeat tamen impertiisse: scilicet probus, innocens, beneuolus, simplex, memor, sapiens. In hunc, tum in cæteros sic conferenda sunt beneficia, vt aptè prudentérque conferas. Aptè, inquam: quoniam omne beneficium in tribus generibus repositum est, in vitæ necessariis, vtilibus, iucundis. Quæ vitæ sunt necessaria, in tria rursus genera distinguuntur: in ea, quæ vitam seruant apertè, vt cùm hominem à latronibus tuemur, aut proscriptum occultamus, aut educimus è carcere damnatum ad mortem, aut eum, quem iratus princeps prosequitur, ad fugam hortamur atque fugientem protegimus. In his quantò grauius est periculum, tantò maius proculdubio est beneficium. Secundum genus est eorum, sine quibus viuere non debemus, vt bona mens, pudicitia, libertas, incolumitas. Tertium, sine quibus nolimus, vt liberi, coniux, penates, existimatio. Vtilia verò, sunt opes, amici, gloria, potentia, honores. Iucunda autem, vt asturco, pictura, ectypa, In omnibus his opportunitas & raritas pretium addunt rei. Impotunum enim est, cùm poma iam vbique habentur, poma donare, tametsi egregiæ nobilitatis sint. Tam grata erit pica expeditè loquens, quàm mutus psittacus. Quid verò possit raritatis opinio, Alexander M. Regum ambitiosissimus suo exemplo docuit. Quum enim Corinthiorum ad ipsum legati inter cætera munera referrent, illum ciuitate donatum, atque illi, qui orbis penè dominus erat, quasi cùm indignatione aspernanti ac dicenti, Quid hoc tanti? responderent, soli Herculi, præter ipsum, hoc munus concessum fuisse: tanti id fecit, propter raritatem & comparationē cùm Heroe illo, vt libenter acceperit. Dandum autem libenter, citò, sine dubitatione, &, vt vna te regula omnibus, quæ tractantur, communi doceam, sic vt velles accipere. Eóque modo etiam gratiæ agendæ, vt cuperes tibi reddi. Nihil autem in hoc genere acerbius, quàm, quod semel iam impetrasti, denuò, vt habeas, rogare. Contemnenda sunt illa beneficia, quæ difficilius à quibusdam accipiuntur quàm impetrantur. Sic vnum ab vno per multorum manus nimium teritur: vnde tantùm autori gratiæ perit, quantum est, quod cuique debemus, qui rogandus est. Nihil autem æquè amarum, quàm diu pendere. Hoc faciunt Aulici, quorum tantò maius videtur beneficium, quò pluribus & cùm pluribus simul ostentatur. Itaque in dandis beneficiis, lenti: in ira verò, præcipites sunt. Fabius Verrucosus duri hoc beneficij genus panem lapideum vocabat: quem & accipere inutile sit, & dare inglorium & sine fructu.

Licebit quoque benè danti bona verba, non affectata, sed simplicia adiicere. Qualia sunt, quæ Seneca magno studio conscripsit: Irascor tibi, quod cùm aliquid desiderasses, non olim scire me voluisti, quod tam diligenter rogasti, quòd quemquam adhibuisti: ego verò gratulor mihi, quod experiri animum nostrum libuit; postea, quidquid desiderabis, tuo iure exiges, semel rusticitati tuæ ignoscitur.

Caue etiam ne exoreris in perniciem rogantium. Sæua enim bonitas ea est, vt si amicus pecunias ad ludum, aut iratus arma ad hominem occidendum petat. Vt enim in honestis præuenire rogantem pulchrum est: ita, si turpia rogat, indulgere turpe est; si pestifera, nefarium. Honesta verò, quæ cùm decore dantur, vt honores & magistratus, publicè dare præstat: cætera, quæ aliquid cùm fortuna coniunctum habent, occultè. Sic pecuniæ, opes, vindicare iniuriam, liberare hominem ab ignominia, ab infamia. Verecundis, etiam citra id, quod ipsi sciant. Tantò minùs ergo exprobrare iactareve oportet, ne dicat, seruasti vt ostenderes. Nullum etiam beneficium dabo, quod turpiter peterem: nec petam, quod dare nolim. Cùm enim beneficium iniuriæ contrarium sit, nulli autem iniuriam inferre deceat: palàm est, beneficium, modo copia adsit & facultas, impertiri debere omnibus, siue amicus sit, aut probus, aut gratus, siue indigeat, siue non. Non tamen omnibus dandum, quatenus ille vel est ingratus vel malus vel sæuus, vel non indiget. Nam indigenti si dabis, sparges: si ingrato, malo exemplo dabis: si improbo, facies vt pluribus nocere possit. Sæuus indignus

indignus est hominum societate. Gratia autem est vinculum societatis. In cæteris dabis, nec personæ nec exspectationis aut gratiæ referendæ habita ratione. Verberamus improbos pueros, desides, fures, nolentibusque inuisum, quando aliter fieri non potest, beneficium impertimur. Ægro secat carcinoma medicus, gratia non odio dignus. Nec seruo negligam beneficium facere, nec ab eo accipere dedignabor.

Seneca narrat, cum Drumentum, quia desciuisset, obsideretur, duos seruos à domina aufugisse, &, occupata vrbe, dominam cepisse, quam cum educerent extra vrbem, interrogasse milites, quid facturi sint? cum suppliciũ de crudelissima domina sumere se velle dicerent, milites illam eripuisse his, qui aduersus edictum bis transfuge facti eam occidere conabantur. Ruffus, senatorij ordinis vir, in conuiuio, referente Seneca, iactauerat, cupere se, vt Cæsar Augustus etsi nondum Cæsar, nec Augustus, sed triumvir potestate eadem, crudelitate magis timendus, nunquam ex expeditione reuerteretur, adiiciens, tauros & vitulos etiam hoc idem cupere. Manè dominum seruus monet quæ dixerat, & quia res occuli inter tot conuiuas non poterat, adiicit seruus consilium, vt se ipsum deferat. Paruit ille seruo, occurrit Octauio dicens, heri ebrius cum essem C. Octaui, dixi, me optare, vt nunquam ex expeditione reuerteretis, optaréque idem tauros vitulosque: hoc nunc sobrius optarim potius super me meosque omnes. Imperauit Octauius, vt fidem dicto faceret, summam pecuniæ non grauem, ignouitque. Ille domum rediens seruum, tanto periculo liberatus, statim manumittit, pecuniamque Octauio transmittit. Qui, vt intellexit rem ex pecunia, quam petierat, æstimatione serui, Ruffo remisit. Nota est nimis historia de stabulario, qui Darium primum ad regni Persarum & Orientis fastigium euexit. Tria enim magna contemni in prouerbio habemus, aliasque retulimus: consilia pauperum, meretricum pulchritudinem, robur gerulorum. Ergo quos beneficio afficimus, quanto minus ab eis acceperimus, eo libentius inspicimus, tanquam nostræ virtutis splendidum testimonium: vt tanquam dij efficiamur, qui perpetuo benefacientes, beneficium nunquam exigunt, nec recipiunt.

At cum beneficij recipiendi causa benefacis, tum diligenter cauere oportet, in quos beneficium colloces: ratio tamen collocandi eadem est. Ergo non in senes, mendicos, stultos, inuidos, ingratosve collocabis. Vix & in ambitiosos: quia malunt dare, quam retribuere. Miseri non possunt, etsi occasio detur aliquando reddendi: malunt tamen vendere alij, quam tibi precario donare. Licet tamen pauperi retribuere, quamvis sine pecunia sit. Nec ego si pauper sim & senex metuam accipere beneficium à potentiore, quod retribuere posse desperem. Est vnum, quod nec seni nec pauperi denegatum est, quo possit gratiam etiam locupletem referre, vt omittam mille occasiones, quæ inter vitæ cursum occurrunt. Illud semper in promptu est, veritatem patefacere, qua tantopere beati, indigent, bonumque consilium præbere. Hæc adeò necessaria potentibus atque rara sunt & inuentu difficilia, vt, cum Augustus stultè prodidisset apud populum flagitia filiæ, illamque in insulam ob id relegasset, vbi resipuit, exclamauerit gemens, Si Mecœnas vel Agrippa viuerent, non hæc mihi contigissent. Adeò inter tot hominum millia, quibus imperabat, difficile fuit inuenire duos amicos, à quibus & veritatem intelligeret, & eorum, quæ minus mala essent, admoneretur. Non exigua, non parua, non mediocria, non magna denique munera sunt, sed maxima, inter tot adulatores patefacere veritatem, inter tot anfractus totque periculosos casus bene consulere. Difficilimum autem est inuenire potentiores, qui se talibus indigere persuasum sibi habeant, & qui non negligant, spernant, oderint. Quamobrem omittens modò, vt dixi, innumeras alias occasiones, cum in his duabus semper causis prodesse quis possit amico, siue tu potens, ille miser; aut tu miser, ille potens fuerit; aut ambo miseri vel potentes: non debemus vnquam amico optare infelicitatem, vt illi prosimus, aut vt nostra opera indigeat, quo agnoscat animum nostrum quàm ergo illum propensus sit. Perfidæ enim amicitiæ est & insidiosi animi, optare alicui malum incerti exitus, vt operam tuam quandoque etiam damnosam, persæpè inutilem experiatur. Vis ægrotet, vt cures ipsum? litiget, vt adiuues eum? in carcere sit, vt illum eruas? Nunquam opera tua, sit quantuncumque præstans, diligens, felicis exitus, ex toto hominem ad pristinam integritatem restituet: perit tempus, pecunia, curæ exedunt interim cor. Nunquam melius fuit, curatum esse quàm non ægrotasse: vicisse, quam non litigasse: exisse è carcere, quam non fuisse vinctum. Nisi hæc postmodum, vt te docui, subtilibus rationibus atque inuentionibus in contrarium transmutare potueris.

Ergo, vt rem cœptam prosequar, vbi vel in egenos vel infelices beneficium collocaueris, cauene vel verbo vel facto illud exprobres. Verbo quidem commemorando, vt apud Comicum in Andria. Facto autem, vt vel rogari te anteà, præsertim sæpius, pro ea re permiseris, vel tam exiguum munus mittas, vt magis illius paupertatem testeris quam alleues: velut paucos panes, aut vini duas tresve amphoras. Idem fiet si pro maledicto munus accipi possit, vt si ebrioso dulce vinum miseris: aut sicam ei, qui aliàs damnatus fuerit de latrocinio: aut pileum liberto seruituti exprobrandæ: aut mundum fœmineum ei, qui olim insimulatus fuit, quod vxorem fraude sustulerit: aut calceos pulchros cerdoni olim: aut tabellam pictam olim pictori, nunc aliquo casu nobilitato & prioris fortunæ memoriam aspernanti ac deuitanti. Nec verò quenquam beneficio ita iuues, vt alium lædas: memor eius, quod dici solet, beneficiorum memoriam in puluere, iniuriarum autem in marmore scribi solere.

Verumtamen cum sæpè accidat, vt vel gratiæ reddendæ necessitate vel amicitiæ causa, cogaris amicum tueri non solum aduersus potentem, sed etiam oppugnare, expones potenti accepta ab eo, pro quo pugnas, beneficia,

ficia, & blandis verbis vtens dices, cupere te amico prodesse, non sibi nocere: quòd si componi res possit, curaturum te vt amicus etiam aliquid de suo iure remittat: in reliquis officiis tam suum futurum, quàm nunc pro amico sis: hoc in negotio nihil acturum quòd sit præter causæ amicum sustentandi necessitatem. Id verò debes etiam præstare, nec acquiescere inanibus & improbis notis amicorum, quibus satis non est, vt causam suam pro viribus defendas, nisi & eodem loco cum illis, cum quibus contendunt, in inimicitia habearis. Quamobrem neque in iniustis causis adfueris amico: ne non tam firmus illius amicus, quàm improbus vir & ciuitati perniciosus existimeris. Quòd si illi debeas, si beneficium à te reposcat, quòd maximè facere solent plerique in his rebus in quibus non conuenit, seu quod difficile sit in eiusmodi defensores inuenire, seu vt tua societate causæ turpitudinem velent: tu palam negabis, in alia causa honestiore patrocinium pollicéberis, aut de tuo satisfacies: illum verò non minus à proposito turpi aut periculoso conaberis abducere, quàm ille te conetur secum implicare. Neque etiam è diuerso amicum susceptarum pro ipso inimicitiarum admonebis. Quæ enim palam sunt, quorsum refricare aut augere verbis beneficium?

Discrimen verò non leue est in dandis aut retribuendis beneficiis. In dandis quidem: non dabo cum periculo meo, infamia aut iactura: si dedero, non dabo improbis, vt dixi, stultis, ingratis. Retribuam omnibus, etiam si periculosum sit retribuere, si damnosum, si non sine leui infamia id dare possim. Quòd datur, meum est: alienum autem, quod redditur. In meis [illegible], quid agam, requiram: in alienis conniuebo. Retribuam vel maximè petenti vel indigenti, etiam conniuentibus oculis. Vt verò non tanto incommodo reddere cogar, cauebo, quàm maximè potero, ne cum magno periculo recipiam.

Quòd si coactus calamitate sim, recipiamne à tyranno, à latrone, à pirata beneficium? Accipiam certè, etsi bono animo non dederit. Postquam fortuna me eò compulit, existimabo factum Dei voluntate: & ob id reddam non solum, sed etiam inter amicos numerabo. Sin autem ego leuiter coactus accepi, reddam cumulatè, amicus non fiam. Sin autem dolosè impertitus est beneficium, reddam tamen, etiam si vitam exponere oportuerit: sed quantum dedit, non plus, nec cum flagitio. In his verò tyrannis, qui modum sæuitiæ excesserunt, vt qui filios coram patre occidunt, vt ait Seneca: hoc enim præcipuum est immensæ inauditæque ac ab omni humano genere alienæ sæuitiæ: his quidem, etsi ille à re non putat, reddendum esse beneficium censeo. Sed conari oportet summis viribus, ne quidquam huiusmodi debeas: quod si debes, vt quàm primum exsoluas: ne, si non feceris, seruare inuitus, maiore quàm acceperis beneficio, vitam illius aut filiorum aut fratris cogaris.

Sed postquam in hos sermones incidimus, locum Aristotelis emendare proposui, qui est septimo Ethicorum. Vbi legitur, aut quòd ferunt de Phalaride. Id, quia sermonem anteà habuisset de Ponticis quibusdam nationibus, quæ filios vicissim epulandos exhiberent, perperam aliqui interpretati sunt, quasi Phalaris exhibuisset inter epulas filios patribus edendos. Neque enim fuit tam ferinæ mentis ac inhumanæ sæuitiæ, vt quid adeò abominandum fecerit: sed patres, quorum filios occiderat, mensæ ac conuiualibus gaudiis interesse cogebat. Istum enim morem apud Græcos fuisse, si Atreum accipias, nusquam legitur. Hoc verò de Caligula Imperatore, ceu execrabile inter infinita crudelitatis exempla commemorarunt, quod solo hoc humanam naturam superaret. Ob id Aristoteles quid esset, quod adeò memoratu indignum censuit, referre noluit. Quin etiam consimili ratione Alexander Magnus, omnium qui vixerunt hominum gratissimus, cum Philotam Pharmenionis filium occultare conspirationem contra ipsum comprehendisset, nihilominus, ne seni patri filium eriperet, ignouit. Cum postmodum admoneretur Alexander, totum esse iam deprehensum in tanto scelere, nec posse, non solum illius, sed aliorum exemplum sequentium causa, viuum relinqui, vrgentibus amicis & Philotæ inuidis, ad mortem damnauit, statimque expediuit, qui patrem, antequam resciseret, occiderent. In quo facto Curtius cæterique dupliciter iudicio aberrant. Primum, quòd Alexandrum id fecisse putant, quòd à Parmenione timeret: deinde, quòd crudelis fuerit, insontis patris necem filij neci adiungendo. Sed nec ingratus Alexander erga Parmenionem fuit, qui postquam casu coactus est, quo se saluum præstaret, filium occidere, longè minus sæuum duxit patrem tanto dolori, tamque horrendo spectaculo, antequam resciseret, subtrahere, quàm inanes illius querelas postmodum audire. Itaque hoc etiam gratiæ genus fuit, vt, quem minimè posset, infelicem amicum afficeret. Priamus inter infelices numeratur solum, quòd filiorum cedibus interfuerit: Parmeno seu Parmenio, nam vtrumque legitur, quod non resciuerit, non numeratur. Vt nec Germanicus, quamvis tres illius filij morte sæua perempti sint. Pater enim, qui sospites reliquit filios, quidquid postmodum illis acciderit, non potest infelix dici. Id etiam testatur, quòd Alexander in Parmenionis filiam Cratero nuptam beneficus fuit, curauitque Parmenionis stirpem non exscindi, sed superesse atque florere, Rex omnium gratissimus. Neque metu peremisse Parmenonem suspicandū est. Nam Macedonum regum summa est autoritas & obedientia, nec nisi dicto parebant: atque eò magis quòd Alexander nondum barbaricum habitum Persarum sumpserat, nondum adorari se iusserat, nondum importunis Macedona laboribus ad Indos penetrando vexauerat, vt illis esset inuisus. Et tamen vel sic perpetuo paruerunt. Subtraxisset & Craterū, si ob hanc causam illum peremisset. Quid enim causæ erat, si securitati prospiciebatur, vt cum inter corporis custodes haberet, qui & soceri & eius, cui sororius ipse esset, ingratam necem defleret, nec repudiaret vxorem? At Craterus, dices, damnationem vrgebat Philotæ? Vrgebat, quia eripere non poterat.

Quis

Quis huic simulationi credidisset? Sed Rex, vt dixi, cogitauit qualem tragœdiam excitaturus esset. Meminerat quæ parum ante ab Astyage Medorum, à Cambyse Persarum regibus acta essent, dum filios in parentum oculis occiderunt. Infausta sanè & horrenda regibus spectacula, nec nisi ab imperitis tractandorum regnorum hominibus, & sæuitiæ ac iræ plenis iudicibus peracta.

Sed quæstio est, vtrùm, accepta iniuria, homo à reddendæ gratiæ obligatione liberetur? Sunt, qui velint vtrique satisfieri: quòd absurdum puto, nisi iniuria multo maior beneficio sit. Tunc enim, vt vlciscamur, satisfaciendum est beneficio, ne ingrati opinionem subeas. Id frequenter contingit in adulteris, dum marito pecunias donant, aut mutuo dãt sub amicitiæ specie. Sed si iniuria leuis sit, sub maiore beneficio obliteranda est. Si paulò maior sit iniuria vtriusque obliuisci oportet: quod aliquid de tuo remittis. Iam verò quibusdam & pecunias dare & pensare beneficium conuenit: vt nutricibus, medicis, ludi literarij magistris, cauponibus, beneuolis, nautis, & his qui nos magno aliquo periculo nostrosve liberarunt. Quatenus enim operam illorum aut impensam spectamus, pecunia compensanda sunt. Quatenus officium erga nos, diligentiam vtilitatemque quam ex his percepimus, consideramus, beneficium accepisse testari tenemur, reddereque gratiam debemus. Quidam etiam solis verbis gratiam magnam reddunt, velut apud Senecam Furnius, cum patri Antonianas partes secuto Augustus ignouisset, effecisti, inquit, vt hanc vnam habeam, Cæsar, iniuriam, quòd ingratus & viuam & moriar. O Reges regno dignos, qui pepercerunt patribus, qui mucrones aduersus se nudauerant, ob filiorum memoriam. Qui filio non pepercerit amici, nemo fuit. Imò nec inter exempla, qui huiusmodi fecissent, numerabantur, propterea quòd non facere aut fecisse nemini prorsus in mentem venisset.

Opportune etiam in referenda gratia agendum est. Quidam cum solarentur me, laudabant importunè filium meum, memores magis ipsi captandæ gratiæ à me, quàm vt mihi prodessent. Quòd etiam in næniis plerique facere solet. Quibus ego mecum respondebam, si talem existimaueras, cur non tu & consilio & re iuuisti me vt tueri possem, quem modò frustrà tantopere laudas? Prudentiores alij, etiam quæ nec cogitauerat, abiiciebant, tanquam denuò illum accusaturi. Quàm prauo animo? quàm stultus, dum viueret? Sæpè illum admonui, non parebat cuiquam. In quæ se mala proripuisset, nisi veritus te fuisset? Et tamen proripuit: non ausus sum, dum, viueret, illum accusare apud te, ne nimis illi irasceteris. Deteriora exspectabam, tametsi hæc leuia non sunt. Quòd ad illum attinet, melius consultum est ipsi. Nam & huiusmodi calamitates effugit, & nihil boni illi nec tibi per illum sperari poterat. Magno infortunio miser sibi natus erat. Nihil hic graue præter mortis genus, sed euasit modo: quanquam, si vixisset te mortuo, deteriorem exspectare oportebat. Si scires dimidium eorum quæ patrauit, gratias Deo ageres, quòd post te non liquerit, quòd eripuerit. In huiusmodi non sibi, sed amico benefacere debemus, ac studere solum illius vtilitati. Non sum nescius quosdam, qui sibi placent, huiusmodi calumniosis admonitionibus, non secus ac si viueret, irascituros.

Sed, si amicus non reddit gratiam, quid agendum? An ego requiram illam, ac vt mutuam pecuniam reposcam? Sex vtique in casibus retributiones poscere licet. Cum vrgeris magno periculo, vt de vita, libertate, de fortunis omnibus. Nam si tum beneficium sine verecundia petere precario licet, quanto magis repetere? Secundò, cum pro alterius salute & incolumitate pugnas. Multa enim saluo pudore pro aliis petũtur, quæ non possumus nisi verecundè pro nobis exigere. Sic pro filiis nostris, fratribus, parentibus, vxore petere multa licet honestè, quòd homines propter doloris acerbitatem nos excusatos habeant. Ab his rursus, qui nostro subduntur officio, repetere licet, vt à filio. Ego qui te genui, qui educaui tanta diligentia, tot impensas sustinui, tunc hoc vnum beneficium pro amico mihi denegabis? Seu cum hominem alloquimur segnem, imperitum, obliuiosum, licet admonere illum beneficij & excitare negligentem, vrgere tardantem, excutere obliuionem, admonere periculi tui, inflammare verbis, ad memoriam reuocare quæ pro illo egeris: etiamsi inimicus ille sit tibi, apertè enumerando. Quale illud Ciceronis ad Antonium: Ego si abs te summa officia desiderem, mirum nemini videri debeat. Omnia enim à me in te profecta sunt quæ ad tuum commodum, quæ ad honorem, quæ ad dignitatem pertinerent, & quæ deinceps sequuntur. Quemadmodum & in epistola ad Octauium. Sed si amicus sit, modestè insinuasse sufficiat. Quale illud eiusdem ad P. Vatinium: Grata tibi esse officia mea non miror: cognoui enim te gratissimum omnium. Post multa subiungit de Dionysio, si me amas, confice. Liquet & officiorum illum, quæ in ipsum contulerat, meminisse & gratiæ, quam ab illo est consecutus, vt duplici ratione ipsum ad beneficium amico conferendum alliceret. Id totum planius in prima epistola ad L. Plancum apparet: vbi pudentiuscule commemorat amorem & in illum officia sua. Spem quoque excitat in eadem his verbis, vt primum potestas data est. Quatuor igitur sunt, quæ homines ad gratiam referendam aut præstandum beneficium incitare possunt: commemoratio tum præstiti tum accepti beneficij, amicitiæque & propensi in illum animi. Quinto loco commemorabimus beneficium tempore iam obsoletum, aut apud hominem multitudine negotiorum oppressum. Sic miles admonuit, quòd penulam quiescenti subiecisset, & aquam in galea obtulisset sitienti Cæsari, peruicitque causam. Cum etiam amicum de amico alio admonemus, beneficium vtrique facimus. Vni, quòd ingratum esse illum non patimur; alteri, quòd recipit beneficium. Sunt ergo loci, vt breuiter colligam, vbi pro maximis rebus vel pro nobis coniunctissimis, vel eos qui nobis parent, vel

quando obliuione obsoluit beneficium, vel segnes & imperitos, vel à latere commonefacimus, scilicet eorum, quæ ad nos nihil spectant.

Verum petere beneficium liberius, quam repetere, vt dixi, licet. In hoc enim solam repulsam veremur: in illo, si non impetras, amicitiam abrumpis. A Deo si petimus, quod omnes facere haud dubium est, cur dubitare debemus ab amicis petere? Verecundia obstat, petere, cum nihil dederis? Sed velum aliquod obtendere oportet, vt necessitatem tuam, illius benignitatem, confidentiam tuã. Exempla non commemorabis, ne extorquere potius, quàm impetrare velle videaris. Sed quid, si repente deneget, an ingrato statim irasci debemus? Nequaquam: verùm placido, mansueto, magnoque animo illorum improbitatem ferre decet. Nec vnquam ad eam vocem descendas, ó, quam vellem non dedisse? Atque id præsertim quòd multa impediant, & persæpè gratum efficiant ingratum: velut impensa, periculum, verecundia officij, occupatio negotiorum, pigritia, desidia quædam, mala consilia, impedimenta nonnulla tum domestica tum externa, discordiæ clientum, dolus. Cogita quoties tu in Deum, nutricem, benefactoresque tuos ingratus fueris? In patriam quot ingrati? Omitto Marium, Syllam, Cæsarem. Cn. Pompeius caput huius mali dici potest, qui cum tot honores & ante tempus à Romanis accepisset, non solum tyrannidem in populum inuasit: sed, vt leniret inuidiam, firmaretque potentiam, alios in patriæ possessionem induxit, inter quos Cæsarem, M. Crassum, Scipionem, M. Marcellum. Indigne igitur vni ex eis, scil. Cæsari, pœnas dedit. Sed nec minus ipsæ vrbes in optimos ciues fuerunt ingratæ. Piget & pudet earum cõmemorare exempla: vt Romæ in Coriolanum & F. Camillos quinque ex Cornelia gente: Athenarum in Aristidem, Phocionem, Socratem, Miltiadem, aliosque innumeros. Non desunt exempla etiam in Venetis ac Lacedæmoniis quamvis sanctissimis. Multo plura Argis sunt, Thebi, Genuæ, Florentiæ. Cogita etiam annon in parentes? Quisnam patri suo, vt innocens sit, supremum diem non optat, vt moderatus exspectat, vt pius cogitat? inquit Seneca. Ergo si testeris, ingratum illum efficies inimicum, iudicium tuum damnabis, verbis, nutu, fidem languidam, humana patieris. Si tamen vlcisci potes egregiè vlciscere: fac vt sit exemplo aliis improbis: non odio habeas vt erga te ingratum, sed vt ingratum: non vt inimicum, sed vt bonorum hostem; non vt qui te læserit, sed vt qui dignus supplicio sit.

Sed dices, si tam magnum malum est *ἀχαριστία, ingratitudo*, cur contra illam tam paucæ vrbes legem constituerunt? Soli Persæ, Macedones, Athenienseſque & Romani Claudio & Nerone Imperatoribus aduersus libertate donatos statuerunt, vt si ingrati essent erga patronos, rursus in seruitutem redigerentur. Atque huius rei rectè duodecim causæ principaliores à Seneca numerantur. Nam primum, gratia ipsa periret: cum nemo gratus meritò dici posset, quòd obsessus à legibus reddere quasi mutuum cogeretur. Esset ergo subtrahere à mortalium consuetudine pulcherrimum spectaculum. Secundò, non posset dici gratus rem fecisse gloriosam, si ingratum esse non esset tutum. Tertiò, cum hoc nomen beneficij ac gratiæ tot modis ambiguum esset, ac variè posset interpretari, anceps erat eiusmodi determinatio. Ex quo illud quarto etiam exoriebatur, quod iudicibus nimis ampla licentia peccandi relinqueretur: modò gratiæ nomen nimis arctè interpretando, modò nimis amplè extendendo. Quintò, quod ipsa collatio beneficij lege metiri non poterat: vt verbo, re, periculo, actione, occasione tibi, mihi, aut alij dum ornat, auxiliatur, solatium affert. Multa enim sunt mala, quæ quia definiri non possunt à legibus, non puniuntur: velut arcanum amici reuelasse, fidem inimico fregisse, pudorem in verbis & gestibus non seruasse. Quæ enim aut infinita sunt, aut vna actione animum non declarant, non facilè his statui pœna potest. Velut si quis furetur obolum, declarat se etiam aureum furto ablaturum: at non, si quis propter obolum ingratus fuit, erit etiam ingratus, si illi aureum donaueris. Sexto, potest & ingratus eò semper refugere, si non reddidi beneficium, occasio defuit: si oblata fuerit, reddam. Non enim velut in mutuo, pecunia pro pecunia reddenda est: sed hic me liberauit à latronum periculo, ego illum à morbo liberabo. An ego, vt beneficiũ reddam, facere debeo vt ægrotet, aut curare vt in latronũ insidias incidat? Septimò, quod qui accipit, conditione sua minus meretur, vt ignobilis, senex, ignotus, mendicus, debilis, proscriptus, Principibus inuisus: atque ideò magis tenetur, & tamen minus potest reddere. Octauo, difficilius iudicium sequitur, quid faciendum, si qui beneficio affecit, etiam affecerit, vt diximus, iniuria? Nam quanquam id definiuerimus, tamen nec quantum, nec qualiter, nec quomodo retribuere debeat, consulere potest iudex. Nã si simplex res difficillima est, nulla arte declarari permissa queat. Nono, efficit quod, cum scimus de beneficio neminem teneri, eligimus in quos conferre debeamus, vitabimusque ingratos, malos, indignos: vnde fiet, vt boni foueantur. Quòd si nulla lege pariter de mutuo tenerentur homines, ô quàm pauci iam mali, iniusti atque ingrati essent. Vituperas tu non positam legem de beneficiis retribuendis: ego laudarem iustius atque vtiliore ratione nullam constitutam legem de mutuis: qua vterque, tam qui dat, quàm qui accipit, malus euadit. Qui dat, ob fœnus: qui accipit, quòd non solum sortem, sed & fœnus reddere cogitur. O quàm beatus esset mundus, si lex reddendi mutui aboleretur! Ergo si lex mutui efficit mundum miserum & malos homines: quanto miserior mundus, hominesque deteriores essent, si beneficiis etiam lex imponeretur? Atque hæc certè præcipua est causa, cur nõ præstet. Decimum est, quòd, quæ accipiuntur, vix possunt reddi. Vita enim, dignitas, incolumitas, sanitas, securitas quomodo restitui poterunt? Et, si eadem pro iisdem nequeant, quomodo rectè compensabuntur? Vndecimo, sequitur etiam ingratos infamia & odium humani generis,

generis, & præcipuè bonorum omnium. An hoc exiguum est supplicium ac pœna, etiam sine lege constituta? Duodecimo, quod facile non sit statuere, vbi gratiæ debitum finiatur. Debemus parentibus, filiis, vxori, fratribus, an modò etiam patruo, patrueli? Hæc certè est quotidiana querela. Patruelis meus in illum maximum contulit beneficium, ipse in me ingratus est. Reddetne ergo patrueli, non mihi qui contulero beneficium? aut etiam post mihi? Si etiam mihi, bis cogetur reddere? Si illi soli, non mihi, ingratus erga me erit? Si ergo non iussero vel admisero, soli mihi dabit: soli enim tenetur, vt in mutuo: cum non adero, dabit, cui vt det reliquero. Si non, cui primum occasio dandi obiicietur ex his, ita vt maximè filiis & fratribus, parentibus, etiam, demùm vxori. In reliquis, vt ab iniuria abstineat, sufficit. Hæc autem lege statuere difficilimum est, atque causam potius præberet tardandi retributionem, quàm incitaret ad faciendum. Nam iusto quodam iudicio legis naturæ melius administrantur eiusmodi, quàm lege vlla ciuili. Quæ, cum homines iidem cessant, ob varios euentus rerum prouidere rectè talis nequit. Vnde cum non prouideat, potius affert impedimentum quàm auxilium.

Est etiam multitudo compensationum & beneficiorum, tum quando in nolentes aut non potentes beneficium impertimur, tum quando jam lege naturæ debemus, vt in parentes: adeò vt futura esset quædam media actio. In mutuo enim qui accipit, aliquid accipit: qui dat, etiam eo, quod dat se privat: At in beneficio non ita est. Tuemur aliquem nullo tamen periculo nostro: liberamus alium ab infamia, nullo nostro labore: magistratum conferimus digno, non imminuta nostra re aut gratia aut potentia. Ita beneficiorum collatio media est inter nihil & aliquid ex condicto debere: atque hoc nostrum est inuentum.

Obiiciet forsan aliquis magnorum virorum quorundam exempla: velut Catonis Censorini, qui in seruos suos adeò ingratus fuit, vt senio & laboribus debilitatos ægrosque pistrinis dominis venderet, quo reliquum, quod illis vitæ superesset, in assiduo labore sub terra absque solatio vllo, pulte & aqua aliti tererent: alios, qui prorsus essent inutiles, vti deploratos ægros è naui, ita ille è domo proiiciebat potius, quàm eiiciebat. Regum præsertim Barbarorum & Imperatorum, & inprimis Græcorum, qui in eos per quos summam potestatem adepti sunt, ingrati etiã vsque ad necem fuerint, multa numerantur exempla. Omnium autem Principum in aulicos ingrata officia tam sunt vulgata, vt referre non sit opus. Aristotelem quoque in Platonem magistrum suum ingratum fuisse, monumenta illius declarant, in quibus non sufficit, quod vbicumque potest, illum carpat; sed & perperam interpretatur, vt carpere possit. Quin adeò videtur illum odisse, vt maluerit videri imperitus, quàm illum sapientem. Quinetiam dij erga nos ingrati esse videntur, cum nulli infeliciores sint, quàm qui illos ex animo colunt, velut ego sum: contra nulli feliciores, quam qui in deos & dominos ingrati ac perfidi sunt.

Sed de Catone superiùs diximus, monstrum immanitatis sanctus hic vir fuit: nec hoc scelus maximum fuit, imò minimum. Cogita illius consilio, opera, studio, deletam Carthaginem contra fædera, etiam contradicente Nasica, tot millia hominum contra fidem trucidata, tot imbelles atque insontes in seruitutem tractos. Cogita inde sequutas, seu ira deorum seu soluta à metu vrbe, contentiones, seditiones, proscriptiones, tyrannides, euersam tandem cum omnibus familiis vrbem, stirpem suam in pronepote extinctam à M. Antonio, cum Catonis iunioris filio Cæsar pepercisset. Seruos etiam homines non existimauit, nec cogi posse, vt essent infelices illi, quibus liberum esset mori. Talibus enim argutiis summam auaritiam & crudelitatem velare solitus erat.

De Regibus & Imperatoribus ne mireris. Illud admiratione dignum esset, si eorum quenquam, qui sic ingrati fuerunt, diu regnasse aut feliciter vixisse, aut miti mortis genere diem clausisse, aut suis regnum stabilisse comperires. Sed nullum horum hucusque visum est. Ingrati & infidi vt ingratos & infidos multos inueniant, necesse est: atque ob id, vt in casses, incidant breui, oportet. Ingratissimus Caligula, & regnandi breuissimum tempus, & mors crudelissima, & cum illa extincta stirps. Ingratus & Nero, sed non adeò, ideò diuturnius imperium: mors tamen infelix, & cum illo tota Iuliorum familia concidit. In Aulicos si delinquunt Principes, quasi necessitate contingit, augentque Aulici querelas, officia sua multo maioris æstimantes. Et dum aliorum deprimere merita non audent, sua in immensum extollunt. Plerosque tamen eorum si domum vel ab ipso initio remittas, non habent quid agant. Præter enim gestus quosdam compositos, ad gratiam penè muliebrem, & verba paucula ex norma formata, nihil habent quo dominis vtiles esse possint.

De Aristotele non habeo quid obiiciam illi, quandoquidem in templo aram ac statuam dedicauerit his verbis: Aristoteles hanc aram Platoni dedicauit, viro quem nefas est à malis laudari: subiecitque hæc carmina,

Qui solus vita, doctrina, moribus, ore,
Admonuit cunctos, & monumenta dedit.
Vt virtute queant felicem ducere vitam.
Nulla ferent talem secla futura virum.

Ingratus ergo fuerit, qui Aristotelem in Platonem ingratum fuisse vel tantum suspicatus fuerit. Sed & ingrata vtrique Trapezuntij & Bessarionis altercatio: quandoquidem non ob aliud Platoni contradixerit Aristoteles, quàm vt propter id certamen vterque hominibus inclaresceret, nec tertius medius admitteretur: quod & euenit. Eóque exemplo & in administranda republica & in medicina aduocationibusque bini & bini super alios euecti sunt.

Sed postquam hæc ita se habent, videndum est erga quos maximum sit flagitium esse ingratos, & in quo maximè genere peccetur? Solet sic statui ordo: in Deos, in patriam, in parentes, in eos quorum ope & opera viui-

mus. Eadem de fide dicenda sunt. Ego tamen, vt aliàs dixi, in patriam, in qua iustis legibus viuatur, gratum magis esse oportere censeo hominem quàm in parentes. In aliam, non secus quàm aduena, non solum parentum, sed & amicorum officia ac beneficia prætuleris. Quòd si secus feceris, ingratus eris, dum gratum te putes, ipsique ciues te irridebunt. Tu verò delusus absque gratia iacebis. Cum enim nec feliciter cedunt exitus negotiorum, nec iuxta aliorum consuetudinem tractantur, hæc benignitas in vitium, non virtutem refertur. Refertur autem ad ambitionem, stultitiam, existimationem de se, vanitatemque.

Ingrati autem quadrifariam sunt homines: vel cum beneficium non reddunt, vel cum dissimulant accepisse, vel cum negant, aut obliuiscuntur. Seneca hos putat esse pessimos. Quoniam ex causa, quæ illos ingratos effecit, flagitij quærunt excusationem. Sed idem postmodum iudicio suo refellitur. Ego deterrimum eum esse existimo, qui negat accepisse. Quandoquidem nec reddere vult, nec debere, & in ipsa re flagitiosus deprehenditur. Est enim mendax. At qui negat accepisse, duobus præstat obliuioso: quòd non semper negabit, vt obliuiosus semper obliuiscitur, aut oblitum se simulare potest. Qui etiam beneficium accepisse negat, beneficij nomen non tollit, & ideò generosior est, & multa præterea habet quibus se tueatur: iniuriam acceptam malum animum dantis atque dolosum, quod non indigere, quod improbus sit, qui dedit. Atque hoc nomine ipsi dij forsan nostra munera aspernantur, atque ob ingrati sunt. Sed vt Euripides ait,

Κακοῦ γὰρ ἀνδρὸς δῶρ᾽ ὄνησιν οὐκ ἔχει,

Non est in improbi viri dono bonum.

Ita aspernatus est Lyci sacrificium Iupiter. Sacra etiam pagina docet, non esse gratas oblationes impiorum Deo. Sed non omne peccatum, non omne flagitium impium reddit hominem: nec Deus in quenquam ingratus esse potest. Verum non nisi quæ benefecimus in numerato habemus, malorum & scelerum immemores.

Plotinus tamen existimat, nos humana humanitùs debere tractare. Est enim impudentis, nedum arrogantis viri, à Deo petere, quæ tui muneris sunt, vt scias ac exsequaris. Quamobrem tui muneris est, vt primum hæc præcepta discas & filios doceas. Ego qui didici, sed non tempestiuè satis, ob hoc plector. Sed qui poteram discere prius, quàm docerem? & docere prius quàm scirem? sed & vnde scire potui, cum non esset, qui doceret? Non existimabam tantam insaniam in filio, improbitatem in affinibus fore. Fallebant me dulcia Philosophiæ & medicinæ studia, amor publici commodi incitabat. Sperabam posse libros de sapientia, & de præceptis ad filios satisfacere. Sed maius quid furor suus, fatique acerbitas, & prodigiosa tempora inuenere: ob id ad singula coactus sum descendere, licèt serò. Nec Deum mihi iratum esse putem, nec quòd ingratus fuerit erga me querar. Vtinam vel sic non plura adhuc debeam! Omitto modò spem alterius mundi, & quòd deteriora meruerim. Quoniam, vt in Psalmo habetur. Non enim quisquam mortalium apud me expers culpæ. Quis scit quorsum hæc tendant? Ottomanorum regnum nunc inuictum & quo nullum maius, annon ab vno ex his originem ducit, qui miserrimè in ferrea cauea absumptus est. At, dices, is à Parthorum Rege seu Scytharum, nunc Tartarorum (eosdem enim esse & fuisse reor: sed antiquissimo nomine Scythas à Græcis, Parthos à Romanis propriam illorum linguam imitantibus appellatos,) victus & captus est? Fateor, sed Bajazetem primum (sic enim vocabatur,) Tamberlanus odio occidit. At nunc quot florent, quorum maiores infeliciter periere? Verum eorum, qui in Deos ingrati sunt fueruntque, exemplum nunquam laudabo, multo minus sequar. Si in Deos ingratus es, quomodo felix esse potes, cuius summa felicitas & spes communis interitus? Inde conscientia facinorum quovis malo magis pestifera & infamia publica, à qua nec ipsi Reges cum tot prætorianis cohortibus, tot satellitibus ac stipatoribus liberari possunt: ac diuina tandem vltio, quæ suauiter prælabentibus annis in posteros armata impingit, ac nescios scelerum maiorum crudeli extinguit exemplo. Cur ergo est, quod audeas ingratus esse in Deos?

Et propter hæc quidem, qui improbi sunt, hæc ipsa legere nolent: sed velut Iudæi occludebant ad salutaria Stephani monita aures & exclamabant, qui etiam mos Romanis erat, cum iniquum aliquid à suis ducibus per vim obtinere tentabant: ita hi libros hos negligere se simulabunt, legere haud volent. Partim, ne conscientia errorum, quos admiserint moniti torqueantur; partim, optantes in scelerata vita perseuerare: tum quòd illa iam ob vltiones, rapinas ac voluptates eis dulcis, iucunda ac vtilis videatur: tum ne coacti vi orationis nostræ (tanta enim est vis in veritate, tantum decus in virtute, vt per se ipsam animos inuertere valeat: quanto magis addita, diuino præsidio, persuasione) ob iniquam filij necem commutare consilium videantur, & inconstantiæ signum præbere. Audientes tamen à multis probari, aliqua aliqui legent, non vt salutaria, sed vt necessaria. Namque, vt Cicero rectè aiebat, cum nostra infortunia ex tribus aduenire soleant, animatis, inanimatis & hominibus, quæ ab hominibus frequentiora sunt ac maiora, ac sola etiam cum infamia adueniunt. Ab animatis enim, equis, canibus, auibus, piscibus, rarissimæ calamitates nobis accedunt; & si accedant, nunquam cum infamia, rarò cum periculo vitæ. Ab inanimatis etiam rariora, tametsi periculosissima, naufragio, ruina, fulgure, terræ motu, penuria frugum, morbis: omnia tamen hæc absque infamia etiam. At ab hominibus cædes, iudicia, lites, iniuriæ, bella, seditio, carceres, bonorum amissio, magna frequentia veniunt & plerunque cum infamia. Ergo huic tractationi, quandoquidem ante nos nemo similem scripsit, incumbendum: atque vtinam possem ingratis (hos solum excipio, qui vt ab omnibus bonis ita & ab omni sacro cœtu digni sunt vt eiiciantur) non scripsisse.

Gratus

Gratus à Gratiis dicitur, quas quibus potuerunt laudibus antiqui extulerunt. Tres numerantur, Euphrosyne, Aglaia, Thalia. Quæ antiquo tempore indutæ, post nudæ fingebantur: quod oporteat beneficia & officia gratiamque nudam esse, nec aliquo amictu velatam. Ob id etiam duas, nos aspicientes vultu, vnam auersam pingebant: quod duplex beneficium rependere deceat. Charites à Græcis vocantur. Sunt autem tres, quod in tribus actionibus consistunt, beneficium conferendi, accipiendi, retribuendi. Qui antiquo tempore vixerunt, secuti sunt Theophrasti iudicium, qui gratiam in publica magnificentia collocat. Qui nudas, veram benefaciendi rationem in singulis. Dotem dare pro filiabus collocandis nuptui, redimere captuum, æs alienum persoluere, pauperis rem propria liberalitate augere, paruulos filios educare, ægrotantem re operâque subleuare, pro litigante pugnare, pecunias, adiutores subministrare, iudices illi propitios reddere, ad virtutem, ad sapientiam properanti aut filios erudire cupienti præbere sumptus. Hæc Ciceronis ratio non solùm probabilior, sed etiam sola vera. Nam Theophrasti inutile & haud Philosophicum consilium. Ergo singularum nomina prius explicemus. Θάλεια est celebritas iuuenum, viriditas, corona, festiuitas, lætitia florescens: εὐφροσύνη, delectatio: ἀγλαΐα splendor, claritas, venustas, voluptas, maiestas. Sunt qui ex ea Nireum forma insignem natum esse fabulentur. Sunt qui Pasitheam vocent.

Ergo tot laudibus gratiæ dignæ sunt, quæ iuxta Sophoclem se inuicem pariunt.

Κάρις χάριν γάρ ἐστιν ἡ τίκτουσ᾽ ἀεί,

Gratia gratiam facit paritque semper.

Ergo, vt ad rem redeam, cum amicis nihil fictum esse, nihil fucatum debet, nihil retineri: sed pleno sinu effundenda sunt in probos, in amicos, in gratos beneficia. Quod solutis gratiæ zonis inde significabatur ab Horatio.

Iam verò, si beneficium pollicitus es & nondum præstitisti, præstare oportet. Verùm quibusdam in casibus necesse non est. Primum, cum non bona fide tecum ipse egit, sed vt te defraudaret. Mutuum petit, declarat in fundis, in mercibus multa se habere: non habet, non teneris. Nam & mutuum, si gratuitum sit, ex beneficiis solum est: ad quod reddendum lege tenemur. Rursus, filiam quis filio tuo collocare vult, at postea inuenis elephantiasi laborare, genitalibus vitiatam, non habere integram pudicitiam, alij fuisse desponsatam, esse sanguine coniunctam, non teneris in his quinque casibus. Cæterùm magnas oportet esse causas, quæ fidem in magnis rebus abrumpant. Mutuo quidam aureum petit, polliceris: vult emere venenum, debesne seruare fidem? Dementis est fidem errori præstare. Philippus Alexandri pater ille adeò sapiens, cum militi Macedonis rustici bona petenti, quòd naufragio omnia diceret amisisse, dono dedisset, vbi à rustico exceptum & proprio in lecto collocatum, nutritúmque ab eo mense toto, inde etiam viatico donatum, donationem rescidit, bona rustico restituit, militíque stigmata inuri iussit. Ex Ennio enim illud Cicero rectè citat:

Benefacta malè locata, malefacta arbitror.

Vt venenum in melle pernitiosus est: ita beneficij loco flagitium dare, aut amentis est, si incautus; aut improbi, si volens id faciat. Similiter cum inter promissionis tempus ac præstandi, noua lex aliquid vetuerit, quo beneficium dari prohibeatur, certum est non teneri. Et generaliter cum alius est animus postulantis, alius dantis: vel etiam rei status intermedio tempore mutatur. Si tamen mora iam tua causa intercedat, vt quo tempore dare debuisti, non dedisti, tua improbitas aut desidia illi damno esse non debet. Aut si iam pacto teneris, quo ille aliquid citra dolum perfecerit; aut si reddere, non præstare beneficium oportet: tunc enim alieni potiùs arbitrij est beneficium quàm tuum. Ideò omnibus his in casibus, nulla exceptione proposita, beneficium præstare debes. Ea ratione, vt à reddendo parentibus gratiam excusetur, nulla occasio est. Nam illis & vitam debemus, & beatam vitam.

Dubitatum tamen est à Seneca, an parentes beneficiis superare liceat? Atque in huiusmodi disputationibus minimè aspernandus est, assuetus controuersiis, de quibus etiam libros scripsit. In vniuersum duo videntur esse præcipua, propter quæ filius parentes beneficiis superare non possit. Primum, quod vitam, corpus, educationem illis debeat: vt iam nihil sit sibi filio reliquum, quo possit vsuram facere quam parentibus donet. Alterum, quod omnia, quæ succedunt filio, cum propter vitam succedant, parentibus debentur, vt agri fructus. Quæ autem debentur, beneficium non faciunt, cum redduntur. Huic non est difficile respondere. Nam & nauta & medicus, qui non seruauerunt, debita gratia compensari possunt: parentes autem, maximè patet etiam, quod vitam dederint, aliud agentes dederunt. Quinimo quidam ridiculè dicebat, se non parentibus, sed illos potiùs ipsi debere, quod dum facerent ipsum, voluptate non leui fruerentur. Alteri rationi quamquam difficilius sit respondere, dicendum est tamen, beneficia illa naturæ lege, consuetudine ac spe conferri, non ob amorem tantum erga illos. Quidquid sit, constat patres multos ob filios orbi innotuisse, qui secus ignoti fuissent. Vt Nicomachum propter Aristotelem, Sophroniscum ob Socratem, Aristonem ob Platonem, Cryllum ob Xenophontem, quinetiam Philippum propter Alexandrum. Officia quoque filiorum in patres iucũdiora dulcioráque sunt, & seruasse patrem bis filius in vita potest. Deinde, si ob id, quod vita à patre pendeat, illum beneficiis superare non possumus, nec auum, nec auiam superare licebit: atque ita iam non vnum aut duos, sed sex aut quatuordecim habebimus, quibus nunquam satisfacere licebit. Itaque postquam hoc nec pietatem minuit, nec venerationem labefactat, quinimo omnes magis ad ea accenduntur, quorum finem attingere posse sperant, statuemus filium beneficiis patrem posse superare. Quinimo sæpe id etiam exiguo cum labore contingere reor, quod filius pietate patris amo-

rem superat ac vincit. Namque etsi fortuna patrem superauerit, beneficiáque plura & maiora contulerit in parentes quàm illi in eum, absit autem summa pietas ac veneratio, non dicam filium illum beneficiis superasse parentes. Spectaui in M. Antonio Maioragio amico nostro, cum nondum adeò res profundè disquirerem, vt nunc soleo, illum patri imperare vt famulo ferè, quod pater humilioris esset conditionis: itaque paruam de illo spem constantis fœlicitatis concepi, nec deceptus sum. Raro vel nunquam infœlicitates sine vitio adueniunt. Vitium voco amentiam, insignem desidiam, crimen, impietatem atque huiusmodi.

Ergo, vt ad rem redeam, insigne exemplum est pietatis, quando pater aut mater à filio victos se beneficiis fatentur. Inter reliqua exempla narratur insigne illud M. Coriolani, quo iniuriæ, gloriæ, existimationi denique & potentiæ ac vitæ cessit, ob matri preces. Enituit & in superiore Africano non leue pietatis exemplum in Hispania tutato patre, augurium tantæ fœlicitatis, quantam postea consecutus fuit. Memorantur etiam L. Manlius Torquatus, & Cimon erga Miltiadem patrem, & Pluto Pinensis bello Italico, atque Amphinomus & Anapus Siculi fratres, qui parentes per medios ingnes detulerunt: tum & Æneas, de quo aliàs diximus.

Porrò inter gratos eminentissimus fuit Alexander Magnus non immeritò appellatus, quod quemadmodum rebus gestis omnes ante eum ac post superauit, sic etiam in eminentissima virtutum gratia primum atque insuperabilem præstitit se. Inter gentes Ægyptij etiam existimantur: post Scythæ, si Herodoto credendum est. Sed ad hominum non gentium exempla reuertor. Darius Histaspis filius cum à Sylosonte in priuata fortuna chlamydem dono accepisset, Rex factus dedit illi Samiorum insulam, vt, quoad viueret, ei imperaret.

Quo exemplo admonemur, quam alacri spe debeamus in homines animi generosi liberales esse: vt contra, quàm multi sint, qui vbi ad splendidiorem fortunam euaserint, veteres amicos & benefactores, velut humilitatis prioris fortunæ testes peius angue oderint. Verum qui per virtutis semitam ac vestigia ad potentiorem fortunam venerint, hi, quantumuis ignobilibus natalibus fuerint, gratiam referre non dubitant. Neque enim C. Marius, quantumuis humilis fortunæ & seditiosus, in duas Camertium cohortes acriter prælio Cimbrico pugnantes ingratus fuit. Nec L. Sylla, tametsi crudelissimus & ambitiosissimus, in Cn. Pompeium gratiam dissimulauit, quod ab illius patre beneficium accepisset: itaque hoc vno actu & liberalitatem & humanitatem declarauit. Beneficij enim compensatio maioris virtutis est, quàm largitio. Qui enim compensat, & liberalitatem dando & humanitatem, dum accepisse testatur, declarat: qui largitur, liberalitatem solam. Quidquid autem sit, ad quod possit referri, seu misericordia seu ambitio, humanitate ipsa minus dignum haberi debet.

Ergo, vt ad rem redeam, omnes fermè magni viri etiam grati fuere. Mithridates in Leonicum à Rhodiis captum. Alcibiades in Amatorem. Ptolomæus in Demetrium, Philippus in captiuum priuatum. Agrippa verò etiam in seruum Thaumasten, atque etiam ob leuissimi officij causam. Quid de admirabili Largij, ciuis Romani proscripti, beneficij gratia dicam? Is enim cum beneuolentiæ & miserationis causa primam cohortem militum, proscriptos occidentium euasisset, in secundam incidens, ne primi præmium nec is ob indulgentiam amitterent, ad hos rediit & ab iis interfici voluit. Insignis etiam memoriæ accepti beneficij exemplum in Fl. Valerio Martiano apparuit & erga duos Lycios fratres, Tacianum Iulianúmque: tum & Admirati in Balduinum, quamuis hostem & alienæ religionis; vt & Caloiani in Franciscum Catalusium Genuensem.

O sancta & admiranda gratiarum actio, quæ nec ipsas belluas refugis! Illæ enim, quamquam in cæteros immites, benefactores suos tamen tuentur. Hac virtute, vt etiam ingenio, reliquis præstant canes: de quibus cum singulis diebus videantur exempla, inter rarissimæ tamen constantiæ numerantur canis T. Sabini, Iasonis, Lycij, Regúmque Hieronis atque Lysimachi, quos mortuos ita prosecuti sunt, vt non mater filium maiore affectu, imò vix pari soleat sequi: nam & alleuare prostratos & panem præbere, & mori etiam cum dominis quidam voluere. Quin etiam equus Antiochi regis, cum illum interfector domini sui Centraretus Gallata ascendisset frænis arreptis, in rupem cursu perrexit inuito insidente, præcipitémque dedit, vt morte sua domini mortem, Centraretum occidendo, vlcisceretur. Sed & de Elephanti Pyrrhi regis gratia erga suum custodem minus mirum est: quandoquidem prudentia & humanitate insigni talia animalia prædita esse soleant. At de Panthera erga Philenis Philosophi patrem, maius sanè miraculum est. Tum verò de Leone Gothofredi Bullionei, & Andronici serui: itémque alterius, quem Seneca vidisse se affirmat magistrum suum in arena aduersus alias feras tuentem, notæ sunt historiæ, & tamen vix credendæ. Quid de Aquila puellæ, à qua nutrita fuerat, dicam, quæ morte cognita & ipsa illius desiderio periit? Quid de Delphinibus & pueris? neque enim vnum fuit exemplum. Quid de ansere & Philosopho? Nos vidimus pauonem domino suo pergratum atque illius amātissimum, quod ab eodem fuisset nutritus. Nota rursus est historia (ne non etiam serpentes tantæ virtutis expertes essent,) viperæ, quæ apud Ægyptium nutrita, cum catulorum ipsius vnus hospitis filium necasset, illa non cognoscere voluit, an iure & irritatus filius filium hospitis occidisset, sed omnibus filiis occisis, credo quod nesciret quis eorum hospiti tantam iniuriam attulisset, domo se subduxit. Inter egregia autem criminalium gratiæ reddendæ exempla sunt ciconiæ: vnde etiam adagium ἀντιπελαργεῖν. Hæ enim defectos ætate parentes, vt etiam testatur Aristoteles, non solùm alunt, sed etiam elatos dorso quasi spaciatum deferunt. Vnde tum ob hanc insignem pietatem, tum quod

serpentes,

ſerpentes, viperas, rubetáſque & cætera exitioſa animalia deuorent, à multis gentibus in honore habentur: cautúmque lege eſt, ne quis inſidiis aut vi iniuriam illis inferat.

Animalia verò ingrata etiam ſtolidiora ſunt. Nullum ingratius araneis: qui patrem ac matrem occidere ſolent. Quo alio ſigno, niſi vt intelligamus eos, qui in parentes ſæuierint, ſimiles eſſe araneis, ſcilicet virulentos, deformes, fœdos, breuis vitæ, inualidos, miſeros, imbecilles, deſpectos, omnibuſque inuiſos. Inter aues cuculus ingratus dicitur, qui latet in arboribus perpetuo, nec hoc certè ſine magno myſterio, latere ſemper qui ſe ingratos oſtenderint. Hirundinem etiam tertio loco adnumerant, quod nobiſcum habitans nos tamen velut aduenas refugiat, diſcedens nullum gratiæ ſignum relinquat, nec vnquam manſueſcat vt auium reliqua genera. Vnde etiam in Pythagoræ ſimbolis eſt, hirundinem domo ne exceperis. Hæc ſunt Græcæ vanitatis exempla, quæ Plutarchus per otium digeſſit. Hirundo minimè ingrata eſt. Quid aureo, vt dicunt, ſymbolo voluerit Pythagoras, ſi modo arcanum aliquid latet ſub eo, alij quærant. Nos ambitioſiſſimum & mendaciſſimum virum eſſe deprehendimus cum ſuo aureo femore, ſi ea tamen, quæ de illo narrantur, vera ſunt. Hirundinem nullo modo hac ratione explodamus propter ingratitudinem cum nihil minus quàm ingrata ſit; ſed potiùs quod loquax ſit. Eſt enim admodum garrula inter omnes aues. Sub hoc ſenſu laudo conſilium & hominis inuentum. Garrulorum enim & loquacium hominum conſuetudo peſſima eſt. Ei etiam maximè conueniebat, qui quinquennale ſilentium diſcipulis ſuis indicere ſolebat, tanquam garrulitatis inimiciſſimo. Ingratam nequaquam dixerim, nec auem ipſam explodendam: beneficia enim plura affert. Dum enim adeſt, cantu oblectat, muſcas infeſtiſſimas depopulatur, mirum in educatione filiorum ſtudium diſcimus, nec ſolùm matris ſed etiam patris: coniugij exemplum pulcherrimum exhibet, coram nobis canit, nec terretur inaniter, vt cæteræ aues, nec mœſta ſilet nobis præſentibus. Vbi abierit, nidum relinquit lethaliſſimo anginæ morbo aliiſque vſibus vtiliſſimum & ſtercus ad pterygia atque maculas oculorum: cum redierit, memor hoſpitij, ſuo acceſſu atque receſſu nos temporum viciſſitudinis admonet. Pauperum domos libentius, ſapientum & innocentium more, quàm diuitum inhabitat. At clauſtra, ais, refugit. Ingenui animi eſt refugere ſeruitutem, non vult nobis familiaris fieri, agnoſcit hominem quàm doloſus ſit, docétque nos ſic improbis congredi oportere, vt nos quidem proſimus, illi autem obeſſe, etiamſi velint, non poſſint. Quid dicam poſtmodum de diuinitate quadam, quæ apparet & quando cum coniuge concors tanta arte nidum conſtruit & quod nulla auis carniuora illam proſequatur eive infeſta ſit. Sed hæc omnia πάρεργα. Sufficiat ſolùm adieciſſe ad declarandum, quanto in turbine fuerint antiqui: nunc propoſitum proſequamur. Inter ingrata animalia ſolent tria quadrupedia numerari. Quorum primùm eſt Hippopotamus, qui patrem perimit, vt cum matre iungatur: quod verumne, valde dubito. Nam cum vix conſtet, quale ſit hoc animal, ob raritatem: qui fieri poteſt, vt hoc quiſquam animaduerterit ſub Nili aquis? Deinde, quomodo ſciuit, quod patrem non alium occiderit? An perpetuò à concubitu illum, donec filius adoleuit, obſeruarunt? Vides, quales nugas admittant, qui noſtrum librum Dialecticæ non legunt. Alterum lupus eſt, quem aiunt deuorare ouem, à qua fuerit nutritus. Vnde illud elegans epigramma, quòd è græco in latinum reddidit Eraſmus, à quo exſcripſi:

Lacto lupum vberibus propriis non ſponte,
ſed horſum.
Me demens adigit paſtor, vt id faciam.
In me rurſus erit fera, poſtquam creuerit
ex me.
Natura haud vnquam vertitur officiis.

Pulchra quidem Poëtarum inuenta: attamen quàm vera illa ſint, neſcio; firma ſaltem non autumo, vt res tandem ad Arietem redeat, quem conſtat educatores ſuos cornu impetere, & amentia ſimili vaſa, ex quibus cibum & potum ſumit, euertere. Vt adeò res ad tria exempla deducatur: ad perfidorum & deſpectorum araneorum; ad ſemper latentium cuculorum, quamquam nihil certi de hoc habeatur; & ad inſani arietis, qui non vt noceat, ſed vt ludat, petere ſolet educatorem tanquam familiariſſimum. Vnde tandem res ingratorum ad vnius aranei, monſtroſiſſimi animalis, exemplum redigitur: nec vlli alij ſimilior eſt ingratus, aut alterius ſorte magis dignus.

Ergo huius tanti boni nullum fermè animal expers eſt, nedum homo. Nero in plurimos gratus fuit, tametſi in hominum delectu peccauerit, ac multo magis in beneficiis collocandis. Nihilominus non tam reprehenſione dignus eſt, quod merentibus non dederit, quàm quod dederit haud merentibus. Narrat fuiſſe temporibus ſuis Seneca virum vndequaque ſingulari virtute abſolutum, nomine Demetrium, de quo etiam ſuperius egimus, profeſſione Stoicum: huic Nero ducenta ſeſtertia dono dare voluit, non exiguum ſanè munus: ſunt enim aurei coronati noſtri penè quinquies mille. Quod munus, neſcio quo conſilio, ille repudiauit, dicens, Quam paruа ſumma voluit me tentare Cæſar ſi voluerat verè experiri, toto debuit tentare imperio. Quæ verba ambitionem potiùs, quàm virtutem præ ſe ferebant. Non accepiſſe, magis etiam inanis cuiuſdam gloriæ ſtudium, quàm veram ſapientiam oſtendit. Nam ea ſumma nec aliis grauis futurus erat, & ipſe honeſtiore fortuna longè plures alios ad virtutem amplexandam incitaſſet, quàm in tam deformi conditione. Ipſum quoque principem ad fouendos bonos plus adhortatus eſſet, ſibique beneuolum reddidiſſet. Nec ſolum illius exemplum ob fortunam honeſtiorem, ſed etiam prudentiæ opinionem multo plures ſecuti eſſent. Nec ille Zenonis, autoris ſui dogmatis, exemplum ſecutus eſt. Zeno enim ab Antigono munera accipiebat & magna, vt ex ipſius regis teſtimonio deprehenditur,

ditur, & indigentibus amicis distribuebat. Demetrius sola probitatis opinione ab eo, quem vt crudelissimum homines detestantur, ducenta promeretur. Sed non accepit, quia Nero tyrannus erat? Nihil ad rem: non enim ex secundo genere tyrannorum fuit, sed vulgarium, nisi quod in propinquos sæuierit. Hoc etiam faciunt Turcarum Imperatores, qui coguntur proximiores Regi occidere, quod ad eos solùm periculi suspicio & inuadendi regni metus pertineat. Ille nulli parenti filium, neminem exquisitis tormentis occidit, in nullum præter dignitatis respectum sæuiit. Non est mihi tyrannus, qui benignè, clementer, liberaliter, gratè & ex dignitate mea mecum agit.

Ergo postquam tam ingratè hoc seculo, tam crudeliter, dum communi omnium vtilitati consulo, in patria exceptus sum, prodigioso hoc spectaculo pro tam singulari innocentia exhibito, quod etiam ipsa saxa ad lacrymas commouere posset, rogo, si quid commodi humano generi per tot assiduos grauesque labores euenisse existiment Principes atque Potentes, vt gratiam eam misero huic nepoti ex infelice illo filio Io. Baptista, Tacio Cardano ab obitu meo referant. Diffido enim tamdiu posse viuere, donec puerulus ad adultam ætatem peruenerit. Patrem vero illi, vnicum præsidium, sustulerunt. Ego, qui in lacrymis perpetuis constitutus vitam ago, tormento non voluptati simillimam, Deo illum, illum humano generi, pro quibus pater ipse periit, commendo. Vicissimque Deum ipsum, fontem bonorum, omniáque oculo illo perpetuo lucente videntem rogo, vt & in illum huius beneficij autorem propitius sit, nec sinat nepotem à maiorum suorum integritate atque constantia degenerare. Reliqua ille idem ipse, quem nec festucæ error effugit, viderit.

Nunc ad modum, quo benefacere his, quibus oporteat, illósque promereri possimus, transeamus. Scopi duo fuerant conferendi beneficium, amicitia aliqua vel familiaritas, & res ipsa, quam pauper diuiti, miser potenti, infelix felici conferre posset. At de re iam diximus suprà duobus verbis: pandere veritatem, consiliúmque bonum dare. Ah si scires, Octauiane Cusane, quantum prosit scire veritatem quàm pauci eam patefacere velint, quanta sit veridicorum inopia! mirareris. Quidam non animaduertunt, quæ agantur in tuis rebus. Quid mirum? quandoquidem nec in suis. Alij non curant, quidam sibi timent: alij oderunt te, alij inuident: nonnullis lucro est celasse: alij nolunt nocere sociis: alij, te contemnunt, nec se per te proficere quidquam posse sperant, nec existimant te vltra verba progressurum: quidam, quod malo animo sint, vereantúrque talionem: alij, vt probiores videantur: quosdam perfidia & ἀχαριστία, *ingratitudo*, naturalis detinent, vt operæ precium ducant domino malefacere. Inde pactis aut minis nonnulli ab officio prohibentur. Cùm igitur tot sint modi euertendi veritatem, non leue commodum afferet veritatem amico patefacere: inprimis cum quod rarius est, carius hoc ipso est. Multo minus egregia consilia in rebus arduis contemni debent, authoresve illorum.

Idcirco vtilitatem afferre familiaribus propter fortuitas occasiones innumeras, non magna res est, sed quæ passim se obiicit. At amicitiam vel saltem familiaritatem ita contrahere, vt ne beneficium dare potiùs, quàm proiicere videaris, non adeò promptum est. Superiúsque multa de eo, etsi non vno in loco diximus.

Primum ergo, si roget, loco amici habendus est. Etiamsi ipse non roget, sed alius eius nomine, amicus tibi, petat. Et rursus, si fortuna te illi in ipso casu obtulerit: vt de rustico & Artaxerxe. Secus insinuare se in familiaritatem illius mille modis licet. Nec tam difficile est, ordine proposito, ex vno in alterum, velut in gradibus scalarum progredi: quàm efficere, vt quod arte quæsitum est, videatur ac si fortuna tibi obiectum. Plurimos autem in familiaritatem adigere minus difficile, quàm vnum aut duos. Nam vbi vnum aut duos familiares habueris, in multorum consuetudinem quasi pronus dilaberis. Serere occasiones amicitiæ, sermonibus, officiis, in rixis dum te interponis, in contentionibus & litibus dum auxiliaris, inter spectacula dum gratularis, semper licet. Nihil autem aptius, quam vt quinque præcepta obserues. Primùm, vt studium illius, quale sit intelligas, totúmque ei te dedas. Secundum, vt ne, cum occupatus est rebus maioribus, vlla ex parte ei molestus sis. Tertium, vt plura in his, quæ peragenda sunt, agas quàm dicas. Quartum, vt fidelem te experiatur. Quintum denique, vt vanitatis ac stultitiæ quantamcumque minimam suspicionem deuites.

Ergo omni iam meo iudicio te docui, quæ ad collocanda beneficia atque recipienda idonea sunt: præter id, vt scires, in quos collocanda sint. Dixi autem, in eos, qui reddere non possunt. Quod non est difficile intelligere. Sed nec in eos dixi, qui reddere nolunt. Horum verò magnus est numerus. Sed & qui graui aliquo animi vitio laborant, in hos beneficium profuderis, non autem collocaueris. Qui autem sint hi & qualiter dignoscantur, tempus est, vt iam doceam.

Cæterùm, vt sermonem sermoni continuare liceat, ac ipso capite tractatæ rei initium deducam. Id vero est, Quo modo ingrati dignoscantur? Primum illud statuere oportet, non eamdem esse rationem Reipublicæ atque priuati hominis. Eadem enim Respublica diuersis atque diuersis hominibus, alio atque alio tempore constat. Ob id etiam modo ingrata efficitur. Homo vnus in concione, imò in omni multitudine, flagitiosam & & ingratam efficit totam multitudinem ac cœtum. Quod ibi est manifestius, vbi oratorum facundia huc illúcque peritos multitudinis animos, suique anxios rapit. Quo facto, vt Demosthenis tempore Athenienses, & Ciceronis Romani, plurimos errores & graues, quantum alias vnquam, admiserunt. Etenim quantum studio ornatè dicendi atque persuadendi adiicitur, tantum ex consulendi rectâ ratione detrahitur. Adde perorantium auaritiam & ambitionem, vt in Demosthene; odium & iram, vt in Cicerone. Sic existimo errorem hunc, quem aduersus

aduersus me commiserunt, ex vnius improbitate, qui suo & suorum commodo studuerit, emanasse: quod exemplum ceu doloris mei imago ad omnes manauit.

Quoties iidem populi grati atque ingrati fuere? Gratia populi Romani, Ciceronis tempore, non gratia fuit, sed immoderata profusio: accipientibus, ad tyrannidem occupandam stimulus ac scala, cæteris inuidiosa: vti erga Pompeium primùm, inde Octauium, quos ambos ante legitimum tempus suasore Cicerone S. P. Q. R. ad consulatum immodicósque honores euexit. Contra acrius sæuitum in Catilinæ coniuratos, alij etiam neglecti. Quis dubitare de hoc potest? Fauit Cicero sibi, ergo & potentibus plusquam deberet: aliter enim sibi fauere non poterat, nisi suis illis longis orationibus aliquid vltra debitum adiecisset. An ergo omnibus an paucis? Si paucis, cæteris iniuriam fieri necesse fuit. Indéque odia & simultates, tandémque etiam seditiones exoriri. Sin autem omnibus, pro quibus perorabat, ordine quodam, quod haud dubiè credo: necesse fuit conuelli Rempubl. & ad potiorum potentiam, quod omnium erat, traduci. Ergo Respublicæ modo ingratæ, modo gratæ sunt, fuerunt, eruntque semper.

In cognoscendis autem cuiusuis hominis naturis, quantum ad gratiam referendam apti sunt, præter ea quæ dicta sunt de ingratis in Deos, in parentes & amicos, semper improbos etiam ingratos esse existima. Quamuis enim multi in Deos ingrati sint, quod omnia fato & necessitate agi existiment: alij in parentes, in eorum benignitate confisi: tamen his talibus impietate & animi improbitate insignibus, vt benefacias non suadeam, propter exemplum: tametsi dicat Ammianus Marcellinus Romanus & Romanarum historiarum grauis author, Pœnã ingratorum ad Deum spectare. Quod si tyranni in aliquos grati sunt; aut necessitate id agunt, vt in satellites, stipatores, medicos, quando necesse sit huiusmodi hominibus salutem corporis sui committere: aut vt te maiore in re euertant. Cum enim beneficium tuum retribuendo superarint, cogeris rursus & superare tu illam compensationem: atque ille vicissim si pergat, tandem eò venies, vt sui iuris totus fias, quod ex tua re haud est. Cogita illos, qui benefaciendo alios antecellebant, non improbos fuisse aut tyrannos, sed viros virtute præstantes; vt eos, de quibus suprà diximus, tum Massinissam. Attalum, Minutium, Terentium Culeum, Metellum Pium, Largium: at contra ingratos, animi minimè præstantis, vt D. Brutum, C. Cassium Caligulam, Calphurnium Crassum, & Decebalum, itemque Isacium, & Angelum imperatores.

Ah, quantorum malorum causa sunt ingrati! Quid Cæsarem mouit ad occupandam Rempubl. nisi tam ingrata acta Senatus, Gallia capta? Quid ad tyrannidem retinendam coëgit, nisi Scipionis & Syllæ exemplum, in quos populus Romanus fuit ingratus? Quare Octauius & socij proscripserunt tot è populo Romano, Senatorij & equestris ordinis bis mille; reliquorum, suprà triginta millia? Quoniam C. Cæsarem ab his, quibus pepercerat, trucidatum animaduertissent. Itaque Augustus nec potentia immoderatiùs vsus est, ne occideretur, vt Cæsar: nec imperio se abdicauit, ne contemneretur, vt Sylla. Pysistratus Atheniensium tyrannidem inuasit, Thesei exilij exemplo commotus: Pericles autem Themistoclis & Miltiadis indignis casibus. Lacedæmonij ob Agidis Regis optimi atque mansuetissimi indignam à ciuibus patratam necem inciderunt in sæuissimam tyrannidem Nabidis, qui præter cæteros vna die trecentos ex nobilioribus atque principibus ciuitatis trucidauit. Leonides enim paucis tantum annis regnum obtinuit: Cleomenes autem vigesimoquarto anno, antequam Nabis fœdus cum Romanis faceret, victus est. Detractis ergo ex viginti quatuor annis his, quibus Cleomenes apud Ptolomæum in seruitute vixit, è quibus Nabis ante fœdus cum Romanis ictum regnauit, intelliges Nabidis tyrannidem successisse Cleomenis interitui. Tempus verò, quod à clade Cleomenis ad Nabidis tyrannidem intercessit, ipsa tyrannide Lacedæmoniis fuit paulo felicius, cum eo prælio omnes ciues fermè cecidissent, capta esset vrbs, & peregrini, quod nunquam aliàs erat factum, in vrbem ipsam ad habitandum introducti. Nabidis autem tyrannidi Romana, omni alia durior, successit. Sic Syracusij ingrata Dionis nece, qui eos à iunioris Dionysij crudelissima tyrannide liberauerat, (quia tamen & ipse non minus in Dionysium maiorem sanguine sibi coniunctum fuisset ingratus, & ob id antea diuino quasi miraculo orbatus vtroque filio; etiam non sine Deorum iræ testimonio,) in tyrannos primum, inde in Gelonis familiam inciderunt. Quorum temporibus, expugnata à M. Marcello vrbe, in Romanorum seruitutem redacti sunt: à qua non sunt postmodum, nisi euerso Romanorum imperio, liberati. Carthaginenses ingrato exemplo in Xantippum Lacedæmoniorum ducem, qui Attilium Regulum ceperat, docuerátque Romanos à Pœnis vinci posse, modo dux non deesset, effecerunt, vt in posterum ducem externum non inuenirent, suósque timidiores reddiderunt. Vnde exitium ciuitatis eorum ortum habuit. Florentini quoque toties in suos ingrati, multis antea calamitatibus afflicti, nostra ætate amiserunt prorsus libertatem. Nulli magis ab hoc vitio immunes sunt Venetis: & tamen etiam ipsi fuerunt notati ea labe in Francisco Foscareno & Carolo Ceno.

Efficit ingratus, vt non solùm alij in eum beneficium conferre recusent, sed etiam iniuriam inferre non reformident. Hoc ipso in hunc homuncionem ingrato cædis filij mei exemplo si potuissent vel suspicari, etiam præter diuinæ vltionis, quæ nunquam irrita est, exspectationem, quantum mali subesset, nunquam illum peremissent. Quid enim, dicent, profuit Hieronymo Cardano singularis illa innocentia? imò quantum obfuit? Etenim si aliorum more ex composito tantum illos curasset, superlucratus sibi fuisset pecunias, quæ illi defuerunt ad seruandum filium, imò multo plures atque etiam existimationem maiorem, quandoquidem, vt dicit Horatius.

Vxorem

Vxorem cum dote, fidémque & amicos.
Et genus & formam Regina pecunia donat.

Atque hæc statim: alia verò, quæ ad diuinam pertinent vltionem, seriùs. Velut & apud Lacedæmonios inter Agidis necem & cladem sub Cleomene acceptam anni circiter duodecim aut paulo plures intercesserunt. Inde illud Valerij Maximi: Diuina enim prouidentia tarditatem supplicij grauitate compensat.

Intelligo quid dicturi sitis? Tu teipsum laudas, & pro te multa in contumeliam nostram atque calumniam affers, vt inuidiam crees. Magnum Regi negotium esset, si de singulis, quorum numerus penè infinitus est, qui in tot regionibus damnantur, reddenda ratio esset patribus, filiis fratribus. At respondeo vobis quantocumque nostro supercilio, reddendam esse de singulis & vobis & Regi rationem Deo, animásque eorum, qui iniustè pereunt, etiam statim ab obitu supplicare Deo: inde calamitates publicas cladésque subsequi, cædi exercitus, classes naufragiis obrui, vrbes expugnari ac diripi, & seditiones inter principes, intérque priuatos oriri. Non eadem est ratio, etiamsi multitudo hominum casu pereat aut bello, quæ vnius tantum hominis, qui indignè iudicio occisus sit.

Nota est historia Templarij Itali, qui cum ad necem duceretur iniustè, vt sibi videbatur, in fenestra prospiciens Gallorum Regem Philippum & Clementem summum Pontificem, quorum opera puniebantur Templarij, ambos ad Christi tribunal intra annum diémque vnam citauit. Intra igitur illud tempus Pontifex & Rex repentinis casibus obiere. At non multos tales occidi iusserant? Certè plurimos: sed alij minus constanti animo & fide erga Deum, alij minus forsan sincera vita, aut conscij aliorum criminum fuerunt. Fortè & illius supplicio Principes quasi per ludibrium astitere tantum in publico: nam nisi astitissent, inane votum futurum illius existimo. Duo equites, cum insimulatis criminibus ad necem ducerentur, viso Rege Hispano Ferdinando Castilionensi, quod iniustè ab eo vrgerentur ad mortem, quarto illum & intra triginta dies citauerunt ad Christi tribunal, obtinuerúntque. Nam ipsa trigesima die, vt miraculo plenam faceret fidem, repente obiit. Quin etiam Pirata, quamuis sceleribus pressus, quod à præfecto classis Genuensis ad mortem adiudicatus esset odio gentis Cathelanæ potius, quàm vlla in Genuenses iniuria, voto obtinuit, vt idem præfectus intra constitutum tempus interiret.

Memento autem hic, quod magni viri & potētes ipsi semet vlciscūtur propriis viribus: probos & innocentes, Deus. Siquidē quod ab anno M. DLIV. ex tot Hispanis, quot curaui, ad annum M. DLIX. spatio annorum scilicet quinque cum dimidio nemo perierit, rogo an hoc datum sit sapientiæ meæ, an innocentiæ? nisi putetis me falsa de me prædicare. Sed si falsa prædico, dignus sum pœna non leui, vt qui inuidiam iudicibus & nomini Hispanico per mendatium quæram. Si sapientia id contigisse arbitramini, absurdum est: metam enim hoc superat humanam. Sin ex innocentia euenit, vosmet iudicate, quam mihi gratiam pro ea retuleritis? Quodetiam ex ciuibus vix è trecentis vnus in manibus meis, perpetua fortuna, obierit, vnde hoc? an scire negligitis? Scio, quoniam ab his, qui precariam operam exercent, persuasi estis & dementati: quòd quia ego non possum, odiosus sum illis & vobis. Sed præstat iniustè mori, quàm iustis mortibus dignos, etiam inter Sybariticas delicias, viuere. Hæc igitur sunt ingratorum signa, exigui quidem criminis rationem habere, tot autem beneficiorum atque innocentissimæ vitæ non meminisse.

CAPVT XI.

De dignoscendis hominum Vitiis,

IAm ergo postquam hoc flagitium ingratorum ex quibuscumque sceleribus ac vitiis ortum habere, intellexisti, nescire debes, à dissimulatione etiam gigni. Dissimulatorem autem, vt quemlibet alium quoquo vitio laborantem, quinque modis dignoscere licebit: scilicet ex quibusdam moribus & certis notis, ex Physiognomia, Metoposcopia, & Chiromantia. Verùm quia de his duobus vltimis, altero quidem à nobis, altero autem à multis aliis dictum est, dicam ego sic, vt his parum indigeas, Metoposcopiæ tanquam euidentioris signa vbicumque adiiciens.

Dissimulator ergo ad inimicos vt ad amicos se habet, minima laudat & in minimis gratum se ostendit, non sine præfatione: tamen quasi rem maximam, periculosam & grauem faciat, parum aliorum dictis aut factis commoueri se ostendit. Et cum beneficiis, maximis licèt, haud moueatur, pro minimis tamen gratias magnas agit, & vicissim pro minimis iniuriis maximas meditatur vindictas. Semetipsum rursus non solùm de minimis accusat, sed etiam de rebus laude dignis. Quæ contentionem & dissidia afferre possunt, se vidisse aut meminisse negat, aut etiam omnino ignota sibi esse affirmat. Sæpe illa in ore habet, non credo, admiror, obstupesco, verisimile non est. Generaliter autem dubia scire se negat, de certis dubitat semper. Subiicit Theophrastus, huiusmodi perplexis vocibus atque repetitionibus caue ne vel auscultes aut credas. Nam talia ingenia, nec aperta sunt nec simplicia, sed astuta, callida & ad decipiendum parata. Ideò magis ab eis, quàm à viperis, cauendum est. Scripsit hunc librum annos, vt coniector, natus nonaginta nouem. Vnde etiam decrepitæ ætatis indicia in omnibus manifesta sunt; iudicium maturum, vis imbecilla, argumentum præclarum, narratio inepta, historia diligens, stilus humilis, omnia effœtarum virium & in interitum tendentium argumenta. Sed si vera sunt, quæ de ætate Senecæ referuntur, necesse est, vt ille epistolas post centesimum annum scripserit. Sed quomodo colligant id, non satis intelligo. Numerentur enim retro decem anni Neronis, quindecim propemodum Claudij, Caligulæ tres Tiberij,

Tiberij viginti tres, erunt quinquaginta duo cùm mensibus interiectis collecti: non verò plus duodecim annis arripuisse ex Augusti imperio, colligo quodam è loco, vt fiant anni sexaginta quatuor. Sed qui dicunt illum potuisse videre Ciceronem, Senecæ ætatem ad annum penè centesimum retrahunt, non tamen vltra. Ergo & Senecæ & Varronis atque Catonis exemplo, tum & Isocratis, hunc libellum Theophrastus scripsit.

Porrò dissimulatoris nomen non vnum habet significatum. Quidam enim probi sunt atque cauti, apud æmulos inuidósque solum dissimulatores. Quos laude dignos esse non dubito: verè enim prudentes sunt. Alij sunt, qui cùm omnibus dissimulant: de quibus hîc agitur. Horum igitur, qui vitio non carent, oculi sunt rugosi, & quæ circa oculos pinguia, & tota facies quasi somnolenta, tardè loquuntur, & leuissimè subrident. Profunda linea inter cilia, aliáque in suprema fronte nitida, elegantem decernunt dissimulatorem. Horum Princeps fuit Socrates.

Adulatores ab inimicis quomodo dignoscantur, nos superius tradidimus & ex Plutarcho etiam. Amico vndequaque similis est, nisi in seriis. Nam neque pecunias dat, nec pro te pugnat, omniáque grauia munera refugit; pollicetur pecuniam, cùm scit ea te abundare, offertque quàm te recepturum non sperat. Vtque amicus omnia minora specie præfert quàm re, sic adulator contraria ratione agit. Blandior etiam est in sermone abulator, quàm amicus: & cùm vrgetur, aut hæret aut irascitur. In tuas quoque res adulator diligentius inquirit, tuisque magis se familiarem amico facit. Corpore circumtorquent se, quasi gesticulationis initium facturi, hilariter respiciunt oculis. Profundas lineas habent inter cilia: in fronte humilem, nitidam, transuersam. Loquacior etiam est adulator dissimulatore.

Hæc duo genera hominum in Aulis passim inuenies: omnes enim adulatores, dissimulatores & inuidos esse necesse est. Reliqua vitia verò inter illos diuisa sunt. Nam neque omnes auari aut ingrati aut maledici sunt, sed suo quisque vitio gaudet. His autem tribus omnes tenentur.

Adulatoris igitur postquam proprium est placere amando ac venerando, atque etiam iucunditate ipsa, iucundus est omnis adulator, atque vt ita dicam, amico iucundior videtur, sed vtilitatis propriæ causa. Propria igitur adulatori iucunditas. Et qui illi è regione aduersatur, difficilis atque contentiosus appellatur: vt etiam dissimulatori, iactabundus. Sed est adulator duplex: alius quidem populi, alius autem tyranni. Vnde vbi vigent adulatores, tyrannidem, non regnum, esse intelligimus. Cùm enim gaudeat falsis laude, vera indignus esse deprehenditur. Adeò vt ambitiosis gratior sit adulator amico: nam amicitia par esse videtur apud vtrumque potior autem & dignior adulatoris iudicio. Quamobrem adulator ambitiosos colit. At nulli grauis est ambitiosus, quoniam se profert vltra metam. Ergo ambitiosus cùm adulatore conuenit, & adulator cùm ambitioso rectè copulantur. Hinc ille humilis totus ac plenè seruilis apparet: hîc autem eleuatus & nihil modestum sapiens.

Sunt etiam adulatores non vni addicti, qui omnia te præsente, quamvis vix tibi familiares, commemorant, & mutant genus facti, laudantes vituperanda & turpia, aut si laudabilia quidem, plus quàm debent, vel etiam coram tuis amicis: nec satis fidunt illis, quod tibi ea retulerint quæ dixerunt, nisi & ipsi tandem tibi referant. Quòd vitium, sicuti Græcorum olim, gentis: quæ

Quidquid adulandi non prudentissima laudat:

Sic nostra ætate Siculorum Neapolitanorúmque proprium est.

Inuidorum notæ sunt, cùm aliquem laudari audiunt cum ipsis aliqua ratione conuenientem, aut statim abeunt aut sermonem mutare conantur, aut rident aut contradicunt. Qui contradicunt, aut simpliciores sunt, aut iracundi. Alij omnino silent, sed contra habent faciem. Quidam rem ipsam, quæ palàm est, verecundiores minuunt. Nemini benefaciunt atque cùm alienis ac disparibus solum libenter versantur. Si vitium, si infortunium amici narratur, mirum in modum illius vices dolere se simulant, exiguntque, tanquam non audierint plenè, denuo historiam repeti, commiserationem ipsi præferunt, atque aliis, quæ contigere ipsi narrant, & dolorem animi ostentant, adaugéntque facti aut turpitudinem aut atrocitatem. Atque id etiam agunt, vt occultare dolorē non posse videantur. Quidam etiam eo vsque procedunt, vt casum defleant, vt apud Ouidium Vlysses:

Manuque simul veluti lacrymantia tersit
Lumina, quis magno melius succedit Achilli?

Sed & aliena negotia diligentius quærunt, sua occultant prorsus. Et si quid mali magni acciderit, aut omnino silentio tegunt aut vltra omnem metam deflent, tum quia parui sint animi, tum quia omnia sua deteriora putant, conditionémque miseriorem. Sunt autem malefici & ingentium malorum auctores, bonorum autem nunquam. Discordias serunt & homines præcipites agunt blando sermone, & cùm de calamitatibus alienis quisquam verba facit, subhilarant faciem, & intenti ad audiendum non secus ac lapidei homines manent ac perstant. Omnes autem, qui, cùm te viderint, quasi subrident & faciem in morem puerorum aliquid optantium blanditer componunt, dissimulatores sunt, inuidi aut auari, aut timentes te, aut contemnentes atque irridentes. Nihil mirum autem est, quod tam difficulter deprehendantur inuidi, cùm eorum præcipuum studium sit, latere. Nam nullus tam impurus est, qui adeò latere vitia cupiat, vt de Mamerco Scauro apud Senecam, quàm inuidus. Omnium enim vna vox est, etiam inuidentissimorum. At ego illi non inuideo. Turpè enim est, inuidere se, fateri, quod in ipsa confessione culpæ pœna sit. Vt ergo pœnam occultent, occultant & vitium. Omnes verò flagitiosos, si non de crimine, de vsu saltem criminis gloriari videbis, vt auaros de partis

parsimonia rebus; libidini deditos, de puellis aut vxoribus alienis, quas possederint: iracundos, de vltione, ambitiosos etiam, de illata iniuria; inuidos contra nec de crimine, nec de his, quæ ex criminis fructu proueniunt, vnquam videbis gloriari. Inuidorum facies parua est, plana, macilenta. Oculis intentis aspiciunt, color plerisque pallidus. Est autem commune malum inuidia, quod de omnibus sit, vel quia obtinuerint amiserintve; vt iuuenibus felicitatem & robur ac delicias inuident: vel quoniam difficilius obtinuerint aut maiori pecunia, vel quia magna tractant: quidquid enim eorum tractationem effugit, inuidiam mouet. Ergo ambitiosi omnes & auari simul sunt inuidi. Similiter sapientes atque felices: cuperent enim sua omnia alienis præferri. Et quo magis de rebus magnis agitur, eo sunt inuidentiores. Vnde etiam Alexander Achilli Homerum inuidit. Et Vlysses ac Diomedes adeò Palamedi inuiderunt, vt certum sit illos eumdem interfecisse; incertum, an Agamemnone sciente: Videtur autem opera illius id factum, aut saltem ab eo non vindicatum, quod Nauplius pater Clytemnestræ conciliauerit Ægistum, atque ita adulterium in necem Agamemnonis incitauerit. Auaris autem perutilis est inuidia, & qui infortuniis alienis, vt M. Crassus Syllæ proscriptionibus, ditatur.

Sunt & artes, quæ inuidos reddunt, eæ scilicet in quibus non tam opera quàm artis excellentia remuneratur, vt Medicina, pictura, sculptura, architectura. Vnde prouerbium illud: Medicus inuidiæ pelagus. Et, medicus inuidiæ perforata clepsydra, id est, inexplebile vas. Nam à clepsydra solet aqua effundi denuóque impleri. Id verò accidit, quod lucra precaria quasi sunt minuta atque frequentia: quibus occasionibus si ignobilitas & auaritia vel ambitio adiungantur, nihil potest esse inuidentius. Iurisconsultorum licèt eadem ratio sit habent tamen lucra longè maiora, sed rariora, & cùm labore maiore: atque eam ob rem non adeò inuidi sunt Iurisconsulti, vt Medici. Plebs autem tota, quoniam nihil lucro inhiat, inuidentissima est. Est etiam inops, & præterea quoque semper inuidet. Cùm ergo humiles tenuibus lucris & paruis negotiis sint intenti, potentes magnis vacent: parua autem frequentia, magna rara sint: necesse est, vt humilium inuidia sit frequentior & semper assidua; sed non magna, quia non est de magnis rebus, & sæpius de vna in aliam causam mutetur, atque item de vno homine in alium. Potentiorum autem virorum inuididia quantò rarior, tanto grauior est: adeò vt nonnunquam ad machinationem exitij perueniat. Oportet etiam familias & conditiones alias inspicere. Rustici enim toto genere inuidi sunt, vt & municipiorum accolæ. Nam medij sunt inter rusticos & ciues, quamobrem vtrorumque vitia retinent: ciuium scilicet ambitionem & iram: rusticorum inuidiam & auaritiam. Omnes etiam qui dolosis artibus operam dant, vt circulatores, mimi, sycophantæ, & qui ex superstitione viuunt, inuidentissimi sunt. Et quoniam in his maxima auaritia inuidiæ iuncta est, hinc inuidia sæua laborant atque truculenta. Nam lucrum in illis non solum precarium est, sed etiam sine industria, & incertum atque inconstans, vt aucupari potius quàm lucrari videantur. Aulici etiam, vt dixi omnes maxima laborant inuidia, non solum quod lucra precaria habeant, sed etiam quia vnius lucrum alteri est impedimento, & quòd cum lucro gratia domini atque existimatio coniuncta sint. Est autem inuidia iners & experrecta atque excitata ac exitialis. Primum genus, prorsus inutile ac maledicum: tertium autem, tacitum ac pessimum. Cuiusmodi Anysti & Meliti in Socratem, Macedonum in Dioxippum, Bagoæ in Indum Regem, quem Alexander deceptus à puero prorsus perdidit. Et Dionysij iunioris in Philoxenum Poëtam. Maximè verò genus hoc sæuit in Regum Aulis, & contra externos.

Media inter vtrumque genus emulatio est, eruditionis, gloriæ, virtutis, bonorúmque operum altrix. Referunt ob inuidiam multa pati eos, qui litteram (d) quasi supinam & inferius hiantem super dextro oculo altius positam habent, vel super dextro oculo propè illam figuram (seu) auersam. At verò inuidi lineas habent in altiore frontis parte exiguas atque directas: transuersum autem vnam atque profundiorem, multas etiam supercilia, sed obliquas. Inuidus humilis est animi, quatenus inuidet: quatenus putat sibi deberi, excelsi. Moderati sunt qui inuidia excitata aguntur, furibundi qui exitiali, humilimi qui inerti.

Perfidiæ nota, est leuitas, quæ ab inconstantia differt, quòd leuitas inconsulta est; sed perfidus hoc agit, vt sibi vtilitatem pariat: leuitas communior est & ad beneficiorum obliuionem plus facit, quàm perfidia. Rarò etiam perfidus est sine causa, leuis sine ea est. Romani Græcos vno verbo, omnia probra continente notabant, scilicet, leuitatis. Nam hoc perinde erat, ac si stultos, perfidos, ingratos, petulantes vocassent. Ad leuandam verò inuidiam seipsos & Italos cæteros, graues appellabant, id est, prudentes, gratos, fidos atque constantes. Ergo perfidi sunt, quicumque leues sunt, cùm vel prodigi fuerint aut auari, vel ambitiosi, aut iracundi, vel amatores. Si autem non admodum leues fuerint, horum aliquo vitio vehementer laborare necesse est. Aleæ lusus perfidos efficit. Nihil est, quod perfidiam nobis ingeneret magis, quàm affectus, qui rationem vincit. Nam fides est per se amabilis: &

Iustitiæ consors, tacitumque in pectore numen.

Vincitur verò vel ob consilij imbecilitatem, vt in pueris, mulieribus, vanis ac stultis: vel ingenitam improbitatem, vt auari, impij ac sponte perfidi: vel ob vehementem iram ex iniuria conceptam, vt Pausanias cùm Philippum interfecit, & qui Astyagem prodidit. Et Rosimunda cùm Regem Alboinum coniugem occidit, quòd ex capitis paterni caluaria eam bibere cogisset. Quamobrem nihil mirum est hoc vitio laborasse Demosthenem & Ciceronem, quod ille à Senatu ad populum, à populo autem ad Senatus partes transiret Cicero: iste etiam, quod deterius est, accepta pecunia proderet populum Atheniensem.

Sed

Sed & Ciceronem accepisse pecunias, quibus causam suorum Siculorum proderet, iure creditum est, quod obiectum crimen scommate diluerit, satis ad tantùm scelus inepto.

Est autem vulgare scelus perfidia, sed rarum flagitium. Inquit enim Comicus:

Satin, vt quem tu fidelem habeas, aut cui credas, nescias.

Et rursus:

Multi more isto atque exemplo viuunt, quos cum censeas
Tibi amicos, reperiuntur falsi testimoniis,
Lingua factiosi, inertes opera, sublesta fide.

Cur ergo in magnis rebus minus perfidi sunt homines, quàm in paruis: cùm potius contrario modo res habere se deberet? Id nobis declarat apertè voluntatem non deesse, sed pœnam timeri? Itaque facilè in paruis erit animaduertere. Ne credas his, qui dicunt, perfidum paruis in rebus ac dolosum, in magnis futurum fidei tenacem. Carthaginenses Afrique generaliter perfidiæ notantur, vt & Thessali. Sed & Græci omnes parum fuere constanti fide. Annibal vnus inter istos, qui parum fidem seruarent, numerabatur. Sed nec Sylla dextræ suæ, neque in ciues pepercit.

Sunt qui, humillimis fidem non seruare, inter gloriæ insignia ponunt: principibus autem datam custodiunt. Hos impios esse constat. Sed &, si in alienæ religionis homines non seruauerint aut in perfidos, vel si coacti fidem dederint, non sponte, putant se à perfidiæ crimine liberos. Hinc ortæ multæ dubitationes. Existimant etiam licere patriæ causa aut parentum rumpere promissa. Licet quidem, sed non ita, vt perfidus dici possis. Nam perfidia solum circa extrema mala versatur, vt mortem aut seruitutem illius, cui fidem præstitisti, aut filiorum, fratrum, parentum, coniugis, amici vel præfecti exercitus. At si de pecuniis agitur, aliud est, diximúsque quæ in hoc casu peragenda essent. Cùm vero perfidiæ religionem aut vim præstitæ fidei obtenderis, dicam Ouidianum illud:

Si perstas certare, locum redeamus ad illum,
Redde hostis vulnusque tuum, solitumque timorem,
Post clypeumque late, & mecum contende sub illo.

At dices, ergo si me seruus, dum exuo vestes, sica aggrediatur, postuletque mille coronatos, atque etiam impunitatem exigat, permittamne me occidi, aut dabo, aut fallam? hoc in casu manumittam, nec dabo propter improbitatem exempli, non tamen tradam iudicibus. Sed si in via me latro occupet, dabo, nec pandam, si non sit immensa pecunia. Nemo tamen alius dabit: sed etiam illum, vt securior sit & ob iniuriam, iudicibus tradet. Ergo, quid agendum sit, intelligis: intelligis etiam, quid à te sit exspectandum. Maxima perfidiæ exempla in tyrannis Diodoro, cognomento Tryphone, Ptolomæo Macedonum Rege, Agathocle Syracusanorum, Rhadamisto Hyberiæ, Philippo Imperatore. Lysandro Lacedæmonio, Stilicone, Richimerio Patritio, Emanuele secundo Orientis Imperatore, Michaële Palæologo, Valentino Cæsare Borgia Hispano, Antonio Spinola Genuensi, Bernardino Curtio Mediolanensi visa sunt: hosque omnes constat iracundos fuisse, crudeles, ambitiosos, humiliorique quàm pro fastigio, cui præpositi erant, conditione natos.

Ergo hi omnes blandi sunt verbis, in agendis prompti, mendaces, prodigi aut lusores, iracundi, sed qui iram verbis non effundunt: inimicos blandè excipiunt, minimè maledici. Partes talibus circa oculos molles sunt & vacuæ: oculi autem concaui, longiores multo quàm lati, in quorum iride circuli aut semicirculi, vehementer mobiles, inconstantes, sanguinei aut pallidi, supercilia iuncta, frons contracta, capilli crispi, collum breue, aures paruæ, mentum exporrectum, pecten quasi sicca carne, velut in simiis obductum, vox submissa, ornatus venustus, color ruber aut pallidè nigricans, motus concinnus, inter eundum retro sæpè respiciunt. Lineas habent contortas seu viperis in fronte similes, & maximè super vtrumque oculum, & sinistram palpebram superiorem maximè huiusmodi ♎. Næui quoque super sinistram palpebram, aut supercilium, aut circuli aut deformes figuræ transuersæque in tota fronte, perfidiam declarant. Motus etiam incompositi & inæquales. Cumque pueritiam exierint, si loquendo oculos non attollunt nec respondent, indignabundos esse declarat. Hi autem maximè proditores sunt, vt fures quoque omnes, vtpote viles & lucri cupidi atque improbi.

Inepti sunt, qui cùm loquuntur, nullum discrimen habent temporis, loci, personæ, propositi, sed omnia perperam afferunt in medium. Constat autem hanc deformitatem stultitiæ partem esse: sed in sermone, non in operationibus. Hi ergo loquaces sunt, nec quid loquantur, animaduertunt. Quamobrem præter id, quod audientibus fastidium pariunt: amicos & coniunctos, qui præsentes adsunt, sui causa erubescere cogunt. Sunt & inepti ad negotia quasi minus apti, etsi loquaces non sint. Ineptè agit, qui loquitur quod ab omnibus reprehendi potest: adeò vt quidam etiam pueris risum moueant. Facies, magna valdè, tum frons circularis, & color albus aut nimis niger, prælonga crura & rotunda & soluti articuli, collum complexum crassumque & colligatum, musculi scapularum sursum expansi, mandibulæ magnæ, oculus prominens & croceus aut albus, non cauus: qua ceruix collo implantatur omnia carnosa & pinguia, præcipuè facies. In fronte nullæ lineæ aut exiguæ, nec rectæ aut firmæ. Sunt & inepti ad discendum, quos rudes meritò appellare possumus.

Rustici cum famulis ac seruis sermones ducunt, ac quasi de magnis rebus loquerentur, etiam secretè: nullis fidem habent, nec credunt, nec vllis in re magna inseruiunt. Voluptatibus parum dediti sunt, sed multo minus decoré curant, vilia diligunt, præclara non suspiciunt. ab omnibus petunt, vtilitate cuncta metiuntur, simplices sunt, nisi vbi

de re sua igitur, nihil negligunt, quod ad quæstum pertineat, cupediarum & sermonis comiti suauitatisque morum contemptores, vt etiam studiorum liberaliorum & Musicæ rudes, inculti, curiosi, parum affectibus mouentur, impudentes, laboriosi, duri, timidi potius quàm fortes, inuidi, tristes, vbi ira efferbuerit non facilè conquiescunt: magna non admirantur, nec de eis sermonem libenter serunt, superstitiosi valdè, futurorum quæ ad eos pertinent soliciti, in societate taciti, & ab omni ioco alieni, alios verò lætius loquentes & ad hilaritatem incitantes aspernantur, tanquam non audiant. Fronte caperata, minimè perlucido colore, facie oblonga, incessu tardo, in fronte paucæ lineæ ac longæ, venæ nusquam manifestæ.

Obsequentes in genere quasi sunt adulatorum, puerilibúsque moribus assimulantur. Ideóque in paruis rebus morem gerunt, & cùm quadam ostentatione, scortis quasi similes. Abblanditur obsequens paruis filiis, atque omnibus quos domino gratos esse existimat, atque cunctis se præbet gratum, iucundum, officiosum: cultum diligit ac mundiciem, libentérque versatur cùm infirmioribus aut ætate vt senibus & puerulis; aut sexu, vt mulieribus; aut fortuna, vt cùm ancillis ac famulis. Adhæret etiam adolescentibus, & generaliter refugit sapientes, fortes, robustos: quia his minus se charum putat, quod humilibus rebus hi non adeò delectentur. Versatur cùm diuitibus & imperitis, negotia illorum diligenter tractat, sed magis in speciem quàm rem: prosenetam agit. Est fermè rustico contrarius, sed tamen vtérque ad vitium refertur. Sæpius ad te venit, exorat leuia, tuisque affectibus, quantum potest, se accommodat. Si illi irascaris, abblanditur aut tacet: si aberrauerit, vltrò se corrigit, & iacturam emendat. Horum Physiognomia ad fæmineum decorem accedit, lineæque longiores inter supercilia & transuersæ, pulchræ. Cætera vt adulatorum, sed molliora. Nec obsequens adeò vtilitati suæ in præsens prospicit, verùm bona spe melius alitur, creditque magis etiam amico.

Vecordes sunt, qui omnino pudoris rationem nullam, neque honestatis retinent. Ideò omnium impudentissimi, flagitia omnia tractant, nihil turpe sibi esse ducunt aut agere aut pati. Ex artibus coqui, præcones, brutij seu lictores, vectigalium exactores, saltatores, mimi comœdi, lenones, lanistæ, fures, circulatores sunt totaque turba sycophantarum, quæ nihil humani diuinique iuris pensi habet, nilque matribus alimenta denegare, negligere filios, etiam abiicere absque culpa. Tiberius brutius Gallaratæ cùm esset, quinquennem filium vnicum è pedibus suspendit, quòd crimen ipse etiam morte luit. Periurare, depositum aut mutuum negare, illis familiare est. Magna voce & absona loquuntur & alios euocant. Nihil illis pulchrum, nisi quod aliis turpissimum videtur. Nugas aliis quasi magnum aliquid dicturi insusurrant. Emptionum tamen & venditionum vilium rerum atque fraudum omnium periti, mendaces, gulosi, & ad verborum contentiones iurgiaque procliues sunt, & contumeliosi. Cùm verò ipsis nihil turpe sit, alios quoscumque clamoribus deformare student. Loquaces sunt, & præcipuè hoc vno ab initio statim dignoscuntur à cæteris, quod veritatem eorum, quæ alius recitauerit, soli se tenere affirmant, vel quòd extra propositum dicacitatis amore sermones aggrediuntur. Qui verò ex his callidiores se existimant, occasionem loquendi quærunt. Vtrique tamen, vbi loqui cœperint, dicendi finem nullum inueniunt: sed ex vna re in aliam transeuntes, si quispiam se intermisceat, interturbat. Laudant etiam alios maximè concionantes, vt ansam loquendi arripiant. Comites se præstant vltro & facilè omnibus. Vnde illud Horatianum:

Cum quidlibet ille
Garriret, vicos, vrbem laudaret, vt illi
Nil respondebam, miserè cupis, inquit, abire,
Iam dudum video: nil agis, vsque tenebo.

Si salibus loquax ac scommatibus tangatur, gaudet: tum vt loquendi causam habeat, tum quod sibi similes inuenerit. Puerorum, mulierum, viliumque & imperitorum societate lætatur. Tædiosus est, cùm loqui non potest, audire cupit. Ex inconstantium numero est. Si vitium hoc in potentiorem ac nobilem incidat, mirum est, quàm Reipubl. pestiferum sit. Catilinam huiusmodi fuisse haud dubium est. De quo Salustius, color exsanguis, fœdi oculi, citus modo, modo tardus incessus, prorsus in facie vultuque vecordia.

Dicitur autem vecors quasi sine corde. Cùm eo enim amentia processerit, vt sit prorsus sine verecundia, vecordia dicitur. Pudore enim hominum acta dictaque definiuntur. Cùm pudor omnis profligatus est, vecors dicitur. Manifestum est ergo huiusmodi homines pessimos esse, & ad omne flagitium nequitiamque paratos. Vnde illi peiores omnibus sunt, qui cùm verecundiæ signa appareant, deteriores euadunt: velut referunt de Sylla dictatore. Tunc enim maximè sæuiebat, cùm facies rubore profundebatur, quod in eo iræ, non verecundiæ signum erat, ideóque insignis vecordiæ. Qui enim ex verecundia rubent & titubant, vt miser ille filius meus, hi optima natura præditi sunt, vt etiam Seneca testatur, & à vecordia quàm maximè absunt. Sed hoc tempore vecordia pro verecundia in pretio est. Timidi ergo ac in loquendo verecundi apti sunt & benignæ naturæ. Cæterùm vecordis signa ex natura sunt caput acutum, nasus à fronte statim incuruatus, miniméque benè dearticulatus, latus ac contractus, oculi ignei ac splendidi, palpebræ crassæ, color fuluus faciei, vox acuta, pectus & venter glabra, dorsum pilosum, crura adeò plena vt parum distare videantur, digiti pedum incurui, incessus velox & inæqualis. In fronte autem lineæ principales abruptæ, aliæ paruæ, inæquales, obliquæ, interruptæ, deformes, & maximè super sinistrum oculum.

Impudentes non adeò improbi sunt, & per genera distinguuntur. Nam aliqui sunt tales ob auaritiam & lucri cupiditatem, aliqui ob libidinem, aliqui ob stultitiam, quidam

dam ob improbitatem, quos vecordes esse diximus. Horum proprium est mutuo petere, & rebus alienis sine verecundia vti. Cùm verò docuerimus, pudorem in homine esse frænum vitiorum & iudicium probitatis: qui sine pudore sunt in omnia mala prolabuntur, quæ legibus non solent subiici: inuerecundi sunt, mendaces & petulantes, atque audaces, veraces, verecundi. Si ergo verecundus de turpi re & vera, quam vel metu vel naturæ stimulo aut alterius dolo admiserit, interrogetur, hærebit inter mendacij & confessionis turpis metum & ambiguitatem. Ex qua mora in respondendo coniectari licebit & facti turpitutidinem & mentis probitatem. Signa illius, qui sit inuerecundus, sunt, oculus apertus & splendidus, palpebræ sanguineæ & crassæ, facies rotunda, nasus parum curuus, color rubeus & flammeus, musculi scapularum eleuati, & pectus sursum tractum: figura non recta corporis, sed parùm prona, incessus velox & quasi concitatus, lineæ frontis quasi in frustula diuisæ, vultus contentus, & qui colorem non mutat.

Vanos sic deprehendes. Multa sponte falsa loquuntur, constantérque affirmat, rationémque & argumenta addunt, magnámque vim orationi adhibent, vt, quæ dicuntur, credas. Commenta fingunt, atque in hoc etiam differunt à mendacibus, quod hi mentiantur solùm vt fallant. Horum pars, quasi seriò agant, grauitatem quandam præ se ferunt, alij subrident: omnes inconstantes sunt. Non tamen omnes inconstantes vani sunt. Ad incredibilia, si non mouearis, tandem transeunt. Omnes illorum actiones atque indicia vana sunt ac leuia. Caput habent quasi angulosum, frontem magnam atque rotundam, qui ratione nituntur: alij, exiguam & strictam. Horum proprium est, circa oculum sinistrum multa habere & incondita.

Inconstantes, cùm ad te venerint, antequam sedeant, circumspiciunt cuncta & arrepto scamno nihilominus aliò oculos intendunt & sedent, & quasi proprij muneris obliti se huc illucque circumuertunt. Iidem habitu, vocis tono, votis, ambulatione, amicis, studiis perpetuò euariant. Huiusmodi hominem Horatius pulchrè describit, dicens:

Quod petiit spernit, repetit quod nuper omisit,
Æstuat & vitæ disconuenit ordine toto,
Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

Eorum proprium est manibus nunquam quiescere, nec sedili: sed si pudeat, magno labore in edem situ perstant. Ob id non semper ingrati, sed fortuitò grati. Constantes enim propriè grati sunt, quoniam beneficiorum memoriam firmam retinent. Frons parua admodum, aut magna valde atque rotunda, cùm oculis paruis valdeque mobilibus, corpus totum glabrum, aut pectore, humeris, ac ventre toto hirsuti sunt. Iidem lineas multas ac graciles inter supercilia & iuxta sinistrum oculum habent. Hos facilè deprehendes.

Curiosi, cùm sederint & cum non loquuntur, sedulò omnia circumspiciunt, oculisque magis intentis quàm inconstantes. Taciturni sunt & tuis blandiuntur, obliquas faciunt interrogationes, & ad singula responsa videntur admirari. Virgilius in quarto Æneidos Iunonem Veneris mentem explorantem inducit:

Habes tota quod mente petisti:
Ardet amans Dido, traxitque per ossa furorem.
Communem hunc ergo populum, paribusque regamus
Auspicis.

Inde anxium nimis futuri, quamvis seniorem à iuniore decipi ostendit. Sic enim Iuno rursum:

Venatum Æneas, vnaque miserrima Dido
In nemus ire parant, vbi primos crastinus ortus
Extulerit Titan, radiisque retexerit Orbem:
His ergo nigrantem commistæ grandine nimbum.
Desuper infundam.

Multa sciens prætermitto. Curiosos si quis agnoscat, facile est fallere. Scripsit de Curiositate libellum Plutarchus. Sed tam est bona curiosa diligentia, quàm fallax aut molesta curiositas improba atque odiosa. Inter animalia curiosa dici simia potest. Facies ergo parua, & oculi & quæ circa collum & scapulæ macilenta & articuli soluti: lineæ verò multæ & tenues inter supercilia. Et curiosi plerumque timidi sunt.

Fures quoque, cùm in locum quempiam venerint, cuncta circumspiciunt, sed intentius quàm inconstantes. Quæ tractant, non vt curiosi, nec adeò diu oculis lustrantur, sed & pecunias & res preciosas diligentius inspiciunt. Si etiam occasio detur, domum perambulant, atque discurrunt huc illuc. Motus habent inæquales: quandoque enim lenti & cogitabundi incedunt. Persæpe autem, cùm aliquid habent negotij, properant. Sunt etiam motus eorum leues admodum, adeò vt ex oculis fermè euanescant. Manus quoque cum corpore inter eundum mouent. Pulchris non delectantur, si pretiosa non sint. Cùm importunè tenuibus in verborum leuitate blandoque sermone conueniunt, sed operam dant ludis, conuiuiis & meretricibus. Cum pecunia numeratur intentis admodum oculis inspiciunt, sæpius tractant quæ pretiosa sunt, modo retinent, modo mutant, manus nunquam vacuas habent. Pallium pectori obtendunt: dum tractant, multa perperam nugantur, alioquin taciturni. Raro soli incedunt, & cùm habent, splendidè induuntur: generaliter autem sordidè atque tenuiter. Proprium est eorum ignotis se adiungere, vel etiam taciti, & cùm his domos incognitorum tanquam illorum socij ingrediuntur, atque sic fallunt tum dominum domus, qui amici socium existimat; tum amicum, qui familiarem domino esse putat. Adeò hoc genus hominum ingratum est, vt in prouerbio sit, Eos solere suspendere à quibus fuerint liberati. Et certè cum sub amicitiæ specie furentur, quid mirum est, quod etiam amicos toties quoties possunt, fallant? Qui natura tales sunt, oculos habent noctu lucentes, aut exiguos, albos, intus reconditos, alij valde mobiles, aures quoque valde paruas. Timidi sunt & omnia occultè agunt.

agunt. Capillos habent crispos, faciem, frontem, caput, parua & macilenta, collum gracile. Vox illis tenuis & aspera, digiti inæquales, & vngues adunci, & crura in externam partem sinuata. Figura hæc χ, & lineæ valdè obliquæ in fronte in modum arcus, & maximè super sinistrum oculum finientes è tempore in claui formam sic >—: tranuersa quoque breuis super sinistrum oculū ex frontis cornu descendens si non adsint lineæ longæ vllæ naturales, fures ostendunt: vt & super supercilia singulæ: duæque in medio breues. Frons etiam & facies pilosa, propria furum sunt indicia.

Importuna tenuitas auaritiæ species est, quæ alienis rebus se non immiscet, sed parcius, quàm deceat, sua custodit. Vnde ab impudente in hoc differt, quod ille aliena auarè tractat. Nam nullo iure eis importunè vtitur, modo mutuo, modo etiam per se quasi ioco & cùm ritu tollendo, vt audacia pro consensu vtatur. Horum ergo, qui de suo solùm parci sunt, proprium est blandis verbis vti, quasi natura supplente defectum rerum atque officiorum sermonis lenitate. Timidi sunt omnes in re pecuniaria, &, vt inquit Cicero, nihil tam augusti animi, tamque parui, quàm amare diuitias. In vestitu quoque & ornatu domus atque familia supra modum tenues: vasa trita, calcei putres & veteres etsi tersi sunt. Conuiuia non faciunt, nec quemquam ad edendum secum inuitant, minima quæque curant & proprium eorum est, diligentissimos esse. Queruli sunt, & liberalitatem, in aliis profusionem vocant, splendorem vitæ stultitiam, læti sunt in ambulando: plura licitantur & pauca emunt, aut si emant, ad abiecta & vilia se conferunt. Si quid habeant vænale, tanti vendunt, vt emptor nihil inde superlucrari possit: tum suadent vt commutet, & pretium emptori sub fœnore credunt. Nulli mutuum dant, nulli accommodant. Hiemis tempore ignis sub cineribus latet, aliis verò temporibus, ne sub illis quidem seruari vult. Si quid casu aliquo pereat, obiurgandi & increpandi nullus est finis. Calceos veteres, detritásque lacernas seruant. Si quid arcani vel exiguum habent, nemini dicunt, ac ita celant, vt si scire velis magno pretio emas. Versanturque libenter cùm similibus, nec pauperum colloquia aspernantur, modo ad rem, quantumvis exiguum, aliquid faciant. Eorum scapulæ, id est, ossa lata in acutum desinentia, quæ humerorum motu sursum deorsumque aguntur, ipsi quasi dorso annexæ sunt. Vocant has in quadrupedibus armos. Fœdus aspectus & vultus paruus, parui oculi & parua membra etiam reliqua, vox acuta & celer, color subpuniceus vel niger, facies remissa, rugosa & quasi abrasa macilenta. Crines recti ac nigri, incessus æqualis & tardus, lineæ exiles breuesque, & inuicem valde proximæ, & præcipuè in medio frontis.

Petulantes impudentes sunt, sed cùm insolita audacia. Tantò minus tamen sunt prostituti pudoris ipsis impudentibus, quantò audacia & importunitate fuerint molestiores. Et ideò etiam ipsi in ingratorum numero sunt, sed non omnino semper: quandoque enim etiam grati sunt. Voces magnas & inconditas emittunt, & parum familiares sibi: nonnunquam etiam incognitos lacessunt. Irrident omnes, maximè quos sociis inuisos esse putant, tum etiam miseros, quos nonnunquam verberant vel transuersos pede in terram agunt. Insultant infelicibus, & iudicio victos irrident, aut quas nescientes illos tanquam victores salutant. Nec vllum genus hominum est bonis tam infestum, aut quod incognitis sit adeò molestum, eosque tam impudenter appellet. Familiares se faciunt potentioribus, dum alios irrident: & miseris, vt illos infestare possint. Si quis eos de via interroget, aliam commostrant, & vbi faciem illi verterint, statim rident. In seruos & famulos nulli deteriores. Nam & labores inexhaustos iniungunt, vix quantum satis est cibi præbent. Pueros autem familiares sæpè, & etiam sine causa verberant, plerumque nudos inde cauillantur, & ad sermones quasi blandos inuitant. Tum dicunt vtilitatis suæ causa illos verberasse: nec antequam verberent, vlli asperiores; postquam verberauerint, vlli blandiores. In filios etiam molesti. Mutuum & commodatum accipiunt: sæpè etiam sibi sumunt, petere non dignati, etiàm à nolentibus. Omnia fastidiunt, vituperant, atque contemnunt. Prodigi aut auari semper, liberales nunquam. Omnia denique sibi, aliis autem nihil volunt: & omnibus sunt molestissimi, præsertim impotentibus. Morbus hic adolescentibus est familiaris. Plerique enim tales sunt, præcipuè diuites. His labium superius est quasi inuersum, & specie pulchri sunt & rubicundi, lineæ in fronte circa medium & rubræ: boni habitus sunt & facie rotunda, carnosa habentes crura, statura parui, aspectusque hilares.

Importunus est petulans & malignus: ideò quæcumque maximè displicent, agit. Luctuosos, vt C. Caligula facere solebat, ad iocos incitat, impeditos ad ludos, retinetque inuitos, ægros ad seria, fessos ad deambulationes. Ieiunos retardat, tacitos ad narrationes, solicitos de rebus seriis ad nugas hortatur. Compellit nolentes, laudat quæ oderis, & ea hortatur vt quæras, quæ non inueniuntur, quæque noueris docere vult. Dum pueri alieni verberantur, alios commemorat qui ob idem peccatum acrius verberabântur, suadetque vt magis sæuiant, è re illorum fore atque eis vtile: inde eisdem commemorat, & àn dolorem flagra intulerint, & an adhuc flagret? interrogat, & loro an virgis cædi malit? Senem de libidine, pauperem de sumptu, singulos de propriis calamitatibus ridens sciscitatur, ac moratur verbis. Quæ quis fieri nolit, ad ea agendum se ostendit paratum. Lites & rixas accendit, non sedat. Nil deterius hoc hominum genere, si nomen ipsum non declararet esse stultos, improbos, omnino inutiles & molestos. Sunt eorum signa vt illorum, quos diximus petulantes vocari: sed non sunt adeò hilares. Et oculi illorum rugosi, &, quæ circa illos præcipue, tum etiam in tota facie, pinguia. Rudes sunt & dorsi spinam quàm longissimam habent, crurum comparatione. His necesse est, vt in vita multa accidant inconuenientia atque incommoda.

Impatiens

Impatiens natura est potius, quam amici vitio. Dignoscitur autem, quod cum morari vno in loco diu cogitur, quiescere non potest, modo caput, modo manus, modo pedes mouet, raróque diu in vno loco moratur. Ab inconstanti multum differt. Inconstantia enim animi vitium est & ad actiones pertinet: impatientia, naturæ; ideóque ad corpus. Ad negotia ciuilia non est aptus, in cæteris minimè malis, nis vbi piatentia opus sit. Si exspectare cogatur, deambulat, nec eadem via, sed diuersas in partes fertur, lustrans omnia loca domus. Suspirat, gemit, æstuat, laborem quieti præponit. Impatiens dum ambulat, crura iactat. Auibus similis est natura impatiens. Hæ enim, nisi cauea constrictæ & adepto lumine non quiescunt. Etiam iracundi sunt. Impatientia propria est inter quadrupeda, cercopitecis. Quamobrem parua facie sunt tales, macilenti, pilosi, graciles, subnigrique & oculis paruis ac fuscis. Nasus in apice valdè acutus impatientiæ signum est: nam auibus talis est. Lineas breues & tenues supra oculum sinistrum habent, vel etiam in medio superciliorum. Est etiam impatientiæ genus quoddam parum à stultitia differens, de quo aliàs dicemus.

Latrones lento passu & inæquali, nec rectè adamussim incedunt. Capillo inornato, nec recto, nec crispo, sed inæquali. Oculi torui, fusci, maculis sanguineis vel aureis respersi: obliquè aspiciunt, tametsi strabi non sint. Rauca vox, hispidum pectus, color faciei fœdus, gestus inconditi, supercilia crassa & conuiuentia inuicem. Siccos habent oculos, & arctas nares, facies quasi somnolenti, crura musculosa & iuncturæ benè colligatæ. In fronte tale signum ⌒⌒ vel tale ≈ vel linea exigua super sinistrum oculum quæ ad exteriorem illius angulum tendat: vel si super eumdem duæ lineæ sic se habeant ∽∽ latronem hæc omnia declarant.

Ostentatio doli pars est, cum quæ non habes, habere te simulas, aut meliora maiorave. Factis, dictis, scriptis, silentio homines se ostentant. Inter ignotos hi liberius versantur, quia locus est fraudi: vel si inter notos de ignotis loquuntur, vt de præteritis & quæ procul sunt. Maxima ostentationis pars est, occultare omnia ab initio, ac velut repentinum se inferre. Vnde etiam irruptio militaris ostentationis pars est. Sed & verbis potius quàm factis aut scriptis se ostentant homines, quod verba leuissima sint. Tum in communibus disciplinis, vt Dialectica & Rhetorica; tum in abditis, vt Theologia, Chymia, & Necromantia magis, quàm in Medicina aut Mathematicis. Item in pompis ac sepulchrorum ornatu propriè homines se ostentant. Ostentator quasi è regione dissimulatori contrarius est: ob id etiam contrariis notis, sed non exquisitè declaratur. Rerum, in quibus se ostentat, per longas variásque ambages sermonem deducit: vbi eo peruenerit, mauult ab alio quàm à se gloriam suam actáque recitari. Si nemo id agat circumloquitur, nec vt antea è re in rem transit, sed circa idem versatur. At si nec hoc succedat, alium quempiam laudat aut in re eadem aut consimili, vt homines ad huiusmodi sermones trahat. Hortatur etiam socios vt clam de se loquantur, non quod huius iactantiæ cupidum se ostendat, sed quoniam id vtile sibi futurum contendit. Quidam eo amentiæ ob impatientiam perueniunt, vt si quis alium in huiusmodi negotio laudet, se ipsos suppresso nomine, vel sub amici persona extollant ac præferant. Ἀλαζόνας Græci vocant hos homines. Leopardis atque pauonibus vitium est peculiare. Hi omnes vanitatis suæ testimonium aliquod vel in vestibus vel ornatu referunt.

Si quempiam agnoscere velis, an ostentator sit? amicum illius lauda, non torquetur vt liuidus, sed æstuat donec ad sui mentionem transieris. Non enim irridet aut minuit alterius existimationem vt inuidus. Habet etiam in ornatu inæqualitatem: quoniam dum nimis studet in eo, in quo sibi placet, reliqua omittere cogitur, aut non pari studio colere. Idem si canat, pulset, recitet, oculos circumuertit, spectátque astentes, an in ipsum omnes intenti sint? Vbi absoluerit, socio se vni vel alteri præfert, etiam si nunquam alias eum viderit. Laudat etiam vnum vt aliis honestius se anteponat. Quin etiam palam laudat clariorem è sociis, vt ab illo vicissim laudetur. Si talionem ille non reddat, tacitè irascitur, & persæpè abit, ac clam illum accusat. Ostentatorem in certaminibus musicis Neronem fuisse Historici omnes referunt. Qui verò etiam, præter ostentationem, se laudat, iactator est. Sunt his oculi parui, albi concaui, frons longa, aures rotundæ, collum & dorsum longum, pectus expers laterum, coxæ & femora carnosa, soluti & laxi articuli. Os magnum habent, sunt infidi ac leues. In fronte lineæ super oculos magis, quàm in medio sunt.

Ambitiosi facilioris cognitionis sunt inuidis: quoniam in excessu peccant. Hi ergo vestibus ornati & compti, famulos & equos omnia iuxta eandem rationem habent, vt ostentatores. Salutant potentiores, & clam etiam ac soli æquales. Simulant persæpè humanitatem. Vnde etiam plebeios non dedignantur ante salutare, sed cum irrisione quadam: quoniam indignantur non esse salutatos prius ab illis. In cœtibus hominum rarò resalutant inferiores, vix annuunt. Sed neque medium seruant: aut enim quasi negligunt, aut nimis officiosè resalutant, velut nihil possint de sua existimatione minuere. Hoc enim faciunt & principes. Iidem familiariter tecum agere se profitentur: in locis tamen publicis primum locum, si permittatur, etiam præter rationem retinent. Si quis eundem ipsis eripiat, aut non curare se ostendunt aut paulo post abeunt. Nec musica, nec iocis, nec saltationibus delectantur, nisi in domo sua hæc agantur. Tristem vultum præ se ferunt, tacitique manent donec occasio illis detur, omni studio ad venustatem se componunt. Cum seruis coram aliis non litigant, nec illos nisi leuiter arguunt. Suos suáque omnia mira industria efferunt. Cum occasio loquendi datur, nunquam finem faciunt: quia vti sibi ipsis placent ita aliis placere se existimant. Submissa voce loquuntur, cum nemo contradicit si quis contradicit, ita irascuntur, ita pugnant:

vt dixeris de capitis periculo illos contendere. Vbi paululum se ab audientibus obseruari animaduertunt, tunc tanquam dij ab omni ambitionis suspicione immunes se præstant, adeò vt eos, qui eo vitio vacant, humanitate vincere videantur. Sibi ipsis aures, dum loquuntur, præbent ac placent admodum: & si quis vel screet, nedum interrumpat, ægerrimè ferunt, & nonnunquam irascuntur. Veridici sunt, si deprehendi possunt & apud æquales: cæterùm multa mentiuntur. Magis tamen rei speciem & quantitatem mutant, quàm ipsam rem. De rebus maximis, quæ illis præter spem acciderunt, de congressu ac sua familiaritate, vt & de casibus, in quibus fortuna studio euicta succubuit, libenter loquuntur. Circa æquales æmuli sunt, etsi ferè semper de illis memores decoris & cum existimatione loquantur. In specialibus contradicunt, oppugnant, irrident, & partes illis relinquunt minus opimas: in his autem se illis apertè præferunt. Aut si nimis illæ coniunctæ sint, partim cedunt, partim se supra extollunt. Diligenter autem animaduertunt, cum quibus loquantur priuatim, publicè, in negotio, extra negotium; cum amicis propriis vel alterius vel communibus. Quem soli euertere posse desperant, maxima pernicie vrbium multos sibi adiungentes euertunt. Popularem auram aduersus omnia sacræ Philosophiæ præcepta maximè obseruant & captant. Omnes ambitiosi, iracundi sunt aut apertè aut tacitè. Quoniam multa illis euenire necesse est, propter quæ irascantur, quoniam plura exigunt quàm mercantur. Nam si non id agerent, magnanimi potius essent, quàm ambitiosi. Ambitiosi maximè sunt ignobiles, cum à fortuna ad splendidum statum euehuntur: imperiti, cum plebem deceperint: improbi, cum sanctitatis nomen falsò occupauerint. Ob id hæc tria genera ambitiosorum pessima sunt, & genus contrarium maximè oderunt scilicet nobiles, sapientes & probos. Ab his enim timent, ne fucus detegatur: ob hoc etiam illos odio vsque ad internetionem prosequuntur. Vnde vitium hoc, cum sit in excessu, vt dictum est, & à falsitate originem ducat, pessimum est & exitiale. Crudeles admodum sunt ambitiosi, nihilque horum pensi habent, in quo existimationis suæ periculum agatur. Dæmones ambitione supra alia vitia laborare dicunt Theologi nostri. Non emendantur vitia in ambitioso, quia, vt aliàs diximus, quæ emendantur à meliore in melius commutantur: at ambitiosus vix Deum, certè nihil aliud seipso melius esse putat. Aliquando ambitiosus hic gratus est, vt probitatis nomen retineat, non virtutis gratia. Maximum ambitiosi crimen est, cum irascitur, cum contendit. Tunc enim à nemine vinci se patitur, nec iuri succumbere vult. Indignabundus præterea est ambitiosus, & cum humilioribus versatur libentius, quàm cum æqualibus: quia illi cedunt humiles, æquales nonnunquam cedere recusant. Si plures sint æquales atque inter hos ambitiosi aliqui, statim hi inter se conueniunt: quoniam alios inferiores esse putant, & malunt similibus iungi quàm inferioribus. Placari solent obsequiis cum humanitate coniunctis, illud Virgilianum iactantes:

Parcere subiectis & debellare superbos.

Quamquam hoc verbo potius, quàm re præstare soleant.

Est & ambitionis aliud genus, laudis non expers, quod & ad virtutem nos capessendam excitat, & ea adepta voluptatem capit. Esse verò hoc aliquando laudabile, ostendit illius contrarium, quod semper vituperatione dignum est, scil. vecordia, de qua dictum est, esse sorditiem animi quandam & abiectionem. Ob id rectè inquit Aristoteles, huiusmodi ambitionem esse laudabilem, quoniam homo plus aliis honorum est appetens: sed & vituperationem dignam, quia non solum plus aliis hominibus honores appetat, sed etiam plus iusto: hoc autem non conuenit. Consistit autem ambitio in honore & amore, atque his, quæ ex duobus his consequuntur. Cum enim ambitiosus amari atque honorari se cupiat ac credat: ob hæc etiam magistratibus atque dignitatibus ornari plus aliis se dignum censet. Ergo vt amorem retineat & existimationem, compositus comisque ac blandus, si prudens sit, ambitiosus erit. Præ se tamen omnes alios ambitiosus despicit: tum quod plurimum à se distare quemuis alium putet: tum quod, si ille humilis fortuna sit & miser, per se despiciatur; si non sit huiusmodi, inuidet illi ambitiosus. Ambitiosi enim, vt diximus, inuidi sunt. Ambulant ergo ambitiosi longis passibus, quia lentis: lentis autem, vt decorem seruent ac venustatem: venustas enim & decor in æqualitate consistit, æqualitas autem in celeritate seruari non potest. Præterea in celeritate multa solent contingere inconuenientia, lapsus, casus, cespitatio. Ostendit etiam celeritas illa motus, animi leuitatem, siquidem corpus animi imperio mouetur. Qui etiam nos comitantur, aut irrident aut quæruntur, si quis cogat eos iusto celerius ambulare ac sequi. Cum verò maximum malorum sit ambitio, vt cuius causa vel auaritia aguntur omnia iniusta, vbique, vt refert Aristoteles, vitandus est admodum ambitiosus, maximè si non ob virtutem talis sit.

Sunt ergo ambitiosorum tria genera: dolosum, quod pessimum est: virtute præditum, quod optimum est, & minimè aspernandum: quandoquidem humana natura vix sine vitio esse potest. Esse enim absque vitio vllo, proprium est deorum. Denique medium, quod ob relictas opes & maiorum gloriam se iactat: quod tanto inferius est secundo genere, quanto primo melius, nobilius ac tractabilius. Neque verò omnis de se existimatio, magni animi est. Ambitiosissimus mortalium, sed sine reprehēsione, Alexāder Magnus fuit: quoniam & virtute parem se affectui gessit. Sed familiare hoc vitium viris in armis ac sapientia præclaris, adeò vt Aristotelem referant pœnituisse inscriptionis Rhetoricæ ad Theodectem. Videtur ergo non tam ambitio mala esse, vt dixi, quàm ambitionis genus. Stulta verò, vt Lucani stulta & impia, vt Erostrati, Pausaniæ, Olgiati. Ergo præstiterit vel nullam vel modicam agnoscere ambitionem. Leo & Aquilia inter animalia ambitiosissima sunt.

sunt. Sed aues ob distantiam naturæ ad hominum formam redigere velle, nimis arduum est. Leo propius accedit. Huius enim instar caput habent & thoracem amplum, vt & os, faciem quadratam non valde osseam, superiorem mandibulam non valde eminentem, nasum crassiusculum, oculos concauos & charopos, supercilia magna, frontem quadratam, & cauam in medio, collum firmum, crura, graciliora, & neruosa, in ambulando spatulas mobiles, in fronte lineas naturales pulchras. Atque hæc de his, qui virtutis studio ambitiosi sunt. In reliquis eadem fermè, sed abest virtus & eruditio & probitas. Nam ambitio per se hoc malum est; sed pro natura eorum, quibus iungitur, velut & ira & reliquæ immoderantiæ, nomen boni vel mali accipiunt.

Ira enim aliqua vtilis est & laudabilis, cuiusmodi & indignatio. Discernuntur autem iracundi opere ipso facilè, si sæpè, si acriter, si ex leui causa irascantur, si diu iracundiam retineant. Acriter irascuntur, quicumque rationem audire nolunt, & multa contumeliosè agunt ac dicunt. Parumque differunt ab ebriis ac stultis. Vnde rectè Aristoteles iram definiuit furorem breuem. Motus hi habent omnes celeres. Qui iram seruant, non tamen facilè irascuntur, ad prudentiam & animi magnitudinem magis referuntur. De huiusmodi hominibus inquit Aristoteles, Rectus corpore, figura benè latus, animosus, subrufus, scapulæ distantes magnæ & latæ, extremáque magna & fortia, barbatus probe, capillorum ambitus floribus & deorsum tendens: quibus nos adiicimus, pectus hispidum, & rubeum valdè, venæ latæ, color nigricans si adfuerit, & paruitas corporis & macilentia: eiusmodi dispositio iracundos, crudeles, ambitiosos, & auarissimos significat, & maximè si capilli etiam nigri fuerint & crispi. Nigram fuge iram. Aristotelis ergo signa sunt facilis iræ, non sæuæ: quæ nos adiicimus, improbæ & pertinacis ac perniciosæ. Facilè etiam ex relatione faciei ad affectum, affectus naturam intelligimus. Nam quibus sæpè mutatur color, omnes necessariò timidi sunt aut iracundi. Quibus tremit labium inferius, aut qui blæsi sunt, omnes iracundi sunt: vt & qui varium habent colorem, ruborémque quasi candidis maculis permixtum, & qui in eundo præcipites quasi sunt. Lineæ velut sagittæ in frontis medio & super dextrum oculum: nares quoque hiantes & statura magna cum habitu macilento, & colore flammeo & oculi rubicundi, & venæ in collo tumidæ & manifestæ, & vox à graui incipiens & in acutum desinens, vel si acutam & vehementem habeant vocem, sit nasus valdè acutus, iracundiæ signa sunt. Et quibus vox facilè tremit, timidus est aut iracundus. Et generaliter tremor qualicumque alterius duorum affectuum signum est.

Stupidorum notæ sunt obliuio, paruíque affectus in omnibus rebus, ira leuis, non diuturna, absonæ opiniones, cum mulieribus vel pueris libenter versari, facilè decipi, facilè credere, miranda narrare, vix vnquam ad prudentiam peruenire. Sub his enim fatuos comprehendimus. Nam stultitiæ prima germina referunt, sed non absolutæ. Vt aliena curent, propriorum negotiorum obliuiscuntur. Ineptorum signa hic conueniunt, sed fatui facilè decipiuntur & garruli sunt, & præter propositum multa nugantur. Risu imprimis dignoscuntur fatui. Est enim & risus ipse fatuus, & ex causis absurdis, atque præter propositum inuictum malum. Si quid prodest, est diuturna exercitatio atque laboriosa, & cum prudentibus consuetudo, & silentium Pythagoræ, quod horum causa præcipuè indictum puto. Labium vtrumque crassum hi habent, & superius inferiori prominens: ad asinos enim referuntur.

Morosus salutatus non resalutat, quacumque ex re tædio afficitur, pretium rerum venalium, quas habet, non exponit, facilè irascitur, etiamsi nolentem te vel minimum offendisse illum intelligat: adeò vt lapidibus etiam, in quos imprudens inciderit. Molestissimè fert, imò non fert vt quemquam exspectet. Indignabundus est, nec cantu nec saltatione oblectatur: superbus etiam. Estque morbus hic animi ex genere occultæ & tristis ambitionis. Solis enim suis delectatur moribus, morosus: omnium aliorum autem fastidit. Declarat autem Aristoteles Hippodami Euryphontis exemplo in secundo de Republ. aliquos gloriæ studio esse morosos. Dum enim cupiunt gloriam atque affectant, multa seorsum comminiscuntur. Vnde ille cum pauper esset, nec in administrationem Reipubl. electus multis modis, vt se illustrem faceret, quæsiuit. Nutriebat capillos Nazarenorum more apud Iudæos in longitudinem immensam, ornabátque se mirum in modum. Cumque pauper esset & vilibus vestibus vti cogeretur, plenas & sartas gestabat non solum hieme, sed etiam æstate, atque in omnium etiam oculis & admiratione. Cumque non esset ex his, qui Rempubl. administrarent, de ea tamen & non vulgaria scripsit præcepta. Eos ergo qui peculiari more habitant, se vestiunt, huiusmodíque faciunt, morosos esse intelligimus, quod aliorum mores improbent. Non enim peculiarem elegissent, si alienos prius non improbassent. Res ergo vna peculiaribus moribus, vti finis multiplex, vtpote gloriæ studium, aut insania, aut natura quædam peculiaris. Cum ergo aliquem alienum moribus, sermone aut vestitu, aut actionibus à communi consuetudine videris, scito illum sibi viuere atque alios fastidire. Inter morosos ex egregiis viris C. Iulium Cæsarem numerabimus, quod pilos velut mulieres vellere sustineret: adeo formæ magna cura illi fuit.

Qui etiam in sermone sibi nimium dum placent, morologi appellantur. Cuiusmodi sunt senes amantes & in luctu positi. Ob vehementem enim affectum neque quæ aliis prosint, quæve delectant illos audire, sed ea, in quæ rapiuntur ab affectu, enarrant. Sunt morosi plures haud morologi, in quibus primus Comes, vir insignis, & amicus noster, Hebræa, Græca atque Latina lingua eruditus, & non parum in Sacris literis, probitatis præterea insignis: atque hic affectu, tum vestitu morosus. Est & in his Leo Vglonus Musicus magisterque meus & ipse vir probus ac præstans, & octuagenario iam nunc longè maior: hic

hic chlamidem viridem, rem certè omnibus insuetam gestabat. Quibus ergo oculi rugosi sunt & facies quasi somnolenta, hæc ambo autem pinguia, hi morosi sunt. Et si lineæ in superiore parte frontis firmæ cernantur.

Inertes lento passu ambulant, nihil curant, tardè loquuntur, semper impliciti sunt multis negotiis, quia à nullo se explicant. Propterea à contrariis affectibus inertia nimia & nimia solicitudine idem prouenit, curarum scilicet atque multitudo negotiorum. Otio dediti sunt, nec affectibus multum mouentur. Lenti in edendo, vestibus obsoletis ac sordidis, nisi in aliorum cura sint. In quibusdam verò nimis solicitis atque laboriosis ob necessitatem assimilantur. Occasionem omnem quærunt, vt nihil agant, ob id faciles ac cuiusque preces & sermones, nullis tamen operam præstant. Facies illis & frons magna est, sed frons etiam rotunda, oculorum superiores palpebræ deciduæ, melleus color, statura procera, pinguis, candidus color per vniuersum corpus lineæ in fronte nullæ, aut paucæ exilésque aut admodum profundæ in superiore parte.

Voraces, qui quandoque ad ingratos referri solent omnes longius spatium habent ab ensiformi furcula ad vmbilicum quàm ab eadem ad iugulum. De cibis ac conuiuiis libenter loquuntur & serunt verba, vt adhæreant locupletibus. Parasitarum mores apud comicos descriptos habes, familiariter omnium amicitiæ se insinuant, officiosi sunt, & maximè in rebus leuioribus: horis prandij ac cœnæ maximè tibi adhærent. Nullum verò est maius aut certius signum, quam quod contumelias domesticorum & iurgia tua facilè ferunt. Faciem habent pinguem, & stupidi sunt ob consuetudinem immodicæ repletionis. Qui verò ebriosi sunt, oculos rubentes habent & tumidos, tumidásque palpebras & totam faciem, sed obscurius rubentem. Cum audiunt vinum commemorari, exhilaratur eorum aspectus. Lineæ supra supercilia in medio parum coloratæ, nec secundum naturam prorsus, sed transuersim sitæ sunt.

Timidi licet hic non sint admodum necessarij: præstat tamen scire naturam hominum etiam ob vtilitatem. Nam si in timidum contuleris beneficia, vbi opus fuerit vltione aut defensione ab inimicorum iniuria, hic prorsus inutilis tibi erit, tametsi minimè malus. Timido pili sunt molles, corpus non rectum sed inclinatum, quæ sunt sub vmbilico sursum tracta: extrema corporis & crura imbecilla & parua, similiter & lumbi, manus tamen longæ sunt, sed graciles. In motibus vehemens est, sed supinus & quasi incertus. Color pallidus ac quasi turbatus & oculi imbecilles & mobiles, cum affectus ipse sit mobilis & solicitus, signum est etiam timidæ naturæ. Candidus etiam purus ac niger, frons quoque quasi cornuta, & crura valde longa velut ceruis, timidum indicant. Rugosa etiam facies atque quæ circa oculos macilenta, oculúsque ipse velut plorantis, humidus & remissus, fœmineam pauidámque naturam ostendunt. In his facilè color mutatur: eundo huc illucque circumspiciunt, retróque. Quærunt omnia & interrogant quæ ad ipsos, non quæ ad alios pertinent, in quo à curiosis differunt: hi alienorum enim facta requirunt. Præterea tremor, vt dixi, vbicumque sit, timori aut iræ signum est. Nuda frons à lineis, vel etiam longæ si sint & super sinistrum oculum, pauidum declarant.

Irrisores differunt à petulantibus, quod molesti non sint cuiquam: ex genere enim sunt ambitiosorum. A morosis differunt, quoniam nec habent mores peculiares, nec consuetudines. Omnia, etiam minima, obseruant suntque maledici. Differunt à dissimulatoribus, quoniam non, vt illi, palam inuident, sed cum aliquis è sociis discedit, tum tacitè illum sugillant. Prudentiam & moderationem maximam præ se fert irrisor, comtúsque est ac ornatus fugiens excessum, quod nolit, quod in aliis reprehendit, sibi obiici. Seipsum mirum in modum audit, nec nisi cum paucis ac delectis ambulat. Frontem faciémque paruam & minus decoram habet, & inter supercilia lineas nec inæquales, nec deformes.

Libidinosi multipliciter dicuntur: alij molles, alij effrenes & immodici, alij fœdi, alij audaces, vt adulteri. Communia omnibus lasciuia est, & sermo & aspectus blandus. Propria, effrenis libido, corpus pilosum atque maximè femora habere: tales enim sunt aues. Capilli his sunt recti, crassi, nigri, tempora pilosa, color ex rubeo candidus. Mollitiei autem, vox fœminea, gracilis & rupta ac inæqualis crura collidentia, suræ crassiores, color albus, cum maculis lentibus similibus, aspectus blandus, mollis, constans, rotula genu plana, inclinatus ad dextram in ambulando incessus, ornatus plusquam ad virilem decorem necessarius: motus manuum supini & dissoluti, & in eundo inæqualitas & flexio genuum. L, litera inter supercilia vel ♄ super sinistrum oculum, vel in frontis latere sinistro ♌ aut ⌒ ☽ super sinistrum oculum: vel si recta super eumdem ad tempus desinat, supérque ipsum linea exigua recta pendeat & 7. super dextrum, recta autem inter supercilia: vel si inter supercilia ♃ hoc modo apparuerit, vel etiam eodem loco crux. Et generaliter in pueris & adolescentibus impudicus aspectus, dissoluti mores, pudor profligatur, nimia familiaritas cum incognitis, petere mutuo, dono ac similia.

Eadem verò signa & mores impudentiæ, lasciuiæ atque audaciæ declarant adulteros, si cum robore & firmitate corporis fuerint, & temperatura calidiore. Et generaliter multum in venerem potentes & audaces, oculo lasciuo omnes sunt adulteri. Oculi lasciui, vt dixi, sunt quales infantibus, dum poma vel alia quæ illis placeant petunt, scilicet sudi, hilares, splendidi, intenti. Facilè ridet adulter & blandus admodum est, & in publico comptus, ac modestus & ornatus, sed priuatim intemperans. Dignoscitur autem adulter maximè quod mulieres formosas oculis emissitiis, tametsi non constantibus, ob præsentes, inspicit. Turpi autem & fœdo concubitus generi addictus, seu pedico seu irrumator seu phœnicissa, aut spintria aut mastuprator vel fallator. Vestigia etiam habet fœda in fronte, & næuos in summitate nasi, &

in

in inferiore palpebra sinistri oculi: peculiariter autem in frontis dextra parte summo hoc signum.

Lusores sunt inquit Aristoteles, quicumque breuiorem cubitum habent, & qui duas lineas inter supercilia paruas & ad sinistram inclinatas. Magna quoque crux inter eadem, peculiare lusorum signum est. Et generaliter quæ à medio frontis ad sinistrum oculum signa describuntur. Tales sunt blandi verbis, ociosi, obtrectatores, nefarij atque infames, & qui diuorum sacrilegas exercitationes in ore habent. Cogitabundi etiam multum & valdè inæquales, in vestitu modo ornati nimis, modo pannosi, & in vultu modo tristes, modo læti, vt alea ceciderit. De lusu etiam licenter loquuntur, & alios loquentes pariter placidè & attentè audiunt.

Hypocritæ è pessimo genere sunt. Eos Christus damnauit, Cicero digito commonstrauit (non enim facilè hoc nomen alio Latino nomine commutaueris,) dicens: Totius autem iniustitiæ nulla capitalior est, quàm eorum qui tum, cum maximè fallunt, id tamen agunt, vt viri boni esse videantur. In his plerúmque omnia insunt mala, cum sit heroica virtus cacodæmonum. Sunt enim ambitiosi, dissimulatores, sæui, iracundi, libidinosi etiam & auari, & generaliter improbi, iniusti atque impij. Itaque cum tot vitiis occulti esse non possunt, præsertim cum irascuntur, tunc enim germina plantarum prodeunt, oportet illos ad iram repente prouocare, vt abscondita flagitia prodeant. Nam prouocatio ad iram hæc est vna via ad omnia scelera, quæ in excessu consistunt, detegenda. Videbis autem excandescere & inflari vt percussas rubetas, quæ, vt ait Virgilius.

Mille trahunt varios aduerso sole colores.

Videbis per iram exprimi illis in vultu infandam mentis diritatem, ambitionem, odium intractabile, voces tyrannicas, profundámque & tandiu inuito animo tectam auaritiam. Vt enim coërcita aggeribus flumina cum eruperint, maiores solito aquas effundunt: ita compressa simulatæ pietatis improbitas, cum subitò eruperit, inauditam nequitiam detegit, præcipuè cum adeò exarcerint, vt personæ, quàm expresserant, obliuiscantur. Probus autem vir, etsi excandescat, solum verba habet, quæ effundat. Ergo cum quempiam ex his qui se humiles, pios, probos, integros, continentes, constantes, iustos, benignos, quietos simulant, facilem ad iram & tumultum videris; aut alia suadentem, quàm quæ conueniant professioni; aut alia facientem, alia laudantem, dubitare non potes ex illorum genere esse, quos nuper diximus. Calui, & oculis siccis, & cum maculis splendidis & strabi, & quicumque bonitatis aut humilitatis, aut humanitatis & comitatis, pietatísque modum excedere videntur, & qui affectant vt boni iudicentur, omnes hoc vno crimine detinentur. Et iam qui exigua peccata plus iusto increpant, & occultè omnia agunt, & superstitiosi sunt, ad idem genus referuntur. Hodie tanta est horum copia, vt non iuuet esse improbum aut fœlicem, nisi pessimus & optimus videaris. Ex his tamen macilenti, nigri, obliqua ceruice, reconditis oculis, & quos, si paululum vexes, videas toruum intuentes, pessimi sunt & viperina ira. Viperi: nam iram appello non solum virulentam & exitialem, sed quæ ad mortem vsque animum accendit. Cuiusmodi expertus sum in vipera, quam olim mediam dissecueram. Lineæ frontis obliquæ, diuisæ, fœdæ, supercilia in vnum coëuntia, & inflexa ac quasi inuicem contorta & crassa.

Stultitiæ signa non solum præsentis, sed etiam futuræ cognoscere præstat. Ad præsentem indicandam hæc tria sunt satis: omne immoderatum, omne insuetum, omne importunum. Futuræ autem talia erunt. Pectus non ante, sed à lateribus prominens, claues ad iugulum positæ, tum reliqui articuli conclusi ac quasi immobiles, imberbes etiam, ætate iam prouecta, oculi tumidi & prolabentes, vinosique coloris, aures magnæ & auulsæ à capite, supercilia in medio inuicem distantia & ad tempora multum procedentia versus aures, venter prominens, & totus habitus pinguis & candidus, aut macilentus & niger valdè, collum breue, crassum, frons rotunda, facies magna admodum, extrema quasi imperfecta, aspectus versatilis: immodica rerum cupiditas & studium, ira & tristitia, aut metus absque causa manifesta, diuturna vigilia, spes inanis.

Improbitatis verò proprium est, obesse cum possit, vt stulti, aberrare in actionibus. Duo autem sunt improbitatis genera: quod occultè, & quod apertè nocet. Quod occultè obest, ab inuido parum differt: nisi quod inuidus solum cognitis nocet, nec miseris: improbus omnibus nocet. Miseris etiam longè libentius, quod ab his non metuat. Cum ergo improbi & malè faciant, quando possunt, & bonis præcipuè, quod hos natura maximè oderint & miseris quod facilè, lætentúrque de malis alienis omnium, palam est, improbos non diu, qui sint, latere posse. Sed cur tamen quidam latent? Quoniam naturæ repugnantes, & vt sibi ipsis prosint, aliquibus benefaciunt. Nam improbus nemini benefacit dum proprios sequitur affectus. Amicos sibi similes habent, nisi adhuc virus illorum lateat. A domesticis odio habentur, nec coniunctorum quisquam ab eo beneficium sincere recipit. Sed si quid recipiunt, odiosè erga illos se habent. Scorta ament immodicè, quia nullum alium amant, & quia improbi sunt, & tamen etiam hoc in amore sunt inconstantes. Exemplum improbitatis ipsius in Caligula Imperatore habes, quem nescias fueritne verbis truculentior, an factis immanior? Occultè ante imperium, adepto imperio manifestè improbus. Destinauerat autem in vtroque genere mali grassari tum ferro apertè, tum veneno occultè, si superuixisset. Alterum naturæ portentum fuit Claudius Imperator, qui Tiburi nocentibus ad palam deligatis, cum deesset carnifex, à mane vsque ad vesperam, vt spectaculo sæuo potiretur, illum expectare sustinuit. Ergo palam est, eum fuisse improbum natura, at disciplina aliquantisper emendatum. Sunt ergo improbi planè insani magis, quàm sunt stulti. Horum enim vtrumque insanum fuisse apertè constat. Nec est, vt causas referam, cum planè possent

vinciri,

vinciri, nisi cohortes militum obstitissent. Est ergo improbitas nihil aliud, quàm maligna stultitia, quæ eò non progreditur, vt perfectæ insaniæ signa proferat, quoniam paululum mentem dirigunt, scilicet ad malignitatem ac nequitiam. Tametsi ergo non vestiantur morionum more, altáque voce & incondita in loquendo vtantur, nec inter eundum tam præcipiti gressu incedant atque celeri, brachia iactantes: nihilo secius insani admodum sunt, atque insaniæ deteriore genere. Ex hoc genere sunt quos diximus perfidos appellari. Sed non omnes perfidi, improbi tamen sunt, nec vicissim. Fiunt enim perfidi ob vehementes affectus, vt in iusta ira, amore exsuperante, necessitate rerum vrgente, atque aliis huiusmodi, etiam citra improbitatem. Sunt etiam improbi, haud perfidi, ob gloriæ studium. Verum vt Respublica fidis, probis, gratísque ac sapientibus constat: ita à contrariis horum turbatur, miscetur, debilitatúrque, & tandem, nisi quis opportunè occurrat, euertitur. Est etiam improborum proprium, cum quid ex sententia immane, prætextu iustitiæ, fecerint, id sæpius ac libenter commemorant, quasi lingua maleficium lingentes, vt capræ sale gustato & equi tincto melle. Quoniam verò perfidiæ crimen nullo velamine tegi potest, improbitas nonnunquam: qui pudorem prostituerit seu corpore, dum pueri erant, seu concedendo filias, sorores, vxorem, dum viri sunt, his stultum est fidere: omnes enim existimationem & famam negligunt. Et similiter, qui insani sunt, nullis debent præponi negotiis, quoniam ad improbitatem sola nequitia deest, quæ pluribus irritatur modis, ira, inuidia, ambitione, auaritia atque huiusmodi.

Incertæ autem sunt notæ vitiorum quandoque ob id, quod homines, quantum possunt, eas supprimunt: nonnunquam cum contrariæ sunt duorum vitiorum, & homo vtroque laborat. Vt iracundi, celeres & varij sunt in ambulando: ambitiosi autem lenti atque compositi. Si qui sint & ambitiosi & iracundi, incessum habebunt moderatum & mediocrem, sed tamen plerúmque potius mixtum & varium. Nec ex ipsa operatione licebit vno oculi intuitu hominis mores dignoscere: quoniam auari in conuiuiis alios superare solent, credo ad eluendam auaritiæ opinionem de aliis rebus atque negotiis. Tum etiam, quia timent in ipso vitio deprehendi, ideò malunt excedere quàm deficere: tum quia certiora habent lucra, quibus recuperare, quod effunditur, possint, plusque iam repositarum in arca pecuniarum.

In vniuersum igitur, tametsi semel quandoque sufficiat, tamen vt animaduertas hominis alicuius mores, melius fuerit sæpè illos repetere atque considerare. Nec solum ex rebus qualitatem animi dignosces, sed plus proderit ipse modus. Velut si auarus celebret conuiuium, tametsi splendidè celebret, nimiam in illo curiositatem introspicies, diligentiam in pretiis, custodiam in vasis, conseruationem in his quæ supersunt: quæ in liberali deprehendere non poteris, tametsi non adeò sumptum grandem is fecerit. Sic nos vt in liberos essemus liberaliores, in vestitu & domus ornatu fuimus parciores. Sic quidam in re literaria ambitiosiores, in cæteris sunt humanissimi. Quidam perfidis & ingratis maximè irascuntur, secus verò sunt mitissimi.

Ergo ex tot vitiis ingratos, perfidos, stultos & improbos maximè spectare oportet. Et affectus etiam exsuperantes, per quos in hæc flagitia deueniunt homines. Dicebat Seneca & rectè: Non minus respicere oportet cum quo viuas, quàm quod edas. Nam solitariè viuere leonum est potius ac luporum, quàm hominum. Sed non tamen necessarium est id ob conuictum, quod liceat etiam nostra ætate, quæ, vt video, multo deterior est, homini quadrasua solitariè & honestius viuere: quam quod vitæ socios habere oporteat & communes amicos atque ab huiusmodi grauibus vitiis immunes, quos idcirco cognoscere præstiterit. At verò, ad dignoscendam, vt dixi, hominis naturam, vnicum in perfidia sufficiet exemplum: in cæteris vitiis, aut plura exempla, aut naturæ signa sunt necessaria. Nam etsi homo aberret semel aut bis, non tam insanus erit quàm stultus. At stultos omnes reiicere, superuacuum est: quandoquidem stulti omnes simus.

Ergo improbitatis signum est, læua pro dextra vti, quoniam & id à natura est alienum. Et qui distortis sunt oculis, aut naso aut dorso aut crure. Obliquitas enim membrorum improbitatem & malignitatem ostendit, materia diuinæ potentiæ reluctante. Caput etiam paruum, angustum, rigidi capilli, oculi sicci, tenebrosi, parui, intenti, tumidi, genæ longæ & angustæ, mentum oblongum, venter prominens, manus ac pedes duri, crassi, color pallidus ac subuiridis: & quæcumque in oculis immodica sunt aut monstrosa. Et lineæ tanquam frustra funiculorum in fronte, vel multæ abruptæ dissimiles, inordinatæ, inconcinnæ, semper improbitatem declarant, quemadmodum & illa, quæ ad vnumquodque scelus superius ex Metoposcopia conscripta sunt signa.

Cæterùm cum signa ex compositione ac notis & lineis in fronte singulorum vitiorum descripserimus, reliquum est, vt eadem per causas à temperamento sumptas doceamus & quomodo vnumquodque ex propria mixtione exoriatur, Pituitosi enim inertes sunt: biliosi, iracundi & sæui: sanguinei, petulantes: melancholici, stulti & inuidi. Quibus etiam calidum sicco aut humido duplum est, hi optimi sunt: si autem triplum aut quadruplum, boni quoque & ad virtutem referuntur: vt in calido & sicco ad animi magnitudinem, fortitudinem, fidem, vt in canibus videmus. In frigido aut duplo aut triplo siccitatem continentem, patientem, stabilémque describimus. Si ergo calidum sit vt duodecim, humidum vt quinque excedet sanè duplam rationem; sin autem vt septem, ab illa deficiet: in excessu ergo petulantiam, in defectu ignauiam collocabimus. Sic in frigidi ad siccum excessu, pertinaciam, & rusticos mores; in defectu autem, inuidiam.

Considerabimus & principalium membrorum vim: nam appetitus & ira etiam iecur principium est. Ob id qui calido sunt & sicco iecore, sunt iracundi: qui magnum habent iecur, comedenes atque bibones. In corde autem fortitudinis,

fortitudinis, promptitudinis, iræ, sæuitiæ, lætitiæ, tristitiæ principium est, vt etiam liberalitatis. Liberalitas enim pars est quædam animositatis: At esse prudentem, beneficum, gratum, memorem, ingeniosum aut rusticis moribus & inuidum, cerebri munia sunt. Cum verò proportio à sensu remota fuerit, exquisitè tamen integra, vt duodecupla, erunt virtutes absque vitiis puræ & nitidæ, sed occultæ quasi & minus euidentes, vt qui nec auari nec prodigi nec liberales nec crudeles aut pij aut misericordes sunt, sed quasi de huiusmodi rebus haud cogitantes. Magnitudinem ergo affectus declarat potentia qualitatum: magnitudinem autem vitij vel virtutis proportio notissima, vt æqualitatis aut dupla: puritatem autem virtutis aut vitium merum, proportio exquisita aut distantia maxima ab illa. In calidis ergo ac vehementibus naturis apparent vitiorum & virtutum affectus clari magnique: in moderatis autem, stabiles ac sinceri, seu virtutis seu vitiorum. Naturæ verò virtutum ac vitiorum ex natura principij & qualitatibus, quæ superant, determinatur.

Velut calor efficit in corde velocem, fortem, promptum, in cerebro autem, perspicacem, ingeniosum, memorem, beneficum. In vniuersum ergo virtutes ac vitia terminabuntur principiis, qualitatum genere, magnitudine, proportione nota aut ignota, magnitudine proportionis, & comparatione vnius principij ad alterum. Hæc autem non solùm ex his, quæ ab Aristotele ac Galeno dicta sunt manifesta esse videntur, sed & ex experientia & ratione ipsa: quoniam singularum rerum suæ causæ sunt, & generalium generales, & specialium speciales. Velut si calidum humido iunctum in corde primum, inde in cerebro causa est prodigalitatis, auaritiæ, & liberalitatis circa pecunias: necesse est, velut & in musicis & ædificiis, liberalitatis causam esse proportionem: prodigalitatis autem excessum, vt auaritiæ defectum. Et perfectæ ac constantis liberalitatis proportionem notissimam & absolutissimam, vt exactam duplam. Et magnitudinis illius affectus atque frequentis fructus virtutis, magnitudinem illarum qualitatum.

Videntur autem arte medicâ huiusmodi omnia vitia posse plenè curari, nec obesse nobis nisi segnitiem in discendo, in exsequendo, & in cogendo eos, qui huiusmodi vitiis laborant. Vtar autem Aristotelis declaratione. Siquidem stultitia, quæ maximum est & inexpugnabile malum, à medicis purgatione atque aliis auxiliis expugnatur & curatur: quoniam humor educitur eiusmodi morbi fomes: cur non in omnibus animi affectibus idem facere licebit? At, inquies, sola stultitia, quæ à morbo prouenit, curatur à medicis ac ægrè: nos autem de naturalibus vitiis sermonem instituimus: non ergo verisimile fuerit hos animi morbos medicamentis posse curari. Rursus cum hi morbi non ex sola temperie, sed etiam compositione procedant, vt superiùs declarauimus: compositio autem immutabilis sit, cui etiam signa ex lineis frontis adiunguntur: quomodo licebit medica arte membra à naturali statu auertere, & frontis lineas ac næuos purgationibus auellere? Respondemus, Aristotelis sententiam esse, quod corpus animæ adeò coniunctum est, vt corporis mutatione facta mutetur & anima: cum ergo præsidiis medicinæ corpus perpetuò possit immutari, immutabuntur & mores. Qui autem ex compositione, quæ mutari non potest, proueniunt mores (nam pinguedo & habitus ac color mutari possunt) non adeò euidentes sunt, & educatione ac Philosophiæ studiis, vel ipso Aristotele teste, vel etiam Galeno in Medica arte, mutantur. Constat igitur, mores commutari posse semper, ac plerúmque ex toto atque in aliud genus posse permutari, vt ex auaro liberalis, ex iniusto iustus efficiatur. Legitur de Polemone, cum semel tantum audisset Xenocratem Philosophum, ex dissoluto & flagitiosissimo adolescente factum fuisse Philosophum continentiæ singularis: Et quantum in prouecta ætate difficilius, quàm in puero, ex ætatis natura vitiorúmque confirmatis radicibus: non in eadem minus possunt sanctæ Philosophiæ præcepta & ratio capacior. Quod videmus in his, qui in phratrias se coniiciunt, quique Christiani ex idololatris facti sunt. Non enim minus boni ac constantes fuere Christiani, qui senes ad Christum sunt conuersi, quàm qui pueri vel adolescentes. Octauius, qui sponte & iam penè trigesimum attingens annum, mores mutauit, in quo minus bonus fuit his, qui ab initio boni fuerunt? Mutatur igitur corpus, ergo & mores. Ergo etiam ad virtutem mutari possunt, instituto etiam. Nonne dixit Sorates, se fuisse naturâ rudem & intemperantem? Hoc enim rectè diiudicatum erat à præclaro physiognomo, qui eius picturam affabre fabricatam conspexerat, tamen factus est continentissimus atque sapientissimus. Ergo vtraque via, Philosophiæ scilicet & Medicinæ, licet non solùm commutare mores, sed ex vno extremo in aliud recta transire.

De lineis dicam mirum quoddam in filio natu minore. Is donec maior natu vixit, nullum diuturnioris vitæ, prudentiæ, probitatis, eruditionis signum habuit; sed & à morte fratris, præter spem, duobus aut tribus primis mensibus adhuc magis insaniebat. Ego iam omnem spem abieceram, extrema auxilia tentaueram, nihil proficiens: mirabar quòd euentus astrorum decretis non consentiebant. Desperabam non solùm ob præsentes mores, sed ob lineas, quæ summam nequitiam & breuitatem vitæ portendebant. Adeò anceps eram, vt nisi illum aluissem perpetuò in domo, commutatum ac suppositum dicere essem ausus. Ita omnia dissentiebant non solùm ab astrorum decretis, sed etiam à pueritiæ primæ vestigiis, quibus præclaram indolem, maximámque de se spem præ se ferebat. Vbi spem omnino abiecissem, nec tamen auxilia deseruissem, quod solus mihi relictus esset per humanitatem singularem Senatus, gratiámque Suessani principis: rogabam Deum, vt non aspiciens ad merita mea, vellet miserescere tum filij, tum etiam mei. Itaque quadam die, scilicet ab obitu fratris mense penè quarto exacto, cœpit sensim mores commutare. Verùm cum

parum fidei huic commutationi adhiberem, animaduerti signa ipsa indies variari, idque ei ostendebam. Itaque in tribus mensibus, cum hic septimus sit à sæuo casu, ita omnia mutata sunt, vt ille prorsus alius sit, & delineatio omnis prorsus alia. Didici hoc naturæ arcanum exactè, nec nisi magna cum admiratione. Mutabantur vestigia illa indies, sicut diceres graphio delineari, graphióque deleri. Ergo si totius temperamentum mutabitur, variabitur iustitiæ, liberalitatis & animi magnitudo. Si cordis solius, fortitudo & iracundia. Si cerebri solius, prudentia, momoria, ingenij acumen ac constantia: Si cordis ac cerebri, promptitudo atque facilitas actionum & iustitiæ affectus. Si iecoris, temperantia in cibis ac potibus, tum deliciis. Si cordis ac iecoris: in veneriis & otio, & confabulationibus ac ludo. Hæc enim est fermè sententia Platonis, adeò vt patientia & continentia ad hoc genus vltimum magis pertineant; tum etiam petulantia & inquies ac molestia.

CAPVT XII.

De Beneficiorum collatione.

IAm ergo hominum moribus intellectis, videndum est, in quos & quomodo beneficia sint conferenda, & quo ordine magis. Sunt enim præcipue quatuor genera hominum ex his, qui referre possunt beneficia, in quos conferre tamen minus expediat. Primum, per se ingrati natura. Qui vt dixi, in Deos impij, in patriam malè affecti, parentibus inimici, in omnes benefactores ingrati sunt. Qui statura plerúmque sunt magna, longo pectore & ventre, cute crassa, colore rubiginoso, spatulis amplis, incessu tardo, facie oblonga, fronte parua, superciliis magnis, crassis & connexis, lineis in fronte profundis ac longis cum signis improbitatis, sermone blando, latis pollicitationibus, oculo doloso atque fraudulento, intus nimium recondito aut prominulo, auaritia singulari. Vix enim tamen inuenias exquisitè ingratos, qui sint liberales. Sed nec prodigi, nisi in scorta fœda. Verba rara, corpus deforme & obliqua membra. Post hos sunt stulti. Nam hi, etsi quandoque grati esse possint, obesse etiam solent. Ab his perfidi. Vltimi ex his sunt, improbi. Nam inter hos plures grati etiam inueniuntur. Post hos autem sunt auari ac fures: inde hypocritæ, stupidi, rustici, inuidi, vecordes atque inepti. Alij non adeò mali sunt, vt semper necessarium sit illos esse ingratos.

Verùm cum beneficia sint quatuor generum: alia, in quibus perit aliquid, quod non perire necesse est, suntque liberalitatis & munificentiæ: alia, in quibus perit quod perire necesse est, & ad studium diligentiam ac laborem pertinet: alia, in quibus nihil tibi perit quod non perire necesse est, vt gratia & magistratus: alia, in quibus nihil tibi perit, quod tamen etiam perire necesse esset, vt communia officia & commemorationes, resque leuissimæ. Primo genere beneficiorum solùm in gratos aut amicos vtemur: quod, quę vni damus, alteri dare non possumus. Aut igitur dandum non est, quo nos indigemus: aut si non indigemus, immerito non dabimus aut ingrato, quod grato & bene merenti debetur. Est enim ac si furtum committeremus. Vltimi generis beneficiis in omnes vtemur, exemplo Aristotelis, qui, cum stipem dedisset improbo homini, interrogatus, cur? respondit, quia humanitati dedi, non homini. Si enim nec dando sis pauperior, quia nihil tibi perit: nec non dando ditior, quia omnino periturum est: melius est dare cuicúmque detur, modo non in perniciem alterius quempiam serues, quàm non dare. Velut ignem accendere, aquam subleuare cadentem, commendare causam iustam. Etsi enim non prosit, quoniam non obest tibi, duo bona danda facis. Ex inutili enim reddis vtile, & beneficium præstas. Fieríque potest, vt etiam ille aliquando gratus sit. Qui si non fuerit, vtraque ratione diuinam naturam imitaris.

Verum supersunt duo alia beneficiorum genera, de quibus magis est dubitandum. Velut si Regi clientem commendauero, nihil mihi perit, id tamen perire non erat necesse: nam seruari hæc gratia potest, & vt pro alio impetrem vel amiciore vel meliore licebit: nam & gratia principum absumitur; nec quidquam mihi perit, quoniam si non petam, non habebo, nec seruatur mihi: sed vel forsan occasio non dabitur petendi, aut princeps anteà morietur. Certum est, si recepero, iam consumi: sed si non recepero, haud certum est manere illam. Ergo in his dabimus his, quos non esse ingratos existimamus, tametsi gratos esse non sciamus: quoniam & dando & accipiendo amorem augebimus vtrimque & in principem & principis in nos, & in eum, in quem beneficium contulerimus & illius in nos. Magis etiam augetur amor principis erga nos, quàm nostri in principem nam & filios magis digilimus, quàm illi nos: quoniam nos in illos, non illi in nos beneficia conferunt. Ergo qui beneficium præbet, magis diligit: qui recipit, magis tenetur.

Cum ergo geminæ amoris vicissitudines augeantur hoc facto, nec quidquam tibi pereat, sufficit nescire esse ingratum illum, cui das, nisi certum destinaueris amicum cui des. At verò secus se res habet, cum aliquid tibi perit, quod omnino perire tamen necesse est, vt tempus maximè, quòd, etsi nihil agas, omnino diffugit, vt beneficia quæ in moriturum, quæ in discessurum collocasti, pecuniæ, quas habenti mutuo dedisti; fructus decidui, quos colligere non potes, grana sparsa, vinum putrescens, reliquiæ ciborũ, quæ omnia vsui solent esse pauperibus, præterea domus non locata, ager, incultus, quæ iã tibi pereunt. In his enim nõ, vt in eis quæ nobis non pereunt, gratuito dabimus cuilibet ingrato, sed gratos quęremus: si inuenire non licet, minus ingratos. Moses pauperibus talia largiebatur, & rectè: hos enim præstat anteponere. Cum enim beneficia aut nostri causa sint collocãda, aut eorum gratia, in quos conferuntur: nostri quidẽ gratia in gratos, illorum autem qui recipiunt, in pauperes & eos, qui maximè indigent, sunt collocanda. Ergo si in illos, qui grati sint, conferre

conferre non licet, eligemus proximo loco pauperes. Hanc igitur beneficiorum diuisionem cum Seneca non animaduerterit in suo libro de Beneficiis, repugnantia multa, multa absurda dicere coactus est. Neque enim aliter dicere poterat, cum beneficia quibusdam alia, vt communia, etiam ingratis & non indigentibus, modò petant, danda sint: alia verò indigentibus solùm, licèt etiam ingratis, aut etiam non gratis, hi enim præferendi, cuiusmodi sunt quæ nuper diximus: alia rursus non ingratis, alia verò gratis, solùm vt pecuniæ. Sic Attici factum maximè laudatur, qui Ciceroni in exilium eunti dono dedit HS.CCL. seu, Philippeos sex mille ducenta quinquaginta prope. Cuius Attici vitam in dandis beneficiis pro singulari exemplo, vt legas, consulo. Neque enim meliorem aut sapientiorem, vel temporibus ipsis magis accommodatum inuenire queas. Dedit vir prudens sua, sed quæ omnino peritura essent, atque ita semetipsum & chariores amicos reliquumque patrimonij seruauit. Sed de his hactenus, modò post amicos inimicorum meminerimus.

CAPVT XIII.

De Inimicis.

EMpedocles mihi videtur rectè duo rerum principia constituisse, discordiam & amicitiam: quod hæc duo videret in humanis rebus omnia circumagere, & qui vtrumque commodè tractant, eosdem potentes atque beatos esse. Itaque inimicitiarum ratio, vt & amicitiæ, in partes diuidenda est. Sunt enim inimici quidam ob vtile, vt qui litigant, & hæredes his à quibus hæreditatem exspectant. Quidam ob odium proprium, atque impedimentum voluptatis & metum. Quidam ob contentionem & gloriam. Est autem contentio ipsa quæ ad gloriam tendit, per se victoriæ species: quod si etiam de rebus sit honestis atque decoris, illustrior & magis laudibilis est. Inter hos quidam sunt occulti & insidiatores, vt Piso, Germanico: quidam latrones & manifesti, vt Milo, Clodio, Catilina Ciceroni. Cum verò exercituum ductores fuerint, hostes vocantur, vt Marius & Sylla, Cæsar & Pompeius. Quidam iudicio, vt qui accusant, vt L. Murenam Sulpitius, Valerium Flaccum Lælius. Quidam litigatores sunt, qui solùm de re contendunt, vt dixi, vt A. Cæcinna & Ebutius. Sunt & blaterones, qui virus euomunt in populo, quo te conficiant. Alij ex hoc genere sunt, qui facta dictáque obseruant, vbique criminantes. Plutarchus, quamuis in hoc argumento luculenter scripserit, multa tamen & præcipua genera ex his omisit, velut latrones, insidiatores & blaterones. Quis enim nescit inimicos illos, qui solùm ex rebus & criminibus accusationem instituunt, non calumniam, non vim intentant, potius magistros nostros quàm inimicos esse appellandos? Nam & quæ ab adulatoribus ac clientibus ob timorem, ab amicis ob incuriam de te audire non potes, audis ab huiusmodi inimicis, qui vt Draco Hesperius vigilant. Nunquam tam benè norit facta tua amicus, quàm æmulus. Nobis autem sermo erit de balatronibus, hostibus, mixtóque ex his genere, cuiusmodi fuit Chrysogonus Sexto Roscio Amerino, & Oppianicus A. Cluentio, qui veneno, manifesta vi aut infamia apud populum, accusatione apud iudices, inimicos perdere statuerũt.

Ergo Aristotelis præcepta secuti à simplicioribus atq; facilioribus inchoemus, scilicet manifestis inimicis & vim inferre paratis. Afferunt autem nobis huiusmodi inimicitiæ tria commodorum genera. Primum amicitiam eorum omnium, qui nostris inimicis inimici sunt. Qui cum pluribus modis nobis vsui esse possint, inimicus autem solùm vno modo nocere queat, manifestum est lucrum vberius damno esse. Sic dum Cæsaris hostes Pompeio, Pompeij Cæsari adhæserunt, duo viri vniuersam Rempublicam occupauere. Sic Sylla ac Marius facti sunt potentes. Hic Pysistratus ad tyrannidem proreplit. Virgilius quoque Æneam suum, sic Euandrum sibi & Tarchontem, quamuis aliter Græcus esset & ob id Troianis infensus, alter ignotus atque Italus & ex ea gente cui bellum inferebatur, socios adiunxisse fingit his verbis:

Et regi memorat nomenque genúsque,
Quidue petat, quidue ipse ferat Mezentius arma
Quæ sibi conciliet, violentáq; pectora Turni
Edocet: humanis quæ sit fiducia rebus
Admonet, immiscétque preces: haud fit mora, Tarchon
Iungit opes, fœdúsque ferit.

Fuerat enim anteà edoctus de causa odij ab Euandro, eamque anteà luculenter descripserat, dicens:

Vrbis Agillinæ sedes, vbi Lydia quondam
Gens bello præclara iugis insedit Hetruscis:
Hanc multos florentem annos Rex deinde superbo
Imperio & sæuis tenuit Mezentius armis.

Et paulò post:

Mortua quinetiam iungebat corpora viuis.

Deinde subiungit,

Componens manibúsq; manus atq; oribus ora.
At fessi tandem ciues infanda furentem
Armati circumsistunt ipsumque domumque
Obtruncant socios, ignem ad fastigia iactant.
Ille inter cædes Rutulorum elapsus in agros
Confugere & Turni defendier hospitis armis
Ergo omnis furiis surrexit Hetruria iustis.
Regẽ ad suppliciũ præsenti marte reposcunt.
His ego te Ænea ductorem millibus addam.

Nulla ergo occasio tam opportuna offerri potest ad amicos, potentiam, gloriámque parandam, quàm egregius inimicus, modò non oscitans fueris & ignauus, occasionémque neglexeris.

Secundum commodum est, vt ipsa contentione gloriam, famamque tibi compares. Quid enim Herculem nobilitauit nisi Eurystheus Iunoque infensi, Centauri, totque hostes, Anteus, Geryones, Cacus, Eryx, Eurythus, latrones Indi, Leutherij, Gigantes, superati? Quid Achillem, nisi Hector & Scamander, duodecímque vrbes vi captæ? Quid Alexandrum, nisi duri superati labores, Darius præcipue & Porus Reges? Quid Athenienses, nisi

nisi cursus ad Marathonē,& Cynegeri manus amputata,& Polyzeli infortunium, Callimachíque vulnera? Quid Lacedæmonios magis illustrauit, quàm pugna ad Thermopylas? Quid Thebanos, nisi Leuctrica pugna? Debeone ad syluam ligna afferre aut magnam Valerij Maximi exemplorum & Baptistæ Fulgosij partem transcribere? Rectè illud apud Ouidium:

Nec tam
Turpe fuit vinci quàm contendisse decorum,
Magnáque dat nobis tantus solatia victor.

Quo fit, vt multi magnorum virorum & potentium inimicitias exoptent, vt inclarescant.

Sed omitto artes nunc & quæsitas inimicitias ex industria: duo sufficiat adduxisse, clara nostræ ætatis exempla. Alterum est inimicitiæ Io. Iacobi Medices cum Vicecomitibus, ex qua ad tantam potentiam euectus est, vt fratrem nunc habeat Pont. Max. ipse summis honoribus ac magistratibus in re militari fūctus sit. Prorex Bohemiæ & Dux exercitus ad Turcas constitutus. Senam vrbem expugnauit, interque magnos principes numeratus arces possedit & oppida. Maior longè futurus, si in ea tempora incidisset, in quibus Reges maximi non obstitissent eius incrementis. Eorumdem Vicecomitum inimicitiis Io. Iacobus Triuultius primùm exul, inde dux Gallici exercitus creatus, princeps ex priuata fortuna euasit, multis erectis trophæis multarúmque arcium dominus factus familiam solus euexit, atq; inter primas vrbis nostræ eam constituit.

Adiiciam autem, quomodo inimicorum impetum effugerit, quamuis tot potentium patriciorum circumuentus armis, nec satis amicis principibus. Dissimulato odio principum in curiam loricatus veniebat, clam quoque armatos famulos, nec vna, sed strenuos ducens, quò iturus esset nemini dicebat, fidum solùm è familiaribus vnum, qua facturus erat iter, præmittebat exploratum, nec vnquam, qua exierat, via, domum redibat. Conuentus ciuium, fora, lites, quantum poterat fieri, deuitabat, vitamque priuatam agens ab honoribus omnibus ac magistratibus perpetuo abstinuit, atque ita periculum necis declinauit.

Ergo & deuitare & aggredi & incumbere & dissimulare, & tueri te vlciscique inimicos disces, si inimicos habueris. Eadémque ratione amicos arctius complecteris, fouebis clientes, omnibus blandieris, autoritatem decorémque seruabis. Multa quoque à te perperam facta dictaue, aut ob inuidiam in malam partem interpretata, modo inter tot virtutis exempla, cum tanta existimatione ac potentia, cum tot fautoribus, in tanto rerum nouarum turbine, aut obliterabuntur aut in meliorem partem interpretabuntur. Profusio pro liberalitate in tam periculoso tempore, auaritia pro parcitate ad protrahendam tantam contentionem, sæuitia pro seueritate, ira pro imperio & autoritate habebuntur. Nihil opportunius ad exercendam virtutem aggrediendo, vitando, fallendo, explorandóque hostis facta: ibi mille occasiones declarandæ fortitudinis, clementiæ, continentiæ, iustitiæ, liberalitatis, gratiæ, innocentiæ. Quin etiam socios criminum atque virtutis, sed maximè periculorum, in posterum ita tibi deuincies, vt nulla vnquam temporis longitudo eos à te disiungi patiatur. Vnde & hoc pulchre Virgilius insinuauit:

O socij, neque enim ignari sumus ante malorū
O passi grauiora

Etiam Homerus Vlyssem Diomedi charum facit ob communia pericula.

Præterea sapientiæ nomen in contentionibus solum citra improbitatem adipisci poteris. Eo enim prauitas temporum peruenit, vt si quietus viuas, vel improbus esse cogaris, vel pro stulto habearis. Solum enim improbum sapientem, stultum verò omnem probum esse existimant. Sed sapientiæ, vt aliàs dixi, plura sunt genera. Humanam verò hanc qui velit discere, non meliùs quàm peregrinatione & inimicitias exercendo discet, vbi necessitas facit cautos, prouidos, solertes, promptos, astutósque. Disces cauere, tacere, continere te, pati vitaréque insidias, fraudésque & pericula.

In longa peregrinatione Comici illud tecum semper reuolue: Lupus est homo homini, non homo, quum qualis sit, non nouit. Viator inermis tibi pro exploratore, armatus pro latrone, caupo pro insidiatore, socius quisque pro sycophanta tibi sit, non illorum oculos, sed facta, manus pedésque obserua. Quanta diligentia prospicies in alendis equis ne fœnum, ne auenam noctu detrahant, quanta cura ne quidquam illis desit. Quantum cauebis ne aleæ ludo te implicent conuiuæ, ne sciant te habere pecunias, ne quò iturus sis, rescíscant. Quanta cura clauem sera extrahes, pessulum ostio obduces: internè aperiri possit aut non, considerabis, & an repagulum habeat defixum tenui & marcido clauo, aut vbi recondas nidulum. Hæc verò vbique parata cernis omnia. Ergo foris peregrinatio prudentem facit hominem, dum cauere pericula docet in hospitio, in via non cognita, inter ciues ignotósque, inter latronum pericula, inter tot ritus absonos magistratuum exigentium vectigalia & tributa, imò rapinas pontium, portuum, ædium publicarum seu τελωνίῳ.

Iniuriæ quoque ratio, quæ ab inimicis proficiscitur, admonet te vnde periculum tibi immineat. Odium quoque illorum, quos amicos putaras & oppugnatores tuos experiris, quam diligenter debeas cauere ob omnibus, quanta premaris inuidia, vnde tibi & qua ratione timendum sit, qua ex parte erres? Raro enim inimicus validiora aut inculpata petit. Si eruditus sis, appellat te imprudentem: si cautus, imperitum: si peritus & prudens, improbum; si nec hoc credi sperat, segnem aut leuem vocat. Hoc agit, non vt vera dicat, sed vt credatur.

Veneficos autem cauere licebit, si Agrippina. Neronis mater, locustæ artem vitare potuit. Vnde Suetonius: Et cum veneno ter tentasset, sentirétque antidotis præmunitam, lacunaria, quæ noctu ruerent super dormientem, laxata machina parauit. Liquet ergo nihil tam esse fallax, quàm venenum. Sunt vnguenta, sunt medicamenta, sunt cautiones. Dicebat Carolus Quintus Cæsar (quod etiam in libello de Venenis, qui apud Suessæ principem est, à nobis scriptus, refertur) venena non esse formidanda, quoniam vora-

ces

ces solùm fallere possint, idque exemplo præstitit. Tutus enim ab eis ad senectam peruenit. Itaque ex hac suspicione hoc lucri faciemus, quod lentiùs mandemus cibos, parciúsque illis vtemur, & simplicioribus, antidotisque etiam ad alia vtilibus vtemur. Quæ quàm salutaria præcepta sint, exitus Mithridatis Pontici Regis Maximi docuit, qui huiusmodi præsidiis, quamuis per tot æstus animi corporísque labores, fugas, itinera, prælia, vigilias inexhaustas libidines, vt qui plures haberet vxores, intérque has vnam, quæ semper illum comitabatur, Hipsicratiam, ad senectutem peruenit, nec nisi ferro mori potuit. Quod etiam Senecæ contigit, dum hoc timore pomis vesceretur & aquam ex fonte biberet, tantus prædicator contemptus mortis. Satius enim fuit statim mori, quàm tanto cum metu & inter tot curas semper viuere. Sed neque mihi ea cura quindecim perpetuorum annorum obfuit quidquam ad valetudinem, ad autoritatem seruandam, dum à conuiuiis ea specie abstinerem, in quibus multi Medici existimationis non leuem iacturam faciunt. Sunt ergo cauendi præcepta, abstinere à conuiuiis, à cibis vehementis saporis atque odoris, à mixtis compositísque ferculis, diligenter mandere, sic vt dente duritiam, lingua saporem, palato odorem, gutture naturam cibi præsentias, fidi ministri, sedere non exspectato loco, & antidota præsumpta, illitáque arteriis medicamenta sudorifica venenúmque propellentia.

Generaliter autem inimici non semper, qualéscumque sint, nec in quibusuis rebus inimici sunt. M. Marcello Cæsar hostis maximus pepercit, eius familiaris illum interemit. Ego inimicos & æmulos æquiores semper in iudiciis expertus sum. Sed quid si togatus inimicitias agat cum milite? Sequeris exemplum amici nostri Augustini Lauizarij Comensis. Is cum esset senex & à libellis Senatus, literarum studiis non armis deditus, litigabat cum sicario: cúmque interdiu satis tutum se arbitraretur ob personam quam gerebat, cogebatur noctu per vrbem volitare, militari sago indutus & crista è pennis in capite: dixisses centurionem esse non vulgarem. Huic cum ob paupertatem nec famulus esset, detracta crista & sub pallio condita, sagóque bicolori, quod aduersa parte totum erat nigrum, mutato adibat iudices, atque ita sex mensibus perpetuis inimicum fefellit. Suadeo autem ego è bubalino corio fieri loricam, nam ferro absque ferro optimè resistit, si sit quale esse debet corium, è dorso scilicet & senioris animalis, atque diligenter præparatum. Intelligo, corium Alcis animalis, quod Eland vocant & Lybiæ tauri genus est, de quo in libris De Subtilitate, tum De rerum Varietate actum est. Illud enim etsi leuissimum est & molle tactu, ferro tamen resistere non minus thorace ferreo potest. Diximus & de eo, qui fit ex equina vngula: sed ego coriaceum ex Alcê omnibus, quòd maximè molle sit ac leue, licèt valde crassum, prætulero. In capite capitio vtar è laminis rotundis, chalybeis puris ac arte duratis, consutisque inuicem, & sub sericeo panno conditis. Femora, crura, brachia, manus, omnia corio etiam muniam, sed tenuiore ac duriore, cuiusmodi ceruinum esse dicunt. Est enim bubalino longè tenuius ac durius. Extendam etiam loricam ad seruicem vsque fermè, sic, vt humeris paulum suspensis collum totum integatur. Omnia serico velabo, vt non minus togæ decori parcam, quàm etiam securitati consulam. Armabo & manus chirothecis è cerui corio aut Alcis, gladiúmque pro decore pendulum accingam. Duos quoque famulos fortes, inque rixis exercitatos, militari è genere & fidos probè, armísque sed clam tectos mecum ducam, amanter tractabo, mihíque omnimodo deuinciam.

Præcepta autem propria in exercendis inimicis hæc sunt. Statim ab initio cum accenditur odium, sedandum est totis viribus, leniēdi sunt non irritandi animi inimicorum, blandiendum, cedendum, quæ palam sunt, quæque in dubium verti nequeunt, non sunt excusanda, quæ verò defendi possunt seu iure offensæ seu facti ratione seu modi, defendi debent, non contumaciter, sed modestè & constanter & mitibus verbis. Paruus enim error in principio, vt rectè admodum inquit Aristoteles, maximus est in fine. Qui si nulla vnquam in causa, vel maximè admittendus non est in causa inimicorum. Id igitur ages, vt vel inimicitias sedes, vel minus cruentas reddas. Quod si perstent nec flectantur omnino, iustiorem te & ipsi existimabunt, & plures habebis defensores, iudices quoque & magistratus magis propitios tibi reddes, inque tuam partem pertrahes. Si quid præterea illis sinistri contigerit, promeritum dicent: sin tibi, miserabuntur & te adiuuabunt.

Tot modis igitur proficies ab initio inimicitias placando, molliendo, leniendo, declinando. Quas etiam, quantúmque gloriosæ tibi futuræ sint atque vtiles, suadeo vt deuites quaqua ratione potes, etiam leui detrimento rei atque existimationis accepto. Quod si coactus fueris eas exercere, ita tunc vigilanter, intentè, acriter, constanter atque acerbè fortitérque exerceas, vt non animum ad sustinendum aut vires defuisse intelligant, sed humanitatem victoriæ atque proprio dolori prætulisse. Oportet etiam in huiusmodi contentionibus omnia ex sapientum & magis in causa exercitatorum consilio agere, non solum quia homo in his, quæ nunquam alias est expertus, minus prudens est eo, qui in eadem re fuerit exercitatus illámque profiteatur, iuxta illud quod dici solet, In propria causa aduocatum quære, verùm etiam quod res maxima sit certare de fortunis, fama, salute: in qua non tantum.

Impedit ira animum ne possit cernere verum.

Sed & timor. Itaque nihil ex propria sententia agendum est, sed omnia consulto & consilio amicorum & in huiusmodi certaminibus exercitatorum.

Hoc rursus considerandum, quod homines omnes in humanitate conueniunt: & quod ab vno, vnaque, licèt non coniugibus, aliquando ortum habuimus. Si igitur communis ille omnium pater diceret, aut mater illa tot hominum, quid agis? cur meum hūc trinepotem occidere vis ob leuem iniuriam? cur orbare me parentem tuum descendente cupis? cur violare

violare decreuisti sanguinem meum atque effundere? quid responsurus esses? an non obmutesceres? Cur ergo idem non facis, quod facturus esses, si illi viuerent? An non adhuc viuunt parentes illi apud reliquas vitas? An non Deus ipse pro omnibus viuit? An non etiam, licet nullibi essent animæ defunctorum, nulla esset rerum harum cura Deo, præstaret pepercisse his, qui ex iisdem parentibus prodiere, quàm eos occidisse?

Inde considera, quid per se nobilius, melius, honestiúsque sit, seruare an occidere? misereri an sæuire: parcere an vlcisci? mitem esse an crudelem? probum an improbum? amicum habere quàm non habere? Cogita etiam exemplum vltionis proprium quale sit. Cum quis vlciscitur acrius, id agit, quod qui scabit carnem prurientem vltra debitum ac metas. Nam quamuis dulce sit scabere, tamen cum sedatus fuerit pruritus, abieritque molestia illa scabiei, succedunt flagrans dolor & prurigo pessima, ipsoq; pruritu decuplo molestior inde vlcera, sordes, crustæ, fœtor. Sic ab vltione sequuntur pœnitentia, timor, dedecus, suspicio, conscientia facti, exemplum malum, infamia, inimicorum, etsi occultorum, multitudo maior. Occisus filius ille, ego dira passus sum. Exacta res est, annon & ipse morietur? an non sibi ac posteris odium parauit. Deinde memora quàm breuis voluptas sit, hodie hunc trucidaui, intra annum moriar, nec iniuriæ, nec vltionis memoria post alium annum restabit. Lupinum ferinumque facinus egi? hoc serpentes immitésque feræ agunt. At Dij etiam his, qui execranda de ipsis verba proferunt, fauent? Vltus est Cicero Catilinam, M. Antonius Triumuir Ciceronem, C. Marius Patritios, Sylla plebem cum C. Mario, Cæsar Pompeium, Vitellius fœneratores, Mithridates Stratonicam, Martialis Caracallam, Andreas Lampagnanus Galeazium Sfortiam, aliique sine numero, præclaris factis? Sed nemo tamen feliciter postea vixit, aut non exacta ab ipso acerbiore vltione periit. Quanto generosius & pulchrius Adriani dictum, qui Imperator factus, veteri occurrens inimico dixit. Euasisti: quasi diceret, quem in priuata vita, ne iners viderer, cupiebam vlcisci, nunc cum palam sit posse, nolo. Demùm illud, quad maximum est, tecum reputa, tempus longe plures & multo sæuius vlcisci, quàm si ipse princeps fieres.

Aliorum, quibus benefecerint, quos amauerint, siue fraude, iniuria aut vi intereant, maximè quod iniuriarum, quas aliis intulerint, non amplius meminerunt, sæuissimum mortis genus esse, quodcumque sit, quis dubitat? Sic Claudius & Titus Cæsares, sic Vitellius & Heliogabalus & Adrianus, tum etiam Atticus eques Romanus, vt dixi, interierunt. Sic in exiliis Scipiones & in carcere Iugurtha Persa, multique alij Reges miserabiliter periere. At erit hæc non vindicta tua, sed commune fatum? non factum tuum, sed ordinis rerum gratia? non gloria tua, sed temporis & fortunæ? Deciperis: nostrum est quodcumque iniuria affectis congruit ac recte succedit nostrum est, quidquid à Deo iuste procedit: nostrum est, cum necessitatem fati in omnibus consideramus. Annon Hierusalemi excidium in Christi & Iacobi indignas neces non solùm Christiani, sed & alij transferunt? Annon pestem, quæ secuta est Athenis, in Socratis mortem? Pompeij miserabile domus excidium in Carbonis indignam cædem & patriæ ἀχαριστίαν? Catonum ruinam in excisam contra fœdera Carthaginem? Necem Ciceronis & bona ei adempta quis ignorat causam habuisse corrupta per eloquentiam iudicia, in quibus nocentes maiorum criminum absoluerentur, minorum periclitarentur? prorsus vt nunc, licet non tanto hodie artificio sit opus.

Dat veniam coruis, vexat censura columbas.

Salustius narrat, Pisonem, quod de Transpadano iniustum sumpsisset supplicium, à Cæsare repetundarum accusatum, & ob id perpetuas inter illos inimicitias intercessisse. Sed mittamus hæc. Putasne Ciceronem, cum caput peteret Popilius vt extra lecticam extenderet, & Catonem cum sibi manum vellet inferre, non fuisse maiore longè in miseria quam vel Vatinium iniuste damnatum, aut Carthaginenses vel seruulos illos cum abiicerentur? Nam hi ex calamitate in calamitatem nec summam transibant: illi ex summis deliciis, quiete, securitate, opibus atque potentia in extremum repente exitium. Ergo vindictam de inimicis si negligamus, plura videbimus quam vellemus: quandoquidem vita hæc molestiarum ac calamitatum plena sit.

Nonnunquam tamen expedit eam sumere, aut quod facilis sit aut tuta, aut splendida: nec tum, nisi cum de improbis, non solùm inimicis, sumenda erit. Tuta verò ac facilis ad alios deterrendos est. Cæterùm res ipsa sic se habet, vt ad vltionem de inimicis, etiam plusquam vellemus vberem & absque nostro crimine satis supérque exigendam, non opus sit nisi superesse nos tamdiu, donec tot malis illorum satiemur, aut vt illi sua mala post mortem nostram videant.

Porrò meditatio vindictæ & defensio & cum inimicis contentio mirum in modum animum nostrum acuunt & corpus firmant. Adeò vt homo ex inimicis, si affectum temperet, duo ista non leuia commoda consequatur. Dum ego miserum illum filium defenderem, quamuis nec dormirem nec ederem, nec animo aut corpore vnquam quiescerem, nunquam meliùs valui, animo nimirum ad aliud magis arduum intento & ob id etiam sic contento, vt simul corpus ipsum contenderet atque firmius redderet, vti in funibus experimur.

Actio verò ipsa vlciscendi & occidendi, naturæ aduersa est ac contraria. Occiso enim homine hæc omnia eueniunt: primùm occisi facies perpetuo ante oculos & in animo homicidiæ obuersatur. Inde nocturni pauores, horrenda insomnia, improba mens, & timor adrastiæ eos vrunt & exagitant. Cogita tecum, ô impie, aut prorsus non ero, & ad quid mihi tunc prodierit felicitas mea nunquam amplius futuro? melius enim esset nunquam fuisse, vt aliquando futurus esses: aut illud horrendum Dei iudicium subibo, quo nihil maius humana mens experiri potest. Inde

de etiam id perpetuo nobis ante oculos versetur, quod iudicium & Deus & quæ iudicatur anima perpetua sint. Adeò vt à pœna iudicium, nec anima à iudicio illo terribili in æternum absoluatur. Quamobrem qui sapientiores sunt, optant quòd impetrare non possunt, scilicet vt cum animis suis ex toto desinant esse. At superesse animam, ex hoc etiã coniectari licet, quod vitæ portio in ipsis cadaueribus ad aliquot annos durat. Absumitur quippe quod liquidum est: quod pingue est, exedunt vermes: at vbi exesa fuerint omnia & absumpta, manet vita qualis in lapidibus & plantis non omnino illustribus, scilicet manca, quoniam humidum & pinguis substantia absunt: atque ideò nec generant simile, vt animalia & plantæ. Indicio huic sunt serpentes, qui ex dorsi spina in sepulchris nascũtur: vt in corpore Lacedæmonij Regis Cleomenis. Et vngues atque capilli, qui ad multos annos crescunt, quoniam ex membrorum humido non sanguine aut pinguedine fiunt. Certa enim est historia: cum multis etiam qui imberbes erant, barba prælonga ad multos annos creuerit, vngues quoque longitudine admiranda. Et sanguis ipse, antequam putrescat, coram inimico è plagis effunditur vsque ad secundam & tertiam diem miro experimento: nonnunquam vsque ad quartam in hieme. Vsque eo enim vita in sanguine seruatur, non autem sensus ac motus, sed naturalis sensus vitæ tantum conueniens atque hostilis. Quocirca effunditur, quia incalescit, quod etiam signum criminum vindices inter iudicia numerant. Si igitur vita in sanguine manifestè manet donec computruerit, in solidis membris quidem manserit, sed aliquanto tenuior remanebit. Quo fit, vt non absurdus fuerit ille mos diligentissimè condita cadauera conseruandi apud Ægyptios, qui nunc in principibus solum seruatus, in reliquis, ob auaritiam, omissus est. Si igitur tamdiu seruatur vita illa animæ, vt ita dicam, nutricis ac lapidosæ, & per tot annos, quid existimandum est de mente, quæ nullo corporeo indiget auxilio, quæ diuina est & omnium rerum capax atque absoluta natura?

Occultarum verò inimicitiarum ratio hæc est, aliaque longè à priore, & tanto difficilior, quanto obscura à claris differunt, tantoque vtilior, quanto occultiores inimicitiæ frequentiores sunt apertis. Apertæ, quod contra leges agant & multi communes amici se interponant, paucæ sunt, nec diu vt plurimum durant. At occultæ sine numero sunt quòd nec à legibus impediantur, nec ab amicis sopiantur, & causam vndequaque inueniant. Si enim beneficiis assiduis ingratum oneraueris, non demulseris, quòd nimis tibi ob ea astrictum se sentiat, nec sufficiet esse ingratum, nisi etiam inimicum se exhibeat. Verba Cælij apud Ciceronem suum quærentis apponam: Pudet me tibi confiteri & queri de Appij hominis ingratissimi iniuriis, qui me odisse, quoniam magna mihi debebat beneficia, cœpit. Et cum homo auarus, vt ea solueret, sibi imperare non posset, occultum bellum mihi indixit. Eò verò procedit hæc iniuria assiduè conferendi in ingratos beneficia, vt, cum natura nostra ad libertatem prona sit &, quomodocunque valeat, cupiat à seruitute se explicare, postquam neque soluendo non vult aut non potest se exsoluere beneficia reddendo, impio sanè voto, vt se quoquomodo liberet, benefacienti exitium quærit. Sic ille, qui pro filio ab Æsopo educatus fuerat, illum capitis accusauit. Sic Caligula Macronem & Enniam. Nero matrem & libertos adipiscendi imperij autores interemerunt. Et vxor Fuluij, redempta ab illo è seruitute, accusauit eum apud Triumviros, vt crudeliter occisus sit. Etenim qui multa accepit, cum tibi obuiam fit, meminit quali vinculo tibi astrictus sit, à quo vellet absolui. Ambitiosus etiam aliqua in virtute comparatus occultè te odit, quia dum plura postulat quàm dignus sit, odium in alium, cuius causa impediri se putat, vertit. Sic Artaxerxes Metrodorum & Carem, autores victoriæ & imperij, (hi enim Cyrum fratrem eius in pugna occiderant,) & Nero Lucanum ob ambitionem occiderunt.

Ambitio omnibus ergo, qui virtute præstant atque eruditione, quique illas profitentur & non habent inimici sunt ac eisdem insidiantur. Ob id multi sunt eruditi, qui eruditum neminem euehunt, non malignitate naturæ, sed suæ securitati prospicientes. Alciatum nunquam vidi Iurisconsultum laudantem, aut ad altiora prouehentem, ne in sinu viperam, iuxta fabulam foueret. Meminerat Emblematis pulcherrimi ab ipso conscripti de capra & lupo, quod ob elegentiam hìc subieci.

Capra lupũ, non sponte mea, nunc vbere lacto,
Quòd malè pastoris prouida cura iubet.
Creuerit ille simul, me a me post vbera pascet:
Improbitas nullo flectitur obsequio.

Nam qui euehitur, parem se putat virtute, antequam euectus fuerit: post autem fortuna etiam, sed virtute præstantiorẽ. Si non eò peruenerit, quo improba de se ipso persuasio ducit, in iniuria ponit quidquid non est adeptus. Ob id plus poterit dolor non æquati beneficij, quam memoria accepti. In hoc autem genere sunt, qui cum nesciunt, scire se putant. Atque in œstrum sunt eruditorum, norunt communia & disputationum cauillos. Aut specie tantum ac insignibus prælati in Iurisprudentia aut Medicina, peritioribus inuident & ex ambitione oderunt. Ambitio enim nihil habet medium, quod sit affectus magni excessus: sed aut amat, quod raro contingit; aut, quod semper fermè, odit. Inferiores enim opere, industria, fortuna & eruditione, non possunt non odisse præstantiores.

Tertio loco sunt inuidi, qui semper, vt dixi, non oderunt, sed cum inuidia confirmatur diuturnitate temporis & multis irritamentis animus iam saucius recrudescit. Et præsertim cum hac ipsa causa vel de lucro vel de existimatione aliquid perit. Pronior est ad apertam inimicitiam inuidus ambitioso, quod nec æquari tibi timet, nec succumbere adeò metuit & maiore animi dolore discruciatur. Nihilominus quoniam timidus natura est, & quia perrumpere non licet ei, nisi patefacto ipso liuore, rarius ad apertas simultates deuenit. Ambitiosus verò, dum omnia contemnit

temnit & se multo superiorem existimat, periculosior est ad erumpendum inuido. Quid ergo dicemus? inuidus sponte & ex magnis causis faciliùs ad apertas deuenit inimicitias ambitioso. Ambitiosus autem irritatus, etiam ex leuibus causis concitatur ad iram & odium manifestum. Nam ambitiosus plus æstimat honorem, quam pecuniam: inuidus contra. Est verò & ambitiosus auarus ob prodigalitatem quarumdam aliarum rerum, vt immodicæ, quam optat, gloriæ satisfaciat.

Quarto loco sunt improbi, etiamsi non læseris. Cum enim causam non habeant cur oderint, turpe dicunt odisse palam. Cum verò omnes, cum quibus versantur, oderint, sunt enim irritabiles, necessarium est, vt occultè odio te habeant. Difficillimum autem est horum malignitatem effugere, nisi cum maioribus causis detinentur.

Memorabile illud Gabrielis Stondili Cremonæ tyranni, qui moriens conquerebatur quòd Sigismundum Imperatorem, & Ioannem vigesimumquartum summum Pontificem ex vrbis altissima turre præcipites non egisset, dicebatque non defuisse quidem animum sibi, verum timuisse ne, vno præcipitato, alter postmodum non esset in suas manus venturus: non defuisse tamen studio, quo ambos simul in vrbe haberet, sed occasionem votis eius non fuisse. Vides improbitas quàm leuibus, imò nullis causis ad maxima scelera, nedum occultas inimicitias progrediatur.

Sunt etiam odij diuersæ aliæ nonnunquam, &, vt ita dicam, fortuitæ causæ, velut antiquæ maiorum simultates, ob auaritiam & lites, ob iniurias à pueritia acceptas. Meminit Aristoteles quorūdam qui ob violatam, dum pueri essent, à dominis vi pudicitiam, illam nece dominorum vindicauere. Scio quemdam patritium nostrum, qui de huiusmodi iniuria palam à magistro ludi literarij accepta conquerebatur, nec tamen vindicabat; quàm sapienter, non dicam. Illud sanè constat, neminem sibi debere amicum existimare illum, cuius pudicitiam in puerili ætate violauerit quovis modo multo minus si vxorem, sororem, filiam aut matrem eius vitiauerit. His annis proximè elapsis amissa est arx inexpugnabilis, quod Hispanus præfectus sorore sacerdotis per iniuriam potiretur. Ergo inimicos eos existima occultos, quorum tu occultè pudicitiam læseris. Et, si ament, infidam existima amicitiam. Nam & Pausanias, & Ludouicus Sfortia ab exoletis proditi sunt. Non potest esse tuta amicitia, quæ ab iniuria proficiscitur. Sunt & in hoc genere, qui de suspicione pudicitiæ vxorum aut filiarum propter te laborant. Vicini quoque, qui tecum contenderint, aut iniuriam acceperint intulerintve. Quique tuorum sunt inimici, aut quorum coniunctis tu fueris inimicus, omnes clarè te odisse existima.

Neque existimes inter malos veras posse coire amicitias. Quòd enim Nero non perdiderit Epaphroditum aut Tigillinum, etsi non negauerim aliquid ad hoc profecisse morum similitudinem, crediderim tamen id grauiorem causam habuisse necessitatem in Nerone. Nam & locum ista habuit in Nerone vsque ad vitæ exitum, vt in illis metus, non Neronis solùm, sed omnium. Tot enim flagitia admiserat, vt existimarent se, non nisi incolumi Nerone saluos esse posse.

Ex occultis autem inimicis, quos propriè diximus inimicos fieri sine tua causa, quinque genera enumerauimus: Ambitiosos, inuidos, improbos, indignos, in quos maxima contuleris beneficia, & fortuitò factos hostes. Sunt præterea tria hominum genera ad inimicitiam contrahendam apta: perfidi & ingrati & ex leuissimis iurgiis iracundi. Ingratus enim tunc facilè ad inimicitiam prouolat, si non des quantum velit, perfidus verò vbi prodendo spes lucri affulserit: iracundus autem, quòd putet causam sibi datam.

Est etiam genus hominum, quod adeò suum occulit odium, vt nihil agendo solum se inimicum tibi profiteatur. Rident enim in calumniis, conniuent in insidiis, gaudent in calamitatibus tuis, & cum amare se simulent gloriæ tuæ ac felicitati inuident. Ergo ne tu in eadem delabaris, etsi quis tibi non sit, inimicus sed familiaris; tamen omni studio agere debes, ne eadem tu agas in illius aduersis, quæ nuper in inimicis occultis damnaui. Sæpè enim eadem faciunt amici non oculati, quæ inimici studiosè, qualia nuper ego narraui. In calumniis ergo modestè se obiicere debent, atque eas diluere. Insidias patefacere sic, vt rescisçat, nec auctorem, qui palam fecerit, agnoscat. Si dubitas de illius fide aut prudentia, chirographo ementitâ manu in domo illius relicto, facile est atque opportunè id agere. Atque hæc cum vel illius salus vel fama petitur aut filij, vxoris, fratris. Mon conniuebis autem in vllo quòd ad illius pertineat salutem. Si confidis magis soli, solus cuncta enarrabis. Hinc discere licet, eum occultum tibi esse hostem, qui solum calumniam refert, quandoquidem nihil aliud agit, quàm quod animum tuum excruciat, nec calumniatores aut inimicos edocet; nec à quibus cauere debeas, nec quibus modis occurrere possis, admonet. Non enim amicum aut inimicum ab alio discernere potes, nisi quòd amicus vtilitatem, inimicus damna affert. Qui ergo non ea tibi pandit, quæ ad defensionem tuam sunt necessaria, is tibi occultus est inimicus atque valde insidiosus. Quamobrem illum ablegare debes. Dicemus autem de his suo loco.

Cæterùm si de calumnia & maledicto solum agatur, nec admonet, nec tuetur, occultus est inimicus, sed non insidiosus: quoniam nihil agit quo se amicum tibi fore ostendat. Esse autem certè inimicum docent verba Ciceronis, quibus illum, qui non tuetur hominem à calumnia, magis inimicum esse declarat, quàm sit is, qui calumniam infert. Sunt autem hæc: Nam qui iniustè impetum in quempiam facit, aut irâ aut aliqua perturbatione incitatus, is quasi manus violenter afferre videtur socio: qui autem nec defendit, nec obsistit, si potest, iniuriæ, tam est in vitio, quàm si parentes aut patriam aut amicos deserat. Atque illæ quidem iniuriæ, quæ nocendi causa de industria inferuntur, sæpe à metu proficiscuntur: cùm is, qui alteri nocere cogitat, timet, ne, nisi id alteri fecerit,

ipse

ipse aliquo afficiatur incommodo. Itaque manifestum est eos, qui non tuentur absentem, non solum amicos non esse, sed maximè inimicos. Ergo, vt omnia breui colligam, si amicum calumniari de ridicula re intelligis, silentio rem tege: sin seria res est, illum tuere, si potes: si non, admone palam amicum, si confidis; sin, scripto, vt dixi, suppresso nomine tuo. Nunquam verò crimen sine causa autoreque protuleris. Sed si causas accusator reddit, veramque inueneris occasionem, amicitiam dissue, non dilacera. Neque enim improborum, quos honestè tueri nequeas, amicitiam retinere decet.

Nec est arduum calumniam ab accusatione dignoscere. Nam calumniator genus rei, non speciem profert: non inuitatus ad hoc accedit. Vbi accusauerit, subridet. Id verò certum signum. Nam si falsa sunt, cur de amico comminiscitur? si vera, cur ridet? Dicit ergo calumniator, stultus est, mille facit errores, est improbus, perfidus, ingratus, imperitus: nec vbi, nec quando, nec in quo hæc deprehenderit, adiicit. Nunquam ergo illum tibi non grauem esse inimicum puta, qui calumnias tibi refert, non calumniatores, nec rei seriem. Nec amicus est, qui non tuetur: amicus est, qui tuetur: amicior, qui refert omnia, etiamsi per alium aut scripto. Optimi autem amici officium est, ni tu nimis sis iracundus, tueri te atque etiam certiorem reddere. Porrò ad inimicitiam parati sunt atque odium, maledici, irrisores, contemptores, deceptores, auari, queruli, tristes, morosi, imperiosi, contumaces, contentiosi, crudeles, stulti. Nam hi omnium malorum seges sunt.

Iam verò liquet ex his alios esse occultos inimicos, qui occultè insidiantur. Multo verò minus mali sunt occulti inimici, quos tamen inimicos esse noueris, (occulti enim dicuntur aliis, non tibi,) inimicis apertis ac manifestis, qui tibi occultè insidiantur. Nam occulti inimici non semper, licet oderint, insidiantur. Manifesti autem, cum iam ex professo inimici sunt, perpetuo insidiantur. Qui vehementiore odio leges contemnunt & gloriæ sunt cupidi, manifestè: qui gloriam contemnunt, nec adeò vehementer inflammati sunt, & leges verentur, occultè: in quibus autem vehemētia odij & legum & gloriæ obliuisci cogit, hi & apertè & occultè tibi & tuis etiam quandoque insidiantur. Iam ergo liquet, occultos hostes manifestis minus, multoque magnos & perniciosos, minus formidandos esse. Quanquam non desint occulti hostes, qui etiam moliuntur, quantum possunt, insidias. Sed hi in numero manifestorum inimicorum habendi sunt.

Dubium verò est, quinam deteriores sint ex his, qui ex professo tibi sunt inimici, & qui tibi insidias clam, an qui apertè moliuntur? Planum enim est, quod ex his primi gloriam, secundi leges ob odij magnitudinem spernant: vtrique verò & Dei humanitatis obliuiscantur. Qui ergo leges contemnit, ambitiosus est: qui gloriam, impudens. Ergo ab impudenti metuendum magis, quod nulla via, nisi illius morte periculum euadere te posse spes sit: ab ambitioso autem violentius quidpiam timere debes. Itaque magis repentinum est, quod ab eo, qui apertè te expugnat, exspectatur: sed aliud diuturnius. Non ergo statuere de his quidquam licet: quia ratione personarum, loci aut temporis, aliud alio magis formidandum. Timidi etiam magis apertam timent vim: fortes autem & potentes, occultam.

At verò si occultus inimicus vel quia te timet, vel ob ambitionem, vel vt te fallat facilius, quod multi facere solent, leuibus beneficiis te, quandoquidem faciendi tot sint causæ, affecerit, quid agendum? Suadeo ego, ne post primum beneficium recipias. Nam primum recipere debes, vt experiaris, an forsan in amicitiam veram sit rediturus: at vbi intelligis fucum, quàm celerius potes, te ab illo reddito beneficio explica. Quòd si improbus sit aut malignus, qui in hoc solo differunt, quod improbus nocet semper; malignus, non nisi oblata securiore occasione: ne primum quidem beneficium acceperis, quandoquidem non expediat tibi illum, etiamsi seriò agat, habere amicum.

Sed & inutilibus amicis valedicere consulo, quod graues tibi esse possint, & nullum tamen beneficium ab iis sis recepturus. Si enim multitudinem amicorum fugiendam & Aristoteles & Plutarchus ob hoc vnum suadent, (quamvis alioqui vtilis sit hæc multitudo,) quòd grauis sit: quanto magis eorum, qui sint inutiles? In hoc genere connumerantur parentes senes & auus & auia & filij paruuli aut, quod deterius est, inertes, stulti improbi & prodigi, generaliterque inutiles, & parui fratres aut, vt dictum est, inutiles alia causa, sed nullum horum, vt suo loco dicemus, reiicere aut deserere conuenit. At in aliis mendicos, oppressos, senesque, quærere familiares, amicos & clientes tam est amentis, quàm iam habitos relinquere atque abiicere insolentis atque impij, modò non ipsi ex improbitate eò se coniecerint. Quo in casu etiam, si honestè liceat, sunt adiuuandi: in posterum verò amplius in consuetudinem nostram non sunt admittendi. Condonandum est enim aliquid humanitati, & plus etiam, si sine magna iactura fieri possit, rumoribus hominum.

Sed si amicus bonus sit, plurimos tamen ille æmulos, inimicos, insidiatoresque habeat, qui eo, quod illi amicus sis illumque tuearis, sint tibi inimici, quid faciendum? deseramne amicum, aut potius periculum subibo, ne simul cum illo opprimar? Si cliens, si familiaris, palam renunciandum est consuetudini, clam verò omnibus opibus adiuuandus. Nam ille ne teruncio deterior fiet, tu verò securior viues & tutior eris. Quòd si hoc lædi se putat, improbus est ac nimis ambitiosus. Si autem amicus sit, apertè illum tueberis, ita tamen, vt si iniquas causas tueatur, suadeas vti illis cedat.

Occultos autem inimicos commutare in apertos stulti est. Nam vt docui, aperti deteriores sunt ac magis metuendi. Quibusdam tamen in casibus id non tam vtile est quàm necessarium, scilicet cum ea via nocere volunt, nec tibi potes ab illis cauere, quominus inuidia apud populum, magistratus & communes amicos te onerent. Tunc enim præstiterit illum habere apertum inimicum, alios autem

tem inimicos, quam occultum illum aliosque simul omnes causæ tuæ ac vitæ hostes. Secus verò, etsi multi insani aliter faciunt, melius est ferre occultum inimicum, quem metus quivis continet, pudor terret, & initium nocendi vt faciat atque inueniat inertia quædam impedit.

At neque ex apertis occultos facere valde vtile est. Cum enim placere neque tu, neque magistratus, nec communes amici potuerint, quid aliud agit, quàm vt occultè nocere moliatur? Idem quippè manens qui erat apertè, occultè in posterum nocere tentabit. Quid ergo egisti, aut in quo tibi profuisti? quandoquidem, vt dixi, in apertis inimicis magnum non interfit discrimen, apertè nocere tentent, an verò occultè. Imò etiam forsitan hoc oberit: quoniam confisus, ne audacter tibi noceat, confidentia tua te perdat. Hoc mihi in memoriam iam eos reuocat, qui per inducias & promissa potentum interfecti sunt. Adeò vt difficillimum sit inimicitiis finem inuenire. Multi post reconciliationem occisi sunt, qui aliter opprimi non facilè potuissent. Sic vir illustris Ioan. Baptista Castellioneus à Legato Marauiglia. Sic quidam plebeius ab Antistite comitum, qui Canæ dicebatur. Sic Bituitus Auernorum Rex à Cn. Domitio deceptus. Sed omnium miserabilium casuum maximus fuit Achei per manus Bolidis Cretensis decepti. Cui Antiochus postquam illacrymatus fuisset, quasi misereretur, nescio qua ratione, oculos effodi, manus præcidi, aures & nares amputari iussit, inde occidi Plusquam humanæ autem sapientiæ reor esse, intelligere finem odij & inimicitiæ. Quot sunt in mediis induciis trucidati? Inter quos quidam Gibellus accepta fide iugulatus est ab inimicis, cum maximus tamen vir his induciis se interposuisset. Sunt qui existiment intercessoris voluntate id actum. Periculum imminet ab his, qui amicorum vice se interponunt. Periculum est, ne vtrique fallantur, & qui se interposuerunt, & qui amicitiam contraxerunt. Ergo ex principalibus indiciis, quæ sumere oportet eum, qui reconciliaturus est se inimico, est, si intermedius vir amicus tibi sit & magistratum gerat: plurimum enim facit publica autoritas. Optimum etiam semper in induciis, cauere. Sed facta reconciliatione vtrumque extremum suspectum habere oportet, siue nimis alacri animo excipiatur hæc pax, seu etiam tristi vultu ac mœsto. Inter crudelia perfidiæ exempla recitatur Theodorici Gallorum Regis in Hermefredū Thuringonum Regem scelus. Carolus quoque Gallorum septimus Rex Ioannem Burgundiæ Ducem (vt appellare regulos nunc solent) iuramento super solemne sacrificium sumpto interemit: nescio, maiore impietatis, an iustæ vltionis exemplo.

Quamobrem tutius est, nunquam fidere his, quos grauiter læseris quacumque interposita fide. Sed tamen habenda est ratio hominum, vitæ, Metoposcopiæ, Physiognomiæ, & maximè quo vultu reconciliationem exceperint. Adeò tamen infelix res est reconciliatio, vt quovis modò cedat illius fides, vltio tamen infortunium non leue parere soleat. Pompeius Sextus Cn. Pompeij magni F. reconciliatione cum Augusto & M. Antonio facta, ab illis postmodum euersus est. Quos si præuertisset consilio sui liberti, dominus orbis euadere poterat. Rursus M. Antonius Augusto reconciliatus quid aliud egit, quàm vt regno eum posset spoliare & fortuna? Admirabilis fuit reconciliatio Francisci Gallorum Regis & Caroli Quinti. Sed quanta mala secuta sunt hanc reconciliationem? Seruata fides vbique exitio seruantibus fuit. Ergone implacabiles inimicitiæ, odia, interuicina bella perpetuo sunt exercenda? Non: sed ita re conciliaberis, vt ex aperto inimico occultum euasisse credas. Quòd si fidem summam in illo existimes, non deerunt adulatores, qui & iniurias acceptas exponant, & occasionem benè gerendæ rei proponant. Fieri non potest, vt pax & vnio ex æquo vtilis sit: aut, si sit, vt vtrique adeò tuta. Quòd si etiam ex æquo tuta fuerit, diuersis tamen temporibus vni quàm alteri opportunior erit iniuria. Finiri igitur apertas oportet inimicitias atque illas sedare: occultas verò difficillimum est. Quamobrem illas deuitare oportet, atque etiam, si fieri possit, beneficiis abolere. Exemplo quoque atroci in perfidos edito.

Sed quoniam pacto inuidos, ambitiosos atque iratos tibi amicos reddideris? Horum enim aliqua est ratio: non ita ingratorum, perfidorum, improborum ac stultorum. His enim quanto magis benefeceris, tanto maius tibi imminet periculum, non ita ab aliis. Nam illi non solum reconciliari tibi poterunt, sed etiam amici fieri. Scipionem enim constat ita Tiberio Graccho ex grauissimis inimicitiis reconciliatum, vt illum in generum sibi ascisceret. Sic nostra ætate Rex Gallorum Henricus Regem Hispaniarum Philippum, post tot truculentissima bella, generum sibi fecit. Notæ sunt M. Æmilij Lepidi & Fuluij Flacci, itemque Sexti Liuij Salinatoris ac Neronis simultates graues concordia terminatæ. Nec vllius rei tam frequens exemplum. Sed omnium horum inuidia aut ambitio aut ira in causa fuere. Quomodo ergo hos ad veram pacem deduxerimus, dicendum est. Ambitiosum, si humanitatem præferes, dum tedeprimis, amicum nunquam habebis. Ambitiosus enim parem aut potentiorem amat, non humiliorem: non enim dignatur habere amicum. Oportet ergo te, vt ambitiosi amicitiam consequaris, ambitiosissimum esse in omni genere, familiaribus, ornatu domus, supellectile, vestitu, equis, moribus sermone. Cum ipso vno vero familiariter viuas, atque illi omnia communices, nec cedens, nec te illi præponens. Sed licet modestè in quibusdam te illi præponere, vt si obtinueris, te esse maiorem intelligat: si non obtinueris, gaudeat se tibi proponi. At annon illud in hoc incommodi est, quod dum vni placere studes, omnibus displices? Non: nam primo, si paribus atque maioribus ita congrediaris quasi amicis, existimatione retenta, non irascetur ille. Rursus si minoribus, si pauperibus humanitatem ostende, dignitatem præfer. Hoc nec odiosum est & ambitioso satisfacit, maximè si omnibus in causis teipsum anteponas: nec alij ægrè

ferent

ferent hanc tuam ambitionem, modo factis potius quàm verbis constet, illisque faueas. Stultum enim est, velle ambitionem præferre & nulla in re ab aliis præferri. Quamobrem curabis, vt arte, prudentia, amicis, diuitiis, ornatu, potentia, consanguineis, populari fama & hominum opinione alios antecellas, aut præstantioribus & primis ciuitatis æqueris. Nihil autem deterius est, vt stultè ambitiosus videaris, quàm si maxima inæqualitas in te deprehendatur, siue in vno genere, vt si togam habeas pretiosam, sagum verò aut caligas veteres & adtritas; siue in diuersis, vt si equum habeas strigosum, famulos autem ornatos, aut si diuersis temporibus eadem diuersitas deprehendatur & hodie pulchrè vestitus sis, cras sordidus & pannosus. Est & tertium genus inæqualitatis, cum te sperni & irrideri permiseris: aut si vestem defers fœdatam, in qua incuria & desidia familiarium, tuique contemptus cernatur. Itaque difficile est sapere & scire. Oportet enim, qui existimationi vult studere, omnia posthabere, vt hanc solam retineat. Neque tamen paruum munus est, quod diuitias comitentur Principum amicitia atque, vt ita dixerim, tota humana felicitas illa vulgaris. Facit & plurimum ad ambitiosorum amicitiam retinendam, cum illis in moribus consentire, laudare quæ illi laudant, vituperare quæ vituperant, magnifacere quæ magnifaciunt, studere his quibus student. Nonnunquam enim in precio sunt opes, nonnunquam gloria, nonnunquam religionis cultus: vt post Christum duobus aut tribus prioribus seculis. Semper tamen ambitio in vna harum rerum sedem posuit. Nunc opes præponuntur.

Facilè verò est cum aliis idem sentire, quandoquidem, vt dixi, in his tribus reposita sit beatitas & studium ambitiosorum, ferméque eadem ætate in diligendo ex his tribus vno omnes consentiant. Arduum quoque est, vbi vel semel abiecti (talis dicitur qui composito è regione contrarius est) famam consequutus fueris, vt ambitiosiores in suam societatem te recipiant. Nec putes te vni ambitioso placere posse, alteri autem non. Nam ita in vnum consenserunt, vt ne Chartusiani quidem sacerdotes adeò sanctè suam regulam seruẽt. Vbi ab vno excideris ea causa, non propriis simultatibus, litibus, iniuriis, minis, maledictis, ab omnibus excidisse te puta, Si verò ob iram iam in occultas vel etiam apertas incideris inimicitias, non tu te flectas, non subiiciaris, sed amicis communibus ex æquo & iure res componatur. Quòd non est arduum, cum parem te illi viribus senserint & iure certaturum. Plurimum in hoc possunt affines. Plerique etiam Principum autoritate intercedente gaudent. Sin autem ob rem & autoritatem, communes amici illam facilè sedabunt: extincta enim causa inimicitiæ, quæ è re nascitur, statim amicitiæ nascuntur. Est enim hoc genus inimicitiæ velut tertiana febris, cuius nullum solet relinqui vestigium. Si verò ex inuidia occultæ inimicitiæ ortum habeant, fas vt vel retrò cedas aut multo ante progrediaris. Nihil deterius est, quàm diu pariter eundo certare. Sed & mutatio domus aut artis nonnunquam sedat æmulationem. Si hæc non prosunt aut adhiberi auxilia nequeunt, facito vt intelligat tuam felicitatem ei vtilem esse. At si nec sic te odisse desierit, ita age, vt si non potest desinere odisse, desinat posse nocere. Porrò omnia velle curare, tam stulti est, quàm etiam nihil.

Quòd autem curandum est, magnum esse debet, Principum iræ atque odia, quæ non solùm magna sed maxima haberi debent, ideóque de illis nunc dicendum est.

CAPVT XIV.

De Principum odio atque ira.

PRincipio igitur constituere oportet, An inimicus sit Princeps? an solùm iratus? Statuendum est etiam, quam graui ira aut odio laboret? Plurima enim ex his exitialia esse solent. Item, quàm iustus sit aut tyrannus? etsi tyrannus, an rapax, an etiam sæuus? Tibi etiam considerandum, an in aula, an in magistratu vita sit, aut libera? & an sufficiat illum tibi non esse inimicum, an etiam necessarium sit, vt tibi amicus sit? quod maximè conuenit his, qui ex aula victum quærunt, aut his qui pecuniam aut rem Principis procuratoribus credunt, aut qui reditus aliquos ex fisco accipiunt, vel qui possident bona, quæ Principum fuere dona, Iurisconsulti Feuda vocant, vt propria vnicuique allodialia.

Truces tyrannos, quavis causa tibi infensos, vt effugias statim, suadeo. Paulo enim minus est miserum esse, quàm ex arbitrio inimici semper pendere, vt miser sis. Quid est vita, nisi ipsum quòd viuis? at sic pendere, est mori, non viuere, & eius, quod etiam superest, partem timor eripit, & totum vitiat. Quid expectas, an vt te trucidet, inde iudicio absoluat? quod quibusdam in Anglia olim euenisse audio. Posthabeas cuncta saluti atque securitati. Si effugies & truculentus sit, forsan rebus parcet tuis: si non parcet, melius est, tuas res tibi eripi, quàm te rebus tuis. Cogita priuatum aliquem tibi inimicum, qui te in sylua comprehenderit: non alio in statu, imò etiam deteriore es, cum in manibus inimici tyranni fueris. Sed mortui sunt illi Phalarides, Nabides, Agatoclei, Dionysij. At honestiores hi, qui more Tiberij, Caligulæ, Neronis. Senatus iudicio occidunt? Quasi non deterius sit perire iudicio quàm sica. Sica infames non fiunt liberi, sed ad honores peruenire possunt, patrimonium non perit, inexspectata mors est. Verum si non sæuit tyrannus, sed pecuniæ tantum inhiat, aut rebus potius tuis infestus est quàm tibi; tunc æstimatio rei habenda est: si maior est iactura periculo, persistendũ omnino: sed si omnia in discrimẽ vertantur, tutũ nõ est litigare sub infenso iudice.

Sed hæc mittamus, propius accedamus. Si non tanto in periculo aut discrimine verseris, intelligis tamẽ te Principi odio esse, vel quòd iniuriam intuleris, vel quòd acceperis, vel quòd gnatonum suorum aliquis, ex his tamen qui plurimum apud Principem possunt, acce-

pisse

pisse se existimet, vel quòd vxoris tuæ aut filiæ aut sororis illi blandientis acrior vltor fueris, vel quod tibi inuideat, tunc non leue discrimen subiisse te intelligas. Verùm caue, ne ex magno maximum effeceris. Id maximè eueniet, si conquerendo iactandove illorum mentem etiam stimulaueris. Opus est summa taciturnitate atque dissimulatione. Omnino silentio tegere oportet quæ vindicare nolis, & tanquam nulla intercedat offensa blandiendum est regi. Cum Cambyses in conuiuio vino operam immoderatiùs daret, admonitus à Prexaspe, è proceribus vno, quòd vinum omnibus noxium esset, sed præcipuè Regibus, quorum interesset aliis imperare: respondit Cambyses, iam facturum statim vt intelligeret, nec oculos nec manus nec mentem vinum offendere. Inde largiùs bibens, vltimo maximum etiam meri vini poculum ingurgitauit, ac statim arcum & sagittam petiit, iussitque more Persarum, qui etiam mos hac ætate apud Turcas viget vt Prexaspis filius puer tolleret manum sinistram, quasi per illius digitos sagittam transmissurus, præfatusque patri se traiecturum cor, statim filij pectus transuerberauit sagittâ: illoque iusso discindi coram patre, quæsiuit, an modo intelligeret, nec mentem nec oculum aut manum fefellisse. Respondit ei Prexaspes, ne Apollinem quidem certius collimaturum. Reprehenditur à Seneca dictum vtrumque & quòd in filij acerbissimo casu blanditus sit Regi, & quòd anteà illum increpuerit. At mihi in neutro reprehensione dignus videtur. In admonitione enim Regis fidem integram exhibuit, nec potuit tantum facinus sperare. Vt medicus non semper sanat, ita non omnia rectè facta, rectè succedunt. Dum blanditus est Regi, non tam timuit sibi, quam filiis reliquis ac fratribus, quos Persarum more palam erat in periculum vocari. Sic Harpagum Astyages, postquam filium clam iugulatum in mensa edendum patri apposuisset, quod minus diligenter mandata eius in exponendo Cyro nepote ex filia expleuisset, cum interrogaret, capite & manibus filij exhibitis, an rectè cœnasset, respondisse ferũt, Omnis cœna apud Regem grata est. Quòd Seneca reprehendit, ego laudo. Nam quid verbula ille sine sensu, sine mente, quæ tum illum cæterosque filios à periculo vindicarunt & ad vltionem, quam postmodum de Rege sumpsit, reseruarunt? Apertè respondeat, cui nec sui cura vlla est, nec pro suis metus, nec spes vlterior vltionis. Si horum vnum desit, non sunt commutanda paucula temeraria verba, quasi doloris & iræ refrigerium, aut cum nece vel tua vel tuorum acerba, aut cum spe vltionis iustæ sumendæ, si modò vlcisci & decreueris & par fuerit.

Sed non sunt vltionis modi omnes similes. Raro enim vel nunquam eò veniendum est, vt vltionis gratia fratrem occidas, velut Martialis Imperatorem Antonium Bassianum. Nam & infamia iusta aspergi potest Princeps & bello peti, & seditio excitari inter suos, & inimici Principes aduersus illum commoueri, & accusari apud illummet: vt fecit, qui à Philippo Rege ad Philippum ipsum, sed sobrium appellauit, quo commotus errore doleret de suis factis. Constat quosdam ira libellorum se ad voluntariam mortem adegisse. Non est vehemens cruciatus, conscientia sceleris, accusatio apud teipsum, est tamen diuturna. Furere cœpit Nero, cum audiret probra eorum, quos ad mortem damnauerat. Ergo in huiusmodi casibus blandiri necessarium & vtile est. Quòd ipse Seneca, sui quasi oblitus, laudauerat in pastore.

Sed si iniuriæ expers & apud Principem esse decreueris, scias nil esse irritabilius aure Principis. Sunt enim omnes Principes iracundi, nec mediocriter, sed immoderatè; idque ob quinque causas. Prima est, quod calidis cibis immoderatiùs vtuntur, vinisque potentibus, & vigiliis ac venere, quæ omnia bilem admodum excitare solent. Secunda, quod perpetuo vexantur, tædioque assiduo afficiuntur. Quæ sola causa facit, vt magistrati ludi literarij omnes sint iracundi. At Principes, vt dixi, præter hanc, alias plures causas habent: hanc verò adeò manifestè vrgentem, vt cogantur mimis & scurris operam dare, relaxationis ergo: nec video cur non pereant aut insaniant. Cùm igitur singulis diebus irritentur adeò vehementer, quid censes confirmato iam multis annis habitu? Tertia est, quod sunt ambitiosissimi. Omnis autem ambitiosus iracundus est: quoniam existimat sibi non exhiberi ea, quibus dignum se putat. Propterea iracundia quantum ambitio ipsa crescit. Quarta, quod Regiæ existimationis causa iras concoquere coguntur, ideóque vi suppressæ animi perturbationes, velut ignis aut aqua violenter conclusa, acriùs erumpunt. Vltima & quasi maxima causarum est, quod Principes à principibus nascuntur, quorum iam natura huiusmodi est, & longo vsu ad iram facta prona: itaque &, qui descenderunt, tales facti sunt, & augetur vitium, donec in atram bilem transeat: vt Cambyses atque Nero, quos potius stultos, quam iracũdos dixeris. Ergo iracundi sunt maximè Principes, etsi iram maximè ex aduerso celent. Sunt etiam ambitiosi, quia ab omnibus coli se vident, & quoniam securitatem in cultu esse repositam putant. Sunt & ex his crudelissimi, quoniam ob potentiam atque licentiam minima vltio mors est: mors autem vltimum terribilium. Quòd ergo vltimum, est aliis in perferendo, in illis initium pœnarum est. Nã, dicunt, quæ pœna est mori, cum nobis commune sit mori, & omnes moriamur? aliud inuenire oportet. Quapropter ad vlteriora procedunt, & amputationem artuum, & fidiculas excogitant toties occidere homines existimãtes, quoties acerbissimis illos cruciatibus affecerint, membraque detruncauerint. Sunt quoque auarissimi, quoniam omnibus rapinis aliorum sufficere coguntur. At tot sunt raptores & tam auidi, vt neque mare ipsum si totum argenteum sit, & omnes qui in ipso sunt, pisces gemmæ sint, & scopuli toti aurei, insatiabili aulicorum voracitati satisfacere queant. Quo fit, vt non tam auari sint, quàm esse cogantur. Quanquam nec desint, qui & multa sibi seruari cupiant. Hæc igitur generalia sunt: nam priuata persequi, & quæ ex huiusmodi moribus sequi necesse est, iniurij & amentis hominis esset. Hæc enim solùm dixi,

dixi, quæ necessaria sunt homini, vt Principis gratiam adipisci possit, aut adeptam seruare. Si ergo, omisso modo auaritiæ crimine, Principes omnes maximè sunt iracundi, ambitiosi atque crudeles, cogitare debet homo, qui cum illis versatur, quanto in periculo perpetuo sit? etiam si ille Rex sit, quasi Agesilaus aut Augustus post bella exacta, vel Titus humani generis deliciæ vel Traianus aut Antoninorum duorum alter, vel Alexander Mameæ, qui septem inter æquissimos atque mitissimos humani generis principes numerantur, quorum nullus, præter Titum, si benè animaduertis, à Principibus ortum duxit. Sed & Titi solum pater princeps fuit: & ipse, Titus, (quantumuis deliciæ hominum, nescio qualium hominum) teste Iosepho, plura millia Iudæorum, inter quos & pueri & mulieres, solum quod cultum Dei patrij atque libertatem tum liberorum patres, tum vxorum viri acriùs defendissent, feris laceranda & edenda publicè exposuit.

Itaque hæc tria vt rursus de auaritia, quæ non eorum proprium crimen est, taceam, sunt ex ipsa Principum natura conditionéque. Quare id agendum, quod Calistheni nepoti Aristoteles, quamquam parum memori, præcepit dum iter ad Alexandrum pararet, aut Place, aut Tace. O aurea verba & digna Aristotele nepotem ex sorore instruente. Quæ tamen ille natura insolentior dum non seruauit, vt Macedonibus placeret, causam crudelis necis inuenit. Etenim, vt medici solent dicere, quod plures occidit gula, quàm gladius: ita dicas apud principes plures occidit lingua quàm manus, verba stulta quàm improba facta. Illi ergo, qui linguæ omnino imperare nesciuerit, præcipio, vt omnino ab Aula & Principum consuetudine abstineat. Alexander Clitum, nutricis suæ filium, cuius lac præripuerat, ob verbum occidit statim à cœna, cum ille temulentus id profudisset in cœna, nec profuit quod paulo ante Regem seruasset à securi impendente barbari dum Rex ipse galeam pugnando amisisset: imò nocuit. Nam exprobatione hac irritatus est ad iram Alexander. Ita omne bonum nocere paratum est, si eo vti commodè nescias. Artaxerxes, cum in Græcia facturus esset expeditionem, gratus illi Pythius rogauit, vt è quinque filiis vnum pro solatio relinqueret, annuit Rex, iussitque vt eligeret pater: quem cum elegisset, electum coram illo in duo frusta diuidi iussit, exercitúmque medium tanquam expiaturus hoc sacro eduxit. Quam præstitisset tacuisse? Theodorus Cyreneus ob verbum Lysimachi in crucem sublatus est. Mitus à Tiberio occisus est, quod illum in Augusti funere taxasset auaritiæ. Nec impune fuit amico apud Dionysium cœnanti & interrogato, quænam pulchriores statuæ haberentur? respondisse, non de artis excellentia, de qua interrogabatur, sed hominum factis, Harmodij & Aristogitonis: nam hi erant, qui Athenis Pysistrati filium tyrannum occiderant. Intellexit enim Dionysius improbum & importunum dictum, & paulo post illum interfici iussit. Quid memorem Bassiani Imperatoris in Antiochenos, qui cum scommatibus lacessiuerant, factum? Nam non solum ciues, sed & mulieres & pueros occidit. Nasonem ob probra Augustus, etsi mitissimus & musis pepercerit, in Pontum relegauit. Timagenem historicum & Poëtam, ob easdem causas domo expulit, & passus est apud Asinium Pollionem consenescere, non ob clementiam, sed ob gloriam. Etiam qui, dum cœnaret, tot millia hominum centuriásque Senatorum, & chiliadas equitum Romanorum præscripserat, L. Cinnæ, conuicto insidiarum in caput eius, pepercit. Cur verò? an non ob id potius, vt contemnere videretur, quàm parcere?

Ergo ne tu, si non exigat à te iudicium factorum dictorumve suorum princeps, tam stultus sis, vt velut pædagogus censuram facere velis, de eo, à cuius nutu vita tua & mors pendent? Sin autem interroget, absit in responso omne scomma, omnis risio, figura, anceps dictum, veritatem leniter fatearis. Si eo vocatus sis, vt intrepidè veritatem fateri cogaris velut præceptor aut consultor, imitare Senecam ad Neronem de clementia scribentem, tametsi nondum apices aculeorum sæuitiæ protrudisset. Id tanto magis, si crimine non careat, agendum est. Lauda contrariam vitio virtutem in illo, tanquam horteris acrius ad perseuerantiam gloriosi facti, non tanquam dehorteris à flagitio. Estque id præceptum vulgare, tametsi multi illius ob petulantiam, obliuiscantur. Sic munificentiam illius lauda non fictis exemplis, ne irridere videaris, sed diligenter conquisitis: nulli enim aliqua desunt. Nam & Caligula, sæuitiæ culmen, relegatos restituit, commentaria ad matris ac fratrum damnationem pertinentia excussit non visa. In auaro commendabimus, vt intelligat princeps potius quid illi agendum sit, quàm quid egerit. Ergo, si licet, fugere debes Principum iram, iracundósque principes sic, vt fugere non videaris. Sed si nihil necessarij negotij tibi cum illis sit, melius est omnino latere. Si operam tuam non rem postulent, liberaliter eis impende, donáque libenter, quod vendere tui arbitrij non est. Nam id bifariam tibi gloriosum erit, & quod rogeris, & quod dones. In reliquis, quanto longius abes, tanto tutius. Sunt enim eorum iræ non solum repentinæ, sed sine causa, & stultæ etiam. Persarum Rex vnius vrbis ciuibus omnibus nares, vt equis anhelosis fieri solet, discindi iussit. Vocatáque vrbs in posterum ob id Rhinocorura in Ægypto est. Cambyses autem Ægypti Regem effossum sepulchro virgis cœdi, stilis pungi ac vri iussit, quod filiam viuens in matrimonium denegasset, veritus ne ob insolentiam non pro vxore, sed concubina haberetur. Cyrus, quamuis prudentior habitus, an non Gyndum fluuium, iratus illi, quod Babylonem euntis iter moraretur, maiore mora & immensis laboribus aboleuit, diuisum in trecentos sexaginta riuulos? Et successor ille eius, qui Europam Asiæ ponte iunxit mare verberauit, nec vnius tamen malæ concordis prouinciæ cum tot centenis millibus militum, cumque sua grandi iracundia impetum sustinuit. Lysimachus quid passus est ab ira Alexandri? quid admisit, Rex factus Troiadis & Pergami, in amicum Thelesphorū Rhodium,

Quem truncis naribus & auribus pauit in cauea ferrea pronum, & fœtore, pilis, facie, illuuie, callo genuum, vnguibus prælongis exesum, à lateribus extra humanam formam deductum: exemplo Calisthenis apud Alexandrum: vt non minus essent à misericordia alieni, quàm ea digni. Quid Caligulæ facta commemorem, qui tres senatores ipse verberare sustinuit, fidiculis equuleóque torquere, inde tribularibus atque igne excarnificatos, occluso spongiis ore, aut frustis vestium, si illæ deessent, interimebat? Nonnullos, quorum filios occiderat misericors princeps, vt & patres à luctu liberaret, per noctem, missis centurionibus, occidi curabat. Quid de Domitiani inopinata ira atque suppliciis? Annon multo melius esset mori, quàm tanto in periculo, adeóque assiduo viuere? Hodie quum Augusti sunt Calendæ nefasti anni M.D.L.X. iuuenis quidam, cum duceretur reduceretúrque ac sisteret, rogauit lictores, vt eandem ducerent. Vir vita, quàm morte dignior.

Ergo iræ atque ambitionis principum rationem habere oportet cum coram illis verba facere cogimur, nec nostro dolori indulgere, nec quæ præmunt effutire, nec in aduersarios probra coniicere, ne principem molestia afficiamus, iudiciique nostri lenitatem prodamus, atque inutilium commemoratione memoriam vtilem aboleamus. Quinetiam cum periclitamur, non prætermittere vtilia, aut inutilia recensere. Memento, quæ non dicta sunt, dici posse: quæ dicta sunt, vt dicta non sint, fieri non posse.

Amant supra modum vt Dij venerari, existimántque in hoc maximam spem securitatis esse repositam. Ducti etiam Probi Imperatoris exemplo, qui nominis omine ad imperium ascendit. Cum enim exercitus acclamasset, debere eligi virum fortem, sanctum, verecundum, clementem probum: statim reclamarunt, Probe Auguste, Dij te seruent, & cætera quæ de more adiici solebant. Sed

Non tali auxilio nec defensoribus istis
Tempus eget.

In virtutibus ac prudentia non vana ambitione principum securitas reposita est. At diis veneratio debetur, qui optimi sunt. Eisdem etiam sincera, cum sint sapientissimi, vt non verbis indigeant, sed rogantibus nobis sola mente largiuntur ea, quæ magis expediunt: iis ergo summus honos debetur. Ei verò, qui aulæ addictus est, illi, quod in aliis rebus, semper curæ esse debet, vt scilicet non erret in aliquo, & principem suósque intimos, tùm & proceres beneuolos sibi reddat, idque verbis, moribus, factis. Intimos dico, corpore iunctos, seu fratres aut filios, seu vxores, aliáque quæ eadem culcitra teguntur. Stultum autem est alia ratione sperare posse, vt intimus sis, etiamsi seruiendo totam absumpseris ætatem. Hoc secretum cum pauci norint, multi mirantur, quod magistratuum reditus, pœnarúmque remissiones penè ignotis hominibus, familiarissimis principis præteritis, deferantur: cum tamen causa sit manifesta. Nam intimis, quorum querulis vocibus commouetur princeps, intimum esse licet, officiis, aliísque modis. Principis ergo animum alliciunt familiaritas cum intimis contracta: quæ cum eis non intercedit, prompta tamen in illum & pulchrè præstita officia delectant, & maxima exhibita veneratio illi tum maximè cum externi adsunt, cultúsque ac sermo eorum, in quibus præcipuè delectatur, etsi absentem cum ad sidera euehas. Quæ verò licenter coram illo dicuntur, cogunt vt te vel oderit vel contemnat. Agglutinanda prætérea est amicitia sensim, non violenter compaginanda: nam alias dissoluitur. Ita verò viue, ne à te timeat, nec nefanda committere audeat. Caue autem, ne arcana eius scire cupias: ne, si irascatur, exitium tibi manifestum immineat, cum vitam & existimationem suam in periculo per te versari putabit. Arma, cibos, potus, ne tractes: nec propius accedas, nisi iussus. Venenum ne tangas vlla ratione aut domi habeas. Cum nemine, quem oderit, ne inimicorum quidem familiaribus, verseris. Officia non expetas: iniuncta gnauiter exequere. Abstinebis ab ira, indignatione, querela, loquacitate, inuidia, fastidio, contumacia, morositate, peruersitate, petulantia, incontinentia, stultitia, inconstantia, iactantia, vanitate, maledicto, vt ne minimam exulcerandorum animorum occasionem in aulam inuehas. Sed sis, vt sphæra, totus rotundus, nec vllius affectus mali aculeus promineat. Si illæsus apud Principem, nec iactatus viuere velis, lauda laudanda modestè: quæ non potes, relinque. Ne cupias familiaris Principi videri, sed fac vt te amet: propterea non nisi de necessariis illum alloquere. Tui muneris existimationem retine, alterius ne eripe. His, quæ non noris, non te intromittas: sed ad eos, ad quos pertinet, negotium relegabis: sic te ab onere leuabis, & illum tibi gratum reddes. Quæ autem ad te pertinent, summa fide, celeritate, diligentia, nitore quodam adiecto perficies. Nullius sordidi vitij suspicionem subeas, vt furti, aleæ, ebrietatis, puerorum ineptiæ. Eis in agendo apertus, liber, nec suspiciosus, sed sine crimine. Licet tamen suorum parcum esse, & acquirere, & pensiones petere, & existimationem exactè retinere, & esse potius impudentem, quàm verecundum: mentiri quoque, sed consultè, vt reliqua omnia. Quod si vel sic agendo in magnum periculum decideris, ob casum, suspicionem, calumniam aut errorem: (Homines enim sumus & ad errorem perpetuò parati, nec tam facile est rem præstare quàm præcepta tradere, adeò vt Nicolaus Macchiauellus, qui tot & tanta de militari Romanorum disciplina disertissimè scripserat, ne vnam quidem cohortem, hortante Vrbini principe, instruere ausus sit.) statim ad amicos confuge & te lecto ægrum trade, vt primos impetus effugias, & Princeps intelligat te iam dare pœnas. Sic misericordia, precibus amicorum, & temporis auxilio lenies iras principis, fietque mora, veritas, & facti series elucescant. Referunt Crœsum Lydorum Regem tum Cambysis Satrapen, & Æsopum sic aliquot annis latuisse in sepulchris, inde erutos dignitati, gratiæ & bonis suis restitutos.

CAPVT

CAPVT XV.

De Lite.

SEd iam de lite agamus, re omnium infestissima, quæ tempus eripit, pecunias exhaurit, hominem à studiis & negotiis abstrahit, cor curis exedit. Quominus mirum est Neronem, vt infensam matrem exagitaret, submisisse qui eam Romæ litibus, extra vrbem conuiciis inquietarent. Si accusaris, periculi magnitudo te terret: si de patrimonio agitur, res est nunquam finem habitura. Vt litibus esse implicitum, res sit omnium molestissima. Quæ tamen ex huiusmodi contentionibus commoda decerpserint, nunc dicam. Nam ab anno vigesimoquarto, quo pater periit, ad annum vsque quadragesimum sextum non minus fui litium mearum procurator quàm alienorum morborum medicus. Vt hac ratione omnibus præsertim magistratibus notior factus sim: amicos etiam aliquos paraui, & æquitatis, prudentiæ, moderationis speciem exhibui. Didici compendiarias vias exigendi pecunias à debitoribus, pacisci ad tempus, & quod nihil deterius est quam litigare, præsertim homini negotioso. Et quamuis suaderet Hieronymus Cardanus Iurisconsultus peritissimus, vt litem quamdam cum potentiore exactius prosequerer, non parui: quod viderem consultorem ipsum litigando ad egestatem redactum. Semper enim à rebus ipsis & aliorum exemplo consilium cœpi, & vt alij caperent, suasi. Cum de iniuria ageretur, inspiciebam Phratrios & Hebræos, qui sine armis ac sociis se probè ab ea tuentur. Cum de læta vita agenda artifices, qui summa cum paupertate hilariter viuunt. Sic etiam non solùm per genera id perquirebam, sed in quorumcumque vita. Sanitatem in milite incolumi, opes in his qui pauperes fuissent, aduocatos sine inimicis. Et, vt breuiter omnia concludam, contraria semper in contrariis.

Sed vt ad rem redeam, litium aliæ quidem ciuiles sunt, aliæ criminosæ. De his autem si dicamus, satis esse existimo, cum aliæ longè minoris momenti sint, & per eadem fermè media agitentur atque regantur. Porrò litium cum duæ sint partes, defensio & accusatio: de defensione tantum agendum existimo, vtpote principaliore, difficiliore, atque humaniore. Vix enim pertinere puto ad hominem probum atque ciuilem, quemquam etiam ex grauissimo crimine, nisi publicæ rei aut propriæ securitatis causa, ad supplicium adigere. Habet autem hæc actio, velut & morbi, sua tempora, & pro temporum ratione sua præcepta.

Cum igitur de crimine aliquo accusaris, considera primum, qui accusaris, quo in statu res tuæ sint, iudices, criminis genus. Quod ad criminis genus, si capitale prorsus non est, aufugere stultum esset. Si capitale, ad proditionem aut principis aut Reipublicæ pertinet, tuncque fugam arripere decet. Nam si verè accusaris, nulla est spes euadendi: quinimo supplicium grauissimum atque tormenta extrema subire necessarium est. Quòd si non verè, tot tormentis exponeris, vt vel falsa fatendo, nihilominus supplicio supponaris: aut repugnando inutilis, & breui superfuturus è carceribus exeas. Vidi Andream Malduram Iurisconsultum, proditionis in Franciscum Sfortiam, Mediolani principem, accusatum, pedibus igne exustis, & vlcere insanabili in altero eorum contracto, miseram vitam ac breuem duxisse. Vidi alium ex Moronorum, ni fallor, familia, equuleo pectoris vinclis solutis post liberationem eodem anno extinctum. Qui etiam de fortuna sua querebatur adeò, vt nec in tormentis mori, nec superuixisse voluisset. Saxo Vicecomes inter cruciatus eadem in causa periit, aliique multi. Neque in huiusmodi casibus vlla lex seruatur, nec vllus modus. Sed si principis arbitrio res agitur, idem est iudex & hostis atque accusator. Si aliorum iam magis illi sæuiunt in principis gratiam, & vt fidi esse videantur. Quòd si crimen capitale sit non tamen verum, omnibus pensitatis exponere se periculo propter infamiam reliquaque pericula oportet. Sin autem verum, fugere melius est, nec tentare fortunam, etiam in probationum defectu. Verùm si dubia sit res de periculo, attamen quæ probari possit, etiam fuga consulendum.

Quod si iam detinetur accusatus, tunc velut in morbis, rectâ serie & per causæ tempora procedere debemus. Primùm ergo quærendus est optimus medicus aut medici. Hi erunt causidici, procuratores, & aduocati ex præstantioribus vrbis: atque eos statim consulere, quoniam velut in morbis nihil melius celeritate. Sunt ergo tria tum maximè quærenda. Primum, An liceat iudicibus pecuniâ corruptis subducere accusatum, antequam de illo quæstio habeatur? Possunt enim illi censere iniustè captum, quia non certis indiciis captus sit, atque ita prætendere iniuriam illi factam. Quod & libenter lictores audiunt, siquidem locupletiore præmio, dum sic liberatur captiuus, donari consueuerunt. Dicam in hoc quid viderim. Sacerdos erat in Saccensi oppido Valerius Montechius, huic frater erat & is, quod etiam maius fuit, exul, qui in suspicionem venerat, quod simul cum tribus aliis sacerdotem quemdam Aloysium Donatum noctu occidisset, atque spoliasset multâ & amplâ pecuniâ in domo propria. Hic, nescio quomodo captus est Patauij, à quo Saccense oppidum ad decimum lapidem positum est. Statim hoc nuntiatum est Valerio. Erat autem Patauij Ioannes Mazochus, vir valdè probus, Prætoris tabellio. Valerius conuolat Patauium noctu, antequam rescis cat Prætor illum esse in tabula proscriptorum, aut inimici rescis cerent eum esse captum. Sic nocte eadem pronuntiatum est à Prætore causam, ob quam captus erat, non fuisse idoneam vt detineretur, atque dimissus est. Et forsan ille nomen mutauerat. Ita qui maximo in mœrore vesperi discesserat, mane lætus rediit, atque impensas graues vitauit. Quòd si vel modicum distulisset, non solùm securi percussus, verum etiam inter tormenta, cum magna ignominia extinctus fuisset.

Quòd si à iudice fugam & libertatem impetrare non liceat, iam tentandi sunt custodes, si existimas

existimas graue esse crimen, nec deesse probationes. Auro, vt Philippus Rex dicebat, patet via, aditúrque in quamcumque munitam arcem. Ducentis aut trecentis aureis coronatis multa & magna aguntur ab humilibus personis. Difficile est in huiusmodi natura simplices docere: sat fuerit eorum ingenia excitasse, qui prompti atque solertes sunt, atque viam illis apperuisse. Nam quod horam oporteat habere constitutam, vestes, pileum, barbam fucatam seu emptitiam, nummos, equos dispositos, præsidiúmque virorum, haud obscurum est.

Sed si nihil horum successerit, cum per alios fidos hæc melius quàm per teipsum tentaueris, iam scire te decet, maximam partem securitatis in non fatendo crimen esse repositam. Venetiis enim, vbi rectè ius administratur, non confessis mortem nunquam irrogant, sed si existimauerint esse conuictos, vt isti dicere solent, oculo vel manu mutilant. Sub Barbaris autem vel Tyrannis, quod legibus cautum est, seuerius quàm iustius obseruatur: scilicet vt morte, quod indignum est, plectantur. Vocant conuictos, cum factum testantur duo tresve testes egregij, & nulla ex parte suspecti, qui simul interfuerint, atque tunc contestes vocantur. Quasi certum esse possit, testes aliquos nullam pati exceptionem. Quod adeò verum est, ac si quis dicat mortalem immortalem, hominem bonum, cum nullus prorsus talis sit. Compertúmque tibi sit, hos homines ab omni amicitia, odio, indignatione, inuidia, spe, metu muliebri, persuasione, auaritiáque semotos esse. Post pertinaciam non confitendi ergo, iudicum & ministrorum & tabellionum amicitia est. Inde accusatores lenire per communes amicos tentabis. Testes etiam corrumpere quibusuis modis non negliges, & confessionem minus funestam reddere.

Sunt ergo in vniuersum quinque, quorum curam diligenter habere oportet. Non fateri, aut sic fateri, vt defendi possis. Iudices amicos reddere, maximum est, post primum, præsidium. Inde accusatores lenire, testes corrumpere, & optimos ac gnauos defensores habere. In omnibus his tria præcepta obseruare decet. Primum ne in aliquo erres, & Horatianum illud pulchrè exsequaris:

Virtus est vitium fugere.

Secundum, vt omnia, quàm occultius possint, peragantur, summáque patientia. Tertium, vt per fidos ministros & amicos. Interim quocumque tempore, si res versetur in periculo priorum præsidiorum, ne obliuiscaris eorum quæ ad fugam pertinent. Sæpè etiam in processu defensionis occasiones emergunt opportuniores, quæ ob initio non apparuerant: oportet igitur semper intentum esse in rem non conniuentibus oculis. Tu tamen obserua, vt, quam defendis causam, iustam vel per leges, vel æquitate, vel apud Deum dicere possis. Nam tres hi modi etsi plerúmquæ inuicem conueniant, nonnunquam tamen inter se plurimum differunt. Velut si quis spoliet aliquem ea pecunia, quam sibi debet, nec tamen scripto vel testibus illum conuincere potest, iustè secundum Deum, ex lege verò & æquitate defendi nullo modo potest. Rursus, si quis hominem occiderit clanculum, nec ex lege, nec ex æquo condemnari potest, ex diuino iure tamen reus est. Rursus, si quis iuuenem amicum ad vxorem ire hortetur clam se, inde fingens velle etiam occidere amicum, vxorem solam occidat, ex æquitate & à legibus absoluitur, cum tamen diuina & humana lege parricidij teneatur. Legem enim adulterij simulatione ac defectu probationum doli elusit. Ergo, vt non fateatur crimen, tota vis est. Confessis nullum aut valdè breue tempus ad defensionem datur. Lege potius sæuissima quàm seuerissima. Nam hoc solo prætextu, quod periculum sit, ne venia principis sontes euadant, colorari solet. Interim multis modis peccatur. Primum, quod multi sunt casus misericordia digni, qui principis venia indigent, & tamen lege absolui non possunt. Deinde, quod ob temporis breuitatem debitis ac iustis defensionibus destituuntur captiui, & iniustè condemnantur. Deterius est autem insontem vnum condemnari, quàm sontes decem liberari. Tertio, quod statui lex potest, quà principis auctoritas ad contumaciam pœnæ restringatur, nec arbitrij sui sit plenè liberare sontes: cum scilicet & crimen graue est, & defensio friuola. Vnde ex hac præcipiti principis venia deterius persæpè contingit: eos scilicet liberari, qui nihil haberent quo se tuerentur atque defenderent. Quarto, quod si princeps longius abest, cessat hoc periculum: si præsens, vel breuissimum tempus, etiam duorum dierum, sufficit.

Itaque, vt ad rem redeam, admonere & confirmare captiuum oportet ne quid fateatur. Id quidem multis modis fieri solet. Primum, admisso aliquo per custodes, idque optimum est. Quod si nec amicitia nec pecunia id impetrare licet, per literas certiorem facere illum oportet: literas autem in pisce aut pane abscondere aut simili astu per custodes rei conscios transmittere: nam per inscios periculosum est. Custos enim sic fallere iudices tanquam deceptus ipse potest: admittere quemquam sine periculo famæ, & suo non potest. Quod si nec hoc facere potes, per alium captiuum tentare solemus. Fauent enim plerúmque captiui alter alteri. Quod si nec sic monere concessum est, epistola pomo includatur. Multa verò scitulus puer ad captiuum ludendo quasi per fenestram mittit, sed vnum alterúmque sic, vt intus non peruenian: quod verò epistolam continet, destinato ictu iniicitur. Demum, si nec hoc facere possumus, alligata epistola sagittæ per scorpionem è fenestra immittenda est. Nullus enim carcer fermè absque fenestra vel minima saltem esse solet. Sed, si alloqui licet, hoc optimum est. Nam non solum monere, hortari & confirmare hominem potest, sed sciscitari conscios testes, omniáq; quibus causæ prodesse potes seu occultando, seu palam faciendo. Multos etiam alios modos excogitare pro ratione loci atque custodum licet, quos nimis longum esset enumerare. Sermo autem seu forma epistolæ quasi idem erit. Erit autem huiusmodi.

Quatuor generalia præcepta seruabis. Primum, bibe perpetuò aquam. Secũdum, linguã dentibus ita vulnera, vt vix loqui possis, & dum

dum te examinant, compressis labiis idem perages. Tertium, ne cui nuntio nec fratri tuo credas, quàm mihi. Quartum, ne extra examen vel in mensa vel cum sociis verbum de causa tua egeris. Si loquantur, tu, tanquam surdus sis, obmutesce. Si interrogant, cur sic? dicas de alio cogitabam. Propria itidem & hæc obserua. Primum, cum ostium aperiri sentis, vt ad examen te ducant, (nam hoc ante cibum facere solent:) verbum non profer. Subiice autem quæcumque, modò ad rem facere posse videntur? Deinde cum tibi lictor manum iniicit, labium non moue. Tertium, cum apud iudicem es eadem eadémque cum te funi alligauerint, quarto repete. Secundum, cum interrogant te, imaginare mortem ante te positam, laqueum aut securim, & in ea meditaberis per totum examinis tempus, nunquam eam cogitationem deserens. Tertium, cum interrogant te de principali, responde simpliciter non: cum de aliis rebus, quæ ad rem non pertinent, aut circumstantiis, nescio, aut, si aliqui dies intercesserint, non memini: nec ad alia responsa te permuta, aut in illis te diffunde. Quartum, si polliceantur, si spem dent, si conditionem offerant: responde, Quorsum hæc, si nescio? Et si recitent vera falsave testimonia aliorum, non dicas, quod quidam, adducite illos: sed persta in hoc verbo, non, si de principali agitur; vel in hoc, nescio aut non recordor. Duo prætere a memineris. Vnum, quod si in tormentis aliquid fateri cogaris, velint autem vt explices historiam, tu pollicere dicturum omnia si tollant tormenta: vbi sustulerint, dicas, nihil horum scio, vt me à tormentis solueretis, quæ ferre non poteram, commentus sum. Et quantumuis te ad tormenta denuò cogant, eadem repete. Alterum, vt nullum verbum proferas nisi diu meditatum. Et in summa, quàm verissima dictio, sed ita, vt veris dictis tuis abuti non possint in perniciem tuam. Lectam epistolam in minutissima frusta statim lacera. Tu verò, qui scribis, nomen tuum ne adiicias, nec diem nec huiusmodi: ille tamen sciat, qui acceperit. Verbo autem & per internuntium admonere, non admodum vtile est. Siquidem in periculo es, ne ille accusatores moneat, & duplici fraude res agatur: aut saltem ne, qui monet, infinitos admittat errores. Plus autem obest vel minimus error, quàm iuuent decem præcepta, etiamsi obseruentur. Nam ex erroribus captiui in contradictiones deducuntur, & sæpè coguntur tormenta subire. Tribus namque de causis, aut quatuor tormenta adhiberi consueuerunt: ob testes, ob euidentes coniecturas, ob criminis magnitudinem. Facit & ad hoc persona infamis iam & quæ eodem crimine notata fuit, & conditionis humilitas. Cætera ad improbitatem iudicum pertinent. Si possumus etiam monere de tormentorum quantitate, magis confirmabitur æger, si temporis perbreuis sit. Sed & si testes coram ipso deducti sint, constantem esse oportet, ac niti, vt illos in contradictionem deducat. Crocum etiam edere & lapidem corui piscis secum deferre, tum & amethystum aut androdamanta bonum est & vtile, vt quidam putant. Sed si captiuus respondere velit, aut admonere suos amicos, licebit id habita charta & plumbeo stilo aut carbone. Vbi rescierint amici de testibus, sua interest eos mitigare aut ablegare ita, vt interim per moram dilabatur causa.

Sed video quid requiras à me, causam scilicet præceptorum epistolæ. Defensionem doli & præcantationis imaginem prodesse hic non dicam. Tametsi enim in Medicorum libris, quod ad salutem tendant, multa huiusmodi defendi soleant: nolo tamen his inniti. Quoniam vbi ex falsa persuasione fidem conceperis silentij tui, facit hæc fides, vt nec proferre perperam quidquid in mentem veniat, ne quidem in equuleo positus, aut ab igne cruciatus dicere possis, quod dicere non posse iam confidis. Experimentum deduc à venere. Ad mulierem accedas hoc cum timore, cum hac formidine, quod cum ea concumbere tibi non liceat, non licebit: quin ampliùs si mingere te non posse credas, non minges, aut vix. Indicio, persuasionem esse causam impedimenti, quod, pauci licèt sint, aliquibus tamen dolore aut leuitate ingenij hæc non prosint, vt nec reliqua præcepta. Similiter, quod monuerim docendos captiuos, non puto me malè egisse: sæpius enim circumueniuntur, quàm vera fateantur miseri. Et iam, vt dixi, aduersus conuictos lex sæuit, etiamsi pertinaciter negent. Et verò facilis sæpè circumuentio est, vbi plures sunt contra vnum, eruditi & callidi contra simplicem & imperitum, integri mente contra metu perterritum & carcere in desperationem adactum: hinc accusator, illinc testes rigidi, iudices minaces, tormentorum aspectus, exspectatio cruciatus: denique vnus horratur, alter pollicetur, aliqui minantur, illi mutuis consiliis armati aduersus omnium inopem. Non desunt, qui iurent, si fateatur, parcituros: alij etiam ostendunt fidem publicam. Sunt qui omnino, etiamsi non fateatur, moriendum illi prædicant, frustráque experturum tot tormenta, tot cruciatus: nec iam quæstionem hanc agi propter ipsum: nam de ipso decretum etiam quid agendum sit, sed propter alios. Forsan complices fatendo aliquid emersurum pro defensione sua. Quidquid eueniat, pertinaciam hanc iudicibus inuisam, sibi inutilem, vtilem verò his qui illum damnarunt atque accusarunt. Ita aliquibus accidit, vt fateantur quæ non patrarint: aliquibus, vt quam patrarint, grauius efficiant crimen: pluribus, vt fatendo crimen venia dignum, ex defectu probationum iniustè damnentur.

Quod verò ad corrumpendos testes attinet, non id ago, vt horter dicere quæ non viderint fecerintve: absit: sed vt dicta sua temperent. Nam hoc non solum legibus permissum est, sed sunt è nobilibus Iurisconsultis, qui hæc doceant & tradant. Diximus aliàs, esse in veritate dicenda modum & excessum. Ad quid, ea narrare atque fateri, quæ non solùm contra te sint, sed etiam iudicem in opinionem contra te inducant, & vt ab eo iniustè damneris, efficiant? Iustum & iniustum determinant lex diuina vna, hominum plures, nec eædem apud omnes gentes. Idem crimen non apud singulas nationes eadem pœna punitur. Lege crimen constat. Si lis apud superos esset, testes corrumpere nefas esset. Hic multa

supplere loco eorum, quæ desunt, vel auferre licet. Testis neminem grauet, nulli noxam afferat, non dicat quæ non sunt: sed ita vera proferat, vt captiuus iniustè non damnetur. Dices, quomodo? Quidam luscus erat nec satis acutè cernebat: vidit is quemdam, qui iniuriam suam vlciscebatur: cum quæreretur, respondit, scitis me oculis hebetibus esse, vt non ausim affirmare quis fuerit. Et certè non solum amici saluti consuluit, sed verisimilia dixit. Aliquando alius similiter, cum visus causa deceptus esset, insontem accusauit, parúmque ipse à capitali pœna abfuit. Alius, cum nobilis quidam ab amico suo interfectus esset, interrogatus dixit, se illum, qui interfecerat, vidisse fugientem ab eo, qui interfectus esset. Ex quo sequebatur, vel non interfectum illum ab eo, qui de crimine arguebatur, vel ob causam legitimam. Et tamen vera dixit. Vix est vllum crimen, quod testis aut iudex grauare non possit, aut leuius reddere. Itaque stulti est, non consulere iustè rebus suis, cum instante calumniatore iniustæ damnationis periculum subiturus sis. Est hæc non integritatis laus, sed stultitię lapsus. Causa verò singulorũ præceptorum huiusmodi est. Potus aquæ efficit hominem consilio prudentiorem, in respondendo cautiorem. Et dum valetudinem debilitat, animum confirmat. Lingua dentibus sauciata vix admittit responsa, & in memoriam tardando verba reuocat, quæ opportuna sunt proposito. Sæpè verò subornantur ministri, qui tuæ causæ fauere videntur, monéntque te de rebus exigui momenti, quibus dum te prodis, in casses incidis. Ita contigit in causa, quæ inter Franciscum Gadium & Ambrosium Cauenagum olim agitabatur. Nam nepos Gadij Ioann. Baptista de Coruo, quamuis publicus tabellio & harum rerum haud ignarus, nihilominus deceptus fuit. Sed non erat capitale crimen. Cauendum est igitur ab omnibus. Nam idem etiam à sociis carceris contingere potest. Quamobrem si per illos, qui custoditur, admonere velit defensores, ita agendum est. Per epistolam primo præmoneatur, vt personam personæ subiicere norit; vel è regione pro fabro sutor; vel ordine certo, vtpote tertiæ aut quartæ domus dominus; adiecto inde loco, viaque aut foro. Sic illos sine discrimine docebit, quos alloqui necesse sit.

Quod verò in conuiuiis silentium habere oporteat aut cum sociis ludendo, cum simulant cum prædicant te absolutum, cum, quod plus est, etiam periurant, imò diploma absolutionis ostendunt, hoc argumento intelligas, quod maius est periculum longè in hoc, quàm in equuleo. Quamobrem quocumque ducaris, vbi fueris, adhuc laqueum & cum falce mortem imaginare: nullæ blanditiæ, nulli apparatus, nullæ cupediæ, nulla promissa, non amici, non iuramenta, non diplomata, etiam sigillo firmata, te ab huiusmodi contemplatione auertant. Præstat insanire metu & imaginatione, quàm perire. Omnis morbus sanari potest, mortuorum nullus resurgere. Si inuitent ad pocula, & cur aquam bibas? rogant, causare capitis assiduum dolorem. Tunc crede te liberatum, cum iam annus excesserit à carceris exitu. Moram quæras, tempus pertrahas sponte, sic minus grauabit te carceris tædium, & securius viues à timore fatendi quæ reticere oportuit. Multos enim, quos tormenta euincere non potuerunt, carceris fastidium ad confessionem adegit. Omnibus præstat à flagitiis abstinere: sed nullis magis, quàm impatientibus moræ & tædij. Quatuor sunt instrumenta veritatem eruendi: Dolus, blanditiæ, cruciatus & tædium. Terror namque sub cruciatu continetur.

In quæstionibus semper cum de re ipsa interrogaris, breuissimè responde. Quoniam longus sermo aliqua, quæ suspicionem iudici afferunt, detegit. Est enim hæc ratio velut disputantis. De capitis igitur periculo te disputare memineris. Præceptum est ergo Philosophi in Topicis, vt quam breuissimè respondeas. Cum verò ad ea, quæ circumstant, iudex se transfert, quia talia multa esse possunt, non simpliciter nega, ne deprehensus in mendacio augeas criminis suspicionem. Ob id nescire te, non meminisse dic. Oportet autem hominem exercitatum esse in ea parte dialecticæ, cuius vsus iam, tametsi valdè vtilis, exoleuit. Vocant autem obligationem: quæ à Paulo Veneto diffusè ac pulchre explicatur. Supponitur aliquod absurdum, sæpius falsum solum, nonnunquam quod esse non potest, & tu iuxta ea, quæ supposita sunt, respondere cogeris, contradictionémque vitare. Velut si dicat, suppono te non esse, admittam autem: quæret, quid responderim? dicam non respondisse: quæret, an affirmatiua sit hæc suppositio an negatiua? dicam nullam esse responsionem. Ergo tales nugæ plus longè prosunt quàm multa alia, quæ nunc nulli cum sint vsui, in pretio habentur. Propterea, quod & alias dixi, nihil aperias, si potes, quod silentio perpetuo sit occultandum: nam & in periculo maximo semper eris, & tu tibi culpæ conscius cogeris supprimere quæ scis, tormento non leui animi.

Verum si innocens à crimine sis, diffuso sermone & claro atque expolito cuncta narrabis. Veritas enim quanto clarior in lucem prodit, eo securiorem reddit eum qui accusatus est. Porrò ad hanc disciplinam inepti sunt immemores, stulti, impatientes, loquaces, timidi, iracundi, & qui veritatem dicere nesciunt: nam hi nec mendacia fingere opportunè norunt. Etenim si mendacia tuta esse debent, verisimilia esse oportet: at quomodo verisimilia dicet, qui veritatem dicere non consueuit? Hos igitur in aperta vi vindictam potius, quàm in dolo collocare oportet, quoniam & honestior & securior est. Quod si crimen recens sit, dubiusve tu ne conuincaris, vel non possint proferri tormenta, epistolam hoc modo exarabis. SS. MM. CC. AB. LM. CD. eamque memoriæ manda. Si times iudiciis conuinci aut succumbere tormentis, stultitiam fingè factis dictisque, ac in his persevera, nec cura quid interrogatus dicas, modo ne conscientia proferas, nec in eodem proposito maneas, perpetuo autem loquaris. Hic enim mos stultorum. In equuleo obiurga, minare iudicibus, clama: dicas te alios, qui viuūt, occidisse. Si securim ostenderint, colum vltro subiice. A cibis persæpè duobus diebus abstine, torum intuere, ventrem insla: aliquando

resipisce,

resipisce, post denuò ad stultitiam breui transi. Magna verò prudentia, quod memento, opus est ad stultitiam rectè fingendam, propter varias iudicum interrogationes. Si interrogent, an prudens sis, prudentissimum te dic, & irascaris ei, qui te stultum aut fatuum esse dixerit, aliter conficta res videbitur. Habet hæc simulatio quatuor egregia commoda: vt confessus absoluaris & etiam plenè libereris, quamquam ob multitudinem testium conuictus dici possis: vt confessio omnis, seu in tormentis seu sine his, irrita sit: vt absolutus non euadas infamis, sed perinde acsi inscius sis facti.

Denique si capitale periculum imminet, nec in dolo vlla fuerit spes, certa fuga ei consulitur. Quod si nec huic locus sit, iam omnis spes in defensione reposita est. Tum verò & testibus & aduocatis fidis ac præstantibus indiges, propitiísque iudicibus. Et si crimen graue sit, res in arcto est collocata. Nihilominus miserum captiuum deserere non oportet. Gratia quoque principium, quod supremum etiam & tutissimum auxilium, plurimi liberati sunt. Principum gratia habetur atque speratur vel beneficiis in illum collatis, quod inualidum est vinculum, siquidem principes plerique nullis, vix diis ipsis forsan se debere existimant. Sed quatuor sunt alia hîc præsidia ad aucupandam gratiam longè isto firmiora. Familiaris is qui Principi Imperat, & cuius nutu omnia agit, qualiscumque ille sit: alius princeps quem aut timeat aut vehementer amet: amasia & sacerdos omnium conscius, sed hic non solet apud pleròsque inueniri, sed vel religiosissimum vel sapientissimum principem. Quomodo autem hos vel illos tibi deuincias, satis intelligere te puto. Et vbi de amicitia & familiaritate actum est, dixisse me memini. Vnum est, quod in repentinis casibus repentino auxilio ad amicitiam conflandam opus sit.


Quare eum, qui sanctè viuere velit, oportet aut, sub cultu optimarum legum vt dixi, viuere, aut Deum pluris longè facere quàm omnia reliqua, aut fortuita omnia contemnere, atque etiam hæc fortuita collocare sobolem atque posteritatem: aliter vel casu vel metu miser erit. Iudices quoque, vt dixi, iisdem rationibus beneuolos facere præstat. Nam caput illud de Arbitrio iudicis eo dum ampliarunt, vt iam nihil timeant. Timent vocem populorum? eodum, vt votis suis conformem, atque ita, vt propugnaculum, non hostilem machinam. Aufugiat, qui bonus est ex ea patria, vbi homines plurimum possunt. Nam vix tuti essemus à superis, si nihil hi timerent. Sed timent iustum, æquum, bonum, pium, sanctum. Ecce quod plura timent dij quàm homines. Sed non timent dij? Verùm: hæc tamen diligentius obseruant, quàm si timerent, Homines mortales sunt? Ob id multis perturbationibus ac vitiis referti sunt. Hos igitur quàm minimè tutum est diis puris similes facere ac immortales & nulli subditos. Quamobrem à Romanis olim criminum iudices sorte ducebantur, & statim, finito iudicio illo, desinebant esse iudices. Optiméque consuluit, qui etiam iudicia ad equestrem ordinem transtulit. Venetiis sex mensibus solum præsident. Quàm pulchrum est eis subiici iudicibus quos paulò post alios iudices metuere oporteat? Si læsi quemquam, si inuidia laboro, sub æternis iudicibus quomodo tutus esse possum? Si mali sint, quis prohibebit insontem dare pœnas? Si boni, saltem à metu nemo me liberabit. Vbi autem metus, ibi summa infelicitas. Æquis ergo iudicibus ac legibus agendum est. Ostendere oportet probitatem, præstantiámque ac virtutem calamitosi, causam qua id egerit, conditiones quæ crimen alleuant, nobilitatémque ad misericordiam aduocare. Quæ si fortè plus possunt quàm gratia, æternam illam potentiam, quatenus humana talis esse potest, exinde existimare: sin minus, fluxilem atque caducam. Vnde rectè olim Pop. Rom. legem statuit, ne quis ciuis, nisi qui in Rempubl. coniurasset, morte plecteretur ex quovis crimine. Quod etiam Cicero testatur. Nam summum supplicium constat fuisse, relegare hominem. Hæc qui idola coluerunt, Deum non cognouerunt: at nos piissimi Christiani in dubiis rebus & ancipiti crimine & attractos alieno scelere crudelissimè occidimus? adeò vt etiam fures pauperes faméque pressos, exiguum ob furtum laqueo suspendamus? Inde conquerimur Mahumetanorum res indies fieri ampliores? Sed fac vt, quod dare debeant, emere cogaris: nec hac in parte oscitantem esse oportet: neque enim verbis, sed facto inimicorum nequitiæ occurres. Si quinquaginta pepigit inimicus, centum dabis, nec queris de causa iniquiore. Nam sic tanquam prauum accusas iudicem, quem tibi reddis inimicissimum, qui nec das nec accipere permittis, & præter id sceleris reum, vt sibi videtur, absque causa facis. Non enim aliter, quàm qui in pensilibus tabulis agitantur, vehementius huc illucque iactati magis concitantur. Nil autem hac in causa deterius est animo inquieto atque impatiente: tametsi in omnibus patientia summa opus sit. Sed illis parum præcepta hæc prosunt. Quoniam quantumcunque boni feceris, verbum vnum inconsideratè prolatum euertit te, seu fatendo crimen, seu iudici aut ministro etiam irascendo. Melius ista per communes amicos aguntur. Non est, quod iniquam omnem largitionem esse dicas. Nam & Cato ipse aduersus Cæsarem publicam largitionem pro Bibuli consulatu comprobauit. Mediocris autem largitio inutilis est. Nam vt animum iudicis moueat, parua est: si vincaris, periit. In dubiis ergo causis magna esse debet, in aliis minimè. Caue etiam in minoribus criminibus, dum aduersarios vrgere celerius studes, ad maiores confugias magistratus, vnde aduersariorum potentiam testeris, tuam inopiam notam facias, iudices priores irrites, pecunias effundas, victus abeas. Quamobrem, vbi iniustè fatigaris, cùm tabellionibus paciscendum est, vt clauus clauo trudatur.

Sed ad rem redeo: si potes, à litibus abstinendum consulo, etiam ciuilibus; quanquam hæ mitiores ac, vt ita dicam, blandiores sint. Quod si cogaris exercere seu has seu illas, meminisse oportet eum, qui exercet, debere esse admodum liberalem, solertem, solicitum, patientem etiam iniuriarum, vt aduer-

sarios flectat, exactéque peritum iuris, imprimis municipalis atque consuetudinis, fortémque in omnibus ac, vt ita dicam, quasi audacem in periculis obeundis, cùm res in extremo versatur discrimine. Quòd si ita est, iam expertum talia esse necesse est. Inde igitur prima vtilitas, quæ ex huiusmodi infortunio colligitur, est, vt si contingat aliàs, paratior sis. Cùm enim prima vtilitas in aduersis cunctis, præterquam in morte, sit discere aut tueri se aut perferre: in litibus criminosis maximè enitet ea pars tuendi se in posterum, si simile quid euenerit. Secunda est robur & incolumitas corporis. Animus enim intentus, quia, quemadmodum ille dicebat, dormire in ephippiis non debemus,) vt carbasa nauim, corpus sustinet. Cùm vltimis viribus filij salutem tueri conarer, quamvis laborantem, animi æstu maximo, vt nunquam aliàs & præter modum ac intempestive me exercerem & vigilarem, nihilominus sanus & validus semper fui ob intentam curam. Vnde non malè mihi visus est Epaminondas. miratus militem strenuum, qui in castris morbo perierat, dixisse, vnde illi tantùm otij superfuit ad moriendum? Tertia est, amicos sibi plurimos parare. Quod si etiam compares inimicos, plus tamen delectant amici ac prosunt quàm obsint aut officiant inimici. Quod amici cùm vis, aut saltem frequentius adsint præsentes quàm inimici, nec illorum operis, vt inimicorum, legibus interdicatur. Quarta est, cognitio morum hominum ad multos vsus accommodata. Dico auaritiæ aut liberalitatis, scientiæ aut ignorantiæ, fidei, perfidiæ, efficaciæ aut languoris, atque aliarum animi qualitatum. Quinta est, vt discas liberalitatem, quæ in hoc consistat, vt scias pecunias & munera erogare in eos, qui promerentur. Disces etiam patientiam, & ferre contumaciam & maledicta & iniquas iudicum voces ac iniusta facta. Tum intelliges te in tartaro sepositum extrema supplicia pati, intérque metum & spem semper torqueri. Qui in tempestate periclitantur, Diis supplicant & mortem vnam timent: at qui in litibus versantur, improbissimis hominibus supplicare coguntur, & plures mortes timere. Inexorabiles hi sunt & diuturna animi pœna: nauigantium breuis est & sæpius aditum precibus inuenit. Mala hæc sunt molestissima, sed tamen quæ nos admonent miseriæ nostræ & calamitatis humanæ, & quanta esse debeant quæ apud inferos sunt. Cogeris atrocia verba audire, truces intueri vultus, immania facta experiri. Nec vnquam metuendi iudices, quàm cùm Domitiani exemplo, abblandiuntur, & inconditæ sunt sæuitiæ, immensæ ambitionis, inexplebilis auaritiæ. Inter tam grauia mala versantem quælibet occasio lenis felicitatis aut tranquilitatis aut otij plurimum delectat.

Est & aliud litium caput, An liceat quemquam accusare? Sanè defensio apud omnes laudata est, accusatio non ita. Nam & Cicero inde Diuinatione se excusat, quod cùm tot annis multos defenderit, neminem accusauerit, nunc cogi à Siculis inusitato fungi munere. Nec vllum extat exemplum quæstuariæ accusationis, præter illud. Nam in Vatinium, Pisonem, Catilinam, Antonium, Salustium; vel pro Republica vel pro seipso inuectus est. Demosthenes, plures accusauit, vt Æschinem, Aristogitonem, Midiam, Aristocratem, Timocratem, Theocrinem. Et, vt breuiter comprehendam rem, quemadmodum sæpius Cicero defendit, rarò accusauit: ita Demosthenes sæpius accusauit quàm defenderit. Priores tamen illos publicæ vtilitatis prætextu. Aphobum autem tutorem ac sequentes ob priuatam causam. Estque insignis illa ob vtilitatem litis intentatæ. Victor enim aduersus tutorem suum Remp. capessiuit, atque in ea, exemplo priorum actionum, illustris euasit. Itaque & multis contigit, vt ob lites illis intentatas, procuratores litium ac defensores euaderent. Verùm nec hæ, nec aliquot aliæ quæstuariæ fuerunt, sed vt rem suam tueretur, atque ciuiles potius quàm criminosæ. Turpè ergo existimari debet, si ob mercedem quisquam de priuato crimine accusetur, non autem alio modo.

Porrò cum accusatio libera sit, non est vt doceam, quomodo ex illa vtilitates capere liceat? Quanquam haud obscurum sit, hoc exercitationis quosdam Romæ adolescẽtes fuisse vsos vt inclarescerent. Verùm cum accusationum & criminosarum litium finis sit vel mors vel absolutio vel mulcta vel exilium, de morte superius, quantum satis est, actum est: de absolutione non est vt agam: mulctas inter damna rei & paupertatis causas recensuimus: de exilio igitur agendum est.



CAPVT XVI.

De Exilio.

EXilij triplex licèt sit genus, aut lata fuga, aut relegatio in insulam, aut certorum locorum aditus interdictus, vt Martianus affirmat: volumus tamen de omni genere intelligi, quando de exilio sermonem instituimus. Non verò eadem in exilio, quæ in aliis calamitatibus, dicenda mihi necessarium fore puto, cùm in illis & vitare infortunium & dolorem leuare solitus sim docere. In exilio id solum superesse arbitror, vt commoda illius describam: neque enim exilium inter calamitates numerandum censeo, sed huiusmodi rem, quàm multi sapientes & optimi viri sponte sibi delegerunt. Nec miror multitudinem eorum, qui hoc vitæ genus seu amplexati sunt, seu libenter pertulerunt, sed cur non omnes se eò conferant? Cuius inuenire causam aliam non scio, nisi quod non omnes gnaui aut prudentes, aut boni aut fortes sint: omnia enim hæc adesse oportet, vt homo in patria, quantumvis felix, se contineat. Omitto enumerare quos numerare nequeo, qui sibi spontaneum exilium delegerunt, vt Lycurgum, Solonem, Africanum, Antonium Oratorem summum, Rutilum, Ruffum. Exilij tantùm incommoda commodáque recensebo. Sed & hoc parce, quod Plutarchus primum, inde Petrus Alcyonius de hoc argumento duos libros sub dialogi forma eleganter

eleganter conſcriptos reliquerit : in quibus etiam, exiſtimauit non pauca ex libris de Gloria M. Ciceronis, quos ad illum perueniſſe fama eſt, inſeruiſſe. Quidquid ſit ſatis conſtat eos per ſe facundos eſſe atque eruditos.

Videntur igitur exilij præcipua incommoda ſex eſſe : carere patria, honoribúſque eius atque neceſſariis, tum abſentia chariſſimorum & infamia ac neci damnatum eſſe : hoc enim ſolet exulibus adiici, vt impunè poſſint occidi. Nihilominus videtur res adeò vtilis exilium vt nemo felix eſſe poſſit niſi in exilio, nemo prudens, niſi qui illud expertus ſit. Ego ſanè, quamdiu extra patriam fui, beatus fui, nec vel minimam moleſtiam foris expertus ſum, vt nec domi quidquam ſuaue, niſi quantum ex ſtudiis ſubripui. In patria morbos omnes, quos paſſus ſum, ſubij, peſtem, febrem, aliáque omnia. Tabem etiam Mediolani, à qua in Saccenſi oppido liberatus ſum. Mediolani accuſatus, reprobatus à collegio, vbique gentium laudem, gloriam, officia erga me multa ſum conſecutus.

An non igitur facilius eſt in toto orbe deligere ſedem commodam quàm in patria, etſi ſit optimis prædita legibus ac viris? Dici ſolet, nihil eſſe tam beatum, quin aliquid poſſit beatius inueniri; nihil tam ſanctum, quin aliquid ſanctius. Ergo in toto orbe licebit vrbem aut oppidum, non ſolum legibus & inſtitutis ac moribus liberum eligere, ſed etiam vbi aër & aqua valetudini ac vitæ conueniant, & ars tua vel induſtria in pretio ſint: hæc enim, vt dixi, ſunt neceſſaria. Sed, dices, quæ patria erit hæc, bonis legibus ac moribus inſtituta? In qua rectè viuenti etiam ſecurè viuere liceat, & nihil ſit tam malè ſancitum aut perperam neglectum, vt ſecundum leges viuere non poſſis. Nam pleriſque in locis hæc neglecta vitam acerbam efficiunt, velut vbi adulteriis atque iniuriis fauetur. Nam æque malum eſt, ſeu infamiam perferas, ſeu cùm vitæ periculo vlciſcaris.

Ergo in huiuſmodi vrbe aut oppido felicius te viuere poſſe ajo, quàm in patria ipſa, etiam ſatis benè inſtituta, Primum, quòd prudentiam maiorem adipiſceris alienas prouincias inuiſens, alienos mores expertus, quàm ſi perpetuo deliteſcas domi. Hinc ille:

Dic mihi Muſa virum captæ poſt tempora Trojæ,
Qui mores hominum multorum vidit & vrbes:

Hoc eſt, qui nouit mores, leges, inſtituta, regiones, loca, animalia, artes multarum vrbium ac gentium, domeſticas ac peregrinas arbores, herbas, ingenia virorum, mulierum, puerorum, maria, flumina, montes, ſtagna, lacus, paludes, linguas. Adeò vt hac in parte neminem tam iniquum iudicem habere me poſſe ſentiam, qui neget & prudentiam & voluptatem maiorem gigni luſtrando nouas regiones, quàm ſi more vermiculorum in patria ſua, velut illi in ſua auellana, perpetuam exigant vitam. Quinetiam horum, qui alienas inuiſerent regiones, neminem vidi in Prætoris manus incidiſſe, aut in rixa occubuiſſe : non ſolùm enim prudentes & fortes, ſed & boni atque corpore agiles euadunt. Conducunt præterea hæc etiam ad lucrum & gloriam. Peculiariter autem locorum cognitio in bello vtiliſſima eſt. Inde etiam narratione oblectamus audientes. Ex naturalium rerum ſcientia, auxilia medica, ornamenta domus, mercaturæ & lucri anſa non exigua habentur. Præterea deligere ex morum cognitione facilè ſcies in ſingulis regionibus ſeruos, ancillas, famulos, artifices, pædagogos, milites, coquos, nutrices. Generaliter quoque ipſum ſcire per ſe pulchrum eſt & delectabile.

Quod ad affines attinet, vxor filiique ad exules proficiſcuntur : nec vlla eſt lex tam barbara, quæ his prohibeat aditum ad illos. Quod ad reliquos, ſi non amant, cur eorum deſiderio fruſtra tentaris? ſi amant, ad te venire illos haud pigebit, imò & tecum libenter atque diutius commorabuntur. Experieris etiam amicos fictos veróſque, & inter illos, qui ſint præſtantiores. Affinitatem etiam in exilio contrahere licebit, atque nouæ clientelæ te inſerere. Similiter ac longè celerius nouos amicos parare, atque ſocios, vt & familiares. Etiam per Epiſtolas frequenter te iungere animis abſentium virorum potes : feminis autem corpore iungi præſtat, & coram congredi.

Quod ad infamiam attinet, ſi flagitiosè non vixiſti, non potes eſſe infamis. Stultum enim eſt, vt anteà dixi, cùm vitæ conſcientia pura ſit, ob inuidorum & plebis voculas torqueri ac expaueſcere. Neque enim ſupplicium Chriſtum aut Petrum aut Paulum aut Socratem; vel exilium F. Camillum aut Metellum infames reddere potuerunt. Cauſa eſt, quæ, etiamſi te non damnarint, non expulerint è patria, imò etiamſi ornarint, vt Seianum & Tigillinum, infamem reddit. Ariſtidem ſcimus ob exilium optimum fuiſſe virum, quod in exilium actus ſit quia optimus eſſet. Quin etiam multa deformia in vita noſtra apud exteros latent, adeò vt multi flagitioſi procul à patria vixerint, ſolum ob id, vt flagitia laterent. Ego flagitioſum me ob id eſſe nolim : ſi tamen aliquid ſit, quod citra culpam meam homines turpè eſſe putent, id latere certè cupiam : velut iniuriam acceptam, paupertatem, natalium humilitatem, minus nobilis artis exercitationem, quòd ſpurius natus ſim, quòd vxor mœcha fuerit, quòd filius ob flagitium publica morte perierit. Multa ſunt huiuſmodi quæ latere velim, etſi ad me non pertineant. Hoc igitur commodum eſt exilij : quamobrem & ea occultare, quantum licebit, ſapientis erit. Vt contra maiorem de te exiſtimationem habere potuerunt, quod, vt ſæpius dixi, ignota ſemper maiora exiſtimari ſoleant. Ita ergo te geres, vt omnia illi bona in te maiora eſſe credant. Cùm enim apud exteros incognitus ſis, omne iudicium transferunt ad mores. Cùm ergo hi planè ſint in tua poteſtate, apud exteros tantus eſſe potes, quantus eſſe velis : non ita apud tuos ciues. Adeò verò hæc certa & euidens eſt, vt etiam varia hæc exiſtimatio domi foriſque in Chriſto locum habuerit : nam domi palàm contemnebatur. Virtutes ac præſtantiam exercere

exercere potes, vitia occulere. Propterea sycophantæ & quorum vita nequissima est, ita assiduè vagantur, vt vno in loco non nisi tribus aut quatuor diebus maneant. Hoc igitur sextum est in exilio commodum, præter illa generalia tria, quæ proposuimus, scilicet securitatem, salubritatem, & lucrum.

At, obiicies, paucos in alieno loco nosco? Deo magis, magis superis ac speculationi studebis. Quid agunt turbæ clientum & sociorum, quàm vt inutili conuersatione ab vtili, honesta & debita Deorum cura te auertant? Habes & tempora incumbendi literis latiora. Sed & causam exilij, licet semper in meliorem transferre. Occidit inimicum vir fortis, iniuriæ vltor, honoris proprij non indiligens conseruator. Exulat ob monetam adulterinam, gnarus est Chymicæ artis, multa secreta nouit. Scimus amicum nostrum ex hac damnatione admotum profitendi muneri, meliore ac locupletiore quàm antea conditione. Seditionem in populo mouit, patriam prodidit, magistratum iniuria affecit. Homo est potens domi ac nobilis, plures illum obseruant, principes & inimici vel vicini præmiis ac stipendiis annuis ornant, muneribúsque sibi conciliant. Cùm domum redierit, ab omnibus obseruatur, à complicibus colitur: hos enim omnes factione sibi adiungit. Factiosos non laudo: si quid tamen ad hominum potentiam ac gloriam facit, factio est. Verùm vt in corpore factio vni membro vtilis, ita toti pernitiosa est: cùm toto autem partem perire necesse est. Itaque qui redeunt in patriam, ob factionem pulsi, iidem cum magistratu, cùm potentia summa & honoribus redire solent: velut Alcibiadi & Thrasybulo apud Athenienses contigit, & in nostra ciuitate Ioanni Iacobo Triuultio, Ioan. Iacobo Medices, & Hieronymo Morono. Omnes enim prouinciæ præfecti euaserunt, aut aliquantò etiam illustriores, nec id absque ratione. Necessitas enim vinculo indissolubili amoris iungit. Eadem facit prudentes & fortes: fortunæ autem conditio humanos. Sic Ottoni Vicecomiti ab exilio diuturnam familiæ suæ dominationem peperit, quæ perpetua esse potuisset, nisi domestica perfidia obstitisset. Concoquuntur enim consilia in diuturnis calamitatibus, & in exilio cum libertate fautoribus & gloria etiam iuuantur: vnde in egregia facta erumpunt. Ergo & amicitia arcta & prudentia comites sunt exilij, nec solùm in his, qui seditione è patria pulsi sunt, sed etiam in omnibus. Desiderio enim ciuium deuincti, si aliquibus occurrere continget, veram & firmam contrahimus cum illis amicitiam. Sed seditiosis mutatio status Reipublicæ magnum commodum afferre solet. Humanæ autem res cùm in perpetuo motu sint, frequenter ac quasi semper mala in bona commutare solent. Tabulas testamenti falsas confecit? callidus est, astutus, ingeniosus. Leuem ob causam exulat? Vir insignis est, præstans est, ob inuidiam riualium pulsus est. Denique nulla tam turpis causa esse potest, quin subduxisse se homines maius putent, quàm crimen atque damnationem. Crimen enim committere humanum est: damnari inuidiæ & acerbitatis, inimicorum: at præoccupare, publicas vires superare, fallere oculos hostium, prudentiæ & fortitudinis insigne est argumentum atque factum præclarum. Ob hoc etiam exules magis timentur, tum etiam quia nihil habent, quòd eripi queat, ideóque illos magis obseruant homines, ciues autem magis amant. At timeri tutius est, quàm amari.

Porrò quod ad periculum vitæ attinet, illud cum his, quæ de inimicis dicta sunt, explicatum esse scio, vt frustra sit repetendum. Facilius autem est longè, deuitare hoc in exilio quàm domi, quod longius absis, & aduenam facilè caueas, & inquilini ac ciues, si id patrare audeant, in eodem periculo sint, ac si damnatus non esses ac domi, & multa sint loca ob iustitiam insignem securissima, vt Heluetiorum vrbes: alia ob diligentiam, vt Fertaria. In qua quamdiu vixit Laurentius Medices, qui Alexandrum Florentiæ principem occidit, tutus fuit: cùm Venetias se contulit, per sicarios ad id destinatos statim oppressus est. Turcarum autem regio, magna ignominia Christiani nominis, ab hoc periculo tutissima est, & quàm maximè procul abest, in qua & exquisitissima diligentia adhibetur ne nocentes euadant, & capti seuerè puniantur. Itaque hoc periculum minus est longè quàm quod ab vllo vel minimo inimico in patria impendet.

Reliquum est igitur, graue tantùm esse in exilio ipsum exulare atque patria arceri. Quidam enim putant, debere nobis patriam gratam esse præ parentibus, quod sapientes omnes plus nos patriæ teneri affirment quàm parentibus. Atque id verum est, attigítque Alcyonius, sed nesciuit se à tam difficili nodo explicare. Nam omnia non possumus omnes. Certè parentibus quidem lege naturæ debemus, atque ideò etiam lege diuina: parum enim absunt instituta harum præceptionum, si quis rectè interpretatus fuerit: patriæ autem ex conuentione ac pacto. Ita enim conuenimus, vt donec simul sumus, alter alteri ciuis auxilietur, & omnes communi bono faueant, quoniam ciuitas aliter stare non posset. Ergo vbi ciuis exulat, liber est ab hoc pacto: quia cùm reiectus est à ciuitate, soluta est conuentio, & desinit esse ciuis, quia pro mortuo ille ciuitati est, habetúrque, aliis interim viuit. At parentibus nulla lex interdicere potest, aut naturæ vinculum soluere. Ob id quantumvis à patre filius explodatur, aut pater à filio iniuriam patiatur, desinere non potest amicitia, coniunctióque mutua & obligatio inter patrem ac filium, quia vinculum illud naturæ abrumpi non potest. Vnde benè idem Alcyonius, enarrans hanc causam, eam coniunctionem declarauit his verbis: Filios quidem nos procreamus, de nostris visceribus extrahimus, cùm voluptate suscipimus, nostris manibus alimus, educamus, ad nostros mores fingimus, illos vt expressas effigies animi, ingenij, voluntatis nostræ exhibemus, sempérque in oculis habemus, vel dulci naturæ commendatione. Atque hæc, vt dixi, de filiis optimè: sed ius patriæ fortuitum esse credidit, nec ius coniunctionis intellexit, nec,

nec, cur in exulibus nihil momenti afferat, cognouisse visus est. Namque dum manet, patriæ charitas debet esse maior quàm parentum, quia ex conuentione est: sed cùm conuentio abrumpitur, nihil postmodum superest. Quod si exules aliqui patriæ periclitanti opitulati sunt, id inter magnifica acta non autem debita numerari debet. Ergo carere patria maius non est, quàm illam teipso carere. Illa abrupit pactum ac mutua fœdera: tu liberatus es à vinculo, à debito quod illi præstare tenebaris. Quid est ergo, quod te premat ob absentiam? Si lege naturæ? nihil illi debes: si humana atque ciuili? meritò illam odisse potes, vt illa te. Nec tamen necesse est, vt, cùm illam oderis, etiam omnes tuos coniunctos, qui in illa sunt, odio prosequaris: sed licet illos amare, alios despicere, quosdam etiam odisse. Atque hæc generaliter.

Nunc autem solum reliquum est de his loqui, quæ propriè exulem facere oporteat. Versantur autem circa tria, circa electionem loci quoad salubritatem, (nam de legibus & securitate, deque amicorum & sociorum electione dictum est.) circa vitam, & studia atque conuersationem.

Principio igitur regionem deligere oportet, in qua homines diu viuant, & plures sint senes, pauci oblæsi, raróque abortiant mulieres aut ex puerperio pereant, & rarò homines ægrotent, nec acutissimis morbis intereant, puerique agiles sint & mulieres pariter ac viri benè colorati. Vbi victimarum quoque adeps candidissimus, & caro maximè rubicunda, & iecur minimè vitiosum nec calculis plenum. Ipsa verò regio boreali & Orientali vento perflata, aliis non sit obnoxia, sabulosa, aprica, & libera sit ab aquis stagnantibus, sed propè flumen limpidum sita, procul à mari, vel propè mare sine flumine, quæque aquas habeat pellucidas & quæ epotæ non grauent viscera. In qua sint etiam loca amœna ex viretis & plantis odoratis, non verò cicuta abundet aut hyoscyamum aut sambucus.

In deligendis quoque amicis minimè sis præceps. Quòd cum vbique conueniat, magis tamen extra patriam est obseruandum. Inspice igitur primum, qualiter se cùm aliis amicis gesserint, & mores illorum, & quàm facilè in eorum amicitiam te insinuare possis. Inde simula inopiam, & vide quàm promptè se exhibeant ad mutuum & auxilium. Nam mutuum semper fuit officiorum maximum & vltimum, si pecunia grandis sit. Caue etiam ne amicos tibi adiungas, qui non tui solùm in aduersa fortuna misereantur, sed qui etiam in secunda gaudeant. Multi enim sunt, qui amicos vellent vt seruos habere & famulos. Nam miseret illorum aduersæ fortunæ: si tamen prouehantur, inuident. Amicis verò inuidis præditum esse, persæpe inutile est. Sed nec plures tibi para in aliena regione. Nam multis periculis atque laboribus, tum etiam suspicionibus facilè implicaberis. Neque etiã longis sermonibus, neque de eisdem rebus sæpè compelles, ne nimis frequenter congrediendo illos fastidio afficias: nec illorum fidem cùm detrimento experiaris aut cùm periculo. Nec, si potes, communica quæ sciri nolis. In eorum autem incommodis præsto adsis, etiam antequam rogatus sis. Et eis præsentibus amicorum aliorum facta lauda. Exemplo enim discent, quàm modestus sis. Ne pugnes, ne iactes te, ne illos reprehendas coram aliis. Omnia enim hæc insolentis sunt & amicitiam destruunt.

Vitam verò duces cautè cum ancilla fida, saltem familiari. Pecunias ne ostentes. Si fert conditio tua, habeas tecum vxorem, filios aut agnatos aliquos amantes tui. Lucro, sobrietati, moderationi ac probitati, mansuetudinique intentius quàm in patria operam dare oportet. Lucro quidem, quia facilè indigere posses, nec haberes vnde mutuo sumere commodè, vt in patria. Ob id etiam, & ob aliàs causas à ludo abstinere decet. Quod cùm pauci facere norint, in magnas calamitates incidere solent. Sobrietati, ob aëris & aquarum & victus mutationem. Neque enim, etsi aër optimus sit tibique conueniat, statim tibi conueniet, sed mutatione sola morbum facilè gignere poterit. Quin etiam idcircò præcauendum est, quo aduersa valetudo in externa regione plura incommoda & grauiora, quàm in patria adferat propter multas causas: quæ, quia facilè intelligi possunt, à me non referuntur. Probitati verò studere ob id præcipuè oportet, quod ipsum exilium improbitatis non leuem suspitionem afferat. Mansuetudinem etiam præferre maiorem, quod in externa patria ambitione & ira nihil sit absurdius, periculosius & magis inuisum etiam quamdiu fieri potest, expedit non detegere calamitatem tuam, antequam amicos comparaueris, & loci consuetudinem intellexeris: multis enim id exitio fuit. Sed nec negare apertè, ne postmodum mendacij arguaris. Sed silentio tegere & præcipere familiaribus, vt ne cuiquam dicant, imò si obiiciatur, negent, quòd illis liceat citra ruborem tuum. Tu verò si negare nequeas, rem extenua ac paucissimis verbis age. Pietatem cole & cultum etiam illius præferes.

His ergo moribus, hac prudentia ne desperes æqualem te conditionem ei, quam in patria habuisti, recipere foris posse: quandoquidem Themistocles etiam longè locupletiorem à Persarum Rege accepit; reditus nempe quatuor ciuitatum, vnius pro tritico, alterius pro vino, duarum pro obsoniis. Annibal apud Antiochum obtinebat conditionem non minus honestam quàm in patria, si calliditate Romani legati non fuisset euersus. Demetrius Phalereus apud Ptolemæum maximo in honore fuit, adeò vt eius suasu bibliotheca & regnum etiam ordinauerit. Hic Regi suadebat, vt libros De Regno & Principatu lectitaret: sic enim fore, vt de multis admoneretur, de quibus amici non auderent illum admonere.

At verò illorum, qui non exularunt, maximam tamen gloriam apud exteros sunt consecuti, numerum quis dicere possit? Imò nostra ætate nuspiam sunt maiores opes & gratia & potentia quàm apud exteros, maximè Æthiopes. Indos & Parthos. Et olim Anacharsis Scythâ apud Athenienses receptus

ceptus est inter ciues, & Eleusinis sacris est initiatus, quòd maximum erat Atheniensium donum: adeò vt Nero non auderet sacris his interesse. Toxaris verò, & ipse Scytha, apud eosdem & statuam & diuinos honores promeruit, liberata vrbe à pestilentia. Quæ etiam Hippocrates promeruit ob eandem causam, & accepit. Zeno quoque Philosophus, quamvis Citticus esse, tantæ tamen auctoritatis fuit apud Athenienses, vt penes illum ciuitatis claues reponerentur, & Antigonus Rex apud ipsum cœnaret. Nemini ergo obest aliena patria, si nos nobis ipsis in illa negotium non facessamus. Quid dicam de his, qui in aliena patria edocti, clari apud omnes euaserunt, vt Plato & Eudoxus Heliopoli Ægypti? Plerique etiam Philosophi aduenæ fuerunt Athenis, vt Aristoteles, Theophrastus, aliique innumeri. Considerandum est igitur quod res ipsa, non locus efficiat beatos & incolumes. Viuo Cæsare dicebat Brutus, Romæ non poteram esse incolumis. Nam locorum varietas parum facit, vt Varro dicebat, ad felicitatem, quandoquidem eadem rerum natura vbique vtendum sit: parum autem referat, si quid desit, cùm omnia ad omnia etiam loca conuehantur. Quinetiam Cicero ipse non semel solitudinem & absentiam à Roma laudauit, quæ erat tum mundi domina. Tu verò ab vrbe despecta & sordida abesse non potes? Nullum igitur malum, si exilium malum est, exilio leuius esse potest.



CAPVT XVII.

De Solitudine.

DE Solitudine scripturo melius quid non succurrit, quàm vt ea dicam atque his verbis, quibus Cicero inquit, Africanum dicere solitum, scripsit Cato. Nunquam se minus otiosum esse, quàm cum otiosus; nec minus solum, quàm cum solus esset. Nam in solitudine secum loqui solitum, vt neque cessaret vnquam, & interdum colloquio alterius non egeret. Itaque duæ res, quæ languorem afferunt cæteris, illum acuebant, otium & solitudo. At ego, inquit Cicero, non eam solitudinem languere patior, quàm mihi affert necessitas: & quanquam non tantùm roboris habeamus, vt cogitatione tacita à solitudine abstrahamur, plura tamen breui tempore euersa, quàm multis annis stante Republica, scripsimus. Hæc ille cum dixerit, & verè, vt aliàs docuimus, dixerit, palàm est, nihil aptius contemplationi esse ipsa solitudine. Quid enim illud prouerbium tam Græcorum quàm Latinum, Soli sumus, vult, quàm quod multa sunt, quæ soli facere possimus, quæ cùm aliis non licet? Itaque solitudo ipsa maximam affert libertatem. Illa nos iungit Deo: neque enim vnquam melius Dei recordamur, quàm cum impediti non sumus ab hominibus. Atque hinc viri illi maximi Antonius, Hilarion, Hieronymus & Paulus Eremitæ, Magdalena, diuturna solitudine diui nomen constans sibi compararere. Scripsimus in hoc genere multa in Theognosto, ob id nunc, nisi repetere iam dicta velimus, pauca supersunt. Sed & in hoc genere libri extant Francisci Petrarchæ, & numeroso pede Theophyli Poëtæ. Nos verò magis necessaria tantùm attingemus, & quæ ad hunc finem maximè spectant, & ad humanæ vitæ communem vsum vtque vtilitatem imprimis conducunt.

Videntur autem celeberrimi viri & ad ciuilem vitam nati solitudinem approbasse, aut in ea profecisse. Inter quos Aristoteles, cum Athenis fugeret, ne bis in Philosophiam peccare illis contingeret, in Eubœæ Chalcidem se contulit, non in patriam Stagiram aut Macedoniam, maluitque in exilio & solitudine mori, quàm in patria viuere: periit enim in Chalcide. Quo consilio, cum in patria acceptus esset? Existimandum est, vitasse illum omnem ciuilem turbam, maluisseque potentia carere, quàm negotiis occupari. Credo etiam quod Polysperchon Macedoniam occuparet. Nam Antipater, vt Diodorus Siculus auctor est, præterito filio suo Cassandro Tribuno, Polysperchontem Macedoniæ perfectum reliquit. Aristoteles cum esset Antipatris & Cassandri partium, & Olympiadi Alexandri ob hæc parum amicus, non ausus est in patriam redire, hocque consilio maluit in solitudine mori. Constat sanè sexagesimotertio ætatis anno illum periisse: an verò Nicomacho filio, & Pythiade filia, & Callisthenis matre, eius sorore adhuc superstibus, aut aliquo eorum, incertum est.

Illud autem semper cogitandum, cum sumus soli, tunc adesse nobis sex minimum: Terram, aquam, aërem, cœlum, Deum, conscientiam, naturam. De septimo hoc licet non apud me, apud plerosque alios tamen dubitatio est. De terra, aqua & aëre manifestum est ex his, quæ in primo de Æternitatis Arcanis dicta sunt. Cùm enim omne elementum maneat propter locum, solus locus medius inter tria elementa conseruationi mixtorum & maximè animantium opportunus est. Nam si locus aëris aërem conseruat, vt mixtis sit exitialis, necessarium est. Ergo homini nec in profunda terra, quantumvis libera esset respiratio, nec in media aëris regione, etiamsi ibi esset commodissima habitatio, vel per diem vnam viuere liceret. In hoc autem interliminio elementorum, vbinullius elementi vita est, resident mixta atque viuunt. Vbi ergo fueris, ibi tria elementa esse necesse est. Et nisi captiuus sis, cœlum etiam spectare licet. Inde conscientia tuorum factorum atque Deus vbique omnibus præsentes sunt. Vix etiam fieri potest, vt cum his omnibus aliqua non sint, quæ tecum vitam agant, aut plantæ aut animalia aut lapides, quorum generatione & vita delecteris.

De genio autem tuo, quod te comitetur, haud dubium est: non tamen aliis tam facile est persuadere. Omitto enim Brutum, Dionem, Cæsarem, Neronem, cuius vox edita è Colosso mortem prænunciauit. Nostris temporibus Augustini Niphi Suessani fidem exigo, & paulò ante Ludouici Aloisij Imolæ domini ingens miraculum, & Matthæi

Vicecomitis

Vicecomitis & Taciti Imperatoris prodigia, inter quæ numerantur materni fraternique manes, Anastasij Antistitis septem voces, quibus septem, inter quos & ipse vocatus, interierunt. Opicino Caciæ vnicus erat filius Ioan. Baptista, vox audita est ab Opicino, dum sub porticu deambularet, an vellet filium suum mori? Opicinusve cogitato quidem responso annuit, statimque se colligens pœnituit ac negauit. Intra triduum filius acuta febre correptus, à morbi initio tertia die periit. Vnde tot somnia prodigiosa? tot miracula? Fulguris ille casus in sepulchrum Augusti, centesima ante die quam Augustus periret, C. literam, quæ centum signat, sustulit. Tam impudentis est nihil horum quæ quotidie videmus, admittere: quam stulti, omnibus credere, quod multi, ioci aut lucri aut sanctitatis opinionis causa, huiusmodi fingant.

Diuina quoque res est solitudo, & veræ lętitiæ alumna, in qua tam propè es immortalibus, quam procul à mortalibus Numa Pompilius à solitudine Dux factus exercitus, miranda facta ac supra fidem egit. Epimenidem Cretensem quis adeò stupidus est, vt credat obdormisse quinquaginta septem annos, & non potius tantumdem fuisse in solitudine, ad rerum naturam dignoscendam? Qui se ab hominibus propter virtutem separat, huic genij & heroës sociantur.

Cum verò duplex sit solitudinis genus, vel cum seorsum manes ab omni humani consortio semotus, vel cum solus peregrinaris, vt in fuga vel ob paupertatem: de hac etiam solitudine, quod miserabilis non sit, aliqua dicam. Non negauerim solitarium peregrinum maioribus exponi periculis, vt vel spolietur, vel occidatur à latronibus, vel in ipsa caupona, vel despiciatur: persæpè etiam à magistratu, tanquam latro detentus iniustas det pœnas. Nam si pauper est, præsumit ob paupertatem latrocinari, maximè si se à communi via voluptatis causa, vt fieri solet, sustulerit. Si nummatus, hui quantum scelus! occiduntur pecuniæ causa ab ipsis custodum viarum præfectis tanquam sontes, vt spoliētur. Est solitudo periculosa, sed tamen deterior societas incognitorum, mendicorum, improborum, latronum. Solitarius non habet vnde auxilium speret: cum his sociis habet vnde timeat. Cum solus fueris, ne deserere tritum iter, ignoto ne socieris, imò quanto magis suadet incognitus socius vt secum eas, tanto magis illum deuita. Matutinis horis iter aggredere, tempestiuè hospitium subi, cauponam non ingredere solitariam, nec solus. Vilis est societas mulionum & aurigarum, sed tutissima. Ne pigeat aurigæ paucos nummos numerare vt leues laborem, & tædium pellas, & multa discas, & fidum socium habeas. Detrahe ex prandio, quod in currus vectigal insumas. Ne ludas, emas, permutes, rixeris. Omnia enim hæc magnorum malorum initia esse possunt. Cubiculo obducito pessulum, vectem, vinculisque firma. Propè Iuliacum, cum Antverpia redirem, bis sensimus ostium claue peti, sed frustra: vigilabamus enim omnes, obicesque ac lectum ipsum ostio opposueramus, repagulum iunxeramus, arma præsto aderant: suspicabantur, illi vt reor, nos habere pecunias; nos autem, illos esse latrones, sed parum in munere exercitatos. Pecunias adeò absit vt ostentes, vt etiam occultes secretius, ita vt nec suspicio supersit. Id qua ratione agendum, nunc explicabo. Famuli instar induere sago pannoso ac lacero pileo cum plumasatis obsoleta, ocreis vetustioribus diffutisque superiore parte, ne aqua tamen ingrediatur, vno tantum calcari, capulo ensis attrito, rugosoque & strigoso equo vehere, quem & tu ipse curabis, parum nitida interula sedebis in mense imo, vorabis auidè, faciesque tui domini mentionem, quem nobilem & ex longinqua regione, sed omnibus cognitum finges. Si non placet hic mos, panem, vinum, caseum, herbas seorsum: prælia & pugnas ac velitationes, direptionesque vbique persona. Interim tu tamen ocreas & calcaria deterge, finge in proximam ciuitatem domini tui literas ferre. Nec turbidam aquam nec torrentem inexploratum transire audeas, sed sarissa prætenta aut conto. Nec, quo tendas, dicito. Vbi ad hospitium veneris, seram cubiculi considera, quæ si intus aperiri non potest suspecta est caupona valde. Nidulum dormiturus tene.

Sed iam ad propositum redeo, non solitudinis vagæ, sed quęsitæ, sed dulcis, quam etiam Reges optarunt, nec tam optata est, quam omnibus sapientibus optanda venit. Quid habet studiosus ex turba vtile? dicebat Seneca, & recte. Sicut enim optimorum virorum societas vtilis est: ita turbæ popularis, mala. Quid habes quod delectet, si sapiens es, in hac consuetudine? pro diuinorum contemplatione, futiles nugas: pro arcanarum rerum scientia, vulgares fabulas: pro summa tranquillitate, iurgia, metus, rixas: pro dulci otio, hominum confusa & laboriosa negotia: pro Deum & geniorum ac Heroum societate, fœda & malè olentia hominum corpora, hinc ructus, illinc peditus. Vbi plures homines commorantur, deterius olet quàm vbi plures non solum equi aut boues, sed etiam sues, quantuncumque ab omni sorde triclinium eluas. Cogita quantam quisque sarcinam deferat fecis, vrinæ in vesica, atque in venis latentis sudoris: quantam illuuiem saliuæ in capite ac muci & sputi in pectore, & pridiani cibi in ore, & sordium in ventriculo, & humorum in iecore, & vermium in intestinis, & lapillorum in renibus? Quid fœdius excogitari potest?

At animum diligo? Existima te non sine animis nitidis vbique esse. Nam, vt dixi, vel genios nobis adesse certum est, vel animas defunctorum amicorumque nostrorum. At, dicis, non video? Sobrie, corpore animóque, viue & videbis, primum quidem per somnum, cum anima quiescens etiam minimos sentit motus: inde etiam vigilans. Abhorrent à nobis puræ illæ mentes & accedere metuunt ad conquinatos coporea sorde in animi vlceribus.

Quis nostrum exuit vel auaritiam, ne quid de ambitione dicam? At auaritia quantum malum est? vt etiam idololatria quàm maximè detestanda videatur. De qua Cicero, qui nihil ipse sapiebat præter opes, ambitionem poten

potentiam, inane nomen, cædes & patrias leges, rei haud dubiè indignitate victus, in secundo de Officiis hæc habet: Nullum igitur vitium est tetrius (vt, vnde digressa est, referat se oratio) quam auaritia, præsertim in Principibus & rempublicam gubernantibus. Habere enim quæstui rempublicam non modo turpe est, sed sceleratum & nefarium. Itaque quòd Apollo Pythius oraculo edidit, Spartam nulla re alia nisi auaritia perituram, id videtur non solum Lacedæmoniis, sed & omnibus opulentis populis prædixisse.

Quid ergo, tu, cum Christianus sis, hac labe, sub qua omnis malorum seges alitur, iniustitiæ, sæuitiæ, ambitionis, iracundiæ, contemptus bonorum, simulatæ & fictæ religionis, imbutus audes petere vt cum mundis illis vitis congrediaris, quem plus cœno atque serpentibus oderint? Sunt bonorum hæc premia, hi fructus, hæc voluptas θεόγνωσ@, diuina dulcedo, atque suauitas.

Verum, vt dixi, cum alias satis de his, & peculiari, nec exiguo opere scripserimus, ad tractationem de communibus calamitatibus transeamus.

Id solum admonens, quòd vtilitas, quæ ex solitudine capitur, non ex calamitate, sed summa felicitate, otio, quiete, & tranquillitate sumitur. Vt enim finis omnis belli pax est, laboris otium, diei nox: ita negotiorum & societatis, amœna & dulcis solitudo, qua diis & geniis ac tranquillitate potimur. Quinetiam in animi magnis doloribus solemus captare solitudines, vt Homerus de Bellerophonte ait. Hic enim Corinthius, Bellero interprete, dum in cœlum aduolare niteretur, vt fabulæ aiunt, œstro percussus à Ioue excæcatus est. Vnde illud,

Ille etiam cæcus campis errabat Aleis,
Cor comedens curis, hominum vestigia vitans.

Nihil est in solitudine quòd interpellet. Quid autem grauius, quàm interpellari in otio vel somno? Disces etiam seruire. Nemo melius mihi seruit quàm ego: nemo docetur nisi ab eo, qui rectè didicit: qui in solitudine vixit, optimè seruos suos & famulos suos instruit. Qui igitur solus esse potest, iam mori didicit &, quod in morte grauissimum est, coniunctis carere.

CAPVT XVIII.

De Publica Calamitate.

QVa causa etiam publicæ calamitates graues sunt. Sunt autem hæ, pestis, fames, inundatio, terræmotus, incendium, bellum, &, quod raro accidit, animalium vilium abundantia. Sed etsi terribilis sit publica calamitas, minus tamen contristat commune malum, in quo nemini inuidemus, quam proprium. Dici enim solet,

Solamen miseris socios habuisse malorum.

Minus etiam est in illa detrimentum. Tot enim habes socios, fautoresque & amicos, quot calamitatis comites.

Dixi autem hominem nulla magis re quàm societate aliorum hominum valere. Hanc autem & multiplicem & firmam præbet calamitas generalis. Postquam enim per eam fuerint tibi amicitia iuncti, perpetuo quasi fœdere tibi ac filiis tuis auxilio futuri sunt. Hinc rectè Virgilius Troianos iungit Æneæ in Trojæ excidio, atque illi obedientes facit. Quinetiam Græcos & Phœnices Troianis: quoniam communibus calamitatibus afflicti didicerant imitari tenuem spiritum oris, quem efflas in hyeme. Vt enim cogitur ille in se ipso vt se tueatur: ita isti ceu reliquiæ patriæ coibant.

Pluribus etiam hæ occasiones contulere ad principatum, ad honores atque diuitias. Veluti Xenophonti, qui, deuicto Cyro, è gregario milite Dux factus est. Cincinnati illi atque Fabritij, & Attilius Regulus & F. Camillus & C. Marius an non ex periculis ingentibus ac cladibus Reipublicæ ad honores & magistratus peruenere? Vt iam illud dictum Salustij verissimum sit: Namque antea pleraque nobilitas inuidia æstuabat & quasi pollui consulatum credebat, si eum, quamvis egregius, nouus homo adeptus foret. Sed vbi periculum aduenit, inuidia atque superbia postfuere. Ita etiam Ciceroni patriæ damna vsui maximo fuerunt. Sed & hi, quibus vtile, non honestum, cordi est, nullam ad id maiorem ansam habere possunt, quàm patriæ calamitatem. Qui enim his proximis temporibus, quibus patria adeò afflicta fuit, acriter inuigilarunt, ex summa inopia ad maximas opes repente deuenere, & cum opibus, vt fieri solet, amicos ac potentiam coniunxere. Nam velut in incendiis vicinorum plures suam rem augent, quos tamen respublica fures iustè vocat: ita in communi miseria multi locupletantur, & eò potentiæ perueniunt, vt non castigare tanquam fures ac latrones audeamus, sed velut potentes venerari cogamur.

Viden' vbi diripitur vrbs, quot aduolent emptores direptarum rerum? cum tributa imponuntur, quot adsint fœneratores & quàm graui fœnore mutuentur homines? cum vectigalia augentur, quanto lucro publicani ea conducant? & cum annonæ penuria vrget, quàm paruo veneant gemmæ, libri atque alia minus necessaria? qualeque lucrum sit, seu potius latrocinium his, qui horrea clausere? An nondum satis intelligis quanta vtilitas ex publica calamitate habeatur? Vtinam tamen iustè ac sanctè eam amplexari liceret. Pestis adest? hæreditates sine possessore & res pretiosæ iacent. At, si tollam, fur sum? minus tamen, quam qui sine periculo rapit. Multis hæreditates ipsæ adueniunt, multi magna paruo emunt, triticum carius venditur quàm antea. Audis rumores bellorum, ne adeò pauidus sis, vt irridearis, tibique negotium facessas: nec adeò contemnas, vt opprimaris. Vinum, triticum, carius vendes? emere cogor potius? tutius est diffugere. Nulla ratione exercitus magni aduentum expecta. Si exspectaueris, omnia mala experieris: si obsidebit, & hoc infelicius est. Sola voluptas, quod huiusmodi periculum deuitaueris, pensare potest damna & dedecus irritæ fugæ. Sed & in omnibus aduersis, quæ generalia sunt, seu patriæ toti,

toti, seu magnæ illius parti, illud solari potest ac debet, quod admodum pauci indigna patiantur. Non oderis vt hostes aut inimicos, sed vt malos atque iniustos. Vides mori homines, fœminas, pueros, non miserearis: primum id vltione diuina fit, neque tot homines absque Dei singulari prouidentia perire possunt, nec Dei singularis prouidentia tot homines absque culpa perire sustinuerit. Vide execrationes Mosis in populum, scito illos aut eorum maiores non vna morte dignos esse. Patres nostri manducauerunt fructus acerbos, & dentes filiorum obstupuerunt. Vides nunc Christianos esse, non Iudæos: parum enim hoc est, non credunt & fœnerantur. Non Mahumedis cultores. Etenim parum & hoc est. Nam & cum pueris concumbunt, & falsos testes in iudiciis proferunt, & in Christianos sæuiunt, iugoque intolerando premunt. Non idololatras: nam & hoc etiam præter reliqua atque illis adiunctum parum est. Nam Deum non venerantur, nulla Christi mandata seruant: sed longè plura his agunt. Nam primum Dei maiestatem execrantur, quod nullis aliis conuenit. Pauperes annonæ penuria premunt, & ad edendas herbas, & fructus leguminaque ac lobam cogunt, vnde illis numerosa teneræ ætatis multitudo absumitur. Hoc verò non est fame illos occidere. Exspectant vt sic pereant, vt in cauea carduelles, cum puer metuens magistri minas obliuiscitur panicum aut milium in alueolum mittere. Hoc solum putant esse perimere aliquem fame, omnia prorsus alimenta illi subtrahere. Inde mœchari, cuius alterius legis est quæ à nobis contemnitur? In sacris ædibus fœnora, stupra & vltiones ordinare, cuius legis mandatum est, aut qua in lege tentatum? Christus eiecit è templo vendentes & ementes. At malè id certè, cum vendere & emere res sit non detestanda, si amore abũdas, licet inspiratis scintillis, irritare atque incendere in templis atque mox sub legis aut diuinæ maiestatis velamine tanta admittere flagitia? non sufficiat admittere nefanda, si non Deum vestrorum flagitiorum autorem, & scelus impietate horribilius faciatis? Inde iudicia corrupta, cui genti vel legi communia? Respondebitis, commune hoc cum Romanis esse, aut famosum illud Clodianum Salustij, & in Diuinatione querela generalis, sed omnia saltem ad lenitatem, vos ad seueritatem declinastis.

Quis Hortensius aut Cicero, vel etiam Æschines aut Demosthenes tueri poterit, cum in grauioribus flagitiis euasisse tot cernant, aut mitius actum, nec miserationi paruulorum filiorum, nec parentum lachrymis, sed potentiæ sed gratiæ, sed amicitiæ atque opibus condonatos videant, Quid aliud exspectatis, quàm vt Deus vlciscatur, qui Reges ac magistratus statuit? Sed regibus & magistratibus ni statim vlciscatur, multis modis nocens eripi potest, nec in descendentes pœna extendi: Deum nemo effugere potest. Non illi potentia aut scientia deest: non vnquam morte præueniri potest, non viuus aut mortuus illum effugere. Sed & Deo licet etiam posteros vlcisci in pœnam maiorum: ille enim errare nescit nec potest. Quamobrem quid admiramini, si omnia, quæ in sacra pagina nobis pollicetur, suo tempore experiamini? aut, quod dolendum, si inter tot buprestes vna vel altera cicada sit?

At sentio quid dicturi sint Christiani isti picti, Epicurei meri, & si quid est deterius, Mala nobis minaris, quod scias certis circuitibus necesse esse vt eueniant ordine, non flagitiorum nostrorum causa, cum ex historiis aperte constet homines semper malos fuisse, & quàm nunc sint multo deteriores, & tamen manere hominum perpetuum genus: quinimo eos dominari solum, quorum maiores maioribus flagitiis obstricti fuerint. Scelere enim tyrannis paratur: tyrannorum descendentes Reges nominantur. His ego tribus verbis satisfaciam. Primum, quod nobis sat esse posset ad perferendas æquo animo calamitates publicas, illud scire, quoscunque mortales hac ætate sic viuere, vt posteri sui omni supplicio digni sint, extincta omni fauilla iustitiæ, pietatis in Deum atque religionem, miserationis in humanum genus & virtutis: quibus quatuor præsidiis, modò vnum relinquatur, stare potest gens illa. Nam Philosophi virtute, Iudæi pietate, Muhamedi iustitia. Christiani misericordia olim steterunt. Iudæi legem olim contempsere, nos misericordiam exuimus: quid est quòd stare posse speremus? Secundum est, quod nec omnium regum talis est origo, nec eorum felix status: sed vt lilia, cum maximè nitent & olent, iam ad summum peruenere; sic vnaquæque stirps aut ignauiter finitur, aut si generosior sit, ad principatum peruenit atque ibi extinguitur, tanto proximior interitui, quanto gloria splendidior. Quin etiam multi Reges optimi sunt, quorum causa, vt etiam alias diximus, nihil tamen negligens Deus mala fert. Tertium, stultè cogitare homines, si mortalis homuncio nouit domum suam instituere, quisque etiam regulus suam vrbem ita vt benè agentibus præmia proposita sint, improbis autem pœnæ: Deum omnium sapientissimum non sciuisse, aut potentissimum non potuisse, aut iustissimum dulcique illo amore bonorum fœcundum atque plenum neglexisse sic humanas res disponere, vt suis temporibus etiam hic vnusquisque virtutis ac vitiorum debitam non recipiat compensationem. Sed quia de magistratuum iniustitia & improbitate questi sumus, ac temporum iniqua conditione, de his nunc agendum est.

CAPVT XIX.

De temporum & magistratuum prauitate.

DEmocriti & Epicuri, quanquam in reliquis diuersa sentientium, vna sententia est. Vnius sapientis opinionem populi existimationi debere præferri. Qui hæc humana suo nutu Regi & constare arbitrantur, idem putant ac qui vitam ac generationem elementorum pugna atque victoria. Stultum sane consilium: cum videamus

cælestia tanto ordine, tam celeriter & perpetuo moueri. Sapientibus credendum est quòd negari ratione non potest. Nam etsi Solem tam paruum esse videmus, & multis modis errantes stellas ferri; vanum tamen est, non credere his, quæ à Ptolomæo declarata sunt de solis immensa magnitudine, ac de æquali siderum circulatione, quæ tot annorum iam centenariis experimento conformis est. Vanum est ergo etiam si in his, quæ esse non posse putamus, quanquam æterna natura constent, vera tamen esse comperimus in hac fluxa labilique congerie, cum plurima etiam verissima esse cernantur, ordinem deesse suspicari: nam aut impotentis esset aut negligentis. Verùm non eum esse ordinem, qui à nobis possit intelligi, & verum est & fateor. Forsan verò & quandoque, vt in cœlestibus, pars magna aliqua innotescet.

Dicis, si magistratus peccat, quare non statim illos diuina vltio plectit? At ego quanto apertius, si statim plecteretur, non peccaret magistratus. Et quis dubitat? En vide historiam. Franciscus Crimignola Dux militum inuictus fuit sub Philippo Vicecomite. Is cum obsideret arcem S. Ioannis, in qua erat Philippus Arcella, cuius fratrem ac filium Crimignola in potestate habebat, erecta furca comminatus est se illos suspensurum, nisi arcem redderet. Renuit ille, vt apud quem fides potior esset. Crimignola itaque miserabilem filium, patris auxilium frustra implorantem, suspendi iussit. Quo facto, nullis ex causis cum principe, cuius regno tot vrbes adiecerat, in simultatem venit discessitque ab eo & adhæsit Venetis. Rursus inuictus expugnabat Principem, cui seruierat. Verùm manibus filij ac fratris Arcellæ vrgentibus in ipso agendarum rerum flore Venetos destituit, classemque pulcherrimam illorum expugnari permisit. Venit in suspicionem malæ fidei: sed adhuc tegi poterat. Euenit, vt arx quædam à paucis militibus Venetis caperetur: petunt auxilium à Crimignola: ibi vrgentibus, vt dixi, animis iniustè occisorum per tres dies præstare contempsit, cum tamen propè esset, donec illi, pacta salute, principi rursus, quam occupauerant, arcē reddidere. Venetias accersitur. Quo rursus potuit non ire nec debuit, cui dolus suboluisse poterat, ipseque id intelligere, quod omnes suspicabantur: nihilominus tanquam innocens Venetias adire ausus, captus est, damnatus, publicè securi percussus. Coegitque Senatum illum, quod nunquam aliàs fecerat, in exercitus sui Ducem sæuire. Amisit etiam centies vicies HS. seu myriades triginta aureorum Philippeorum, quos in administratione partim suffuratus erat, partim deprædatus.

Sunt aliquid manes: lethum non omnia finit.
Luridàque euictos effugit vmbra rogos.

At vide modò exemplum è regione contrarium. Brisaccus Prorex Galliarum in Italia, Duxque exercituum inclytus, expugnaturus Cunium, misit qui interminarentur præfecto, nisi dederet, occisurum filium parrulum, quem iam ante ceperat: hoc enim licere & expedire Regis sui causa dicebat. At ille vir constans negauit se redditurum, quod pluris esset apud illum fides quàm filius. Prorex, vt erat vir inclytus, filium ei reddit & factus est hac pietate atque prudentia etiam clarior, quàm tot victoriis vrbiúmque expugnationibus. Hæc enim maiora quidem, sed cum fortuna communia, illa eius propria. Quòd si dicas, quod nefarium est, cum nullum regnum iustius administretur quàm Venetorum, iniustè periisse Crimignolam: adhuc euidentius erit exemplum diuinæ vltionis in tam nefario scelere.

Quid magis obfuit Augusto quàm hoc exemplum, quo ipse alioqui felicissimus omnibus aliis in rebus, in hac vna filiorum infelicitate mortales omnes superauit. Nā masculos ambos adultos iam & egregios amisit, filiam ob turpitudinem relegare coactus est, & in tantum ob filiorum & nepotum infelicitatem mœrorem deuenit, vt tanto cum imperio, cum tot victoriis, cum tanta obedientia & valetudinis firmitate vitam odio haberet, & mortem in bonis duceret. Quin etiam omnis illius tam numerosa stirps prorsus cum Nerone extincta est annis post obitum illius quinquaginta quinque. Vnde hoc, cum post humanum adeò se præbuisset? nisi quòd patrem cum filio dimicare coegit. Verba Suetonij in tanto testimonio afferre libet. Alios patrem & filium pro vita rogantes, sortiri vel dimicare iussisse, vt alterutri concederetur: ac spectasse vtrumque morientem, cum, patre qui se obtulerat occiso, filius quoque voluntaria occubuisset nece. Vnde subiungit: Quare cæteri & in his M. Fauonius ille Catonis æmulus, cum catenati producerentur, Imperatore Antonio honorificè salutato, hunc fœdissimo conuicio coram prosciderunt. Etenim quid Deum intuentem hunc sæuum spectatorem dixisse putes? Iam, cum tibi voluptati sit abominandum ferumque spectaculum, efficiam vt aliquando te pœniteat memoriæ tam sceleratæ voluptatis. Et quòd aliis dulcissimum est, tibi vni futurum sit amarissimum. Itaque quamvis postmodum eò clementiæ benignitatisque peruenerit, vt pater patriæ meruerit appellari, mereri tamen tamen tanti sceleris veniam non potuit, neque obtinere à se, vt filij nomen sine summo mœrore atque horrore audiret.

Sed ad magistratuum historiam redeò nec dedignabor hac in causa referre, quæ Ioa. Bocatius in lib. de Viris illustribus scripsit. Sed præsens, inquit, ætas antiquam spernit diligentiam: neque enim dicam à primis grammaticæ rudimentis, sed ab ipsis incunabulis penè raptos infantes inter adulteratas leges enutriunt: neque id agunt, vt quidam excusare conantur, vt, memoria firmiore illas condiscant, sed vt celerius parandis opibus incumbant: neque pudet magnis clamoribus publicè contendere, primum esse dandam operam lucrando victui: studia Philosophiæ ac rationes, quibus ipsæ leges constant, tum institiam bonosque mores superflua esse. Ita ementitis ac vanis laureæ titulis leges ipsas mutant, vitiant, fœdant, contrariisque interpretationibus corrumpunt, litesque ipsas in perpetuum producunt. Nec pudet magnificis verbis, honoribusque prouehere, qui ore infami & scelerata oratione calcata veritate iniustam

iniustam iustæ prætulerunt, iudicibusque contra leges fucis suis persuaserunt. Idque etiam maius est, quod illos extollunt, qui fraudibus ac dolis diuites facti sunt, eos patres legum iustitiæ fontes, sapientiæque thesauros appellantes. O inconcussa Dei iustitia, quamdiu hæc pateris? Ab horum igitur scholis, in quibus non sat scio an de veritatis inuentione, an potius de lucri spe maior sit disceptatio, prodeunt iudices, præsides atque ministri, manibus tenacibus, oculis impudicis, effrenata libidine, lapideis cordibus, ficta grauitate, lingua melliflua, sed dentibus virulentis &, breuiter, auri insatiabili fame.

Et tu præsertim, Italica Respublica, quæ fermè sola his legibus gubernaris, fælix viue, talibus præsidibus tuta & tam iustis ministris freta, ac doctoribus illustrata. Sic tuere vxores ab adulteris, virgines à stupris, Vestales ab incestu: thesauros coge, campos eme, domos prætorias erige, modò noris tribunalia corrupta esse libidine & auaritia, & iuditia mendaciis ac dolis vitiari. Quorsum tam arcta nunc viuendi formula, nisi vt liceat laxare habenas iudicibus, atque implere vomicas auro, si argentum iam contemnitur? Nuper quidam criminum, quam vocant, praxim tanta sæuitia scripsit, vt cum nefariis suis legibus, non legibus sed tyrannicis imperiis, nec defendendi locum miseris relinquat. Crede mihi, nullæ leges bonæ esse possunt, nisi quæ à Philosophis sunt constitutæ. Scripserat primus Draco leges, vt dicunt, sanguine humano: venit Solon Philosophus scripsitque mites & humanas: nunc vt Dracones vincamus, viperinis operam damus, & tamen Christiani sumus. Ob exiguum furtum suspendimus homines, aduersus leges magnos fures veneramur. Quòd Idololatræ, quod Turcæ, quod Iudæi non faciunt faciebantve, fucati Christiani mitissimique agunt.

Vnde nomen miseri, nisi quòd dignus sit cuius quis misereatur? Atque hoc Cicero idololatra & qui optimatium causæ fauit, affirmat, miseris magis fauendum. Vos cogitate, an id agatis, qui vincla iustitiæ per potentiam relaxatis? Diuitibus indulgetur: qui iure peccare potuerunt, suspenduntur. Scripsimus ob id in septimo libro de arcanis Æternitatis, De perpetua Republica statuenda. Nam Venetorum illi proxima cum sit, ideò adeò diuturna est, Romanamque iam superauit. Romani enim à condita vrbe annis D. CCIIII. aut circa, libertatem amisere, cum etiam annis CC XL. sub Regibus fuissent, adeò vt vix CCCCLX. annis libertatem habuerint, & in his etiam toties iactati seditionibus ac dissensionibus, vt deterior fuerit hæc tam funesta libertas quavis graui seruitute. At Veneta vrbs iam incolumis penè per annos MC. libera floret. Id beneficium est non tam legum, quàm hominum, qui custodiunt eas. Leges autem mites constituunt, & si casus grauior euenerit, ex æquo & iusto augent sceleratis pœnam. Vix esse sceleratus potest, qui non pecuniæ causa aliquid admittat. Ergo mitibus pœnis, sed immutabilibus, puniendi sunt sontes, qui non auaritiæ causa crimen admiserint.

Tu quoque, qui apud Deum impudens prorsus & temerarius es, audesne aliquem mortis damnare, cum quanta perpetraueris meministi? Propterea dicebat Cicero lib. Sexto de Rep. Moderatori Reipublicæ beata ciuium vita proposita est, vt opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit. Huius enim operis maximi inter homines atque optimi illum esse effectorem volo. Et rursus in tertio: Cum verò iniustus est Rex, quem tyrannum voco; aut iniusti optimates, quorum consensus factio est; aut iniustus ipse populus, cui nomen inusitatum nullum reperio, nisi vt etiam ipsum tyrannum appellem, non iam vitiosa, sed omnino nulla Respublica est. Et rursus: An non cernimus optimo cuique dominatum ab ipsa natura cum summa vtilitate infimorum datum? Inde multo pòst subiungit: Sic regum, sic imperatorum, sic magistratuum, sic patrum, sic populorum imperia ciuibus sociisque præsunt, vt corporibus animus. Hac solum in parte ab eo dissidet, quod existimet Rempublicam æternam esse posse, quoniam nullum finem habeat naturalem. Inquit enim: Itaque nullus interitus est Reipublicæ naturalis, vt hominis in quo mors non modò necessaria est, verumetiam optanda persæpè. Nam si sic foret, aliquis tandem eam formam Reipublicæ inuenisset: verum nullum ex sapientibus inuenisse comperimus, cum æquè mortales sint Reipublicæ vt etiam homines: sed etiam diuturnior est, vt quæ ex pluribus hominibus sibi inuicem succedentibus constet. Et licet diutius maneat, difficilius tamen est Rempublicam ad suum finem deducere, quam vitam cuiusvis seruare vsque ad vltimum terminum. Homo enim vnus est cui præcipitur, & idem permanet, & sua curat: at hic lex, quæ neque oculos habet nec aures, sed magis ducitur quàm ducit. Ob id cauendum est, ne in Republica homines violenti, duri, crudeles, seditiosis ex familiis & quorum maiores duces fuerint factionum, constituantur, sed mites & innocentes & Philosophiæ præceptis supra omnia imbuti. Quantum hoc profuerit, visum est inspicientibus nobis trium Principum diuinam gubernationem Imperij, scilicet Traiani, Adriani & Philosophi. Traianus licèt eloquentiæ expers, tamen Philosophiæ præceptis à Plutarcho imbutus: Adrianus autem & Antoninus admodum eruditi fuerunt.

In inimicus cauendum est, ne quidquam per calumniam facias: Sed minus obiicias, quam illi peccarint, honestioribusque verbis vtaris. Consulo etiam, vt patriam illam relinquas, ne malum malo addant. Durum est pugnare cum potentioribus, imò superioribus. Qualis enim animus esse potest illius, qui eos habet inimicos, in quorum potestate vita, honor ac fortunæ reposita sunt? Et eò magis, quod melius est sub Rege esse, quam sub paucorum dominatione, vbi Rex præsens adsit: si tamen absit, longè melius est esse sub Republica: quoniam in Republica contingit velut in bullis feruentis aquæ dum hinc illincque efferuntur, bullæ tandem parte partem trahente, necessario omnes subsidunt ac coæquantur: feruores enim illi

illi diuiduntur, impellunt, premunt, donec necessariò ad æqualitatem omnia perueniant. Non sic in Rege, qui procul absit: nam pars quæ Regi adhæret, & quæ cum illo connexa est, prominet semper quasi substentata, aliosque premit & vrget. Et quantò magis cursus vitæ magistratuum est cum casu & prolapsione, eò magis alios impellunt miserosque priuatos, seu inopia premantur seu libidine ferantur, seu ira sint irritati, seu sibi metuant. Quodcunque malum his acciderit, ciuibus commune fit. Vtinam & bona! quæ sibi suisque retinent. Nec aliud metuere possunt, ne plures sint Pausaniæ, qui non inimicum animum erga eum, qui iniuriam intulit, vertant, sed in ipsos iudices. Velut etiam Andræas Lampugnanus, qui cum iniustè vexaretur, non à Principe, sed Miramundi antistite, iram tamen in Principem ipsum vertit. Id fermè vitium generosis omnibus inest animis. Quare melius esset, vt Reges iustos Philosophiæque peritos iudices eligerent: ipsi verò iudices mites, probi, sancti meminissent vtilitatis Regis & honoris potius proprij quàm potentiæ, & quid expediat magis quàm quid liceat, humanæ conditionis ac fragilitatis memores concordiam sererent, non discordias & inimicitias vltionum acerbitate alerent. Sed hic error vnde proueniat, satis mihi compertum est. Interim verò in his tumultibus aut egregia potentia est opus ad securitatem, aut contemptu quum potentia euasere. Pariunt autem contemptum, senium, paupertas, solitudo, ruris cultus, & furor verus aut simulatus. Ob id, vt in maximo contemptu sis, nec tamen parum possis, danda opera est.

Cæterùm vtilitas, quæ habetur ex hac iniqua magistratuum administratione atque eorum odio hæc est, vt sanctè viuere discas & in cunctis fies callidior, sicque amicos habebis quoscunque illi oderint, nouaque videbis prodigia omnis generis naturæ iudiciorum, suppliciorum & seditionum. Denique ferre magistratuum & populorum incommoda oportet, quandoquidem etiam seruitus & ipsa ferenda sit.

CAPVT XX.

De Seruitute.

Fateor enim seruitute nullum fermè maius malum esse in humanis, cum plurimi libertatem prætulerint vitæ: sed tamen vt res humana ferenda est. In illa enim vinctum quidem habes corpus, vsumque membrorum tuorum, & somnum cibumque in alterius arbitrio, ac fœda pateris, nec cum æger ex, quiescere licet, & fers insuper vultus minaces & verbera: liber tamen animus est, ceu qui solus alieni non est arbitrij.

Quanquam enim Matius dicat: At hæc etiam semper seruis libera fuerunt, timere, gaudere, dolere, suo potius quàm alterius arbitrio: nihilominus non prorsus hæc vera sunt, si ad externos corporis affectus referantur. Etenim nec ingenuis ipsis in iudicio foroi ris sub Caligula id licuit. Conandū est ergo, vt quisque ab hoc tanto malo, quam celerius potest, se vindicet. Interim verò danda est sic virtuti opera, vt & hoc intermedio tempore melior euadas, &, si licet, etiam eruditior ac sapientior. Simul enim hoc ad libertatem conducet. Nam vbi animum libero viro dignum in seruili fortuna heri aspexerint, facilè abducuntur, vt libertatem illis condonent. Adhortantur enim ad hoc rei ipsius dignitas, Dei reuerentia, voces amicorum ac consanguineorum.

Pulcherrimum spectaculum præbet quisquis miser media in miseria beatus est. Profuit etiam seruitus plurimis, Pallanti, Calisto, Narcisso, Drusillano, Claudij postmodum libertis, Menæ, Menecratique Sexti Pompeij, Archelao Mithridatis, Venditio, qui & Prætor Consulque eodem anno factus est, & de Parthis specioso spectaculo triumphauit. Chrysogonum Syllæ, Demetriumque Gneî Pompeij monstrosæ potentiæ ac opulentiæ non referam: sufficiant hi, quos occasio seruitutis per domini gratiam & propria virtus euexit, vt Daphnis & Laberius. Eros Grammaticæ, Plotius Mimicæ scenæ conditor, cuius consobrinus fuit Manlius Astrologus atque poëta insignis adhuc florens post tot secula, Alcman amatorij inuentor carminis, omnes discipuli aut pretiis artis aut monumentis insignes. Terentius quoque Tiro, ac laurea Ciceronis eruditione humanarum litterarum, & Æschylus Herodoti poëta. In Philosophia Phædon, Epictetus, Æsopus. Plato etiam quandoque in seruitutem ductus est. At Diogeni quàm felix & clara seruitus? Mendicabat miser in libertate suo instituto: dum verò nauigaret captus, venalis prostabat in foro, quem Xeniades Corinthius emptor cum interrogasset, quid sciret, respondit, liberis hominibus imperare. Cognouit vir prudens eum esse Philosophum, emit, manumisit, tradiditque ei filios instruendos dicens, Ecce liberi, quibus imperes. Quod dictum ad nos maiore quàm apud Græcos lepore transiit: nam & liberi sunt, qui non seruiunt, & filij etiam liberi appellantur. Ita ex oleribus crudis in carnes & fercula, ex dolio ad lectum mollem seruitute transiit.

Adde commoda seruorum & ancillarum, & societatem pro solitudine. Quibusdam etiam sine virtute seruitus ipsa sola attulit perpetuam gloriam. Ita colitur Pompilij serui nomen ob Theophrastum, Persei ob Zenonem, Europi ob C. Gracchum, Micithi ob Messenium Anaxilauum, Chilonis ob Portium Catonem, Zosimi ob Plinium Panegyrici authorem. Vt possimus cum Poëta dicere.

Hic forsitan te casus excelso magis
Solio reponet: profuit multis capi.

Turcica gens, hac ætate nulli secunda imperio, potentia, opibus, nihil gloriosius ducit quàm si quisquam seruus Principis appelletur. Summis nostris Pontificibus consuetum est non solum se Dei seruos, sed seruorum etiam seruos nuncupare. Nostris quoque temporibus Ægypti Rex non nisi ex seruis deligebatur, qui eorum lingua vocabātur Mamaluchi. Paulinus Nolanus Pontifex seruitutem seruiuit gloriosam, & Serapio Eremita semetipsum

semetipsum vendidit, vt alium redimeret. Olim totæ quædam gentes se vendebant, vt Thraces. Nostra ætate Hispani Catelani, id est, Ilergetes, sed magis Afri ac Numidæ pro lucro ponunt, non solùm filiis, sed etiam sibimet inuenisse emptores. Quot profuit tempore penuriæ & caritatis annonæ in potentium & diuitum domibus fuisse seruos, qui liberi fame periissent? Fame enim plures pereunt homines ac pueri, quàm equi & equorum catuli. Seruitus tempore belli vtilior est libertate. Siquidem cum dominis ipsis se eripiunt periculo.

Verùm cum duo sint capita fugiendorum malorum, scilicet vt ipso malo careamus, aut eodem commodè vtamur, si pecuniis è seruitute nos redimere non licuerit, gratiam domini assequi oportet, qua duo illa ambo præsidia continentur, scilicet spes libertatis atque interim commodioris seruitutis vsus. Porrò de hac paranda rursus cũ dixerim Ioannẽ Casam locupleti libello atque huic argumento propriè addicto scripsisse, nihil mihi restat, nisi vt quatuor verbis omnia illa præcepta comprehendam: scilicet domini amorem ac gratiam cõparari virtutis omni genere, pietate, fide, patientia, constantia, diligentia. Propria tamen serui sunt, Mansuetudo, fides, patientia, diligentiáque. Fortitudo autem, vt rarior in seruis, ita si casus contingat, vt ob illam dominus aut domino valde coniunctus à vitæ periculo libertatis causa est. Interim verò si qua sit seruus mollior, vt apud Turcas & olim Iudæos, quæ septennio finiatur: apud Turcas etiam pascendis ouibus addicta, licebit continentia corporis robur firmare, industria multa discere atque cognoscere, quæ nobis parta libertate vsui esse poterunt. Agnoui hominem multa huiusmodi condidicisse, quibus non solùm apud nouarum rerum studiosos, sed apud quoscumque potentiores viros in pretio erat. Ergo quid prohibet, dum adhuc captiui sumus, ne conuersi ad Deum, cum etiam liberi versemur in pelago stultitiæ, ignorantiæ atque impietatis, inter tot scopulos, vortices, maximis in tempestatibus eripiamur è submersione? Si igitur fortes mala tulerimus, prudentérque ea tractauerimus, blandósque in conuersatione nos exhibuerimus, & diuinus nos fulgor aliquando irradiabit, & clementiam fati melioris experiemur, & nos interim æquiore animo cuncta feremus, meliúsque in occasionem parati, commoda infaustæ conditionis sentiemus.

Sunt autem seruitutis commoda præcipua hæc, viuere atque valere alieno periculo. Vidésne equos plerumque esse chariores dominis, imò & boues & sues à rusticis maiore in pretio haberi non solùm quàm famulos & familiares, sed persæpe etiam ipsis filiis? Magna res est computari in alieno ære. Aliud commodum est, quod, vt non adeò libero frueris corpore ad voluptates, ita nec ad lenocinia morborum. Vnde serui, qui modestis dominis seruiunt, liberis plerúmque melius valent. Quid aliud est, esse in patria potestate, quàm in modesta seruitute? Nemo tamen, nisi vehementer improbus, patriam abhorret potestatem. Quid ergo aliud est modesta seruitus, aut domino probo seruire, quàm in patria esse potestate? Multa quidem seruitus nobis eripit quæ libero licerent, sed maxima pars eorum quæ eripit, nec sunt necessaria, nec vtilia saluti animæ vel corporis. Raro quidquam aut vtile, multo minus necessarium ad salutem detrahitur nobis. Vinum dilutum bibo, parum carnis edo, & ferculum solum, non fructus aut cupedias vllas: an non hæc omnia ego sponte ago, ceu ad corporis valetudinem, ad diuturnitatem vitæ, ad sobolem procreandã, ad animi vires, ad temperantiam, ad pietatem, ad eruditionem, denique ad animi tranquillitatem ac felicitatem longè præstantiora? Quàm paucos, ne nullos dicam, seruos inuenias podagra, arthritide, lapillo renum, ac huiusmodi morbis, quos otium & crapula gignit, laborare?

Nam & hoc tertium est commodum, ad labores excitari, quo nihil ad corporis salutem melius, ad animi autem sedandos tumultus, ad cohibendam impatientiam, summum malorum, magis est necessarium. Sed & pastoralis illa apud Turcas seruitus, nec dura laboribus, nec otij indiga, nec adstricta victu est, sed melior longè nostrorum rusticorum vita ac salubrior. Nam nostris rusticis vix suppetit panis ex loba aut milio, qui locupletiores, nec quantum satis est cæparum ac allij: seruis illis placenta triticea abundans, olera & lac, nonnunquam etiam caro. At vinum deest, quod illi non optant, cum etiam domini ab eo abstineant: hic cum optent, non tamen habent. Et habent quod non habere præstaret. Nam & corruptum plerumque & marcidum acidumue est & tanto deterius aqua ipsa ad salutem, quanto gratius ori aut iucundius. Non illis deest in vmbra somnus, non sues & feras arcu venari prohibitum, non fallere aues, non piscari. Quid, quod maximum est, nec vxorem seruam ducere, aut filios educare. Quod etiam institutum apud Romanos fuit, vt ex Iurisconsultorum decretis deprehenditur. Apud quos Romanos pluris, vt Seneca ait, multo erant serui ipsi quàm liberi. Ob id, ne paucitas ingenuorum deprehenderetur, permiserunt seruis, vt ingenuorum habitu vterentur.

Ob id etiam quartum euenit commodum, illud quod domini seruos plus ament quàm filios non dicam, sed quàm cæteros omnes, quod à seruis non contemnantur, non deserantur, nec decipiantur: quæ omnia agnati cognatíque & amici falsi, quorum maxima semper copia fuit, præsertim in aduersis, facere solent. At dices, non amantur à dominis, nec amari promerentur, quia coacti metu & vi id agunt? Nihil refert: nam iam vtilitate ea fruuntur, commodum sentiunt, serui prudentes id tam sedulo agunt, vt quod metu facere coguntur, sponte agere videantur. Tum præcipuè quod in longa seruitute multa emergunt, quæ nullo metu aut vi inuito animo illorum possent extorqueri. At dices, sunt etiam mali domini, qualis Antius, Restio, Vedius, Pollio, aliique multi. Fateor, sed frequentiora mala & grauiora etiam liberis plebeiis accidunt. De multitudine, scio, non magnam rem dixisse me putas: at de magnitudine miraris? Quidnam maius,

S 4 quàm

quam inuri notis in facie, virgis nudum ad necem cedi in pistrino, crucifigi, verberatum tradi, nudum vinctumque murænis edendum, per iocum suffocari in inani rota tosis plena circumacta? At maiora proferam, nec abstrusa, nec rara. Omitto enim indignitates sæuorum, magistratuum & patronorum, violentam auaritiam, & quorumdam nomine nobilium in pudicitia vxorum filiarúmque aut sororum violanda iniuriam. Hæc tanquam parua, quæ maxima sunt, & morte, si benè æstimentur, deteriora, & tanquam priuata mala, quæ tamen adeò frequentia sunt, vt publica merito dici possint, missa facio. Tribus aut quatuor cum filiis paruulis, media hieme, frigore & fame confici, nec posse auxilium ferre miseros parentes, in summa omnium egestate, irritis laboribus, ægram mentem ac corpus ob indigentiam sustentantes, nullo vitio, nullo scere, nullo etiam errore, an non miserius est hoc supplicium atque spectaculum piscina Pollionis (quam tamen Augustus ipso statim momento, postquam resciuit, compleri iussit) & crucibus? Nam in illis non pueri coram parentibus, sed viri: non omnino sine errore, plerúmque non sine voluntario scelere, non diutino cruciatu, sed quantum immanium dominorum oculos satiare posset, necabantur: at hic pluribus diebus extenditur.

Ergo non minus est liberorum infelix conditio quàm seruorum, imò dirior, prout in vtroque genere ludit fortuna. Vis videre me nugas non agere? Lex erat apud Iudæos, quàm & Turcæ inter ipsos nunc obseruant, quicumque mitiores sunt, vt post septimum annum seruus liber esset, addito etiam viatico, si manumissionis conditio arrisisset. Et tamen plures erant & nunc apud Turcas futuri essent, ni facerent diuersitas religionis & Christi amor, certè dignus propter quem etiam maiora relinquantur, qui seruitutem libertati præponerent, nec manumissionis beneficio vterentur.

Nam & quintum commodum in hoc esse cernebant, scilicet maiorem pietatem, integrum Dei cultum, seu aduersa & duriora perferendo illius amore, seu charitatem vberiorem erga dominos exercendo, seu contemplationi firmius insistendo, voluptatibus omnibus valedicentes, quæ in libertatis solutis vinculis & impotenti euagatione animæ repositæ sunt. Vnde Phratriarum institutio orta est.

CAPVT XXI.

De Phratriis.

Si quidem hi sunt, de quibus verè dixisse Seneca potuit, paucos seruitutem tenere, cum multi à seruitute teneantur. Hi sunt, qui seruitutem tenent, qui diuino amore Phratrias ingrediuntur, voluntariam subeunt seruitutem & breuem, vt perpetuò libertate secura fruantur. Seruitus difficilis, est quoniam inuoluntaria est, ideò qui voluntariè in Phratrias se conferunt, nihil durum patiuntur. Quid durum esse potest Deo seruire, intra metum se continere? Si lupi atque leones vbique vagarentur & homines discerperent, an nolles contineri etiam per vim in arce munita, vt tutus esses ne dilaniareris? Natura vitiorum etiam infinita est: est enim prolapsus quidam. Qui dixit vitia esse circa extremum, virtutes circa medium, vtinam tam perfectè rem explicasset, quàm verè dixit. Finge collem ex toto decliuem à summo, sed in vertice planum, qui duo tantum habeat latera, sic vt figura oui superiùs planè dissecti referat, at latera, nullis impedita obicibus, labantur in præceps, hic auaritia, illinc prodigalitas: in medio autem consistat liberalitas. Vbi è medio excesseris & paululum in imum prolaberis, nullus est terminus aut finis: sed quo magis dilaberis, eò capacius spatium erroris ac vitij inuenis. Certè veri admodum amicus sum: si fieri posset, vt homines in vitiis consisterent, non adeò vitium ipsum abhorrerem. Sed postquam in ipsum prolabenti voluntas effrenis in infinitum illud spatium absque vllo retinaculo vagatur, incerta loci, incerta sui, pro lucro quis non ponat in caula contineri?

Sed debent esse hæc vincula voluntaria, non ab ira, desperatione aut parentum vi iniecta. Itaque de his, qui sanè perspecta re ingrediuntur hos ordines, nefas tractare puto, tanquam calamitosis. Quæ enim calamitas esse potest Deo seruire, literis ac studiis operam dare, viuere sine solicitudine atque labore, tot habere egregios socios, multarúmque rerum peritos, atque vt ita dicam, secreta omnium mortalium scientes, tutos esse ab ira principum, improbitate magistratuum, iniuria petulantium, peregrinari in omnes terras sumptu alieno, ibique domum paratam inuenire, venerari apud omnes tanquam diuos, cohibere nostros inimicos atque hostes, effrenes scilicet cupiditates perturbationésq; animi ac peccata, omni cura vacare? Si sanus es, multos hilaritatis socios habes: si æger, nullos vides lachrymantes, sed plures hortantes atque consolantes.

Verùm qui eo cecidit, non iuit, qui impulsus est, non ingressus, huic multa se obiicient incommoda, postquam pœnituerit cognoueritque paupertatem, ieiunia, vigilias, assiduum orandi morem, seruitutem, solitudinem, claudi in domo tanquam in carcere, inuidiam, insidias, contumaciam, quorumdam ambitionem, inter illos summa odia, perpetua supplicia, assidua ac pœna acerbas, superiorum crudelitatem: denique quod maximum est, non posse vnquam liberari à seruitute absque summa infamia, persæpe etiam non si vel maximè velit cum ea. Verùm hæc omnia dulcia efficiuntur, atque facilia, si eo modo accipiantur, quo qui sponte ingressi sunt collegium illud sacrum. Si tibi animi immortalitatis spem certam proponas, omnia libenter patieris. Nam de vitæ breuitate, de mortis necessitate tam certus esse potes, vt nihil amplius.

Verùm, animi immortalitatis tot sunt indicia, tot argumenta, vt dubitare non possimus. Inter reliqua vide quid Seneca dicat. Et mors, quàm pertimescimus ac recusamus, intermittit vitam, non eripit. Veniet iterum, qui

qui nos reponat in lucem dies, quam multi recusarent, nisi oblitos reduceret. Sed postea diligentiùs docebo, omnia, quæ videntur perire, mutari. Æquo animo debet rediturus exire. Obserua orbem rerum in se remeantium, videbis in hoc mundo nihil extingui, sed vicibus descendere ac resurgere. Æstas abit, sed alter annus illam reducit: hyems cecidit, sed illam referent sui menses. Solem nox obruit, sed ipsam statim dies abiget: stellarum iste discursus, qui præterierit, repetit. Pars cœli leuatur assiduè, pars mergitur. Et quamquam æternorum sit hæc reuolutio, profundius tamen discussa declarat reditum hunc animorum nostrorum: nec perire quidquam, sed intermittere, velut & in plantis dum folia fructúsque decidunt. Si igitur de vita illa æterna cogitas, omnia suauia videbuntur.

Accusator falsò, calumnior atque insimulor, in carcerem detrudor, cogor inedia fateri, quæ nec cogitaui. Hoc enim est summum apud illos malum. Eo tamen tendunt hæc omnia, vt potiùs dignitate te spolient, quàm vt sæuius puniant. Quorsum fastu illo indiges, quorsum magistratu, si eò te contulisti, vt omnino quiesceres. Via hæc est ad salutem certa, in quam te inimici protrudunt. Si peccasti? non pecca. Si non peccasti? vel ob offensam, vel inuidiam te accusant. Si ob offensam aliquam, caue ne in aliqua excellas. Humilitatem profiteris? fac vt propior sis contemptui atque despectui, quàm honoribus & fastui. Improbi est, Deo mentiri & illum velle fallere: non fallas, non mentiaris, τὰ ταπεινοφροσύνην exerce. At vrgeor, fame, pereo, iam duobus diebus nihil prorsus edi, ante verò panem & aquam? Dicas cum Paulo: Non sunt dignæ huius mundi molestiæ ad consequendam æternam gloriam. Quicquid pateris, etiam immerito, paruum est, vt dignus sis cœlestis regni participatione. Nullum hucusque tamen fame interiisse audio. Imitare beati Phratoris illius mores, qui cum accusaretur à puella, quod illam compressisset, atque puerum, quem in vtero habebat, procreasset, natum & ablactatum apud se aluit. Inde cum mortuum iam Phratorem lauarent, inuenerũt esse feminam. Ita gloriosum est diuina colenti esse mitissimum & omnia patientem, & aliis excellere potentia, dignitate & autoritate. Et vt, Vincere omnes, ad gloriam hominem ducit, ita ex aduerso latus est aliud gloriæ, non minus optandum & singulare, ab omnibus Vinci.

At melius esset, dicis, vt huiusmodi calumniis obstarent, vtque non suspecti iudices statuerẽtur, ne quis insons infamia aspergeretur. Imò non, nam claustra, vt fores, magis obstreperent, & virtus patientiæ non adeò in bonis floreret, nec malis improbitati libera adeò via pateret. Ex omnibus ergo calamitatibus Phrator tria illa optima, propter quæ ei ordini se inseruit, quæ etiam verè bona sunt & apud Deum atque homines sapientes in precio, vitæ innocentiam, τὰ ταπεινοφροσύνην & patientiam auget & colit, vt rusticus vitam fœcundam ac pulchram. Inde etiam apud plebem celebratur.

Sepeliri autem viuos & atrocia supplicia pati, aut nunquam contingit, aut rarius inter hos ordines, quàm apud iudices nostros excarnificari, rotis inseri, vri, lacerari ab equis, viuos à carnifice diuidi, palis transfigi, transuersim serra secari. Nec verò id contingit nisi in vita indignissimis, & ob maxima scelera, vt etiam apud nos mortes truces. Reliquæ disquisitiones ad veritatem eruendam, carceris horror, fames sitisue, multo mitiores sunt equuleis atque ignibus, quamuis diuturniores. Cæterùm supplicia ipsa confessis sine comparatione minora, & rarò ad summum perueniunt.

CAPVT XXII.

De Carcere.

VErùm cum carceris mentio habita sit, de vtilitate illius dicendum est. Tria sunt genera, libera custodia, vincula, triremes. Liberæ custodiæ multa sunt genera, cum tota vrbs aut arx, aut arcis pars, aut domuncula pro custodia est. Vinculorum & triremis duo genera: quædam enim sunt cum labore, vt vincti ad fodinas & secandos lapides & in triremibus remiges: alij autem non nisi vinculis coercentur. Horum etiam duplex genus est: nam quidam ad pœnam sic solùm damnati sunt, quæ nunc in vsu non est: alij verò ad custodiam, quibus tormenta solent ad eruendam veritatem adhiberi. Dicam ergo primùm de his, quibus vincula ad custodiam iniecta sunt, non pœnæ gratia.

In his tria hæc semper se habent eodem ordine, confessio, damnatio, supplicium. Cur ergo, cum tam negare possis quàm confiteri, mauis fatendo damnari & supplicium pati, quàm negando liberari? At, dices, timeo tormenta, nec pati possum. Audiui à podagrico, equulei dolores podagræ doloribus esse persimiles. Nihil durum esse potest, nihil acerbum ex altera parte metuenti mortem, ex altera salutem ac libertatem speranti. Fœda res est torqueri, & miserabile spectaculum? Sed fœdissimum, ac terribilissimum damnari ad mortem: vt contra pulcherrimum, exire liberum. In quo vel laudaris ob constantiam apud eos qui te reum fuisse putant: aut criminis iudices damnantur, quod innocentem frustra cruciauerint.

At non confessos etiam damnant, si conuicti sint. L. 16. Qui Sent. Cod. de Pœnis. Conuicti dicuntur vel spontanea confessione, de qua nemini dubium esse debet, nisi vbi de facto non constaret, aut constaret de stultitia, vel nimio amore alterius, quem liberare cuperet, vel ebrietate, vel desperatione: vel cum duo testes conformes & ab omni suspicione alieni affirmant id vidisse: vt l. 12. Vbi & l. 3. In testim. & §. Ideóque diuus. Digestis de Testibus. Tertiò, ex euidentia facti. Cum tamen clarum sit, & maximè in hoc secundo & tertio genere multas fraudes posse committi: ideò omnes hæ damnationes iniustæ sunt, nisi cum confessio propria successui delicti ex toto congruit: in reliquis omnibus deberent damnari ad triremes. Nam quid defuit ad iustam damnationem Christi Dei, nisi confessio propria? testes enim

enim illi contradixerant. Moniti per hoc sumus nos Christiani quàm moderatè & in condemnando procedere debeamus, & maximè cum confessio propria adest. Annon scriptum est? Nolite condemnare & non condemnabimini. Sunt ergo tria iudicia, plena indicia ad quæ sufficiunt testes duo, vel saltem vnus probatæ vitæ, qui doceat de his, quæ ad facti verisimilitudinem spectant, vt gladius sanguinolentus, nudus, & testes qui factum ipsum testentur. Melius tamen esset, vt res ad publici facti rationem reduceretur, scilicet ad decem testium fidem, vt Baldus in Codice de Collationibus, Titulo. Quod locum in fine.

Sed si carcer pœna sit, cogita primum illud; quod tria cum sint homini proposita bona, honestum, vtile, iucundum: de primis duobus, tanquam tantum bonis, Philosophi disputant, tanquam iucundum nullo modo bonum sit. Sed sit sanè: certè minima pars cum sit, carcer verò nec vtili nec honesto nos priuet, exigua parte bonorum qui in vinculis est, etsi sanè omni etiam iucundo priuaretur, destitutus esset. Sed non omni iucundo caret, vinctus habet horas somni, cibi ac potus cum liberis communes. Plura scio recitaret nobis Andreas Matthæus Adriæ Princeps tanquam expertus vt qui in carcere, vt audio, perpetuis tredecim annis fuerit, scripseritque ibi de Vtilitate ex aduersa fortuna librum elegantem. Sed cum ad nos non peruenerit, methodo satisfacere conabor.

Certè societas illa exigua, tametsi prandij ac cœnæ tantum, iis iucundior tamen videri solet quàm liberis. Omitto reliqui temporis æstimationem illam. Stoico supercilio dignam & inanem, omnes scilicet in mundi carcere esse. Illum ego cubiculi vnius carcerem eis relinquam, mundi hunc, quo liberiùs vagari possim, mihi, quoad licuerit, retinebo. Ergo vera non solùm, sed euidentia sumamus. Reliquo tempore patientiam, vt diximus, omnium virtutum matrem nanciscemur & otium. Ex otio ipso consilium & studium, ex studio eruditionem, ex consilio prudentiam nobis comparabimus. Breuis temporis carcer vitia multa corrigit, cautiores ad pericula facit & voluptatum dulcedinem auget. Breui tempore Marius, Cæsar, Castrutiúsque in vinculis fuere, nec id postmodum aut gloriæ illorum, aut factis aut dignitati obfuit. Quinimo ex eo acriores & vehementiores euasere. Auenzoar infimæ sortis homo duobus annis ab Haly Regulo in carcere detentus, acrior exiuit hostis quàm ingressus fuerat. Sara Colomna Cardinalis annon post diuturnum omne calamitatis genus, quo à Pontifice afflictus est, ipsum eumdem pontificem mori coegit? Melchuaser, Ægypti dominus, è carcere extractus in regno consenuit. Matthias & Lusignanus è vinculis ad regnum Pannoniæ peruenere, in quo mortui sunt. Ludouicus duodecimus Galliæ Rex, quo nemo nostra ætate clarior aut melior, diu ante in vinculis fuit. Ioannes etiam huius nominis vigesimus tertius Pont. Max. è solio deiectus, inde in vinculis detentus, rursus Cardinalis factus in eadem dignitate obiit. Nostris temporibus Ioannes Iacobus Medices è carcere Prorex Bohemiæ & Dux exercitus aduersus Turcas factus, pro Cæsare in Hetruria magna gesta gessit. Palauicinus Vicecomes antistes, cum in carcere duodecim annis fuisset, dux militum euasit, & Cæsarianos, quibus potuit modis, afflixit. Qui à libellis est Regis (maxima autem hæc est post prouinciæ præsidem dignitas,) cum in carcere duobus annis fuisset, euasit retenta dignitate & penè aucta. E triremi Alphonsus Daualus Isthonij princeps captus armis, lingua cepit victorem, nec vlla re Cæsari vtilior quàm cum Regem maris Andream Dauriam illi conciliauerit. Dragutus cùm captiuus non posset se redimere, in scopulo se abdidit: agnitus post tertiam diem extractus est. Contemptu vitæ (nam tribus diebus iam à cibo abstinuerat,) effecit, vt parua pecunia se redimeret, liberatus multa gessit, & maiorem potentiam ac nomen sibi peperit. Quid dicam de generoso illo carcere tuo? nam & in obscuris tenebris dubiáque luce gloria principalium virorum clarescit, & vt carbunculus fulget. Cùm enim quinque mensibus in illo indignissimè detentus fuisses, quid aliud egerunt, qui nomini tuo ac vitæ insidiabantur, quàm quod ex vna parte patris tui & fratris fidem dignitatémque apud Gallorum Reges, qui tum regnabant, ostenderint: tuam verò innocentiam, fidem, prudentiam ac fortitudinem erga Cæsarem? Itaque & merito honoribus dignitatibúsque semper & à Cæsare & Philippo Rege Hispaniarum potentissimo eius filio decoratus es. In quibus tam integrè, tam constanter & splendidè te gessisti, vt omnium non solum prouinciæ præfectorum, sed etiam procerum regiorum gratiam promerueris: Vt quem tanquam Gallici nominis fautorem odio haberent, nunc vt virum eximiæ probitatis ac virtutis colant ac venerentur, & Franciscus Ferrandus Aualus, prouinciæ præses, eius, cuius iussu ob Strozzæ vanam suspitionem detentus fueras, filius vnicè te amet & diligat.

Iam cum carceris illuuies omnes corporeas voluptates abigat, tanto diligentiùs curandum, vt animi delitiæ, quæ corporeis præstant, augeantur. Hæ autem constat sapientia atque virtutibus. Vbi euaseris, sarcire oportet, quod periit, potentiæ, gloriæ sobolíque operam dando. Verùm hæc postea.

In primis conatibus non minus laudanda est virtus Nicolai Gomberthi, quàm fortuna. Damnatus enim ad triremes, catenato pede cygneas illas cantiones meditatus est, quibus non solùm libertatem à Cæsare omnium inclytorum fautore, sed etiam pingue sacerdotium, quo reliquum vitæ tranquillè duxit, promeruit. Difficile hoc Gomberto non fuit, quoniam meritas pœnas patiebatur. At in iniuria & iniusta calamitate semetipsum colligere, forsan plusquam mortalis ingenij atque humanarum virium negotium fuerit. Memoranda tamen exempla contigerunt, etiam temporibus nostris. Et maximè in Regina Anglorum, quàm Maria, & ipsa Regina vxorque Philippi Regis nostri, necessario occidit. Misera tamen, omni literarum genere culta, nec regni cupida, parentum potiùs importunitate & mariti scelere rea facta est: cum

cum proculdubio non debitum sibi regnum Northumberlanus princeps ea media inuadere tentasset. Ergo fortis animi & miserabilis fortunæ & eruditionis suæ exempla illa edidit. Aliquanto iniustiora patricidia Hieronymus Olgiatus scripsit numeroso pede, latina italicaque lingua. Ergo si hæc etiam sceleratis proderint, gratum mihi futurum est: non tamen huiusmodi hominibus ista scribuntur.

Carceris ergo huius stabilis septem sunt genera παιδευτήειον, eiusmodi in Gallia Belgica atque Narbonensi ac Aquitania vbi plura sunt, collegia vocant: φυλακτήειον, vbi solent asseruari suspecti viri & nobiles: κιγκλὶς, vbi oppressi ære alieno: κολαστήειον, vbi damnati ad necem puniuntur, eiusmodi apud Venetos plura, & Romæ Tullianum est, à Seruio Tullio conditum. Eiusmodi apud Messenios Thesaurus erat vbi nullum ostium nisi saxo claudebatur, apud Persas Lethes & Robur. Γοργύρη seu γοργύρα horrendus sub terra, qualis est Turnus Modœtiæ. Ἀνάκαιον apud Bœotos, seu κέραμος apud Cyprios, ingratorum libertorum & seruorum carcer: credo quod ibi æra funderentur & liquescerent. Ὀρχάνη, vbi iuuenes nepotes corrigebantur, cuiusmodi nostris temporibus Florentiæ sunt Stinchæ, Barathrum verò apud Athenienses non carcer, sed locus supplicij erat, quo præcipitabantur, vt apud Lacedæmonios in Ceadam. Talia audio esse apud Venetos, & in arce nostra. Ergo si carcinomata secamus, vrimus, vt corpus seruemus: non minus vtile erit si carcere animi vitia, corporeis molestiora, resecemus ad viuum. Socrates, quamuis ad mortem damnatus, carmina in carcere condidit: scilicet ostendens, ne tantillum temporis nobis debere perire. Nam à suprema die, an aliquid sit periturum, incertum est. Franc. Gadius, Ordinis B. Augustini Phrator ex his qui lineam albam subuculam ferunt, dum damnatus esset à suis, magnis contentionibus Philosophiæ diuinæ operam dedit, cum antea non fecisset, vt incertum sit, an melior in vinculis, an beatior liber fuerit? siquidem bis toti ordini præfuerat.

Durum sanè est libertati assuetum premi carcere. Sed vbinam tranquillior & firmior meditatio esse potest, quàm in illo? Chartusiani Sacerdotes quàm parum à vinctis absunt? Quam parum etiam absunt meditationes Dionysij Iunioris, qui ex illis fuit, à diuorum scriptis? & quàm multa scripsit? vnde hoc? Propter otium & diuturnam tranquillitatem. Animus quippe noster veluti puer est, qui eo magis proficit, quo magis vinctus & sub custodia detinetur.

Carcer etiam autor est modestiæ, parcitatis & humilitatis ac taciturnitatis. Vnde à carcere liberati multo meliores efficiuntur. Quosdam vidi qui ob vincula adeò in meliùs mutarunt mores, vt ne sancti cuiuspiam viri vel Philosophi admonitionibus adeò mutari potuisse diceres. Carcer enim & inedia exprimunt mores, vt ille dicebat.

Venter negatas artifex edit voces.

Quid ergo, si carcere tibi, tuisque, atque aliis, totique Reipublicæ in posterum vtilior fias, annon præstiterit fuisse in carcere? Aut si non videtur, postquam necessario id tibi contigit, hanc tantam vtilitatem non neglexisse? Annon pueris conducit in ludo literario vigilasse, tenuiter ali, vituperari, cædi, inde egregios viros euadere potius, quàm in deliciis educatos nullius postmodum pretij aut existimationis esse?

Obiicies forsan carceris incommoda, tenebras, solitudinẽ, angustias, squalorem, pedorẽ. Quæ si potes perferre, vtilitatem doceo: si non ad communia, de quibus dixi, auxilia atq; solatia recurre. Pete suppliciter quòd petere pios à Deo dignum est, non vt libereris, (Nam & Theramenes quamvis è triginta tyrannis vnus esset, suspectus fuit cum solus è domus ruina euasisset,) sed quòd optimum est. Interim tu mente votum solemne voue de abstinentia à sceleribus iuxta vires tuas; vt iustitiam tuearis & mansuetudinem; vt miseris pro fortuna tua opituleris; vt omnibus qui te immiserint non improbitatis causa, sed quòd te vel improbum vel indignum vel suum inimicum esse existiment, ignoscas: vt, si quæ damna clam aut per vim immerenti intuleris resarcias; vt cures artis tuæ summam peritiam assequi; vt quæcumque bona habes, accepisse à Deo precario memineris. Tui verò domestici, amici, clientes omnia peragant, quæ ad liberationem necessaria sunt, atque ea quàm diligentissimè poterunt.

Porrò artes ac studia, quæ captiuo solatium afferunt, sunt trium generum: aut quæ spem æternæ nobis lucis præbent, vt Theonoston, & meditationes Eremitarum, & historia eorum qui voluntariam mortem pro Christo subiere. In quo genere etiam sunt opera Henrici Susonis. Noli hæc spernere stulte, noli contra suspicere beatorum in hoc mundo felicitatem. Sunt ista, quæ apud hos vides, vana omnia, quæque tempus vt stipulas aut virgultum humanæ miseriæ excutiet & confringet, aut ignis mortis absumet. Species sunt laruarum & fucatæ beatitatis, non res aut stabile aliquod bonum. Gratulare tibi etiam, si felicem te arbitrabaris, hæc intellexisse. Ridebisque luctus hominum, & frustratas tot mortalium spes, atque inconstantem in singula momenta statum. Dicitóque ego deterrima nunc patior, non nisi meliora exspectare possum: isti omnes optima experiuntur, & ob id non nisi deteriora sunt illis exspectanda. In secundo genere sunt, quæcumque facilem nouorum problematum aut theorematum inuentionem præbent, vt Geometria atque Arithmetica. Ea enim inuentio multum delectat, & intenta cogitatione obliuisci ærumnarum cogit. Tertium genus est illorum, quæ per se delectant, vt chelys aliorúmque instrumentorum diligens & accuratus sonus: in quo discendo magis molestiam depellimus. Poësis verò videtur & inuentione & natura rei solitudinem leuare. Nam nouum aliquid facile inuenit, & meditando proficit atque delectat, paucisque libris indiget. Ob id, vt dixi, Socrates & Olgiathus, damnati ad mortem, illi operam dedere. Nicolaus verò Florentinus cum in carcere esset, in φυλακτηείῳ, imo ὀρχάνῃ potius, per otium grande illud medicinæ opus conscripsit. Licet & nouas artes ac scitu iucundas

das discere, vt Architecturam, Magiam naturalem, Astrologiam, quæ de prædictionibus agit.

Quamobrem ita agendum est, vt si, dum liber eras, hæc discere non vacauit, liceat, quandocumque opus fuerit, id agere, & tuo marte aliqua excutere. Paulus in vinculis, scripsit ad Colossenses, Ephesios, Philippenses, ad Philemonem & secundam epistolam ad Timotheum. Egnatius omnes epistolas, quæ post quintam extant. Boetius quinque illos libros de Consolatione. Ex Phœdonis initio & Xenophontis autoritate colligitur apertè, Socratem dum damnatus esset ad mortem, in carcere de Philosophia cum amicis quotidie disputasse. Sed nihil mirabilius commento Demosthenis, cui cum clientes tempus studiorum eriperent, nouum genus carceris sibi indixit. Præcisa enim dimidia barba effecit, vt neque in publicum prodire posset, nec quemquam admittere. Qua ratione durior hic carcer fuit etiam eo, quo damnati ad necem seruantur: nam ad illos amici ventitare sæpe solent. Quinetiam effecit, vt certum temporis spatium, nec breue, sed quantum ad æquandam barbam sufficeret, exspectare cogeretur. Nam neque radendo reliquam partem liber erat, siquidem non magis illis in publicum ire licebat sine barba, quàm sine pallio. Iustitium erat vel luctus prodire in publicum sine barba, vt superiùs docuimus. Quæcumque igitur sapiens ille bona tanta industria emebat, scilicet solitudinem, vsuram temporis, libertatem animi, eruditionem, meditationem, vtque demum sibi viueret, tu vltro oblata ne neglexeris.

Verum obiicies forsan, carceris pœnas morte deteriores esse: Vt illud Tragicum.

ELEC. *Concede mortem.* CLY. *si recusares darem.*
Rudis etiam tyrannus morte qui pœnam exigit.
ELEC. *Mortem aliquid vltra est.*
CLY. *Vita, si cupias mori.*
Arripite famuli monstrum, & auectam procul.
Vltra Micenas vltimo in regni angulo
Vincite: septam nocte tenebrosi specus,
Vt inquietam virginem carcer domet.

Tum illud Boethij succurrat: Nihilne te ipsa loci facies mouet? Hæccine est Bibliotheca, quam certissimam tibi sedem nostris in laribus ipse delegeras? Et Saxo Grammaticus. Deinde productum accusatúmque nec obiecta valde propulsantem, perinde ac conuictum compediri à militibus iubet: qui indebitam regio sanguini contumeliam suis manibus administrandam negabant: cuius tanta apud ipsos veneratio fuit, vt ex eo ortos morte quàm vinculis multare mallet. Tolerabilius rati quod communis conditio admittit, quàm quod seruile supplitium exigit. Sed & gentis nostræ verecundia, summam in vinculorum pœna turpitudinem reponere consueuit, hisque affici fato omni tristius pucit: Ingenuas mentes probroso quàm cruento supplicio puniri atrotius existimans. Tantúmque alterum altero speciosius censens, quantum naturæ habitus à fortunæ vitio distare creditur. Et rursus paulo post: Sed & autorem quemdam splendidissimo loco natum, Falstriam ex Sialandia petentem, morique quàm capi præoptantem occidit. Enimverò ingenita Danico sanguini virtus captiuitatis sortem omni fato tristiorem ducit.

His autem breuiter satisfaciam. Non sunt hæc argumenta atrocitatis carceris; tum maximè, quod neque perpetuus, neque cum tormentis aut grauis illis futurus erat, sed facilitatis contemptus mortis. Nam & Romani testantur, Germanas feminas se suosque infantes suspendere maluisse, quàm seruire. Nec tamen seruitus adeò atrox est, quàm tot millia hominum subierunt, tótque annis pertulerunt, seu in ea nati, seu, quod maius est, è summo statu atque felici in illam delapsi. Sed cum mors omnis sit absque ignominia, & post sine dolore, metu, &c, quod maximum est, fermè careat spectaculo felicitatis & potentiæ ac voluptatis inimicorum, quod acerbissimum esse solet, præsertim cum illa indigni fuerint tanta fortuna & te iniuste oppresserint: ideò à fortibus viris, etsi Philosophiæ ignaris, omnibus aliis incommodis prælata est. Sic Cato, Brutus, Cassius, Antonius, aliique absq; numero, etiam præter illos quos superiùs recitauimus, cum nihil deteriùs exspectare possent, mortem sibi consciuere. At qui res ipsas diligentiùs rimatur, non eo perueniet, vt neglecti non solùm sanctissimis Theologorum, sed etiam salutaribus Philosophorum præceptis, inde petat suffragia calamitatum, vnde videamus cuncta refugere, existimaréque in eo repositam esse felicitatem, quod omnium est terribilissimum. Nam & Socrates quamuis damnatus, nec Aristoteles, tametsi exul & patriæ inuisus, nec Theophrastus vltimo senio iam inutilis, aut Epicurus mortis laudator magnus, quamuis intolerabilibus vesicæ & intestinorum doloribus & absque vitæ spe premeretur, mortem sibi consciuerunt.

At carcere arcto detineor, & iniustè inimici mei indignè fruuntur summa potentia atque deliciis, liberi cum filiis suis? Sit ita, cogita primum, quàm celeriter omnia reuoluentur. Considera, non illos tam beatos esse, vt existimas; sed eis contingere quod in pompa, in qua transituris omnes pulcherrima exponunt è regione suæ domus, intus nihil relinquunt nisi vile, sordidum, inornatum, fœdumque. Quid enim si latrinæ & cloacæ thesauros exponerent? fit, vt superiùs dixi, etiam in corporibus nostris tot fœda sub vna splendida cuticula natura occuluit. Cogita mœrores, luctus, curas. Si orbi sunt, quorsum tanta? Si adsunt filij mali? quid miserius? Si boni quantum metus & solicitudinis pro illis? & quæ tam illorum, quàm reliquorum posterorum infinita cura? Cogita illorum conscientiam, Diuinámque adrastiam, Demum, quod maximum est, non esse hoc humanum semen sparsum in hunc orbem, vt ex eo colligerentur inanes incultæque spicæ & quæ tantum floruere; sed ea solum grana, quæ per summos labores, presso altius semine, densa operam virtutis segete, solido corpore, farinæ plena orta sunt. Hinc sudores & vigiliæ senum: illinc patientia

iniqua

iniqua mortis iuuenum probantur. Hæc cum tecum reputaueris, facilè & tuam & illorum fortunam feres, nec eis inuidebis. Considera nunc, quid intersit inter Egnatium & Domitianum, inter Neronem & Thraseam, inter Antonium & Ciceronem: horum memoria colitur, illorum aspernamur. Hos sedibus piorum lætos viuere certò credendum est: illos longè maiores luere pœnas, quàm fuerit voluptes in flagitiis. Siquidem pœnæ non solum pro patratis sceleribus, sed etiam excogitatis, quæ perficere non potuerunt, quæ multo plura sunt, exiguntur.

Mobilis autem carceris, etiamsi cum remigatione sit, multo plura solatia sunt, quàm huius tetri. Nam & societas laborem minuit, & regionum varietas, nouaque terrarum ac cœli facies, mores, legésque. Indicio est, quod apud Venetos omnes voluntarij fermè sint epibatæ. At catenatus sum. Si eundem est, par conditio triremis & carceris. Nam freto, non catena detineris, & laboribus. Nam remigare etiam alij coguntur, quanquam liberi sint. Si quiescit triremis, catena illa nullum tibi laborem adiicit. Nullum ergo incommodum affert catena. At, dices, in portu adimit libertatem? Non semper: moris enim est, vt custode adiecto Christiani inter Mahumetanos, & Mahumetani inter Christianos quolibet vagentur. Verùm paucissimis viris generosis hoc infelicitatis aduenit ob damnationem, sed solum cum ab hostibus capiuntur. Tum verò multa te solantur, & spes redemptionis, & innocentia vitæ, & multitudo miserorum. Interim vero multa disces noua, & quod maximum est, paruo cum præsidio lætè atque iucundè viues. Quod si exire contingat, non vt prius vel ignauiæ pueri, vel fractus vrceus, vel muscarum tædium molestia te afficient. Interim verò captiuus morositatis tuæ, sed serò memineris. Disce ergo multa leuia, multáque communia in tota vita per te ipsum absque tantò experimento ferre.

CAPVT XXIII.

De Tædio multiplici.

DIcebat Seneca, si rectè elegeris quod agendum est, id moderatè verò concupiscas, beatus his duobus præsidiis eris. Verissimè, quoniam rectè eligendo vitæ beatæ munimenta adipisceris: moderatè verò concupiscens leuibus aduersis atque erroribus, quibus tota vita humana plena est, non torqueberis. Calicem confregit: si calicem plus æquo non ames, non irasceris. Nec est quod multitudinem aduersorum accuses, aut illorum varietatem: eadem namque est ratio vnius ac mille. Fateor diutius te implicitum retinent ac magis vexant, sed tamen eadem patientia, qua vnum fers, feres & mille. Grauia, periculosa, atrocia difficile quidem est ferre, sed multa augent molestiam, non dolorem aut cruciatum. Sentire huiusmodi titillationem leuium molestiarum, indicium est vacui animi. Qui semel magno pondere calamitatis pressus est, vt luctus aut seruitis aut carceris, nihil facit hæc exigua impedimenta. Hoc solum me grauiter afflictum cognosco, quod pauca me moueant, à paucis afficiar molestia. Beatus est, quamvis non deprehendat hoc, qui à minimis torquetur: quod quasi satyra illa, *Ibam forte via sacra.* Horatius insinuat. Ex tam leui enim re tantùm molestiarum sensit. Si callum manus obduxerit, non solum fila trahendo non sentit, sed vix ignes. Lætare, quamdiu minima ferre non potes: certus enim adhuc es, ignorare te calamitatis nomen. Nullum ergo felicitatis certius signum, quàm sæpius & à quacumque causa molestia affici. Etsi omnia animaduertas, finem tamen nullum huiusmodi miseriis inuenies, adeò numerosæ sunt. Noctu cimices, pulices, culices, ranæ strepentes, canis vicini eiulans, cubiculum æstuans, aues infaustæ, omnia luctuosa, vigiliæ ipsæ, somnia horrida, curæ infestant. Die verò clientes assidui, frequentes interpellatores, amicorum officia, præcepta magistratuum, rixæ leues, importunus vicinus, fama non bona, negotia non intermittentia, contentio cum plebeiis sordidisque hominibus, muscæ fatigant. In domo sunt æquus ferus, contumax seruus, suspecta familiaris ac domestica persona, sordidus puteus, puer fugax aut deceptor. In itinere pluuia assidua, ocreæ diffutæ, latronum metus, equus claudus, via cœnosa, Circa rem familiarem, vasa fracta, cadi stillantes, vinum corruptum papiliones frumentum exedentes, murium damna, grando, pruina, tectum aquam remittens, picturæ, tapeta, argenteaque vasa mutuo data nec reddita. Fortuito quoque amicus adueniens imparato, bellorum rumores, vinum aduectum non paratis cadis, merx in ripa sine victoribus ac gerulis, calor vrens, frigus asperum, niues præaltæ, domus ruinosa, nebulosus aër, fulgura frequentia, ebriosi domestici, alij ægri, suspiciones variæ, consanguinei qui te exedunt.

Hos tandem, vt ab eis initium ducam, aliqua techna, si moniti non desistunt, depellere conuenit. Ibis tu ad cauponam & nihil emes, alias aloem immiscebis cibis, vt veneno petitos se existiment. Sed scripsimus de hoc argumento librum satis locupletem. Muscas, culices, cimices, pulices, pediculos, ranas, serpentes, aqua, igne, cinere mundicieque pelle. Cimicibus ostabis lectulo subducto, vt lectus pauimento incumbat; pulicibus, vt sit pensilis. Vigilias lætis cogitationibus, studiis, colloquiis, picturarúmque amœnarum aspectu compensabis, aut propulsabis cantu, aquarum, nemorúmve aut montium aut solitudinum picturis, susurro aquæ, balneis crurum, odoribus atque vnguentis suauibus ac soporiferis, aniliúmque fabularum narratione. Quin istis, quod Poëta monet:

Adde merũ, vinoque nouos compesce dolores:
Occupet vt fessi lumina victa sopor.

Cæterùm vigilia cogitationum est mater: iisdem tamen & tædio occurrimus & res nostras rectè disponimus, & somnum conciliamus: adeò vt semetipsam conficiat. Mutuum

vero si non restituitur, disces in posterum quæ pretiosa sunt abscondere, impudentium & pauperum familiaritatem deuitare. Infamiæ leui ne occurre ardentius, ne, dum extinguere niteris, velut follibus lumen extinguendo accendas. Sed ea te docebit, quomodo grauem effugias, si vana non est, aut si vana, quàm tibi & à quibus sit cauendum, quanquam malè acceptus sis à ciuibus. Negotiorum assiduitatem inter mala non numerabo, quia otium calamitas est. Familiares, famulos, domesticos, pueros ebriosos, fallaces, cur est quod velis retinere? an desunt qui huiusmodi vitiis carent? Clientium & amicorum officia ad gloriam pertinent: si tamen te grauabunt, facile est huiusmodi & negotia ipsa intermittere, eundo rus, vel vrbes alias inuisendo. Pluuia assidua & tempestates & gelu commoda sua præbent etiam rusticis, nedum nobilibus:

Frigidus agricolam si quando continet imber,
Multa, forent quæ mox cœlo properanda sereno,
Maturare datur: durum procudit arator
Vomeris obtusi dentem: cauat arbore lintres:
Aut pecori signum aut numeros impressit aceruis.

Tum reliqua quæ sequuntur.

At ciuis in itinere omnia interim sua reparabit, rationesque subducet. Raræ autem sunt aut non diuturnæ tempestates, quæ hominem benè munitum ocreis, pileo, penula vel lacerna & æquo generoso impediant in itinere. Quod si domi fuerit, quæcumque omisit diebus serenis, peraget: atque sic non leue temporis compendium faciet, frumentum, vinum supellectilem totam ac domum curabit, lineas vestes, gausapia, mappas, lintea magna lecti, parabysta, omnia denique, quæ ad vsum pertinent, numerabit, videbit, reparabit diligentiusque aptabit ac recondet.

Circa mures & equos multa à nobis in naturalibus dicta sunt. Sic & de papilionibus horreum infestantibus, quos scopis & frumentum agitãdo tolles. Declaratum est enim, quod omnia hæc tum à calido tum à simili generantur. Si merx in ripa detinetur, si vinum perit, quoniam cadi nondum sunt parati, excusationem habes minuendæ impensæ. Diminutio vtilior est, quoniam perpetua: mercis iactura semel aut bis contingit. Intempestiuus hospitum aduentus te monebit, vt discas parcius ac rarius domum aliaque offerre: quandoquidem multi eo animo offerunt, vt non recipiant. Dicam autem quid aliquando à fide digno, tametsi ego non interfui, audierim.

Ciuis quidam noster Nobili cuidam Gallo aliquid empturienti multo pluris id æstimabat, quàm par esset: Gallo autem longè minus licitanti cum dixisset ille, vt solent, ego dono dabo, respondit Gallus, per fidem meam ego recipio, atque rem ipsam sustulit, quæ satis magni pretij erat & abiit. Mercator Gallum insecutus reprehendebat, quod non numerata pecunia abiret. Gallus educto gladio occidere cum tentauit, satis iratus dicens, dono dedisti, & nunc me tanquam latronem tractas? Itaque mercator pudore, iure & minis superatus domum rediit. Simile quippiam de mercede artifici contigisse audiui. Cùm volueris hospitium polliceri, ita prius te appara ac domum, vt cum venerit, cognoscat se seriò inuitatum. Dignus ego venia eram, qui Vicentinos quosdam, nec à facie mihi bene notos hospitari coactus sum, illorum impudentia verecundiam meam superante. Alius quoque cum manicas ferreas mutuo sumpsisset, non nisi monomachia redditurum respondit: cum sub iudice agerem, ex vrbe discessit. Sed ad rem redeo: paratis è caupona, quæ potes, statim hilariter illos excipe, nec causeris temporis breuitatem: nam & eam illi norunt, nec tam te excusas quàm illos accusas impudentiæ atque importunitatis. Et tamen hoc plerique faciunt. Si inuitasti, teipsum stultitiæ ac vanitatis arguis, dum minus peccatum vis emendare.

Quod si amici sint, coges modestè, vt apud te diem saltem maneant, vt, quod deliquisti, possis emendare. Præter cætera, qui nobiles domo excipere repente posse vult, lintea habeat munda, domum ornatam, famulos elegantes & promptos ad munia obeunda, lectos paratos splendidè, vinum & caseum optima, tum panem artopyrum, bellariaque nobiliora, vt oliuas, colymbadas, aut saltem Hispanicas, lumbos salitos, farcimina, Thonni pisci ventres, dorsáque & oua Attili, seu vt quidam malunt dicere acipenseris. Sic inexspectatum hospitem excipere sine rubore potes. Si ruri sis, gallinas, columbos & gallos paucos alere licet. Dixi etiam superius cautionem, qua excipere inexspectatos hospites licet. Sed amicos familiariter excipies.

Omina omnia, si Christianus sis, vel etiam Philosophus prudens, tuto spreueris. Quoties è domus regione currus noctu cecidisse visi sunt mihi, quoties vlularunt canes domestici, quoties crocitarunt corui? imò, vt aliàs dixi, vnus etiam prætextam apprehendit, dum essem puer, omniaque irrita fuere. Sed si propè miraculum accedant, an non plurimum gaudere debes geniis aut vitis te tam charum esse, seu moneant quæ exspectanda sint, seu quæ præcauenda? At, timeo, inquis? Timebisne omnia incerta, qui certam mortem potes non timere? Frigus, calorem, niues, latrones, cœnosam viam, inter calamitates aut aduersa non numerabis, nisi Smindyrides Sybarita sis, quem aspectus fodientium terram fatigabat. Fertur, pol! ille viginti annis Solem non vidisse orientem nec occidentem, rosæque stratum altius illum delassasse. Cœnosa via lucrum auget. Niues altiores naturale robur confirmant. Domum ruinosam si inhabites, nihilo plus facies quàm ego feci, imò minus. Nam dum inhabitarem corruit, atque in diruta aliquot annis habitaui. Ea necessitate in Academiam me contuli, exædificaui subtrahens aliis impensis quod erogare cogebar; nescio, meliore an deteriore fato? Caliginosus aër parcitatis victus te admonet. Plus potest sobrietas, quàm insalubris aër, nisi pestilens sit. Quid aliud est vita nostra benè acta, quàm puerorum lusus omne genus?

mala

mala vero, iter incertum atque ignotum ? In priore docemur ex præsentibus mala vitare & æquo animo ferre futura. Propterea optanda sunt plura mala ac varia & tempestiue, sed non adeò magna, vt te euertant.

Quid ergo vtilius contingere homini potest multitudine malorum, qua & discat inaniora vitare, atque inter tot & tanta celeriter & promptè ab aduersis se tueri? velut cum nauta peritus inter multos ventos nauem erigit atque ducit. Sic ergo, vt ad rem redeam, morbi domesticorum illas obedientes reddunt & temperantiores, quorum vtrumque non parum vtile domino est. Occasionem etiam præbent ostendendæ bonitatis ac beneuolentiæ in illos. Mutatio autem famulorum frequentes, propter ignorantiam morum vtriusque inutilis est, & indecora ac periculosa. Somnia turbulenta sedat hyacinthus rubens & adamas, vt aliàs dixi. Curæ solertem efficiunt: si sint superfluæ, granati gemmæ puluere, vt tristitia, pelluntur. Grando ac pruina rumoresque bellorum inertibus & impotentioribus quantum nocent, tantùm impigris atque solertibus prosunt, si ex malo alieno lucrari vtile dici potest. Suspiciones cautum efficiunt: & dum vnum quæris quod inane est & minimè metuendum, sæpè deteguntur veræ insidiæ veraque pericula. Nemo est, qui non aliquot annis in suspitione viuere non deberet: nam & cautus & temperans ac modestus viuet, callidiusque efficietur, ac conuersationem familiaritatémque cum multis contrahet. Res est, qua nulla est vtilior ad actus humanos, & præsertim apud principes & in vrbibus magnis. Sed ita cum suspicione viuere decet, vt nemo securius viuere videatur. Sed vt inanes metus ferre decet: ita etiam æquo animo labentes spes & quæ diu exspectata non frustrantur.

CAPVT XXIV.

De Spe abrupta & fortuitis calamitatibus.

QVanquam, qui verè constans est & bonus, siue speratas res consequatur siue non, sæuienti fortunæ occurrere soleat non secus ac quadrant alia, quæ semper erecta stant excelsaque videntur: quanquam & leuium molestiarum, vt dixi, multitudo titillatio quædam fit, sunt quippe, quæ sub huiusmodi latent, non vera calamitas: nihilominus, quoniam ipsa spes abrupta pluribus est molestissima, ob id in talibus fortuitis, quid agendum sit, dicere nunc opportunum est. Cuicumque igitur contingerit, vt spes ei aliqua omnino fortuito & violenter & inexspectato abrupta fuerit, si modo non prorsus salutem suam contemnit, cauere quàm diligentissimè debet ab omni occasione, quæ inexspectato ex illius infortunij aduentu pendet. Exemplum habes euidentissimum in nuptiis adeò calamitosis filij mei: quæ tantò magis erant metuendæ, quanto magis præter omnem rationem & exspectationem factæ fuerant ac singulari malo coniunctæ. Nam si recepissem in domum, cogebar alere, cum nihil esset in reditibus præter quadraginta Philippeos aureos in singulos annos, & ex conuentione vnius quidam auri lucrum rediret. Interim ego cogebar in singulis annis vt expensis solum, satisfacerem septuaginta prope lucrari. Quam summam etsi superarem, procedente tamen ad senium ætate & cum tot conspirationibus contra me initis, tum labore immodico facilè fieri poterat, vt post duos aut tres annos soli impensæ satisfacere non possem, morbo aliquo vel impedimentis retardatus, aut, cuiusmodi in senibus aduenire solent plurimæ, superueniente aliqua difficultate ex membrorum imbecillitate, velut hernia, quàm pater meus patiebatur in senectute; aut fluxu vrinæ, quem etiam morbum in vltimo senio expertus est; aut flagrantia eiusdem, vt Hieronymo Cardano IC. qui etiam ex ea obiit; aut surditate vel visus debilitate, quorum causa medici solent iam contemni; aut podagra frequenti, vt antea solebam, aut leui resolutione, qua mater mea extremis annis tentata est. Simili ratione, cum ex hoc inauspicato connubio tam tetra rursus mors filij subsecuta sit præter omnium exspectationem, tantò diligentius cauendum est mihi, ne quid agam faciamve quod ab hac nece originem ducat velut maledicere, abdicare se sponte à legendi munere, aliaque talia, quæ quæsita dicuntur ab aduersis fatis, aliquid in præcipitium impellentibus. Velut Demosthenes, cum caput suum ab Alexandro peti vidisset, nec Harpalus pecunias, quibus postea damnatus est, respicere debuit: inde enim malorum illius initia. Neque Cicero, cum videret Rempub. adeò versari, totum pondus contra Antonium suscipere debuit, tamquam illi non gloriæ sed excidij materiam subministrare Adrastia. Brutus, cum vidisset in manibus se victoriam habuisse, sed Deorum manibus ereptam, semetipsum præter rationem, totque illius errores, occidente Cassio, Cæsari se obiecit. Pompeius similiter, postquam stultitia sua euectum Cæsarem, demum negligentia euasisse, ne vinceretur, cernebat, intelligere potuit, apertè prælio amplius decernendum non esse.

At dices, non intelligo, an me arcere debeant aut accendere? Id ex quinque coniectabis. Ex natura primum rei, tum ex malæ ad bonum, aut bonæ ad malum mutatione fortunæ. Post aduersa enim fausta, vt C. Iulio Cæsari eueniebant, aut post fausta plurima aduersa, vt Attilio Regulo & Agathocli, fere ominosa sunt. Experti sunt Archagatus & antea Eumachus cum apud Tunetum plures post pulchras victorias cladem accepissent. Tertio ex ipso mali genere. Ita enim mors Iuliæ dissidium inter Cæsarem & Pompeium attulit, certò vtriusque exitio. Filij mors semper mala est, vt quæ nulli vsui. Alia incerta sunt, vt exilium, repulsa leuis, clades. Ob id etiam Euander, si modo vera historia est, malè credidit Æneæ Pallanta suum, cum esset occasio, sub alieno ductu, occidendi vnicum senis filium. Quarto ex ætate. Nam puerorum & adolescentium res ad incrementa: senum, ad exitium vergit, ni propter filios sint. Vltimum est segnities quædam &

torpor ac desperatio in rebus in rebus agendis, cum ad exitium tendunt; vel contra, alacritas. Ergo ex abrupta spe occasiones aliarum si se offerant, persæpe etiam vtiles sunt, nec semper abrupta spes inter calamitates numeranda est. Quæ verò mala est iisdem rationibus docet nos cauere à nouis negotiis, cum aliàs facile in cassides incidamus.

Cùm vero spei duo sunt genera: vnum, vt secunda propè adsint? alterum, vt aduersa, procul absint, multo magis nos terret desperatio propter malorum incubentium præsentiam, quàm bonorum absentiam. Itaque hoc genus nos desperationem propriè vocamus. Huic multi auxilium ex vino solent quærere: quod etiam Aristoteles suadet. Dupliciter autem contingit, vel quia metum minuit, vel quia mentem euertit, propter quæ spem abiicimus. Et certè futurorum triplex genus esse constat: quod omnino desperatur, quod speratur sine ratione, aut etiam cum ratione, cuius est quædam scientia. Ipsa ergo spes cum ratione potior est omnium, velut & desperatio pessimum est malorum omnium humanorum. Quocirca illam abigere sacerdotes solent, affirmantes illos solos à diuina clementia reiici qui desperauerunt, nec posse mortem illis vtilem esse. Aliis verò, quibus nondum persuasum est id ratione esse, aliquando contulit salutem. Etenim:

Vna salus victis nullam sperare salutem.

Cauendum est igitur, ne in summum illud malorum incidamus, quod his euenit, qui mortem esse omnium finem firmiter credunt. Quamobrem vltimorum malorum cum non sit cruciatus nec paupertas aut mors, sed desperatio, palàm est improbos solos spe destitui & dira pati. Sunt ergo in morientibus tria mala præcipua: dolor iuxta genus mortis, scientia mortis, quæ in publica grauior est, & desperatio. Qui bene sperantes moriuntur, etiam parum mortem metuunt. Conandum est igitur, vt speres quæ desperare non possis: velut quæ post mortem de animis & vere feruntur & cum ratione sunt exspectanda. Quoniam cum rarò falleris, plus erit longè dulcedinis in spe, quamdiu manet, quàm in inani exspectatione doloris. In reliquis ita speres, vt vtrumque euentum vtilem tibi esse persuadeas. Forsan dices, improbos nihil cogitare cum moriuntur, & ob id nec desperare, vel etiam, si cogitent nihil esse, non torqueri ob hoc. At cogitare omnes, & maximè cum mors superuenit, & timere ne supersint, certum est. Sed cum non solum exspectata nos fallant, sed & inexspectato multa nobis bona adueniant, de his nunc dicendum erit.

CAPVT XXV.

De Signis eximiæ potentiæ & gloriæ.

Eximiæ ergo & insperatæ felicitatis, gloriæ aut potentiæ, nouem sunt genera signorum. Primum, cum in corpore præclara quædam vestigia cernuntur, ex maculis quasi ex ordine stellarum conficta. Cuiusmodi præcipua sunt vrsæ, vt Augusto, serpentis, coronæ, canis, calicis, capitis humani, hastæ, vt ferunt de Spartanis, crucis, vt in Scanderbego, Solis Lunæve aut stellæ senis aut octonis radiis, quæ sic describi solet **. Oportet autem in his, quæ siderum constellationibus assimilantur, etiam numerum macularum stellis respondere. Quæ cum euidentia, pulchra & absoluta fuerint, magnam nec interruptam & cum felici exitu gloriam significabunt. Sed si exigua sint vestigia, minorem: si non pulchra, fœdam fortunæ inæqualitatem aduersaque multa. Interim, vt in Agathocle, cuius comparatione Caligula bonus videri possit, ceu qui quovis tyranno flagitiosior, erga omnes sed præcipuè Ægestanos tam incredibili & omnino inaudita sæuitia vsus fuit, vt omnino indignus memoria sit, tantò minus regio nomine: ita & in aliis varietas non solum in fortuna, sed & in moribus vitæ cursum admodum defedauit. Quod si non absoluta sint huiusmodi signa, finem non parem successibus minantur. At etiam iuxta partes corporis euidentiores habebunt effectus. Primus est in pectore & ventre, vt Augusto: secundus in dorso: tertius in humero, vt Scanderbego: quartus in brachio, vt Nisibensibus: quintus in fæmoribus: sextus in pede. Contra abominanda sunt numerus quilibet incertus digitorum, maculæ magnæ deformésque ac coniunctæ, aliáque fæda maximè in læua parte.

Secundum est, cùm nascente infante vel paulò post, aut etiam cum vtero geritur, in eadem domo aut etiam pago pulchra ostenta apparent, vt Platoni apes mel in os eius deportates. Gallorum cantus ipsa hora nascentis infantis alacrior & frequentior, vt in Galeatio primo Vicecomite, potentiæ stirpis auctore. Aries natus aureo vellere aut cum corona in capite: enatæ plantæ aut resurgentes, vt Vespasiano & Augusto cum in palma columbæ præter morem nidificarent. Præstantes autem sunt palma & quercus, quod ex his victores non solum coronari soleant, sed quod robustæ, viuaces & faustæ sint arbores. Malæ partus etiam, vt in Galba, & hic qui humili loco nati sunt: serpentes quoque magni circa infantem. Aquilæ quoque & regia animalia. Fulguris ictus auspicatus, præsertim si ex eo flamma accendatur illustris, &, vt Seruio Tullio, emicans circa caput ignis. Et si ipse cũ reti coronato puer nascatur: & quæcumque talia pulchra decentia & magnifica accidunt. Contra infausta sunt quæ apparent ex fædis animalibus & portentis, vt ranis, crabronibus, coruis, si lepus ex equa, aut ouis è vacca nascatur: minor enim est. Tum ruinæ generosarum plantarum, vt etiam oliuæ & myrthi & vitis & pyri & mali: mœnium vero vrbis, anceps & quandoque bonum. Inconditi etiam strepitus: atque hæc cum omnia penè præter naturam fuerint. Et eadem hæc obseruanda, cum in primis honoribus aut magistratibus adipiscendis contigerint. Nasci autem cum capillis longis, crassis, firmis toto capite, laboriosam vitam & multis calamitatibus plenam declarat.

Tertium est, cùm labra aurésque magnæ sed capiti hærentes, collum teres, nasus à summo eleuatus in imum deflectitur, more rostri rapacium, cùm quadam venustate. Tum verò viuida omnia, vel mente sagaci vel cum firmis admodum viribus, tum oculi magni ac læti.

Quartum, cùm oculi aspectúsque micantes, lucidi atque splendentes cum quadam veneratione sunt, vt vix aspectum quis illorum sustinere queat. Qui si huiusmodi sint, Philosophum magnum aut Regem futurum declarant. Si sicci ac terribiles, tyrannum aut seductorem & inuictos tum vtrosque denunciant.

Quintum, cùm in fronte stellæ pulchræ delineatæ atque puræ, lineæque naturales firmæ: atque eadem in manu cum rectis ac duplicatis principalibus lineis, tum montibus suo digitis benè formatis apparent. Summam enim naturæ diligentiam in conformando etiam minutissimas quasque corporis particulas, astrorum constitutionem claram ostendunt. Similiter tubercula, ciceris more, in dextra parte iuxta nasum aut in tempore, si cum cæteris iuncta sint signis, & pulchra etiam fuerint, magnam fortunam declarant. Contra fœda signa & turbata inquietum & infelicem vitæ cursum eadem ratione ostendunt.

Si vero fortuito quædam animalia aut lapides admirandæ naturæ in manus nostras deuenint, maximè si animalia ex vsu sint, non sunt contemnenda: velut Alexandro Bucephalus equus: erat enim taurino magnoque capite, qui nullum insessorem, cùm ornatus esset, præter Alexandrum ipsum, patiebatur, & ideò charus admodum illi, atque inter auspicia magnæ fortunæ fuit, vt post dicemus. Similiter equus Cæsaris pedibus in digitos propè humanum in modum diuisis, quem apud Senatum summa diligentia custodiuit, quòd aruspices respondissent imperium orbis significare illi apud quem nutriretur, eoque in bellis atque expeditionibus visus est. Simili modo si sapienti gemma quæpiam aut etiam lapis stellis maculisve in formam aliquam figuræ cœlestes descriptus casu obtigit, non negligendum arbitror, quanquam incerto euentu. Sed è ratione figuræ & virium stellarum vim lapidis interpretabimur. Eadem ratione quæ pictas habent facies hominum aut animalium seu instrumentorum aut arborum, modo naturæ sint non artis opus, magno auxilio ad diuersa negotia esse existimabimus: sed pulchra & exacta esse oportet, nec nostra voluntate conficta. Addunt & huiusmodi ostenta auctoritatem homini. Existimatio autem & opinio reginæ sunt rerum humanarum. Quantum huiusmodi Alexandro, Cæsari, Thyaneo, Pseudo Alexandro, aliis profuere? Quamobrem consulo, quod etiam indies vtile omnibus videtur, vt homines existimationis & opinionis huius curam habeant.

Septimum est somniorum, quæ vel nascentem infantem præcedunt, aut oboriuntur cum primum mulier concepit: velut Astyagis, Hecubæ, Actiæ & Octauij Augusti parentum, matris quoque Echelstani Regis Britannorum & Gullielmi Normandorum, & Isabellæ Darchæ parentis Ioannæ puellæ Gallicanæ, quæ fulgur peperisse somniauerat, vt & Ecelini Romani ciuis. Sed multò plura eueniunt sub ipsis rerum agendarum temporibus, quorum exempla ne numerare quidem nobis licet. Quibus ego forsan non tantùm fidei adhibebo, reputans quanta sit multitudo eorum quæ fallunt, & necesse esse ob id sæpius talos iacenti in sortem incidere. Dictum est autem aliàs à nobis, in libris nempe de Somniis, quod necessarium est huic negotio.

Octauum est ratio ipsa morum constans, infatigabilis, nullius repulsæ tædens, fortis, prudens, comis, liberalis, ac denique prorsus inuicta. Sicut è diuerso magnæ calamitatis ac impendentis breui miseriæ index est torpida tristisque mens, anceps & ad omnia segnis & defessa, incerta sui & metu absque causa detenta, quod significauit Virgilius:

> *Non me tua feruida terrent*
> *Dicta ferox: Dij me terrent & Iuppiter hostis.*

Inde subiungit:

> *Sed neque currentem se, nec cognoscit euntem,*
> *Tollentémque manu, saxúmque immane mouentem,*
> *Genua labant, gelidus concreuit frigore sanguis.*

Cùm vero eadem sit ratio generalis vitæ, quæ propria vniuscuiusque fortuiti euentus: hac propter decet eum seruare rationis tenorem, qui nulla vi aut metu excuti possit. Facessant omnia & fati impendentis suspicio, & Deorum terriculamenta, prodigia aduersa, & quidquid nobis ira cœli obiicere potest. Pugnandum est, moriendum est: sit ita, sed non moriemur inulti. Clipeus rationis tot tantísque malis obiiciatur, qui solus à Deo pro munimine nostro descendit. Hoc agam, vt me, quantum potero, tuear. Porrò cum duo sint modorum genera, quibus homines ad magnam gloriam ac famam euehuntur: vnum, quod æquale est & sibi vndequaque simile, velut cum prudentes in eo semper persistimus fine, qui maximè sapientibus conuenit: aliud, quod mutato consilio sæpius certis solum legibus atque limitibus continetur, velut prudentia, fortitudine, liberalitate, solertia, comitate, qui modus magis bellicis negotiis aptus est: deligere alterum eorum semper oportet, atque in eo eminere.

Nonum est, cum cometis fulgentibus homines nascuntur. Sed quoniam incertum est, cum plures tunc nascantur, ad quos pertineat, ideò vltimum locum obtinuit.

Quod si quis mihi obiiciat, ominosa ista à religione reiici. Fateor, & rectè, ne existimes à dæmone aliquo subiecta. Quod si vsque ad fortuita trãsgrediamur, hæc etiam vana sunt. Sed si ad diuinam Prouidentiam, miraculum, ad naturæ ordines inerrantes, nihil superstitiosi continent: quandoquidem, vel ipsis somniis Iosephus gentem suam liberauit à fame & Pharaoni gratus fuit; ipséque Christus delatus est in Ægyptum. Quo

circa vt naturæ ventorum incertos impetus salutari euentu obseruant: ita & nos admiranda rerum miracula certa ratione considerare decet. Quorum si ars, vt ventorum, constitueretur, inter naturales magna cum vtilitate numerari posset.

Tribus aut quatuor ab hinc annis ictum fuit templum B. Ambrosij, quem diuum vrbs nostra sanctissimè colit, conflagrauitque culmen fulgure: inde anno fermè post fulgur verticem templi B. Laurentij nocte tetigit, nullisque rursus lapidibus excussis flammam tam illustrem accendit, vt aliquot horis spectarem ardentem. Quis dubitat, non summum Pontificatum ciui alicui nostro decerni? Nam templum vnum, vt dixi, vrbis nostræ tutelare est, alterum verò antiquissimum & olim Herculi dicatum. Non excussus lapis, sed diuino igne exardens, etiam aliquot annis superuicturum docet, & nescio quid stabiliturum, propter diuturnam & collucentem atque inextinguibilem flammam. Si dicas fortuita hæc fuisse, cur non ex tot turribus, ex tot sacris ædibus vlla alia icta; sed solum, quæ ciuem, quæ antiquissimæ familiæ ciuem declarabant? Cur nec vnus quidem lapis excussus est? cur exarsit ex eo flamma tam ingens, totque horis, quamvis obrueretur copiosa aqua? Meministi, cum ars Iouis icta est fulmine, magno malo atque intervicino Gallorum non arsisse tecta, sed disiectos lapides magnámque muri partem, occisos homines, non gloriam, sed ingentem, qualis post consecuta est, gentis ruinam significasse. Tres erant Cardinales ex nostra vrbe tum, atque omnes è familiis antiquioribus, Simoneta, Moronus, Medices: primus obiit, secundus captus fuit, in hunc igitur miraculum rei ferri necessarium erat. Significat & hoc incendium alia, quæ suo tempore omnia euenient Nam Pont. Max. decernendum quamvis expresso magis augurio ictus templi B. Laurentij confirmaret, nihilominus primus fulminis ictus satisfaciebat. Diuina enim rara, & eorum penuria est.

Cùm fulgur Genuæ templi Beati Ambrosij culmē tetigisset, deiecissetque pietatis imaginem illæso prorsus templo, classis Genuensium, auspiciis Philippi Vicecomitis, Mediolanensis reguli & Blasio Duce, classem duorum regum aliorúmque Principum superauit, ipsosque reges captiuos fecit, qui in Philippi manus deuenerunt. Cùm fulmen Genuæ turrim Phari, in qua depicta erant Fulgosiorum insignia, tetigisset, nec læsisset, tria solùm foramina relinquens, Baptistæ Fulgosio, hæc narranti Genuæ, summum imperium totidem annis decreuit. Vt cum Horatio dicere liceat:

Misit pater, & rubente
Dextera sacras iaculatur arces,
Terruit vrbem,

Tam stultum igitur est, summa sequi aduersis ac repugnante natura rerum atque ordine: quàm adiuuante & incitante, non aggredi atque amplecti. Illud enim semper memoria recenti colendum, quòd in maximis mediocria, in his parua ac minima continentur.

Vtinam aliquis ex tanta scriptorum multitudine nos hoc onere leuasset; non ob laboris tædium, sed vtilitatis occasionem, cum nunc serò hanc felicitatem non mihi, sed aliis potius parem. Etenim haud dubium est, quin ego, si in tales, quales nunc conscripsi, commentarios incidissem, iure naturæ fuissem felicissimus. Nam si nulla cum methodo, si pauper, sine affinibus, sine amicis, cum tot æmulis, litibus, non satis firma valetudine, in vrbe hac ignotus, nullo Principum præsidio adiutus, nisi quod vltimo mihi malè cessit, potui collegium adipisci, filios quos habui sospites educare, vt tanquam turres essent, & natu maiorem in collegium medicorum collocare, ipse ad sexagesimum fermè annum incolumis peruenire, medendo in ciuitate, legendo in academia, scribendo in orbe, primum aut nulli inferiorem locum obtinere, nec pecuniæ, quantum satis mihi foret, indigere, imò ad mille quingentorum aureorum Philippicorum lucrum peruenire in singulos annos, ni leuitas filij & fata obstitissent, & tot scribere, vt pars minima tantùm sit atque vilissima edita, quid futurum erat, si autem mihi ab initio methodum ducendæ vitæ fabricassem aut fabricatam inuenissem? Sed postquam, quæ acta sunt, reprehendi potius quàm emendari possunt, non desinam aliis prodesse, qui mihi non potui.

CAPVT XXVI.

De Vitæ Ordine.

Conscribam ergo breuiter, quo ordine adolescens institui debeat, vt quamvis pauper & humili fortuna natus, vitam feliciter ducere possit. Omnia enim ita se habent, quemadmodum in construenda domo. Vt enim in illa & ordinem seruare expedit, & commiscere actiones: sic etiam in vita agenda facere conuenit. Nam ordo tam est necessarius, quàm est ad tempus colligendum mixtio negotiorum. Stultè enim agunt, qui nolunt, nisi vno perfecto opere. aliud aggredi, aut iam inchoatum tractare. Quid enim, si secundum magis sit aut necessarium aut vtile aut prætermissum, amplius tractare non queas? Deinde quodnam est negotium illud nisi Principi iracundo & ambitioso seruias, quod totum hominem poscat & exigat? In vita ergo ducenda & ordinem seruare necessarium est, & miscere negotia & gnauiter illa exsequi. O quàm rectè nos admonet Hippocrates, occasionem esse præcipitem dicens.

In ordine ergo obseruare decet, quænam iure naturæ anteponi debent, vt opes ædificandæ domui. Quomodo enim domum sine opibus ædificabis? Secundum, quæ præstantissima, vt discere Leges aut Medicinam aut artem quampiam prius quàm Citharistriam. Quorsum enim Citharistria, si focus frigeat? Tertium, vt ne ea prætermittas quorum occasio labitur, vt si asciscaris ad principis Aulam, aut si lis incidat. Non enim semper hæc opportunè adueniunt. Ita curabis filium ægrum, omittens etiam hæreditatis euictionem. Quartum, cum eiusmodi sit res, vt

vt fructus multo post suscipiendus sit, velut procreatio filiorum, & plantarum insitio, & agri inculti ordinatio & domus ædificanda, & profiteri in gymnasio. Hæc enim tempestiuè inchoari debent, vt fructum eorum percipere possis adhuc robustus. Quod si vigeas, honori tibi erunt, ipsósque euehes. Si res tuæ aduersæ sint, ipsi tamen gaudebunt ac te erigent.

Primum ergo puta in adolescente, carere vitiis animi: deinde illum doce œconomiam aut artem, qua viuere ac etiam ditari possit. Inde, vbi sic edoctus est, vt vxorem alere queat, ducenda est vxor pro conditione, atque ex ea nati liberi instruendi diligenter, iuxta illud,

Cum tibi sint nati nec opes, tunc artibus illos
Instrue, quo possint inopem defendere vitam.

Sed pauperi tibi frater sit, qui vel habuerit vxorem vel ducturus sit, tu ab eo munere vacare potes. Etenim duabus rebus satisfacere incerto cum lucro tutum non est. Etiam, si diues sis, ab artis absolutione abstinere potes, ita vt vxorem ducere liceat, tametsi nondum autem exactè callueris.

Interim ergo diem totum in tres partes partire. Maxima sit atque bessem contineat, qua in artis opere exerceberis. Totius quadrantem in emendo necessaria ac disponenda domo & negotiis eius impendes. Reliquum dabis curandæ vxori atque filiis, illisque blandiendis. Totum verò diem intelligo horas tantummodo quindecim: nam nouem somno dedicabuntur. Sunt præter hæc festi dies, in quibus plus curæ rei familiari impendere decet, vt quidquid in hebdomada prætermissum est, diligenter sarciatur. Reliquum temporis studiis sapientiæ pro tua conditione impendes, ac conuiuiis iocisque licitis. Faber enim lignarius libros leget materna lingua scriptos, cuiusmodi Officia Ciceronis sunt maximè. Sed verò, vt vera fatear, desunt boni libri in hoc genere. Nihilominus vtiliores commemorabimus. Præcepta Sabæ paululum superstitiosiora sunt, quàm ad vtilitatem conducat. Monita Aulicorum ex Hispana lingua conuersa, Institutiones Patritij Senensis & Picolhomini & Plutarchi moralia lectu digna sunt. Epistolæ Mondegneti & ipsæ paulo sunt superstitiosiores quàm vitæ ciuili ac christianæ etiam sit necessarium. Absurdum enim est existimare aliam esse vitam christianam, aliam ciuilem ac Philosopho dignam, & aliam quæ hic tradatur. Sunt enim vna & eadem, modo per principes ac magistratus liceret. Sed licentia illorum efficitur, vt homines è christiana vita exire cogantur: atque tum demùm quid agant, nesciunt, cum pro miserorum indigentia sola verbula offeruntur. Eaque de causa, quid Christianum agere deceat, docui. Suntque multa etiam nulli vsui principibus, quæ ablata & commutata plurimum prodessent populis: inuenta nescio à quo, Cacodæmone vt oneratæ tributis plebi hæc etiam frustra superadderentur. Quamobrem, vt dixi, postquam tu legem mutare non potes, vt Reipublicæ bono faueat: tu ipse ad legem te componere perge.

Nihil verò magis necessarium aut vtile est beatè viuere cupienti, quàm patriam rectè eligere. Feliciter enim in benè constituta Republica pauper viues, infelicissimè sub tyrannide diues, imò interdum eo infelicior quo ditior. Nec tamen tyrannicam Rempublicam facit tyranni dominatio, vt neque Regis regiam, quandoquidem sub eoden Rege aliter atque aliter viuitur. Fieri tamen vix potest, ne omnino non posse dicam, vt procul à Rege regiis semper legibus viuatur. Eapropter sanum illud institutum apud Æthiopes adhuc celebratur, vt Rex circumeundo totum regnum in perpetua sit peregrinatione. Nam plures hoc metu, quàm ipsa regis præsentia continentur in officio. Ergo si Euangelij præcepta quis sanctè timetur, habet in iis magnam partem eorum, imò generaliter totum, quod illi agendum est in benè ducenda vita.

Oportet ergo primum vitæ genus ac finem constituere, inde ea parare quæ ad finem consequendum sunt necessaria. Maxima verò cura sit circa has quatuor res: circa vitæ incolumitatem, artis existimationem atque excellentiam in ea, & vxoris integritatem, filiorúmque commoda atque mores. Quodcumque enim horum malè cesserit, in perpetua viues infelicitate. Non est verò vt de istis nunc dicam, nam partim dicta sunt, partim suo loco dicentur. Quocirca etiam duo sunt ordines faciendorum atque agendorum: scire enim conuenit, quid tempore prius sit agendum, & cuius curam maiorem habere debeamus. Nec verò confidas, quod absque huiusmodi doctrina tu felix esse possis, propterea quod aliquos iam videris felices absque horum librorum lectione. Falleris enim: nam vsque nunc felices solum diuitiis affluentes iudicare licuit. Nunc verò, horum librorum auxilio, multo plures pauperes quàm antea diuites. Neque tum omnes diuites felices erant, sed pauci solum ex his: nunc omnes fermè ex illis tales esse poterunt. Et iis etiam, qui felices sunt, quàm multa ad felicitatem desunt? Vt enim puer aut vir voce optima præditus, parum tamen probè concinit cum aliis absque arte, cum illa verò optimè, natura artem & vicissim arte adiuuante naturam, ita qui felicitatis cõmoda assequutus est sine arte quæ felicem esse docet, parum felicitatis etiam cum illis omnibus commodis assequetur. Ita enim diues, incolumis, potens, & fortis etiam ac prudens, sine horum librorum auxilio vix limina felicitatis ingredietur.

Vltimum horum est, qui diuites sunt, possunt esse felices. Neque enim ante nos vllus ausus est hoc docere; sed tantum solutam Stoicorum & fictam felicitatem, absurdámque & in sola virtute constitutam, nec pauperibus communem proponere. Nam qui legem nostram contemnere volunt, ac cum Epicureis sentire, vt nunc mos est plurimorum, infelicissimi sunt: vt qui audeant sperare quod optimum est, non esse quidquam. Si verò cum Christo sentiant & sperent hac in vita, quid illis proderunt diuitiæ suæ? annon prorsus erunt laconici nummi, quorum nullus erat vsus? Iubet Christus, vt non sis ambitiosus, aut iracundus, pauperem non opprimas, neminem

lædas, omnia de pauperibus: id si agas, quid tibi erunt diuitiæ hæ? quandoquidem summa voluptas diuitiis fit, illas ostentare, premere pauperes, illis præferri, nonnunquam vel minimis è causis pauperes contumelia aut iniuria afficere, demùm suas opes retinere. Quorum cum nihil liceat secundum legem, quanto minus fœnerari licebit aut horrea claudere, vt frumentum duplo magis væneat?

Nos autem diuina ira per manus amentium percussi sumus, cum ea, quæ nondum nobis benè perspecta essent, scripsissemus. Nunc verò immortales animos esse ex libris de Æternitatis Arcanis docemus, atque scelerum ac virtutis pœnarúmque & suppliciorum conscios. Persæpè etiam, vt in Theognosto docuimus, per vim occisorum animos vagari circa loca violenti exitij corpore indutos aëreo, & mortuos colluctari cum illorum vmbris, qui necis causa fuere, & vtrosque graues esse elemento aëris, donec expiatæ ad sua redeant loca. Innocentium autem & quorum mens ad Deum directa fuit, volitare ad superos, neglectis sicariis seu improbis iudiciis, nec illorum nece exspectata. Cuius rei testimonio sexcenta sunt exempla in historiis tradita. Quamobrem vt quis feliciter viuere possit, oportet vt credat atque etiam intelligat, quod nemini bono obscurum est aut inexpertum, mentem nostram participem esse diuinæ felicitatis, tametsi modum non sciamus. Tum quomodo sine diuitiis quisque felix esse perfectè possit, etsi non habeat vnde parare, aut si habeat, legitimè vti queat. Denique, vt non sint impedimento ad satisfaciendum Christi voluntati, aut explendis his votis, quæ felicitati sunt necessaria, neque tamen cogatur sua prodigere.

Cæterùm, vt ad rem redeam, antecedentia ordine diximus duplicis esse generis, vel dignitate, vel tempore. Hoc familiari exemplo discere potes. Hominem enim vestes induere, cum manè surgit, magis necessarium est & præcedere debet defensionem amici in iudicio. Defensio tamen illa dignior est & vestium indumento præstat ordine non temporis, sed finis. Veniamus nunc igitur ad minus vulgata. Lucrum, tempore debet filiorum curam præcedere: filiorum cura, dignitate. Namque cum ambo aliquis facere debet, primo lucrabitur, inde filios curabit: cum alterum omittere, lucrum omittet, non filios. Multa autem sunt in huiusmodi genere tum speciatim, tum generatim consideranda. Quærendum est igitur, an in quibus generaliter alterum alteri præferri debet, in iisdem idem ordo in singulis actionibus seruandus sit? V. g. diximus quod pecuniarum acquisitio generaliter præcedere debet filiorum curam, cura autem filiorum, si quid omittendum est, omnino necessario sit retinenda, lucro relicto: an ergo eadem ratio ordinis singulis diebus obseruanda erit? Palam est, quod non: quia generum comparatio suam semper retinet magnitudinem, ipsæ autem quæuis operationes non ita. Nam quædam lucri occasiones magnæ erunt, filiorum autem paruæ: vt si quis velit magno emere partem tui opificij, filius autem neglexerit discere elementa, vanum est, hoc illi præponere. Rursus expedit quandoque alterius ex toto obliuisci. Vt si filio caput tegula confregerit, omittemus omnem lucri curam & filio attendemus. Magnæ autem & raræ cuiusdam occasionis est, vt eodem momento cogaris duobus vrgentibus negotiis satisfacere. Si tamen eueniat casus, tuæ industriæ & iudicij erit statuere, quid præponere debeas.

Quapropter hæc non solum ex scripto scire oportet, sed & iudicio vnumquodque æstimare atque perpendere quantum valeat, quantumque necessarium sit. Nec id etiam sufficit, sed exercuisse se oportet sæpius in hac tractatione cum rerum ipsa ratio, locus, tempus, modus, occasio, multa ostendant, quæ nec scribi nec doceri vllo modo possunt. Propterea etiam quidam erunt, quamquam pauci, quibus hæc non proderunt, & qui quantumuis ista legant, in agendo tamen nihil proficient: imò quibus, quod mirabilius est, tametsi verum, etiam nocebunt hæc præcepta. Nam illis temerè fidentes maiora audebunt, & ob id maiores admittent errores. Hi quidem erunt stulti, inepti & impatientes. Omnibus autem hominum aliorum generibus vtilis erit hæc lectio. Sed & quorumdam ex illis, si non omnino fuerint insanabiles, maximè si accedat viri præstantis auxilium. Velut si quis frigidus sit & vxor filium concipiat, velit autem lactare, quia lac maternum vtilius sit, cogetur ille à venere abstinere ne concipiat aut ex venerea agitatione lac fiat deterius: hac tamen continentia ad venerem fiet impotentior & filiorum generatio retardabitur. At contra si validus sit quispiam & fœcunda vxor, habeat etiam tres quatuorve filios, melius erit vt mater lectat. Consuluerim autem generaliter, vt & mater & nutrix lactent infantes: hæc enim ad omnia fortuita melius est. Habebis autem nutricem in domo si pauper es, sed cura vt ipse victum sibi paret quo sit minus otiosa. Atque hac ratione si singulis in rebus diligentiam adhibueris, acquires tibi habitus benè tractandorum negotiorum, honestatique ac vtilitati consules. In omnibus, quæ postulantur, morem Germanorum mercatorum imitare, interpone diem responsioni. In celebrandis autem conuiuiis festis diebus id agas, vt cum paribus atque vxorem habentibus ea celebres: ita enim familiaritas illa detrimento non erit vxorum pudicitiæ, & vxor minus vagari cupiet, & te diliget magis & solatium commune erit. Qui enim vxorem diligit, nunquam in cauponam, ad cœnandum ibi diuertet, quod si id egerit, meretur vt illa mœchetur? Nam decens est, cum bona fuerit vxor, vt à coniuge amari se sentiat, omniúmque voluptatum sit particeps, vt etiam mœrorum necessario fit. Illa solum ei non communicabis, quæ imprudenter effutita damnum tibi egregium parere possunt; silentio autem non contenta nihil vtilitatis illi allatura sunt, præter satisfactionem quandam. Sic nec illi necessarium est, vt damna omnia exigua domus tibi renuntiet.

Qui verò iam diues est, bessem illum temporis partim & maiore portione studiis ac contemplationi impendet. Huiusmodi enim hominum generi maximè conueniunt studia liberalium

liberalium artium, Philosophiæ, Arcanorúmque Æternitatis ac morum componendorum. Partim etiam ciuilibus negotiis accommodabit.

In speciali autem curare oportet diligenter, ne alios docere velis qui consilij sis inops. Præsertim cum vel illi haud tibi fuerint amici, vel præter occasionem id egeris. Velle enim alios docere non rogatus, vanæ simplicitatis & absurdæ arrogantiæ indicium est. Quorum altero contemneris, altero odio illis eris. Sic duo præcipua mala frustra tibi quæres. Deinde, quorsum hæc? Quid illi hæc tua doctrina indigent? Atque, si indigerent, ad quid gratuito eam ignotis impertisse iuuat? Quin, & si cœperis docere amicos & rogatus, si quis interpellet, volens desinito: nam aut ille inimicus est, aut admoneris tacendum esse. Cum etiam sine filiis ad senectutem, aut cum vno alterove, sed paruulis, perueneris iuuenculæ te iunge, ex qua si filium susceperis, illi tamen danda est opera, filio nutrici principaliter commendato, neque sinendum est, vt tempus tam opportunum præterlabatur. Quibus susceptis, cum iam spes non sit vt illorum iuuentute fruaris, frueris tamen dulcissimè infantia ac pueritia, & testamento ad salutem illorum ac optimam institutionem cauebis. Id fiet commodè, si tu, dum vixeris, nulli pecuniæ parcens, hominem ipsis probum, eruditum patientémque præfeceris, atque huic per ætatum filiorum incrementa stipendium auxeris, testamentóque caueris, vt si tutoribus è re videatur, in illius custodia sint, pueros illi, illum verò tutoribus commendans. Quo in casu, postquam omnia tanquam postridie moriturus caueris, reassumpta rursus ingenti spe vitæ, terminum tuæ in magnam ac prouectam ætatem filiorum extende. Iuuabit ad vitam producendam non parum charæ prolis amplexus, ideóque tu etiam illos fouebis ac instrues. Dici enim solet, Oculus domini impinguat equum. Semper autem in his casibus vel si parui tantum nepotes mortuis filiis supersint, curare debes, vt tibi & illis opes compares omnibus modis, quibus licere superiùs docuimus.* Si enim vnquam necessariæ opes sunt, in hoc casu sunt, cum vtraque ætas imbellis est & impotens. Quod si pecuniæ & opes, non quantæ oportet, adsint, vel adhuc tibi iuueni paruulos educare contingat, animosè totum, quidquid habes, educationi impende. Si enim viros habebis, habebis & opes. At si desint viri, quid opibus proficies? At, dices, quid si mihi necessaria defuerint, aut filij futuri sint improbi? Noli timere hoc, imò, & si venturum est, melius est tibi defuisse in votis fortunam, quàm illos voto tuo periisse, aut malè educatos instructósve in arte esse, vel artem vilem doctos ac minimè viro dignam aut lucrosam. In arte autem deligenda quæres quatuor. Primum, vt honesta sit non fœda nec turpis. Tum, vt vitæ noxia non sit, sicut eorum qui ingentibus malleis aurum attenuant. Tertio, vt sit lucrosa. Quarto denique, vt sit eius generis, cuius lucrum sit perpetuum. Eadem ergo testamento etiam cauebis. Maximè autem iuuant artes familiæ consuetæ. Id ergo statue, vt potius vir sine vilis opibus euadat, quàm opibus superstitibus aliquid ad institutionem & salutem corporis desit. Puellis quoque dotem constitue. Quod si non possis masculis simul & fœminis satisfacere, masculorum commodis magis faue. Sed tum filiabus, vt rectè instruantur, tanto diligentius cauebis. Puellæ enim multæ coniugia præclara nactæ sunt ob formam, pudicitiam, mores & artium illis congruentium summam peritiam. Masculi etiam, si minores erunt, ob ætatem exposcunt, vt prius illis consulatur: si fœminis maiores, eorum auxilio locari hæ poterunt. Solent enim illi earum misereri, & maxime tum, cum illas sui causa destitutas intelligunt. Quantum verò virtus in puella possit, declarat exemplum Aspasię Hermotimi Phocensis filiæ, quæ ex summa paupertate Persarum Regis vxor, imò duorum fratrum, Cyri & Artazerxis, facta est. Non desit gratia, non deerit fortuna.

Sed, vt ad rem redeam, præter cætera memineris, in conuersatione, ne res paruas verbis aut gestu extollas, nec à familiari vsu atque consuetudine recedas, aut si recesseris aliquando, necessitatis non leuitatis argumentum sit. Cum verò id contigerit, minimis immutatis præmissáque excusatione, tanquam flosculum adde: in cæteris omnino mediocritatem & mores communes sequere. Opere enim ipso, non sola scientia præstare oportet. Verbis autem fac vt nihil absurdum dicas. Res magnas & manifesta commiseratione laudéque amplissima dignas, at graui apud iudices & inimicorum accusatione damnatas tueberis: reliqua silentio tege: tempus enim illa obruet. Morum autem institutio tribus constat: diligentia circa illos, vsu atque consuetudine, & excessuum cura: de qua nunc agendum est.

CAPVT XXVII.

De Animi Morbis Curandis.

Ab impatientia igitur auspicabimur, quæ vt pessimum vitium est, ita patientiæ summa laus est: qua etiam Homerus Vlyssem suum decorauit, πολύτλητον appellans, id est, multa ferentem. Cogita huius vitæ cursum, inuenies nihil tam necessarium esse quàm patientiam, nihilque prorsus sine illa peragi posse. Æger es, vis sanari? patientia opus est. Vis fieri diues? patientia rursus opus est. Vis è carcere, naufragio, seruitute euadere? tempus idoneum exspectare oportet. Vis vxorem ducere, filios suscipere, prædium emere? exspectare non parum oportet. Vis magistratum gerere, vis eruditus esse, discere musicam cupis, aut principis gratiam assequi? sine patientia nihil obtinere potes. Quæris gloriam, honores, amicitias? tempore opus est: imò, quod maius est, quo magis niteris, eo serius consequeris. Vincere vis litem, peragere iter, vel vestem habere? patientia necessaria est. Quod maius est, etiam, si mori destinaueris, non illico licet. Si caput allidas, cor diu & plus quam velles palpitat; etiam si caput præscindas, vt visum est nuper in iuuene, quem securi percusserunt. Si cor vulneres, ferre dolorem oportet:

oportet: nam & sensus & memoria diutius viuunt. Quid dicam de artificiis magnis, aut gloria in arte acquirenda? omnia planè tempore egent. Quam sanctè Epictetus (cuius lucernam refert Lucianus ob gloriam tribus emptam drachmarum millibus seu Philippeis aureis ducentis quinquaginta,) protulit illud, Patere atque abstine. Nihil enim boni absque patientia consequi licet: nullum votum explebis sine ea. O beata & gloriosa virtus, quæ Socratem ad sidera extulisti? Ille cum contumace vxore, & filiis stupidis, vt Cato senior ætati illius satis proximus testatur, ipse filius statuarij & obstetricis summam tamen virtutis opinionem adeptus est. Dicis, perferre non possum? Nec viuere igitur. Non possum exspectare? fortè non tam diu victurus? Si non victurus, quid ages? Si supereris, quare non melius tunc, habere rectè, quàm non rectè? Patientia opus est vt exspectes, & iniqua perferas quæ mutari posse speras. Patientia opus est, vt perferas quæ iam mutari non possunt, vt ego filij mortem. Si hanc fero, quæ est sine spe, cur non illam, quæ non est sine spe? aut quæ etiam cum spe est, quæque optima est? Ergo patientiæ triplex genus, vtque in vltimo exercitatus fueris, ita facilè reliqua perferes. Si ergo impatiens fueris, omnino infelicem esse necesse est. Tentat te inimicus cum sociis armatis? si patienter non tuleris, pereundum tibi est? Vnde etiam nihil profeceris, nisi dissimulaueris.

Si ergo impatiens sis, procurandus est hic morbus, aliter de vitæ instituto frustra agis, & frustra quidquam in vita beatum speras. Plus prodest infelici patientia, quàm impatienti secunda fortuna. Vt ergo curetur, præcipuè abstinebimus ab artibus quæ eam irritant, qualem diximus esse musicam. Abstinebimus etiam à ludo, quod impatientiam non solum augeat, sed illius fructum pessimum afferat. Esse autem musicos omnes impatientes non solum experimentum docet, sed & ratio ostendit. Nam circa idem versantur virtus & vitium: musici autem est celeriter discurrere per omnia: propterea etiam illius est celeriter concupiscere cuncta & agere atque aberrare, hoc est, inconsulto atque impatienter agere. Vinum itidem impatientiam auget, vt est omnium malorum educator, si non auctor. Abstineat ergo & ad hoc adolescens. Similiter & sotiis ætate prouectis adiungatur, & lentis in agendo, & moribus grauibus. Studia, quæ dura sunt, exercent patientiam, vt Geometria & præcipuè Iurisprudentia, quod diuersas opiniones de eadem re diligenter excutere cogant. Geometria id adiicit commodi, quod veritatem ostendit, & quod certum atque incertum. Ideò in agendis rebus hi redduntur cunctabundi. Hoc autem est impatientiæ medicamentum & alexipharmacum. Assuescas adeò impatienter facta odisse, vt probes & placeant magis quæ voto contraria euenerunt: sed tamen diligenter quæsita tractatáque, quàm quæ ex voto absque studio & diligentia parta sunt. In ambulando lentus eas. Nunc aliquid se offert quod vellem, imò non recipio, quia nimis celeriter se obtulit. Cunctabor in omnibus. Amicum quæram, sine cuius consilio omnino decretum est nihil agere, etiam si optimum mihi videatur. Edam lentem, dimittam salem. Polytrichon ferunt efficere gallos insuetos atque pugnaces. Impatientiæ ergo cibis, potibus, arte, studiis, societate, amico, actionibus, cogitatione, obuiam ibo.

Vt verò patientiam te doceam ostendam tibi quo ego præsidio in singulis vsus sim. In speratis, vt sanitate, ducenda vxore, exspectatione muneris aut similibus, triplica tempus aut quadruplica & non tædebit te exspectationis. Si exspectas intra quindecim dies lucrum aut debiti solutionem, tu tecum cogita, intra tres menses sum habiturus, nec torqueberis. Si ægrotas acuta febre, non antę duos menses conualiturum te, & tum quid acturus sis, cogita. Nullum hoc consilio ad impatientiam leuandam præsidium melius. Ingressurus sum collegium, trimestre spatium communis est mora, ego mihi annum statuam, & quid agendum tum, quasi ingressus sim primum, cogitabo. Si hæc antea euenerint, magis lætabor: si non antea, prorsus non torquebor, imò lætus viuam tanquam iam fine potitus, cuius certam præfinito tempore mihi constitui exspectationem. Edam & ambulabo lentius. Hæc enim duo non solum ad animi cohibendum impetum faciunt, sed & ad cognitionem, an curatio proficiat? Lunam in Tauro vel Leone vel Aquario constituè in ascendente, Saturno vel Ioui iunctam, non lumine defectam, & amethisto aut topazio vero aut saphiro insculpe imaginem viri dormientis in solitudine aut inter syluas, & collo defer. Sæpè etiam bilem expurgabimus rosis & violis & fumaria & citrinis myrobalanis & succo cichorij, maláque punica edemus. Plurimum etiam iuuabit ad impatientiam cohibendam, fodere terram, hortulúmque tuum vsque ad sudorem, sic vt tibi vim inferas, discásque non concupiscere: quandoquidem odiosa miniméque concupiscenda sectaberis, & vltra amplecteris. Nam opposita, vt dixi, semper circa eadem versantur. Si enim immodicum appetitum rerum delectabilium comprimere velis, quo modo meliùs id facies, quàm si quod nolis, velle velis? Ita etiam in impetu illo assuescas carnem brachij mordere adeò vehementer, vt lacrymas excutias. Ita Scanderbegus, dux insignis Epiri, labium superius ita mordere solitus erat, vt sanguinem educeret. Quod quid aliud erat, quàm cohibere iracundiam? Iuuant etiam non parum preces illæ familiares, Fidiæ dictæ, in quibus & patientia tanto maior discitur, quanto minor est voluptas toties eadem repetere, quæ etiam si semel tantum legisses, nullam attulissent voluptatem, & Dei numen imploratur in auxilium. Galenus quoque suadet, vt sensim facta tua æstimes, & quantum indies profeceris. Sic enim paucis mensibus magnam mutationem in moribus factam conspicies, tametsi minima in dies singulos facta fuerit. Illud etiam tecum cogita, si perseuerauero, deerunt mihi omnis voluptatis atque fœlicitatis fomenta; & quamuis non defuerint, felix esse non possum his moribus; & adhuc, si felix essem his moribus, multa mihi aduersa & turbulenta contingere necesse est. Sed fac vt euadam & illa, necesse est infelicem me fieri conscientia malorum. Quid ergo?

ergo? medela ab initio adhibenda est. Et quamquam impatientiæ hæc curatio non possit adeò in singulos dies perspici, vt iræ, libidinis & cæterorum peccatorum: nihilominus, si impatientiæ genus in species diffecuerimus, facilius animaduertemus. Namque tria sunt illius præcipua genera, iracundiæ, intemperantiæ & in deliberando, quod & deterrimum est & difficilius curatur. Nam iram sedant bilis extinctio & consilium amici & consuetudo abstinendi ab illa: intemperantiam, ieiunia aut ætas ingrauescens. Sunt enim morbi animi, vt animus corpori iunctus est. Sed impatientia in deliberando prauus est affectus & quasi incerti generis in animo. Præceps enim concilium, quo quod optimum est in nobis relinquitur, scilicet ratio, impetu cuncta deliberans, parum à stultitia differt: nisi quod stultitia malè imaginaretur aut cogitat, hæc verò est priuatio cogitationis. Manifestum est autem, quod ab immodica cerebri caliditate procedat, & quod ira etiam atque concupiscentia magis adhuc augeatur. Quocirca his maximè conferret os capitis perforatum habere: stillaque frigidioris aquæ aut ferrea lamina vel aurea vel lapis topazius è regione suturæ coronalis perpetuo gestatus, vel etiam per totam suturam sagittalem. Forsan & instillare succos frigidiores rosarum, florum nymphææ, plantaginis, aizoi cum aceto albo acri non malum esset, aut grandem perpetuò amethistum collo gestare. Non autem facile hic erit, vt dixi, quod Galenus iubet, discrimen mutationis morum in melius in singulos dies animaduertere. Cum enim comitiali morbo persimilis sit hic affectus, vbi curatum speraueris repente incidet, eoque periculosiore exitu, quo magis inexspectato. Iuuat ergo in huiusmodi, imò maximè necessarium est, socium habere vtilem, firmum, beneuolentem, & maximè ab hoc vitio alienum, quo consilio suo frænare doceat hunc impetum infaustum animi. Nam ex quoruncumque leuium consuetudine iuuabitur æger, sicut Galenus referebat de patre, cum virtutes illius & patientiam laudabat; & matre, cum illius morositatem, pertinaciam, iracundiámque adeò turpem ac fœdam aspernabatur & horrebat. Ita ad odio habendam consuetudinem vini non minus sed magis nos ebriorum spectaculum mouet, quàm sobriorum laudabilis conuersatio alliciat ad vini fugiendam immoderantiam. Verùm Galenus hoc tertium genus impatientiæ parum animaduertisse visus est. Ergo licet multorum hominum consuetudo vulgaris iuuet ad dignoscendos curandósque animi morbos, seu quod tua peccata vel aliorum irrideant aut detestentur, seu quod virtutes eorundem aut tuas laudent atque admirentur: nihilominus vni fidendum est socio familiari admodum atque prudenti & amico, qui te de omnibus admoneat, non solum generaliter, sed & in singulos dies, quantum profeceris aut in deteriora prolapsus fueris. Manifestum verò est, vt adolescenti ratio & voluntas sufficere debent: ita pueris iurgia, verbera atque inedia vsque ad necem etiam adhibenda, vt tam triste vitium, quod nos ad naturam belluarum traducit, humanitatéque ipsa prorsus exuit, eradicetur exstirpetúrque sic, vt nullum penitus illius vestigium relinquatur. Habet autem hoc malum illud cum stultitia commune, quod curæ suæ aduersatur. Propterea in hoc morbo non omnino desperatæ calamitatis, quin maximè optandum indicium est, velle curari. In hoc enim proposito & cognitio propriæ ægritudinis declaratur, & ad curandum patens via aperitur, ipso ægro suffragante. At si curari recusauerit atque adolescens iam sit, prorsus desperanda est salus, nisi vel diuino auxilio vel casu aliquo graui, vt diuturno carcere aut triremibus per vim soluatur affectus. Atque id præcipuè, vt dixi eo difficilius est, quod nunquam possis statuere quando sanus sit. Dilucidis enim interuallis tertia hæc species conquiescit, inde repente exoritur & insultat, cogítque hominem hoc vel illud magnum, aut paruum, prout occasio se præbuerit, damnum sibi inferre. Vt horum prorsus miserabilis conditio sit. Sed si æger adhuc curari postulet ac resipiscat, non segniter agendum est, neque enim deest spes. Non tamen possum referre aliquem qui sit curatus, quod, vt dixi, parum à veteribus hoc morbi genus cognitum sit. Primum igitur adhibendus est, præter reliqua, sodalis fidus ac prudens, sub hac lege, vt vicissim alter alteri peccata sua abiiciat sine obiurgatione. Quamobrem illum alterum patientissimum esse oportet, & prorsus ab iracundia alienum. Sed dictu hæc quam factu faciliora sunt: quærimus res. Si viro iam prouectæ ætatis adhærere velit, optimum est. Vitium hoc est puerile. Soli enim pueri, cum rationem habeant, ratione vti nolunt: infantes non habent: iuuenes habent & vtuntur: senes magis vtuntur quam habeant. Cum ergo puerile sit vitium: puerorum autem corpora calida sint & sanguine abundent tenui, & flagris ac timore contineantur: hinc, cuiusmodi sit hoc vitium, intelligere licet ac qualiter curandum. Statim ergo ad senilem habitum traducendi sunt sanguinis missione, laboribus, inedia, tristitia, verberibus, metu & quibuscumque naturæ aduersantibus. Quocirca illi miserrimi sunt, qui cum hoc animi vitio temperaturam corporis imbecillem habent. Similiter abducendi sunt ab omni puerorum consuetudine, imò etiam aspectu. Nam horum proprium peccatum est impatientia: adeò vt multi ex eis, maximè Galli & verberibus assueti, quamuis sciant se verberandos, nolint tamen abstinere ab his, à quibus iussu dominorum abstinere deberent. Iuuenibus ergo vel senibus sunt sociandi. Ex ludis autem, latrunculorum maximè idoneus est, quoniam ob victoriæ desiderium & cum sciant in sola industria omnem spem esse repositam, coguntur animum intendere, cogitationem adhibere, mentem firmare. Ergo huius ludi non paruum præmium est, cura scilicet præcipitis animi atque consilij. Reliqui ludi cum in fortuna & auxilio sint repositi, spem faciunt, sine magna cogitatione hominem victorem euadere posse: ideò ad impatientiam adiuuant, & sicuti ad eandem adhortantur stultum, ita sapientem & prudentem ad studium & consilium ac moram. Sic & mercatura ad vtramque patientiam nos iuuat, & vt rectè consideremus, an

emptio

emptio illa aut permutatio lucrosa futura sit, aut lucrosior alia conditione oblata, an omnino damnosa? & docet nos rem temporis exspectatione augere, ac quasi patientem fieri cogit. Nauigatio etiam patientiam auget, vbi necesse sit ferre quod ferre nolumus. Cumque, vt dixi, tria sint impatientiæ genera, duo prima quidem inter se distincta sunt, at tertium genus reliqua duo semper secum iungit. Quorum enim rationis nullus est vsus, illi qualibet leui blanditia aut terrore, vt belluæ, mutantur. Hi ergo, si vel intemperantiæ & voluptatis aut iræ causa aliqua aduenerit, statim ab illa commouentur? Ob id etiam huiusmodi adolescentes aut viri, si paululum imaginando aberrent aut iudicio, statim in insaniam deueniunt. Nullus ergo morbus tam est insaniæ proximus quàm impatientia, adeò vt plerique stulti assidua vexentur impatientia. Et sunt, qui stultos ex impatientia diiudicant, quamuis ego non probem: nam facillimum quidem lapsum sentio, at eadem esse inter se, non video. Suscipit tamen ex ætatis processu aliquod auxilium; sed non eiusmodi, vt citra artis curationem fidere possis, præsertim cum morbus sit rediuiuus: adeò vt non confidam, nisi post longum tempus ad naturalem humanæ grauitatis metam posse reuerti. Cum ergo Græcos leues appellarent Romani, quid aliud illis obiecerunt, quàm impatientiam & neglectum rationis vsum? Exspectare igitur oportet duos aut tres annos, postquam curatum illum existimaueris. Aliter non leui in discrimine versaris, ne repente aliquod maius peccatum admittat quàm anteà fecerit. Quod propterea periculosius est, quia circa omnia genera calamitatum & infortuniorum versatur impatiens: nam, vt dixi, circa idem versatur error & scientia. Patienter ergo agere, est cum ratione agere. Porrò cum ratione agere, ad omnem pertinet operationem. Ideò impatientia omnis erroris & infortunij mater est. Iracundus enim circa contentionem versatur, intemperans circa voluptates, contumax circa id, quod iam decreuit & statuit, ambitiosus circa honores, lusor circa ludum, ignauus circa negligentiam agendorum: at stultus & impatiens circa omne genus actionum peccant. Modò enim talis vxorem sine dote ducet, modò veneno aliquem tentabit, aliquando minitabitur potentiori, frustra emere volet ac sine pecunia, pecuniam sub ingenti fœnore accipiet, literas falsas scribet, iter absque vtilitate imò cum iactura aggredietur, emet venditque supellectilem præter propositum, ludet cum aleatoribus, mutuo dabit malis debitoribus, Alchymistis se deuorandum tradet, aut in hæresim prolabetur, aut proditoribus se adnumerabit, aut amicos veteres sine causa relinquet, vel indecora faciet, aut periculis præter propositum se exponet, aut adulterium præposterè tentabit, aut donabit cum non habeat, aut celebrabit conuiuia inops, in quibus magis ridebitur, quàm gratiam iniet. Quid dicam de occultis quæ pandet, de vestitu indecenti, professione eorum quæ non nouit, de precibus ridiculis ac petitionibus absurdis & apud penè ignotos, aut quorum sua non interest: de incessu, verbis, educandi filios absurdo more, sexcentísque huiusmodi? quæ omnia & magna sunt, & pleráque cum euersione patrimonij, cum infamia ac dedecore tum suo tum coniunctorum, etiam mortis periculo ingenti, quin vltimo exitio coniuncta. Quis ergo tot periculis, tot foueis, ne in earum aliquam impatiens incidat, occurrere possit? Pueros continemus metu & verberibus, ætas excusat apud populum, & tuetur apud iudices. Adultis ista non prosunt, sed duæ tantum supersunt spes. Altera, vt aut pro stultis publicentur, aut insigni infamia ab omni periculo liberentur. Sed tunc libertatem & vsum proprij patrimonij atq; administrationem amittunt. Altera est & melior, si obtineri possit, vt sanentur. Quocirca cum tam difficile sit suffragantibus etiam legibus hoc assequi, quàm improbè egerunt, qui huic tam sancto proposito non solum auxilium non tulere, sed grauia impedimenta suis constitutionibus adiecere? Palam enim est, multos iuuenes, qui huiuscemodi morbo implicati malis suasoribus perditum eunt, posse ad meliorem frugem sanis monitis reuocari. At rident, dolum non leuem hac irrisione tegentes.

Quid enim saluis infamia nummis?

Qui enim sic dicunt, existimant nihil superesse his, qui eos arguunt. Primum, ridere illos, sat putant. Si perseuerent, minantur atque ostentant carceres, equuleos atque secures. Quod si obnitantur, molliuntur etiam deteriora illis. Sed omitamus hæc, cum eo tamen, vt hi sciant sic & Rempubl. euerti, & animos nostros suppliciis atque præmiis sempiternis esse addictos: atque hanc viuendi formam, quæ simplicibus aduersatur improbis patrocinatur, deceptoribus, furibus, depeculatoribus, sycophantis, dolosisque & adulteris ianuas aperit, parentibus manus vincit, Mahumeticæ addictis legi vires addere, potentiam augere, animos accendere, atque illos sensim huc non tantum adducere, sed trahere.

Qui verò nihil putant scitu aut luctu dignum, nisi quod rem & nomen augere doceat, vt Iurisconsultorum opiniones ac allegationes, medicáque præcepta & auxilia: hi non intelligunt, huiusmodi animi vitiis imbutos neque rem parare cum quantauis artium etiam peritia (si modo quod rarò contingit, eam assequi queant,) posse, nec partam aut hæreditate habitam retinere, nec si retineant frui. Quamquam nec in huiusmodi argumento aliqua ex parte in superioribus defuerim, vt rem augere doceremus. Verum cum de huiusmodi vitio abundè satis supérque dictum sit, & quomodo cognoscatur, & in quot genera distinguatur, & quanta mala afferat, ac quomodo curetur, quamque periculosum sit nisi sanetur: reliquum est vt, fastu deposito, etiam de singulis aliis principale saltem auxilium recenseamus, quod quidem facilimum, atque reliqua eadem methodo inuenienda relinquamus.

Iræ igitur hac ratione occurremus, si iniustum est quod tueor, cur vi atque iniuria id obtinere volo, neq; potius blanditiis ac dolo? Si iustum, cur iniustè id quæro? Ideóque nihil proficimus, sed solum alienamus charissimos, & ea admittimus, quorum postea pœniteat, quod

quod plus nos quàm alios torqueamus ac lædamus. Inſpiciamus iratos, quàm deformes videntur, quam inſpuunt loquendo ſaliuam, quàm ſunt inflati, rubicundi, amentes, oculis turbatis, incerta voce & greſſu. Memineris etiam quod hominibus ira exitio fuerint, quot per eam ſubierint vltimum ſupplicium? Ede lentes, & defer carneolum, in quo, dum ♄ vel in ♉ eſt vel in ♒ & iungitur ei ☾ in aſcendente, ſculpta ſit imago vrſi ac apud. Ambo enim hæc animalia ira ſua perire ſolent. Ambitus illius habeat inſculptum Tempe, locum amœniſſimum.

Inuidiæ obiiciamus illud, cur me ipſum fruſtra torquebo? Cui enim inuides, aut parat, aut habuit. Si habuit, cur non inuides quod Regis filius natus non ſit? Si parat, inuide ergo ei labores, vigilias, ſolicitudines. Demùm cogita, quod omnia humana parum durent, & mors omnia æquet. Smaragdum aut hyacinthum collo ſuſpende, cum mortis imagine inſculpta dum ☾ congreditur ♃ in aſcendente, hoc enim ſemper intelligitur,) & ♄ eiuſque ſtellæ, tum ſigna, maximéque ♎ abſit.

Odium pari ratione obliterandum eſt. Cogita illum moriturum cum omnibus ſuis, atque deteriore fortaſſis morte, quam tu de illis, ſi in manibus tuis eſſent, ſtatueres. Breuis eſt vita humana, imò tranſitus quidam fulguris. Magna pars vindictæ eſt, ſi intelligat te non angi ob iniuriam. Memineris eius, quod Seneca inquit: Cum pari contendere anceps eſt, cum ſuperiore furioſum, cum inferiore ſordidum. Scias ſupereſſe à morte qui vlciſcantur. Cum filius Ioan. Bachi damnatus eſſet capitali ſupplicio, quamquam neminem occidiſſet nec vulneraſſet, orabant Deum vxor illius & filia: eadem enim in cauſa quidam fuerant abſoluti. Interim filia, quæ tum annum agebat decimum tertium, inquit: O mater, videtin' dominum patrem ſine capite? vnde vxor animo deſtituta eſt. Paulo poſt venit nuntius, qui retulit eum ſecuri percuſſum. Dira patimur, ſed cicadæ inter locuſtas ſunt. Accidit enim ei quod Suetonius in Caligula: ſemiambuſtum leui ceſpite cadauer eius obrutum eſt; poſtea per ſorores ab exilio reuerſas erutum, crematum ſepultúmque. Satis enim conſtat, priuſquam id fieret, hortorum cuſtodes vmbris inquietatos fuiſſe. In ea quoque domo, in qua occubuerat, nullam noctem ſine terrore tranſactam, donec ipſa domus incendio conſumpta ſit.

Ambitioni oppones quantum moleſtiæ tibi ſubeundum ſit ob exiguum voluptatis fructum. Vellem ab omnibus laudari? Perinde eſt, ac ſi velles omnium bona poſſidere. Finitur hæc ambitio cum vita, & quo plures te ſuſpicient, plures oderint. Iaſpidem gere cum pardali, quæ nonnunquam ſibi ob ambitionem irata perit, inſculptam ♄ & ☾ in ♈ vel ♉ vel ♒ iunctis.

Iactantiæ id oppone, quod quanto magis laudas temetipſum, tanto minus ab aliis laudaris. Garrulitatem lapidibus in ore contentis, & cogitatione firma & morſu labiorum cohibebis. Scripſit de hoc Plutarchus librum elegantem. Qui tacere non poteſt, ſaltem aſſueſcat aliena dicere, ac prorſus falſa. ☾ cum ♄ & ☿ in ♍ vel ♓ exiſtentibus inſculpe in achate vel topazio vel chryſolitho vel onyche perſpicuo orientali imaginem capellæ. Auis eſt pauoni paruo ſimilis, quæ voce ſe ſuaſque pullos prodens perit. Querulus ne ſis, cogita quod ex amico inimicum reddas & contemptus euadas nihil lucrifaciens. Præſtat id agere cum his, quos cruciare voles: at ſi hoc potes, alio telo opus eſt.

Crudelitatem ita repelles, vt exiſtimes quid tibi fieri velles, quoque alium offendendo deum offendas, quoque ille tibi omnino ſimilis ſit, eodémque ſanguine prognatus, & quod humanitatem exuas.) cum ♂ iuncta in ♉ aut ♍ vel ♎ ſculpes in ſmaragdo vel ſardio Chriſto, dum crucifigeretur, matrem adſtantem.

Triſtitiam quæ depellant, ſuo loco dixi. In carbunculi vilioris quadam ſpecie, quam granatum vocant, ſculpe lætæ diei imaginem, aut ſapphirum vel ſmaragdum pulchrum in annulo defer. Ede crocum, ambroſiam bibe, aut aquam ex floribus nymphææ & papaueris albi. Et muſica, quæ ſit illi propria, non alia vtere quæ illam augeat. Etiam vinum album dulce, & iter longum, & amici prudentes, & metus magni conducunt. Etiam illud tecum reputa, quod moriendum ſit, atque tum pleni gaudij particeps ſis futurus. Vtilis & meditatio eſt miſeriarum illorum, qui fuerunt cauſa triſtitiæ tuæ. Et ſi viuit, cuius cauſa metuis, liberari potes: ſi mortuus eſt, ille bene habet, & iſti occurres quàm celeriter. Cogita etiam quod nihil proficis. Ludus etiam iuuat & concubitus cum puellis & mulieribus prudentibus. Triſtitia autem affici alia cauſa quàm ob luctum, non eſt generoſi animi.

Contumaciam depelle conſilio: nam ſi vtile eſt propoſitum, ratione vince: ſi inutile, tibi ſoli malefacis. Amethiſtus, ſmaragdus, hyacinthus, granatus, omnes augent ſapientiam, ideò contumaciam tollunt. Peruerſitatē quoque ratione lenies & iiſdem lapidibus minues: ☾ ♂ aut ♃ in ♍ aut ♉ aut ♌ iunctam collocabis in aſcendente & agnum illis inſculpes aut aluearia cum apibus. Memineris quantam induſtriam in illis Deus collocarit, tunc vero ape deterior eris?

Stultitiæ leui occurres edendo cerebra gallinarum, carnes palumborum & teſtudinum bibendóque acetum album modicum quotidie. Purgentur interim humores eius cauſæ vel fomites helleboro nigro, epithymo & cœruleo lapide tricies loto. Bibatur ius caſtrati, & odorentur nymphææ flores & eorum aqua. Puluis gemmæ granati, quæ ſpecies eſt carbunculi, aſſumptus, & borago aſſiduè comeſta conueniunt, vt & animus ſemper negotiis implicitus. Et ☽ cum ♃ in ♈ iuncta cum felici ☿ aſpectu, ſculpe in topazio Ariſtotelem in Tempe ſpatiantem.

Ludo vt abſtineas, implica te alij alicui voluptati aut negotio aut, ſi potes, iter longum ſuſcipe: cogita periculum iacturæ rei, & certam temporis irreparabilémque iacturam, & contemptum.

Furto vt abſtineas, ſæpe vide ſupplicia, negotiis te implica, voue te Deo, longum iter age, cogita quanto periculo te exponas, infamiæ

infamiæ ſuſpicionem, mortem & reſurrectionem.

Importunitatem tolles, ſi reputes quid tibi fieri velles, & impatientiam ablegaueris.

Petulantiam dele ac moroſitatem hoc conſilio, quod tibi fieri nō vis, id alteri ne feceris. Veram voluptatem cape cum aliis. Id vt efficias, cum his, quos amas, verſare, & cum quibus verſaris, eos ama.

Timorem excute edendo corda luporum, eorúmque ſed iuuenum carnes. In iaſpide vel garatronio vel magnete, ☾ cum corde ♌ iuncta & ♃ locum reſpiciente au ♂ benignis radiis, equi ſaltantis imaginem aut leonis ſculpe. Vtere viticis ſemine cum mombaſio.

Ebrioſus fœdum vinum bibat, vorax pinguia ſimiliter edat, & cogitet vitam valetudinémque perire.

Libidinoſus edat rutam, viticis ſemen ac nymphææ, & iiſdem ſuperincumbat, exerceantur fodiendo, aquam bibat, ſtudeat. Hic chryſolithum ferat ☾ ♄ iuncta in ♌: ille ametthiſtum, ☽ cum ☿ & ♃ iuncta. Communis ſculptura, Sus in cœno iacens & lanio cum cultro.

Auarus meminerit omnia inimicis relicturum, ſe interim Deum offendere. Amet, ludat.

Prodigalitatem, quæ hominem perdit vt frænes, Luna cum Saturno in Saturni domiciliis iuncta, ſculpe formicas colligentes grana, aut leonem ſenem vel aquilam: nam hæc duo animalia, ſenio ſuperueniente, fame pereunt.

Segnitiem tollere vis? Sculpe in iaſpide polypum ☽ aucto curſu cum ♂ in ♈ & radiis ♃. Vanitatem? papillionem incendiarium à lumine extinctum ſculpe in carbunculo vel hyacintho cum ☉ fuerit in ♌ & ☽ in ♈, vel contrario modo cum ♃ vel ♄ propitiis radiis. Ἀχαριϛίαν? agrum ſegete plenum aut vineam vuis, aut ciconias quæ deferant parentes in ſmaragdo. Miſericordiam inutilem? pauonem caudam oſtentantem & alia animalia, quæ interim comedant, in onyche perſpicuo, cum ☽ & ☿ in ♒ coiuerint.

Stupidos admonebis ſculto ceruo, ſagitta in præcordiis icto, dum cithara hominem pulſantem ſpectat.

Irriſorem imagine ſimiæ cum ocreis captæ cohibebis. Genus eſt fatuæ ambitionis & malignæ.

Indignabundum corriges ſi in balaſſio herculeum lapidem & acum marinam ſculpas. Alius eſt honos à virtute, quod ſi hoc natura fert, cur & tu ferre non vis?

Vecordiam & impudentiam vt vincas, dum ☽ eſt iuncta ♃ cum radiis ☉ felicibus, in amethiſto inſculpe virginem cum florentibus liliis in prato & oricem in eius ſinu dormientem, riuulúmque aquæ tacitè labentis.

Tædioſum eſſe non debere intelliges, ſi muſcam, culicem & cimicem gemmæ inſculpſeris.

Ruſticitatem depelle ſuſpendendo chelidonium è collo. Et ☽ iuncta ♀ in aſpectu benigno vel coniuctione vel finibus ☿, in ſmaragdo ſculpe iuuenem blandientem puellæ in prato florente, circumpoſitis roſis, liliis & amœno fonte.

Perfidiam & improbitatem hoc conſilio depelle, quod his vitiis obnoxios malus exitus non fugiat: & ſi modo fugiat, eſt conſcientia ſcelerum tortor, eſt diuina vltio, ☾ ♃ iuncta in igneo trigono & ☉ trigona radiatione aſpiciente, in nobili carbunculo, licet non valde propter maculas precioſo, vel hyacintho ſculpe virum cum gladio, carnificem cum ſecuri, vinctum cum vipera cor exedente, vel Cleomenem cultro ſeipſum ab imò vſque ad præcordia diſcindentem, quod violata fide Argiuos trucidaſſet.

Hypocriſin vt corde expellas, ☾ ♃ orientali in ♐ copulata, faciem triplicem, pueri, iuuenis & ſenis ſimul iunctam ſculpe in hyacintho cum Erebi omnibus ſcelerum ac ſuppliciorum repræſentationibus; vel ſi hoc operoſum ſit, Cacodæmonem in flammis aut lupum vlulantem. Cogita perpetuo te eſſe communem Dei & hominum hoſtem.

Inconſtans in onyche lucida. ♄ prope ♃ valde ☾ iuncto, hominem ſculpat ſuper funem ambulantem, infra autem præcipitum ingens. Quo etiam temerarios coercebis. Vel leonem tauro inſidentem inſculpe.

Curioſitatem auertes imagine canis ſagacis in ſpelunca à leone deprehenſi, aut hominis à vipera, dum latibula ſcrutatur, demorſi, cum his quatuor literis L.M.N.P. id eſt, longe multa neſcire præſtat.

Adulatores ab inſtituto retrahes conſilio, non imagine, quia volentes & tuto peccant. Si velint, ſculpant ceruum & eorum in nemore, & canem in domo. Inde cogitent, quanto vita cerui & corui ſecurior ac liberior ſit quam canis.

Atque hæc de his breuiter dicta ſufficiant. Memor autem ſis, quo ſcire oporteat ſpecies perturbationum ad genera ſua referre, vt indignationem ad ambitioſam iram, ſed mitem. Ex his generum auxilia ad ſpecies transferres.

Hæc quidem iuxta ea, quæ in libris de Rerum varietate ſunt. Verum rectè æſtimanti, tametſi communis videatur opinio, quod ad gemmas & figuras aliaque morum præcepta attinet, ipſa partim experientia omnia comprobauit. At circa ſiderum conſtitutiones ea vis eſſe non videtur, quæ mores hominum immutare queat. Si quid enim ſuſpenſio lapidis è collo aut gemmæ in annulo geſtatio poſſet, magnam mutationem moribus & pericula vitæ afferret lapis ſub incerta ſiderum conſtitutione perforatus aut exciſus, aut aurum annuli fuſtum incerto aſtrorum ſitu, gemmáque auro incluſa ferrove percuſſa. Quæ nugæ, quæ fabulæ ac præſtigiæ, toties nos periculum vitæ, mutationis morum, amiſſionis fortunarum incurrere, quoties lapidem geſtamus non apto tempore ſculptum aurove incluſum? Maioris momenti eſt tempus cum gemma è matrice tot laboribus eruitur. Deinde fac, quod inſculpta ☽ iuncta ♃ conſtantiam addat, quid erit ſi gemmam vel parum ferro tangam ☽ ex ☍ ♂ cum in abſide fuerit aut ☿, annon eadem leuitatem pariet? ſi quid refert, quod ſculpatur vel fodiatur, aut atteratur ære ac poliatur, annon perpetuo ſiderum rationem habere

habere conueniet? Quid de tot gemmis sculptis atque perforatis? imò omnibus, quoniam in omnibus dum eruuntur, labor, tempus & ferri opus adhibetur. Cum suspenduntur, non iam lapidis naturam ac vim, sed tempus illud, quo elaborata est, quoque eruta, scire oporteret: aliter enim in periculo sumus, ne non inconstantem, inconsultum pro firmo, infelicem pro felice, vitæ breuioris pro longiore faciamus. Quinetiam res hæc eo longius traducetur. Nam eadem quæstio de vestibus nouis induendis erit: illæ enim dum fiunt ferro ac per longum tempus elaborantur. Eoque res tandem perueniet, vt etiam vsque ad superstitionem exscindendorum capillorum perueniamus. Viden' vno admisso errore quot & quanta contingant? Nihilo secius, inquies, res ipsa, antequam adeò subtiliter expendatur, verisimilis non parum esse videtur. Respondeo igitur, vt veritati magis quàm opinionibus aut gloriæ inuentionis nouarum rerum faueam, quod sculptura hæc minus potest quàm lapidis natura, aut commemoratio quæ ex figura habetur, aut ratio ipsa peruincens affectus nostros immoderatos, aut temporis ratio qua lapis ipse excisus est è matrice. Quo ipso iam sex ordines rerum statuimus. In primo collocamus rationem naturalem, timorem Dei, reliquaque quæ nos ab huiusmodi peccatis auertere solent. Vt oratio illa Xenocratis, qua impudicum Polemonis animum mutauit ad continentiam. In secundo autem ordine reponimus lapidis ipsius facultatem, quid cum genio commune habeat, quod inuictæ sit naturæ & admodum diuturnæ vitæ, vt ad eas vires, quæ peculiares in hominibus habentur, adeò conducat, vt pro genio habeatur. Dico addere patientiam animo, lætitiam, memoriam, somniorum veritatem, quæ si adeò perspecta essent, vt etiam vera sunt, id contingeret quod de Astrologia dicere sum solitus, homines quasi deos futuros. Nunc cum omnia tam parum sint cognita, nescio an illud, quod scitur, nobis sit inutile an vtile? Sæpius forsan, quod & in omnibus aliis quæ parum perspecta sunt, vt medicina & iurisprudentia contigit inutilem esse. Nam nulli sunt magis perniciosi ægris quàm vel imperiti medici, vel qui medicinæ præceptis leuiter tantum aspersi sunt. Nulli deteriores in exstruendis ædibus quàm qui architecturæ rudimenta quædam tenent, artem ipsam autem non tenent. Ita verò de singulis. Lapidum ergo natura, vis, facultas, atque proprietas nobis adhuc fermè ex toto ignota est. Experiri autem tutum non est, nisi paucorum. Perspicere naturam etiam post longum tempus, propter tot quæ admiscentur, tot casus, decreta astrorum in genituris, varietatem ingeniorum, conditionis, artium, difficilimum est. Siquis tamen hoc posset intelligere, quod in adamante fermè perspectum est, in smaragdo etiam & granato, carneolo, amethisto ac hyacintho, genios nobis conciliare videretur. Nam non pretiosiorum gemmarum, sed viliorum plerúmque vis maior est & firmior ac magis admiranda, quod natura huic vni, scilicet proprietati, non decori intenta fuit. Sic in lapidibus vides. Quid Herculeo fœdius aut mirabilius? In plantis, non rosæ aut violis, vel liliis aut specioso lithospermo vel visco, sed helleboro, rhubarbaro, siculæ herbæ, multísque aliis deformioribus vires egregiæ insunt. Sic & in animalibus, ceram, mel, sericum non equi aut elephantes, sed bombyces & apes, non solum parua & vilia, sed etiam fœda animalia fabricant. Cur hoc? quis non videt? Equi enim, elephantes & canes, cum suiipsius causa facti essent, in eis natura decorem excogitauit & firmitatem, non aliud quidquam: in his animalculis cum parum aut nihil studij reposuerit propriæ vtilitatis causa, omnem vim atque solertiam in admirabili eorum opere conuertit. Adeò vt, si quis vel Politicam apum, vel bombycum metamorphosin reputet, tam admiranda vtraque videbitur, vt propior fabulæ quàm historiæ censeri possit. Viles ergo gemmas haud contemnemus, & quanto magis despectæ, modo duræ sint, eo magis suspicandum est, virtutes illis egregias inesse: tum præsertim, cum specialem quamdam formam habuerint. Sed nec omnes prosunt. Ex his enim, quas habeo, plus lædi quàm iuuari me sentio, præter hyacinthum & smaragdum, quas semper mecum tuli, nec non etiam sapphirum. Reliquarum nondum vllam inueni mihi faustam. Ratio est, quod illarum vis non est, vt harum trium, temperata, sed iuxta rationem dictam, immoderata atque incognita. Tertio loco est imago inclusa, quæ nos admonet, vt ab eo vitio abstinere debeamus. Quarto tempus, quo gemma excisa est, considerandum veniret. Sed cum id incertum sit, omittimus quod habere non licet. Quinto tempus, quo figura sculpitur aut annulus fabricatur. Hæc enim cum sub rara constitutione fiant, & magna lapidis aut metalli mutatione atque longiori temporis spatio, vim magnam recipiunt ab astris. Cætera verò, vt vestes, quod res mortuæ sint, vim nullam recipiunt. Viuum enim à viuente solùm vires recipere potest. Politura autem gemmæ cum fortuito fiat, raro in vehementem incidit siderum constitutionem aut raram: ideóque parum afficit. Sic etiam cum gemma terebratur. Sed cum politur, etiam alia est ratio, ne multum possit, scilicet parua lapidis mutatio. Cum ergo quatuor sint causæ efficaces proprietatis recipiendæ, vis egregia naturalis recipientis cum duritie eximia & vita perenni, selecta atque peculiaris illi negotio validáque astrorum constitutio diuturna & continuata impressio ex immutatione diuturna & continuata in lapide, & magna immutatio sub eorum concursu facta, vt sculptura profunda, patet aliis in exemplis plura aut potiora ex his deficere. Ideóque reliqua etiam, præter initium gestationis, quod sexto loco reponi potest, esse inefficacia. Hoc autem vltimum aliquid facit, vt in iactis seminibus in generatione animalium, cũ viuens viuenti copulatur in primo contactu, ex quo postmodum non separatur. Multo magis refert, cui homini iungaris. Nã pro habitu geniturarum insignis ad bonos malosue mores

vt & felicitatem aut infelicitatem mutatio fit. Adeò vt tota vita nouum cursum subeat. Ideóque diligentissimè cauendum est, cum quo amicitiam contrahas. Tum maximè, quod cum quibusdam optimis viris infelices aliquando propter genium euadimus. Quod etiam in equis, licet non tantum referat, est obseruandum.

LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

De Amicorum & consanguineorum calamitatibus.

EXTERNORVM incommodorum historiam tractaturus, è re esse duxi, vt singula genera prius distinguerem, ex quo confestim intelligeremus, qualia essent, & quæ & quàm magna aut parua Plurimis enim videri posset hoc nomine, quæ hîc tractantur, esse non magni momenti, cum maxima sint. Quid enim charius fratribus? quid dulcius filiis? quid vxore iucundius & amabilius? quid parentibus maiori curæ esse debet? Sunt præter hæc amici non parua nostri pars, & consanguinei familiarésque negligendi. Horum omnium labores, miseriæ, calamitates, aduersa, incommoda, mortes, diuersis modis nos turbant: sed aliqua adeò, vt ipsa morte nostra sint grauiora. Quod si de singulis tractare voluero, hunc librum in infinitum extendam. Oportet igitur tria deligere pro exemplo, extrema scilicet duo, ac medium. Extrema quidem & charissima sunt filij: minus chari, familiares: mediocriter autem, fratris parentésque atque amici. Sed vxoris conditio, ob filiorum, voluptatis, consuetudinis, ac gubernationis domus societatem, filiorum charitati similem desiderat tractationem. Qua tamen ex parte ea iactura facile reparari potest, seruorum curam paulo superat. Atque id etiam iuxta varia hominum iudicia. Quidam enim vxorem omnibus filiis præferunt, alij vix familiari æquant. Quorum neutrum probo. Ob tantam tamen inæqualitatem cum in re ipsa, tum in vxoris probitate aut improbitate, tum etiam in hominum iudiciis, seorsum quasi quoddam genus constituens, eam tractationem attigi. Generaliter ergo iam in quatuor capita hanc tractationem diuisimus. Illud quoque generaliter attingere oportet, in quo externa à propriis differant. Non enim magnitudine; cum filiorum præsertim infortunia, non solùm pauperie, litibus, exilio sint grauiora, sed persæpe etiam ipsa propria nostra morte. Dicuntur igitur externa, primum quoniam nos non afficiunt calamitates quæ his accidunt, sed tamen illos afficiendo nos ipsos quoque torquent, tanquam illis plus minusue coniunctos. Est autem hoc discriminis inter nos & illos, quod non nostro sensu neque nostro iudicio metiri liceat calamitates, sed eius qui afficitur. Siquidem filium impuberem mori cernamus, aut etiam puberem iam sed pauidum, molestius eam mortem quàm propriam ferimus; quoniam non nostro sensu neque iudicio, sed illius metiri eum dolorem cogimur. Neque eadem auxilia adhibere, præsertim ex Philosophia desumpta, illi possumus, quæ nobismet ipsis. Hoc verò melius habet, quod nos qui auxiliamur, licèt dolor is simus participes, non tamen causæ, v.gr. exilij, carceris, aut morbi: & ob id suppetias aliquanto melius illi afferre possumus. Tertium est, vt in singulis generibus ordinem doceamus, & quænam magis aut minus afficiant. Etenim cum duplex hic sit, alius ex genere ipsius calamitatis à causa sumpto, alius ratione personarum; de isto autem satis diximus: vix enim aliud in toto opere sæpius repetiuimus, quàm quid deteriùs esset, senectus an mors? paupertas an exilium? atque huiusmodi? alter verò huic tractationi propriè necessarius est. De eo igitur primùm dicendum puto.

Videntur itaque filij omnium esse charissimi ob perpetuitatis spem quod pars sint nostri, nobiscum educati, in nostra potestate. Fratrum quoque, qui patrimi matrimíque sunt, eadem videbitur esse coniunctio. Nam si ex eodem patre & matre sint, quibus tu, nihil plus habes quàm illi, illi nihil plus quàm tu, nisi quòd casu aut educatione contigit: hoc autem totum ad nos vix pertinet. Itaque Agellius benè videtur, quamuis longinquius aliquanto, exposuisse frater, quasi ferè alter. Et certè frater idem nobis est, si ex vtroque parente genitus fit: & eo magis cum gemelli fuerint. Adeò enim aliqui ex his se mutuo dilexerunt, vt vnus sine altero esse non posset. Vt illos sapientes esse iudicem, qui, cum nepotes haberent ex fratribus, vxorẽ ducere neglexerunt, quod filios nõ aliter quam charos haberent. At filij ex nobis sunt? Verùm, & fratres ex eadem sunt materia atque tu: filius enim patris minima est particula: filij ergo fratris pro tuis erunt, cum frater tibi idem fermè fit.

Inde ratio orta similitudinis, quàm breuiter explicabo: plurimum enim facit ad scientiam coniunctionis huius. Nam qui similes iidem maximè coniuncti sunt, & qui maximè coniuncti sunt, eorum consuetudine ac maxime lætamur & gaudemus; eorum quoque interitu tanto maiore desiderio tenemur, & ob id etiam tristamur. Principio igitur cum filius ex vtroq; parente gignantur, principalia mẽbra necessario similia contrahit alteri eorum vel vtriusque: quod si postea nullum sequatur impedimentum, similitudinem retinet illius parentis, cuius partes plus potuerunt in formando membra principalia, vt: pote si patris semen vicerit, illi assimilabitur;

si

si matris sanguis & semen, matri: si vtriusque par fuerit administratio, erit forma ex vtroque parente mixta, vel in singulis membris, vel in vno vni, in altero alteri assimilabitur, vt in oculis patri, matri in naso. Sed si euertatur forma à generatione, aut laboribus, aut inopia cibi, aut crapula, aut vigiliis, aut animi dolore, vel morbo, euadet forma alia quàm parentum. Similiter, si parentum forma & ipsa iam euicta fuerit, nec sequatur membrorum principalium naturam, qui nascetur, parentibus non assimilabitur. Iam verò idem dicendum erit de puella, quæ ex aliis parentibus orta sit: quoniam quatuor etiam distinctionibus formæ ratio comprehenditur. Aut enim assimilabitur patri vel matri, & vtrique, vel neutri: scilicet cum propria forma aut ipsorum parentum euicta fuerit. Si igitur huius pueri ac puellæ, vt parentum forma non euicta sit, sed forma eorum fuerit iuxta temperamentum principalium membrorum, sintque ex iisdem parentibus alij orti fratres ac sorores suis parentibus similes, atque eodem modo in principalibus constituti, quemadmodum & puer qui natus est & puellæ, similiter fratres eodem modo similes in temperamento atque etiam forma parentibus suis: tunc verò, coniuncto puero illo cum puella, cum ad ætatem peruenerint adultam, procreetur, exempli gratia, puer, poterit hic esse similis auo, item auiæ, item patri, item matri, item patruo paterno, item auunculo, item nulli. Eadémque ratione, sed in longiùs producto auunculo maiori, aut patruo maiori. Sed hæc ex aliis dignoscentur, quamquam rariora. Quomodo igitur patri? Cum patris semen peruicerit, & pater formam habuerit contractam à parentibus, aut in eo forma, à principalibus membris confi-cta, ex toto euicta fuerit, sic vt membra principalia natiuum iam mutauerint temperamentum, hocque raro accidit. Ergo primo in casu patri similis erit aut auo auiæue: in secundo casu patri tantum, cæteris maioribus dissimilis. Eadem ratione iisdémque causis atque differentiis assimilabitur matri, aut patri ac matri simul, aut auis eorum aut non. Hæc enim perspicua sunt ex primo exemplo. Auo autē, non aliis, siue paternus sit, siue maternus, seu auiæ hac ratione, cū euicta forma in patre aut matre ex externa causa, principia non fuerint euicta, sed similia auo vel auiæ, cuius pars vicerit in generatione fœtus, illius fœtus formam sequetur, si non euicta fuerit forma, illa sequetur formam à principiis deriuatam: quare ab auo vel auia, non autem à parentibus, cum iam euicta sit: igitur assimilabitur auis & non parentibus. Quod si pater materue principiis ab auo & auia contractis formam aliam ob impedimentum consecuti sint, fratres autem patris aut matris similem auo & auiæ ac temperamento principalium membrum, filius qui nascetur, si forma illius non casu aliquo superetur, partruo vel auunculo assimilabitur, iuxta victoriam patris aut matris: nam non assimilabitur parentibus cum euicta sit illorum forma, nec auo aut auiæ, quoniam pater aut mater mixtum ex vtroque temperamentum sortiti sunt: hoc autem patruus aut auunculus adepti sunt, ideò temperamentum filij & patrui seu auunculi idem est. Quare cum neutrius forma casu vel natura è principiis immutata sit, erit forma filij similis formæ patrui vel auunculi, cum verò filij forma aut principia etiam aliquo externo casu euicta fuerint, natus nulli maiorum similis erit, vt nec monstra. Erunt ergo causæ similitudinis nepotis ad auum, exempli gratia, paternum, quatuor; victoria seminis aui in patre, euicta forma in patre non principalium membrorum casu aliquo, victoria seminis patris in generatione filij, & quo forma filij ac temperamentum principalium membrorum nullo casu euicta sint. Hæc igitur similitudinis ratio, atque hæ causæ. Ex quibus haud difficile est intelligere, cur fratres inter se plerumque similiores sint, quàm patribus filij. Ex vtroque enim, vt dixi, parente eadem principia, easdémque partes contraxere.

Sed filios ob id etiam magis diligimus, quod in spem posteritatis magis educentur, quodque in nostra sint potestate. Namque educatio diuturna per se sola magnum conciliat amorem. Verum etsi frater fratri adeò coniunctus sit, vt filij fratris patruo pro filiis haberi mereantur, non tamen vicissim res conuertitur, vt patrui nepotibus sint tanquam patres: actu enim sunt, potestate autem minimè. Nam qui filij ex patruo vel auunculo generantur, non sunt velut fratres: fratres enim germani sunt: at patrueles, cum diuersis nati sint matribus, non sunt vt fratres; sed vinculum necessitudinis in his maximè abrumpitur, nisi vel patruus ex eadem matre, quæ illi glos est, filios susceperit, Iudæorum more: nam hi rursus iam fratres sunt. Aut si duo fratres duabus sororibus, aut alternatim coniuncti sint, qui nascentur patrueles, fratres erunt. Non ergo exacta est coniunctio patrui ad nepotem, sed media: actu similis fraternæ, potestate patruelium, qui disiuncti sunt. Vtrum verò hæc coniunctio in infinitum ascendentium ac descendentium extendatur, ingens dubium est. De materia quidem ostendimus, cum de iniuria loqueremur, minimè: an verò similitudine, tot interpositis mediis, difficillimum est exponere. Sed si materia modò manet, ad exiguam reducitur quantitatem; at patruelium etiam magis exigua est. Cum ergo ex concessis similitudo in infinitum diuidi possit atque attenuari, parum differet similitudo millesimi ex descendentibus meis ac patruelis ad me: nam minimarum quantitatum minimas necesse est esse differentias. Quamobrem parum intererit seu millesimus ex recta linea descendentium seu à latere maneat. Impressio quoque mutatione sexus aut abrumpitur aut minuitur. Quo fit, vt qui multum absunt ex posteris descendentibus, tribus ex causis parum ad nos pertineant. Quocirca videtur optimè huic, quantum licuit, prospexisse Moses, licet postmodum infeliciter cesserit, iubendo vt ex eadem, quàm dicunt Tribu, coniuges iungerentur: sic enim coniunctio descendentium cum maioribus augetur, non minuitur: semper enim aliquid incrementi recipit. Sed & si patrueles & amitinos simul relinquas, perinde est ac si quis ex fratre vel sorore

ſorore nepotes. Verum periculum eſt, ne altera ſtirps deficiat.

His ergo rationibus confirmatus, ad parentum, filiorum, fratrúmque incommoda ferenda, tum & ſi quid deteriùs euenerit, accedes, nec ob id tamen negligentiùs illorum curam ages, tantúmque ſupererit ſtudium præſentium. Pro quo alleuando, vt dixi, retroagere non debemus, aut qui noſtri curam gerunt, id agere. Vt ſi filium aut fratrem amiſeris, nunciabis alterum filium aut fratrem obiiſſe. Id periculoſum eſt, ſed neceſſarium quaſi & optimum auxilium. Nam vbi ſuperſtitem vnum intellexeris, prioris cura multum minuitur. Cum enim natura ſoli nati ſimus, maximè quod ad filios attinet, niſi præcedentium memoria obſtaret, quidquid reliqui eſſet, pro lucro poneremus, quod in his qui ſine filiis ſunt, cum filius naſcitur, obſeruamus. Neque enim quod aliis ſint quatuor aut duodecim, ſed quod ſibi natus ſit vnus, cum nullum haberent, conſiderant. Retrocedere igitur verſus initia in luctu expedit, ſi filij ſint. Si parentes, id conſiderent, quod ea lege nati ſimus, vt etſi non eſſemus infelices, obitum tamen illorum exſpectare oporteret. Quæ ratio etiam in maioribus fratribus ante oculos ponenda eſt: in minoribus, vt de filiis ſtatuendum: ſcilicet quod cum nati ſumus, illi non eſſent. Denique illud Iobi ſemper in huiuſmodi calamitatibus in ore habendum: Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc. Dominus dedit, Dominus abſtulit. Sicut Domino placuit, ita factum eſt. Quamobrem quidquid ſupererit, pro lucro habendum eſt. Iam ergo, quæ de parentibus dicemus, pro fratribus maioribus; quæ de filiis, pro fratribus minoribus ſatisfacient, paucula inde de amicis ſubiungam.

Ergo parentum commoda mors improbis filiis, ſi ſint ſapientes, ſtultis autem ſeu probi ſint ſeu improbi, infauſta eſt: ſed læta his, illis autem triſtis. Nihilominus ſi parentem amiſiſti, alterum arctius complectere: amplectere filios tuos, nam in illis etiam ſpes continuationis ſtirpis eorum repoſita eſt. Amplectere & illius filios: hi enim fratres tui ſunt. Quam autem gratum exhibebis ſpectaculum, ſi fratres tuos coram communi parente amplecteris? Imitare exemplum illud famoſum Apollonidis Cicenæ matris Eumenis regis, quæ filiis gratulabatur, cum videret filium Regem inter fratres gladiis accinctos pila ludere; erant autem tres. Idem Eumenes raro exemplo moriens regnum & filiolum Attalo fratri cuſtodiendum reliquit. Attalus autem, vbi primum adoleuit filius fratris, regnum ſtatim reſtituit, vt non ſolùm culpa, ſed etiam ſuſpitione culpæ careret. Cuius pietatis exemplum Cardinalis Mantuæ in conſeruandis nepotibus ex fratre ac regno reſtituendo ſeruauit, cum ad ipſum regnum ex nepotum interitu perueniret. O nunquam ſatis laudata Gonzagæ inclyta domus! quod columen gratiæ in tuos, in amicos, in alienos, ac fidei attigiſti? Sed Appollonidis tam felicem ſucceſſum non paſſa eſt diutiùs fortuna procedere. O mortalium inanes ſpes: & gaudia breuia! mortuus enim adoleſcens eſt iam Rex factus: ſucceſſit Attalus, & Romanis, neſcio an per iniuriam an ſocordiam, prætérito fratre, reliquit regnum, extinctáque dein paulò poſt ſtirps fuit. Quid ampliùs ſperare licet in mortalibus? poſtquam tam florentibus rebus, tam breui, tam exitialis finis etiam ſine bello ſuperuenit? Quæ ſine ſpe fiunt, fauſta magis ſunt, quod ex ſola virtute & gloria fructum conſequuntur. Velut Carolomanus Gallorum, & Rachiſius Longobardorum Reges, qui fratribus è manu regna tradiderunt, monaſticam, vt vocant, vitam profeſſi. Ergo ex parentum morte adminiſtratio, opes, auctoritáſque accedunt. Magnum auxilium ſunt parentes, magnum munimentum, ſed etiam magnum impedimentum, ad virtutem, ad gloriam properanti. Præſertim ſi non admodum prudentia & auctoritate valeant. Si male res cedat, imperitiæ ac temeritati filiorum adſcribitur: quidquid bene, parentum nomini. Non eſt quærenda aut optanda mors parentum: ſi tamen euenerit, & ex ordine naturæ ſequitur, æquo animo ferenda eſt. Multis filiis diuturna patris vita impedimenta & damna attulit. Pompeius & Iuba Rex exitio vnus, alter miſeriæ filiorum vitam diutiùs protraxit. Sic & Alphonſus ſecundus, Apuliæ & Neapolis Rex, nimium filio & ſibi ſuperuixit: regnum enim, quod in iuuenta ſummis laboribus & maxima cum laude recuperauerat, ſenex turpius amiſit, quàm anteà recuperaſſet. Quin adeò ingens ſe turba offert virorum præſentium, qui, quod diutiùs vixerint, filios pauperes reliquerunt, vt iam antiqua exempla in hoc requirenda non cenſeam. Itaque cum multis proſit mors parentum, quæ etiam lege naturæ his debetur, ſi eueniat, ſic excipienda eſt, vt inter indifferentia collocetur. Si non præpropera mors Philippum ſuſtuliſſet, non adeò magna gloria nunc etiam floreret Alexander. Nec tamen demiror Tibullum, qui fratrem deflet carmine, quàm poſſit deſcribi, maximè lugubri.

Multas per gẽtes, & multa per æquora vectus
Aduenio has miſeras frater ad inferias.
Vt te poſtremo donarem munere mortis,
Et mutum necquidquam alloquerer cinerẽ.
Quandoquidẽ fortuna mihi tete abſtulit ipsũ,
Heu miſer indignè frater adempte mihi.
Nunc tamen interea priſco quo more parentũ
Tradita ſunt triſtes munera ad inferias,
Accipe fraterno multum manantia fletu,
Atque in perpetuum frater aue, atq; vale.

Verum ferre oportet, quæ vitare non poſſumus, atque nobis tanto diligentiùs proſpicere. Solent enim eadem fata parentibus ac filiis, tum etiam fratribus eſſe communia. Diſcemus igitur, quamquam carius, alieno exemplo cautiores eſſe aduerſus imminentes calamitates.

Sed cuius mors moleſtior eſſe debet, patris, an matris? Virgilius inſinuare videtur chariorem eſſe matrem, cum ait,

Incipe parue puer riſu cognoſcere matrem:
Matris longa decem tulerant faſtidia menſes.

Leges patri magis fauent, quod filium in patris poteſtate, non matris cõſtituant. Ob id ergo

go patri maior veneratio, vt domino debetur; matri autem amor: nam matres magis amant, quoniam certiùs sciunt filios esse suos, & quoniam in generatione magis laborarunt: par est ergo, vt vicissim magis redamentur. Pater namque in generatione nihil patitur, imò voluptatem doloris loco percipit: vt, quod ad generationem attinet, nihil debeat illi filius; vt neque in prima educatione. Posteriore tamen tempore propter sumptus multum ei filius debet, propterque eruditionem & curam: tum verò magis si periculo se propter filium exposuerit, vt sæpè contingit. Licetne ergo in mala tractatione, educatione, institutione odisse patrem & matrem, nocere, maledicere, deserere, paruipendero? Minimè verò.

Verùm dices, cuinam ex parentibus magis debet filius? Poetæ, cum Orestem occidisse matrem propter patrem scribunt, paternæ causæ magis fauent. Sed & Valerij Maximi exempla, Pluto Pinensis Cymon, Claudia Vestalis, C. Flaminius, Manlius Torquatus, Africanus, non matribus tantum, quantum patribus fauent. Sed quid dicam de Opio, qui senem ac debilem patrem proscriptum sub mendici habitu in humeros sustulit, atque vsque in Siciliam saluum euexit? ita vt à triumviris veniam & ædilitatem etiam, ac ex operariis populoque dona, cum iam ei nihil esset, promeruerit. Mouent mihi lacrymas cum hæc commemoro exempla, quæ vincere potuerunt sæuissimum populum Romanum & assidua cæde ac inhumanis spectaculis gaudentem, quæ triumviros tyrannos inauditæ crudelitatis ac pro suo commodo agentes, læsæque maiestatis nomine proscribentes, flectere ad misericordiam potuerunt. Sic apud Octauium, è triumviris vnum, filiæ lacrymæ patrem seruarunt. Eodé & aliquanto maiore periculo Arrianus & ipse patrem è carceribus eduxit, maluitque cum proscripto perire, quam solus viuere: verum fortuna tam pio voto fauit. Alexij quoque Imperatoris insigne exemplum, vt & Rosimundæ attestantur, quam immensa esse debeat charitas patrum. Ptolemæorum vnus patrem occidit, per iocum Philopater appellatus: alius, Alexander vocatus, sustulit matrem. De eo, qui dictus est Philometer, non habeo quid dicam. Verùm insignis amoris erga matrem exemplum habetur in Lycophrone filio Periandri, Corynthiorum tyranni, qui cum apud Proclem auum maternum in Epidauro educaretur, reuocato à patre Procles dixit, scito Lycophron Pariandrum patrem tuum occidisse Melitam matrem tuam sine causa. Quo dicto ille adeò perstitit in odio contra patrem, vt nullis minis, non fame, aliisque remediis in gratiam cum patre redire voluerit. Quin etiam reuocatus ex Corcyra, vt regno succederet, conditionem reiecit: dicens non mansurum eà in patria, vbi mater sua perempta esset. Cum hoc etiam nihil contra patrem molitus est, nec verbum protulit impium: nec pater filij contumaciam vlcisci voluit. Ergo, vt video, omnium consensu plus patri propter venerationem, quam matri ob amorem filius debet; viuentemque præferemus patrem, & mortuam matrem diutius deplorabimus.

Plato verò vtriusque iniuriam parem censuit, quandoquidem & parem pœnam iniungit. Illud non probo, quod permittat filium accusare patrem dementiæ, tum maximè publicè apud iudices, cum plus turpitudine nocitura sit filio res, quam profutura ob lucrum. Exemplo quoque pessimo totius Reipublicæ oberit. Sub & multo magis imprecationibus erga filios parentes abstinebunt, quam verberibus aut vinculis, aut vulneribus leuibus, quoniam filios infames reddunt & aliorum iniuriæ expositos, Et si sequatur pœna, filius iusto plus plectitur, ac teipsum oderit: si non sequatur, tu & contemptum Diis affers, & illum reddis nequiorem. Quòd ad rem attinet, stultum est existimare, si Sclymus regnat feliciter, patris imprecationem solam filio obesse.

Ergo, vt ad rem redeam, eadem sed minor erit cura de amicis. De vtriusque autem, scilicet amicis & consanguineis, si quis ex eorum calamitatibus vtilitatem sumere velit, diligenter perlegat quæ de filiis in vnoquoque genere scripsimus: paucis enim mutatis ea omnia huc transferri pòterunt. Tu verò interim omnibus opitulare iuxta rationem opum tuarum, seu sint amici boni inops, seu studiosi, pauperes, seu serui au familiares miseri, aut consanguinei egestate oppressi. Sic enim & illis proderis & laudem consequeris, & nonnunquam ab illis, cum moriuntur, hæreditate res tua augebitur. Nam raro amici mors, si amicus verus sit, nèc omnino pauper, vtilis non est. Antiquo tempore nulla erat chymica lucrosior, nullum fœnus tutius atque vtilius.

Mots amici multa nobis præbet commoda & exiguum damnum: similiter & sanguine coniuncti. Seu enim hæredem te ex parte, vt dixi, reliquerit, seu tutorem instituerit, seu etiam tui non meminerit, multa condisces aliena iactura atque dolore, quibus prospicere poteris rebus tuis. Quæ, quia tam multa sunt, vt longam enarrationem exposcerent, cursim ea pertransibo.

CAPVT II.

De Familiarium & seruorum improbitate.

PRimum admoneris casus hominum, breuitatis vitæ, repentini exitij, insidorum sociorum & amicorum ac familiarium, inanium laborum tuorum ac studiorum. Vides, quod maius est, fratres ac filios magis solicitos de opibus, quàm de parente aut fratre. Soli parentes, si supersint, veras lacrymas fundunt. Vides quale silentium à morte imponitur tanto fastui? quàm omnia illius neglecta? qualis mutatio status totius domus? Itaque sapienti valde vtile est adstitisse morienti; adeò vt mirer Lucianum de hoc non scripsisse dialogum: Videbis concertantes inuicem de furto, de persuasione testamenti, de fraudandis impensis, quis curator hæreditati, quis tutor filiis eligi debeat, quis scripta, chirographa, libros sit accepturus, vt aliquid

aliquid communi nomine supprimatur. Si, qui moritur, filios aut fratres habet plures pro vno amicos recipies: si his caret, vix fieri potest, vt nihil tibi defunctus relinquat. Sed fac, vt durissima sit mors parentis & nihil commodi consequaris, aut amicus talis sit, cui superuiuere nolis: vt C. Blosius T. Graccho, & Pomponius & Lectorius Caio illius fratri, Lucius Rheginus Cepioni, L. Petronius P. Cælio, Ser. Terentius D. Bruto, Lucilius M. Bruto, neque enim ambigua exempla & incerta ex vetustate repetere cogimur, cum tanta sit copia illustrium in Romanis: annon ad omnia, si superuiuere cogaris, ardua & aduersa ferenda intrepidus viues, & quæ tractabis, tam forti animo suscipies, vt vel potiaris illis, aut nihil doleas? Quot enim occasiones amittimus sub timoris specie? Quis fuisset Achilles, si Hectorem non occidisset? Quomodo occidisset Hectorem, nisi Briseida deflentem Patrocli mortem excitasset? Qua in inuentione longè Virgilius ab Homero superatur. Quid illustrauit Tomyrim Scytharum reginam nisi vindicta de Cæro, qui illius filium occiderat, sumpta? Quid Martialem equitem Romanum, nisi Caracallæ mors, qui illius fratrem occiderat? Quænam fuisset Camma Galata, si vltra non esset simulatum virum Sinorigem interfectorem prioris occidendo? pulchro sanè & memorabili inuento. Quid clarius nomine Eudoxæ Augustæ, dum maritum Valentinianum Augustum vlciscitur ita, vt non solum Petronium Maximum, qui illum interfici curauerat, sed & populum Romanum, qui, ne occideretur, obstare potuisset, perdiderit. Quando Clotildis memoria excidet, quæ Sigismundum cum vxore & filiis in puteum præcipitari iussit, quod Gondobaldus Sigismundi pater, Chilpericum Clotildis patrem duasque illius filias, Clotildis autem sorores, in amne submersit. Quantos animo Gino adiecit vltio patris atque fratris Gino Taccij Senensis, qui Bonincasam, qui iudicio Senis eos oppresserat, non solum ius dicentem Romæ in ipso tribunali confodit, sed etiam abscindere caput ausus est atque inde auferre, quòd vix in nemore alteri licuisset? Quidam affines Carrantis molitoris, quinque viri, ausi fuere suspendio Alexandriæ, vrbe Italiæ, præfectum necare, atque ex ea exeuntes se seruare, quod ille Carrantem suspendio occidisset, sanguine ipsis coniunctissimum. Crede mihi experto, nunquam securè viuitur, nisi cum charissimum aliquem amiseris, cuius interitum si posses cum illo commutare, velles. Itaque ab huiusmodi calamitatibus, si ætas non obstet, ad maximos status peruenire licet. Vltio præbet animos, iniuria auxiliatores, odium industriam & ingenium acutum. Vitæ contemptus fortitudinem dat, exemplum insigne, & fortunam. Iustam causam fouet Deus, territat desperatio inimicorum defensores, conscientia scelerum anceps consilium hostium reddit, infamia facti populorum fauorem conciliat: denique nihil superest, nisi pulchrè cadere. Si non vltor coniuncti, saltem à dolore, quem ob illius mortem patiebaris, liber. Ergo si perferre luctum horum potes, aliena damna facilius tolerabis. Quamobrem iam ad familiarium & seruorum molestias, imò si prioribus comparemus, titillationes potius transeamus.

Eorum, qui nobis familiares sunt, genera tria sunt: famuli, serui, & clientes. Horum maximus numerus est, atque ideò res trita atque vulgaris, indies amittere ex his aliquos, quosdam affligit calamitatibus, nonnullos tibi infensos fieri. Vnde nobis horum cura fermè nulla fuit, tot intestinis vulneribus sauciis, & tamen non parum indoluimus, si beneficiis ab illis fuissemus affecti, vt Regis Anglorum Edoardi Sexti, quem fata immaturum eripuere, Claudiique Lavalli, Equitis, imò Principis insignis Galli, & Gulielmi Casanati, Andreæ Osiandri. Ioa. Petreij, tametsi in religione idem cum illis non sentirem; vel si præstanti forent eruditione, vt Io. Checus Britannus, nosterque nunquam satis laudatus; Ioannes Magnienus Lutetianus Medicus, cuius memoria nunquam è pectore meo excidet; demùm & ille rursus Lutetianus Emarus Ranconetus Præses, tam infelix fato quàm eruditione insignis, nulli officiis, nulli virtute secundus, & tamen carnificis manu (proh scelus!) spiritum deponere coactus. Ita enim Parcæ definiuerunt, vt, cui in alios vitæ necisque arbitrium fuerat, à collegis necis iudicium ipse subiret.

Ergo vt ad rem redeam, clientes molesti sunt, vel quoniam assiduè frequentant domum, dum nimis officiosi videri volunt. Ea tamen molestia plurimi gaudent, plerisque etiam non parum vtilis est, qui commodum lucro & potentia & inani aura definiunt. Vel quia plura petunt mutuo, aut dono, aut officio requirunt. Ergo si tibi charius sit tempus quàm ambitiosa illorum frequentatio, horas tibi selige sub somni prætextu, aut consuetudinis cum vxore, vel cum aliquo ex his, qui Principi cuipiam sint à secretis, atque illos tædio & contemptu abiges quàm breui. Sed si nec hoc sufficit, grauia ab illis postula. Vt enim causam quærit, qui vult discedere ab amico, ita illi à te recedent iudicio proprio semetipsos damnantes. Sed si petant aliquid ipsi, hoc ipso vinces, si prudentior sis. Multo enim maiora requirere ab eis licebit, & ipsi difficilius se poterunt excusare. Verũ vt dixi, hæc familiarium copia atque frequentia, innumeris modis auxilia nobis præstat, vt raro præter aliquos planè stultos aut molestos, quemquam repellere necesse sit. Qui verò ex longinquis regionibus negotium mihi immensum facessebant, non rescribendo sine labore vllo reiecti sunt. Sed & in his, vt dixi, quippiam gloriolæ residet. Cum verò clientes incommodis afficiuntur, adiuuandi sunt, si fidi vel probi sint, aut vtiles esse possint: consolandi etiam verbis lenibus, sic vt generi calamitatis gestus & verba accommodentur: atque sic, vt ita dicam, efficere, vt illos & diligere & vereri videamur. Maximum enim in aduersis solatium est præterquam in luctu maximo, si nos nec despici nec deseri ab amicis videamus. Faciunt ergo hæ amicorum infelicitates illos nobis addictos, & nos omnibus chariores atque honoratiores.

Famulorum & seruorum delicta (nam nostra ætate ob religionem pio sanè consilio, quandoquidem omnes homines, homines sint,

sint, famuli loco seruorum in vsu sunt, ita moderate castiganda, vt in nobis sentiant non deesse prudentiam, constantiam, auctoritatem, diligentiam atque benignitatem. Quòd si benignitate abutantur, è domo propellendi sunt, non statim tamen si nimium irritabiles, vt enim canes, quia fideles, ob id etiam iracundi sunt: ita & de hominibus censendum est. Oportet tamen cauere ne auctoritatem tuam atque existimationem contumacia sua aut verbositate vel iracundia lædant. Eos autem, qui furantur leuia quædam, qui emendo necessaria decipiunt, propter exemplum statim è domo submouere licet. Quædam enim sunt vitia, quæ nisi statim eradices, ob dulcedinem euadunt inuicta, velut furtum, ludus & ebrietas. Stultos quoque & proditores, & ingratos, & ambitiosos, quanto diutius momento tuleris, tanto magis te ob omni humanitate alienum esse intelligent homines. Ferimus iracundos, desides, imperitos, impatientes, tristes querulos, nugaces, maledicos, parum consultos, inuidos, gulæ ac libidini deditos, segnes, incautos, sordidos, fœdos, auaros, prodigos, nimis delicatos & molles, crudeles, pertinaces, incomptos, rudes, rusticos, parum pios ac religiosos, turpes, morbosos, debiles, an non satis hæc tibi videntur, nisi quoque deceptores, perfidos, fures, mendaces, ebriosque toleraueris, magno malo plerumque, semper maximo periculo? Summa est, vt in tui veneratione contineantur, timeantque & ament. Vt vtrumque efficias, beneuolus in eos sis, non familiaris.

Sed quodnam ex eorum vitiis emolumentum est? semper enim eò properat oratio. Generaliter quidem primum illud, vt, cum vel alleuare sumptum velis, vel alium tibi commodiorem conducere, id commodè possis & honestè facere, nec cum animi dolore, vt qui iam diu illum ob vitia oderis. Deinde, quod obsequentiores illos sis habiturus, vt qui sciant se delinquere, nec admodum tibi satisfacere. Ex vnoquoque etiam animi peccato suam vtilitatem decerpere licebit: vt si libidini deditus fuerit, etiam pro te lenoniam pulchrè exercere norit, nec adeò pudebit. Si gulosus, curabit vt opiparè & elegantiùs cœnes. Si iracundus, erit tibi pro vtili satellite. Si fœdus ac sordidus aut senex, huic vxorem aut filias nubiles tutius committes. Si auarus, tua quoque seruabit. Si prodigus, in parandis conuiuiis accommodatus. Si pertinax, ad exigendum pecuniam aptior & perficienda opera. Rudibus nulli quandoque vtiliores: non enim renunciabunt quæ feceris. Rusticos & incomptos vilioribus officiis adiicies. Nugacibus, maledicis inuidis, quoties benè vteris? dum per illos tanquam spontaneos exploratores, domestica omnia facta condisces, non furta per hos, non ganeæ latebunt. Impatientes si emendaueris, si alia vitia, annon ad amicos, ad coniunctos, ad filios, exemplo medicorum, qui in vilibus rebus experimenta faciunt, corrigendos plurimum proderit? O, quàm vtile est ac pulchrum dulcéque, discere suos paruo periculo, minore impensa! Impatiente pro nuncio vteris. Imperitus & incautus pro mimo aut morione tibi erit: ô quoties iocos & risus ille etiam nolenti excitabit, amarorémque vitæ edulcabit! Iam & parum pios parumque religiosos admonebis: efficientque hi, vt quantum & tu delinquas, possis animaduertere. Interim verò castigando asperioribus in rebus ac negotiis vti poteris. Quòd si etiam in illos acrius animaduertas, alios suo exemplo deterrebis ac meliores reddes. Illud tecum cogita, nullum, etiam ex patriciis, esse sine labe. Ferre igitur oportet, quæ nec nimis excellunt vitia, nec damnosa, nec periculosa sunt, nec existimationem lædunt. Nec velim tot seruos habere, quibus seruire necessariò cogaris. Namque erudire ac castigare, seruilis potius est labor, quam voluptas herilis. Quartum etiam lucrum egeris ex his, si velut in palæstra te exerceueris ad ferendum illorum flagitia, quemadmodum Socrates in sua Xantippe. Porrò huic negotio da operam, vt tam paucos habeas, vt ne vllus vnquam sit in otio. Nam & commodioribus vteris, & tu illos meliores efficies, ac etiam obsequentiores, & impensam minues. Cauebis autem, ne sine fideiussione quemquam recipias. Puerum ex primo intuitu dignosces: cum enim vocatus à te segniter venit, malitiosus est & iners. De natura quoque moribusque eorum superiùs dictum est. Galli sunt coqui optimi, Germani ad equorum curam aptiores, Itali mundiores, Hispani ad tutelam corporis. Inter Italos patientiores sunt Florentini pro famulis, pro ancillabus Carauagienses. Vt non solum prouinciarum, sed & priuatorum locorum mores scire prorsus sit ex vsu, atque etiam vbi hominem singulis muneribus seruiendo aptiores sint. Sed iam de vxore dicamus.

CAPVT III.

De Vxore ducenda.

ANtequam verò ad eam tractationem veniam, tria mihi circa ipsam prouerbia edocere proposui: quæ, tametsi inter illa Erasmi non connumerentur, nec ex Græco translata, sed vulgari potius Italico sermone explicata sint, neque Hesiodum aut Demosthenem vel Comicum quempiam egregium authorem habeant: nihilominus neque minus grauia neque vtilia illorum sententiis ista fore existimo, quandoquidem maior pars ac melior vitæ humanæ non dicam ex intellectu eorum, esset enim nimis ambitiosum, sed ex illorum successu pendeat.

Primum igitur est, Duo esse præcipua ex quibus vita hominis dignoscatur, nuptiæ & mors. Secundum, Quales velis filios, talem accipe vxorem. Tertium, Nuptam prima nocte coniugem ex odore, velut capram herbas, agnoscere. His tribus præceptis fermè quidquid boni & honesti & generosi in tota vita humana reperitur, constat. Ergo, vt de primo dicam, difficillimæ res duæ proponuntur, mors & nuptiæ. Mors quidem triplicem ob causam: ob tempus incertum, vnde fit vt homo semper imparatus ad eam accedat; ob metum, qui rationem

excutit;

excutit; & ob prospectum in futurum, qui solis diis concessus est. At vxoria res tot habet capita, vt longè difficilior videatur. Cur verò filij magis matribus assimilentur, quàm patribus, ob quatuor contingit causas. Prima est, quod sanguis ipse, quo puer conficitur aut puella, abundantior est multo quàm semen, affertque mater & vltra sanguinem semen, & ipsa deinde lacte infantem diu alit, & in annis infantiæ educat.

Quod verò diximus, nuptam nocte prima ex odore agnoscere cum quo cubet, translatum est à belluis, quæ odore sexum agnoscunt. Idem est ergo, ac si dicas, vxorem agnoscere nocte prima, cubetne cum cato an homine. Hunc virum appellant, id est, qui nihil afferat blanditiarum, sed imperium. Atque tunc nupta agnoscit oportere se parere, mulieremque, id est, moribus bonis prẹditam se exhibere. Sin autem agnoscit se cum homine stulto aut effeminato cubare, transit in bestiam, id est, mœcham, impatientem, & coniugi haud obsequentem, sed potius imperantem, domúmque euertit. E re etiam est viri, vt neque impertiatur quæ ad illum attinent, neque illius munera præripiat, sed generali mandato illi committat, singulorum autem imperium apud se retineat. Sic vt res mandet, modum conficiendi illi permittat: quandoque etiam modum præscribat, non tamen ipse efficiat, nec ancillis imperet ceu nulla sit vxor: gaudet enim & ipsa imperio suo. Quòd si maritus ea, quæ ad vxorem pertinent, præripiat, semet existimatione, illam iure suo fraudabit.

Sunt & alia prouerbia, quorum non pigebit meminisse. Velut illud, quod in equis emendis & vxore ducenda claudere oporteat oculos, Deoque nos commendare. Quòd melius est, notam vxorem cum vna nota ducere, quam ignotam cum nulla. Quòd, vxorem qui non habet, facilè verberat. Quòd, vxorem seu duxeris seu non, pœnitebit. Quòd, qui impudicam duxerit vxorem, nunquam immunis est à molestia ac pœna. Quòd tam stulta quàm sapiens vxor filios generet.

Difficultatem maximam ostendit, quod dicitur de equis emendis & vxore ducenda, quasi dicat, minimam partem diuini auxilij esse humanam prouidentiam in his, ob tot quæ spectare oportet atque considerare. Quod melius sit notam ducere cum nota seu macula vna, quam ignotam sine vlla, etiam ad hoc pertinet, quod vix fieri possit, vt mulier pluribus notis non sit maculata. Quòd vxorem qui non habet, facilè verberat, id est, plerique blanditiis coniugum flectuntur, & conniuent in earum vitiis. Si duxeris vxorem, multa incommoda patieris, pertinatiam, suspitionem, tædium, impensas, abortus, filiorum mortes, inanes timores: si non duxeris, furta domestica, inhiantem tibi hæredem, nullas blanditias, nulla solatia; & videberis tibi indies decrescere. Qui filios habet, omnibus gaudet temporibus: præterito, quod susceperit; præsenti, quod potiatur; futuro, quod dicere illud possit,

Crescite & in titulos surgite rite meos.

Qui non habet, dolet de præteritis, quod neglexerit; de præsentibus, quod solatiis careat; de futuris, quod nimis cito prætereant, ipse interim senescat. Huic etiam simile quiddam de Thalete fertur: quem cum mater iuuenem hortaretur vt vxorem duceret, respondit, nimis cito: cum iuuentam excessisset, nimis tarde. Quasi diceret, si, cum nondum maturus es annis, duxeris vxorem, nec illam regere poteris, nec teipsum: si cum senescis, filij, cum obieris, parui remanebunt, tu suspitione laborabis ipsius vxoris, zelotypiam vocat vulgus, & illa tibi erit grauis, dum cogeris supra vires venere vti. Si ergo impudica sit aut euadat, nunquam quiesces, mœchus in domo vitæ suspitio, rixa in mensa, res absumitur, contemptus extra, filij dubij, famuli diffidentes, mœror perpetuus, contentio, pugna. Sapiens mulier filios gignit aut ex marito, aut occulto mœcho, stulta palam adulterium profitetur. Hæc atque alia difficultatem rei ostendunt, maximè apud nos, quod diuortia concessa non sint.

Propterea in electione vxoris octo sunt consideranda: Corpus incolume, ætas, quod sit prona ad generationem, forma, animi qualitates, eruditio, consanguinei, & dos. Videamus autem ex his quòd sit præcipuum. Id est, quo homo est homo, scilicet animi qualitates. Nam si omnia alia adsint, sit autem stulta, perfida, mœcha, contentiosa, loquax, prodiga, ebria, furax, quid cætera proderunt? Secunda conditio est fœcunditas, quia is est finis connubij: maximè igitur spectandus. At si morata non sit, filios perdet, aut stultos generabit & inutiles, quique potius sint oneri quàm voluptati. Tertia est consanguineorum: nam per illos parantur auctoritas, opes, filiis suscipiendis patrocinium. Suntque illi in secunda fortuna iucundi, in aduersa leuamini & solatio, semper autem ornamento atque decori. Dos verò pauperibus maximè necessaria, & in tertio loco collocanda, opulentis vltima esse debet. Hanc sequitur corporis incolumitas, inde eruditio, post forma & ætas.

De animi igitur qualitatibus primò dicendum est. Sunt autem trifariam vtiles, ad concordiam cum coniuge, ad gubernandam domum, ad filiorum procreationem atque educationem bonam. Primum igitur, cum mulier fortitudine destituatur, prudentia maxima opus habet, post animi tranquillitate, quoniam subesse marito debet, & etiam memor esse atque ingeniosa: hæc enim ad curandas res familiares requiruntur. Eius verò rursus causas repetamus. Domus distribuitur in tria: res, familiam ac filios, & coniugem. Vxor familiæ imperat, prudentia igitur opus est: res tractat, indiget itaque memoria & ingenio: paret coniugi, tranquilla ergo sit oportet, non Xantippe rixosa, morosa, peruicax, contentiosa, difficilis, vt concordia maneat. Non parum igitur est, tranquillam esse, posteaquam si tranquilla sit, omnia illa absint. Similiter hæ virtutes etiam in viro modesto esse debent.

Quòd si hæc in vtroque coniuge adsint, clarissimi viri generantur. Nam quales parentes sunt dum generant, tales & filij: at geniti parentes

parentes suppoſuimus eſſe prudentes, ingenioſos, memores & tranquillos: erunt igitur ab ipſo adoleſcentiæ initio filij prudentes, tranquilli, memores, ſtudioſi. Ergo quia prudentes, facilè diſcent ob memoriam & ingenium, perſeuerabunt etiam ob tranquillitatem, quare neceſſario in claros viros, modo ſuperuiuant, euadent. Quo ergo tempore florebunt, ardebunt ad ſtudia diſciplinæ ſeu militaris, ſeu Philoſophiæ aut iuriſprudentiæ, tum demum creſcentibus viribus ad maiora accendentur. Appetunt autem omnes potius præmia virtutis, honores & opes, quam ipſam virtutem. Ne quis credat hos celebres viros, qui tanta virtute, doctrina atque gloria loquuntur, ſtudio horum duci, ſed præmiorum. Ariſtoteles ad tantum culmen non aſcendit, vt ſciret, ſed vt locupletaretur, honeſtaretur à Rege, honoraretur à cæteris. Sic Plato, Demoſthenes, Virgilius, Cicero. Inde ſenſim, ebibita dulcedine virtutis, ad illius per ſe amorem tranſit quiſquis clariore eſt ingenio, operamque nobilioribus diſciplinis dedit, vt Ariſtoteles. Rari Oratores, Poetæ nulli, pauci Medici, aut Iuriſconſulti, quod illorum diſciplina non ſit ſcientia, ſed quæſtus cauſa, vel alterius rei. Fulti igitur priore auctoritate atque labore, quaſi per gradus ad maiora tendunt. Inde comitante fortuna, duce virtutis ſimulachro, tendunt ad gloriæ ac diuitiarum atque potentiæ faſtigium, nomenque adipiſcuntur ſapientis. Horum igitur mediocrium filij ſunt qui excellunt plurimum. At qui excellunt iam, vtpote annos trigintaduos dum generant, quia iam ardent adoleſcentes, geniti ardore immodico laborant gloriam & diuitias atque potentiam adipiſcendi. Quibus cum auctoritas, potentia, vſus & experientia deſint, coguntur, vrgente ætatis & naturæ feruore, eadem quærere præcipitanter, quæ modeſtè & cum induſtria quærenda eſſent, atque ita opes non qua meliore via, ſed qua compendioſiore poſſunt, vt furto, vi, dolo &, quia ludus ſpem huius affert, ludo etiam: Inde etiam gloriam vi, rixa, ſumptuoſiore veſtitu. Amicos cum deceret officiis, illi imperio & importunitate adſciſcere properant. Itaque ſi quis rectè aduertat, in fine atque etiam in feſtinatione ſimilitudinéque quærendi concordant filij cum patre: ſed illi, cum media & auctoritas deſint, flagitiis manifeſtis illa quæritant nec aſſequuntur: vnde nomen ſubeunt improbitatis atque ſtultitiæ, cum parentes viderentur probi eſſe ſapientesque. Explicabitur & infrà dilucidius hæc ratio, nunc ſatis eſt admonuiſſe lectores, filios egregiorum virorum fine & ſtudiis ac votis ſimiles eſſe patribus, exiſtimatione autem apud imperitos & exitu rei adeò diſſimiles, vt omnes nothi videantur. Et niſi adeò multis hoc contingeret, tales eſſe exiſtimarentur. Qui verò egregij euadunt, ſunt ex parentibus, vt dixi, prudentibus, tranquillis, ingenioſiſque orti, quique cerebrum minimè ſtudiis triuerunt. Quocirca non videtur Socrates poſſe defendi, qui Xantippen duxerit adeò à tranquillitate abhorrentem, imò etiam à prudentia, vt qui lotium, etiam coram diſcipulis, in caput illius ſparſerit. Quantum verò fuerit aut ingenioſa aut memor, ſcire nobis non licet illud certum eſt, plus obfuiſſe filiis & ob generationem & ob educationem, quam ipſi profuerit ad diſcendam patientiam. Abſurdum præterea eſt, exiſtimare Socratem non aliter potuiſſe proficere patientia, quàm ſtulta adiuncti ſibi vxore: neque tam vtilis futura erat ea immodica patientia, quam filiis damnoſa iracundia atque ſtultitia. Quo fit, quod & apud Xenophontem de huiuſmodi vitio maior natu Socratis filius tacite perſtringatur. Neceſſe eſſe igitur vel amore ductum, vel ambitione quadam, vel potius, quod magis reor, honeſtate perſeueraſſe in illo coniugio. Sic clarorum virorum parentes huiuſmodi fuere. Sed Galenus matrem iracundiæ accuſat, tanto magis laudans patrem tranquillitatis atque manſuetudinis. Vicit forte vis paterna. Sed mihi pater & mater cum eſſent iracundi, tanto ſæuiores fuere. In vniuerſum, nihil tam obeſt filiorum ſtultorum procreationi, quàm imago vana ſperandarum rerum. Filij enim cum eadem ſpe nati ſine fructu ſeruant has inanes ſpecies, quibus perperam multa atque irrita patrant admittuntque,

Cæterum, vt dixi, Socrati, Platoni, Ariſtoteli, Cæſari, Auguſto, Traiano, tales fuiſſe parentes exiſtimandum eſt. Vni Alexandro Philippus atque Olympias inclyti parentes fuere.. At Philippus prudentia & tranquillitate inſignis, fuit ingenioſuſque, & minimè ardenti animo. Alexandrum Ariſtotelis præcepta plurimum adiuuerunt. Multum prodeſt ſcire, quàm exiguo limite humana felicitas contineatur. Maximè ei profuit paratum habuiſſe militem veteranum, nouo & vtili more armatum ſariſſis, & prudentem ducem Parmenionem. Attamen cum his omnibus quantum Alexander abfuit ab opinione ſtultitiæ? Qui dum hoſtem vincere ſtudet, omnibus relictis ad Ammonis Iouis oracula in deſertis conſtituta pergit. At præſtabat diuinitatis conſequi opinionem? Neſcio: ſed ſi præſtitiſſet, peracto, non flagrante bello, id egiſſe debuit. Occidit Parmenionem: at coactus? Neſcio an tam coactus, quàm illius gloriæ inuidens hoc peregerit. Certe inhumaniter, vt minus dirum exiſtimauerit patrem occiſſe, cum adhuc ille putaret filium rectè valere, quam ſuperuiuere tam crudeli filij neci. Clitum etiam occidit nulla excuſatione niſi vini. At turpior excuſatio quàm ſcelus, mundi propè dominum Regem inebriari & in conuiuio amicos trucidare barbarico more, nec ſatis tamen vſitato. Proiecit ſe in amnem calidus, vt triplici periculo res omnes ſuas ac ſuorum ſalutem perderet; aut merſis vndis, aut morbo extinctus, aut ſaltem tardatus eo dum, vt ab hoſte vinceretur. Sic Medicus ille periculo capitis ſui Regis ſtultitiæ obuiam ire coactus eſt. At iuuenis erat, æſtu impulſus, fluminis amœnitate allectus? Sed &, quali in periculo eſſet, cogitare debuit: minus turpe erat, ſi longius abfuiſſet hoſtis. Sed excuſet hoc ſtultitiam, prudentiæ tamen argumentum non eſt. Quid verò cauſæ fuit, quod ſe in vrbem hoſtilem, mœnibus munitam, ſolus præcipitem dederit? Ego ſanè hoc ſolum dubium habeo,

habeo, stultiorne fuerit an fortunatior? Stultos ergo progenuisse arbitrij nostri fuerit, fortunatos non ita. Si liceret tam pares fortuna Alexandro, quam stultitia ex impotentibus fœminis atq; importunis generare, non recusarem huiusmodi mulieribus me coniugi. Sed stultos infinitos postmodum ex huiusmodi parentibus genitos vidimus, fortunatos cum stultitia neminem. Est verò post tres illas feminarum egregias dotes quarta, quæ tota ad virum spectat, ad securitatem nempè, tranquillitatem, decorem, laudémque mariti: ea verò est, qua etiam filiorum amor ac educatio bona, tum illorum mores constant.

Sed quibus argumentis deprehendimus huiusmodi fœminarum virtutes? Dicta sunt plurima suo loco, vbi de moribus actum est: nunc quòd ad propositum est, præter dicta, recensebo. Primum igitur specta, quales fuerint illius parentes. Quòd si longa serie similes se præstiterint auus proauusque, tutior spes erit. Natura enim educatione parentibus similes posteri euadunt. Videas & qua diligentia educata fuerit, qualesve domesticos habuerit. Maximam verò diligentiam adhibe in seligenda vxore, quæ, vt dixi, omnia nostra bona complectitur. Voluptatem quæris? nullà cum alia aut diuturnior aut maior aut securior esse potest. Conuictum? perpetuus est. Vltra non licet procedere. Rei domesticæ incrementum? quæ diligentior custos aut fidelior potest inueniri? quæve accuratius omnia distribuere, aut melius familiam custodire, quàm quæ tibi, dum vales iucunda socia est, dum ægrotas, certum solatium atque auxilium? Si honorem, si tranquillitatem optas? omnia in illius reposita esse sinu puta. Si filios? illa sibi similes generat, illa tuis votis pares educat, ardenterque amat eos atque custodit. Si opes? dos non paruam illi potest auctionem afferre. Si potentiam, si amicos? Vnde celerius, vnde melius, vnde securius hæc comparare queas, ac, vt ita dicam, æterna quasi cum pace atque concordia? Itaque optimè ille fecerit qui fortunatas nuptias celebrauerit.

At dices, Cur ergo tu, qui alios doces, non tam felix fuisti, aut saltem filius tuus? An non Horatij illud in te quadratè videtur?

Fungar vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valeat, exors ipsa secandi.

Ego sic, vt dixi, eligere non potui, filius noluit. Mihi Deus obstitit, & voti religio: illum sua fata vrgebant, me prohibuerunt. Qualiscumque sit illa ciuitas, multis malis abundat, quæ non exquisitam curam matrimoniorum agit. At vbi etiam licentia permittitur adulteris, prorsus infelix est. Omnino autem fugienda est & diris solum viperis ad habitandum relinquenda, vbi insuper illis fauetur. Quid tibi cum tuis opibus, cum fastu & salutatione clientum, quisquis es, si cor vrat suspitio impudicitiæ vxoris? si filium non tuum esse existimes? si per aulas te tuosque hymæneos linguis proscindant? si salutant ac rident? miserior es quàm si misereantur. Et vt in delicato ac molli corpore plus spinæ sentiuntur, quam in calloso pede sentes; atque vt chiragræ dolor minor non est equuleo, atque ignibus calculus renum: ita ex hac tanta labe ne beatos quidem cum omnibus opibus suis Hercules aut Mercurius fecerit. In huiusmodi autem vrbibus non mirum leges has non seruari, siquidem inhumani tot dispendia, tot vigilias miserorum parentum, tot metus, curas, tristitias, labores, solicitudines inanes tot annis continuatas, vna sæua voce, vt imperiosi videantur, sine vllo respectu vno momento præscindere nihil ducunt, quam pulchrum est vitæ mortisque dominos esse? Certè verum, si id ita esset. Sed necis quidem dominos video, vitæ aut suæ aut alienæ non video. Nisi vitæ dominos eos intelligant, qui dum possunt, non eripiunt vitam. At videant, hoccine sit dare vitam? & quale sit hoc beneficium Ciceronis testimonio? Cuius verba sunt: Quale autem beneficium est, quod te abstinueris à nefario scelere? Ad rem redeo, non solum sufficit, vt talis natura sit & rectè educata, sed etiam requirimus in te non leuem industriam.

Succedunt modò reliqua fecunditatis signa, quæ suo loco præscribentur & commoda. Sed & hæc, dum de filiis agemus, tractabuntur: nunc hoc dixisse sufficiat, fecundas mulieres semper maiore in honore habitas apud Iudæos, vt & sacris interesse liceret. Apud Romanos magna veneratione habebantur, vnde matronarum quoque nomen deriuatum est. Deuinciunt filij coniuges communi & solidiore vinculo inter se. Ipse etiam matres, ipsi patres alij efficiuntur sobolis charo amore. A multis temperant, quæ alias admitterent: fiunt parci magis, magis temperati, laboriosi, prudentes, misericordes. Neque enim sine prodigio est sterilem esse, & ob id etiam patres apud Iudæos infecundi spernebantur à Deo. Apud Romanos fermè semper improbitatis argumentum infecunditas fuit: namque aut obscœnæ libidinis causa contigit, vt in Virgilio & Flacco; aut ob breuem vitam, vt in Tibullo atque Catullo; aut exitij infelicis, vt in Galba, Ottone, Vitellio; au libidinis inexhaustæ & perditorum amorum, vt in Nasone & Propertio; aut morbi cuiuspiam familiaris, aut operæ circa alia nimis assiduæ, vt in Demosthene: ita tamen vt semper flagitij au calamitatis iudicium sterilitas fuerit.

Quin etiam fecunda mulier pudica etiam magis est & coniugi fidelior. Multæ enim mœchantur, non tam improbitatis causa, quam filiorum suscipiendorum ingenti desiderio. Dixit enim humanæ sapientiæ fons, naturale maximè est, vnicuique rei sibi simili generare. Ob hoc etiam leges omnes, præter nostram, diuortium non tam priuatæ vtilitatis causa, quam publicæ etiam, permiserunt Christiana hac in patre durior videtur. Sed si quis rectè consideret, etiam hoc præceptum non multum incommodi affert. Quanquam enim diuortium ob sterilitatem sine iniuria affinium fieri posset, multa tamen sub hac specie flagitia admitti etiam queunt.

Quod verò ad iacturam attinet, iam quòd dicturi sumus, diligètius pro hac causa docere oportet:

oportet; Omnem ſcilicet hominem, qui fœliciter viuere velit, debere aut eodem modo inſtitutum & vitam ducere, aut ſi velit diuerſo ab inſtituto viuere, tota vita ſua diligentiſſimè cunctis actionibus inuigilare. Si Chriſtianus es, & chriſtianam ducere vitam velis, etiam fidem de his omnibus, quæ religio promittit, confirma: aliter enim in perpetuo metu viues & plerúmque etiam miſerabiliter. Nam ſi his commodis carere velis, quibus tibi interdicitur à lege, multa incommoda te pati neceſſe eſt. Si igitur vel minimum de promiſſis dubitaueris, infœlix viues. Rurſus, ſi tuo more viues, dubites autem de euentu, admiſſis pluribus viro probo indignis, in perpetuo metu eris. Neceſſe eſt igitur vitam inſtituto non diſſimilem ducere: quod ſi duxeris, ad omnes occaſiones intentum eſſe oportet, ne lædaris. Velut ſi vt Chriſtianus viuere omnino decreueris, nihil autem detrimenti capere, omni ſtudio, vt in exemplo maneam, conquirenda eſt tibi vxor fœcunda: in quo ſi decipiaris, exſpectéſque fide conſtanti beatam illam vitam, nihili duces quomodocumque decedas, ſeu cum multis filiis, ſeu cum paucis aut nullo. At ſi non omnino tam diligens fueris obſeruator, nothis filiis ſuſceptis & vxore melius tractata, exemplo Stratonicæ Deiotari Galatarum Regis vxoris, quæ, quod ſterilis eſſet, filios ancillæ pro ſuis habuit atque tractauit, vt & ipſam ancillam quoque ab obitu coniugis, voto ſatisfaciens. Hoc igitur annon minus malum eſt, quàm repudiis locum permittere cum tanta rerum omnium perturbatione? Sed & ob id, quia, quæ dimitti non vult, vbi ſe propterea dimiſſum iri ſuſpicabitur, facilè procurabit vt etiam ex alio concipiat. Ergo fœcunditas ipſa, præter filiorum etiam propriam vtilitatem, multa bona alia affert. Iuuat etiam non parum, ſi immoderata non ſit, ad ſalubritatem corporis. Plæreque enim, vt experimento didici, mulieres ſteriles morbis familiaribus detinentur. Comprimitur autem nimia fœcunditas plerúmque filiorum propriorum lactatione. Quod tamen etiam in eorum vtilitatem cedit. Fiunt enim robuſtiores & incolumiores: quandoquidem naturale ſit veſci iiſdem aut valdè ſimilibus, ex quibus ſumus generati.

Verum quod ad affinitatem deligendam pertinet, hoc facilius eſt. Cogitare autem oportet, eas amicitias perpetuas eſſe debere ac plurimas: quamobrem, vt in amicis, delectus ille facilis & feſtinus eſſe non debet. Cogitandum enim, quod dici ſolet, amicus amici amicus non eſt: at omnes agnati cognatique vxoris affines tibi ſunt. Sed & primum illud ſpectare oportet, quod alij ne recordantur quidem, quod verò primum illis videtur, ſecundo loco habendum, ſcilicet attendere non quos habeas amicos atque affines, ſed quos potius non habere præſtet ac deuitare. Sæpius enim dixi, homines ad malefaciendum multo promptiores eſſe quàm ad benefaciendum, malúmque celerius inferri poſſe quàm vtilitatem, magiſque mala nocere quàm prodeſſe bona. Quibus ex cauſis maximè cauere decet, ne in incommodam affinitatem incidas, ac primum ne in decoctores: hi enim te tuáque abſument. Conſiderandum tamen eſt, quàm propinqui ſint, vt parentes vt fratres: nam ab aliis facilius te explicabis. Secundum genus eſt ſeditioſorum hominum. Nam ſeu fauere illis velis ſeu nolis, ex æquo fermè malum eſt: nam vno te in multa pericula deuenire neceſſe eſt; altero autem exiſtimationem læſeris. Tertium eſt, ne valdè pauperibus iungaris. Nam vel abſument te, vel miſereri tuorum non videberis. Cum verò nemo niſi tu ad eam te impulit neceſſitudinem, indecora etiam eſt huiuſmodi coniunctio tibi & ſocietati inepta, nec potentiæ vtilis, cuius vnius cauſa principaliter affinitas contrahitur. Quartum, ne illis te iungas, qui nihil penſi præter lucrum habent. His enim primum ſi non fidas, hoſtis fies; ſi fidas, decipient te; ſi ſpes lucri deſit, deſerent te. Quintum hominum genus eſt iniuſtorum. Nam quanto potentiores aut ambitioſiores fuerint, tanto erunt deteriores. Nam ſi cum vxore non conueneris, ſeruire illi propter affines cogeris. Ex his tamen ambitioſi longè deteriores ſunt, quoniam nequiores, & quia obeſſe poſſunt, non autem cum opus fuerit, prodeſſe. Vltimum genus ſtultorum eſt, quod ſæpius diximus nulli vſui aptum eſſe. Cauere autem inter cætera quàm diligentiſſimè oportet, ne non ſit ex affinibus vlla impudica: nihil enim deterius. Quocirca ſi externam duxeris, & commodiorem, & magis obedientem habebis, & affinium moleſtia carere licebit, nec in auxiliando multo minus proderunt, quàm ſi in ciuitate eſſent, modo non valdè procul diſſita ſit patria vxoris. Commodior ergo eſt vxor alienigena. Plurimum autem refert ad filiorum generationem vxoris nobilitas, tum ob venerationem & potentiam, tum ob honores. Et rurſus curandum, vt laborioſa ſit. Vili ergo & inerte peior eſſe alia non poteſt.

De dote dicebat Ariſtoteles, ſi locuples vxor eſt, imperare volet. Ob id rarò locuples vxor commoda, niſi ſola ſit, eamq; parentes exhibeant, priúſque mater eſſe incipiat quàm deſinat eſſe filia. Sic enim benè cedere res poterit: aliter, cum illam dominari neceſſe ſit, ordo omnium peruertitur, ac imperfectum perfecto dominatur. Quod tamen familiare eſt apud multos barbaros, præcipuè Belgas. Verum non eſt illa dominatio, ſed amplificata operum ſeruitus. Væniunt enim, emunt, mercaturam exercent & artes; viri bellicæ rei ſtudent. Itaque non eſt hoc in venuſtum, neque libertatis maioris ſignũ aut imperij in virum. Vxor autem opulenta, vt dici ſolet, inſolens domina eſt. Qua nihil apud Comicos vulgarius eſt, nihil à Satyricis magis exagitatum. Opes tamen ſint iuxta id, quod dici ſolet, Si vis nubere, nube pari. Pauper hoc habet impedimenti, quo non eſt aliud maius, quod neque pauperem commodè ducere poſſit neque diuitem, etiamſi contingat illum vxorem ducere. Nam vt à paupere grauatur, ſic diuiti ſeruire cogitur. Quamobrem nõ ſolum neceſſe eſt ſcire eum, qui volet vxorẽ ducere, quàm eligere debeat & qualem, ſed & vt ipſe ad ducendum paratus ſit atq; gubernandũ quam ducit. Aliter nãq; idẽ eueniet illi, quod his, qui equũ generoſum emunt, atque illum curare ac cuſtodire neſcientes, in admiſſarium vertunt.

Sed vt ista efficere queas, tribus opus est. Primò, vt opes honestas habeas, atque eas, si fieri possit, explicatas. Secundò, vt didiceris artem aut industriam, vt si accidat casu quodam euerti opes, nihil necessariorum desit. Denique, vt nullis detinearis impedimentis, quo totus vxoriæ rei vacare possis. Non frater tibi sit aut mater discors, sed diuisa hæreditas; non parentes, cum quibus malè tibi conueniat si supersint: aliter enim in inexplicabiles difficultates, vt multi solent, incides & miserrimam duces vitam. Quocirca amentis est, quantumuis bonam vxorem ducere inuitis parentibus, quantumuis legibus id non solum diuinis, sed etiam humanis permissum sit. Sed nos te non illicitis operam dare consulimus, verum honestis ac laudabilibus actionibus. Ideóque nec parentibus puellæ inuitiis, multo minus clam ducere vxorem, viri est prudentis. Tu demùm ea ætate sis atque habitu, cum prudentia, vt omnibus satisfacere possis. Ætate quidem, quæ neque ob adolescentiam, neque ob senectutem contemptui sit. Habitu, vt nuptialibus negotiis satisfacere egregiè possis. Prudentia denique, vt non solum regere domum tuaptè industria & vsu scias, sed etiam vxorem docere, quomodo debeat regere, atque illi imperare. Præter reliqua in domo habeas fidos famulos, fidissimásque ancillas, atque matrem, aut matronam aliquam tibi sanguine coniunctam, probam atque prudentem, custodem teneræ ætatis vxoris atque pudoris, & morum institutricem. Quæ si omnino desit, eam tibi compara ex vxoria domo, aut aliunde ampla mercede honestáque conditione allectam. Porrò de præceptis connubialibus librum magna cura scripsit Plutarchus. Vt ne igitur ob pauca meliora laborem extendamus, atque alienæ gloriæ inuidere videamur, ad illum te remittimus. Vnum solummodo monentes, & quod vt in omnibus conuenit, ita in hoc præcipuè negotio, nempè vt illorum præceptorum sententias non solum ætatis nostræ moribus ac legibus municipalibus, sed propriæ conditioni tuæ, tum statui præsenti, naturæque vxoris accommodes, velut in aliena veste quam tibi aptare velis.

Cum ergo vxorem, qualem cupis, aut nactus fueris aut formaueris, nunquam adeò illi fidere debes, etsi plurimum fidas ac fidere te ostendas, vt aliquam illi occasionem clam peccandi relinquas. Est enim & in viris suspecta fides post multa experimenta etiam, quanto magis in fœminis? Agathocles Archagathum filium ita liberauit, vt pro eo se morti exponeret: idem hostibus eum paulo post crudeliter necandum reliquit, nec solum ipsum quasi ex animo deleuit, sed & alterum Heraclidem, quem maximè diligebat. Proditionis plena sunt, vt dixi, etiam in viris omnia, quanto magis in leui illo sexu, inconstanti, stulto, infido, & libidine prurienti? Vidi matronas, quæ decem pepererant filios, eousque castas, mox leui momento tum, cum minus timebant, factas adulteras. Irritantur primum coniugum libidine in alias fœminas, ambitione ornatus, exemplo sociarum, solicitatione adulterorum, lenarum persuasionibus, memoria venereæ consuetudinis, tum maximè cum vir veneris impotens factus fuerit. Plato fœminam versutam appellat: Virgilius,

Varium & mutabile semper, Fœmina

dicit: & Tragœdus,

Dux malorum fœmina, & scelerum artifex.

Quid ergo, an semper metuendum? nunquam deliberandum? Scito castarum & in amorum mariti pronarum exempla pro miraculis recenseri. In quo Homerus iterum Virgilio præferendus, qui Vlyssem plus à prudentia in castitate Penelopes fouenda retinendáque laudauit, quàm in omni annorum viginti historia à tot bellicis factis egregiis aut in itinere superatis difficultatibus. Illud enim aut summam illius sapientiam ostendit, aut Dei curam magnam, quod Penelope totidem annis etiam aduersus procos incorrupta manserit. Vnum volo te scire, eum, qui velit in hoc mari tempestuoso absque naufragio euadere, cogi omnino vt aliqua contemnat. Nam si curabit, vt omnia bona habeat, æstu animi perpetuò flagrabit atque discruciabitur. Elige igitur, quod paruipendere velis. Scito autem me nunc à Philosophorum præceptis discedere, & vitam diligere popularem atque idiotarum. Sed tamen nolim te idiotam esse, & omnino à musis abhorrentem, imò stultum. Percurre tabellam totam, videas quid perferre possis, quibusque carere. Omnia si velis, nihil habebis. Qui mortem contemnere possunt, hi quidem & fœliciter viuere possunt sæpius, & semper haut infœliciter. Sed hoc durum est, & ad infœlicitatem vitandam quàm ad assequendam fœlicitatem pronius auxilium. Vnde nec tibi tanquam in deploratis rebus auxilium propono. Si enim potiri illo liceret, consulerem potius vt vlciscendo fœlicitatem, quàm moriendo libertatem tibi parares. Stultum enim est, eum, qui aliter potest, sibi tantum suisque mori velle. Sed video verba multa temeraria, hominem fortem non video. Ergo sumamus ex his aliqua, quæ sperni possunt. Inter prima, vt dixi, est filiorum solicitudo, qua qui carere possunt, non nisi magnis casibus infœlices fieri queunt. Sed sit tibi vt decet, vitæ cura, cura filiorum, ego paupertatem, infamiam, deformitatem, contemptum, exilium, familiarem leuem morbum, membrive imbecillitatem, inuidiam, amicorum paucitatem, infortuniáque illorum atque famulorum, lites, ingratos, inimicos, spes abruptas, humilitatem fortunæ, affinium incommoda, principum odia perferre posse videor, reseruabo mihi sanitatem, libertatem, vxorem pudicam, sospites filios fratrésque. Hæc tueri poteris. Ergo, vt dixi, in his cum necesse sit aliquid tanquam neglectum prætermittere, sunt qui omnem curam in opibus reponant duplici argumento, & quod aliis calamitatibus non commoueantur, & quod opum auxilio omnino habeantur. Nullum est tam dirum scelus, quod pecunia non diluat: nulla est tam magna calamitas, quàm opes non sarciant: nullum tam ingens periculum quod diuitiis effugere non liceat. Et ideò exclamabat ille, ô fortunatos diuites atque beatos!

Aurum per medias ire satellites,
Et perrumpere amat saxa potentius
Ictu fulmineo.

Si te caro, quam mordicus tenes, falsa imagine grandioris frusti magis mouet, suadeo vt cures potius mundiciem lecti, nitorémque domus, quàm quantascumque diuitias. Ergo liberalitas hæc est, & studium solertiáque, multitudine senum, puerorum, ancillarum potius obruere peccandi licentiam, quàm aut timore perpetuo teneri, aut suspicione discruciari. Si neque hoc placet, velut in desperatis rebus, quod improbæ quædam mulieres persuadere conantur scilicet nullam prodesse curam omittas potius diligentiam, arbitrióque fortunæ & fidei vxoris cuncta permittas. Nonne dici solet, mulieri ne mortuæ quidem credendum, nihílque esse fœmina pestilentius? Ita verò agendum, ne vnquam tamen illius fidei non credere videaris. Nam alterutrum vtroque modo eundem sortietur finem: bonum quidem, si fidere videaris; malum, si diffidere. Si enim casta est & fidas, amorem augebis ac fidem in illa; si non fidas, euertes vtrumque. Rursus, si diffidere te sentiat & impudica sit, effugiet laqueos; si non sentiat, illam deprehendes. Sed & intentum oportet esse hominem in hac cura, aut desere te. Nam stultum est magni æstimare aliquid & parui facere. O quot errores ex hoc mandato tolluntur, si obseruetur: admittuntur, si omittatur. Tanti facias, quanti æstimas. Si filium habes, & magno æstimas, magnam curam adhibeas: si negligis, parui æstimato. Sic de vxore ac quibuscunque aliis. Imò fac, vt aliquanto plus cures, quàm æstimes, si beatus esse velis.

Duabus à mulieribus simul perditum Herculem fabulantur Poëtæ, Iole per luxum, Deianira ob illatam iniuriam. Quo Herculis virtus ac sapientia designantur. Sapientes enim fortésque viri blanditiis muliebribus periclitantur, iniuria pereunt. Fac ergo vt ab iniuria omnino abstineas, & habeas illam, non habearis. Procryn ferunt castam fuisse, eandem tamen Cephali coniugis diuitibus promissis cessisse, dum illum non agnosceret, atque ita ab eo repudiatam. Vnum Argiæ, Adrasti Argiuorum Regis filiæ, in Polynicem exemplum admirandæ non solum, sed & constantis in virum pietatis pro miraculo memoratur. Ea sub ipsa nocte mariti cadauer contra Creontis tyranni etiam legem, inter tot putrescentia corpora, & nullo commodo, quærere, cremare, sepulchróque cineres mandare ausa est. Rem sanè memoratu dignam. Sed nullum penè iam triginta seculis intercedentibus simile exemplum visum est. Ergo iam de contumacibus vxoribus (hoc enim peculiare vxorum vitium est apud Christianos, ortum plerúmque ex securitate, quod coniugium dirimi non possit,) dicendum est.

Est autem familiare primum, cum priuignus est in domo. Oderunt enim illum nouercali odio tam vehementi, vt in adagium transierit. Vnde illud etiam,

Lurida terribiles miscent aconita nouercæ.

Belle apud Græcos Callimachus, seu quisquis ille fuit, lusisse fertur carmine, quod

Erasmus quia diligentius vertit, vt iacet, apposui. Est autem tale.

Exiguo lapide puer addit serta nouercæ,
Mutasse vt vitam, sic ratus ingenium.
At puerum extinguit tumulo, hæc illum ipsa. Nouerca,
Priuigni, exanimem vel tumulum fugite.

Quid si ament? Crede libidinis causa id fieri. Sic Phædra Hippolytum, Arcia Agathoclis Archagatum, Stratonice Antigonum, nouercæ priuignos dilexerunt. Est enim fœmina, vt Quintilianus refert, indomitum animal, & naturæ impotentis. Cœlius Rhodiginus vnde sumpserit nescio, sed δεκαπλασίως, *decuplo* magis affectari concubitum à fœmina grauida, quàm à mare, scriptum reliquit. Itaque vbi in hanc effrenem ἐπιθυμίαν, libidinem ruerint, nullo reluctante aut quàm minimo rationis imperio, omnia euerti necesse est, nec vlli parcunt periculo, omnia æqua ducunt, honesta, turpia, iusta, iniusta, pia, impia, decora, indecora. Sic apud Euripidem fœmina magnum malum dicitur. Citabo ex Hippolito tria illius carmina:

Τούτῳ δὲ δῆλον, ὡς γυνὴ κακὸν μέγα.
Προσθεὶς γὰρ ὁ σπείρας τε καὶ θρέψας πατὴρ,
Φερνὰς, ἀπῴκισ', ὡς ἀπαλλαχθῇ κακοῦ.

Ait, aadeò malam rem esse mulierem, vt etiam pater, qui genuit, posteaquam educauit, etiam dotem addat, vt possit malum exonerare. Sed hoc poëticum est atque ridiculum. Improba tamen muliere vix quidquam sanè inueniri deterius potest. In tam ancipiti autem malo audiendi non sunt, qui vxores verberibus cogendas existimant. Est enim hoc auxilium seruorum, atque puerorum, quorum contumacia vi, carcere, verberibus, inediáque frangenda est. At si in muliere id tentaueris, prorsus omnia euertes. Quod si contumacia processerit, nullum tibi superest auxilium, maximè vbi de salute filiorum periclitaris. Tentabisne vicinorum, vt quidam faciunt, admonitiones? Næ id quidem turpissimum est & tibi indecorum, & via ad magna mala. Attamen apud illius parentes ac fratres conqueri, postquam illam quàm diligentissimè admonueris, è re forsan erit. Quod si nec hæc profuerint, scito melius esse, improbam vxorem iustas dare pœnas, quàm iniustas insontem filium. In filiis verò tentabis omnia humana atque diuina auxilia, antequam amandes illos è domo. Quod si aliter nequeas, amandare oportet & nutriendos tradere affinibus ex priore vxore, aut magistris ludi literarij. Scito tamen te parum iudicio in eligenda vxore valuisse.

Tria igitur præter reliqua auxilia, quæ alias recitaui, hoc in casu conuenire existimo. Primum, vt ad religionem te conuertas. Multum enim in fœmineo sexu pietatis opinio valet, & suadere pietatem, diuinum incutere timorem, præmia & pœnas à morte memorare. Sed si ad hæc surda fuerit, vt & ad seniorum sacerdotum monita, vt à concubitu illius abstineas suadeo: aliquæ enim hoc metu domantur, quoniam libidine pruriunt. Quod si ad hæc vires non sufficiant, non iam iudicio aberrasti in ducenda vxore, sed planè stultus fuisti.

CAPVT IV.

De Vxoris Contumacia.

VErum si nec hoc præsidio vincitur, sed potius irritatur, specta quo tendat hæc contumacia: forsan enim amouere testes cogitati sceleris sui properat. Tum verò in alio genere calamitatis, de quo paulo post agendum erit, constitutus iam es. Sed si Xantippe est, non Helena, nihil tandem melius est terrore ingenti ac diuturno, quem aliqui per laruas & fabulas exornant; alij per casum in flumen, quod sanè tutissimum est; alij per prædones ac latrones; nonnulli, quod periculo non vacat, per contumacem equum. Per magistratum in mulieribus honestis minimè licet. Sanè rem te docui, tu modum inueneris. Noctu vt facilius est, ita minus constans. Diximus in libris de subtilitate fuisse quibusdam repente capillos in canitiem immutatos, atque hos cum capillis mentem mutasse: refrigerato enim cerebro stabiles atque moderati euasere. Præter omnia ita agendum est, ne vnquam rescifcat ioco aut dolo rem peractam. Nam præterquam quod odio semper te prosequeretur, etiam officiet hoc morum & impotentiæ mutationi. Nam non solum ex repentino illo casu immutantur ardor & effrenis illa petulantia, sed diuturna meditatione præteriti periculi indies magis proficiunt. Quamobrem per fidos ac tacitos, ac si fieri potest, quorsum res tendat nescientes, sed serio agi existimantes, res peragenda est summo studio. Est enim maxima res, hominem redimere, & à mortuis quasi suscitare. Memineris etiam, ne magis, quàm velles, serio agatur res. Statim verò à metu incusso, oportet frictionibus vti, sanguinem mittere copiosum, habere in custodia diligenti, curare vt quàm tenuissimo victu vtatur. Nam præter id, quod hæc ad delendam suspicionem fuci, tollendúmque periculum faciunt, etiam ad rem ipsam conducunt. Multum enim medicamentis, præsertim ex helleboro, inediáque extenuato corpore, cogitationéque per tot auxilia confirmata, temperatura, mores, impetus animi, ac peruicatia commutantur. Licebit per eadem tempora suturam coronalem ita ab osse detegere, vt solidata cute insensile vestium (quod tamen nondum sum expertus,) suturæ nudatæ relinquatur, ita vt vapores extra possint, intro aqua ferri non possit. Ex amuletis autem (si quid talia possunt: cogor enim id addere.) licebit, quod sequitur, adhibere. Colloca Iouem cum stella suæ naturæ aut solis, aut saturni, aut veneris vel mercurij in tauro vel aquario, & lunam cum illis in ascendente vel decima aut vndecima domo, & insculpe topazio vero aut gagati aut hyacintho vel smaragdo figuram viri mortuum filium coram se positum lugentis, & è collo suspende. Quod si istud non proderit, ad alia amuleta transeundum, & sanguinem asini destilla & da in potu. Aliud. Cape pullos turturis, & decolla, sanguinémque & iecur & caput & corda destilla, & offer potendum. Dabis etiam ossa capitum contrita. Aliud. Radices palmarum masculorum & fœminarum distilla simul, & da in potu. Rursus sanguinem tuum destilla & da in potu. Referunt chelidonium in sinistro brachio gestatum aut arietem chalybeum, facere obsequentes fœminas. Elisæ medullæ & destillatæ in hominibus conciliant amorem. Contumaciam frangit os fractum, vt expertus sum. Sed & exemplo frangitur contumacia. Vt enim Florentiæ olim diu coram leone percusso cane leo mitigabatur: ita domesticorum atrocibus suppliciis, vultu ad iram semper composito, omnibus blanditiis semotis, sublatis obsequiis, inductáque muliere duplo magis contumace, frangetur contumacia tuæ. Leporis quoque carne fac vt assiduè vtatur, vt & cuniculorum. Inuictam sæpius terreas, milléque incommodis afficias. In itinere deductam equo strigoso & imbecilli faméque enecto cogas per lutum, per aquas, nulla venia, nulla misericordia pertinaciæ pœnas dare, blandis verbis vtens.

Sed quid interea commodi? An vt Socratis instar pati solum discas? Minimè: sed sunt omnibus vasis sua opercula. Primum, si finxeris nolle quod velis, habebis obsequentissimam, dum repugnare se tuis mandatis existimat. Secundum, licebit tibi omnes sumptus circa illam tollere aut minuere, quod & necessariò erit faciendum. Tertium, quod aliàs dolores, licebit in lucro ponere, si ægrotet, vel aliquo infortunio graui afficiatur, aut omnino pereat Lætúsque viues, vtram in partem alea ceciderit, seu benè seu malè se habeat. Multum autem, vt dixi, refert, posse in vtramque aurem securè dormire. Quartum, quod si quæ euenerint infortunia in domo, omnia ad illam referre studebis: vt victa malis succumbat, & te ab infamia leues. Ita & filios foris educare præstat, vt & hi obsequentiores euadant, & illam quoquomodo vlciscaris. Neque enim paruum est, solicitam semper habere matrem de filiorum salute, & illam consuetudine aspectúque eorum priuare. Sextum commodum est, quod domestico tædio grauato licebit diutius à domo abesse. Quod & fecisse Socratem existimo: toties enim dies foris disputando sæpè consumebat, quod si deesset concertator, in porticibus deambulabat, solus obsonans cœnam, vt dicere solebat. Septimum, non leue est viro auxilium, ab vxorum congressu legitima ex causa abstinere posse. Nam & ad sanitatem corporis non parum id vtile est, & modestiorem hominem reddit, & ad negotia magis aptum, & mulierem temperantiorem efficit, & minus coniugi familiarem: ac quasi pœna illi nec leuis est, videre se sperni atque contemni. Octauum, vt iure nulla in re obsequi illi tenearis. Itaque non domo illam exire, non ad conuiuia ire, non pompas videre, non in villam pergere, aut ad templa magnifica procul visenda, permittes: non cameratum illi carpentum emes, imò ne conduces quidem, non pedem domo eam efferre sines, nec ad illam ventitare socias: ita tibi vni inseruire ac domum curare cogetur. Tu verò extra domum conuiuia celebrabis, iocos, gaudia, illam suo malo mulctandam relinquens.

Sic vel ea tot modis oppressa, vexata, fracta, ad obsequium redibit, vel tu illius contumacia commodè vteris. Tu quoque querelus mœstúsque

stisque quotidie illam exagitabis; modestè tamen & citra iram clamorésque ac probra. Licebit & tutius tua seruare, ancillæque cuncta committere, à qua liberè possis credita reposcere. Nam si rectè se gerat vxor, omnia illius fidei, non alterius, vt etiam claues committere conuenit: ita enim rebus tuis melius consules. Hoc etiam prætextu custodias ad pudicitiam seueriores adiicere licebit. Ob id mœchæ callidiores obsequentissimas plerúmque se viris præstant, vt facilius eos fallere possint. In vniuersum, nihil non commodi viro prudentissimo vxor contumax præstare solet. Tui tamen muneris est, ob charitatem ac decus nullum prætermittere officium monendi, deprecandi, consulendi, obtestandi, persuadendi, disputandique cum illa, ac rationibus conuincendi, vt melior efficiatur. Nam tutissima est hæc via, si capax mulier ad viri obsequium rationibus potius quam vi aut incommodis victa redeat.

Quod si aliis ex causis quàm priuignorum contumax euaserit, quamquam eadem sit curandi ac fructum colligendi ratio, attamen diligentissimè cauere debes, ne vllam occasionem iustæ querelæ illi relinquas, quod multi faciunt aut meretricibus operam dando, aut concubinam habendo, aut etiam aliquid turpius admittendo. Ne irrites etiam desidia tua aut auaritia aut contumacia aut iniuria, aut obiiciendo illi affinium ἀχαριστίαν, aut casus errorésque familiarium. Nam ab his omnino abstinebis, eamque hac vna ratione tractabis, vt velles tractari si tu vxor, illa autem maritus esset: aut filiam tuam, quàm alteri collocasses in matrimonio. Atque hæc est vna quasi generalis ratio tractandi domesticos omnes & amicos & clientes, non solum vxorem: vt scilicet commutatione personarum facta diiudices quid expediret, quidque iure optares. Aliter si feceris, vel iniuriam illi inferes, quia nil deterius, vel non emendabis quidem tu contumaciam, sed præter id etiam reddes impudicam & adulteram.

CAPVT V.

De Adultera Vxore.

SI igitur adultera euaserit vxor, aut vt fiat operam det, magno certè malo vexaberis. Mœcha odit coniugem, infamat illum, contemptuíque omnium exponit, insidiatur vitæ eius, filios supponit alienos, domum dilapidat & euertit. Id seu rescíscas, seu non rescíscas, miserrimus es. Fuit ob id merito hoc crimen maximè Romanis, Iudæísque pariter inuisum: sed & nunc Mahumetanis. Sed, proh hominum mores! quod inter maxima olim erat, nunc negligitur: quo tamen nihil profectò aut reipublicæ aut priuatæ tranquillitati ac securitati perniciosius est. Hiettus Argiuus legem primus ante Draconem in adulteros sanxit. Extat & lex Iulia de Adulteriis. Antomedontis Epigramma non ignobile è Rhodigino proditum est, quod nos sic extemporaneæ vertimus:

Felix primũ ille est, qui vrgetur fœnore nullo:
Inde cui nulla est vxor, & inde puer.
Si furor impulerit, nummatam ducere oportet,
Vt vadas celebres sponsus ad exsequias.
Quas tu si cures subito, iam victus abibit.
Ipse Epicurus. Habes, quid facere expediat.

At nimis periculi est in nuptiis, in quibus aliquid esse potest morte grauius? Omne bonum cum miseria coniunctum est. Sed necessitate ducimur? Vitanda est ergo omnis occasio tanti mali, nec vllis sumptibus parcendum. Sed quis custodes custodiet ipsos? Olim & nunc apud Turcas Eunuchis vtuntur. Sunt enim mulieribus prudentiores & vigilantiores. Christianis cum essent omnia auxilia conseruandæ pudicitiæ præter vnum erepta, etiam illud vnum reliquum adeò labefactatum est, vt nihil sit iam apud nos durius ad ferendum aut grauius. Verum annitendum est in difficilibus, maximè cum nondum flagitium admissum est. Tametsi adulter opinione animóque ac meditatione, non concubitu, vt Aristoteles vult, definiatur.

Habet ergo miser maritus malum in domo extraque, vndique vis & insidiæ sunt, nec tamen interficere licet insidiantem, quamquam id etiam, cum diuortia essent licita, permissum esset. Neq; etiam dimittere potes, & si dimittas, aliam ducere non conceditur: tu interim cum infamia maximè & ingenti periculo viuis. Nam te sublato maritum alium ei ducere licebit. Lex enim victis à victore imposita. Sed nec Romani eousq; processerunt, vt quamuis in seruilia corpora puerorum atque puellarum quodcunque libuisset, liceret, in nuptiis hoc concedere aut pati voluerunt: adeò exhorruerunt etiam in ancillis nomen adulterij. Sed nec conuiuere tutum est, nec deferere potes sine maxima infamiæ nota. Quin etsi, si filij incerti nascãtur, hos alere graue sit ac turpe his, qui rem norunt: abdicare tamen & exponere, crudele, deforme, inuisum est.

Malim ego tamen Antistium veterem, aut Sulpitium Gallum, vel Sempronium Sophum imitari, & diuertere ab vxore; quàm Metellũ, & esse vxoris. Sed quoniam nec hoc nec illud placet, Christi potius mandatum sequi oportot. Custodes nuntiíq; vicissim abigendi. Sunt qui putent vim esse chrysolito vero: ego vtar, non fidam. Ante tamen quàm cadat, alleuanda est, si rationes prosint. Ostendere oportet quantum mali filiis, quantum dedecoris affinibus, quantum turpidinis sibi, quantum damni domui, quantum periculi marito ex leuissima re afferat. Sed vbi dictis non audientem videris, ne perseueres. Sed statim, simulata omnium inscitia, quàm diligentius potes, occulta illius ac tui turpitudinem. Si capax est rationis, meminisse ne pigeat breuitatis vitæ, exspectationis fortunæ, diuinæ potestatis, quantum decoris in pudicitia, quantum ornamenti in honestate, quantum voluptatis in tranquillitate vitæ sit. In extremis malis etiam leuissima auxilia, etsi ἡ ἐλπὶς ἀνέλπιστος, *spes desperata* sit, tentanda sunt.

Alterci semen, nigráque papauera iunge,
Conion ac strychnon, tum sæua mẽbra rubetæ,
Suffitus facito: cohibent incendia amoris.
Suffitus facito humano permixta cruori.
Fœmineam rabiem sic tolle, scoposq; quaternos,
Securúsque tua spectabis vincula mœchæ,

Sunt qui existiment viticis folia pro pluma supposita, & caphuram odore suo ad castitatem tam masculos quàm fœminas ducere. Sed postquam ex vario concubitu filios nasci contingit, qui nostri non sint, angimur frustra: totidem enim filij tot curæ sunt. Beati qui plures habent, quàm credant: miseri, qui plures habere se existimant, quàm habent.

Verum illud dubitatione dignum est, An amor in filios diuidatur, an singulos ita amemus quantum omnes simul, aut quantum si singuli vnici essent? Mihi sanè videtur neutro modo. Nam qui vnicum amittit, minus amittit, quia minus sperat, & minus tutum existimat. Quantum verò à securitate abest, tanto minus tutum est. Præterea stultum esset credere, cum quis habet quatuor filios, in eos amorem velut hæreditatem diuisisse. Nam hæreditatem eo animo diuidit, vt si posset, singulis totam daturus esset: sed quia non potest, (obstat enim amor cæterorum,) ideò portionem tantum singulis distribuit. At amor vnius aliorum amori non officit. Singulos igitur quantum omnes simul amabit. At dices, si tamen ei, qui quatuor habet, vnus pereat, & ei qui vnicum, etiam is pereat, dolebit hic longè plus quàm alter? Vera refers: quia ille spe posteritatis destituitur. Hæc autem per capita diuisa cum sit in eo, qui tantum vnum habet tota in vno residet. Amor autem indiuiduus est. Se iungere enim spem illam ab amore decet. Ipsæque res adeò inuicem distinctæ sunt, vt quidam, quamquam, ament plurimum filios, de posteritate non curent. Indicio est, quod nihil curant seu nubant seu non, seu etiam phratriæ se inserant, vbi viget votum castitatis. Rursus obiicies, si sint alicui decem filij, plus tamen longè dolet, si duo pereant, quàm si vnus, tametsi tamen duobus pereuntibus inter tot spes posteritatis vel minimum minuatur. Non videtur etiam amor filiorum esse in singulis totus, postquam adultos magis quàm pueros amamus, probósque & eruditos & ornatos magis quàm desides & contemptos, & quos habuimus, si perierint, magis quàm illos, qui postmodum suscepti ad eandem tamen ætatem peruenere. Respondemus, amorem summum esse in filios cum ad ætatem constantem peruenerint, & non sint tales vt pudeat nos habere. Nam tametsi amor summus non possit augeri, non tamen omnes filios quantum nos ipsos diligimus: hæc enim est perfecti amoris meta. Sed alios quidem ob teneram ætatem, alios ob valetudinem minus prosperam, alios ob vitia minus amamus. Cætera quidem manifesta sunt: sed de ætate id accidit diuina prouidentia, ne nimio amore victi parentes absumerentur, quando mori contingit. His etiam accedunt sumptus atque labores, pari fermè excessu laborum in matre & sumptuum in patre. De his verò qui perierint, ratio per se clara est, quoniam reliquos non confidimus eò posse deducere, quò illi, si fuissent superstites, peruenissent.

Quod autem duorum mors magis torqueat quàm vnius, tametsi de spe posteritatis paulo plus imminuatur, id accidit, quod maius subiectum nostri amoris deficit ex duorum morte quàm vnius? non quod maior amor sit duorum quàm vnius. Veluti si vnus ex decem hodie moriatur, parentes extremo dolore afficiuntur, quod illum quantum ipse ipsos diligerent: si autem post quindecim dies pereat alius, desinit & subiectum alterum immensi illius amoris. Ideò cum totus amor in vtroque & sui ipsius par desinat, in vtroque repetitur hæc iactura, non quidquam superadditur. Finge aliquem mori, nonne extrema patitur? fac vt reuiuiscat, nonne, cum morietur, parem subibit dolorem priori? non tamen duo hi dolores vno maiores sunt, sed repetiti. Ergo qui plures habet filios, tanto infelicior est, quanto spe securior atque, dum fruitur, absque incommodo beatior. Cæterùm in singulis immoritur, dum aliquis perit. At quia, dum fruitur, felix est, voluptas, quam ex viuentium consuetudine capit, minuit illum dolorem. Ex quo luce ipsa perspicuum magis est, quantum dolor in casibus filiorum maior sit voluptate, qua fruitur dum sospites degunt, postquam in vnius obitu plus mereatur, quàm in decẽ, qui adhuc supersunt, incolumitate delectetur. Hac igitur de causa filios suscipere plures neglexerunt. Sed de his hactenus. Ad commoda ex vxoris improbitate suspicienda sermonem transferamus.

Principio ex hoc sumpto, quod plures mulieres, quæ steriles manserant apud coniugem, postquam ex adultero conceperunt, cum marito etiam fecundæ factæ sunt. Quod quamquam iuxta criticos nostros & sapientes ac morum censores absurdum videri possit, his tamen qui res ex iudicio recto expendunt, intelligúntque quantum inter fumum & corpus, inter præsentem gloriam & rem immortalem intersit, forsan probabitur. Ego vnicuique liberam relinquo de controuersis æstimationem: de re autem, quod sæpè eueniat, non ambigo. Nam ex primo conceptu venæ vteri dilatantur, vterus ipse incalescit, intemperies, si qua dominabatur, corrigitur, purgantur loci: ideóque infœcundæ, vsu fœcundæ fiunt, sicut nimio vsu fœcundæ sterilescunt in posterum. Accedit, quod si natis filiis infortunia accesserint, vt quasi de dubiis minus doleas. Adeò vt, sicut dixi, (nam attentum te esse oportet non minus quàm in physicis disputationibus,) non in opinione, sed in re hæc felicitatis ratio à filiis sumpta constet: aliter enim non secus ac stulti, qui se aut reges aut deos esse putant, falsò beati essemus. Præstat autem filios habere quamplures & existimare de paucissimis. Nam amor ille tam immensus paulo minus etiam anxiè sperando nos torquet, quàm timendo solicitè perpetuò malè habet.

Quid igitur obesse potest, si ea suspicione tanquam leui aura filiorum illa immensa cura temperetur? Deinde multitudo illa fratrum ac sororum sine dubio tanquam fasciculus virgultorum ad omnem fortunæ impulsum melius resistit. Si enim pauperes sint, opera mutua se iuuant, & etiam plures emptores operum suorũ inueniunt. Si diuites, tanto honestius vitã degunt. Solitudo nihil boni affert, sed pericula & contemptum: ipsi autem metum ac suspicionem, quibus semper affligitur miser.

miser. Si etiam diues sit ac potens, plerumque aliis filiis vtilis erit. Vidi duos adulteros, quibus satis non fuit filios proprios ditasse, sed etiam illegitimis multum prætulerunt, auctisque eorum patrimoniis egregiè illos iuuerunt. Quin etiam, cùm eorum alter princeps esset, & potentia & nobilitate res priuigini (ita enim appellabo) stabiliuit. Turpè auxilium sanè: sed & turpem quæstum ex lotij vectigali Vespasianus Imperator non spreuit. Adulteria certè mala sunt, & fæda atque execrabilia: sed tamen si ætate iam constanti incidant, & in sapientes viros, non parum etiam vtilia sunt maritis. Vt infausta rursus cùm adulter adolescens, pauper, improbusve fuerit. Ita in quibuscumque etiam pessimis rebus si honestum, si bonum inuenire non liceat, licebit saltem ex illis persæpè decora atque vtilia aliqua assequi.

Sed & mulieres adulteræ filios procreant nobilioris ac præstantioris ingenij, & formæ elegantioris. Vnde spurij multi ad maximos fortunæ gradus peruenere. Quinimo Augustinus pluribus modis infensus illis, tamen vniuersi imperio existimauit. Certè Romulus, quem postea Deo genitum ferebant ad tegendam turpitudinem, ex incestu non dubiè natus est. Quid de tot Herculis filiis, qui gestis illustres fuere, vrbes nouas condidere, regna sibi acquisiuere, annon ex adulterio aut incestu omnes fermè concepti sunt? Et ipse Hercules primum, cùm ex Amphitruone Alcmena genuisset Hiphicleum, spurius natus est. Et Apollo & Mercurius & quotquot nobiliores viri pro diis habiti sunt, spurij fuerunt. M. Brutum C. Cæsaris filium fuisse, & Tiberium Augusti, constans, vt dixi, fama est. Nostris fermè temporibus magna & splendida Italiæ fax adulterino concubitu natus esse creditur. Quis Agathoclem figuli filium fuisse crediderit? Quosdam noui claros virtute, viros, qui aliunde originem & vitæ & potentiæ duxerunt. Auctores libri Sententiarum & Decretalium fratres fuere, amboque ex nefario concubitu geniti. Sed & tertium fratrem non minus egregium eadem fortuna natum constat. Iasonem Maynum, Iurisconsultorum decus, sordidis natalibus fuisse omnes norunt. Sed ne forsan extra propositum loqui, videar, alium noui eo ipso maiorem è coniuge natum, quamvis mœcha matre. Obsonant, vt puto, melius adulteræ pudicis coniugibus, adeò vt nisi rescifcant, amentur etiam ab viris magis. Beatos noui quosdam in illarum illecebris. Calidiores sunt impudicarum filij, & vafri & astuti ac prompti: adeò vt etiam in Italicum adagium venerit, filius mœchæ. Ego sane alteri has delicias relinquens, cùm vxoris casto pectore, etiamsi rudes sint blanditiæ & inconditæ querelæ, amplexúsque incompositi. Poppææ Sabinæ & Agrippinæ Thaidisque suauia ac prurientes concubitus non commutauerim.

Verum cum videam vale dictum sinceritati, veritati atque pudori: apertos autem vndique dolis, fucis, illecebris ingressus, dulcéque existimari etiam scire se captari, velim vt intelligas nihil hac in parte dulcius aut suauius mœchæ moribus esse. Illa primum venienti tibi occurrit, ornata vestibus, blando vultu, corpore gestienti similis, redolens amomum, fragransque cyprias delitias, comto crine, aureo reticulo, gemmis intermicantibus. Inter oscula atque amplexus, quasi abfueris cum Vlysse errante viginti annis, interrogat ac queritur, cur tamdiu absentia tua illam torseris? Inde narrat quæ gesserit, quæ composuerit, quæque etiam audierit. Nec pigebit candidulos videre dentes, halitumque oris suauem sentire:

Dum multo lepore tibi melliflua verba
Ornato quales fundit de vertice flores
Terra parens, cum se confesso iunxit amori
Iuppiter & toto concepit pectore flammam.

Excipit inde parata mensa, postulátque narrari tua interim ingentia facta, non sine suspitione noui amoris, qui te torqueat; petiturque puella illa, quæ te distineat tam anxia cura: interim,

Vrit grata proteruitas,
Et vultus nimium lubricus aspici.
In te tota ruens Venus.

Accubitur per hæc opiparis epulis, suppellex nitida, omnia munda, decora, splendida, & quod narrari honestè non potest, voluptate incomparabili peragitur. Dispeream, si, qualis est exterius mœcha, interius talis esset, ni omnes viri cuperent vxores suas similes moribus ac forma mœchis habere. Sed cum sint velut principum sepulchra, exterius Deorum sacrariis pulchriora, nihilosecius tamen nihil intus cæteris continent melius: sic impudica vxor fœdissima est & passim prostituta meretrix. Attamen hoc tempore virorum multi adeò optimo sunt stomacho, vt non solùm ferre possint, sed libenter videant psitaccos, cercopithecas, tabulásque inusitati & tessellati operis, damascenáque vasa, postquam cessere Corinthia, & coronas, monilia, gemmas, scyphos argenteos, aliáque dona, vt ferunt, sociarum amicorumque maritalium, lenocinante coniuge. Vtque liceat commodo vti, ne vestibus sumptum faciat, ne in equis alendis, ne in familia aut apparatu mensæ, omnia subministrat locuples amicus & Ciceroniano illo tam laudato melior. Et postquam tapeta picta & sericea abundant, ostro valediximus. Fructus præterea præcoces & quidquid vspiam rarum est, in mensa elegantissimæ fœminæ visitur etiam ex Indiis petita, vt dicas principis, non adulteræ esse apparatum. Hæccine tanta commoda his temporibus, vt præsertim spernere potes? Cùm & fauores inde ac defensores certos sis habiturus? quin etiam optas? Noli autem timere: quod enim olim legibus acriter vrgebatur, nunc etiam defenditur.

Quamobrem si securitati, si vtilitati, si laudi & potentiæ consulere velis, non est, quod equidem videam, cur non vxoris crimen hoc inter commoda & felicitates atque miserias reponas. Eia igitur macte virtute vir, & postquam tantis bonis & præclara libertate, quæ summum est mortalibus donum, frui tibi licet, ne iam amplius querare, mœcham esse vxorem.

CAPVT VI.

De Filiorum cura.

PRoxima huic, sed principalis filiorum cura habenda est; vt quorum virtus ac fortuna omnis parentibus solatio sit, & in eorum propagatione spes ipsa æternitatis, nec quid tam infelix in nobis quod in prole emendari non possit. Nos senes sumus, illi iuuenes: nos ægri, illi sani: nos debiles pauperes, contempti, illi robusti, diuites, æstimati: nos cum inuidia & inimicis exulésque, illi grati, cum amicis & in patria. Denique nihil tam graue est in parente, quod sperari non possit mutandum in filio. Non est, vt in vulgari re & tam frequenti quæram exampla: illud hic satis est, in hoc vno casu contineri felicitatem & infelicitatem humanam. Scipio senectutis est filius bonus & felix, vades propagationis, imago parentis, spes æternitatis, & virtutis resurgentis certum præmium.

Vt verò felicitatis reliquæ partes, virtus scilicet & sapientia, sinceriorem beatitudinem afferunt, ita filij fructuosiorem & pleniorem. Sed tantò difficilior est cura & incertior euentus. Adeò vt ob hoc non pauci curam hanc è felicitatis corpore ex toto segregauerint atque seiunxerint. Verùm nulla est huius contemplationis nobilior pars, non solum propter optimum fructum, quem ex ea capere licet, sed etiam ob difficultatem atque indrustriam. Sunt enim rara pretiosiora, & quæ magis laboribus comparantur chariora. Memineris autem, vt aliàs te monui, eum qui hæc curat, debere ibi habitare, vbi leges sint optimè constitutæ, omnisque æqui ac clementiæ & seueritatis ratio habeatur: ne, cùm omnia rectè peregeris, violentus aliquis casus aut ambitiosum iudicium plurium annorum laborem & spem surgentem abripiat, dicereque cogaris, oleum & operam perdidi, vt in adagio est. Quin ne ob aliud quidem magis patriam eligere conuenit quàm ob filios, nisi miser esse velis. Itaque, vt supra dixi, exilium inter mala connumerandum non est, nisi admodum paucis. Namque pluribus in locis non esse, quàm esse præstat. Sed hæc relinquamus, propositum persequamur.

Filiorum res in tribus consistunt, in generatione, in salute, & educatione, quæ plurimum potest in hoc vt præstantes sint atque felices. Vt igitur omnia hæc contingant rectè, maxima pars, vt dixi, in coniugiis reposita est. Vt verò coniugia ritè se habeant, in legibus maxima ex parte consistit. At leges ibi rectè habent, vbi μοιχάγρια exercentur iustæque pœnæ deprehensis in adulterio irrogantur: non verò vbi κορινθιάζειν seu lenoniam profiteri licet & impunè alienum thorum conscendere. Romanorum hoc decus fuit, qui quod agnoscentes optimum esset, virtutem voluptati omnibus etiam aliis in causis præposuere. O quàm malè consultum est regnum & gentis saluti, vbi illis, vt illicitis & incestis suis libidinibus potiantur: non sufficit omnia agere, quæ lubet, sed etiam vt deterreant populos, vindices tanti sceleris, qualitercúmque id vlti fuerint, acriter puniunt, aut, vt puniantur, vrgent vel permittunt.

Quod itaque ad generationem liberorum attinet, primum eligenda est mulier ad hoc apta. Qualis est quæ ætate nec acerba nimis est, nec prouecta. Talis censetur à decimo octauo ad trigesimumquintum annum. Verùm si iuniori annos quatuor addes, seniori quinque auferas, optima relinquetur ætas. Tum quæ habeat menses statis circuitibus, multitudine & tempore ac qualitate conuenientes, hoc est, nec abundantes nec pauciores nec albos nec fœtidos, qui diutius profluant. Quæ etiam circa vterum maxime sit incolumus: cuique circa illum non dolor sit, non tumor, non luxatio, non obliquitas, non collum constrictum, non pituita defluens. Sit quoque puella ex parentibus, quibus plures nati sint filij, & qui vel omnes superstites, vel casu aliquo, non morbo absumpti sint. Super omnia cauere expedit, ne comitiali morbo in pueritia fuerit obnoxia, aut temporis successu tabi. Quæ etiam fœcundæ futuræ sunt mulieres, non debent admodum aut graciles esse, quoniam non ferunt, aut obesæ, vix enim concipiunt: renibus autem firmioribus, nam tales non facilè abortiunt. Id autem ex laborum tolerantia, ex laterum firmitate dignoscitur. Porrò fecundæ mulieres plerúmque boni coloris sunt, musculis prædítæ validioribus, lato pectore, ventre rotundiore & maximè inferius. Hippocrates explorabat fecundas puellas, mulierésque linteo mundo capiti circumdato, & supposito ad os vteri galbano aut allio, vel artemisia aut melanthio. Si enim manè caput galbanum aut allium olet, fœcunda est, aliter non. Nostra autem ætate moschum suffiunt atque subiiciunt vesperi, manè basia puellæ redolent moschum. Quæ verò fœcundas faciunt mulieres, sunt cibi solidiores, animaliúmque facilè concipientium, vt leporis, cuniculi, damæ, pullorum, perdicum, similiúmque carnes, & polypi parui: succus item saluiæ ex vnciis septem potus: item artemisia, mercurialis, & alia quæ vterum siccant, vel quæ sunt in genere suo luxuriantes, vt parietaria. Exercitatio etiam valida & diuturna tam maribus, quàm femellis vtilis est: nam materiam seminis, quæ per totum corpus sparsa est & humida, aqueo absumpto solidiorem ac puriorem efficit, vt postmodum melius in testiculis concoquatur. Semen enim aut à toto deciditur, aut à præcipuis partibus, vt corde, cerebro, iecore. Labor etiam profundiores gignit, ex quibus coctio vbique melior celebratur: ex coctione autem semen densius atque fœcundius fit. Quo fit, vt nec frequens coïtus ad generationem vtilis sit, quia semen non absoluitur; nec rarior plus iusto, quia corrumpitur. Indicio est lassitudo, fastidium, nausea, & in mulieribus retento semine hystericus affectus. Dum verò generationi vacas, semove omnes curas, & profundas contemplationes ac seria studia, otioque & iocis te trade. Sic enim facilius generabis & vegetiores. Ex his verò

quæ

quæ proprietate conferunt, credunt esse hirci aut cerui testes & vterus leporis & erinacei caro: mandragoræ quoque & fœniculi radices cum vino coctæ, addito melle: nepeta etiam & calamentum odoratum & iris illyrica, galanga, spica nardi, staphisagria, piper, & myrrha: visci quoque fructus contritus & scobs ligni cupressi. Artemisiæ quoque & rutæ aut cicutæ vel periclymeni folia. Acanthidis etiam radices tusæ & pinsitæ in vino albo coquantur & addatur cor cerui in cinerem redactum & cum tragacantho detur in potu. Iuuat & radix aquaticæ plantaginis cocta cum melle, addito cumino. Facit & nasturtium huc, & spuma ruminantis capræ in potu dota. Cùm maxima autem efficacia idem Mithridatis Eupatoris Diascinsci antidotum. Inungantur etiam virilia & in vuluam introducatur pessarium cum lana ex vulpis stercore & sanguine leporis: item centaurium cum terebinthina resina & lana. Plurimum verò ad conceptum facit, si mox à purgationibus & post somnum ac quietem diuturnam concumbant vir & mulier. Pingui autem viro macilentior fœmina iungatur, & è contra: item rubro pallida, & è contra. Atque ita seni iuuencula, iuueni autem quæ adolescentiam excessit, & libidine feruenti frigidior mulier. Recentiores ex malua & arthemisia suffitus faciunt, & Theodorico supposito, Paulinóque antidoto mulieres purgant. Sed & Triphera magna vtilis est, & moschum pro allio vel galbano suppositum: quod, vt dixi, si fœcunda est mulier, oscula suaueolentia reddit. Vterum autem leporis viro exhibent; fœminæ autem, testes. Apri quoque testes siccatos in furno exhibiti valde vtiles sunt: sed longè vtiliores testiculi & hepar porculi, quem scropha solum ediderit, in furno siccati. Ex pessariis autem purgantibus, nihil nitro melius esse Thedoretus dicit: ex his verò, quæ conceptionem iuuant, optima esse quæ ex vehementer odoratis, sed parum calefacientibus parantur, vt folio, nardo, agallocho & thure.

Si scire vis vnde sterilitatis vitium oriatur? vir & fœmina mingant in mundas ollas, in quibus furfur sit; cuius furfur computruerit & vermes dederit post nouem aut decem dies, illum illámve sterilem esse existimant. Alij triticum, alij hordeum furfuris loco immittunt. Si igitur coniugem tuam sterilem esse deprehenderis, aut si etiam ex quacumque causa non generet, ne & tu sterilis sis, alteri te ex Platonis præcepto iunge. Ab antiquis verò receptum est. Dictamnum Cretensem, medicamen sterilitatis esse.

Vbi ergo conceperit, iam primum lætitiæ tempus est. Tunc verò eam leuiter exerce, vsque ad nonum mensem: tunc enim deambulationibus grauiter exercenda est, vt facilior partus efficiatur. Nunquam permittes vt extendat corpus aut brachia, aut pondera eleuet transferatve, aut quidquam super ventrem imponat etiam graue aut durum, vel se inclinet: hæc enim omnia abortum faciunt. Vtatur carnibus leporum, cuniculorum, cerui, damæ, aprique, tum & erinacij & testudinum, earúmque ouis: prohibent enim abortum. Brachio sinistro ætitem alligabis? super renes serici stupam oui candido ac luteo simul cum guttis tribus aceti imbutam impones. Coagulum etiam catulorum leporis nondum natorum in potu datum mirum in modum conferre putant. Sunt etiam qui cancrum fluuiatilem vstum è vino propinent. Sed hoc quia pleræque abominantur, periculum affert, ne vomitum excitet. Vitandus autem omnino vomitus est: vt & deambulatio longa & laboriosa, clamor scalarum & accliuium locorum ascensus, lapsus, contentio, spiritus, omniáque quæ purgant, quæque menses irritant, vt ciceres & phaseoli & ius eorum, & apium atque erythrodanum. Iuuat crocum cibis inspergere & vti astringentibus fructibus, cotonicis, pyris, mespilis, sicca vua. S non appetat, sinapi parum ex sapa admodum iuuat. Vbi vomere iam cœperit, aqua calida seu tepida iuuanda est. Si aluus non demittat feces, mollibus clysteribus ex oleo auxiliabimur. Sardonius quoque lapis alligatus ventri confert ad fœtum retinendum, vt & brachiis lapis in pyrastro inuentus, & syderitis etiam herba, & radix maluæ agrestis. Vitent amara omnia & acria & vehementer acida, aspectum quoque serpentum & rerum horribilium. Abortium facit lepus marinus etiam, si eum videat grauida mulier. Vitent quoque sonos magnos aut repentinos. Multæ enim mulieres tubarum & tonitruum strepitu audito statim abortierunt, ouium more. Facit & timor abortum, & si magnus sit, fermè semper; aut si robustior sit vterus, vbi natus fuerit infans, moritur. Quamobrem non ambulet de nocte grauida, maximè sola. Etiam odores magni, præsertim fœdi, fœtus quandoque excutiunt. Accidit tamen vt quidam fœtus à leuibus offensis abortiant seruentur verò in magnis, vt Casus enim semper prægnanti periculum magnum affert. Quod si prægnanti pedes tumeant, lauentur ex decocto mali citrij. Cuius vsus, vt & malorum punicorum, in cibis salutaris est fœtui. Erinacei pellis vsta in potu data & pudendo illitia retinet fœtum: quemadmodum & lapis in ceua quouis loco inuentus. Cauere etiam oportet inediam & quancumque sanguinis detractionem.

Vbi pepererit mulier, secundum gaudium adest. Nato infanti protinus ligetur vmbilicus & post ligaturam præcidatur, postea lauetur. Lauantur autem quidam tepida, quidam frigida aqua, alij vino. Sed quia hæc quantò frigidiora, tantò periculosiora sunt, propterea tepidam plerique elegerunt. Suadeo autem, vt his peractis, saccharum illi aut mel purum detur cum hyacinthi aut smaragdi paucis granis in pollinem redactis. Lac matris generaliter ad salutem & robur corporis vtilius est: sed si mater lactare non possit, aut ægra sit vel insalubri corpore, aut animi vitio laboret, eligenda est nutrix, quæ masculum paulò ante pepererit, & ætatem agat ab anno vigesimoquinto ad trigesimumquintum, quæque habeat bonum habitum, lac dulce, candidum, æquale, mammas magnas, tumidas & duras, citra morbum tamen, mores quæ bonos & præcipuè contrarios

rios vitiis parentum. Gestari primùm à tertio mense incipiat infans, & caueatur ne terroribus vllis subiiciatur. Nihil enim est quod celerius infantes occidat, quàm repentinus aut diuturnus terror. Lactetur donec dentes anteriores emiserit, tum verò pane cocto, non præmansis cibis alendus est. Eminent autem dentes anteriores septimo mense, sed non sunt vsui vtiles. Ego suadeo vt lactatio ad secundum autumnum differatur. Hyeme enim imminente ablactare infantem decet. Et sit primus cibus tunc panis coctus in iure carnis, & lutea paucula ouorum. Post quadraginta dies cibo solido dicto ali potest infans. Primis enim quadraginta diebus puer periculo vitæ maximè obnoxius est. Et Græci τεσσαρακοστὸν festum celebrare solent, quasi tum primum, vt Censorinus auctor est, exempto à periculo maximo infante. Ferunt Plotinum ad annum vsque septimum suxisse lac. Sunt qui breuem lactationem laudent, ego longam probo. Sed de his in primo libro de Sanitate tuenda dictum est. Somno autem puellulus longissimo vti debet, non tamen gestari nisi rarò. Plenioribus infantulis inedia, fletus, mel, salutaria: non ita exilibus ac macilentis.

Nutricem bonis se & simplicibus alere, vino albo & diluto vti, lætamque viuere vitam, sed à coïtu abstinere oportet. Periculum enim est ne concipiat. Quin etiam per se coïtus vitiare lac solet. Exerceri vero assiduè fermè nutrix debet, sempérque ante cibum & diurno somno frui. Hæc enim bonum lac & copiosum reddunt. Lac quoque multiplicant lactucæ, eruca, polium. Conducit & ptisana lacti generando. Et fœniculi anethique decoctum, si super mamillas imponatur. Fasciis præterea infantis tenelli membra ad debitam formam sunt reducenda, atque in ea continenda. Vbi verò recta fuerint & ad formam decentem reducta, laxioribus vinciri debet, si ægrè feret. Vmbilicum tribus digitis à ventre ligari oportere censent aliqui, quod experimento deprehensum sit, eo longius euadere virile membrum, quo vmbilici vinculum à ventre longius destiterit. Aurium sordes, statim vbi infans natus est, exprimendæ. Caput ad rotunditatem, leuiter compressis lateribus, decenti specie statim conformandum. Loco obscuriore ac incerta sub luce, quàm diutius potest, retinendus. Primis autem diebus etiam oculis, post picturis, margaritis, monilibusque ac pannis diuersi coloris ad inspiciendum illicere illum oportet. Cantilenis somnum prouocare, & quandoque etiam syrupo ex papauere, conditisve floribus nymphææ, aut aqua eorum vtile est, vt & cunis leuiter agitare. In vniuersum blanditer ac molliter illum tractare decet. Vbi dentes nasci cœperint, aut loqui, gingiuæ vel linguæ radix melle & butyro illiniendæ sunt. Vinum non nisi exacto primo septennio, ego tertio tantùm, atque id album ac dilutum dari suaserim. Hoc enim plus longè ad morum temperantiam conducit, quàm corporis robori aut salubritati obsit.

Vbi ablactatus est infans & iam ambulare gestit, nutrice custode non minus, quàm antea oblactationem, indiget. Primum igitur ableganda sunt animalia omnia, quæ periculum afferre possunt, canes magni, sues, capreæ, arietes, simiæ, aues omnes magnæ, ciconiæ, pauones, galli (sed hi minus) corui ac huiusmodi. Plures enim infantes abhuiusmodi animalibus discerni aut percussi aut obcæcati vno oculo sunt. Cauere etiam oportet equos calcitrosos, tum & foueas & solum lapidibus stratum, & scalas & loca altiora, è quibus facilè casuros infantes timere possumus: maximè vero ignem etiam, & ob hoc plures focis circumdant ferreas catastas. Prohibere etiam ne circa riuos ambulent. Maximus error est, huiusmodi puerulos solos relinquere, & si pereant, periisse nostra culpa existimare possumus. Sed ne pueros aut puellas pro custodia adhibere debemus: sæpè enim vidimus nummulos, acus, castaneas infantibus dedisse, quæ pro consuetudine deuorarint. Vnde alij mortui sunt, alij ad vltimum discrimen deuenere. Vbi ambulare cœperit, fascia ligandus, nutrixque illum ducat, non pro arbitrio & illius voluntate, sed quantum satis est. Solent etiam vimineis corbibus quasi intrudi: brachiis enim exertis deducunt circumpositam catastam, atque ita nec offendi possunt, nec quin ambulant prohibentur, est enim leuis ipsa catasta.

Tunc verò primum delectare solent infantes, atque id tertium gaudium est parentum. Et quantò gaudium crescit, eo magis & timor: sunt enim inuicem iuncta: & quo magis timor crescit, eo magis & solicitudo & cura. Si terreantur, statim ab assistente nutrice confirmari debent. De tempore instituendi puellulos dubitatio est, multi enim existimant à quarto anno & ante incipiendum in eo. Neque ego repugno, quin à quarto perfecto incipiamus, sed ita vt sine querela, sine fastidio, multò magis sine minis & verberibus; & sic ad annum vsque septimum. Quòd enim amiserint toto triennio, in sex mensibus recuperare licet. Cæterùm sorbitionibus & ouis alere infantem oportet, à carnibus ac aliis parum nutrientibus, tum etiam duris abstinere. Ludat cum æqualibus, & sensim exerceatur crescentibus viribus, somnóque indulgeat. Et ab omnium turpium exemplorum retúmque vsu atque auditu prohibeatur.

Cùm septimum expleuerit annum literis & Geometriœ, Musicæque admoueatur. Sed ita, vt omnia quasi ioco tractet, præter humaniores literas. Tum custos prudens ac optimorum morum adhibeatur, mitis, sed grauis: atque is hoc maximè curet, vt puer à vitiis, quorum semina pullulare animaduertit, quæque parentum sunt, arceatur. Si iracundus est, ad patientiam reuocet: si segnis, ad labores: si luxui deditus, ad continentiam ac temperantiam: si nugax, ad taciturnitatem; atque ita de reliquis. Ne sufficiat ad mediocritatem reuocasse, sed conetur ad contrarium quasi vitium traducere, eo prorsus modo vt ligna dirigimus. Non enim sufficit ad rectum traduxisse, sed necesse est, ne relabantur, in contrariam partem flexisse. Quædam igitur leuissima, quæ nec

consueta sint, dissimulare etiam licet, & parua admonendo, mediocria minis terrendo tollere expedit. Verùm grauia verberibus, fame grauissima castigare oportet. Grauissima sunt mendacium, ludus aleæ, furtum, desidia pertinax: grauia, rixæ, & quæ circa libidines, tum antecedentia, vt oscula, & turpia verba, de diis maledicere. Fuga verò & inobedientia vehementer grauia sunt, &, si confirmentur, omni vitio deteriora euadunt. Assuescat equitare blandos equos atque eos regere, nec tamen ad cursum illos citet: periclitatur enim alieno errore. Discat & natationem inter æquales. A lectione turpium verborum aut exemplorum omnino abstineat. Corrumpunt enim bonos mores colloquia parua. Pater non verberet errantem, sed blanditer corrigat, vt habeat non solum quem timeat magistrum, sed etiam quem revereatur patrem. Quoties in propria domo sunt famuli aut viri, minus modesti mulieresve tales aut nouerca, melius est, vt apud magistrum vxorem habentem educetur. Successu temporis Musicæ, & maximè illi parti, quæ manibus instrumenta tangit, diligentius operam nauabit. Discat & numerandi artem & pingendi sic, vt degustet, non vt se illis immergat. At Dialecticæ, Philosophiæ naturali atque morali, Astrologiæ quoque ac humanioribus literis cùm ad quartum decimum peruenerit annum si totum tradideris, minimè aberrabis. Si autem commodum fuerit, erudiatur sub pædagogo, qui ipsi vni vel etiam cum illius fratribus addictus sit, longè enim melius erit. Nihil autem melius est pueris & adolescentibus, quàm vt in maximo metu & perpetuo contineantur, si non sint omnino verecundi. Super omnia & pueros & iuuenes & socios omnes improbos ac prauorum morum abdicare conuenit: & vt discat nunquam in otio esse, sed semper aliquid moliri: demùm vt temperare velit omnes actiones, nec cuiquam rei se totum tradere, verùm ita efficere, vt in omnibus rebus atque actionibus possit sibiipsi imperare. Habeat & coæquales, cùm quibus ludat, & quos egregiè amet, eruditione & moribus præstantes, quos pater maxima diligentia conquirere studeat, velut præsidium, in quo summa filij salus sit constituta. Neque enim, vt ille ait, parua pars felicitatis est socius benè moratus. Vt autem proficiant in disciplinis, nihil melius est concertatione inter discipulos.

Vbi verò ad annum aut propè peruenerit, vt iam pædagogo carere honestius sit quam illum habere: pater ipse instituendum in moribus suscipiat: dolos omnes, omniáque pericula illum doceat; moneat vt caueat, & quæ ac quomodo vitare debeat, diligenter instruat. Hoc autem quintum est parentum gaudium, cùm iam filius obediens patri semetipsum regere nouit. Tunc tamen etiam clàm fido socio commendandus est. Vt enim in adagio vulgari est, Vnus nullus, duo vnus. Tunc arti vel mercaturæ, si libet, addici potest. Nec pigeat tot tantáque educandi vnius filij causa facere; cum, vt primum dixi, in eorum educatione atque felicitate patris beatitas tota sit constituta. Deinde vnus filius benè institutus mille æquipollet, mille malo instituti, præter id quod parentibus calamitosi sint, spem propagandæ posteritatis non faciunt. Præterea, quorsum tota pecunia & omnes opes, cùm id, cuius causa maximè hæ vtiles sunt, defuerit? Demum, quid aliud dulcius esse potest, quàm in optima re atque officio collocasse omnem curam, studium ac diligentiam? Propterea, qui sapiet, dulcissimum hunc fructum esse existimabit, in quo idem est opus cum fructu: cùm in aliis opus à fructu non parum distet, & post laborem & curam exspectare te euentum rei oporteat. Manifestum est igitur, quòd in hac potissimum ætate institutione filij indigent, in qua alij illos relinquunt. Et vt in præparato ægro semina vberem pariunt prouentum: ita in hac ætate fructum educationis copiosum colligere maximè licet.

Sint autem iuuenis duo præcipua munera, agilitas quidem corporis, & animi prudentia. Hac semper indigemus, illa nos quandoque à mortuis periculis libera. Tertium est proprium quoddam, linguæ imperare. Loqui enim sæpius nocuit, tacuisse nunquam. Tum verò considerandum diligenter, in quæ vitia sint procliues filij, atque illis patrem se opponere oportet, nec solum curare, vt instituat filios, sed & doceat eos, quomodo nepotes instituere ipsi deinde debeant, atque id præcipere, vt & illi non solum instituant nepotes, sed & iubeant illis eundem ordinem in descendentibus perpetuò seruare, curamque illorum agere, atque, vt multiplicentur, efficere. Quod præceptum nemo melius quàm Moses animaduertit &, vt obseruaretur, imperauit. Sed militarẽ artem, quæ tum parum viguit, neglexit, nescio quo consilio, nisi forsan diuinum haud esse crediderit, homines ad hominum necem armare. Tum primum vinum illi concedere fas est.

Sextum gaudium est, vt filios benè & ex sententia vxori iungas. Diximus autem quæ huic negotio sint necessaria. Circiter autem vigesimumquintum annum hoc fieri debet, ne, si serius fiat, tardius filios suscipiant, & reliqua contingant quæ superius sunt enarrata: aut si celerius fiat, minus robusti & sapientes filij generentur. Eadem verò ratione omnia peragenda sunt in nepotibus, quæ pro filiis præcepta sunt. Inde longævis per eadem recurrendo ad quintum ac supremum denuò gaudium peruenire licet. Scias autem, quòd mater prudens multum facit ad filiorum ac filiarum educationem per omnem ætatem. Quod si obierit, post nonum annum extra domum filius educandus est.

De filiorum autem numero quanquam generaliter supra locuti simus, nunc tamen specialiter de eo, tum & nepotum, dicere expedit. Duo autem obseruare oportet, necessitatem atque vtilitatem. Vtilitas enim est felicitatis incrementum, & eousque extenditur, donec per te vel tuos commodè educari possint. Initiumque ducit statim post numerum necessarium. Quidquid enim supra necessitatem est, & educari potest ex nepotibus

tibus atque filiis, id totum augendæ felicitati adscribi debet. Porrò necessarius numerus sic habetur: ducas numerum filiorum in suas ætates, & quod fit detrahe ex paterno annorum numero, si minus relinquitur vigintiquinque, felix est. Atque is numerus est necessarius, scilicet vigintiquinque: minor autem ad incrementum felicitatis pertinet. Si autem maior fuerit, tantò magis à felicitate abest, quantò numerus ille vigintiquinque maior est. Exemplum sit pater quinquagenarius: huic sint tres filij, vnus decem annorum, alter septem, tertius duorum: collige hos numeros, fient decem & nouem: hos detrahe ex quinquaginta annorum patris numero, relinquuntur triginta & vnus. Deficiet ergo à debito numero necessario filiorum ad felicitatem, in sex & quarta parte propositi numeri fermè. Licet autem & fœminas & nepotes cum masculis filiis connumerare pari ratione: vt sit ratio hæc generalissima. Verùm si fœmina sit sterilis, vt filia mea esse videtur, tamen quantò maior natu, tantò minus adnumeranda est reliquis gnatis: & ita, si ad quadragesimum annum peruenerit, pro nulla habenda est. Antea verò numerabuntur anni quibus quadragesimo minor fuerit.

In nepotibus autem, si pater adsit & viuat, considera, an pater felicitatis numerum habeat, tunc auus fœlix erit, aliter non. Velut, si pater octuaginta annos natus nepotem habeat bimum, filium autem sexaginta annos natum. Quia pater ipse inferior est debito numero triginta trium annorum, atque ita cum modica spe erit, etiamque auus cum eadem exili spe. Cùm verò nepotes soli fuerint, auus omnino patris loco habendus est, atque eodem modo supputandi anni. Manifestum est autem, quòd si plures filios auus habeat, vnusque eorum sit felix, auum felicem esse: sed si plures habeat filios, nullum autem felicem, tunc cum filiis inire eam oportet rationem, ac si solum pater esset. Sed & nepotum annos adiicere cum filiorum annis debemus. Cùm etiam pater vel auus sexaginta annos excesserit, pro sexentis numerentur. In masculis igitur, si nondum duxerint vxorem, numerabimus annos ad trigesimum vsque, & à trigesimo supra illos qui ad sexagesimum vsque intercipiuntur. Si verò iam duxerint, aut concubinam habeat, numerabimus annos qui ad quinquagesimum vsque intercipiuntur. In virginibus similiter annos ad vigesimum tertium vsque & post deficientes à quadragesimosexto. Si verò nuptæ sint, annos ad quadragesimum vsque deficientes. Numerum autem priorum vix assignare licet: fermè enim extendi potest quadragesimus & maximè in viris, cùm ex pluribus mulieribus filios susceperint. Ille tamen valde felix dici potest, cuius numeri deficientes dupli sunt numero necessitatis. Velut si pater sexagenarius tres habeat filios, vnum annorum triginta, alterum vnius supra trigesimumtertium, quatuor supra trigesimum, conficiunt enim numerum trigesimum: conficiunt enim numerum octoginta quinque, qui maior est numero annorum: patris vigintiquinque. At cùm sufficeret numerus filiorum triginta quinque, atque ita duo filijvnus annorum triginta, alter quinque; patet conduplicatam in priore esse spem felicitatis. Ablata autem spes intelligitur, cùm pater sexagesimum annum excesserit, nullúsque filius aut filia superest, aut si supersint aliqui, omnino impotentes sint ad generandum.

Si igitur filius vel nepos abfuerit, detractis illius annis à sexaginta, relinquetur numerus felicitatis: quem constat triginta quatuor non posse esse maiorem, si vigintiquinque detrahantur. Patris ergo minima est quinquaginta nouem seu vltra vigintiquinque & trigintaquatuor. Trigesimusquintus igitur ordine infinitus est, & omnis felicitatis expers. Cùm igitur vigesimusquintus sit mediocris, quinquagesimusnonus in extremo felicitatis termino, sexagesimus omnino extra fines: excessus autem supra viginti quinque ad quadringentos extendatur, in quo est locuples beatitudo: intra vigesimumquintum etiam
beatitudo: intra vigesimumquintum etiam
beatior homo consistat: manifestum est, hominem propiorem esse finibus calamitatis quàm beatitatis. Longè enim plus distat vnitas à quadringentesimo numero quam à trigintaquinque. Facilius ergo longè ad summam infelicitatem in hoc peruenire quam felicitatem potest; etiamsi omnia in filiis rectè cedant.

Verùm obiicies, has regulas sæpius frustrari. Nam Abraham in vnico filio. Isaac stirpem suam, vt Sacra scriptura docet, fermè in infinitum auxit. Gedeon autem, cùm septuaginta haberet filios, in vnum Iotham redactus est: de cuius etiam stirpe nihil scriptum inuenitur. Fateor, inquam, non esse huius perpetuitatis, imò nec propagationis quidem securitatem vllam, sed desperationis solum certam scientiam atque dolorem. Ita conditio humana mortaliúmque res bonum nullum tutum aut securum habere potest, mala tamen certa & ineuitabilia ferre cogitur. Quandoquidem tamen nihil maius habere possumus, sufficit mediocris hæc spes ad hanc vitam feliciter traducendum, & benè beatéque moriendum. Hac igitur causa nunquam cessare oportet, quin filios tentemus suscipere, si omnino desint aut paucissimi sint: neque id turpe videri debet aut contra existimationem, propter ingens bonum, quod in filiorum procreatione continetur. Quod & Cato Censorinus fecit: ex iuuencula enim ancilla propè octuagenarius filium progenuit, quanquam filium natu grandem & iam prætorium virum haberet: nec deceptus est. Nam natu maior paulò post extinctus est: minoris natu pueruli stirps eousque mansit, donec à Triumviris Catonis Vticensis filius occisus est: nam Vticensis Cato ex minore filio Censorini Catonis originem duxit. Itaque nec pigeat nec tædeat aut pudeat nos filios nostros erudire atque instituere, quandoquidem dignius nihil, nihil honestius aut vtilius agi possit. Vt iam non irrideam patris mei curam solertem, sed potius admirer. Ob quam rationem etiam nepotem meum ex Ioanne Baptista, Tacium appellari iussi, memor prudentiæ paternæ atque officij, quæ olim aspernabar & irridebam:

irridebam: nunc enim vllam operam melius collocari non posse intelligo. Similiter nec multitudinem filiorum formidare debemus, aut malle paucos diuites, quam multos pauperes relinquere. Nam opes sine liberis euanescunt & inutiles sunt, nec auxilium aliquod ad habendum liberos præstant. At filij benè educati præter id, quod sempiternitatis speciem efficiunt, etiam opes ad se trahunt, vt vtroque beneficio locupleteris.

Atque hæc de filiis incolumibus atque beatis dicta sint. Nunc ad id, quod agere debent hi, quibus miseros gnatos habere contigit, transeamus, docentes & malum hoc corrigere, & ex eo vtilitatem capere.

CAPVT VII.

De Filiorum Miseria.

Filiorum curam grauem & assiduam diligentiam, propter tot labores, eorumque contumaciam, vitia errores, improbitatem, stultitiam, casusque aduersos, & aleam perpetuo incertam, plerique sapientes adeò reformidarunt, vt pauci admodum ex Philosophis filios suscipere curauerint. Vnus fermè Socrates & Aristoteles ex nobilioribus operam filiis dedere: quàm feliciter, non est vt explicem. Verum neque Plato, neque Zeno, aut Diogenes vel Epicurus, aut Theophrastus aut alius quispiam ex nobilioribus Philosophis vxores ducere aut filios suscipere curarunt. Vnus Aristippus ex concubina nescio quam puellam susceptam omnino neglexit: atque id iure merito duabus de causis. Prima, quod fœlicitatem, quæ secura aliter videbatur; huic periculo exponere haud æquum ducerent: secunda, quòd nihil miserius existimauerint quàm filium tot laboribus, curis, impensis, tamdiu educatum, vna hora amittere, seu morbo id contingat, seu casu, aut perfidia inimici, aut, quod pessimum est, seueritate vel crudelitate iudicum. Verum hi feliciores erant, qui licet ex se non suscepissent liberos, fratrum tamen filios haberent: vt ex his, quos nominauimus, fermè omnes fuerunt. Nam nullo tædio educati, & citra timorem atque studiorum impedimentum, sine solicitudine incumbentium partes filiorum explebant. Mihi inter reliqua aduersa & fortunæ iniurias hoc etiam adfuit, nisi carerem fratribus atque sororibus. Quamobrem coactus sum hoc tædium sorbere, & lagenam calamitosam haurire: præsertim quum tantos labores tam crudelis exitus seu publico fato seu filij amentia, exceperit. Et cum serere expediret (velut de Cassiis dicebat Cicero,) bono Reipublicæ Cardanos tales, qualis filius meus fuit, laboriosos, iustos, benignos, gratos, omnis doli inscios & hostes, publicè extinctus est. Proh Deum patientiam, adeone hominum generi inuidistis? Sed hæc inferius, diffusius explicabuntur.

Cum ergo miseria filiis contingat vi publica aut priuata, vel sponte aut casu, (nam de improbitate & amentia suo loco dicetur:) singulis pro ratione propria occurrere oportet. Publicæ quidem hac ratione primum, ne ibi habites, vbi arbitria, vt appellant, plus legibus possunt, & diuitibus honores tribuuntur, quomodocumque etiam partæ sint diuitiæ. Nam si sic agendum est, quorsum erit iustum fuisse, æquum, continentem atque innocentem, vbi rapinis non solum opes, sed etiam honores & magistratus pro præmio sunt propositi? Neque sufficiat sine pœna furari, fœnerari, pacisci, sed id agentibus proposita sunt insuper maxima præmia? At dices, hoc necessario factum est ob Reipublicæ commodum: nam & causa publicanorum à Cicerone, optimo ciue, enixè defendebatur, & fæneratores, Romanorum tempore & dum Respublica floruit, tuebantur ius suum. Fateor: sed vt illi rem suam rectè curarunt, aut curant, ita probi hominis est, vt & ipse sciat longius illinc abesse oportere. Nec sperandum est pauperi (erit autem pauper fermè quisquis non ab initio diues natus, innocenter ac iustè viuere curauerit,) quidquam, æqui, vbi præmia non virtutibus, sed opibus quomodocum partis, & consequenter sceleri proposita sunt. Nam quovis alio loco non nisi meliore conditione esse poterit. At verò id præsertim cum stultos aut improbos nactus fuerit. Sapiens enim vbi vix sibi imperare possit, quomodo adultis filiis, si contumaces sint & insolentes, imperabit? Ob id hanc curam à vera fœlicitate plerique, vt dixi, sapientum tanquam nimis difficilem & periculosam segregarunt.

Tertium, ne ibi sis, vbi ius municipale à communi plurimum distat, & maximè si sæuius sit. Oportet etiam summa industria pueros, cum ex ephebis excedunt, vtriusque iuris scientes facere, ac summa diligentia instruere de pœnis maioribusque rebus. Velut, quàm graue onus sit coniugium: quàm periculosum sit se intromittere, in proditionem publicam: quantumve etiam difficile sit se seruare incolumem cum malis sociis, & præsertim iracundis, furibus, lusoribus, quique inimicitias exercent, se coniungere: venena odiosa esse principibus ac magistratibus; quoniam à vi quidem aperta tutos se esse credunt, non tamen ab iniuria immunes, vbi adulteria pro ludibrio habentur. Quales itidem sint pœnæ reorum, arbitria iudicum, auaritia ius exercentium: in omnibus autem plurimum posse opes gratiam, odia, iracundiam, libidinem atque luxuriam, vt probitas & auita virtus atque nobilitas vltimum locum retineant. Sed hæc Deus vlciscetur: quis enim dubitat? Verum interim insontes sæpè pænas damus, sontes non solum absoluuntur, sed nos etiam irrident. Hoc vnum animaduertere decet, vt cognoscas, ibi te esse non debere, vbi maiores erroribus propositæ sint pœnæ, quàm sceleribus. Qui tamen mos hoc tempore viget. Quemadmodum enim hæretici quidam non in actionibus piis positam esse salutem animarum volunt, sed in scientia disputandi, quid pium sit, quid impium, & vnde vtramque illam, & quomodo hac in parte scripturam sacram interpretari debeant: ita scelus est,

eſt, non ſcelus facere, ſed aberrare, nec ſatis occultè peragere. Præterea monendus eſt adoleſcens tetri carceris, & in eò moræ, quæ nunquam finem habitura videtur, & moleſtię & timoris & ſolitudinis & acerbitatis equulei, igniumque & culei lintei. Etiam perplexarum interrogationum ac cauillationum, quas iudices, vt in contrarietatem deducere poſſint atque implicare miſerum & incautum captiuum, gnarum facere oportet. In vniuerſum, cum multa ſint, quæ grauibus pœnis ſint obnoxia, quæ tamen leuia videntur, vt adulterina moneta, falſus teſtis: contra alia, quæ grauia cum videantur, leuibus pœnis alicubi coërcentur, vt vrbem annonæ charitate premere, fœnus exercere, prodere incautum ſocium, adulterium committere, conſiliis prav is adoleſcentes agere in præceps, colludere cum aduerſariis clientis, horum omnium admonere decet filios diligenter.

E republica etiam eſſet & multo vtilius, vt ante ſacrificiis ſolemnia loco feſtorum dierum, qui omnibus noti ſunt, per ſacerdotem publicè omnes legum admonerentur. Sic vt toto anni circulo ciues omnes, quæ ad crimina pertinerent, intelligerent. Irrides conſilium? cur? Annon Romani omni tempore omnium, quas conſtituebant, legum exemplar publicè in tabulis æneis edebant? Quòd ſi hoc de ſacerdote conſilium non amplecteris, faciant qui præſunt, vt Romani faciebant. Sed hoc operoſius eſt: ſacerdotis res leuior & commodior. Sed nolunt? non inutilè tamen eſſe conſtat. Noſter ergo adoleſcens & de flagitiorum mulcta monendus eſt, & de atrocitate pœnarum, quæ vel pro ſcelere imponuntur, vel pro exquirenda veritate: vt horum altero prudens, altero continens euadat, Quod ſi corrigere poſſe non ſperas, aliò, vt dixi, commigra.

Animaduerte autem duo circa omnem adoleſcentum admonitionem: primum, ne coram aliis, ſiue familiaribus ſiue exteris, illos corrigas ambitioſo quodam & imperioſo more. Quidam enim adoleſcentes adeò natura ſunt irritabiles, vt potius iraſcantur quàm emendentur, oderintque & patrem & eos, quibus coram reprehenſi ſunt. Secundum, velut in lignis dolabra vtimur, in ferro lima, in chalybe cote, ita adoleſcentium ingenia teneriora ſimul reduces: alia ſenſim & minutis ſed aſſiduis ictibus, quædam etiam minutiſſimis. Ita conſiliis priuatis ac rationibus additis reuocabis ad frugem.

Quòd ſi priuata contentione aut diſcordia, aut ſocietate aut conſilio, filius in periculo verſetur, ne miſer fiat, primum illud tecum cogita, nihil in huiuſmodi malis atque periculis tam prodeſſe quàm educationem apud alios, atque regionis mutationem. Hãc hodie omnes norunt: illam etiam antiqui in vſu frequenti habuerunt. Educabant autem apud patruos libentiſſime, cuius rei locupletes teſtes ſunt comœdi, & maximè Terentius: nec alibi felicius quàm apud illos educari conſueuerunt. Siquidem eorum ſupercilium timent magis quàm patrum, maximè abſente matre, diliguntque tanquam patrem alium, & obſeruant propter ſpem hæreditatis conſequendæ, quàm ſciunt non niſi ex eorum voluntate, non legis neceſſitate ad ſe deuolui.

At è diuerſo patrui, qui ſine filiis ſunt, nepotes pro filiis amant; verum temperatiore affectu quàm patres. Neque enim tam audacter in eos ſæuiunt vt patres, qui illos habent in poteſtate, neque in eos maligna vtuntur miſericordia aut profligata indulgentia, vt patres, quoniam amoris ſui erga illos non ſunt ſerui, ſed domini. Quòd ſi deſit patruus paternus, maternum quæremus, aut aliquem παιδολείβην, ſeu potius ἠθοποιῷ cuipiam trademus.

Cum enim quatuor ſint adoleſcentium inſtitutores; in literis παιδαγωγοὶ, in corporis exercitatione παιδολείβαι, in moribus ἠθοποιοὶ, in armis παιδονόμαι, qui etiam ciuitatis inſtituta docent: præſtantiſſimi ſunt, in iuuenibus παιδονόμαι, in adoleſcentulis ἠθοποιοὶ, in pueris παιδαγωγοὶ: αιδολείβαι autem ex æquo minus communes omnibus. Iuuat etiam aliis ſtudiis neceſſariis detinere illos, atque artibus nouis imbuere. Sed hæ omnes conſuetudines ciuitatum, amiſſa libertate, omniumque voluntate in comparandis diuitiis conuerſa, exoleuere. Solis honos diuitiis habetur, ideóque ſolis opibus parandis omnia ſtudia intenduntur. Quamobrem parum refert, ſeu non ſis, ſeu malè ſis.

Obiiciat mihi inopia mea, ſecuri percuſſum filium meum, ſpe mihi æqualem, fortuna & prudentia inferiorem, niſi fortè fortunam meam miſeriorem eſſe putes. Illius dolor, quamquam immenſus, hora finem accepit. Non enim anteà monitus eſt. In quo quantulacumque iudicum indulgentia fuit, vt & in eo, quòd & noctu, & in ipſo palatio extinctus ſit, quo noſtræ exiſtimationis, quanta poſſet, ratio haberetur. Noſter verò dolor perpetuo manet, & lacrymæ perennes ſunt. Fortunæ autem meæ indicium eſſe poteſt inter cæteras Hiſpanica gens, quæ Mediolani frequens eſt. Hanc enim, tametſi plures Medicos haberet egregios, maxima ex parte ſic curabam, vt ex ea ab anno MDLIIII. inchoante ad finem anni MDLIX. nemo prorſus in manibus meis perierit; cum tamen toto illo tempore ſuprà quingentos è nobilioribus curauerim. Quin etiam referunt,) hoc autem ego affirmare non auſim,) ipſi filio meo toto biennio, quo vitam cum vxore egit, vix tres aut quatuor ægros obiiſſe. Nec mirum: valde obſeruabat enim præcepta noſtra, nec multos poterat amplecti laborantes: vt cui equus non eſſet, eratque pius ac diligens admodum.

Habes tempora & mores. Non erit autem felix, mihi crede, qui tria hæc non coniuxerit, patriam, inſtitutum, & genus, in quo felicitas collocatur. Si enim ſecundum virtutem viuere paratus ſit, & ibi habitet, vbi & virtutum & æqui exactiſſima ratio habeatur: ipſe finem ſibi proponat virtutem, non iniuriæ nimiam patientiam. Si omnino potes Chriſtiano more viuere, quælibet patria ſufficit. Sed paucos video, qui perferre talem vitam poſſint: nimis multos, qui eam ſimulent, nec Epicuro tamen virtute ſint comparandi. Oportet igitur, vt dixi, leges eſſe optimas, defenſores illarum æquos,

inſtitutum

institutum tuum legibus conforme, quod ad assequendum finem sufficiat, in quo fœlicitatem tuam reposuisti.

Si iam miser filius tuus est, si inops, æger, exul, inuisus omnibus, iniuriis oppressus, notis iniustus, non iam amplius curandus est animus, sed res ipsa: & quomodo ex huiusmodi calamitatibus capere vtilitatem debeat, docere eum oportet, simul verò etiam verbis castigare. Proficiunt alij blandioribus verbis, vt qui ambitiosi sunt & prudentes; alij asperis, vt duriores, & seruiles: quidam factis ac pœnis velut asini coercentur, vt contumaces & rationis haud capaces: quidam officiis & beneficiis, vt qui natura grati sunt. In omnibus igitur naturam iuuenis cognoscere oportet. Sunt qui exemplis, qui æmulatione ad benè agendum, ad ferendum aduersa incitentur. Sunt, qui assiduitate vincantur iuuenes: in quibusdam assiduitas tædium & fastidium parit, Generaliter tamen conducit occupatos & in opere iuuenes detinere vt à miseria non adeò premantur, & meliores efficiantur. Memineris autem patrem in miseria filij, si adultus sit, calamitosiorem esse quàm in seipso: auxilia tamen, quæ patri profutura docuimus, eadem in eisdem generibus pro filio adhibenda esse.

Nec te fallat ira, vt lentior sis in corrigendo, castigando. Id enim cogita ac propone ante oculos, qualis sit futurus, si postmodum pereat. Neque enim facile est intelligere, aut cuiquam persuadere, quantus sit dolor amissi filij, nisi postquam amiseris. Fac ergo ita, ne prudens sis post factum: Cuiusmodi esse nostros ciues ferunt: sed ante illud cum Veneris decet patrem prospicere. Nam in ipso facto prospicere etsi longè melius sit quàm post: nihilo secius tamen minus vtilis est hæc solertia, quæ Florentinis tribui solita, ac minus laudabilis, quàm eorum, qui anteà rebus suis consulunt. Neque enim ira in filios mouearis, quantuncumque ingrati, contumaces, improbive in re fuerint, seu omnino stulti aut etiam scelerati. Primum cogita, quod ætati, aliquid debeatur. In qua cum alienis soleant sapientes & iudices æqui parcere, tu tuis non parces? Deinde, quod plerique soleant mores penitus in contrarium mutare, vt de Augusto referunt, nostráque ætate visum est in Iasone Mayno, & Matthæo Curtio. Quòd nos de nobismet testari possumus. Adde, quòd si tu filios tuos deserueris, à quo vis miseros petere auxilium? Nam cum alij patres suos tueantur, tu tuum deseres? Id autem maximè ne feceris, cum iam filij conditio anteà misera fuerit, aut tu vel ipse pauper, quocumque id casu acciderit. Cogita etiam exitum, ne postmodum frustra pœniteat, cum auxiliari non possis, cumque inaniter sublatum defleas, quem sospitem seruare potueris. Reminiscere tot laborum, vigiliarumque, quas tu & coniux tua tot annis, vt educaretis, perpessi estis. Reminiscere & pecuniarum absumptarum, & dinumera per singulos annos quantum impenderis. Ne ego tantæ summæ, quæ iam periit, hoc quantulumcumque est addere pigeat, vt reliquum omne serues. Reuolue in animo, quanti illum feceris. Quod si con-filio etiam & sciens peccauerit, ad te pertinet tamen cogitare atque existimare, quod errore fecerit: satis enim, imò nimis durum tibi est atque illi calamitosum, quod iudices atque alij id credant. Quamobrem excusabis quantum poteris: nam pium hoc est, nec vlla lex vetat, ne in crimine quidem læsæ maiestatis. Reputa tecum iuuentutem tuam aliorúmque multorum improborum, & quorumdam qui ad bonam frugem ex summo dedecore conuersi sunt. Miserere & æui in illo: nam quantumcumque flagitiosum perdideris filium, quid aliud egisti, quàm quod temetipsum in filio perdideris? Stultus est? fiet sapiens. Incontinens est? continebit se, rebusque suis in posterum discet prospicere periculis, ætate, exemplis, monitionibus: his enim quatuor præcipuè adolescentium animi solent mutari in melius ac corrigi. Contumax est? fiet obediens. Fugitiuus? nimis est quòd in fuga mali experietur: timeas igitur illi ob hoc potius, quam irascaris. Subfuratur? cui? cuius? Sibi, suaque. Multa denique perpeti te decet ob tantam spem, imò tantas; perpetuitatis dico, posteritatis, societatisque tam dulcis ac iucundæ, denique renouationis omnium bonorum, quæ in te desunt iam, aut semper defuere. Sed me senem & inualidum pauperat? sit ita: malum certè hoc; sed nonne melius est seruare filium quàm rem, cum, amisso filio, etiam rem amissam credere debeas? Cui enim vsui res tunc esse poterit? Ex duobus ergo melius est vnum seruare, quàm ambo amittere. Si filium seruaueris, ille forsan aut illius filiis rem recuperabunt, atque ita vtrumque habebis. Si filius pereat, res seruetur, non poterit res filium redimere. Quamobrem cum & ipsam perire necesse sit, tandem vtroque priuatus eris. Præstabit igitur hoc anteà animaduertisse atque curasse dum potes, quàm re peracta postmodum lugere incassum. Atque hanc ob rem laudantur iam tot seculis Qu. Hortensius, orator celeberrimus & Ciceronis æmulus. Luciusque Gellius, tum & Fuluius & Ludouicus Caroli Magni filius, Gallorum Rex, in Lothario filio. Ignotique illius, quisquis ille fuit, exemplum non absurda sanè temeritate, vt quidam existimant, aut impotenti amore vel muliebri mollitie, sed sano integroque iudicio factum est.

Considera pater infantiæ pericula, difficultates, pueritiæ solicitudinem & impensas, adolescentiæ metus, quas perpessus es pro filio & noli tentare fortunam, vt momento omnia amittas. Quæres autem à fido aliquo socio, sed melius à famulo, omnia arcana filij: etiam ab ipso filio, si velit referre. Nihil præterea pudeat, aut pigeat facere pro filio: nihil enim turpe, nihil graue vel esse vel videri potest propter illius salutem. Num doles lucra, studia, voluptates, negotia interpellari, vt filium saluum esse velis? vt serues? vt benè educes? Quod si verò fortuito postmodum aut morbo tibi eripiatur, non dolebis. Deo enim irasci non decet: nam ab illo iniuria accipi non potest. Quid si violentia inimicorum, aut iudicum crudelitate pereat? parum & tum dolebis, cum illi in nullo defueris. Tunc enim ereptum fato existimabis

& Dei voluntate, cui nec repugnare potes, nec fas est. Sedulus ergo hanc curam age.

Quod si plures habeas filios, non ita vni nequam indulgendum erit, vt vel ille volens improbitate, vel tu exemplo alios bonos perdas. Castigandus est ergo seuerius: sed, si potes amandare, melius est. Infantes & adolescentes, cumque soli fuerint, apud te retinebis: pueros & iuuenes, si plures habeas, amandabis. Sed pueros & iuuenes tamen difficilioris naturæ aut improbos: melius enim est, vt castigentur ab aliis, beneficia autem è manu tua accipiant. Cum ergo apud te retinueris, fac vt singulis diebus singulorum facta requiras, nec emendare distuleris. Omnis enim aceruus & vitium tempore confirmatum difficulter dissoluitur & euellitur. Quòd si improbum habeas adolescentem & infantes, qui exemplo vitiari nequeant, adolescentem institue. Est enim ac si solus sit, quod ad exemplum attinet. Tametsi non tanto periculo, quanto, si solus esset, apud alios educetur. Bonos igitur apud te retine: tutiores enim ab omnibus incommodis erunt, &, si eueniant calamitates, promptius illis occurres. Malos etiam, si soli sint, vel cum his, quos exemplo vitiare non possint. Præstat autem ibi viuere, vbi patri pro arbitrio hæreditatem diuidere licet, quod communi iure cautum est.

Quid si plures mali sint? Amandare teneriores licet, retinere eos, qui maiore studio ac diligentia indigent. Et quos si amittas, ceu grauiorem iacturam acerbior comitetur dolor. Fit autem ex illo, quod patrum soli iracundi & filiorum amantes in maximas incidant miserias ob illos. Nam duri, etiamsi filij pereant, non afficiunt: mansueti autem raro propter curã filios in miseria positos vident. Duri ergo & mansueti in educandis filiis sunt fortunatissimi. Atque eadem ratio in cæteris rebus manifesta est, vt superius etiam de opibus diximus, Qui ergo amantes sunt filiorum & iracundi, ob iniuriam destituunt filios in aduersis, aut eos ob peruicaciam domo extrudunt; vbi impulerint in exitium, ob amorem deflent, & lugent vsque ad interitum & extremum periculum sui.

Mutantur filiorum calamitates patientia patrum, prudentia & amore. In te reliqua liberum sed assiduum, studium dum illos detinet, à multis auertit, nec ad tabem deducit, maximè cum varium est, vt legere, scribere, amicos domi quærere. Quidam sunt, qui ducta vxore emendantur à vitiis, mutatione generis vitæ, hortatione affinium, amore coniugis, exspectatione filiorum, relaxatione à curis, purgatione seminis, & humoris atri, ac caloris exhalatione. Iuuat autem præoccupare volentem, ne alij iungatur quàm aut tu volueris aut è re ipsius sit. Quod si filius præueniat, ducatque vxorem sine consilio tuo, & maximè si non pro conditione, sed indotatam aut humilis generis, aut impudicam, è domo amanda filium & reditus tenuiter subministra. Sed spe iniecta, vt si vterque rectè se gesserit, te post biennium recepturum. Quod si interim erga te & affines & nurus & filius rectè se gesserint, tuto recipere potes: & melius est, vt recipias, maximè si filios susceperint. Sin autem benè solum se gesserint nurus & affines, nurum recipe, filium amanda in peregrinas regiones. Sed si filios non susceperint, filium amanda, illam apud affines cum pensione relinque, aut apud te retine. Si filius benè se gesserit, affines autem malè, filium & illius filios ad te recipias, de vxore pro meritis statuas. Atque eò magis, si dum duxit, deceptus est ab affinibus. Mitiorem te decet esse semper, si filius vnicus sit, tum ob necessitatem, tum quia res caret exẽplo. Obseruandum est autem diligenter, vt filium & filiam à parentibus & affinibus disiungas. Si filius se supplicem agat, & deceptus sit, puellam domi recipere potes ea conditione, vt affines nunquam ipsam inuisant, nec filius illis congrediatur, & ipsa reclusa domi vili vestitu & in continuo opere textorio sit. Sic & parentes puellæ dabunt meritas pœnas, & filius atque puella frugi vitam agent, & tu sumptũ fermè omnem euitabis. In vniuersum maxima difficultas est in dignoscendis iuuenum ingeniis, post in corrigendis. Non paruæ autẽ infelicitatis causa adest parẽtibus quibus plures fuerint filij mali, aut si occupati sint, etiã vnus solus. Quin etiã si spõte miser factus sit filius, veluti morbo aliquo vel cæcitate.

Contingit magis progenitis à senibus, vt corpore sint morboso & imbecilli: velut à iuuenibus geniti, licet sint robustiores & incolumiores, minus tamen sunt prudentes & sapientes, non tamen adeò contumaces. Fit autem contumacia à frigido & sicco. Semen enim iuuenum feruidum est & membra omnia calidiora procreat, humaniora & corpora maiora efficit, & magis apta laboribus atque incolumiora: quæ si ad senectutem peruenerint, secundum naturam se habent. Progeniti verò à senibus ab ipsa pueritia, temperato semine ex propria natura, quæ calidissima est & humidissima, & ætate frigida ac sicca, prudentiam præferunt. Principalia enim membra temperata habent: cæterum corpus imbecillius, tenuius & faciem rugosam, si ex valde senibus progeniti sint. Facies autem habent magis pulchras ob id, quod non adeò pingues sint & melius delineatas, si mater iuuenis sit. Matris enim semen ad principalia membra constituenda ac temperanda parum facit, in cæteris multum. Vnde pueri ab initio longè magis & maioriq; ex parte facie & oculis matribus similiores euadunt. Ad corpoream autem crassitiem & carnis habitum atque colorem sanguis menstruus maternus magis facit. Vnde & in hoc & in moribus in iuuentuta matri quàm patri plerique similiores euadunt.

Itaque plurimum refert ex qua muliere filios tuos suscipias, iuuene an seniore, sapiente an stulta, boni an mali habitus. Nam si mater passa est ab infantia conuulsionem, si capitis morbis atque doloribus subiiciatur, protinus vt nati fuerint infantes, si non intereunt ex morbo illo per se satis ipsis familiari & hinc matre puerorum appellato, siderantur, vel mens eis concutitur. Ita si vno plurimo mulier vtatur, nascuntur à tali filij incontinentes & stulti, nec tamen corpore robustiores aut meliores. Ob hoc & Plato suadebat, vt mulieres prorsus à vino abstinerent: & Romani,

quod

quod maius est, etiam illud fœminis interdixerunt. Oportet & mores fœminarum obseruare: nam pueri non solum ob naturam, sed & ob educationem matribus plerumque in illis assimilantur. Quod si mater simpliciore victu vtatur ac plurimum laboribus se exerceat, robustiores & firmiores filios gignet: sedentariæ autem & imbecilles, inualidos & inertes generant. Tot igitur & tanta obseruare decet.

Ex his autem omnibus vitia corporis difficiliora sunt quàm animi. Animi enim fermè morbi omnes sanantur, licet difficulter & maximis cùm laboribus, & maiores æstus parentibus afferant; corporis non ita. Sunt tamen animi etiam, qui non sanantur, vt stultitia, quæ ægrè & vix vnquam ex toto sanatur: quoniam morbus est in parte, cuius medio sanari iuuenem oportet. In cæteris Aristotelis illud admirabile, nec vnquam obliuioni mandandum dicemus, Multum prodest educatio, imò plurimum, imò ferè totum. In pueris etiam corporis vitia & eo magis in infantibus: in iuuenibus animi difficiliora sunt atque periculosiora. In curandis etiam animi vitiis ad clementiam declinare patrem magis quàm ad seueritatem oportet, non solum quia parentis hoc est officium, sed quoniam errores melius hic corrigi possunt, & adolescentes magis patres amant & facilius illis detegunt arcana sua ac vitia. Curantur ergo morbi fontici præsidiis magnis, de quibus in Arte medendi parua dictum est.

Sed & fatis obuiam ire decet generosum virum: nec quidquam forsan fato fiet, si fatum non reuerearis, gnauiterque repugnaueris. Statue quod velis, non quòd fata decernunt, aut vates, Astrologusve prædicit. Fatum existimamus! cum nostra socordia, ignorantia, auaritiáque peccauimus: nihil antequam fit, apud eum, qui pugnat acriter & prudens est fato venturum decernitur: postquam euenit, fato excusamur potius, quam illud esse persuasum sit. Si genus fatum ostendit, tu euita, quod præsens est, malum, quodque non necessariò venturum est. Si speciem ac tempus, exemplum ostende. Quòd te fatum permisit virum strenuum, sapientem, egregium esse ad defensionem, non credas fato id esse decretum, nam non sineret fatum te obstare. Facit opinio fati fatum ipsum, cum te segnem reddit, & spem tuendi aufert. Aliud est fatum, quod in libris de fato esse docuimus, quodque per se est, & apud Deum, cuius nullam scire mortalibus portionem licet: aliud dicere, quod fato futurum sit, quod præscire te putes. Hoc enim absurdum est, nec peccata tua, si deliqueris, hoc commento, aut errores palliare (sic dicere liceat) decet, aut potes. Sunt, fateor, multa & difficillima & etiam necessaria, quæ præuideri possunt; sed effugere tamen non licet. Sed hoc non fatum est, sed apertam habent causam & naturalem; velut morbi ex medicina cogniti, mores improbi & stulti experientia deprehensi, seu ex astrorum peritia. Sed tamen multum hæc inter se differunt: qui enim periturus est ex hoc morbo, ita ex hoc morbo periturus est, vt non ex alio, & necessitatem habet in specie: & cum mortuus fuerit, dolorem, quod errore tuo mortuus sit, nullum affert; sed, nisi causam externam attuleris, Dei voluntate mortuum esse scis. At qui malè periturus est ob stultitiam aut improbitatem, temeritatem, inconsultasque actiones, aliquando existima sic periturum, & sciri fatum de hoc posse: tu tamen prohibere potes, ne nunc eueniat, sufficit, quod, quandocumque futurum sit, atque euenerit, tunc fatum expletum sit. Et, si nunquam eueniat, admonitionem, non fatum esse dicito. Cur est, quod, qui fatum non credunt, quique etiam Astrologos & vates non consulunt, fortunatissimi sint? an nescire vtile est? certè non, sed non falli vtile est. Falleris, si credis fatum te scire: nam & in arcendis malis segnis factus, ex vmbra rei fatum efficis: idque tibi euenit, quod his qui ob vanos timores & nocturnas laruas, quas sibi fingunt pereunt. Et in bonis, dum fato confisus, exspectas, non vrges fatum, frustratum te experiris & quereris. Quid est, quod non æquè certum est fatum in rebus secundis vt aduersis? nisi quod nullum sit fatum Culpa autẽ tua cõtingit, quod mala ex diffidentia tua succedunt, & bona, quæ non nisi iuuantibus nobis perfici possunt, ob inanem fati spem diffluunt. Si ergo auguria, miracula, astrorum decreta, atque huiusmodi omnia tanquam causas naturales habueris, non tanquam fati partes, oppugnaueris que ac repugnaueris gnauiter; non solum felicior eris his, qui ex fato sua negligunt; sed etiam his, qui solum actionibus suis & prudentiæ confidunt. Neque enim dubium est, quin, si cui astrorum reditus multa aduersa & violentia minetur eò anno, diligentius prospicienti multo mala euentura sint, quam ei, qui solum eodum prospicit, quo generali ratione etiam aliis in annis prospicere solebat. Inter reliqua tamen diligenter animaduerte, cum filius sæpius in infelicitatem cadit, seu sponte seu errore, vt videas, an vestigium aliquod in corpore habeat omnino absurdum atque insuetum, illudque conare quàm diligentissimè eradicare.

Si ergo casu miser filius factus sit, terendum tunc tempus non est in arguendo: nam interim forsan occasio auxilij præteribit, aut saltem differetur: illi verò importunè, vt leuandus est à mœrore, mærorem augebis, teque oderit secretè vt post, si euaserit, difficiliori vtaris. Statim ergo, more egregium Medicorum, ad auxilia te conuerte pro ratione facti, nec terrearis magnitudine malorum, nec vnquam ob desperationem desere, nec inutilem ei incute aut non necessarium metum. Tuus sit solus dolor & timor, si bonus es pater. Sed hortari ad patientiam filium decet, & ad pietatem vtilissimum est. Nam qui Deum colit, ab omnibus his, qui pro crimine habentur & multis etiam aliis, qui criminis nomen non merentur, abstinebit. Secura est ergo probi vita. Improbus verò etsi felix videatur nec plectatur; non tamen securus esse potest: quare nec felix. Melius est ergo bonum esse & securè viuere, quam improbum & semper cum suspicione. Discite ergo patres filios vestros, quod & rectum est, vel solum vtilitatis eorum causa in

in timore domini erudire. Sic enim boni beatique erunt, & securè vitam deducere poterunt. At vbi quis Deum contempserit, primum in omnia flagitia erumpet: tum quomodo patrem reuereri poterit, qui Deum non veretur? Quod si nec vt Deo pareat, nec vt pietatem colat, inducere in animum sustineat, hoc lucrifaciet saltem, vt cautius viuat, nec obiter quidquam facturus sit. Dicebat olim pater meus me docens, Reuerearis semper Deum; ille enim fons est omnium virtutum: quod si eum deserueris, nullum habebis vitæ tuæ scipionem, (vtar enim ipsius verbo;) sed in incerto perpetuo vagaberis. Omitto, quod, si Deo non paruerit filius tuus, nullam æternæ vitæ spem habere potest. Quo igitur capro vel tauro melior est aut felicior? Discite patres, docere filios vestros, venerari Deum ac colere. Id enim non diuina solum lege & humanis iuribus continetur, sed & præceptis naturæ totisque Philosophiæ, & ad decorem pertinet. Ille enim optimus, sapientissimus, potentissimus, omniumque virtutum fons est & veræ felicitatis auctor. Eadem ratione sic instituendus est filius, vt discat, nihil agendum esse, quod, si detegatur, capitale sit. Hoc enim deterius est, quàm subire periculum supplicij manifestè. Quin enim supplicij periculum manifestè subit, & fuga seruatus est extra periculum, & infamem se non reddit, nec cogitur silentio perpetuo tegere, quod patrarit; & semel liberatus semper liber manet, & cum periculo gloriam fortitudinis coniungit, & misericordia & laude dignus efficitur. Solet etiam vsui his esse, apud quos effugerit, velut strenuus & fidus ac liber vir. Dico, quod occidere hominem longè melius est palam, quàm, veneno necare: nam qui veneno occidunt, dum sperant fraudem occultam futuram, sæpè capiuntur & pereunt. Quod si modò non eueniat, coguntur, factum perpetuo tegere; estque id, quasi quis cordi perpetuum æstum atque ignem adiiciat. Inter loquendum, in conuiuio, in ira, in metu, semper est in periculo, ne semetipsum per imprudentiam prodat. Quanto magis si aliquem, quicumque sit culpæ socium habuerit. Si detegatur, vilis, stultus, abiectus, infamis haberis: si non detegatur, etiam suspitiones solæ te discruciant, & infamem reddunt, tametsi supplicium effugias. Itaque satius est mori semel totum, quàm sensim millies. Huiusmodi ergo etiam si quis non detegatur, magis afficiunt, quàm quæ palam facta in manifestum vitæ periculum adducunt.

Sunt autem talia, de quibus agimus, vel inuisa vel omnino iniusta. Inuisa quidem vt dixi, vt si quis, inimicum veneno occiderit. Iniusta, vt si prodideris alumnum tuum, aut clientem, aut dominum, aut valde coniunctum, aut si depeculatus fueris Principem; tum maximè quòd, si huiusmodi aliquando Princeps rescire velit, detegi necesse sit. Flagitia enim, quantuncumque occulta, magna ex parte à complicibus, maiora ab æmulis deteguntur; omnia tandem tempus ipsum reuelat. Itaque duplicatum est hoc malum, scilicet conscium esse capitalis culpæ, & eam tegere cogi, & simul id etiam scire, quod si fortuna contingat, vt Princeps detegi curet, non posse celari.

Sunt verò quædam, in quibus omne mali genus repositum est, iniusta simul atque inuisa: velut in Principem coniurasse, prodidisse Rempublicam, monetam adulterinam fabricasse, affinem ob hæreditatis spem sustulisse, hominē spoliandi causa occidisse. Dixi peculatū & collusionē iniustam esse nō inuisam: nam ad pecuniā solum pertinet: homines autē in his non adeò seueri sunt, vt hominem ob id oderint, conscij propriæ culpæ, & quòd talia & ipsi, si securè liceat, facturi essent, aut si facturi non essent, humanum tamen peccatum hoc esse putant. Tantus enim est amor diuitiarum, pecuniæ & opum. Et in paruis negotiis animaduertunt se etiam hac culpa vix vnquam carere.

At quæ ad mortem & cædem pertinent, vt plurimum inuisa sunt etiam, si non iniusta; quoniam non videtur mors cuiquam bono esse, sed ad iræ potius satietatem solum pertinere. Quædam verò sunt ex his, quæ cum iusta sint, ita occultè peraguntur, vt nec hominem discrucient celata, & si detegantur, præter leuem infamiam nihil mali adducunt. Reuereri igitur Deum ac benè pensitare rem conuenit in huiusmodi, quoniam leges non puniunt nisi facta; hæc autem ad non facta pertinent. Tam verò obnoxia est hominum vita benefactis atque eorum indiga, quàm etiam sceleribus factisque atrocibus.

Conuenit & iuuenem in assiduo opere detinere, atque sic, vt etiam voluptatibus iussu tuo discat vti. Sic enim & patrui illi apud Comædos oblectant suos alumnos. Hoc verò triplici vsui solet esse: primum, quod, dum his incumbunt, deteriora relinquere cogantur: alterum quòd discant assuescantque omnia tuo arbitrio facere, tibi in omnibus parere. Non est verò vllum bonum maius obedientia in filiis. Tametsi enim deterius sit, filium esse stultum quàm contumacem, per obedientiam tamen stultitia tegitur. Videmus id in phratriis, vbi, nisi admodum subtiliter inquiras, neminem deprehendas stultum, propter exquisitam obedientiam. Quamobrem is filius, quantumvis malus, plus quàm mediocriter bonus censeri potest debetque, qui in omnibus patri est obediens.

Quòd si nouercam, ob filiorum paupertatem, prioribus filiis inducere volueris, (nam ad id quemquam cogi nunquam fatebor, vt vt in pauperibus satis frequens fit, etiam cum plures habent filios, vt mortua vxore nouercam inducant:) tunc melius est extra domum filios, si licet, educare, ne perpetuo in iurgiis, contentione, metu atque suspitione viuas, aut non viuas. Cum verò magni fuerint & vxor mitis ac bona, conciliatis inter illos animis, etiam in domo poterunt habitare, præcipuè si perpetuo negotiis addicti parum maneant domi. Maxima autem diligentia procurandum, vt illi paruos ex secunda, vxore natos foueant, & charos habere se ostendant. Vt sic mutuis deuincti officiis in summa pace atque concordia maneat ac viuant.

Hactenus de filiorum curanda miseria, aut lenienda dictum est: nunc ad principale institutum reuertimur. Id verò est, quonam pacto

pacto ex filiorum miseria licebit fructum aliquem vtilem decerpere atque colligere. Atque id in primis animaduertendum, vt discamus non tantum eosdem fructus in filiorum aduersis per singula genera colligere, quos etiam in propriis nostris calamitatibus; dico autem carceris, exilij, morborum, deformitatis, paupertatis, contemptus, infamiæ, litium, inimicorum: verùm etiam tanto vberiores, quanto quisque in calamitate filij minus est impeditus quàm in propria. Tum verò genus hoc commodi, licet incommodum sit vnum, in duo partiri conuenit, quorum vnum sit commodum, quod ad ipsum filium peruenit: alterum, quod ad teipsum. Itaque in filiorum incommodis aliquanto locupletior euades quàm in propriis: tametsi enim filius & pater vna censeantur persona, facto tamen & rebus ipsis manifestè differunt. Nam neque illo capto tu captus es, nec illo ægrotante tu ægrotas, nec illo exulante, tu exulas. Finge igitur, vt vno exemplo vtar, (nam aliter res ipsa perplexa nimis esset, si sine exemplo tractaretur, vel penè infinita, si per singula vellem incommoda exemplis rem declarando transire, filium tuum pœna capitali damnatum subduxisse se atque exulare, rebus tuis saluis, quod fermè semper euenit: nam filij delicta etiam aduersus Regem solent patribus non obesse. Vt manifestè visum est in parricidio Hieronymi Olgiati, qui Galeazium Sfortiam Mediolani principem optimum, vt postea visum est ex calamitate succedentium, sine causa aut penè sine causa occidit. Crimini tamen non fuit patri, quod non receptum adolescentem curaret tradi lictoribus, sed grauiter increpatum repulit: nec matri, quod ob sexum & maternum affectum occultare illum nixa sit. Hoc autem verè est leges seruare, iustis affectibus multa condonare: ob exemplum tamen ambos in exilium miserunt, ne coram oculis ciuium versantes animos seditiosorum ad aliud contra filios defuncti principis facinus patrandum accenderent, quasi neglectu pœnæ facinorosum, quæ aliter à populo, aliter à legibus ac sapientibus æstimari solet.

Si itaque tu quidem domi sis, filius autem tuus in exilio, iam vides hæc duo statim commoda, ex quibus etiam tertium quoddam oriri necesse est. Primum igitur, filium tuum instituere debes per literas, si secus facere non licet, vt commodis exilij vtatur atque ea decerpat. Verùm vt ad omnes etiam ictus fortunæ paratus sit, prudentem, vt dixi, illum esse oportet; tum verò etiam corpore agilem. Sed prudentiæ pars est, non esse iracundum. Ira enim, vt dixi, furor est temporaneus. Quomodo autem prudens fiat, & ab ira se temperet, suo loco, dum de stultitia sermonem habebimus, docebitur. Norit etiam super reliqua id præcipuè, quid sit magnum & paruum in rebus. Hoc enim præcepto fermè omnes humanæ actiones continentur, seu generaliter intelligatur, seu ad singulorum tractationem deducatur. Nam magna sunt, arte coniugem eligere, opinionem bonam ac existimationem seruare, hominum vita, fortuna, lex generalis seu religio, vitæ propriæ aut filiorum periculum: parua autem, lucrum exiguum, amicus vulgaris, conuiuia & voluptates, obsequi precibus clientum, in contentione vincere, plausus vulgi, blanditiæ principum, leues suspiciones, mediocria studia literarum, facta amicorum, lucra assidua sed exigua, aut rara non valde magna, societas prudentum, itinera longa, magistratus, morbi, lites atque eiusmodi. Cum igitur filius prudens exulat, particeps fit eorum commodorum, quæ suprà commemorauimus. Eliget patriam, socios, vxorem, si è re erit, atque alia, quæ diximus. Horum igitur omnium primorum bonorum tanquam tuorum causa lætaberis. Sed & tum primum tibi ipsi de illius prudentia gratulaberis. Interim verò tu illum, ille te salutabit, monebis, auxiliaberis, mutuúmque exercebis commercium. Si ille ad te venire prohibetur, quin tu ad illum eas certè nihil vetat. Cum ad illum is, quale desiderium cum appropinquas, quæ exspectatio? cum adueneris, quantum gaudium? qui amplexus? Parua omnia mediocria, mediocria magna, magna maxima vtrique bona videbuntur, eritque congeminata voluptas, & eo vtraque dulcior, quo rarior & vetita magis atque diutius prohibita fuit. Etenim,

Nitimur in vetitum semper, cupimúsque negata.

Facit absentia omnia pulchriora, desiderium dulciora, exspectatio suauiora. Nec solùm præsentibus frueris; sed post discessum memoria præteriti & spes reditus rursus magnæ voluptati sunt. Ad illum fratres & familiares transmittere, illius contra filios recipere potes. Quid commemorem epistolas cum nunciis de statu Reipublicæ, nouisque rebus? Quid dona, quæ mutuo transmittuntur? in quibus maior etiam est voluptas misisse quàm recepisse. Sed diximus iam ante singula hæc, nec est, vt repetam ampliùs: scias tamen in filiis ista congeminari. Iam igitur ad aliud genus calamitatis propriæ parentibus transeamus. Id verò in filiis est improbitas, quæ miseros parentes torquet.

CAPVT VIII.

De Filiorum improbitate,

OPtimum autem in limine antidotum præparare oportet, quod non solum ad ferendum æquo animo improbitatem filiorum vtile sit, sed etiam ad curandum. Id erit, vt cogites, omnia, quæ admittit filius, flagitia, omnia illius dedecora, tua esse, ac perinde fore, ac si illa tu admisisses, tu patrasses, te fecisse homines arbitrarentur. Hoc animo si ad curam accesseris, rectè quidem morborum filij bonus Medicus appellaberis, & plerorúmque curationem obtinebis, aut æquo saltem animo omnia ferre disces: sin aliter feceris, frustra ages. Reputa etiam commoda & spes illius, & ætatem, mortaliúmque conditionem, & errores adolescentiæ tuæ; illúmque non habere vllum defensorem præter teipsum: reputa sumptus iam factos atque labores qui perierunt, ac curam vxoris tuæ illiúsque parentis, & quæcum-

que præterea superius retulimus, vt illum maximi æstimes ab initio, nec ab obitu ftauderis. Immensum enim existima donum esse & ingens patrimonium, habere filium iuuenem, in quo fides, auxilium, decus, spes stirpis propagandæ, & augendæ rei, ac conseruandæ existimationis tuæ reposita sunt.

His si munitus consiliis accedes, aliquid sperare potes, aliter non. In omnibus etiam huiusmodi, quoniam maxima sunt periculo, & dubia consilio, & difficilia tractatione, diuinum implora auxilium. Nam in his atque huiusmodi, vbi tam de salute animæ filij quam corporis agitur: non tantum id facere expedit, imò etiam necessarium est, nihil enim boni absque Deo. Deinde ne sis nimis remissus in castigando: aliter enim procedente luxuria ac sceleribus dabit forsan pœnas, quarum tu reus, tu tanquam nimis indulgens pater dici poteris. Sed hoc parum est, illud magis refert, quod temet ipsum huius malis auctorem facies, vnde nunquam beatus viues. Sin autem acrior fueris exactor, in desperationem adactum adolescentem impelles in exitium vel fuga vel ira vel tristitia. Propterea temperare oportet curationem ac super omnia effugere, ne quid inconsultè aut iratus aut etiam discedēte & sedata ira facias aliquid eorum, quæ in ira decreueras. Hoc enim est, in quo plurimi, qui sibi prudentes esse volunt, nunc tamen peccant. Moram vltioni, sed non auxiliis interponere semper oportet. Itaque sunt quædam vitia coniuncta, quibus si opportunè vtaris, vno alterum emendabis. Velut si filius scortator sit atque aleæ deditus, vtrouis horum alterum commodè corriges. Sed opus est priùs te scire primùm, in quo maius sit periculum, & in quo magis ille peccet. Deinde, naturam quoque & mores iuuenis: quidam enim timore flectuntur, quidam amore mutantur, alij neutro, sed perseuerantia; quidam patrem odio habent, quidam amant, sed non venerantur; quidam peccant ipsa incontinentia, quidam scelere, sunt, qui perstant in proposito, sunt, qui non; alij moniti irritantur, alij placantur: quot adolescentes, tot ingenia, tot vitia quoque diuersa, fures, sicarij, adulteri, scortatores, impij, lusores, proditores, ganeones, sycophantæ, impudici, turpes, inertes:

Ergo, quod proposueramus, si lusores sint ac simul scortatores filij, quid agendum? Malum malo, vt dixi, repellemus. Quoniam verò alea non tantum est periculosior, seu quæ non fatigat, & funditus hominem perdit; verum etiam in scortatoribus magis adhuc damnosa: idcirco consultum est, vt, quam filius amat, conueniat amicus paternus aut ipse pater, sed tutior est prudens & fidus amicus, isque doceat scortillum aleæ filij, suadeátque vt eum ab hoc studio auertat, futurúmque, vt ipsi se totus addicat, si ab hac consuetudine illum reuocauerit: inde proponat præmia, & aliquid interim det, ne solis verbis agere videatur. Sæpè dein eandem conueniat, atque, si per amicum res agitur, illam quasi vxorem filij aut amici reuereatur & amare se simulet. Decet enim, non solum licet pro verbis verba dare. Sed nec, vt dixi, sola verba dari velim: verùm etiam munera: nam si per illam seruetur filius, præmium illorum non leue consequeris. Sed fac, quod in scorto maior sit iactura, tum amicos & collusores suos conueniemus, & quanto se ille periculo exponat docentes rogabimus, vt filium distineant. Atque ita etiam vitium vitio depellere licet, & scortum pro scorto, ludum pro ludo obiicere, vt & periculum, iacturam minuamus, & pertinaciam ac perseuerantiam frangamus. Estque id primum auxilij genus, licet sit præceps.

Secundum est in exemplo Catonis senioris qui, dum filiolus lauaretur, etiam astabat, & patris Galeni, qui & ipse, quamuis diues esset, nec magistris deficeret, filium suum instituere nunquam neglexit, nec quidem per totam adolescentiam. Pater quoque meus, quamuis pauper, etiam id curauit perpetuo. Ipse itaque summa diligentia filium instituendum curabis. Si namque diues, nihil melius quàm vt habeas, cui toto relinquas opes: si pauper, melius est sic horas collocare & quæstum negligere, quàm, ob exiguum quæstum, filium, propter quem quæstum facis. Moueant te exempla eorum, quæ diximus tum & aliorum, quorum nemo à patre institutus diligenter non euasit in bonam frugem. Ratio quoque, vt iam dixi, id docet. Quis enim aut pie magis, aut magis amanter filium docebit, quàm pater, qui ipsius vitia melius agnoscit, vtpote propria aut vxoris. Raro enim filij vitia habent infixa penitus, quorum semina saltem non contraxerint, vel à parentibus aut saltem à maioribus.

Curabit igitur pater filium diligenter, nec pigebit ipsum laboris, nec tædio afficietur. Cōsiderabit etiam, quæ ex astris significantur, vt melius occurrere possit: nam dici solet illud.

Et præuisa minus tela nocere solent.

Quamprimum verò patri cognita fuerint filij vitia, non exspectet incrementum, sed vel inprimis hic obseruet illud,

Principiis obsta, sero medicina paratur,
Cum mala per longas conualuere moras.

Habeat ergo pro exploratoribus socios iuuenis, vt pullulantes perturbationes agnoscat subito & exstirpet. Duplex est ergo hic labor agnoscere & euellere, magnus quidem, sed prædulcis. Nihil enim dulcius quàm auferre quod tædium afferre potest.

Quod si ex astris difficultas prætendatur, aut violentus exitus, phratriæ adiiciatur, vel suscepta iam prole, si times defuturam posteritatem, vel etiam statim, si illud non times, & periculum sit ingens, vt proditionis læsæ maiestatis ac propinquorum. Neque verum est, vt isti putant, quod decreta astrorum effectus suos simpliciter producant; sed, vt dixi in genere solum, & plerumque, & ad eos procliues reddunt, non omnino impellunt. Si minora sint pericula, artibus vilioribus, vbi liceat, atque assiduæ operæ adiicies, vt fabrili & cerdonum.

Quartum præsidium à societate quærendum. Nam qualem, vt dici solet, vitam ducere vis, tales habeto socios. Itaque & prudentes & laboriosos adiicere curabis ac etiam temperatos, nulli parcens pecuniarum iacturæ. Quod si tam vetus, tam ingens sit malum in filio tuo, vt illos potius corrumpat, quàm emendetur ab illis, plures adhibeto,

&

& velut in magnis morbis idem auxilium sæpius repete. Nam vt erysipelata sæpius admoto frigido plantaginis aut aizoi succo curamus: sic repetemus idem remedium, & interdum absque iniuria tamen, socios commutabimus, vt tandem grauis ille animi morbus ac quasi æstus retundatur. Adiungemus etiam illi pædagogos seueros, licet specie amicos. Copulabimus autem ac deuinciemus eos cum illo imagine virtutis aut industriæ vel voluptatis, vel etiam leuioris cuiusdam vitij. Fallere namque adolescentem facilè est, vincere perdifficile.

Quintum præsidium est coniugium: de quo iam dictū est in superioribus: sicut etiā de mutatione domus aut regionis, quod sextum erat.

Septimum auxilium ab Arte Medica deducitur, præstatúrque vel abstinentia perpetua à vino, vel purgatione atræ & flauæ bilis assidua: ab his enim duobus humoribus, donec cōsederit morbus in anima, scelerū & flagitiorum amor prouenit. Purgantur autem elleboro ex iure castrati. Vt à vino perpetuo abstineant, anguillam in vino per octo dies dimitte, cola, dabis totum, id est sextaria tria. Conuenit perpetuus aquæ vsus, imò necessarius est omnibus, qui cor aut cerebrum immodicè calidum habent: sed & si iecur tale sit. Vtilissimus etiam est omnibus cuiuscumque sint temperamenti, ad annum vsque vigesimum ob prudentiam, vt dixi. Cæterum mulieribus etiam per omne tempus vitæ, quod Romanos obseruasse testis est Cicero in III. de Republ. & Polybius in VI. Historiarum. Atque hinc fuit, quod illa Romanorum ætas prima & sine adulteriis fuerit, & insignis concordia vxorum cum coniugibus. Interdici autem vinum mulieribus tam est vtile, vt nihil amplius. Ipsæ enim pudicæ manent & quietæ, & felicior est vteri gestatio, infantes absque metu comitialis morbi incolumiores, maioribúsque corporibus & animis prudentioribus nascuntur. Vt Mahumetes summum commodum dimidio præcepti absoluerit.

Cæterum ad prudentiam in adolescente mirum in modum faciunt prudentis viri & auctoritate præditi assidua consuetudo & libri eiusdem generis, quales hi sunt; sed pro adultioribus: nam pueri & imperiti his non proficiunt, sed mollioribus indigent. Nam, vt Horatius docet.

Vt pictura poesis erit; quæ, si proprius stes,
Te capiet magis, & quædam si longius abstes.

Quæsiui in hoc argumento quædam, nec quidquam inueni: nam Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Plutarchi, Senecæ præcepta altiora sunt, quàm vt degustari possint ab adolescentibus. Poëtarum fabulæ, & Æsopi, & Luciani, plus habent sordium, quàm sinceræ virtutis. Itaque hac in parte pauperem video omnem linguam, nec tam Latinam & Græcam, quàm etiam Italicam. Scribunt leuia grauiter & impurè sine iudicio. Vt meo iudicio puerilis animus, præceptis D. Ambrosij in libris de Officiis imbuendus foret, si stilus paulo molliusculus esset. Sed sapit nescio quid nimis densum ex Theologia. In vniuersum simplicia, facilia, pura, nitida, pia, ornata & perfecta atque absoluta esse debent, quæ pueris ad instituendos mores traduntur. Sine disputationibus, cōtrouersis aut rationibus vllis facilius est omnia præter vltimū absoluere, quā vltimū hoc sine cæteris omnibus: quoniā, vt dixi, sine singulari Dialecticæ disciplina tradi non potest. Tertiū, quod ad prudentiā adolescentis facit, præceptū, est frequēs incommodum ac diuturnum, metúsque graues atque iacturæ, vt sic suo periculo monitus discat, si simplex fuerit; aut pareat, si contumax exstiterit. Huc quoque confert vsus pulueris smaragdi lapidis in cote attriti, tum & margaritarum; item succi agrimoniæ, quàm eupatorium esse putant, adeò, vt etiam supposita herba capiti dormientis vel gestata conferre credatur. Sicut & topazius lapis & amethistus collo suspensus. Dicunt etiam de Gagate, quod vix credo. Hæc etiam ad naturalem magiam pertinent: velut & illud de imagine quauis, in auro puro vel gemma facta, dum Luna in Ascendente Ioui vel Veneri iungitur in Tauro vel Leone vel Piscibus. Ad idem pertinet, & efficacissimum est, si quis hominis decollati sanguinis, cum siccatus fuerit, frustum serico inuolutum in vase ex hyacintho deferat. Hoc enim, vel si nesciat, multum iuuat; si sciat, longe plus. Sunt & alia scripta in libro Secretorum.

Nonum auxilium sumitur à supplicationibus, quæ fiunt, dum quis ab omni iniuriæ acceptæ memoria, à pecunia aliena, à calumnia solutus, mente pura & immobiliter in Deum fixa solutionem à scelere & securitatem à supplicio rogauerit, interea dum puer aut puella virgo, quæ annum excesserit septimum decimum, non attigerit, aut vix, & in testimonium ad id vocata dicit Orationem Domini. Hoc autem ipsemet facere debet. Nam si pater pro filio fecerit, filius veniam consequetur, ipse mulctabitur, forsan etiam vita. Difficilius autem hoc factu est quam existimetur.

Decimum petitur ab ingenti & diuturno morbo. Vnde etiam auxilia à futura crauei, de quibus postea dicemus. Vndecimum, à magno ac diuturno metu. Duodecimum ab inedia, à labore, carcere, triremibus, ac generaliter his, quæ magnam corpori & animæ vim solent inferre. Et scias, quod asperi filij ac iam in flagitiis confirmati, sub mollibus parentibus magis quàm sub asperis reuocantur ad frugem: contra molles & nondum imbuti scelere, sub asperis potius durísque parentibus. Magna enim vitia & confirmata si quis euellerere aggrediatur, aut hominem perdit, aut non sanat morbum, sed in alium commutat. Inuerecundiam nunquam sanari credidit Seneca argumento, quod histriones affectus omnes effingere oculis, vultu, gestu soleant, præterquam verecundiam, sic, vt rubore vultus perfundatur. Nunquam verò filios improbos aut insanos solos relinques, ne, vt in vacuam aream feræ & animalia ingredi solent, sic in animam hominis solitarij & nihil cogitantis consilia parua irrepant:

Sic autem aggredieris filium: fili dulcissime, postquam fortuna nobis non tantas largita est opes, vt viuere possimus, cogimur aut furari atque latrocinari, aut mendicare aut laborare. Primum periculosum est, nec diu perseuerare

rare in eo licet. Secundum turpe, nec etiam satisfacit commodis vitæ. Quare, cum tertium amplexari sit necesse, rogo, vt pro eo amore, quo te genui, educaui, ac prosequor, qui maior est quàm mei ipsius, vt velis ita agere, vt hanc miseram senectutem, hoc breue tempus, quod mihi vitæ iam superest, iucundè ac suauiter ducere per te liceat. Id si egeris, tibi gratias habebo. Deoque satisfacies, à quo omne præsidium est exspectandum. Licet etiam segnes quandóque simulata ira excitare. In magnis flagitiis irasci non inutile est. In miseria, quàm subsequi illa necesse est, nec amor misericordia adeò te torqueat.

Porrò vitia adolescentum innumerabilia, esse possunt: quæ verò magis nocent, sunt alea, ebrietas, scortatio, mala societas, furtum, iniuria, ad quam plerique plus iusto proni sunt, & inertia, omnium malorum parens. Commoda verò ex his filiorum vitiis pauca sunt, ea ratione, quam de nobis ipsis superius attulimus. Nihilominus si quid in hoc vtile excogitari potest, id totum ad tria capita reducitur. Primum, vt in omnes simus moderatiores, & præcipuè in ancillas, familiares, aliosque domesticos: sicut Socrates de vxore sua Xantippe prædicabat.

Secundum, vt discamus ea vitia in virtutes vertere; velut iracundiam in fortitudinem, inertiam in tranquillitatem, dolos in cautionem, scortationem in multitudinem filiorum, ludum aleæ in comitatem & multitudinem amicorum.

Tertium est, vt minore cum solicitudine pro filiorum periculis viuas, & illorum calamitatibus minimè affligaris, si eueniant. Etenim quid adeò auxit dolorem necis filij mei tam immensum, nisi singulares eius virtutes, probitas, mansueto, liberalitas, benignitas pudor, fides, pietas, quodque laboriosissimus esset atque patientissimus, vt in horum nullo mortalium cuiquam cederet, quodque indies in melius proficeret?

Sed vtrum est melius iniustè perire an iustè? Mihi sanè videtur, illum qui perit, minore dolore affici, si iustè pereat, quàm si iniustè; nam iniuriam non patitur; iniuria autem dolorem parit. At quod ad honorem & posteros attinet, melius est iniustè perire: minore enim infamia, imò nulla afficiuntur, quando sic pereunt: imò potius, qui damnarunt, infamia digni sunt.

Neque verò quàm primum moribus mutatis adolescentis credas. Semper metue, ne, quod dici solet.

Naturam furca expellas licet, inde recurret.

Ideóque oportet perseuerare in corrigendo illum, atque in confirmando saltem. In vniuersum, filiorum & diuitiarum res contrario modo se habent. Nam filiis carere malum non est: diuitiis carere, malum filios habere, bonum; diuitias habere, non bonum. Diuitiis omnia habere possumus; sed si improbos habeamus filios, omnia verò alia habeamus, sumus absolutè miseri. Ita diuitiæ & filij quasi circa contraria versantur contrarióque modo homines afficiunt.

Vitia autem, quæ in adolescente vix emendantur, sunt perfida, crudelitas, furtum, ebrietas, mendacium, stultitia, contumacia, fuga, impatientia. Quæ quidem emendantur maxima ex parte, sunt ira, impudicitia, alea scortatio, iniuria, mala societas. Ex prioribus verò tria pessima sunt: contumacia scilicet, mendatium, & fuga. Quoniam contumacia ipsi emendationi è regione opposita est atque contraria mutationi, vt mendatium causæ correctionis, & fuga vtriusque. Ob id ergo vnumquodque horum viam emendationi præcludit, & vix tolli potest, imprimis quod & augeant semetipsa, & ex seipsis incrementum suscipiant. Stultitia etiam inter pessimas animi perturbationes reponitur, & maximè fatuitas. Verum quia aliqua morbi rationem subit, atque ideò medicina sanari potest, non tribus illis adnumeratur. Quæ tamen naturalis est, & maximè fatuitas, omnibus deterior est. Istis deterius est, si quidquam admittant, quod corrigi non queat. Vt si vxorem inuito patre ducat, aut inscio, quemadmodum filius meus egit. Nolo nunc legem improbare, quam diuinam esse aiunt, sed quid agendum sit, docere. Ego cum primum hoc ille perfecisset, statim eum extra domum amandaui; domus necessaria, instrumenta & libros dedi, reditus illi omnes fermè consignaui, lucella ad illum transmisi, duplici compendio, vt & ille lucraretur atque innotesceret in ciuitate & ego liberius literis ac studiis vacarem, auctoritatique meæ simul ac pietati consulerem: neque enim poteram, qualem oportebat, diligentiam pauperibus exhibere. Persuasi præterea affinibus illius, vt ei consulerent, vt vellet quam sanctissimè viuere, vrgeréntque acriter illum & persuaderent, vt, postquam simplicitate ductus vxorem duxisset sine consilio, virumque se exhibuisset in vxore ducenda, exhiberet etiam in vita transigenda, & in tractatione. Addidi præmium ingens vtrique, siquidem pollicitus sum, me & ipsum & coniugem, si hæc perfecisset, recepturum. Conuersus etiam ad curam alterius filij, tanquam priore magna ex parte priuatus, ita huic caui, vt si periisset. bona ad fratrem non deuoluerentur, ne spe successionis filio minori insidiarentur agnati maioris, quos ego satis, quales essent, noueram: atque exitus ostendit me deceptum non esse in eo iudicio. Eum verò erudire etiam cœpi: quo in officio & nunc perseuero. Priorem interim admonere non desinebam, vt frugi virum se exhiberet, meminisset quantum vno verbo opum prodegisset, simulque iacturam fecisset & existimationis & potentiæ, quam ex nobiliore affinitate fuisset adepturus: præproperam fuisse nimis atque, vt ita dicam, inconsultam vxoris ducendæ deliberationem. Adiiciebam autem, ne verbis meis irritaretur, ex illius morte nullum commodum exspectandum, quod vel ad delendam infamiam, vel ad affinitatis nobilioris ac potentiæ recuperationem, vel ad opum restitutionem pertineret: nam omnia illa esse primi coniugij priuilegia, vel succedentium, quoties quis in primo coniugio non deliquisset, modo vniuersam spem in suscipienda sobole, & in virtute atque eruditione, quæ propria sunt stirpis nostræ arma, esse collocandam. Deueniebam inde ad singula, cogeret vxorem honesto habitu incedere, non esse

esse illum conditioni ac existimationi suæ, pudicitiæque vxoris ipsius congruentem. Faceret, vt homines dicerent, si non diuitem, saltem honestam adolescentulam duxit. Continere eam in imperio suo, ablegaret è domo sororios. Non enim sufficere reditus aut lucrum ad alendum cum vxore familiam, multo minus vt vellet, quæ non posset, alienos scilicet nutrire: opus esse vestimentis, famulis, ancillis, domo conducta, aliisque. Poterant hæc illum reuocare ad bonā frugem, & æquare fermè bona iacturæ indotatæ vxoris atque temerarij coniugij, ni fata & summa affinium inopia obstitissent. Neque enim illis sufficere videbatur, filiam collocasse sine vlla penitus dote, & ne cum vnico quidem obolo; sed etiam secum rationem inierant, me cogi oportere, vt filio in omnibus obsecundarem: illum verò tum propria simplicitate, tum nouæ nuptæ delitiis victum, alere oportere totam familiam suam. Quod consilium tam erat absurdum, quàm iniquum. Neque enim tanto decoctori cum tota sua familia totum, quidquid habebam, cum lucro etiam meo, sex mensibus suffecisset. Præter reliqua enim decoxerat, vt audio, fermè quadraginta sestertia: & erant ei in ære alieno centum, vt aiunt. Quamobrem nullum consilium, nulla diligentia aduersus improbitatem ac stultitiam simul coniunctas sufficere potest.

Nullus homo quacumque prudentia, maxime in alieno facto, & ea in ciuitate, vbi leges fluxæ sunt, resistere potest infortunio & sæuienti filiæ temporis. Mortalium nemo prouidentia fatis obstare potest. Aberraui ego in hoc vno, quod restiterim ipsi tunc, cum vellet vxorem diuitem ducere, quæ tum stulta erat ac sterilis, tum non satis etiam probatæ pudicitiæ. Sed quis diuinasset in hanc cassem tam celeriter incisurum? cum in tota prouincia ne vna quidem esset alia tam infelix occasio cum tot calamitosis appendicibus. Itaque si quis acrius ac contumacius instare, & ab euentu consilium æstimare velit, fatebor in tanta filij impatientia, quam etsi noueram, numerū tamen in digitis non tenebam, me haud leuiter peccasse. Sed si à ratione atque humana prudentia casibúsque communibus æstimatio deducatur, nemo me iure accusare poterit. Nā inter cætera caueram testamento, ne filiorum vllus ante quadragesimum annum quidquam distrahere posset, ne scilicet furore naturali, alter eorum exigua hæc bona tot laboribus parta vno momento atque horula fisco adiiceret. Illud etiam in compensatione iacturæ reponebam, quod si vxorem cum dote locupleti accepisset Io. Baptista, in periculo versabar, ne, si ante illam periisset, (erat autem hoc verisimile, quod singulis annis lethalibus morbis corriperetur,) cogerer de more dotem sub æstimatione reddere; quæ cum sit nunc maxima, seu domus sint, seu fundi aut molæ, eo in discrimine versabar, ne cum filio omnis mea substantia periret, namque breui tempore necesse est omnia decidere. Quod etsi non successisset, interim maiore solicitudine torquebar, ne scilicet casu aliquo aut fraude circumuentus, dotem maximo meo mœrore totā amitteret. Itaque quod alius inter maximas infelicitatis causas numerasset, ego, modo reliqua non obstitissent, inter commoda duxissem. Sed ad continuandam historiam iam redeo, de filiorum contumacia dicturus.

CAPVT IX.

De Filiorum contumacia.

SI quis talium mutationem atque emendationem exspectet, difficilem sanè rem quærit, cum è regione pugnent emendari ac corrigi & contumacem esse: nihilominus in tam fluxa ætate nihil desperare debemus. Sunt autem emendandi contumaces filios artificij tres modi. Quandoque enim ex aduerso nos & contumaciter repugnamus, quandoque laxamus habenas. Sunt qui modo retinent, modo laxant, velut in concitatis equis. Sed hic modus iterum duplex est. Vel enim ex vsu quodam laxamus aut retinemus habenas, quod vt cuique promptum est, ita frequenter cedit malè: vel cum oportet, quod optimum certè est & præstantissimum. Nam sicuti perpetuò remittere, præsertim concitatis iuuenem animis, periculosum semper est, plerúmque etiam inutile: ita rectè moderari vtile semper atque accommodatum est. Sed hoc opus, hic labor est.

Contumaciam frangunt preces, minæ, aduersa, pericula, auctoritas potentum, amor, dolor, diuturnitas ac tædium moræ aut miseriæ, & ratio in his, qui inter Philosophiæ præcepta sunt eruditi. Vnguento autem morbo conuenienti opus est: neque enim omnia omnibus sunt accommodata, neque omnia ab omnibus curantur. Sapientis est genus morbi inuenire, & proprium auxilium admouere. Necesse est autem ad hoc etiam, vel iuuenem esse boni ingenij, vel leges benè constitutas, vel iudices probos. Sed si hæc necessaria sunt & primum quidem ac vltimum in arbitrio fortunæ collocatum sit, cur saltem secundum, quod in hominibus est, non rectè constituimus? leges intelligo. Cur Romanorum more non omnia sunt in patris potestate? Ille in vincula coniiciebat, ille necabat filios. Cur vxores adeò apud illos erant pudicæ? Inter reliqua, quod maxima esset potestas patris in filios, & propter istam illum metuere cogebantur. Apud nos libertas adolescentum amplificata est, laxatæ habenæ improbis: imò etiā optimo more, scilicet adiecta vincula, non delinquentibus, sed patribus ipsis in quos filij deliquerint. Quot refugia? quot diuerticula? quot latronum collegia & speluncæ vbique inueniuntur? omnia in perniciem adolescentē, in ruinam miserorum parentum, in euersionū Reipublicæ, in virtutis exitium, in eruditionis impedimentum excogitata. Fac igitur vt adolescens castigetur in primo lapsu, in posterum non excidet: melius est verberari quàm vinciri, vinciri quàm digito mulctari, & digito quā manu, & manu quàm capite. Si pater insaniat, vincite illum: si sanus est atque eoúsque filiū eduxit, cur etiam in posterum timetis ne illi benè consulat? Cur licet filio vxorem ducere inuito patre vel inscio? Dicitis, diuini est iuris. Diuinum ius intactum relinquite: si ille habet quo industria sua possit alere vxorem, ancillas, nepotes,

nepotes, rectè se habet:sed si non habeat,non prohibeo etiam, sed intelligat filius non fruiturum hæreditate,si pater nolit. Dicitis, nec hoc licet, nam inter causas exhæredandi non numeratur clandestinum & contumax matrimonium. Rectè quidem:nolo enim,vt propter hanc causam exhæredetur filius,nolo vt detrahatur quidquam ex portione;sed finite legem in suo statu, pater teneatur filio legitimam partem relinquere,de reliquo agat vt libet. At ob hoc filius non abstinebit ab instituto?stultus est,simplicis ingenij est. Sit ita: sed abstinebunt parentes puellæ cum intelligent se cũ viro rem habituros,scilicet cum patre mariti, nec nepotes suos potituros bonis aui paterni, imò nec filiam suam, nec generum. Si ergo stulti ac simplices non ob id destituturi sint à proposito,qui non destiterint,planum est, esse stultos ac simplices.

Quod si simplices hi sunt aut stulti, cur ergo,si deliquerint,capitali pœna punitis? Cur legem nobilitati fauentem vestris constitutionibus euertitis? Sceleribus locus est, erroribus non erit? Si difficilimum est adolescentes instituere corrigereque,cur quod difficilimum est, interdum non omnino impossibile putamus:nam qui boni nascuntur,vt corrigantur, non est necesse. Sed ad alias gentes me conuerto. Quid enim illis mea,si qua est,sapientia opus est?Sed satis est me his scribere, qui ea, quæ dico, non contemnunt.

Ergo contumaciam adolescentis si voles frangere, eaque extrema sit, extremis etiam auxiliis opus est. Et quia mutatur natura, quæcumque dicta sunt de improbitate & contumacia,de stultis filiis ac fugitiuis etiam dictum puta,quantum ad auxilia pertinet. Memineris etiam,quod sæpius dixi,beneficia per te ipsum, supplicia & mala omnia irroganda esse per alios & magistratus,atque ita, vt interim illũ defendere videaris.Fames etiam peculiare est auxilium & medinaci contumaciæ. Qui autem famem vincunt, nisi diuina clementia porrigat manus, non curantur.

Si tamen filius non fugiat nec improbus sit, adoleueritque in vitio, forsan sponte sanabitur,ac seipsum emendauit aut ducta vxore. Oportet autem,vt dixi, antequam confirmetur, assidue contrahere atque laxare habenas:sic enim & claui immobiles è tabulis tandem extrahuntur. Iuuat & simulare te velle quæ velit, vt vel pareat nolens, vel dum non vult, faciat quæ aut tu velis verè aut quæ sibi conducunt.

Tandem etiam triremes insigniter domant contumaces, propterea quod quatuor in se maxima mala complectantur inediam, laborem, verbera & pericula, quibus pro solatio additur locorum mutatio. Sed & incommoda frigoris & æstus, pluuiarúmque, hominem affligunt. Durum autem exemplum ob id, quod patri, cum velit liberare ab hoc infortunio, non licet, quodque mors sæpè præuenit liberationem: quod si eueniat, pij patris viscera concuti necesse est. Denique, quod elui non facilè potest infamiæ nomen. Serui enim pœnæ infames sunt.

Commoda verò ex tam insano affectu sunt, vt rectè discas cum dominis ac potentioribus agere. Nam filius contumax tibi pro domino est,etiam malo, atque eo deteriore, quod non liceat se ab hac seruitute liberare. Iam dixi de Xantippe ipsa, quod exemplum huc magis quàm ad improbitatem referre conuenit. Siquidem, cum esset pudica, contumax magis quàm improba dici meruit. Superiore loco tamen adduximus, ne vlla pars libri huius vel minimo admonitionis auxilio fraudaretur. Est & illud hinc commodum, quod viues minore solicitudine, ne in aduersa incidat. Et si inciderit,modo non pereat,pro lucro pones infortunium:malum enim malo protrudere volupe est atque vtile. Est denique inter commoda contumaciæ filiorum,vt æquo animo illorum absentiam,imò etiam fugam feras. Quinetiam fuga ipsa, cum & contumaciam expleuerint, & incommoda contumaciæ passi fuerint, regionésque mutauerint, moresque gentium viderint,vbi redeunt, magna ex parte à morbo,quo laborabant, sanatos deprehendes.

CAPVT X.

De Filiis fugitiuis

FVgitiui autem filij & qui sine causa discedunt,magnam animi molestiam patri afferre solent. Nam non tantum quæ futura sunt aut ventura timemus,sed & omnia, quæ euenire possunt mala, (sunt autem infinita,) calamitatésque omnes ac infortunia superuentura illis imaginamur. Aufert etiam hic furor, præter reliqua, omne præsidium, omnemque curationis spem; quandoquidem absenti non licet auxiliari. Quod si in vinculis retinueris, irritatur:iterum si relaxaueris eum,denuo longius nec amplius rediturus diffugiet. Turcæ non malè in hoc cathenis perpetuis deuinciunt,vt longo vsu domiti, & diuturnæ inertiæ assueti, nesciant pedem è domo efferre.

Frangitur hoc vitium sublatis ducibus, quamquam sæuum sit. Agunt autem id argento ab igne candenti, quo pupillæ propius admoto luce ac calore videndi vim frangunt. Sed præstat aliquid relinquere, vt quasi in dubia luce sit. Nec pater hoc, vt dixi, faciat, sed per prætoris minostros fieri permittat, nec tamen oculos sinat effodi. Atque hoc si vnicus filius sit, illique timeas. Continuo autem tanquam reconciliatum vxori copulabis, aut melior soboles reparetur. Sed si de sobole non fueris solicitus, aut alium iam grandem natus habeas, aut filias, vel nepotes, hoc præsidio opus non erit, nisi flagitiosus sit. Tunc enim Christi præceptum ad vnguem conuenit, si oculus tuus te ad scelus adegerit, erue illum: melius enim est sine oculo ingredi regnum cœleste, quàm integrum detrudi ad inferos. Itaque meliùs erit filium cum visu exiguo habere apud te, quàm vt totis cum oculis atque incolumibus in externis regionibus torqueatur & excarnificetur & decolletur. Puerum autem in vinculis, si non corrigatur, adeo duris habere oportet, vt crure altero debilitatus non queat domo abire. Sed si, vt dixi, ex certa aliqua ratione abierint, vtpote cum coniunctissimo, vel domino bono, vel ob iram, indulgendum est. Semper

autem

autem aut omnino negligendum est aut prohibendum, non vlciscendum, nisi cum adeò praui sunt, vt verborum timore coërceri non possint. Danda etiam est quandoque ansa vt minus peccent, supposito aliquo ex consanguineis, qui illum excipiat quasi inuito patre. Considerabis etiam illius ingenium, agilitatem, probitatem, fortitudinem: nam si in omnibus his præstiterit, fuga quandoque magna bona affert. Sed si improbus sit aut stultus aut iners, ne spera boni quidquam, sed quovis modo coërce: maximè si fur sit aut sanguinolentus. Ex remediis physicis est, dum Luna Ioui in Tauro & ascendente iungitur, in carbunculo aut iaspide orientali sculpere imaginem illius, quem aut quam magis diligit, & in aureo illam annulo secum gestare, quo illius memoria retineatur. Nutries etiam illum quadraginta diebus sic, vt non vescatur nisi carne luporum & maximè corde.

Commoda autem ex fugitiuo filio sunt exigua, quandoquidem perpetua illius absentia te torquet. Curabis tamen, vt scias vbinam sit, sed sic, vt ille hoc, quòd tu scias, nesciat. Interim verò ex re tua tantò minus perit. Quod si domum alibi firmauerit, curaueritque vt rescifcas, minus malum est, & tanquam in exilio sit commoda consequeris. Sin autem non curauerit, dicas vxori vel alteri filio vel alumno vel nurui illius vxori, si hic meus filius aliquem nostrum amasset, non adeò clàm à nobis se sustulisset. Quia ergo se subduxit, certum est, nostrum neminem amasse aut obseruasse. Qui eo ergo animo erga nos omnes est, indignus est & ipse prorsus vt ametur à nobis. Quare nec est, vt illi timeamus, aut soliciti pro eo simus aut ipsius discessum ægrè feramus. Porrò tales stultos esse planum est. Melius est ergo, vt de stultitia generaliter agamus.

CAPVT XI.

De Filiorum stultitia.

STultitiæ multa sunt genera. Inter hæc autem in primis admirabile est dæmoniacorum, cùm certo in genere versantur, & maximè, si de diuinis rebus disputent, sacráque & religionis cæremonias odio prosequantur aut fugiant: atque tum maximè, cùm aliqua supra conditionem patientis loquuntur aut agunt. Quo tamen in genere multa quæstus causa subliniri solent, & fucis obduci. Sunt & alia multa stultitiæ genera, vt iræ, timoris, tristitiæ, lætitiæ, spei. De omnibus verò generaliter, præterquam de dæmoniacis dicendum est, quanquam maxima horum esset vtilitas, si, quæ prædicantur miracula & inusitata sapientia, vera esse comperirentur; quod ego ad hanc vsque diem deprehendere non potui. Nam quod certius esset argumentum immortalitatis animi nostri, suppliciorúmque ac præmiorum à suprema die? Ego nec tanti ducerem regni possessionem, si vera esse ista comperire possem. Cætera autem curantur vt reliquæ insaniæ species, ideóque sub generali consideratione comprehendimus.

Difficillimum verò est id genus, quod fatuitatem appellamus, ac prorsus, si iam homo iuuentam attigerit, comitialis morbo exemplo insanabilis. Si quid tamen confert, theriaca est & melissa, & caryophylli, & cerebrum, ac, cor lupi & vulpis, vt & caro eorum. Confert & exercitium assiduum, vt pilæ lusus, & achatem creticum, quem nigrum esse ferunt cum croceis maculis, aut chelidonium, qui in hirundinum paruarum ventriculo inuenitur, gestare, aut puluere vti lapidis granati, qui est species carbunculi, ipsúmque collo appensum gestare ac in ore tenere. Quæ omnia nos in topazio lapide experti sæpè sumus, eodem modo adhibito. Hi duo lapides omni stultitiæ generi auxiliantur. Haud dubium verò est, quin hæmorrhoïdum fluxio, & sanguinis copiosus siue ex illis siue ex vena communi & maximè sinistra lienis aut frontis exitus valdè vtilis sit. Quod & Hippocrates testatur, & nemo dubitare debet. Inde autem nata est historia illa, quam referunt quidam de puero nutrici dato, vt aleret eum. Cui cum lac deficeret, subiecit puellulum scrofæ. Hîc ergo, vbi adoleuisset, volutabatur in cœno: sed & hoc antea cùm faceret, existimabatur ætatis vitium. Interrogati multi, cùm non inuenirent causam, medicus tandem prudentissimus diuinauit illum à scrofa educatum: tandem conuicta testibus nutrix fassa est dolum. Quæsitus iterum medicus, an seruari posset? respondit, si eum morti exponere volueritis. Consenserunt parentes: exegit de hoc publicam fidem coram prætore, eductóque omni sanguine, præter quem necessarium existimauit vt vita superesse posset, iure columborum ex aqua & albo vino confecto restituit vires, ac tandem vitæ periculo exemptum etiam à morbo liberum reddidit parentibus. Albertus, cognomento Magnus, refert osse cranij perforato liberari à stultitia. Remedium sanè potens est, sed metu non vacat. Constat patrem meum in capite olim, cùm nondum essem natus, vulneratum fuisse, & ossibus exemptis longè prudentiorem in posterum euasisse. Congitaui aliquando de medicamento escharotico in futura coronali toties adhibendo, donec pericranium absumeretur. Nam etsi loco eius caro callosa obducatur, non tamen adeò continere potest vapores, vt membrana. Ex auxiliis verò potentissimis nihil melius est vsu hellebori nigri. Vnde Horatius:

Expulit helleboro morbum.

Et rursus:

Danda est hellebori multo pars maxima.

Probatur autem quæ ex Anticyra insula adfertur. Vnde illud eiusdem:

Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem.

Sunt & capitis lotiones & somnus longus ex his quæ humectant cerebrum. Creduntur & auellanæ cum saccharo restaurare cerebri substantiam. Thus etiam & zingiber ingenio conferunt, vt & Afor medicamentum:

Vbi omnem depuleris morbum, nihil melius est, quàm inter amicos prudentes versari, & illorum consiliis acquiescere atque vti; exigendoque rationem singulorum assuefacere

facere rectis actionibus operam dare. Solos, vt dixi, relinquere minimè expedit, non solum vt admonitionibus non destituantur, sed ne repente concitati seipsos aut alios perdant. Difficillimam autem curam esse horum constat, adeò vt in adagium vulgare abierit, atque etiam Christum neminem ex his sanasse referant, sed falsò. Nunc non tantùm arte plerique sanantur, sed & fermè tandem omnes, sed aliqui serius. Imò Auicenna dicit, facilem esse in principio curationem. Quin etiam flagella & inedia, & immergere corpus in aquam vsque ad mentum, & sinciput igne vsque ad os vrere, & odores somnum inducentes plurimum conferunt, ac quandoque etiam sanant: vt & bibere acetum album. Quod si ob curas insanierit, nihil potentius quam falsus nuncius calamitatis maioris, alterius maximè generis: nam vbi resciuerit falsum fuisse rumorem, prioris doloris memoria minuetur: aut restitutio damni, aut persuasio spei vindictæ, si restitui, quod amissum est, nequeat. Philosophiæ quoque præcepta, & maximè diuinæ, in sapientibus plurimum possunt. Velut si quis, quod naturaliter ostendimus, credat in aliis orbibus animas corporibus liquidioribus iunctas, tanquam è somno resurgere, nec omnino oblitas, nec prorsus memores eorum, quæ in hoc mundo expertæ fuerint: eam verò esse conditionem vt discrucientur à malis, beentur ex pietate. Contra, vt redeunt in hunc mundum, quia infantium corporibus immerguntur, prorsus omnium obliuisci. Philosophiæ autem expertibus, quæ à legibus præcipiuntur, ita fixa fide atque exspectatione firma leuantur à doloribus. Etiam artes quædam ex fatuis reddunt prudentes & astutos, vt patrocinium litium, mercatura minuta, medicina. Et quædam loca etiam, vt ἄϛυ oppidum in Græcia propè Athenas, & in Italia Feretum, Spoletum, Camarinum, & Mons falconum.

Quod si mortis filij plurima, vt dicam, solatia inuenire licet, & stulti. Mortuus resurgere non potest, nec resipiscere: cur ergo non feres æquo animo stultitiam illius, cuius poteris etiam mortem perferre? Commoda erunt eadem, non metuere illi, imò aliquid plus sperare etiam, liberius viuere, commiseratio amicorum, blanditiæ adulatorum & coruorum atque luporum. A mortuo nunquam nepotes exspectabis, à stulto suscipere frequens est exemplum. Scio quendam ex stulto filio quatuor habuisse nepotes, inter quos quidam etiam inter primos ciuitatis habentur. Numera quot commoda ex luctu decerpere liceat, & omnia huc traducito, tum alia. Non audias eos, qui dicunt, mortuum non afferre boni quidquam, sed nec mali: stultum nihil boni, plura mala. Vnde ista mala? ista dicat, qui pluris facit pecunias, quàm filios. Deinde, si beatus est filius stultus, cui in filio stulto pater erit miser? atque beatum esse stultum omnes clamitant, & Erasmus in sua Moria id affirmat. Superius visum est, quàm parum differant felicem esse verè, ac talem ob stultitiam se existimare.

Humana vita somnium, illius cursus vmbra, felicitas fumus quidam est. Vera ergo felicitas fumus est vmbræ somnij, vel somnium vmbræ fumi per somnum visi. Quid ergo maius habet Rex quam stultus? Existimatione omnia constant, omnia leuia, caduca, incerta, ancipitis naturæ, exilia, breuia sunt. Quid his minus dici potest? Nihil est grande in toto mortalium genere, nihil solidum, sed existimatione modò magna, modò parua videntur. Assimilantur mundana amasiis, quibus antequam potiamur, nihil maius esse credimus, postquam potiti sumus, rem exiguam esse putamus. Imò quam antea nemini concessam credimus, postquam possederimus, ne non sit vulgata & omnibus communis dubitamus. Denique de quibus altercamus, quæ eligimus, pro quibus properamus, estne eorum aliquid æternum vel saltem diuturnum, aut securum, vel, vt minimum dicam, stabile? Imò omnia leuia atque, vt aqua in procliui loco, fluxilia sunt. Caducas etiam mortalium res omnes doceberis, si ad præterita respicis. Aspice tot vrbes dirutas, tot regna, Assyriorum, Medorum, Persarum, Græcorum, Romanorum, quorum ne vestigium quidem ac vix nomen superest. Quære familias minores, principes, stirpes clarissimorum virorum, vbi reliquiæ? Inde verte faciem ad montes, flumina, plantas; omnia cadunt, sed quædam serius, vt vita humana. Vbi gloria tot illustrium virorum? vbi facta strenua & admiratione digna; nonne omnia eadem vmbra vetustatis operit? & quàm breui, si ad numerum annorum aut ad reuolutionem primi astri referantur? si ad vitam hominis aut culicis, forsan tardè & serò dici poterunt. An ergo putas nunc atque in posterum nouas conditas leges, & quæ caduca sunt, facta esse firma atque constantia? Insanis longè magis quàm filius tuus, si hæc tibi in mentum venire possunt. Si quid tamen horum etiam certum esse posset, minus adhuc molestè ferre possumus nostram conditionem: at nihil est tam diuturnum, nihil tam potest esse securum, quod momento abrumpi non queat, ac etiam soleat. Cùm vita (omitto nunc argumenta subtilia) omnia concidunt. Vita nulla tam incolumis, quæ vel sponte vel casu vel insidiis, (tribus enim his modis omnes periclitamur,) horula non absumatur & decidat. At successio secura est? stultus es, magnifica promissa omnia, vultus alacres, fides incorrupta amicorum, familiarium obsequia, illo vno momento, quo dici potest verè, periit, in faciem contrariam mutantur. Sed vel sic etiam aliquid haberemus, si bona essent aliqua aut sincera: sed neutrum contingit inuenire. Opes pericula & solicitudinem cum commodis & splendore, potentia dissimulationem & insidias cum gloria & voluptate, splendidus apparatus malæ valetudinis fomenta & tædia, amicorum multitudo anxiam curam ac molestiam cum securitate & iucunditate, familia multa grauem impensam & turbulentam conuersationem cum paucis commodis affert. Et, vt breuiter dicam, vt nullus fructus sine parte sordidiore ac inutili, & ipsa melior pars sanitati aduersa est & incommoda; ita nullum mortale bonum habetur, sincerum & quæ pars eius melior videtur, ancipitis ac dubiæ

biæ naturæ est. Sed vel sic quoque tam exilis est & anceps substantia horum bonorum, vt breuitate temporis statim diffugiat, & tenuitate vix percipiatur.

Finge hilaritatem conuiuii, qua nulla videtur communior omnibus gentibus, Græcis, Romanis, Gallis, Indis, Scythis, Bactrianis, Æthiopibus, Idololatris, Iudæis, Christianis, Mahumetanis, Philosophis, latronibus, piratis, potentibus ac Regibus seruisque, artificibus atque opificibus, senatoribus, rusticis, adeò vt in nulla voluptate, in nulla consuetudine tantùm consenserit totum genus humanum, quàm in celebritate conuiuiorum, seu in funere, seu in nuptiis, seu victoriam pugna consecuti, seu pugnaturi essent, seu è naufragio euasissent. Adeò vt videatur omnium gentium & totius mortalis generis auctoritate nulla tam constans aut maior voluptas esse: attamen & hæc momento constat. Omitto modò de generali ratione voluptatum dicere, quòd omnes momentaneæ sint, quoniam præteritum abiit, futurum incertum sit, præsens difluat & magnitudine prorsus careat, & instans ob id merito dicatur. De conuiuij peculiari natura dico, in cuius prima parte fames voluptatem non admittit, postrema satietate grauat aut nauseabunda est, media ipso momento circumscribitur, & sine voluptate effluit, omnibus adhuc conuiuis tacentibus. Collocare ergo in magno lucro debes commodum, quod ex aduersis, quæ filio tuo contigerunt, cœpisti, quòd potiatur hac felicitate filius tuus, absolutúsque sit à tot calamitatibus, quarum, si prudens esset & saperet, necessariò particeps foret non minus, quàm aliorum commodorum, quibus ob insaniam fruitur.

CAPVT XII.

De Luctu.

DE Luctu tractaturo, neque verius à quoquam mala luctus audire licet, neque efficacius ac diligentius conquisita remedia sperare. Quippe anno ab hinc vigesimosexto penè inter meas calamitates malus meus filius & miserè educatus, aduersæ fortunæ meæ impetus atque incommoda sensit, commoda & felicitatem vix vidit aut attigit. Primum enim à bona nutrice, ob zelotypiam coniugis, magno suo malo desertus, cùm mihi ob meam paupertatem non esset nutricum copia, ab improba quadam alumma misellus iste educatus est veteri lacte nec eo quantum erat satis, sed pane manso plus quàm lacte. Vnde tertio anno aut quarto tumefactis ventre & corpore toto, & febre sæuiente cum anhelitu penè morientis, è mortis faucibus ereptus, dextra aure obsurduit. Demittebat enim purulenta per circuitus. Post, rebus meis melius se habentibus, quanta potuit diligentia à me nutritus, nihil incommodi sensit præter eam surditatem. Eruditus interea in perfectum musicum euasit seu cithara pulsare vellet, seu cymbalis canere. Inde ex Grammatica ad Dialecticam atque Philosophiam traductus, anno vigesimosecundo lauream est consecutus. Inde biennio post in collegium cooptatus. Erat autem moribus iustus ac probus, quantum quisque alius, atque patri meo simillimus: vt etiam corpore ruber ex candido, boni habitus, maxima ac rotunda fronte, oculis albis & valde paruis, quorum pupillæ, rarissimo exemplo, dextra læuaque assiduè mouebantur. Statura infrà mediocritatem, & meipso paulò minor. In mento fouea & tarda barba: vix enim, cùm obiit, lanugo quædam ruffa apparebat. Genæ dimissæ & latior vultus ac magnus, collum teres; sed spatulæ dorsúmque crassius, à me patréque meo alienæ res, illum deformabant, & digiti tertius & quartus dextri pedis coniuncti malè fortunati indicium fuerunt. Quod ego vitium si tempestivè sciuissem, diuisis digitis sustulissem. Incessus mediocris & sermo moderatus, nisi cùm irascebatur: tum enim adeò frequentabant verba, vt vix compos esset sui. Quod vitium exitio illi fuit.

Cæterùm iuuenis ingentis spei, qui & curando & prædicendo me, quanquam tot præsidiis etiam artis medendi paruæ munitum, nonnunquam superaret: quique ad summum ascensurus & fastigium eruditionis, & quæ ego non possum perficere, ipse haud dubiè absoluturus videretur. Verùm interim cum illius feruens ingenium animaduertissem, inconsuetúmque in actionibus modum vererer, totis viribus egi vt vxorem duceret, oblatisque multis nobilibus virginibus persuadere nunquam potui. Excusabat enim se, quòd oporteret & ipsum prius artis operibus incumbere, & me adolescentes anagnostas amandare: neque enim decore nouam nuptam inter adolescentulos versari. Credidi ego miser & verisimilia dicenti & animo moderato atque pacato. Verùm, vt post intellexi, res aliter se habebat. Obiicebat enim deformitatem plerisque. Atque interea lepido scorto atque eleganti vtebatur. Dum hæc ita se habent, prandentibus nobis, à scorto nuncius venit (qui quis esset ignorabam, ipséque qui mittebatur dicere recusauit,) monens filium vxorem statim à prandio ducere velle. Sed, quænam esset? sciscitanti mihi, scire se negauit. Tum ego, fili mi, cur hoc me latere vis? & statim quatuor virgines commemoraui, quarum duas sciebam illum amasse iam, & dixi, quamvis ex his, accipe. Sed & aliam quamvis recepturus sum in domo, modo sciam, quænam sit? Antea etiam monueram, vt si vellet vxorem ducere, id ne præcipitanter faceret ac me inconsulto, vtque potius in domo concubinam puellam haberet, ex qua filios suscipere posset. Cupiebam enim ex illo suscipere nepotes, sperans vt ipse auo paterno similis erat, ita illos etiam mihi fore. Dixi etiam, haud expedire, vt vxorem pauperem acciperet, cùm nos in reditibus penè nihil haberemus. Tum ille negauit quidquam se de nuptiis scire, & admirari non parum de huiusmodi verbis dicebat. Credidi ego facile quæ cupiebam, & maximè quod nuncius ille quasi diffugerat. Die illa, nec sequenti nihil actum; perendie, quæ fuit dies B. Thomæ mense Decembri, à prandio venit puer (habebat enim equum famulúmque adolescentem) nuncians herum iam duxisse vxorem; quam? nesciebat. Ita

Ita seductus filius meus atque deceptus, vt postmodum resciui, puellam duxit eiusque ditionis, vt nulla alia in tota vrbe non potuisset tutius recipi in domum. Tres enim cum ea duxit sorores matrémque; sed quas in tanto luctus dolore lacerare nolim. Fratres etiam tres nullius artis conscios, gregario pedites, nec malos adolescentes, vt existimo, præter paupertatem: nam in extrema inopia quis sanctus esse posset? Habes affinitatis conditionem. Ipsa puella non alio erat probro contaminata, quàm quod, cum patri ad defensionem filij obiiceretur filij mei nomine, quòd vt virginem ei desponsasset, negauerit pater. Hæc ego ab initio animaduertens prædixi, nec filiam me nec filium in domum recepturum. Misertus iamen filij, sponte dabam illis plus quàm mihi esset in reditibus; quòd etiam publico instrumento, vt vocant, edocetur. Interim & ipse & illa toto biennio fermè parum validi, nihilominus filiam primum, inde filium sustulerunt. Cùm verò quotidie in iurgia deuenirent, & socrus, quæ procax erat, & filia coniugi obiiciebant quod mœcharetur, & filios alienos esse prædicabant, adiicientes etiam adulterorum nomina. Per eadem tempora socer annulum nuptialem, quem ego filio dederam, sericeumque pannum à filia, inscio Io. Bapt. acceperat, vt oppigneraret: nihil enim, vt dixi, illi erat. Quamobrem tot modis ad iram prouocatus, cùm vxorem infidam etiam cerneret, veneno eam necare deliberauit: sed ita deliberauit, vt eam, cúm cessarent iurgia, vellet viuere; cùm irasceretur, rursus cuperet interire. Quid amplius? pridie, quàm venenum exhiberetur, sublata pignora iussu & auctoritate sindicatorum impetrauit ab illis, & pecunia propria à lictoribus recuperata socero restituit. Ipsam etiam socrum, & socerum, & sorores vxoris & fratrem in domum recepit aluitque: erat enim natura clemens admodum & gratus.

Habebat adolescentem famulum à quo diligebatur, admonebatúrque impudicitiæ vxoris. Ei ergo vestes ac pecunias pollicetur, vt heram adhuc puerperio laborantem tolleret: annuit ille. Verùm cum sponte vxor eius, morbo grauante lipyria, febri scilicet cum frigore extremorum atque tremore, moritura videretur, & iam ira deferbuerat, nihil actum est. Interim socrus, infortunio filij mei nata, & vxor, quamvis ægra, illum iurgiis lacessiuerunt: quamobrem famulo, vt placentæ venenum immisceret, imperauit.

Septem verò diebus ante filius meus alter, natu minor, Papia, me omnino reluctante, discesserat. Cùm autem vi prohibere nollem, persuadere non possem, consului dominum; qui responsum dedit captum iri filium, & maximis cum molestiis tandem periturum. Hoc ego de filio, qui iturus erat, cùm interpretarer, illum monui, ne discederet, de vitæ discrimine agi: futurum enim non quòd sibi pollicebatur & libitum esset, sed vt detentus aliquando in maximum periculum & animi tristitiam incideret. Et hæc quidem dixi coram illo. Deinde etiam coram omnibus familiaribus, non rediturum cum vellet, quia non posset, palàm monebam, adiurabam. At ille non parebat, & summo manè discessit, paululúmque abfuit quin ipsum comitarer ob ea, quæ acceperam: nam poteram ire, erat enim vacatio à munere: sed prohibuerunt fata eadem, quæ vrgebant Ioan. Baptistam.

Ergo Placentam illam vt confici curent, simul hic filius meus cum famulo ibant; immiscuit famulus clàm acceptum venenum, datur languenti vxori modicum, illa statim reiecit vomitu: accepit & socrus, & ipsa similiter reiecit. Vbi Ioannes Baptista vidit, non credens esse venenum, tum quòd non ex animo iussisset immisceri, tum quòd sororius dixisset antequam conficeretur, curate vt magna sit, nam & ego edere ex illa volo, socero partem obtulit; qui vbi accepisset, & ipse statim euomuit, sensit punctionem in lingua, monuitque filium meum, qui, vt puto, credens non immistum venenum, comedit satis auidè; vnde & postmodum euomuit, & aliquot diebus decubuit. Sequenti die captus est, tum ipse, tum frater eius ac famulus. Ego monitus statim die dominico Mediolanum me contuli, anceps quid agerem. Id enim mecum reputabam, si comedit, non exhibuit, nec exhibere iussit: si exhibuit aut exhibere iussit, nulla arte effici poterit ob ingenij simplicitatem, vt taceat. Deterruerant etiam me prodigia, de quibus in libris de Fato diximus. Se nihil adeò, quàm quod mecum reputarem, si dedit, mortuæ dedit. Sed fata omne consilium mihi, omnem prudentiam exspectorarunt: neque enim adhuc dum rationem illam, quàm superius docui, de fati contemptu inieram, nec etiam modum illum inueneram reticendi crimina. Itaque hac in parte me tum rei magnitudine, tum imperitia huius negotij territum defecisse agnosco. Nihil enim est, in quo me defuisse mihi atqui illi persuasum habeam, quàm quod illum nec non sum allocutus in carceribus, nec monui.

Plures tamen socij, & ipsi captiui, illum monuerunt, vt persisteret. Sed nulla certè res prodesse poterat, nisi si, quàm postmodum inueni ac superius scripsi, hanc docuissem eum. Primò examine rectè se gessit: Secundò, cùm famulus dixisset datum sibi puluerem, vt cibis vxoris immisceret ad lactis abudantiam, vacillauit: postmodum adducto eo, qui venenum ei dederat, fassus est rem totam, adeò stultè, vt adiecerit se iam duobus mensibus ante hoc deliberasse, & bis antea exhibuisse, pernegante famulo. Itaque vt ego hoc accepi, causásque, cur id fecisse, intellexi, nihil omisi quod ad illius defensionem pertineret. Ostendi igitur & illius simplicitatem & probitatem (erat enim admodum & nimium iusto bonus,) & quod illa non periisset ex veneno. Constabat enim, vt vir apprimè doctus Vincentius Dinaldus Medicus testatus erat, illam lipyria febre, non veneno periisse. Quod certè verissimũ fuit. Neque enim viuenti aut mortuæ, ex testimonio quinque clarissimorum medicorum, nec intus nec extra signum vllum veneni apparuit. Non lingua, non extrema, non corpus nigrum, non venter tumens, non capilli aut vngues decidui, non erosio aut quidpiam tale.

Dolore autem victus hæc exaraui carmina in illius laudem:

Quis te subripuit nobis dulcissime fili?
Quis potuit luctus tot nostra afferre senectæ?

Cui

Cui tam dira fuit mens (ô crudelia fata)
Nascentem voluit pulchrum qui exscindere florem
Hæredem nostræ, si qua est sapientia, mentis?
Non te Calliope, non te seruauit Apollo?
Iam cithara & cantus sileant, elymæque sonoræ;
Quæ mihi pro charo renouant suspiria nato,
Dum memini dulci modulantē carmina voce.
Laurea quid iuuit medicæ artis, tantaque rerum
Cognitio & linguæ facundia rara Latinæ,
Tam subito longi si nunc periere labores.
Clare puer, virtutis imago certa paternæ?
Quid seruasse duces Hispanos profuit? aut quid
Spectatæ fidei ciues?

Sed videamus, num quid mali acciderit aut nobis aut ipsis: Nobis quidem accidisse debuit, vel propterea quod è nobis fuerit natus, vel ob dulcedinem educationis, vel ob septem posteritatis, vel vtilitatem nostram, vel sumptus qui periere, vel gloriā aut infamiam, vel hæc omnia simul: aliud enim fingi certò nequit. Primum, Quòd è nobis natus sit, hoc matri potius, si superstes esset, conueniret. Nemo enim nouit filium, imò ne matres quidem. Permutari namque contingit, & pro proprio mortuo supponi alienum. Denique nullus pater, vt non potest de pudicitia vxoris certus esse, ita nec de filio, quòd suus sit. Sed fac, tuus sit, quàm tum seminis incassum, etiam volens, abiecisti? Tantam verò iacturam cum non doleas hanc te exiguam deflere vis? Sed educatione & laboribus factus est charior filius? Si tam paruo æstimas tuum esse, alium educa. Nam in alium plus laboris, solicitudinis, pecuniarum in vno mense impendere potes, quàm in filio per multos annos impéderis. Deinde, me putes ob pecuniarum iacturam dolere: auaritia enim hæc est, non pietas. Neque ob gloriam: satis enim gloriæ absque illo mihi ipsi comparaui: & gloria hac tam breuis temporis indigent nonnisi plebeij homines ac stulti. Rato etiam à præstantibus viris egregij filij oriuntur. Cuius causam etsi aliàs diximus, nunc tamen paucis, referre non pigebit quod longo illam vsu didicerim.

Humana natura, vt reliqua omnia certis limitibus continetur: cùm ergo quis ad culmen sapientiæ aut prudentiæ peruenerit, res, consilia, & cogitationes omnes ad summum subtilitatis deducit, ideóque illa sic disposita sunt, vt si ab illo regantur & opportunè disponantur, tum euentu tum auctoritate mirabilia, & sapienter omnia ac prudenter facta dictáve existimentur. Sin verò paululum ab illis aberraueris, in maximos incidere errores necesse est. Qui hoc ipso etiam maiores videntur, quod actiones istæ à communi more deuiæ sunt. Vnde in adagio vulgari est: Sapiens si errat, magis aliis errat: & illud, Errant & sapientes. Cùm ergo sapientum filij patribus similes sint, penè iisdem moribus atque consiliis sunt; quæ cum nec vsu, nec ratione regi propter ætatem possint, sintque, vt dictum est, à consuetudine aliena, pro stultis æstimantur, plerumque fallente, vt par est, successu. Alienus verò puer aut iuuenis melius doctori acquiescit. At, dices, tuu præstans erat? Et ob id breui periit. Immodicis breuis est ætas & rara senectus.

Restat vt, quòd verissimum est, illos potius ames posteritatis causa. At mihi adhuc supersunt tres in eam spem. Et si posteritas, vt dixi, aliquando finem sit habitura, nihil agimus: nam mille anni, vt docui, pro vno die censentur. Sin autem omnium sit peritura omnino, tum nihil refert. Quòd enim omnino, aliquando futurum est, aliquando etiam erit: tunc verò præterita, tanquam non fuerint, habebuntur. Non mouearis falsa aliorum imagine, res sic habet: obliuiscaris interim illius. Sed dulce est gaudere adolescente filio? multa etiam sunt amara mixta. Sed sit aliqua æterna hominum series futura, quòd verum esse non credo, an tua erit? an certus de hoc esse potes aliquomodo? annon nomina familiæ omniaque mutabuntur? In tam longo temporis spatio, quale est æternitas, omnino necesse est tuos pro alienis, alienos pro tuis censeri. Quis tam potens aut diligens aut sapiens felixve est, cuius posteritas vltra quadragesimum descendentem ad progenitorem suum referatur? Itaque tenuissima spes rei exiguæ, nec omnino etiam sublata, sapientem discruciare non debet. Diximus etiam, quod filij patruelium, fratrum, affinium, si viueret is, qui nostrum communis fuit author, pro nostris censerentur: cur ergo illius mors coniunctos disiungere debet?

At obiicies infamiam & contemptum. Infamem facit causa, non supplicium. Si dicas, quòd vnum per se non potest plura facere, valet nequaquam. Nam cum hæc finem habeant, quòd ex his conflatur, finem non habebit? Sapiens autem non nisi infinito torqueri debet, & nihil optare vehementer, nisi infinitum; reliqua ita tractare, vt sciat non esse futurum; & si futurum non sit, nec beatum efficere posse nec infelicem: non igitur mei causa torqueri debeo.

Sed sui causa dolendum est? multò minus: euasit enim, & si possit resurgere, certè nolit, ne iterum mortis dolorem metúmque experiatur. Cùm moriturus esset, miserendum fuit? certè tunc, sed non magis, imò minus quam aliorum: nam vix vllus est, qui mortem antea vel saltem per diem non præsciscat, ille per horam tantùm. Alij præter metum, etiam dolorem experiuntur; ipse dolorem nullum, metum aliquanto maiorem, sed vt dixi, perbreuem. Solabatur illum sacerdos, plura pollicebatur quam vnquam hic expertus esset bona. Hoc illi vtile erat, quod omnia crederet: quàm miseri sunt, qui non credunt, & totos se obituros putant, aut etiam durius quid subituros, facinorum conscij? Nouerat se relinquere filiolum patri piissimo custodiendum, patrem, cuius memoria nunquam extinguetur, fratrem, amantissimum & sospitem sororem. Quid si mortuus fuissem, cùm nunc in summa pace tritici modius Romanus argenti dimidia vncia emitur, pretio iam tanquam consueto & mediocri cum vbere prouentu? Quid cum inopia prememur, & annus infelix erit, aut bello agri vastabuntur, quanti exspectas vt væneat duabus aut ternis vnciis, cùm modius patrius, id est, modij octo Romani vncia argenti venderentur, & minus etiam longè dum essem

puer. Et tamen operæ pauperum non creuerunt. Quid iam in hoc felici sæculo operarij, vt sibi solis frumentum annum parent, necesse est vt operam quinque mensium absumant. Quid pro vino, carnibus, vestibus, domus ficto, lignis, oleo, sale? deinde, quid pro vxore aut filiolis? Quid si miser ægrotet? Si qui repagula & vectes, tum ianuas inungunt lethali oleo & merito reposcuntur ad pœnas nouissimas, cur eos, qui populum fame enecant, tanquam Deos veneramur? Mors omnibus dira duraque est: sed fame enecare durius est ac dirius. Narrabat mihi amicus Belga tantam his annis præteritis in patria sua famem fuisse, vt pauperes iussu magistratus abiectos & sepultos putres pisces eruerent ac comederent, proque his etiam pugnis ac fustibus se cæderent. Quid ergo, si superuixisset, boni sperare potuit in tanta temporum calamitate, hominum nequitia, potentiorum socordia?

Non obiisti fili, sed omnem laborem, omnem molestiam effugisti & pati recusasti. Existimasti necesse fore vt vel improbus fieres, vel extrema patereris. Vnum ob pudorem, alterum ob difficultatem euitasti. Videbas paupertatem meam & ætatem & hominum mores, & maluisti non esse, quàm esse infelix: præsentia vix ferre poteras, deteriora exspectabas, qui enim boni exspectare licet cum sub optimo & potentissimo Rege in summa omnium vbertate, in stabili pace nulla quies sit pauperibus? Sed enim dicis, grauis tamen est mors filij? imò grauior improbitas, & miseria illius quam mors. Suetonius in Augusto de filiis C. & L. loquens inquit: Sed aliquanto grauius tulit suorum dedecora, quàm mortem. Plures longè inuenias, qui ob improbitatem filiorum aut miserias miseri facti sint, aut perierint patres, quàm ob mortem. Qui moritur, semel fatigat animum patris, improbus semper torquet. Mortuus non iuuat patrem, sed nec defatigat aut depauperat illum: improbus fatigat semper, miser depaupertat eum. De mortuo nihil times: abest ab animo maxima perturbationum molestia, solus dolor vrget, vt miseris & improbis timor adest, nec tamen dolor deest. De mortuo dolere non potes quod mala patiatur, sperare licet quod fruatur bonis. Si quis enim sensus est inferis, quantò feliciores sunt viuentibus: si nullus quantò nos illis sumus miseriores? Nemo sanæ mentis se viuum esse cupiat (non dicam mori malle) nisi plus boni in hac vita quam mali experiatur: at quam pauci sint quibus hoc contingat, præterquam stulti, omnes norunt, Filiorum superesse cupientium miseremur, vel quia illi se beatos esse putant in improba vita, vel quia nos speramus ad frugem redituros. Priorem ob causam misereri non solum nefarium, sed etiam stultum est, quandoquidam euentus ostendat tandem illos fuisse esseque miserrimos. Posterior causa quanto honestior, tantò minus se cura est.

At dices rursus, graue tibi debet & crudele videri illius mortis genus. Non, nam aut stirps superfutura est in quibudam perpetuo aut in nullo: si in nullo, iam sæpius dixi periisse nihil mihi: tota enim fœlicitas est in perpetuitate reposita. Si in aliquo, vel ad illum posteri aliquid pertinent, aut non? Si non sunt chari, nec ad nos pertinent, nihil ad nos refert, nihil amisimus seu maneat stirps, seu non maneat. Sed si stirps alicuius maneat, chari sint posteri, & vt Virgilius dicebat,

Omnémque suorum
Forte recensebat numerum, charósque nepotes.

Tum si perpetua futura est stirps, quot crudelius & maiore cum iniuria interibunt? At excusabis, quod eos non videbit? vnusque hic meus pro omnibus illis descendentibus sit, quoniam potestate posteritatem omnem meam continebat? Sed hoc ad interitum, non ad genus mortis spectat. Si enim vnusquisque ex meis posteris non sit mihi velut filius, omnium collectus numerus parum ad me spectabit. Quod verò non sensurus sit illorum iniurias atque tormenta, nil ad rem: quandoquidem in eo quod manet stirps, quamuis non sentiat, statuimus illum esse fœlicem. Seu ergo opinione seu re felix sit per propagationem, eatenus erit infelix opinione & re. Ergo genus mortis nihil refert, sed sola priuatio spei æternitatis consequendæ, tum ipsius æternitatis consideranda. Sed vtcunque modo res cessisset, ipse fœlix esse non poterat, neque ego causa illius. Cum enim esset tam bonus, multa illi inconuenientia & damna vt acciderent necesse fuit; qui verò ad fœlicitatem non peruenit, quo tempore moriatur, nihil refert, aut omnino valdè parum. Si vtilis ergo quidquam sperare licebat, à prole erat exspectandum. Sed quid si vxorem duxisset sterilem? aut quæ sospites filios non peperisset? aut in phratriam se coniecisset? aut morbo præreptus esset? Ægrotauerat enim iam triennio hoc annis singulis grauiter; ob labores, vt existimo, quibus non erat assuetus. Verum signis longæ vitæ tam in genitura quàm in manibus caruit, adeò vt, si ante me mortuus fuisset, deuorandum omnino esset catapotium hoc: si superuixisset, tam benè, vt ego, de posteris statuere sciuisset. Porrò fortes omnes vi maluerunt perire, quàm morbo. Hoc enim sæpius morimur, illa semel tantum. Secrates eam aliis prætulit. Qui Deo grati fuere, omnes fermè ferro aut ex senio periere. Ergo hæ duæ mortes diuino iudicio præferuntur. Si hæc mitior est quàm quæ ex senio, optimo mortis genere absumptus est: si durior, optimo quod sibi contingere posset, cum ad senium peruenire non liceret. Quæ verò ex morbo oriuntur mortes, deteriores sint.

Illud etiam dico mecum, si filius meus superest, meliore certè vita fruitur quàm antea. Hoc autem quia nullus est ex Philosophis, qui neget, idcirco gratulandum est illi. Sed si non superest, nullúsque inferis est locus, nulla nobis ad superos via, in quo sue melior aut vitulo fuit? periit ille, peribunt & omnes: at huic gloriæ suæ ac nominis præco non deerit, illi cum corpore & suis inclytis factis sine gloria interibunt. Si extinctus est, nihil sensit: si sensit, non est extinctus. At ego in Domino spero, antequam moriar eum me visurum.

ſurum. Potuit Maximus Tyrius, vt refert, videre non ſomnians, ſed vigilans Æſculapium & Herculem, quos nec vnquam dum viueret, viderat aut dilexerat, nec ab illis viſus fuerat aut dilectus: at ego dilexi illum, & ille me. Nec ſum ego pietate inferior Maximo illo Tyrio. Nihil à Deo petij quod non obtinuerim; ſed ſi ab amico honeſta petenda ſunt, à Deo honeſtiora petere decet. Vitam filij non ſum auſus petere, nec in mentem venit, ſed erant cogitationes meæ tunc vt fulguris. Exiſtimandum eſt, omnia propter melius eſſe? at forſan deterior factus eſſet, & familiam dedecoraſſet? Si petere potuiſſem, ac petiiſſem, obtinuiſſem, ſed forſan deterius mihi obtigiſſet, illi nihil melius. Fatis obſtare oportebat & liberè poſtulare; tum enim contingit quod his, qui aliquid à dominis bonis importunius extorquent, impetrant, ſed maiore cum fœnore. Verum illud mecum reuoluo, omnia, quæ Deus facit, bona ſunt, ſi ad vniuerſi commodum referantur. Quæ bona mihi non videntur, vniuerſi ratione bona ſunt: ego autem ſum propter vniuerſum, vniuerſum non eſt propter me. Velle debeo quæ Deus vult, non quæ ego volo. Ille ſapientior eſt me, melior, potentior, & ſcit quid expediat. Si expediſſet, vitam longam aliáque commoda filio meo largitus eſſet. Vt ſal condit cibos, ita mala quædam & auſtera mundo conducunt. An pes, ſi in illum decumbat humor cordi atque toti noxius, toti & cordi iraſci debet, & præponere propriam ſalutem vitæ totius animantis? Quin ſeruato animante & corde, ſeruabitur & pes, etiam præter ſpem. Mihi crede, non totus periit, qui periit. Et, ſi totus periit, cui bono ſuperfuturus erat ipſe, vel alius quiſquam? Si Deum non dilexi nec diligo, cur expoſtulo ab eo, cui merito ſum inuiſus? ſi dilexi, an ille mihi defuturus eſt aliqua in parte? Et non dicam potius cum Scriptura. Et fuerunt Iobo ſeptem filij & tres filiæ, & ipſe ſuperuixit centum quadraginta annis? Quid de Macchabea dicam, cui ſeptem filij ſine crimine propter nomen domini ſupplicio ſe obtulerunt? Quid de Taurea illa Capuano, qui filios ſuos occidit, ne in ſeruitutem Romanorum traherentur? Quis ſcit quando & annon temporibus noſtris eueniat illud. Montes cadite ſuper nos, & operite nos? Quod iuſtum eſt, etiamſi ad te pertineat, æquo animo ferendum eſt: quod iniuſtum, vindicabit dominus ad quartam vel etiam ſeptimam generationem; quod etiam oracula verum eſſe teſtantur. Quod autem prodigioſum, non niſi magno malo Reipublicæ accidit vnquam.

Demùm, ſi animus eius ſupereſt, quàm exiguo momento illius conſuetudine ſum cariturus? pauci enim anni quid ſunt ad æternitatem comparati? Nonne hoc minus, quàm ſi iuxta vulgarem ſenſum Cremonam illum aut Laudem Pompeiam miſiſſem, poſtridie rediturum? quæ mora eſt, quæ me torquere debet tanto tempore futuros coniunctos? At coniunctus etiam non eris, ſi ſuperſit? ſtulte, probos & amantes, ſe inuicem vna eſſe oportet. Qui pecunias amat, cum illis erit, ſed non habebit, quia illæ ibi non ſunt: qui honores, qui vindictam, omnes ſic diſcrutiabuntur: qui Deum, qui ſapientiam, qui ſuos ac probos, lætabuntur: illi enim præſentes, ſunt, ne quiſquam putet me filium deflere, ſi malum fuiſſe exiſtmarem.

Quod ſi omnino nihil, nunc filius meus eſt, fallitque me genius meus oſtentatione, nonne breui illius conſuetudine omnino in perpetuum cariturus eram? Quid in tam longo tempore tam breuis voluptas eſt? Quid in tantis tenebris tam exigua lux: Fruimini, fruimini vos qui feliciores eſtis, liberis veſtris quantum vultis nonne paulò poſt illorum conſuetudine perpetuo eritis carituri? Theſauros veſtros illis date aut vobiſcum deferte, licet & atria ampláſque domos, & faſtum illum, quo neminem timetis ac Romanorum more populum Senatúmque Deum facitis. Reminiſcamini vos mortales eſſe, ac ſatis infelices. Si præſentia ſolum reſpicimus, liberior eſt & potentior medici conditio, qui, quos vult, mactat ſine iudicio ac metu ſyndicorum, imò nec Regis. Efferantur, inſultent, minentur quantum volunt, vita ſua à minimo medicorum errore, qui illis vndiquæ ſcatent, pendet.

Atque hæc naturali lumine, nunc ad diuinum pergamus, ad religionem, ad fidem Chriſti: nonne omnia hæc longè magis magnifica, ſplendidiora, euidentiora, maiora, certiora? Quid profuit Regibus, qui ſe clauſtris regno relicto, concluſerunt? Volentes illi ac ſponte tot tantáque bona reliquerunt. Filius meus nihil niſi miſeriam, ærumnas, ſolicitudines,, in quas ſemet coniecerat, amiſit. Pauper, ſurdus, vna aure ſimplex, deſpectu, felix eſſe potuit, noluit: nunc vitam æternam ingreſſus, vita incomparabili fruitur. Si hæc ita ſunt, cur defles? Si non ita: non propriam conditionem, ſed communem deflere oportet. Omitto nunc eas rationes, quæ dolorem non minuunt, ſed cogunt nos inuitos continere lacrymas, has enim ſemper contempſi: velut quod neceſſaria non ſunt deploranda, quia mutari non poſſunt, & ſapientem deceat ratione ſuperare quæ tempore apud idiotas ſuperantur. Illud forſan mouere me magis poteſt, quod, ſi ego periiſſem, & modo ampla res illi, relicta fuiſſet, non adeò illum, vt exiſtimo, fuiſſe me defleturum; quod commune eſt omnibus filiis erga patres. Atque hæc quidem pro exemplo cuique meditanda propoſui qui in luctum inciderit, non vt tanta de me ipſo dicerem, ſed vt breuius docerem. Cúmque ſuperius de rationibus aliis egerim, quibus dolor immodicus leniri ſolet, nunc nihil tam profuit quàm hæc ſcribere, emendare, lectitare.

Sed iam de commodis agamus. Exemplo rurſus vtendum, quod ſatis egregium eſt: nam ego mihi paro obſonium, & graue nimis vulnus eſt ac penè intolerabile. Exiſtimo ex Superis aliquem induxiſſe me ad ſcribendum hoc, ne dolori ſuccumberem, ſimul & ſæuum caſum obtuliſſe, vt omnibus poſſem perſuadere. Vbi ego primus allatus eſt nuncius tam ſæui interitus, (exſpectabam enim hæc ſcribens) quandoquidem nihil haberem potius ad leuandum dolorem, impatiens tanti æſtus ſurrexi & extra domum

exiens in suburbia, inde extra vrbem me contuli, nihili faciens voces & iudicia obuiantium, qui de periculo mortis aut insaniæ agebant, vbi suspiria & gemitus emisi, cœpi me colligere, & domesticas res ordinaui. Paucis post diebus Papiam me contuli cum infantulo Facio, quem ex vxore filius susceperat: ab obitu enim Io. Baptistæ, dum è sacro fonte leuaretur, sic vocari iussi, in memoriam patris mei. Tum mecum cogitans cœpi rationes omnes conquirere, quibus me ipsum solarer, atque illud primum animo voluebam: Galenus cum nec fratres nec Sorores habuerit, sine vxore vixit, sine filiis obiit, & tum sibi videbatur admodum felix, vixitque hilariter, vt ex scriptis coniicere licet, cum tamen stirps paterna in eo tota deficeret. Erasmus & Gesnerus (omitto nunc quæ ad religionem attinent) orbi fuere, & Alciatus etiam vxore & filiis caruit, nec tamen conditionem suam cum quouis commutassent aut commutarent: multi etiam, qui orbi non sunt, illorum fœlicitati inuidebant. Tu verò etiam filiam habes nuptam, filiúmque adolescentem, & nepotem, & alios potes adhuc filios suscipere, & vis mœrere? Melius ergo esset te sterilem fuisse natum. Tres integri supersunt, nec tibi spes deesse potest, & doles? Galeazio Vicecomiti vnus filius est Hercules, qui apud te est, ille literarum & Philosophiæ ignarus in eo gaudet ac lætatur, quamquam sine spe suscipiendi alios. Si ad rationem res refertur, satis superque est tibi descendentium. Si ad casum, etiamsi tibi sexcenti essent filij, quemadmodum referunt de quodam Rege Moluccarum insularum, nulla posteritatis securitas esse potest. Si morbo periisset, consolareris: id enim Dei voluntati factum arbitrareris. At si semet occidisset, modo causam non præbuisses tu, etiam: nam morbo periisse, insaniæ scilicet, existimares: at sic periisse quàm parum abesse videtur à fati necessitate, propter ostenta quæ præcesserunt? aut à morbi vi, ceu qui ex insania obierit, prodens nulla causa semetipsum. Si sine iniuria obiit, de quo quereris? factum est Dei. Si cum iniuria & dolo, & id Dei voluntate accidit, sed nec inultus erit. Omnia eius arbitrio reguntur, sed iniusta vlciscitur. Apparet autem iudices cupiuisse illum seruare, quando habita pace pœna commutabatur.

Crudeli morte periit? annon & ipse tu morieris? & vix fieri potest, quin maiore cum molestia non obeas. Ipse exegit, tu exacturus es. Si præterita reuocare vis in mentem, tragœdiam conscribe. Imaginor momentum illud, quo periturus erat? nullus sine spe est, aut sine ratione, multo minus ipse. Tu verò imaginare futurum momentum illud, atque multo longius, & obliuisceris sui. Ille quæsiuit occasionem, tu non: sed repugnanti adueniet. At sustulerunt spem masculinæ posteritatis magna ex parte? Iam fassus es, si infinita non sit, nihil ad te: omne enim quod finem habiturum est, acsi non fuisset vnquam, existimari debet: si infinita, declaratum est vnius tantum prolem masculinam superesse debere, vt in æternum maneat: sed omnes stirpes aliquando in fœmineum sexum degenerant, inde ad masculos redeunt: in hoc autem infinito, velut in tota æternitate, non sunt plures dies quàm anni: ita necesse est infinitis vicibus seriem masculinam abrumpi. Quid igitur interest, muteturne sexus in filiis an nepotibus aut atnepotibus? Nam si de familia agitur, nugaris; nullum nomen familiæ ad mille annos vnquam peruenire potuit: si de stirpis naturali continuitate, illa melius seruatur in fœminis quàm masculis. Ob id matres magis diligunt filios quàm patres. Aristoteles in Pythiade fœlicior fuit, quàm in Nicomacho, ex ea enim Erasistratum nepotem sustulit Medicum suæ ætatis clarissimum. Ea erat, quæ dicere solebat, Pulcherrimum esse colorem, quem verecundia in vultu parit. Sed, vt ad rem redeam, si obieceris mihi diminutam esse sobolem, nihil refert: nam temporis successu ex vno infiniti prodeunt, eodemque innumeri quamuis sint, omnes absumuntur. Rusticus non omnes racemos vitibus relinquit, nec ramos arboribus.

Quid ergo? hæc conscribens multis salutem attuli, mihi ipsi νόμον institui. Inde conuersus ad curam eorum qui supererant, filiolum, mutatis aliquot nutricibus, vni satis, vt mihi videtur, prudenti & boni habitus commendaui, inuisens illum quotidie: hoc enim inter solatia habeo. Et vt mœrorem imminuerem virga cedebam dextram suram: nam corporis dolor animi molestiam leuat, sicut & animi intentio corporis dolorem. Crocum etiam vino immiscebam, & buglossum domesticum hesitabam. Et quod per somnũ monitus sum vt facerem, smaragdum, quem collo appensum fero, dentibus stringens dolorem omnem ac mœrorem animi subito & totum leuo, acsi adhuc ille viueret. Credo Dei indulgentia id factum, certè quoniam naturalem causam nullam subesse intelligo. Perspicuum est autem, quod sine hoc auxilio destitutus somno fuissem, & mortuus exinde, aut in insaniam decidissem: alia enim fata, vt video, me exspectant. Alterum verò filium iam natu grandem monere, instituere, docereque cœpi, indulgens plurima ad illius asperitatem leniendam. Quæcumque enim potest pater, modò non turpia sint aut in habitum transeat, filio indulgere debet tribus de causis: prima, vt sibi illum reddat obsequentiorem: secunda, vt illum amare videatur: tertia, quod earumdem voluptatum particeps fiet, quas filio concedit, si illum vt parem, vt semetipsum amat. Addo quartam, ne, si sinistri aliquid euenerit, doleat postmodum & acerbitatis & nimiæ seueritatis. Non desino exemplo commonefacere illum, vt prudenter se gerat, vt literis operam det. Ad hoc historia fratris semper in ore mihi est. Vt verò diutius huic negotio vacare liceret, vitæ producendæ omni ratione & victus continentia consului. Hactenus de luctu, nunc de orbitate agamus.

CAPVT XIII.

De Orbitate.

SVnt autem orbitatis tria genera, scilicet cum quis aut nullos suscepit filios, aut nullus superest ex his quos genuit, nec spes generandi

generandi adest, aut denique adoptiuos sibi substituit. Porrò orbitatem illam, cum quis filios nunquam suscepit, alij quidem non ducta vxore, abstinentésque à mulieribus optarunt, alij verò, cum suscipere vellent, non potuerunt. Qui ergo filios habere non cupiuerunt, his non est vt persuadeam orbitatem esse meliorem sobole. Dum commodis verò eius agetur simul cum his, quibus fruuntur illi, qui orbi sunt non voluntate sua.

Hi ergo, qui nullos suscipere filios potuerunt, & extra spem suscipiendi sunt positi, & qui susceperunt iam, sed omnes mors absumpsit, quod ad commoda attinet eadem sorte fruuntur. Quænam verò miserior orbitas est, eius qui nunquam filios vidit, an eius qui habuit & amisit? Sed memini me generaliter superius quæstionem hanc tractasse: nunc autem propriè de orbis agitur. Certè maiorem esse dolorem in orbis, qui morte filios amiserunt, quàm qui nunquam susceperunt, & ratio & experimentum suadent. Ratio quidem, quod in omnibus videamus homines magis dolore in amissione partorum, quàm si non adepti essent. Quod cum in omnibus verum sit, eo magis in filiis. Experimentum, quod nemo inuentus sit, qui, quod filios non susciperet, vel perierit vel ægrotauerit vel citius iusto consenuerit. At qui ob filiorum obitum, imò etiam vnius, interierint, vel semet occidendo, vel doloris impatientia, multi inuenti sunt. Ab orbitate, vt dixi, amita mea Iomaxina, vno edito strepitu ingenij, concrepuit ac simul interiit. Omnes autem ab orbitate fermè aut insanierunt, aut consenuerunt, aut ægrotarunt.

Sed tamen altius hæc res repentenda est. Qui sperant animos esse immortales, æqualem fermè conditionem sortiuntur, siue filij nulli vnquam nati sint, seu interierint omnes. Quibus nunquam nati sunt, minus habent doloris certè. At quibus interierunt, duplex est voluptas. Vna quidem, dum reminiscuntur educationis. Quamuis enim amiserint eam voluptatem, cum tamen considerant vitæ huius breuitatem & mundi æternitatem, quodque omnes hæc ornamenta velut in scena deposituri sunt, non solum vitæ spolia, sed & honores, opes, ampla atria, coniugem formosam & prudentem, hic vna die, alter sequenti, alius tertia, omnes tamen breui admodum, adeò vt etiam vrbium & prouinciarum & regnorum & montium breuis sit mora, hoc quodcunque tempus, quo frui contingit ad voluptatem referent. Itaque vt, cum dormitum imus & vestes exuimus, nihil refert pallium antea an tunicam exueris: ita, quoniam cum morieris, omnia relinquere oportet, quid refert quod paulo ante parte aliqua horum exutus sis? Nihil certè, nisi quod mortis minus tædebit te. Sed altera voluptas maior est, scilicet quod, cum morientur, scient se illis, quos adeò in vita amarunt, occursuros.

Velut ergo, qui in incognitam ciuitatem veniunt, maximè gaudent, si verò filium ibi aut fratrem aut patrem operiri sperent, longè alacrius in illam ingrediuntur: ita qui non sua culpa præmiserunt aliquem ex his, quos diligunt. At quem magis diligere contingit quàm filium? Adeò vt ego, qui nocturnas laruas horrere semper solebam, nunc maximè lubens per tenebras ire soleo, quasi dulcissimo meo filio occursurus. Quem tamen scio me, antequam moriar, visurum læto animo. Neque enim filium amisi, sed ille iniquis his integumentis ac tetro pondere spoliatus est, & viuit longè fœlicius. Prope animo est, qui prope est corpore. Ibi æterna intelligit, inferiora hæc omnia inspicit, despicit mortalia liber ab omni metu, solicitudine, perturbatione, atque tyrannorum violentia, & luce siderum imbutus.

Coëunt omnes in vnum beatæ animæ, nosque vident alta nocte circumdari. Et, vt Seneca pulcherrimè ait. Nil apud vos, vt putatis optabile, nil excelsum, nil splendidum: sed humilia cuncta, & grauia, & anxia, & quotam partem luminis nostri cernentia? Quid dicam, nulla hic arma mutuis furere concursibus, nec classes classibus frangi, nec parricidia aut fingi aut cogitari, nec fora litibus strepere dies perpetuos: nihil in obscuro, detectas mentes, & aperta præcordia, & in publico medióque vitam, & omnis æui prospectum, euentúmque. Iuuat vnius sæculi fata componere, in parte vltima mundi, & inter paucissimos gesta: tot sæcula, tot ætatum contextum & seriem quidquid annorum est, licet visere, licet surrectura, licet ruitura regna prospicere, & magnarum vrbium lapsus, & maris nouos cursus. Nam si potest tibi solatio esse desiderij tui commune fatum, nihil quo stat loco stabit, omnia sternet, abducétque secum vetustas: nec hominibus solum (quota enim ista fortuitæ potentis portio est?) sed locis, sed regionibus, sed mundi partibus ludet: tot supprimet montes, & alibi rupes in altum nouas exprimet: maria sorbebit, flumina auertet: & commercio gentium rupto, societatem generis humani cœtúsque dissoluet. Alibi hiatibus vastis subducet vrbes, tremoribus quatiet, & ex infimo pestilentes halitus mittet, & inundationibus quidquid habitatur, obducet: necabítque omne animal orbe submerso, & ignibus vastis torrebit incendétque mortalia. Et cum tempus aduenerit, quo se mundus renouaturus exstinguat, viribus ista se suis cædent, & sidera sideribus incurrent, & omni flagrante materia, vno igne, quidquid nunc ex disposito lucet, ardebit. Nos quoque fœlices animæ, & æterna sortitæ, cum Deo visum erit iterum ista moliri, labentibus cunctis, & ipsi parua ruinæ ingentis accessio, in elementa sedésq; redibimus. Itaque, si modo quidquam est, quod non lætatur, id est inuictus dolor meus, vel nullius præcibus, verum Deus ipse me solabitur.

Non obiiciat quisquam, non suspicetur, quod pecunia vitam illius non redemerim: nam norunt omnes, plus petiisse illos quàm haberem. Nec poteram, quod extrema hora obtuli, polliceri, nisi liberalitas generi mei Bartholomæi Sacci me adiuuisset. Dono enim ducentes coronatos aureos, mutuo verò trecentos alios dabat, iuuenis egregius certè. Et tamen vel sic omnibus bonis exuebar.

Sed vt ad rem redeam, licet qui amiserit filios, quàm qui non suscepit, maiore dolore prematur,

prematur, tamen etiam multa solatia habet; alius autem prorsus nulla. Sed mors filiorum, postquam non adeò incerti sunt euentus rerum, non optanda est, fœrenda tamen Pompeius à speculatore occisus est, Cato ad voluntariam mortem adactus, Cicero à milite iugulatus, omnes iam victi: quod si antea occidissent, cum gloria mori poterant. Nescimus quæ nobis expediant. Sed nec à Patribus Sylla fœlicem se prius appellari iussit, quàm exstincto filio egregio adolescente, quamuis alium reliquerit. Itaque fœlicitati non existimauit obesse interitum filij, nec animo per illum fractus, aut malitiam in ciues vertit, aut in hostes virtutem, quarum nescio vtra maior in illo fuerit. Miseri semper sumus, vt etiam belluæ omnes, immodico isto filiorum amore. Si mali sint, nobis ab illis timemus, & discruciamur. Si boni, illis metuimus, ne ægrotent, ne iniuria afficiantur, ne casu aliquo intereant.

Noli optare orbitatem, si tamen contingat, scias infinitis molestiis cariturum. At cito erepti sunt? Cogita omnes homines, cum nascuntur, interituros: ea enim conditione nascuntur, vt eo fato, eo tempore obeant. Si meus non nunc obiisset, certè existimandum est paulo post periturum fuisse alio casu, licet forsan non adeò acerbo, quoniam mortem non vidisset tam præsentem. Ob id egregij Astrologi solent mortem eodem anno sub duobus aut tribus temporibus prædicere, quasi & genus mortis & annus, non tamen dies nec species certi sint.

Cum quæris filios, cum optas etiam, omnia illa tibi propone, quæ contingere non solum possunt, sed etiam solent, abortus dico, interitus in infantia, in pueritia, in iuuentute, & cum maximè illis gaudere speras: vt enim infantia magis delectat, quoniam semper amplior est spes successionis, ita iuuentus vera gaudia affert. Cogita casus aduersos, solicitudines, morbos, miserias, improbitatem, contumaciam, stultitiámque. Si igitur horum vnum aut plura euenerint, cur à pactis, à conditione, qua illos suscipere decreuisti, recedere vis? Quot funera vidit Augustus? Tiberius etiam orbitatem. Cornelia duodecim filiis orbata est, duobus ex his etiam publicâ iniuria interemptis, & fortiter tulit: vt & Liuia mortem Drusi, tam egregij iuuenis, vt eum hostes etiam venerarentur. Cæsar ipse orbus remansit, nisi quod filium non legitimum ex Cleopatra, Ægypti Regina, sustulerit nomine Cæsarionem. Nolito fidere fortunæ: quamuis enim multos casus, multáque pericula euaseris, cogita te pro scopo peti. Antequam Ioannes Baptista in casses hos incidisset, forsan sex antea mensibus narrauit cecidisse iuxta illum ollam terra plenam è fenestra, parúmque abfuisse quin eo casu interierit. Ille & ego simul tum euasisse magnum periculum arbitrabamur, sed [illegible]on erat id lethale spiculum. Atque ita qui[illegible] orbitatis consolationem retulimus. Nunc [illegible]doptiuorum filiorum solatia transeundum est.

CAPVT XIV.

De Filiis adoptiuis.

QVi ex hoc mundo filiis relictis discedunt, magis soliciti, minus miseri abeūt, ob id solatium quoddam lege inuentum est, vt filios non habentibus adoptiuos assumere liceret. Qui ob quatuor causas plerúmque eligi solent. Aut enim priuigni adoptantur ob dilectionem vxoris. Quàm ob causam Nero à Claudio fuit adoptatus: quod tamen tam infœliciter cessit, quàm erat stultè factum, vt cui legitimus ac naturalis esset Germanicus. Et certè hæc adoptionis species ac ratio vilissima est, ac quasi turpis. Sed & Augustus Tiberium adoptauit? Imò sed creditum est, non solum Liuiæ, sed ipsius Augusti fuisse filium. Vnde vulgatum illud à nuptiis statim, τοῖς εὐτυχοῦσι τρίμηνα παιδία. Quamquā & hoc malè cesserit, destructa ab illo naturali stirpe patris, Germanici scilicet filiis, atque inde in Nerone prorsus extincta, adeò vt hoc auxilium parum vtile esse putem his, quibus naturales filij aut nepotes supersunt.

Secundum genus est, cum infantulos fortuito in domum receptos adoptant: vel etiam obscœnæ libidinis causa, cuiusmodi apud comœdos & Samosatensem plura exempla sunt. Quod planè stultum est, vel etiam execrabile. Dici enim potest cum filio concubuisse. Atque hæc electio prodigiosa est & plerúmque infelix.

Tertia est ob affinitatem. Cuiusmodi à Tiberio facta est & à Domitiano. Ea proxima est veræ soboli. Nam ius ciuile patris in filium adoptio præstat, & lex naturale vinculum agnationis aut cognationis. Qui enim sic coniuncti sunt, tanquam filij in vno vnave ascendentium iuncti olim erant.

Quartum genus est, cum ob virtutem filij eliguntur cuiusmodi adoptio fuit Neruæ in Traiano, Antonini Pij in Adriano. Est etiam adoptionis elegantissimum genus, cum quis filiam emancipat, iuuenem quo è familia adoptat insigni virtute, aut affinem filiæ iungit. Quod genus adoptionis neminem melius aut fœlicius absoluisse inuenio quàm Antoninum Pium, quando Antonino Philosopho adoptato & locata illi in matrimonium filia. Non fuit tamen Philosophus ex Pij familia. Ergo hac adoptione omnia implentur munera. Vera coniunctio ordóque posteritatis, cum qui ex filia nascitur, non minus nepos sit tuus, quàm qui ex filio, & nomen familiæ ob generum aut adoptionem. Nihilominus nepotes ex filiis magis quàm ex filiabus, quamuis minus certos, diligere solemus, quoniam perfecta magis diligimus ceu nobis magis similia: atque ita plus filiabus filios, atque ob id descendentes ex filiis etiam magis quàm ex filiabus. Plusque potest etiam perfectio similitudine. Nam & matres magis diligunt masculos filios, quamuis sexu dissimiles, quàm fœminas.

Multa enim sunt, quæ rationem non obscuram habent: velut cur ego longè magis doleam ereptum

ereptum filium à iudicibus quàm si morbo, si casu obiisset; nec tamen promptum est cuique illam diuinare. Quidam enim dicerent ob dedecus. At falluntur. Satis enim filio est decoris ex sua virtute & eruditione probitatéque: neque enim melior aut magis pius ac officiosus illo fuit. Illius integritatem facilè coniicere poteratis ex acerba vltione in reliquum filium, quamvis nec ille malus sit. Arceant illum modo ex suo albo medici, damnent iudices: nostri tamen labores illum, quoad vixero, illustrabunt. Non necis crudelitate: nulla enim mitior, nulla breuior. Ostendimus enim celerrimas solum & lentissimas mortes (si ita dicere licet) dolore vacare, & si aliquis in ipsius morte fuit, breuissimus fuit. Quid ergo mihi dolorem auget? Non ereptam esse vitam ab eo, qui dedit, qui seruauit: casus enim & morbi in Deum referuntur. Quæ à Deo eripiuntur, neque vi, neque iniustè auferuntur. Ipse enim & optimus est iudex, & eripit quod dedit. Itaque sapienter Senatus Venetus hominem, qui Deo in sacerdotio castitatem vouerat, monachum vocant, Pontificis Max. authoritate è claustro, vt pium genus Iustinianorum instaurarent, extraxerunt, coniugióque ornarunt. Ex quo nunc qui florent in ea familia, omnes orti sunt. Rectè quidem miserebat Senatum illum tot illustrium maiorum, qui beneficiis in Rempublicam floruerant, quod stirps eorum decederet atque exstingueretur. Nuper simile quid fecit Franciscus Gallorum Rex insignis, vel hoc solo inter diuinos viros, tametsi suæ virtutis exempla non desint, numerandus. Magalonensium enim vrbis in insula olim sitæ, nunc dirutæ, seu translato titulo Montispessulani Episcopo, quia vir esset eruditissimus, ne stirps tam sapientis viri deficeret & orbi & Galliæ imprimis suæ eriperetur, Græco licet potius quàm Romano more, concessit tamen & impetrauit vxorem, cum qua ille nunc filiis susceptis lætus viuit.

Quod si quis prolem nunquam suscepit, iuuenis aliquis eruditus & virtute præditus insigni, consanguineis non valde coniunctis, quique non egeant, nec generosæ indolis sint, honestè præferri poterit, maximè cognatis, semper autem si filiæ iungere cupias: melius enim est nepotes præstantes sperare, quàm duplici vinculo coniunctos. Eadem autem ratione instituendi sunt adoptiui, qua naturales, minoréque cum indulgentia, quod adoptiuorum copia defutura non sit. Cauere etiam oportet, ne adoptiuos efficias, quo tempore naturalis adhuc sperare potest: nam impedient illi vel propinqui sui, ne suscipias filios; aut si id faciat nemo, susceptis illis rem deduces in litem. Velut contigit Angelo Cardano qui Andream quemdam adoptauit. Nam ducta vxore & filiis, natis pater contra filium egit apud iudicem. Laudo, vt præstantem deligas puerum aut adolescentem, quem vni ex agnatis puellæ iunges. Sic enim familiæ ob ius adoptiouis, agnationis ob puellam virtuti ac animi tranquillitati ob iuuenis egregias dotes satisfacies. Sed si è familia masculis præstanti indole sit, hunc alieno etiam cum coniugio illo præferemus.

Cæterum si naturales, spurij, incertive filij sint, quid agendum? num adoptionis locus erit? Sic inquam distinguemus: naturales & spurij, quantum ad hoc propositum, legitimis æquiparantur: tametsi lex iubeat illos sequi matris familiam. Parum tamen hæc referunt nobis, vt dictum est, leges naturæ ac æternitatis studium sequentibus. Nam cum nomina, vt dixi, commutari necesse sit, nec semel & breui, necesse est & familiæ & maiorum memoriam interire, quantumuis sero id accidat, qua propter etiam sola stirpis ratio naturalis obseruanda erit. Quomodo ergo liber filius appelletur, quamquam nec mos hic vigeat, filius ille pro legitimo etiam habendus est, nec erit adoptioni locus. Quod etiam alia lex de Decurionum electione censet, quæ spurios non reiicit ab hac dignitate, quamquam non vulgari; adiiciens, non debere natalium obscuritatem virtuti nocere, nec ad gloriam viam præcludere.

Ergo nil superest in his, quam vt auxilio Cæsaris per legem legitimus reddatur, seu spurius sit, seu naturalis tantum. Circumferuntur autem plurima huiusmodi priuilegia per eos, quos Palatinos Comites, id est, è palatio vocant.

Nec verearis, quod dici solet, tales scilicet esse malorum morum. Nam hoc propterea tantum contingit, quia nothi non apud vtrunque parentem simul, sed apud alterum tantum educantur. Quomodo si legitimi etiam educantur, tantumdem deprauati euadunt. De incertis autem alia ratio est: nam hos, si plures sunt, tanquam veros habere oportet. Momo enim vnus sit, manet stirps. Sed si vnus tantum, secum alium coniunctum adoptare licet. Vtcumque sit, præstat stirpis suæ semina relinquere. Ob hoc, nisi vnus alteri sit impedimento, & contumaces & improbos & stultos & spurios ac incertos filios ac filias amplexari debemus. Et si tales sint, vt non sine infamia viuere possint, quàm citius suscipere nepotes. Similiter & in filiis fratrum naturalium naturalibúsque agendum. Quamquam enim Moses, matrimoniorum commodo ac fauori consulens, è templo spurios ad decima vsque generationem excludat. Alibi verò vsque ad quartam, atque sic singulorum vtilitati per publicam consulere voluit; nos tamen publicæ per id, quod vnicuique optimum est, magis prospectum imus. Quibusdam autem contingit, vt legitimos filios suscipere nequeant, quare his expedit, vt naturales quouis modo & incertos amplectantur. Atque hæc de luctu & orbitate.

CAPVT XV.

De Luctus & Orbitatis commodis in genere.

SEd videri possum oblitus esse principalis intenti, scilicet docendi commoda, quæ ex huiusmodi necessitatibus decerpi possunt. Quæ, quantumuis numerosa sint, ampla, atque magnifica; nemo tamen tam amens est nostris temporibus, nisi vilis lictor, qui

luctum

luctum illis commodis aut ornamentis, aut orbitatem filiis, quantacumque in paupertate enutritis, præferat. Si tamen sors, quod absit, cuiquam tam praua obtigerit, ei enumerare commoda volo, quæ ex illa sibi comparare potest. Satius enim est aliquid habere quàm nihil, & in quauis causa quod optimum sit, eligere, virtutísque beneficio vti, quam more vaccarum, voce lamentabili dolorem animi ac luctum declarare.

Sunt autem quædam generalia vtrique auxilia & commoda, quæ distulimus in hanc tractationem, ceu libro huic propriam: quædam peculiaria singulis eorum. In vnoquoque genere etiam sunt auxilia aduersus dolorem animi, & commoda ipsius calamitatis. Auxilia verò generalia, quamuis plura superius docuerim, ipsa tamen infœlici experientia didici, nullum esse præclarius auxilium mutatione loci, ac profunda & firma cogitatione. Dum enim animus illi insistere cogitur, cogitur & luctus obliuisci. Quod si hac cogitatione & causas doloris minuas, itaque repræsentes, vt docearis, nil melius esse potest.

Concludo igitur, tria oportere in vnum cogere. Primum, discessum è loco, in quo casus accidit, ne obuersando tibi speciem amissi filij, & dicendo, illic ei occurri, ibi morabatur. renoues dolorem, quoniam sis imparatus ad auxilium. Secundum, vt cogitatio intenta sit, quæque te auocet à causis doloris. Tertium, vt rationes auferendi vel minuendi doloris inuennias.

Sunt autem maximè duæ causę doloris in patre; misericordia propter illum, & spes ob te & sobolem stirpísque continuationem. Misericordia non vexaberis, si illi non defuisse certo tibi possis persuadere, atque etiam credere quod ille minimè te amabat.

De spe tibi satisfacies, si tibi alias proposueris. Sed virum nobilem animóque præstantem longè plus vexat misericordia quàm spei casus atque amissio, maximè vbi luctus sit, non orbitas. Verum hanc intentionem animi quàm necessaria sit in his casibus, insinuauit Plato in Phædone, dum Socratem inducit adeò acriter iugitérque disputantem, atque in re maximè ad propositum pertinente, scilicet de animorum immortalitate. Parum enim, etiamsi plebeiæ sortis, non elati illius animi fuisset Socrates, talia meditando, docendo, disputando affici interim poterat metu mortis. Sed maior est difficultas in introducenda cogitatione, quàm, illa introducta, in eiiciendo luctum aut propriæ mortis metum. Vnde non eandem existimo fuisse vtilitatem in reuoluendo ac legendo Platonis Phædonem, vt Cato ac Iulianus Imperator fecerunt, quàm quæ fuit in Socrate disputando.

Secundum auxilium est, cogitare quod quanto indies propior sis morti, tanto propior sis occursui filij. Exspectatio mortis omnibus naturaliter grauis est, occursus filij gratus ac dulcissimus. Ita quod acerbissimum est in vita, nullo meliore auxilio quàm luctu mollitur atque dulcessit: adeò vt quidam, non tam ob desperationem, quàm ob spem filios assequendi atque conueniendi illos, se vel morti obiecerint vel eam adsciuerint. E quorum numero fuit Octauius Balbus, & Blauus & Arantij coniux & Gordianus senior Imperator, qui, cæso filio in prælio, laqueo se in cubiculo suspendit. Verùm scio te dicturum. Si modo accurres filio mortuus, vt supra dixi: at enim vero

Hoc opus, hic labor est.

Sed præmium hoc est bonorum, scire atque consequi illa. Neque enim, qui rectè vixit, de hoc dubitare debet neque potest, sed cum occursum exspectare, vt triplici fœlicitate beeris: quod à morte superstis & superstit ille, eíque iungaris, & quod hos reliqueris quos exspectes. Itaque animi parentum tales in filios esse debent, quales in seipsos, & contra filiorum in parentes, atque ita dulcissimus erit conuictus. Nec tamen sic illos ama, vt cuiquam propter illos obsis, aut quod nostris temporibus familiare est, infanda omnia facias, vt illos diuites relinquas.

Tertium auxilium est, vt mediteris omnia quæ ad solatium filij sunt. Id flet, si quæ illum, si viueret, velle scis, quæque honesta sint, peragas, adeóque illos tuearis, ames, foueas, qui illum beneficiis affecerunt. Ita ego illius filiolum supremis tabulis commendatum curo vt ipsum. Et multo diligentius, quod & fortuna permittat, & casus filij auxerit miserationem. Ita singula meditari decet, quæ illi, si viueret, placitura existimaueris. Hac ratione etiam libros illius, vt æternum monumentum redimi. Quod propositum non solum dum efficis, sed etiam dum speras, dum etiam citra tuam operam euenerit, plurimum te delectat. Sic illud:

Vlta virum pœnas inimicè à fratre recepi.
Felix, & nimium felix.

Itaque si moreris, liberaris à pœna. Si superuixeris, necesse est, vt multa, etiam te nihil agente, videas per quæ soleris, vt æs alienum, filias, vxorem, quæ mortem filij mei longè diutius grauiúsque luxerunt quàm ego. Sed & temporum calamitates præsentes, & maiorum exspectationem tecum reuolue cum Cicerone, qui semetipsum per hæc solabatur in morte Tulliolæ. Nihil est quod placere possit nunc, si Romanus patritius hoc solo, quod Cæsar regnaret, se infœlicem arbitrabatur. Nam illi præsentem habebant principem & vnum & pacis securitatem: nos plures, & ipsum, qui præest, longius disiunctum, & multos principes in orbe potentes, & quamvis tranquilla pace fruamur, non tamen adeò secura, vt olim sub Cæsare. In priuatis etiam rebus considera molestias, casus fortunæ, improbitatem omnium, tot mala, tot metus, tam infirmam cõditionem nostram. Inuenies te, si nõ omnino nihil, saltem parum amisisse. Tot mihi in hoc argumento dicenda occurrunt, vt verear ne principes mihi silentium imponant. Adeò multa sunt & magna, per quæ esse nolis, adeo pauca & exigua, per quæ velis.

Quintum est, vt illum tecum cogites, quàm indignè se gesserit erga Deum, erga te. Laudo non parum tria illa extrema carmina sub nomine Lucretiæ, vxoris Bruti, ab Alcynio facta:

Cui id probasse cæde vel mea graui.
Lubet, statim animum parũ oportere extrahi
Ab inquinati corporis custodia.

Facto

Facto enim illa comprobauit, quanti pudorem faceret. At nostro tempore hæc negliguntur. Equidem cum flagitiosus sit filius, aut tu, nec speres rependere pro flagitiis, cur si Deum quidquam curas, viuere velis aut cupias? Obæratus ære alieno, vinculis debetur; obærati sceleribus Deo, libera aura frui permittuntur.

Illud etiam ad rem facit, quod si ex filio nepotes suscepisti, illos pro filio amplexare: diuiniores enim sunt, quia mundi fini propinquiores, securiúsque, posteritatis argumentum præbent. Si nullos, cogita, quacúmque via potes, non esse filium tuum, qui è viuis excessit. Licèt enim & se fallere, iniuriam vxori sola cogitatione non verbo vllo adferre, vt te ab immodico amore, à vitæ & insaniæ periculo vindices. Quin omnia decet experiri, ne Gordianum, vt dixi, seniorem imiteris: quamobrem & inter vltima præsidia hoc recensui. Sicut & illud, quod tamen leue est, vt cogites quod aliquando fati necessitate moriturus omnino erat. Finge tempus illud præteriisse, in illo te consistere, iam gaudebis longiore tua ætate, nec de illius interitu, vtpote necessario, dolebis.

Ne irrideas hæc auxilia. Res enim cogitatione constat, non natura: nam equæ & vaccæ paucis diebus & iacturam & iniuriam finiunt mares omnino non curant: solus homo hanc molestiam ratione in immensum extendit. Quod igitur vitio rationis deperit nobis, quod mali est, si fallendo rationem in integrum id restituamus?

Atque hæc, quamquam pleráque intacta ab antiquis, ex eo tamen sunt genere, in quo quàm potuit diligentissimè versatus est Crantor, scribendo sibi consolationem pro morte filiæ, quàm Plutarchus maxima ex parte ad se transtulit. Quæ sequuntur, & specie & genera ab aliis intacta prorsus sunt, & ad hanc propriè pertinent tractationem. Scribemus autem primo de Luctu.

CAPUT XVI.

De Luctus commodis in specie,

PRimum igitur didici luctum reddere hominem ab aliis molestiis, nisi ex eodem genere sint, tutum. Nam adeò ingens est dolor, vt illud Hippocratis bellè ei conueniat, Duobus doloribus simul obortis, non eadem tamen in parte, vehemenrior alterum obscurat. Itaque ex eo, quod anteà non faciebam, didici contemnere paupertatem, infamiam, contemptum, leues morbos, superiorum minas, aliáque huiusmodi, quæ hominem perpetua solicitudine tenere solent.

Deinde, quantus sit amor patris in filium atque ex eo animos reliquorum hominum in suos filios æstimare: neque enim id anteà scire aut potui aut licuit. Si enim sciuissem, haud dubiè omnibus aliis postpositis, solùm huic negotio intendissem. Solet dici. Ingenium, vbi intenderis, valet. Itaque vos, ô Lectores, admoneo, vt meo malo discatis hoc, quod incomparabilis est amor patris in amissum filium ei, qui illum, dum filius viuit, præsentit.

Cognoui etiam ex eo quantam curam superstitibus adhibere oporteat & nihil hic prætermittendum esse. Laudo sententiam illius, qui dixit, Nihil patrem debere præponere filio, nec filium quidquam rursus patri: nam ad felicitatem egregium certè præceptum est. Quanta itidem sit optimatum gratia aut misericordia, quanta humanitas, quamque parui faciant nos nostráque, & virtutem atque eruditionem, quàm denique exiguo suo commodo aut studio nitantur conseruare inanem illam gloriam, quæ nec anno vno ab obitu manet. Quamobrem nulli rei fidere iam oportet, nisi potentiæ atque pecuniis & opibus. O quàm bene dixisti Horati.

O ciues, ciues, quærenda pecunia primum,
Virtus post nummos.

Imo quam male: enimvero rectius omnino dixisses.

O ciues, ciues, quærenda pecunia solum,
Virtus despicitur.

Itaque consilium hoc non mutauit (nam opportune, si quid tale opportune aduenisse dici potest, aduenit exactis laboribus,) sed temperauit. Didici etiã, non oportere cum, qui Philosophiæ operam dederit, hominum mores existimare suis similes, sed suos vt hominis, eorum verò, qui à Philosophia sunt alieni, velut apud Circem, vt leonum, luporum, draconum, ac viperarum facta dira, immania, expertia prorsus omnis humaniotis exempli, atque eo sæuiora, quo magis imbuta literis. Etenim eruditio si Philosophiæ iuncta non sit, velut vinum est venenis, quod hæc longè deteriora reddit. Nam & velare malefacta docet eruditio, & ambitione & auaritia magis replet corda hominum, & spem minuit immortalitatis animi ac præmiorum à morte. Non credis hæc? compara Tiberium. Claudium, Caligulam, Neronem, Domitianum, Traiano, Antonino Pio, Alexandro Seuero. Solus Antoninus Philosophus ex his, qui eruditi fuerunt, laude dignus erat, quia Philosophus. In vniuersum omnes eruditi principes mali sunt, nisi Philosophi sint, & contra plerique imperiti boni. Quis melior Ferrando Gonzaga? Naturali ratione ductus dicere solitus erat. Qui adulteram occidit, nunquam ex deliberatione id fecisse dici potest, quoniam perpetuo maritus iniuria afficitur? Seruatus est Moretus plenè ad mortem damnatus, aliique multi ex eadem damnatione missi ad triremes: Quid obstat? nil. Sed tamen clamabant pater & mater publice. Quare sinebatis? satis intellexi miser, quòd velum his clamoribus obtenderetur saluti filij mei. Sed ita, indignatione, misericordiáque simul commouebar. Ipse enim filius meus hoc poculum sibi parauerat, ipse sibi intriuerat. O saxa, ô terra, mare, cœlum, cur nos sustinetis? Chironis formam pulchre Alciatus magistratibus tribuit.

Didici blandis sub verbis latere facta atrocia, quantumque malum sit latus inuidiæ detectum habere, quantum obsint odia satraparum, quanta sit inconstantia humanarum rerum, fortunæque volubilitas, & quam vnico momento omnis sæpe humana felicitas euerti soleat. Itaque illud quidem dicam.

Nemo confidat nimium secundis;

Non autem illud,

Nemo desperet meliora lapsis.

Sed omnibus valedicens, in paucis & ad pauca retraham studia mea. Auxi enim mirum in modum scripta commentariáque mea, dum hoc solùm tranquillitatis tempus, imò potius remissionis à luctu inuenio, quod, vt dixi, intenta cogitatione scribendo incumbo.

Intellexi insuper decreta astrorum, ostentáque suprà naturam posse: non tamen cedam in posterum ostentis vel fatis: adeò vt necesse sit illis horum autoribus vel ea celare, vel maiorem imponere necessitatem: ne quod forsan decreti violentia contigit, id ego, dum negligentius ago, mea culpa accidisse arbitror, ob quod forsan factum atque cogitationem (nam & cum geniis, vt video, pugnare cogor,) euenit, vt horum, qui supersunt, descendentium aut mei nullum prodigium extet: diffidunt enim posse me in futurum suis ostentis decipere,.

Nunquam etiam tam benè auaritiam ministrorum, dolos hominum, ambitionem, perfidiam, rapinásque multorum cognoui, imò etiam plus posse longè inuidiam quàm virtutem, odium quàm innocentiam, & promissa magnifica vltra labia non extendi. Quamobrem in posterum mercabor omnia fide Græca. Item, Nullum esse crimen deterius stultitia, filiósque, qui parentibus non obediunt, infelicem plerúmque habere exitum. Vnde quod nunquam antea intellexi, nec satis explicatum ab aliquo animaduerti, nunc video quorsum tendat dictum illud Mosis, Honora patrem tuum & matrem tuam, si vis esse longæuus super terram. Ille longæuus est, qui implet annos sibi à natura decretos, etiamsi primo anno intereat: qui vi præripitur ante tempus, etiamsi septuagesimum annum superauerit, non est longæuus, quoniam naturæ decreta tempora percipere non potuit. Ad violentiam igitur potiùs præceptum illud pertinet, quàm ad vitæ temporis breuitatem. Quamquam sub velamine hæc, quemadmodum & reliqua oracula proferri solent, Moses docuerit. Nam postquam, vt dixi, nullum vitæ nostræ spacium longum esse potest, id solùm longum appellare licebit, quòd à natura concessum est? breue, quod interrumpitur.

Illud etiam ostendi, me, quamuis corde essem tenerrimo, & misericordia illa immensa filij, quem suprà me ipsum diligebam, detinerer, rationibus tamen superiùs adductis atque auxiliis tantum profecisse, vt pauculis lacrymis, pluribus suspiriis ac gemitibus clam editis, ne omnino disrumperer, constantissimè munus legendi obiuisse, auctoritatémque adeò integrè retinuisse, vt nunquam alias frequentius habuerim auditorium. Atque hæc de luctu, nunc de Orbitate agamus.

CAPVT XVII.

De Orbitatis commodis in specie.

HAbet enim Orbitas præter hæc, seorsim alia commoda, atque inprimis securitatem & libertatem. Dicebat Cæselius, cum decretis Cæsaris Augusti quis subscribere nollet, illéque minaretur, Magnam libertatem & securitatem exhibere ipsi senectutem & orbitatem. Simili fermè audacia, imò longè maiore Plebeius quidam aduersus Pompeium vsus est, exprobrans illi, quæ nec Galba quidem ille in Satyra agitatus perferre posset, nec mirum. Nihil enim adeò ad securitatem facit, quàm quòd desit materia, in quam ira deseuiat. Orbitas autem filiis metuere prohibet, senectus vitæ nostræ.

Aliud est vtilius sanè emolumentum, quod orbi ab omnibus obseruantur & dona accipiunt: omne rarum, omne pulchrum, preciosum, magistratus, honores, scorta, delitiæque orborum sunt. Felix est, si ad hæc respicimus. Quin orbi conditio iam trita res est & ab omnibus tractata oratoribus, enarrata historicis, poëtis decantata. Vnde illud Epigrammatici.

Scis te captari, scis hunc, qui captat, auarum,
Et scis qui captat, quid, Mariane, velit.
Tu tamen hunc tabulis hæredem stulte supremis

Et rursus.

Orbus es & locuples & Bruto Consule natus
Esse tibi veras credis amicitias?
Sunt veræ, sed quas iuuenis, quas pauper habebas:
Qui nouus est, mortem diligit ille tuam.

Ad illud etiam alludit Iuuenalis hoc,

Meliora, ac plura reponit
Persicus orborum lautissimus.

Vt & Ciceronis illud, Quem nutum locupletis orbi senis non obseruant? Simile illud Luciani, dum fingit orbum captatum à pluribus, velut piscem, lupum, deuorasse hamum, id est, dona recepisse & officia gratuita: verum domesticum adolescentem hæredem reliquisse. Itaque eius orbi, qui nunquam habuit filios, hæc venatio non contemnenda est, maximè si, vt oportet, artem meretriciam calleat. Nam sic illum omnibus blandiri oportet, vt omnes præponi se ab eo existiment. Aliorum igitur munera libenter accipiat, aliis mittat, alios inuitet ad cœnam, ad alios etiam non inuitatus accedat. Errare non potest, etiamsi sordidiusculus sit, diues modo sit & ad piscatores eat, salutet hos, illos veneretur, ab aliis mutuum petat, aliis concedat; quosdam hilariter excipiat, aliis occurrat, alios amplectatur, cum quibusdam ad ludos, ad venationes accedat; trahat cum aliis longos sermones, cum aliis secretos agitet; oculo altero suppresso conniueat his, illis tacitus arrideat, huic domus die sẽper pateat, alteri noctu, alium dum exonerat aluum, alium dum in lecto cubat, etiamsi cum scorto sit, admittat, quosdam assidere prope iubeat, huius vxorem, illius filium requirat, quorumdam etiam gnatos in domo alat, aliorum curet institui. Quibusdam ministeria publica & administrationes & stipendia dari curet, omnes officiis iuuet, blandis verbis salutet, læta fronte excipiat, sua secreta committere simulet, consiliúmque petat, & quanto sunt stultiores, tanto facilius orbus diues habebit magistratus & principes, proconsulésque prouinciarum non solum familiares, sed & amicos; nec tantum ob eam spem, sed etiam potentiam, quod obseruentur à pluribus.

Atque ob hanc, tot commodorum scilicet causam, antiqui non solùm orbitate vtebantur, sed & illam, vt Seneca refert, simulabant, absconditis, abdicatis, eiectisque filiis, vt simul vtroque commodo fruerentur & posteritatis & munerum, honorumque ac potentiæ, sed quibus postmodum captatis lupis maiores relinquebant opes. Ostendit Catilina quàm parum curaret orbitatem, qui pubescentem vnicum filium sustulit, vt nuptiis Orestillæ prædiuitis fœminæ potiretur. Dignus sanè vir tanto supplicio, tali fine & interitu stirpis, qualem habuit. Sed hæc forsan parum in viris videamus, in matribus sæpius. Cleopatra, Antiochi Assyriæ Regis vxor, cum duos haberet filios Seleucum & Gryphum, vt sola regnaret, Seleucum interfici curauit, Gryphum deinde veneno conata tollere, detectis insidiis, coacta est suo veneno perire. Itaque vides, quàm sint parui etiām apud matres precij soboles, atque orbitas contempta? Quòd autem vltro sibi quærebat mater, filiorum certa, tu vir & incertus oblatum ferre non potes? Quis maior, quis felicior Sultano Solymano? Illi cum mortuus esset filius, alium occidit, Mustafa nomine, atque ex eo nepotem annorum duodecim: ita nihil, præter tuto regnare, dulce putauit, nec filios ad beatam vitam quidquam referre existimauit. Huius pater Selimus, aliquanto sæuior, etiam hunc, qui nunc regnat, tentauit occidere, vi fœlicitatem orbitate definiret.

Ad rem tamen redeo. Nostris temporibus adulatorum loco solent religioni ac pietati dicata loca pro hæredibus institui, atque id certè melius. Sed sic plerumque agitur, vt omne bonum exemplum, dum modus non imponitur, corrumpatur. Multi enim nepotes & propinquos pauperes, nulla ab illis iniuria lacessiti, spoliant hæreditatibus, quæ ad illos peruenturæ lege essent. Sed, vt dixi, hac de causa non sunt, vt olim, tanto in pretio apud omnes orbi. Nec tamen adhuc desunt clientes illis, & amici, & adulatores, vt eorum domini principale videantur, vocenturque ad ludos, pompas & nuptias, discumbantque inter primos, salutentur ab omnibus, alij illos venerentur etiam, gratulenturque eis ac ipsos obseruent. Præter hæc Rondeletius, vir certè egregiæ eruditionis, inter commoda orbitatis, cum ei vnicus filius morte ereptus esset, numerabat splendidioris ac lautioris liberalioris que vitæ cursum.

Verum omnia ista his, qui filios non susceperunt, abunde pulchréque conueniunt. At non æque his, qui illos amiserunt rursus. Qui vt videntur huius nostræ felicitatis expertes esse magis, ita, si viuerent filij, eodem modo obseruarentur ab omnibus, eadémque essent accepturi munera, imò potiora melioráque. Quod tamen falsum est, vt dixi: ablandiuntur enim plerique propter spem potiundæ hæreditatis, non amicitiam veram. Considerant etiam tum commoda sua, non autem illorum, scilicet filiorum incommoda, quæ rectè reputantibus longe maiora sunt, vt dixi, commodis. Nam si quis reputet, quàm rara fuerit gloria nostra, videbit nos fuisse satis beatos. Et tamen vix vnquam potui non pœnituisse vitæ huius ingressus ac cursus. At, dices, nunc in luctu hæc? minimè: nam dimidiuum tertiæ partis ereptum est: & si rectè numeras relictum est ex hac parte filiorum & posteritatis quantum fermè satis est, vt vno, vel ad summum, altero gradu sim inferior. Sed obiicies, quod anteà viginti septem numeris potior essem; amisi ergo viginti octo. Verumenimvero ad eum, qui iuste commoda fœlicitatis metitur non adeò spectat tam subtiliter res metiri. Nam si natus non fuisset & numerus inde maneret, non possem me infœlicem existimare; sed parum à fœlicitatem abessem.

At, dices, adest cum hoc contemptus & odium superiorum. Ego ista non magnifacio, quia nota sunt: si anteà præuidere potuissem, aliter rebus mei consuluissem. Stat itaque sententia illa Sileni.

Homini, inquam,
Non nasci esse bonum, aut natum cito morte perire.

Aliis potius, quam nobis nascimur, maioribus videlicet nostris ac Deo: nobis ac posteris nostris nequaquam feliciter aut ex vsu. Propterea non est increpandus Iobus cum dixit, Pereat dies in qua natus sum: nam si nobis nascimur, nullus, vt nascatur, optare debet. Eorum igitur, qui præstanti sunt animo, optima conditio est, prolem bonam suscepisse ac seruasse: proxima, non suscepisse: aliorum verò prima, non suscipere; proxima, suscepisse & seruasse: post illorum, qui orbitatis commodis probe vti norunt.

CAPVT XVIII.

De Filio supposito.

Deterrima verò est conditio eorum, qui cum non susceperint, suppositos aluerunt tanquam suos, & postea resciscunt non esse suos. Vide quot hinc surgant incommoda? Cura tot annorum & impensæ periere, aluisti filium iniqui adulteri, perfidæ vxoris, filium amisisti, dedecus, irrisio, memoria iniuriæ tot annorum atque contumeliæ, amissa occasio proprios reparandi, contemtus, dolor, omnium rerum confusio, mœcha vxor, filius alienus, tot proditores domestici, qui vna cum vxore & adultero consenserunt.

Quæ res luctu deterior est, quod in luctu proprium amisisti, sed sine dedecore contumeliáque; hic cum dedecore & contumelia. In luctu perdidisti pecunias & labores insumptos, cum iusta ratione ac ampla spe: in supposito, impensæ & labores fraude periere, & sine vlla spe, si resciuisses.

Sed hoc tamen magna indiget consideratione. Primum enim, si non resciuisses, quod ad felicitatem attinet æque felix esses, acsi tuus fuisset. Nam felicitas est voluptas animæ ex ratione cognoscente professionem iucundi: in definitione enim nihil variatur. Sed tamen illud non est verè iucundum, non est æternitatis surculus. Quid ergo?

num laudabimus absurdam consuetudinem Lacedæmoniorum, qui vxores suas adamato adolescenti subiiciebant, filiósque susceptos pro suis alebant? Certè stulta prorsus est consuetudo: neque opinione iucundum tunc possidetur. Quamobrem non est hæc felicitatis, sed stultitiæ ansa. Magis probandum, quod Iudæi faciunt. Nihil est enim incognitum maioribus nostris, tametsi rationem non addiderint. Apud illos vxori defuncti fratris alter frater iungitur, quiqui nascitur filius, censetur prioris coniugis, idque iustè. Parum enim abest filius à nepote. Est etiam, vt ita dicam, priuignus, sed caret nomine. Est autem quasi è regione oppositus, ὑστερογενὴς Græce dici potest, quasi post genitus. Inde etiam & in hæreditate & in amore filiis suis præferunt filios sororum. Et id quoque iustè ac sapienter, si quidem illi filij sunt certi sororis, quia illa eos peperit, soror rursus certa, quia eadem matre genita: nihil ergo certius affinitate, seu matris potius cognatione. Ergo hi optimi, deinde suscepti, Hebræorum more.

At, dices, nobis hoc non licet. Verum nos id simplicius habere possumus, scilicet per nepotes ex fratre genitos, in quibus etiam familiæ nomen seruatur. Post suscepti suppositis, Lacedæmoniorum more, sunt præstantiores, quod citra fraudem geniti sint, & ex amico, non vt illi ex inimico: verum melius erit ex amico, & agnata cognatave, non ex propria vxore natos admittere.

Vltimum locum obtinent qui suppositi sunt non rescíscente alumno, quia fœlices quoquomodo sibi videntur, aliis non ita. Et hæc felicitas stultorum felicitati persimilis est. Stultorum verò felicitas plane nulla est, quia certum est illos decipi: eorum qui suppositum alunt, incerta. Neque enim fieri potest, vt quis sanæ mentis aliquem filium aliquamdiu existimare possit esse suum, inde certo cognoscat suum non esse. Sed dubitare poterit, aliter ab initio demens fuisset. Iam ergo vbi rescíueris, apud Christianos optimum est inuentum auxilium, vt in phratriam aliquam coniiciantur: amittunt enim ibi ius hæreditatis, vnde etiam mortui modo appellantur, nec tamen pereunt, sed iugiter seruiunt domino: quibam etiam eruditi euadunt, alij ad dignitates ascendunt sacerdotales, vsque adeò vt nonnulli in summos Pontifices euaserint. Scio plures matres, in exomologesi coactas à presbyteris, suasisse coniugibus, vt filios, quos ipsæ norant non ex coniuge susceptos, phratriæ amandarent. Quidam stupidi non intelligebant cauillationem, alij paruerunt, seu intelligerent, seu non.

Sed & alij rursus cum resciuissent, maluerunt tamen retinere ob vnam harum trium causarum. Vel quia nunquam poterant tam esse certi, quod filij sui non essent, quam quòd certi essent, certos esse non posse. Et quamquam spes exigua esset, tamen quia, si amitterentur & essent proprij, longè plus amittebatur, quàm si alienus retineretur. In his namque sola impensa & exigua iam peritura est, quando maior pars effluxerit, quæ recuperari nequeat: in veris, si pereant, impensa, labor, & filius, quod maius est, perit. Itaque melius est longè retinere alienum, quàm proprium amittere atque perdere.

Sed circa hæc dubitatio est, an centum atnepotes ex decem filiis, mixtis etiam inuicem abnepotibus, plus referant totidem nepotibus ex vno filio procreatis? videtur enim in prioribus plus esse seminis tui atque substantiæ. Verùm id non referre puto: quoniam cum ad infinitum numerum generationem refertur, differentia nulla euadit. Si enim impressio tam est ex vno perfecta quàm ex decem, similitudo seruabitur: sin autem substantiæ discrimen, rursus nullum. Tam benè igitur, modò totidem pro securitate generentur, vt nepotes ex vno quàm decem filiis, similitudo tua integra seruabitur in illis. Gaudeant igitur & qui vnicum filium filiamue relinquunt.

Sed quisnam charior, antepos an filius? Sensu quidem filius; experientia enim deprehendi. Maior etiam est nostri pars, cum atnepos tot sit aliorum, filius tui & vxoris tantum. At ille maiorem præbet perpetuitatis spem, & in eo filij, nepotis, & abnepotis imagines relucent? Etsi in eo amor minueretur, non esset perpetuitati coniunctus, quoniam deficeret paulatim; ideóque nec filij amor nec nostri esset: hinc verè charior atnepos est, modò certus.

Vt ad rem ad ream, retinendorum filiorum altera & secunda causa est, quod ipsa per se educatio dulcis est, & pigeat tot propter illos labores exegisse, tantos sumptus fecisse, & omnia amisisse. Vbi ergo proprij desunt, iuuat hos loco filiorum retinere, maximè si res ipsa non adeò manifesta sit populo. Ob id videmus multos sponte educatos, quãuis alienos esse scirent, tamen hæredes vniuersales instituisse. Scio Principem quemdam cogitasse quo modo ex vxore iuuencula & grato adolescente hæredem regni susciperet, sed morte præuentum efficere non potuisse.

Tertia causa est, si accedat virtus, probitas, & mansuetudo alumni, qui facilè tunc & tenaciter retineri solet. Sed quid faciendum, si iam tibi proprij sint filij, & alienus improbus, sed adultus, nolit se eiici è domo? Vt contigit in vrbe nostra in duabus familiis patritiis, in quibus suppositi, quamuis mater marito testaretur non ex illo conceptos, neque iure neque persuasionibus hæreditati renunciare voluerunt. Vnde magna inter fratres, quos saltem vterinos esse constabat, conflata inuidia est. Tũc ergo emolumẽta hęc captare ex calamitate licet. Instrues illos vt filios, sed seuerius ac securius, licet in eodem periculo non sis, si pereant. Habebis autem ad hoc adiutores fidos atque auxiliatores, modò illi non sciant se esse subditos, ac, vt ita dicam, nothos. Tunc enim nec tutũ esset tibi, si alios habeas filios, educare illos atque in domo habere. Periculum enim ingens est, ne spe hæreditatis aut naturę improbitate metusve à veris eiiciantur aut posthabeantur, atque iniuriarum ac cõtemptus irritatione aut tibi, si solus fueris, aut illis, scilicet propriis filiis insidientur. Cæterum bona merx est, si scias vti. Nam labore seruos, amore filios sese præstabunt. Quinetiam proprij filij hoc exemplo meliores

euadent.

euadent. Erunt etiam pro tutela filiis naturalibus, ac velut cortex nucleo nucum & caſtaneæ. Laboribus igitur citra contumeliam omnem exercere illos conuenit, induſtrióſque reddere. Quod ad hæreditatis verò portionem attinet, poſtquam, vt dixi, ſcire non potes, etiam ſi mater id pernegat, eſſe tuos, parum aberrabis, ſi ſuam illis partem relinquas. Curabis autem, vt primum tantumdem ſua diligentia ac labore ſibiipſis acquirant, aut ſaltem non exiguam eius portionem. Deinde etiam naturalibus clam plura ſubminiſtrabis, & ſic vt partum id labore ſuo mentiantur, quamuis non mentientur. Suum enim ſi dicant ac proprium, à veritate longius non diſcedent: nam quæ ſunt patris, etiam filij proprij veríque ſunt. Stultum enim, cum ſcias plus poſſe legem, velle potius hanc errare quàm naturam. Curabis etiam omni ſtudio vt incerti (ſic enim malo appellare dubios quàm ſuppoſitos) agnatæ tuæ copulentur: ſic enim ſenſim tranſibunt in coniunctionem tuam. Sed ſi omnino nolint, innupti maneant illiſque proprios filios inter ſecundos hæredes ſubrogabis. Quod ſi in hoc non pareant, ſed aliam ducere velint vxorem, curabis vt eorum filiæ filiis propriorum filiorum iungantur, & filij filiabus. Quod ſi lex diuina obſtiterit, ſupremis verbis, vt id, tanquam gentilis mos obſeruetur, imperabis. Solent enim filij hæc ſuprema mandata patris, has vltimas voces diligenter obſeruare. Nihil penſi habeas donec omnia hæc abſoluantur. Vxori tuæ, ſi ſuperſit, nuribus, affinibus, cognatit, quouſque magis idoneos exiſtimaueris, hæc dicito: Summum Pontificem ſupplicatote vt concedat: nam à ſecundo gradu aut quarto ciuili ſolet indulgere. Omnia conſulte facito, ſed caueto, ne quiquam prodas cauſam, imò nec filiis propriis. Stultum enim eſſet, etiamſi certus fores, hæc ſemina inimicitiæ inter illos ſerere, quanto magis cum incertus fueris.

Claudere librum iam decreueramus; atque cũ eo ſimul opus: ſed obtulit ſe ſcrupulus quidam, forſan non adeò leuis, vt prima fronte videtur, ſcilicet, An præſtet nobis ſupereſſe filios vndequaque diſſimiles moribus, aut nepotes, in quibus nulla ſit ſpes emendationis? Video enim & Ariſtippum & alios Philoſophos non probare illos, qui nec ſibi, nec patriæ vtiles futuri ſint, nec decori parentibus aut familiæ, quin etiam alios perdere poſſint, ſeu ſtultitia ſua, ſeu impatientia, ſeu ſcelere. His enim peccatis, ſi prorſus ſpes non ſit quod corrigantur, neceſſe eſt filios non ſolum ſe ipſos, ſed etiam coniunctiſſimos tandem perdere. At verò, vt dixi, ex aduerſo eſt illud, nihil eſſe deterius, quàm non eſſe: Hoc enim naturæ peccatum eſt, illa morum ac gentium. Et ſicut ex ſapienti viro oritur perſæpe ſtultiſſimus filius, ita contra ex ſtultiſſimo patre ſapientiſſimus filius naſci poteſt.

Quocirca diſtinguere rem non vniuſmodi multis modis oportet. Si improbitas cum ſtultitia coniuncta ſit, præſtat quàm celerrimè, duobus aut tribus filiis ſuſceptis, illum interire, aut vinculis perpetuis detineri. Si ſolum ſtultus, aut improbus, aut impatiens, diutius proferre oportet rem, donec plures oriantur: ſi plures habeas filios, tanto pauciores ſuſcipere nepotes oportet ex his qui vna ex his tribus animi perturbationibus detinentur. Semper autem ſtudere debes, vbi periculum eſt, ne ſemetipſos euertant, vt celeriter copules illos, & nepotes ac prolem ſuſcipias: vt & cum pauci aut ægri fuerint filij. Et vbi times ne ſint ſuppoſititij, cura vt deſcendentes inter ſe miſceantur.

Circa inſtitutionem autem cauere debes, ne tam leuis ſit, vt obnoxij ſint legibus, nec tam grauis, vt inutiles reddas filios. Grauiſſimus ergo malis eſſe debes & dum pueri ſunt, mollior bonis & dum adoleſcunt: quoſdam eam velut in cauea continere concluſos & pane & aqua modicè ſuſtentare. Habitare etiam, vbi leges fauent bonis. Leges bonæ ſunt, quæ ius naturæ ſequuntur, quæ vbique ſeruantur, quæ lucroſa ſolum crimina inter flagitia ponunt. Hoc verò eſt vltimum beatitatis humanæ argumentum, & vltimus etiam finis, ſtirpem in æternum protendere. Virtus autem tum in teipſo, tum in illis, perfectio vitæ humanæ eſt, ſicut vitium quaſi corruptio eſt. Sapientia verò aliquid plus humana conditione obtinet, & ad diuinam prope accedit. Auxiliorum vero inopia, vt breuitas vitæ, paupertas, contemptus, morbi, iniuria, dolor, carcer atque ſimilia, ſunt velut opes apud auarum, qui omnino illis negligat vti.

Porrò aliud etiam eſt felicitatis genus, de quo in Theognoſto dicemus, aliud multo præſtantius, quod perpetuum eſt atque ſempiternum, paratum his, qui piè ſolum ac rectè viuunt. Diximus autem de illo in beata vita, quæ in illo illuſtriore mundo atque complicibus ſempiternis luminibus atque primis ſubſtantiis, tum etiam his, qui extra hunc orbem circumferuntur, in quibus ſenſim adaucta felicitate ad abſolutam puritatem mens deuenit. Vnde illis obliuio horum, ſed non ſimilium atque chariſſimorum.

CONCLVSIO.

Hæc igitur ſunt, Octauiane Cuſane, quæ de vtilitate capienda ex aduerſis in hac ingrata calamitate ſcripſi, vt intelligant homines omnes fermè, qui de miſeria ſua conqueruntur, ſe iniuſtè ſortem, iniuſtè fortunam accuſare, ſed noſtram imprudentiam ac deſidiam in tractandis rebus, vitæque noſtræ vitia, quibus quaſi funibus deuincti explicare nos aduerſus impendentes procellas negligimus, in cauſa eſſe. Vt nemo iam, niſi peccato ſuo, ſit infelix. Quod & ego ſatis & plus, quam vellem, experior, dum publicæ vtilitatis cauſa oblitus ſum priuatæ, & toties monitus iniuriarum quas acceperam, ſperabam integritate ſuccedentium magiſtratuum tranquilliorem ſtatum. Sed opinio mea me, velut Ciceronem de Octauio concepta, fefellit. Cùm ab his, quos patronos mihi arbitrabar, longè deteriora ſim expertus, quàm à ciuibus, quamuis æmulis & de commodo ſuo agentibus, paſſus fuiſſem. Apertè enim declarant ſtudia medicorum cauſam filij mei, etiamſi inſenſiſſimo, illorum

collegio demandatum fuisset, filium meum non periturum omnino, plusque pudorem & honestatem, quàm propriæ vtilitatis rationem, momenti apud illos ac ponderis habituram. Quòd frequenti experimento didici: plura enim ab illis etiam iratis sum consecutus, quàm à blandientibus. Moderari huiusmodi affectus sæpe non possumus, sæpiùs negligimus, quia potiorem partem amisimus. Intelligent autem rationem vitæ cum præceptis in reliquis omnibus conuenire.

Rogo autem Trinum illud Numen, vt, si è re sit, tam dirum exemplum genti illi remittere velit, quod paucorum oscitantia, multo pauciorum peccato admissum sit. Intelliget tamen Rex mitissimus, quot & quantorum malorum succedentium prodigium fuerit hæc mors in perpetuum, donec ab illo vindicetur. Die enim septima Aprilis anni MDLX. ea cædes peracta est, atque antea nos id impressis libellis, ne fraudi M. S. aut illis esset, testati sumus, cum etiam libelli illi fuerint publicati, quorum causa illos etiam, ne mentiri viderer, Senatus mandato denuo imprimi curauimus.

Cæterùm quod ad libri vsum attinet, scire oportet, eum, qui velit fructum huius colligere, non, vt ego feci, studiis literarum & disciplinarum incumbere oportere, sed huic vni contemplationi, & agendo, exercendo, meditandóque, maximè in parte, qua maximè sibi opus esse intelligit, die noctúque insistere vt non solùm quod didicit ad opus traducat, sed & assidua exercitatione facilem omnium præceptorum vsum efficiat; & quæ legendo subterfugerunt, quæ quam multa esse necesse est, ipsa meditatione & exercitationis frequentia deprehendat. Valedictis igitur omnibus naturalibus & eloquentiæ ac literarum studiis, quærat tempus mensuramque rerum, atque initium & decorem: quæ quatuor difficillima sunt, nec vlla arte scribi potuerunt, sed solertia, iudicio, moderatione, constantia atque assiduo, vt dixi, vsu parantur atque inueniuntur, & ad optatam perfectionem ac finem deducuntur. Quantum verò necesse est propriæ artis studiis, si arti alicui incumbat, singulo die tribuat, vt Deo satisfaciat. Reliquum omne tempus, exercitationem, laborémque in hoc vno argumento consumens, donec ipsum in digitis, vt dici solet, habuerit. Neque enim paruum lucrum ei propositum est,

FELICITER VIVERE.



DE



DE NATVRA LIBER VNICVS.

CAPVT PRIMVM.

De Principiis rerum.

PARS PRIMA.



OPTIMVM atque iucundum nobis est quòd intelligimus: eiusque perfectio scientia est: cum per causas atque Principia ad ipsa per se nota peruenimus. Horum autem duplex genus quod mente percipitur, atque in eoidem nobis ac naturæ primò cognitum est: quod verò ad causas attinet, ipsi naturæ quidem notiores, sicut nobis effectus: ob hæc igitur vtraque via nobis progrediendum est ad naturæ inquisitionem, quâ omnia constare videntur: nostraque origo inde pendet. Decet autem hoc totum ipsum & confusè & generaliter cognoscere velut mundum, & quod aliquid est & ordine constat: inde verò, & ad partes, & speciales qualitates atque distinctas progrediendum est. Conuenit autem & hoc cum rationali inquisitione tùm generali tùm propria vnicuique. Totũ enim ex sensu accipitur, diffinitio autem & ratione, & ad partes ipsas nos deducit. Quærendum est, an vnum sit quod est, aut plura? & an Infinitum an infinita? an mobilia an immobilia? an eiusdem speciei si plura sunt an diuersarum? eademque in principiis ipsis atque subiectis? Non oportet autem fatigari in his, quæ sensu sunt manifesta, velut antiquis Aristoteles tribuit. Nam quòd plura sint & quod moueantur, id nos accipere oportet. An verò corporum aliquod sit prorsus imobile posteriùs considerandum est. Quòd enim vnum sint omnia, sicut homo & equus, manifestum est: ordini enim vni subiacent, & partes singulę prout opportunum est, mouentur: atque omnes in vnum conspirant. An verò vnum omnium sit principium adhuc manifestum non est. Vt equi huius & vt equorum omnium, & vt equi atque hominis. Videntur enim varij affectus, variaque tempora, variæque formæ. Itaque Parmenides & Melissus non omnino malè dixerunt, si omnia in vnum quemadmodum in animalium singulorum corporibus conspirant. Plura autem esse vt potestate dicuntur, haud obsscurum est velut accidens quod alteri inest, & cui inest. Et quale aliud est & quantum & quod mouetur, differt ab eo quod quiescit: & etiam in eodem putà aëre dimidium quadrante maius est. Quærendum est igitur, hoc potius in substantia quæ perfectè est: an vna omnium sit aut plures. Namque ob mutationem plures esse videntur, & cælestis quidem indiuidua est, & non mutatur, at quæ est elementorum mutatur atque diuiditur. Nec sufficit obiurgasse antiquos, sed paria sunt seu non demonstres seu non coarguas, quamobrem, cum hoc ab initio nos nihil impediat, quin de natura agamus disputationem de infinito. Ad aliud tempus relegemus, neque enim sensus infinitum cognoscere potest nec ob id sensu reiicere ipsum licet, videtur autem seminarium quoddam nobis reliquisse & cogitatione & successione, quamobrem potiùs de vno dicamus.

Neque ergo vnum dicere oportet, idest indiuiduum veluti punctum, habet enim partes mundus: nec potestate tantum velut continuum & infinitas, sed velut homo, natura, & accidentibus distinctas: Pes enim alius est à manu & album à nigro. Quæ verò substantiã & perse differunt & diffinitionem & rationem aliam atque aliã habent. Quomodo ergo homo & equus vnum sunt? Nam in homine nihil actu est ab alio diuersum, nisi forsan quod eius pars non est vt vermis. Igitur aliquid est magis diuersum in mundo quàm in homine, sed & maiorem habet coniunctionem propter ordinem. In mundo enim ordo perfectus est, in homine autem & simiæ, pars ordinis, postquam autem nobis ita videtur de his tanquam ratione distinctis, sermo habendus est. Nam non quod est omnino quærendum, sed quod nobis videtur, & ad scientiam vniuscuiusque conducit. Quæ igitur manifesta sunt & ratione & sensu accipere oportet: velut quòd aliqua quidem per se sunt velut homo aliqua in altero existunt, velut album & motus. Horum etiam discrimen est, quædam enim mutantur velut moueri, alia non, velut ridere posse. Ratione autem quoniam animal ipsum quodammodo ante hominem est: licet enim intelligere animal, non autem hominem: hominem autem intelligere non possumus sine animali. Siquidem animal est quod sensum non solum habet, sed etiam motum atque eum manifestum aut obscurum, in homine autem manifesta sunt vtraque. At hominem non intelligere licet nisi quatenus ab omni alio differt veluti ratione: dubitandum est igitur, & in hoc, an & idipsum rationem habere antecedat hominem quemadmodum & animal, aut sequatur


vt ridere posse aut simul sit. Si autem sequatur, non ipsum constituere poterit: aut ergo natura simul est, velut forma & tempore, ratione autem antecedit vt ipsum constituit sicut totum & pars: aut etiam natura prius est. At separari posset & aliquid esset vt non in homine, nam & animal aliquid est, non in homine, velut in aliis animalibus equo & boue. Hæc autem ob paucitatem principiorum obscurius intelligere sufficerit, ne committatur paralogismus. Plura igitur necesse est cum aliud sit Callias & Socrates: & cum esse desinunt non amplius sunt: Et dum fiunt non idem sunt: neque enim idem est fieri musicum, & esse musicum, & iam natum esse ac generari, moueri & quiescere & hæc quidem sensu: ratione autem partes ac totum & ratio & id cuius est ratio. Dubitabit autem aliquis, quoniam si id quod est, vnum est: præter vnum nihil erit, omnia igitur vnum erunt? An igitur multa aliquis erunt? Erunt sanè omnia, idest singula vnum: at omnia simul ob id non est necesse esse. An verò multa sint vnum, nequaquã, nisi quatenus singula: multa autem imaginatur intellectus: neque ens sed entia Verisimilius est ergo vnum esse omnia, quoniam ex vno fiunt nihil prorsus naturam exuit. Velut equus equum per se gignit & vnum equum bifariam autem plura: in vno quidem caput vnum & duos oculos & quatuor pedes omnia enim totius sunt partes: & plures equos vno partu & eodem tempore, sed quasi vnumquodque diuersis temporibus; finis enim causa, plura à pluribus gignuntur: principium enim cum sit vnum ratione materiæ ac potestatis quæ in ea est, ad diuisionem plura euadunt.

Ergo cum omnia ex aliquibus fiant neque enim ex non ente aliquid fit sed velut figulus ex creta, & faber ex ligno, ita natura ex aliquibus facit omnia. Quod si non ita esset aut aliqua prorsus esse desinerent, iam mundus disrumperetur aut inanis esset. Demonstratum est etiam in aliis quòd non ens non est, neque fuit vnquam, neque erit, vt necesse sit omnia ex aliquibus fieri & in aliqua desinere. At ea ex quibus fiunt infinita non sunt: tum quòd videamur in quæ desinant, tùm quia pari facilitate imò longè maiore paucioribus absoluentur omnia quàm ex infinitis. Neque spatium hoc tamen exiguum quod à lunari cælo continetur aptum esse potest comprehentioni infinitorum. Neque fieri posset vt vnquam absolueretur generatio si sensim fiat: aut tumultuaria esset si simul omnia cogerentur: neque ordo neque mensura seruari posset. Ex aliquibus ergo omne quod fit, constat, & neque infinitis. Quòd si ita est videndum est quomodo, nam Aristoteles vt fugeret constitutionem cunctorum ex his quæ iam sunt, nec tamen ex his quæ non sunt cuncta generaret, ens vnum potestate induxit, ex quo omnia fierent. Idque hylen seu primam materiam vocauit. Quòd si hyle est nec est ens, actu enim nihil est, neque non est, prorsus, medium quoddam inter esse & non esse constituit, quod suismet principiis aduersatur. Deinde si inter esse & non esse distantia est infinita aut materia à non ente distabit infinito vt ita dicam spatio, atque ita quid prohibebat ne eam ens per fectum constitueret? Quòd si non enti proximior est, ab ente, infinito distabit interuallo! quo circa nunquam generatio ex ea fieri poterit. Deinde si videmus quod ex pomo fit terra aut aqua, quid iam opus est alio ente in quod vertatur, cum in aliquid sensibus subiectum verti videamus. Quamobrem melius erat dicere hanc esse legem vt omnia vicissim ex seipsis fierent. Quæcumque etiam astruuntur vel ex ratione ac principiis deduci debent aut esse manifesta sensui: at sensus nullus eam cognoscit, quoniam actum non habet, & vbi actus deest, etiam motus deest, sensus autem omnis in motione consistit. Quòd si materiam propter generationem statuit elementum subiectum, igitur duo subiecta in generatione statuere oportebit, vnum materiam illam, alterum elementum graue: nam præter id quòd Auerroes & Princeps elementa in mistis esse affirmant in rebus aliis sanè valde discordes illud manifestum est quoniam mista sunt: grauia igitur formam adesse oportet si operatio propria formæ adest. Nihil autem refert seu non totas formis adesse dicas seu totas. Quòd & si formam elementorum generari non subiici dixeris, duo sane generabuntur vnica generatione forma elementi atque misti. Itaque facilius fuit Aristoteli destruere malè compositas Antiquorũ opiniones quàm construere. Neque enim illa materia vllo modo statui potest. Essent etiam duo principia Deus & materia: nam Deus potentiæ author, non est, sed finem facit in vltimo actu elementorum. Sed neque vel sic veram generationem rerum facit cum sola forma esse incipiat. Itaque vt Platoni ac cæteris aduersaretur hæc commentus est. Melius est ergo vnam formam elementorum subiectum statuere generationi, agens autem vt instrumentum calorem cœlestem, cum omnia sic generari videamus. Nam elementa frustra omnino essent. Si materia prima esset. Sufficeret enim forma ipsa rei atque materia prima. Igitur Aristoteles plus nimio res multiplicauit materiam primam vltra elementa, & inter elementa ignem & naturam multaque alia quodam vetusto more non satis probato cuius etiam ipse cæteros atque inter illos, Platonem reprehendit, cum delinquat. Neque enim elemẽtis opus fuit si materiam primam esse noluit. Quòd si omnino infinita non possunt esse principia, neque quòd sub luna continetur infinitum, restat vt plura sint aut vnum. Si ergo vnum erit Principium, omnia erunt rursus vnum: at non sunt sed plura, igitur conuenit plura esse principia videmus enim quòd ita fiunt ac rursus dissoluuntur. Si autem contraria à contrariis fiunt, contraria putat Aristoteles esse principia, quoniam desinunt aliquando quæ facta sunt. Sed neque contraria est priuatio formæ nec cæcitas visui nec mortuum viuenti sed calidum frigidumque. Contrarium enim est non esse ipsi ei quod est, at nihil non est, neque enim quod non est, ipsum enim nihil est, vt homo aureus, sed cogitatione fingitur. Nec quòd iã fuit, esse enim in non esse transmutari nequit sed dissoluuntur quæ sunt. Nullum enim principium exigitur in his quæ finem habent suarum

actionum

actionum. Sed sicut sol adueniens nos illuminat, nec contrario indiget vt tenebræ offundãtur, sed sufficit finis illuminationis, ita quęcumque fiunt sponte desinunt submoto principio ex quo factæ sunt. Cum verò vtilis quælibet doctrina esse debeat quid nobis commodi affert hoc scire quòd quicquid eo fit, quia antea non erat: hoc enim perspicuum est; si enim homo totus fit ideò fit quia prorsus non erat: sin autem solum compaginatur atque coniungitur, ideò compaginatur quia anteà non erat compaginatus: non igitur hoc nos scire iuuat quòd quovis modo fiat, fit eo modo, quo anteà non præfuit, sed quo ante modo non præfuit, hoc est quod scire oportet, & scitu dignum. Scilicet an corpus, gratia exempli, per mutationem substantiæ factum est vt illi videtur, an per coniunctionem eorum qui semper manent sicut visum est Hippocrati. Deinde quorsum illa exempla de albo nigroque cum ea mutatio inter contraria magis fiat, at secundum ipsum substantiæ nihil est contrarium, neque vt album & nigrum neque multo minus vt calidum ac frigidum. Quod ergo principia rerum non sint contraria manifestum est. Quomodo etiamsi omnium vnum est principium in plura & contraria dissecabitur. Nam nullo modo neque ab vno in plura, neque à pluribus in vnum patet aditus. Sed principia sunt velut calidum & album & esse, contraria verò non est quicquam horum. Falsa autem ratio fingit & nigrum & frigidum & non esse principia quædam fore.

Principia ergo omnium dico in his inferioribus calorem à cœlestibus demissum, & humidum quod est in ipsis elementis. At vbi desierit horum alterum fit quod corruptio vocatur: oportet enim esse id quod agat & id in quod agat: velut etiam videmus in animalibus masculum & fœminam, materiam & formam. Atque alia eiusmodi, & secundum multitudinem horum principiorum variantur generationes alia enim in Æthiopia animalia & plantæ, alia in Italia alia in Germania: & eiusdem generis magnitudines robur ac qualitates variantur, namque piper in Italia etsi arbos eius oriatur fructum non fert. Forsan verò dubitabit aliquis quoniam non generalem subiicimus rationem eorum quæ fiunt, nam ex non musico musicus fit, & non à calido aut humido: & terra descendit & non ob calidum humidumve: & paries fit albus, hoc autem non à calido & humido & quæcumque talia, non igitur calidum & humidum sunt omnium principia, hoc quidem vt agens, illud autem tanquam subiectum. Sed & de cæli motu quomodo fiat, deque lumine atque illuminatione magna est quæstio. Quin etiam de cogitationibus nostris, de quibus aut naturalis minimè considerabit, aut hæc nō erunt rerum omnium naturalium principia sed vel alia vel generalia magis accipere oportebit. Verùm quæstio hæc non minus fatigat Aristotelem quàm Nos; vult enim Philosophus ea quæ fiunt vel incremento vel diminutione fieri omnia aut compositione aut mutatione figuræ aut qualitatis. Præterea si per materiam primam, materiam intelligis, non erit illa subiectum formarum quæ in anima iacent velut disciplinæ scientiæ atque prudentiæ. At verò principium alio modo capitur apud Aristotelem, pro eo quo res consistit, & est vt pars eius, vtrumque igitur passiuum est. Nam & æs & mercurij forma patitur atque mutatur. At non de huiusmodi principio locuti sunt Antiqui sed de eo quod præest rebus velut ignis aut æs statuæ, forma autem cum composito simul fit. Quòd si non fiat forma, æternam esse necesse est non igitur fit compositum sed compaginatur vt diximus. Aut igitur forma non est principium quia fit nemo enim principium fieri concedit: aut si non fit in idem redimus ne omnia compaginentur non generentur. Dicimus ergo omnia fieri ex calido & humido, quoniam quæ fiunt aut corpora sunt aut in corpore, innatum est autem calidum & humidum cuncta cogere aut dissoluere aut mutare: reliqua autem fiunt vt motus & scientia quoniam homo manet idem & non musicus, mutationes ergo sunt eorum quæ verè fiunt velut & translatio corporum; an verò forma vlla fiat posteriùs considerandum: sunt igitur principia rerum anima & corpus quæ autem illa conficiunt at simul iungunt calor & humidum: dumque calor humido conuenit manent: alioquin non informe quippiam, neque enim Deus cuiquam defuit sed elementa manent quorum substantia est. Non ergo fit hoc animal aut hæc planta cum animal non fiat, eadem est ratio totius & partis. Animal enim est semper & hoc etiam animal quod ad substantiam attinet velut & æs manet semper, statua autem perit, ad aliquod enim est & compositum. Quo circa & antiqui seruabant cadauera & maximè Ægyptij, & non defunctorum corpora curamus sunt enim vitalia. Narrare autem differentias priuationis, & materiæ, est sicuti narrare differentias sphingis & chimeræ: vna enim prorsus nihil est, altera commentum. Illud sane mirabile quòd cum potestate tantum existat, appetat aliquid: est enim appetitus eius quod est: nam & quæ maximè sunt, maximè appetunt velut mentes & animæ: si igitur minus appetit quàm sit, quomodo illa quæ actu non est quicquam appetere potest! videntur enim ista similia homini solitario. Non corrumpitur ergo materia vlla, nam neque cœlum, neque elementa, sed elementa patiuntur se diuidi, & loco separari, cœlum autem non.



PARS SECVNDA.



EORVM igitur quæ sunt, nullum non videtur factum à calore, nam columna non est aliquid nisi vel vt lapis, vel vt lignum, aut animal quemadmodum (de quodam pisce) narrant. Habent autem omnia quantumvis transmutata principium in se & motus & quietis ob materiam ex qua constant, aut & duplicis aut triplicis velut animal, quod descendit vt terra, crescit vt planta, ambulat vt equus sicut & quædam quidem calefaciunt, alia refrigerant. atque hæc omnia ex principio proprio. Ab

arte

arte autem talia impetum non habent. Hoc autem principium anima est. Laborat autem Aristoteles plurimum cum hoc falsum supposuisset vt declaret quid sit hæc natura, quoniam Plato id ipsum inuenerat. Error tamen Aristotelis est paruus, nisi quòd rem per se claram obscuram facit. Nam Quemadmodum lumen efficit vt visibile potestate eiusmodi actu fiat, ita quod ab initio factum est, sua natura, ita præditum est, vt se seruet ac tueatur. Hoc opus vt reliqua naturæ sapientiâ factum est, custodire ac retinere locum sibi conuenientem: natura vt quod densius est circa centrum maneat, quoniam minus est rarius altius euadat, idque sapientiæ est quemadmodum generatio, quæ & si à simili fiat ab aliqua sapientia originem ducit, quanto magis vbi nō simile à simili generatur sed ex eadem colluuie multi cimices omnino similes inter se. Errauit ergo Galenus qui eiusmodi non à Diis gigni putat cum horum propriè generatio sapientiæ testis sit quod Philosophi omnes prestantiores viderūt. Cum igitur natura vnius cuiusque opera artificiosa faciat nec aberret in aliquo, fieri non potest quin à sapientia aliqua dirigatur, quam Animam vocamus. Quorsum ergo tot entia fingere cum sufficiat Anima vna seu plures: & si plures cum omnia terminentur ad vnum erunt ordinatæ! dicamus ergo quòd natura est impressio animæ facta in corpora. Si ergo fatetur animal ab anima moueri, & hominem cogitare per animā, & in plantis posuit animam per quam augerentur, cur reformidat dicere, fieri generationem ab anima. Nonne incrementi & generationis eadem est causa? imò generatio res est magis artificiosa & magis admirabilis quàm incrementum, & incrementum tribuit animæ & generationem nescio quâ ratione naturæ. Et hæc res adeò fuit ab illo desperata, vt sæpiùs vitalem hanc animam cum natura confuderit. Quin etiam incrementum & attractio sunt opera animæ apud illum, & seruiunt generationi: neque enim in animalibus quæ à semine fiunt generatio fit absque incremento, nobilior est ergo generatio & quasi totum comparatione attractionis & incrementi: an ergo hæc erunt opera animæ, illa naturæ quæ est ignobilior, nisi sapientia prædita his, quæ eâ carent habeantur nobiliora. Seu ergo ânima sit idem quod natura, seu animæ opera sint omnia, natura aut nihil est, aut posterius est atque ab illa pendet. Propterea naturæ opera nulla videmus, nisi quæ sunt ab anima; lapidem enim trahere ferrum aut descendere, opus est, vt dixi, animæ, postquam est cum cognitione aliqua: sicut radix arboris (vt inquit Hippocrates) trahit quod sibi conuenit non aliud, si ergo hoc est opus animæ erit & illud, aut duo eadem erunt principia eiusdem operationis. Quòd si hęc attractio non animæ opus est sed naturæ, quæritur, & an generatio pariter sit opus naturæ vsque eo animam superfluam esse dicamus in plantis esseque eas inanimatas prorsus. Quòd si alicubi subsistendum est, cur non est melius in ipsis statim Principiis subsistere? Neque est id perspicuum est naturam esse (vt inquit Aristoteles, nisi per Naturam principium illud omnino intelligat seu ab anima pendeat, seu non pendeat. Videtur autem anima in vnoquoque esse sempiterno tempore, licèt vincatur vis eius ab aliis: an non? gleba enim terræ si maneat semper descendit: at non in ignem conuersa, vel quia plus potest calor, quàm substantia, vel quoniam ipsa dissoluitur: sed si dissoluitur in generatione mistorum, id præcipuè accidit: at si ita est, cur ergo omnia mista grauia sunt! videtur igitur verisimilius & glebam descendere semper & hanc glebam, quia semper manet terra non gleba: & animam semper cognoscere, quia semper manet & cognoscit atque hanc animam similiter. Neque enim decet plura constituere quàm cogamur cum non necesse sit. Ob id ergo meritò dubitatum est an vna sit anima omnium, vt pote aeris leuis, & terræ grauis, an plures? quæ dubitatio non minus fatigat. Peripateticos quàm nos, si naturam illam incognitum figmentum supponamus animæ loco. Quin etiam dicere Naturam esse principium motus, est perinde ac dicere naturam esse principium rerum naturalium, & mouens motus quod est absurdum. Quod si natura est principium rerum naturalium, & ipsa non est forma nec materia nec priuatio, non ergo erunt tria principia, sed quatuor. Sed si sit quodlibet illorum, erit nisi vnum principium, & si dicatur diuersâ ratione de singulis non erit, nisi vnum, aut nullum, nec natura res erit, non enim est vna, sed plura: neque ergo erit principium. Sed neque si fuerit tantum forma aut materia, non erit nisi forma, aut materia, aut priuatio principium, sed quomodo natura poterit esse priuatio quæ nihil est, constat enim priuationem sola cogitatione fieri, nihil autem esse in rebus & prorsus non esse. Propterea etiam difficultas est in his quæ fiunt: nam si à natura non fiunt, non erit natura principium rerum naturalium: sin autem à natura fiunt quæ in his sit quæ fiunt, erant quæ fiunt, antequam fiant: sin autem est natura extra id quod fit, velut fabet extra scamnū, non erit natura principium eius in quo est, sed velut artifex externum aliquid. Ob hæc Aristoteles inuoluit rem summâ obscuritate existimans non deprehensum iri sed vitaturum obiecta: Neque enim quisque controuersari, audet his quæ nondum intellexit. An verò melius sit obscuris & falsis inniti quam veris & claris cuique parere existimo. Nā cū duo statuerimus principia rerum naturalium Animā & Materiam, quæ est elementū, illaque vt nimium dissita coniunxerimus si quidem in anima est principium actionis triplex posse, scire, velle seu amare iuxta naturæ diuinæ participationem, non sit autem in ea extensio aut dimentio aut proportio calore solis ac stellarum tanquam instrumento illi iungitur: vt sint tria principia connexa. Quinq; autem intellectu sed non vt in materia. Nam anima ipsa vt coniuncta animæ solem agenti per corpus solis mouet calorem eius cum corporeum necessariò à corpore moueatur. Corpus autem per se ab incorporeo quòd ei præficitur, per consequens autem & non per se ab alio corpore, vt cum traditur, aut trahitur & à corporeo vt à calore velut cum puluis aut lignum ardet. Mouetur enim flamma,

quæ eſt terra ſeu aqua, ſeu malis dicere vapor ignitus à calore, qui cum paruus ſit latet perſæpè, motus aut non fit, cum autem fuerit magnus euidenter mouet. Ariſtoteles autem vt dixi, conatus eſt conuellere veritatem, non tantum vt repugnaret Platoni (hoc enim nefas fuiſſet) ſed vt eam parum intereſſe exiſtimauerit ad res alias vtiles dignoſcendas, obſcuritate inuoluendo veritatem dubitandi locum amplum relinqueret, atque ideò nominis ſui celebrandi anſam magnam præberet: ſimulque vt ingenioſiſſimus haberetur: & quod maximi momenti apud illum fuiſſe reor, vt non arcana ſacræ Philoſophiæ proderet, neque enim dubium erat inuolutis principiis nil certi in reliquis haberi poſſe. Ad tam euidentem tamen dubitationem, qualis ab initio propoſita eſt nihil omnino reſpondere turpe eſt, ſed vt reſpondetur non ſatisfaciunt, neque enim etſi diuerſo modo & iuxta analogiam, natura de forma atque materia dicitur, ob id naturam admittere debemus, nam non vna eſt ratio quâ agens & materia cauſæ ſunt eius quòd efficitur: eo enim modo & cauſam dicere poſſumus eſſe vnum: & ita omnia reducetur rurſus ad vnum, opinionemque Meliſſi atque Parmenidis. Deinde etiam vel ſic non poterit priuatio vllo modo eſſe natura. Quamobrem Auerroës dixit quod eſt in habentibus inſtrumenta anima id in ſimilibus eſt natura. Accipiamus igitur hoc pro inconcuſſo: quid ergo prohibet, ne quod eſt in ſimilibus anima ſit, carere iuſtrumentis: at in cœlo nonne animæ ſunt & nobiliores, quam in his inferioribus & tamen inſtrumentis carent. Cur ergo totum aerem aut aquam carere volunt anima? Natura igitur conſtare dicunt quæcumque animata ſunt, & vitam habent ſed non à calore cœleſti præparatam: ob idque minimè anima atque vita participant, cuiuſmodi terra & aqua, ac quod ex his conſtat lutum: aliaque ob id inſtrumenta nulla habent pauculaque cognoſcunt velut locum, & quod vim infert, & continuitatem præter omnia, lege communi elementorum omnium atque etiam corporum, quamobrem & in his omnibus reluctantur vim inferentibus: quoniam infirmari nolunt. Nam terra ſi caleſcat ab igne infirma redditur, & à ſuo ſtatu aliena, cum ergo calor cœleſtis animæ ſit proprium inſtrumentum vbicumque defecerit neceſſe eſt deficere membra & inſtrumenta. Quòd ſi poteſtate calor materiæ inſiſtat, tam confeſtim præparat meliórque vita inducitur atque plurium cognitio, propterea quòd anima magis infigitur: vocantur autem talia etiam ab Ariſtotele animata cuiuſmodi plantæ omnes & lapides venoſi, qui nõ frigore, aut calore vehementi cõcreuerũt: cognoſcit autem talia, non pauca, vt alimẽtum, & ſocietatẽ, & tempora & modum generandi, aliqua etiam ſexum vt palmæ. Quibus autem calor actu ineſt, ſtatim concipiunt vim animæ ſenſilis, & ideò calida ſunt licèt frigida videantur cognoſcuntque plurima: neque enim omnia illa quæ plantæ & lapides, ſed odores, colores, ſapores, lucem, ac tenebras, voluptatem, & dolorem imaginantur, recordantur, dormiunt viciſſim ac vigilant, nunquam autem priorem ſtatum

In paraph. p. Metaph. tr. 1. t. de natura.

exuere poſſunt: vt plantæ elementorum appetitum deſcenſus aut fugiendi contraria animalia nutritionis incrementi generationis: quæ facultates vigent in plantis, hæc ergo vitâ euidentius fruuntur, & animam apertè iam obtinent. Nullum tamen horum ſeipſum cognoſcit aut quid agat nouit. Cum verò per animam mens abſque calore iungitur tunc fit homo nullius expers eorum quæ ad animalia pertinent, ipſe autem ſeipſum agnoſcit ac reliqua ſe agnoſcere intelligit. Porrò de his omnibus hoc loco inſtitutus eſt ſermo generalis quemadmodum in ſequentibus de ſingulis. In quo igitur differt à Mathematico qui & ipſe conſiderat, corpora omnia, & motus, ac eorum magnitudines maximè verò cœlum quomodo circumuertatur. Cauſam tamen quæ eſt forma propriè conſiderat, vt quoniam cœlum mouetur vel ſic vel ſic, & per paruos orbes aut mundo concentricos, aut non, aut ſimul in latitudinem vel non: Qui verò de anima non ita, ſed à quo mouetur, ſed in mortalibus aliud eſt diſcrimen: namque cum motum conſiderat non vt in terra, ſed vt in pondere, &, vt fluit velut in oleo vel vino: qui verò de anima cognoſcit non ſimpliciter fluida conſiderat, ſed vt aquam aut vinum, aut oleum: Materiâ enim complectitur. Quamobrem & quod eſt & à quo & quæ ex his procedunt, omnia, qui de anima tractat, conſiderat. Mathematicus autem non à quo, ſed omnia refert ad magnitudinem: finis ergo ratione differunt: Quod etſi ideæ eſſent, ad tractantem de anima ſpectarent: neque enim Mathematicus in hoc ſolum eſt, quoniam de abſtractis, & communibus propriè conſiderat, ſed vt referuntur ad magnitudinem & abſque cauſis efficientibus propriis: qui verò de anima loquuntur cauſas proprias conſiderant, nec ad magnitudinem illa referunt: propterea neque idearum ratio ad alium ſpectat, nec Ariſtotelis conſideratio pura eſt, ſed multum de Mathematica habet admiſtum. Qui etiam de anima loquuntur ſubſtantiam principaliter obſeruant cuius ſunt per ſe cauſæ: accidentia autem propter ſubſtantiam vt calorem hunc quia corrumpit aut ſeruat, & albitudinem quia hominis eſt aut languidis: nullum autem horum Mathematicus. Igitur de cauſis iam tractandum erit & vt horum ſunt, & vt hæc aliorum. Cum ergo qui de anima tractat materiâ rei conſideret & formâ quæ eſt ſubſtantia, & Muſicus numerum ſoni & Opticus magnitudinem radij viſibilis, & Aſtrologus cœli magnitudinem, ſequitur vt Aſtrologus propior ſit naturali quàm reliqui, conſiderat enim materiam quæ eſt cauſa & ſubſtantia, radius autem & ſonus, licèt ſint cauſæ & vt materia non tamen ſubſtantiæ ſunt. Commune tamen eſt omnibus vt etſi de materia conſiderent perueniántque ad ſubſtantiam vſque, non tamen propter cauſas ſed ob magnitudinem: à fine autem in diſciplinis maximè diſtinctio ſumitur. Nam & Medicus hominem conſiderat, ſed vt in eo aliquod efficiat ad ſanitatem, & qui de anima loquitur de homine; ſed vt ad cauſas refertur ſeu ſanitatis ſeu ægritudinis. Cum ergo omnes cauſæ ſint ſubſtantiæ vt propriæ ac principales

principales sint substantiæ. Non erit mathematica consideratio neque de his, neque horum ratione, animalis autem vtriusque. Dubitandum est autem, an huius materiæ sit aliqua forma?& si non est, non consistent elementa velut in summo cæli : & si est anima, diuisibilis (inquam) hæc erit anima : & incorporea forma corporis alicuius. Et si alia non erit anima forma cuiusque & forsan ob hoc Aristoteles conatus est introducere naturam, vt esset aliquid. Deinde si sit cum ex elemento fit planta, erit, inquam, plantæ duplex forma, terræ veluti & animæ plantæ. Et si erit aliqua forma in terra non erit terra materia sed forma. Nihil autem prohibet esse formam terræ, eam autem ad animam comparatam materiam velut lignum apud fabrum. Propterea neque in planta duplex forma primum quod anima plantæ, haud est forma plantæ, sed efficiens primum, forma autem illius corporea est, lignum autem & frondes materia. Auulsa enim planta remanent hæc. Erunt igitur ab initio quatuor materia prima, quæ est forma elementi in quam primum agitur, anima veluti agens, & calor instrumentum, & forma quæ inducitur, sed non principium, sed pars eius quod fit: fit autem planta, & erunt rursus duo principia anima & elementum. Calor autem cum substantia non sit dignus non est (principij) nomine. Patitur autem easdem difficultates Aristotelis opinio, siquidem hoc inter difficultates numerandum est. Nam si corruptibilium principium est, generatio autem non fit nisi per qualitates & solis calorem, liquet etiam calorem illum instrumentum esse rei generandæ: ergo de causis ipsis agamus quæ, & quot sint, & an omnes (principij) nomine dignæ sint. Palam autem quòd principium oportet esse perpetuum, atque ideò ante illud quod fit: & substantiam non accidens: neque enim accidens substantiā generare potest: simplex quoque non mistum, nam misti principia partes sunt, ex quibus aliquanto compositum est. Sed & quatenus principium est nondum mutati, cum enim mutatum fuerit incipit iam esse forma eius quod fit, & vita per operationem à qua singulæ facultates eius quod factum est, pendent.

2. Phys. tex. 26.

Causa igitur est, quæ effectum per se producit, non sola. Cum enim omnis entis sit propria operatio, principalis est generatio, vt perpetuetur vita singulorum, atque is est finis, nobiliorque agente, quoniam illud mouet, ipsum autem agit in materiam: materia verò desiderio formæ nobilioris & ipsa desiderat vt generetur. Non est ergo forma causa in eodem ordine in quo reliqua tria genera, verum quæ mouet appetitum: & vt pars ipsius geniti: non tamen est ante ipsum, neque motum habet, aut patitur, quemadmodum aliæ causæ. Sed & in cognitione idem ordo, quod ad formam & materiam attinet: genus enim tanquam materia, forma autem differentia. Iuxta hoc igitur & quatuor sunt causæ, quorum ratione effectus constituitur, & tres quæ ad effectum, motum, aut possessionem habent: & duæ quæ sunt partes compositi velut & quæ in definitione definiti. Ob hanc rationem medicus formam pro causa non habet, quoniam vt artifex agenis, rationem subit quod per se quidem agit, & à fine mouetur ad agendum & in materiam actionem intendit. Causæ igitur materiariæ sunt quæ componuntur & permutantur, aut vtroque modo, velut rara densis, & quæ calescunt, & quæ ex calidis iam componuntur, atque huiusmodi vocat generationem. Causæ verò quæ efficiunt, aliæ rursus vt principium velut anima, aliæ vt instrumentum veluti calor, aliæ vt motæ à fine velut homo hominis & musca vermis. Finis autem alius quidem proprij agentis, alius principalis: principalis quidem vt diffundatur eius operatio velut Regis vt dominetur in Prouincia, at hic est vt communicetur ex bonitate Diuina cui tantò magis propiora sunt quantò illius singularem benignitatem imitantur. At proprij agentis, vt instrumentum generare sibi simile hoc autem compositum est, & ex fine agentis primi vt magis diffundatur quod diuinum est: nam quæ procreantur ex primo genere sunt: & quatenus materiæ quæ cum sub ea forma stare diutius non possit: dico autem formam vitam non animam partem sui ipsius sub eadem conseruare concupiscit: atque inde generatio oritur. Amant igitur omnia magis se quàm filios: consilio autem filios magis quoniam diutius se seruare possunt quàm se metipsos maximè senes. Idem est & in feris: pauida enim magis se tuentur vt auiculæ, fortia autem magis filios velut vrsa. Forma autem tot modis dicitur quot sunt ordines ab elementis vt in planta duplex vitæ genus & actionum quæ secundum vitam sunt. Hominis autem quadruplex, est enim maximè compositus. Etiamsi plura sint quæ vitam habeant quàm quæ in corporibus sensilibus. Dicuntur verò & causæ non solùm in animatis, sed est in artibus, verùm in his exteriores sunt in animatis autem interiores, non enim lignum lecti, ita corpus humanum habentis rationem. Etenim, & forma lecti in cupro & lignum absque forma lecti: hominis autem corpus à vita eius non separatur nec in alio corpore ab humano, hominis vita. Quocirca & sanitatis ars medica efficiens est, & propter illam medicus. Sed accidit illi homini vt medicus sit. Propterea Hippocrates sanitatis causa fuit Perdicæ Regi Macedonum per se autem medicus. Hominis autem calor solis causa est, sed non per se, sed anima. Dignius enim est quod primò mouet. Dicetur etiam causa & actu & potestate velut pater filiorum & dum generat, & antequam genuit, & postquam genuerit, sed non actu. Similiter & hominis causa anima est, & huius hominis anima, at non hominis hæc anima. In vniuersum ergo causæ aliæ quidem per se velut homo hominis, vel per accidens vt homo albi vel equi: & quædam propinquæ vt pater filij & quædam remotæ vt auus nepotis, ideò nepotes, non ita diligunt auos vt parentes & sanguis generationis, & compositæ vt Socrates pater filij, vel simplices vt Socrates Lamproclis: & vnumquodque horum dicitur vel actu vel potestate: itemque generaliter ac propriè. Actu causæ semper sunt cum suis

effectibus

effectibus & viciſſim : poteſtate autem alterutrum reliquo manente vt domus & ædificator. At verò cum cauſæ errorum in tractationibus tres ſint, prima quidem vt ignoremus earum conditiones & generaliter id circa ſimplicia conſiſtit, velut quod Socratis filius fuerit Lamprocles : altera vt malè aut non omnino de his iudicemus, vt quòd debuerit Lamprocles ſequi aut non ſequi patris veſtigia, idque ad compoſitionem pertinet & verſatur ſemper circa ea quæ in contradictione poſita, ambæ hæ cauſæ communes ſunt antiquis & non neceſſariæ: nam non eſt neceſſe ignorare quòd Lamprocles fuerit filius Socratis: neque in diiudicando aberrare, putà quod non prorſus ſequi debuit patris veſtigia, ne periculo ſe exponeret illius, neque contraire ne ignobilis videretur & factum patris damnaret: at verò tertia non eſt antiquis communis & neceſſaria eſt velut cum antiqui iam in tractando aberrauerint, ſeu in iudicio vt de Natura dictum eſt ſeu in ordine, vt cum ſtatim de caſu & fortuna loquitur Ariſtoteles, nam nondum tot propoſuit eo loco vt ea quæſtio determinari poſſet, neceſſarium enim erat ſcire prius quænam eſſent actiones animæ rationalis : & quomodo ad artes & negotia & deliberationes ſe haberent atque ita de cauſa illa ſine qua nil fit in animatis & eſt propinquitas aut diſtantia : ſi igitur de caſu & fortuna ante hæc tractauerimus, neceſſe eſt nos aberrare: ſin autem hæc reliquerimus calumniæ ſubiiciemur, & quod Ariſtotelem ſine cauſa ſecuti non ſimus, & quòd pulcherrimam (ſanè) tractationem reliquerimus. Tantùm igitur poteſt importunus error præclari viri. Nos ergo primùm decet dubitationes proponere : inde quærere an melius ſit eas tractare an non : & an omnes, an non omnes: & ſi non omnes quas non attingere oporteat. Prima ergo eſt quænam ſit cauſa hæc, propinquitas & diſtantia : an animatorum cauſa an inanimatorum veluti accidentium & eorum quæ fiunt: an per ſe an per accidens: in quibuſque ſit. Secunda quænam ſit actio mentis & quomodo ad quatuor illas dictas cauſas reduci poſſit, & ad quod genus & in quibus conueniat cum cæteris animatis atque in quibus diſſideat. Tertia quid ſit caſus aut fortuna à quo & in quibus. Quarta de qua etiam ſuperiùs tentatum, ſed minus explicatum, an omnium ſit vna anima dico elementorum atque plantarum ſed repetere non decet, adiunximus autem illam ne quibus lateret omnino illorum quæ dubitatione digna ſunt: An forſan non neceſſarium eſt prorſus tractare de his, neque relinquere quod quarundam rerum conditio ſit vt parte altera notiores ſint & per eam cum his quæ ad illam ſequuntur ad alteram pateat aditus. Quemadmodum in Mathematicis obſcurioribus: imò etiam viſus eſt huius rationis exemplum dediſſe *in ſecundo, & tertiodecimo libro de linea ſecta ſecundum proportionem mediam poteſtate*: Et in primo atque ſexto de altitudinibus figurarum parallelarum : quæ enim proportionem eandem habent cum baſibus ſi baſes ſint æquales, æquales & ipſæ erunt. Per priorem igitur partem quæ in æqualitate conſiſtit reliquum demonſtrauit. Ergo & nobis licebit partim attingere, partim relinquere. Verùm illud primum tractare oportet, quod ad Ariſtotelem attinet quem magis fatigat caſus & fortuna quàm nos : ſiquidem nos tractationem ad ea quæ à conſilio fiunt extendimus, ea autem neceſſitate non fiunt neque in artibus neque in deliberationibus aut cogitationibus: agens verò ſecundum naturam neceſſariò agit, & quatenus vires caloris aut molis ſubminiſtrant facultatem, nam principium ſe habet velut infinitum, nam anima mouet maius animal maiore impetu quàm minus, hoc autem proprium eſt infiniti ex ſe principij quemadmodum aliàs demonſtrauimus. Itaque Ariſtoteles non poteſt fortuitum in naturam reducere : at nos poſſumus in animatum : namque animi noſtri non neceſſariæ ſunt electiones. Nobis tamen conuenit oſtendere cum neque per ſe huiuſmodi ab anima fiant vnde proueniant. Primum igitur demonſtremus cur actiones mentis non neceſſariæ, cum ſint poſitæ in medio earum quæ ab animalibus & elementis fiunt atque diuinarum quæ neceſſariæ ſunt. Neque verò ob ſolam varietatem eorum quæ offeruntur variatur electio, vt quia pluit nolo ire in forum ſecus iturus. Sed quemadmodum improbi, quamvis cum honeſto vtile ac tutum coniunctum ſit, neque irati neque perturbati eligunt quod deterius eſt. An quia huiuſmodi libertas defectus quidam ſit & perturbatio occulta? adeò vt pura mens non poſſit eligere niſi quod præſtantius eſt accidit autem in his ſimile quia perturbationi ſempiterno tempore ſubiacent: vt illorum anima ſit ſimilis luſciosis. Animam autem impeditam aberrare haud dubium eſt, quemadmodum in fœtibus, Electio igitur illa contorquetur à materia quemadmodum & in partubus monſtroſis : & aberrat per vitam & conſenſum eum corpore non in ipſa, accidit enim ei vt ſolis radiis dum à luna in deliquio aut à nubibus impediuntur nihil prorſus patiente ſole. Indicio eſt in nobis tum animam, aut eandem, aut aliam non aberrare in cæteris functionibus quia non impeditur. Neque que tamen ſæpiùs aberrat animus noſter in electionibus quàm in aliis operibus anima : quinimo rariùs : pauci enim malum eligunt: ſed videtur frequentiùs mens errare propter inconſtantiam & volubilitatem eorum, quæ illi ſub boni ſpecie offeruntur, quemadmodum honoris, ob vindictam obliti incommodorum & periculi : propterea obliuioſi & irati ſæpius errant tum enim impedita eſt mens, velut & in timidis atque ſtupidis & amantibus. Omnium igitur vna ratio eſt non aberrare animam, ſed impediri, ipſa autem non minus neceſſariò appetit melius aut bonum ſimpliciter quàm que in belluis, plantis, atque elementis, tum in orbibus cæleſtibus ac his quæ ſeparatæ ſunt, nam de his non iam liquet. Si igitur omnis generatio ab anima fit cur indiget propinquitate, nam propinquitas caſu aut fortuna conſtat, ſicut etiam diſtantia.

Et si omnia viuunt corruptio omnis est generatio vt si ex boue terra, an non dicitur omnino generatio vlla, quoniam & anteà in boue terra fuit, at si ita est cum etiam vita, cur non ergo dum animal moritur planta euadit quod nonnulli forsan ob id credidêre. Sed perit vtrumque non per se, sed quoniam cal r vnus & idem est qui corrumpitur: nisi corrumperetur viueret animal: at si corruptus est calor, nec viuet vita plantæ, ob id in quibusdam animalibus, anguillis, serpentibus ac testudinibus forsan nil prohibet illa tempore aliquo nutriri postquam vitali anima destituuntur sed seu sit seu non, constat animam elementi manere omnémque corruptionem esse, manente forma. In generatione verò nobilioris actionis animæ elementa congregantur in corruptione dissoluuntur. Quòd si ex animali fiat planta, liquet fermè opus esse eodem labore remque indigere tempore longo quoniam caloris instauratione indigemus. Itaque non magis nos fatigat hæc quæstio quàm Aristotelem, cum neget ille generationem semper sequi corruptionem, & nos itidem, quia generari non dicitur quod præfuit. Sed de propinquitate distantiáque alia ratio est: comparari quidem ad vniuersum potest, itidem & ad singula, & ad mentem & res ipsas. In his enim quæ non nisi coniuncta generant vt equus & taurus, casus videtur originem præbere generationi vt ad Fatum recurramus: propterea de huiusmodi posterius considerandum. Verùm id efficit vt omnes penè causæ mortalium dici non possint simpliciter, sed sub conditione. Propterea neque Aristoteles quæsiuit an casus & fortuna sint causæ per se vt eas adnumeraret causis, sed ne impedirent quo minus numerus causarum integrè non esset explicitus. Igitur dicendum videtur causas animatorum agere quantum per vim propriam licet: seu sit à calore seu à substantia: cum verò non id possunt nec sufficiunt, non agunt: id autem contingit vel ob instrumentum incommodum, aut distantiam aut impedimentum, quæ omnia casu constant. Igitur per se agere omnibus animatis datum est atque concessum, imò iniunctum, non agere autem casu vel fortuna prouenit & ex impedimento, non est igitur actionis alia causa præter dictas sed impedimenti. Impedimentum autem per accidens impedimentum est, per se autem, causam habet animatam. Est igitur causa sine qua non fit actio animata opposita alteri: sed per accidens impedimentum: per se autem causa & aliorum effectus, velut medicus cum conuiuatur conuiua est per se, medetur per accidens, hoc enim licere puto, & conuiua est per accidens & medetur per se, nihil igitur horum absurdum. Restat igitur solum comparatio ad mentem & ad consilium, præter intentum enim pleráque horum contingunt, sed hæc ad præsentem non pertinent disputationem cum dupliciter ab illius limitibus egrediatur, nam consilij ratio primum extra hanc tractationem specialiter posita est: & hæc sunt extra consilium. Satis constat tamen, & casum & fortunam non esse neque eorum quæ sunt necessariò, neque maiore ex parte contingunt: velut illorum quæ ab arte: neque etiam propter finem eum, sed ob finem in agente nam si quæras amicum in foro & ducatur in carcerem, propositum minimè fuit hoc. Etenim iuisse ad forum ex intento fuit capi non fuit: causa ergo vinculorum causæ per se coniuncta fuit, non tamen illa causa per se fuit vinculorum, quare huiusmodi causæ quæ casu vel fortuna ad effectum comparantur numerum nullum præfinitum habent. Causæ ergo quæ finis rationem habeat ad efficientes & vicissim comparantur. Comparatio enim finis & efficientis solum est, cum enim finis non congruit efficienti, effectúsque sequitur, dicetur efficiens effectus causa per accidens: quoniam illius finem non sequutum est, nec ab eo fine motum est efficiens. Intellectus ergo & fortuna circa idem versantur, nam cum assequimur ex electione est: cum autem non est, aut non sequitur quod voluimus aut sequitur quod noluimus hoc autem casu vel fortuna, illud frustrari dicitur. Itaque & si in carcerem ductus est, non sequutum est quod voluimus, sed quod noluimus. Est autem quòd nolumus bifariam, vel de quo non cogitauimus vel quod contra vota est. Itaq; cum fortunam consideramus ea ad causas naturales nihil pertinet vt ipsa sit ex earum genere, vt verò ad coniunctionem causarum ad illas quidem nihil cum agant quantum pro viribus licet: cum autem ad effectus diuinum aliquid videtur, quoniam his assiduè fauet & aliis aduersatur, cum ergo conferat ad rerum successus necesse est dicere, quòd omnia in humanis casu constant; aut omnia ex ordine: neque enim vnum magis alio ordine constare posse videtur si coniunctio causarum ad effectum est necessaria, & illarum nulla est causa, imò vt dixi omnium sunt causæ ab initio velut serpentis vt in eo foramine debeat generari, & genitus occidere fratrem alicuius qui ex hoc ditari debeat: ita omnes sunt causæ naturales simpliciter dictæ ad alia autem comparare est per accidens & sine quibus non: ad mentem autem nostram fortuitæ. Indicio est quòd idem effectus cuidam fortuitus videtur, ab altero præuidetur, vbi ergo maius ac minus in eodem genere est velut calor & frigus, ibi etiam perfectum ac summum, quare simpliciter nihil est fortuna aut casu sed huic vel illi: vt medico quod musicus fit & benè canat à fortuna est vt medicus per se vt musicus. Terret autem nos multitudo rerum, sed velut si quis dicat, quòd octo millia centum vigintiocto est numerus qui omnibus suis partibus est æqualis quærat autem per singulos videbitur infinitum: si verò quòd producatur ex sexaginta quatuor in centum vigintiseptem videbitur res leuis, ita sapienti leuis res est scire quod alij à fortuna pendere putant. Et Aristoteles ipse dixit sapientum atque prudentum solam esse certam maximè diuinationem. Hic igitur error contingit ob comparationem. At que ob id non malè dixerunt fortunam videri

quoddam

quoddam diuinum. Consistit enim in ordine causarum vniuersi, & scientia illius in eo qui eas nouit cum igitur vtrumque diuinum sit, diuinum propterea videtur quippiam esse fortuna & casus. Videtur ergo fortuna his qui causas non nouerunt proprias seu omnino nullas nouerunt seu non propinquas seu non per se, seu non omnes, seu quòd sint causæ illius, seu quod absque illis esse non possit. Et quasdam harum putat esse causas quasdam non. Quamobrem fortuna maximè est non solum in imprudentibus, sed in alienis & in quibus parum cogitauimus, quamobrem sapienti quatenus sapiens est pauca sunt à fortuna in his quæ cogitauit. Sapiens autem nemo in multis, quoniam non multis natura hominis vt dicunt satisfacere potest. Prospera autem dicuntur cum magna secundum bonam fortunam eueniunt, calamitosa seu infelicia cum secundum malam. Et cum non sit quod fortuna est frequens nec sæpè soleat accidere fortunatum tamen dicimus eum cui plurima inexpectato bona contingunt infelicem cui mala. At sapienti in ciuilibus negotiis insperato quicquam accidere rarum est, atque hunc vocamus sapientem, cum minora curare haud præstet, alia non possit. Is ergo prudens erit qui maiora atque ciuilia benè curabit: atque in his felix esse poterit, prosper dici non merebitur. Dicimus autem propriè de his fortunam, casum autem & de his, & de illis de quibus nullum potest esse consilium vt iactus lapidis, tum in illis in quibus non est intellectus vt animalia & plantæ & lapides modò nobilitatis aliquid insit. Est igitur fortuna iuxta comparationem habentium facultatem consulendi in hoc ipso quod benè cedit iuxta consilium vel malè, vel etiam præter consilium cum consulere posset. Ergo diuinum in nobis est aliquid fortuna vel casus, cum enim aliquid fit nec natura secundum Aristotelem, nec à consilio cum sit præter illud manifestum est quod diuinum quiddam est ex ordine animalis aut, vt reliqui effectus. Dicitur autem à fortuna meritò finis: cum enim fortuna aduersatum otiosam actionem fuisse dicimus: at nihil otiosum dici potest cum ad nullum finem actio hominis directa fuerit. Neq; enim medicamenti exhibitionem otiosam appellare licet, quia tenuerit, sed quia non euacuauerit, huius enim causa illud exhibuimus. Porrò monstra à casu alia sunt ex diuersis seminibus, alia abrupto opere animæ secundum finem vt sunt comprehensa genere, sed an sit aliquid quòd cognoscat has omnes causas considerandũ, nanque & Geometra considerat diuisionem anguli infinitam & huius semper extenditur cognitio nec tamen vlla est eiusmodi diuisio actu neque cognita melioribus, verum homini in infinitum procedenti, quoniam potestate est: Intellectus autem nullus est eorum quæ potestate sunt, quia nullus est materiæ cognatus aut immistus præter illum: an igitur idem de actionibus quæ potestate diuiduæ sunt in infinitum, alibi tractatum est. Compendiosè illa colligentes, si animæ ignorarent non possent efficere mortalia: si scirent quod potentia solum est, nam scientia est eius quod est: nihil autem magis esse potest scitum quàm scit, sciuntur ergo generaliter atque simpliciter, velut si quis nouit numerum cuius partes ipsum inuicem ductæ producunt eum, & vna latus est alterius hic vnus tantum est duo scilicet iunctum cum latere quinque binomium quartum, atque hic vnus est & non alius cum singulis sub conditionibus infiniti comprehendantur. Ita sub vno multa & sub multis vnum continetur, qui ergo nouerit hunc numerum & quòd sit solidus comparatione alterius aliquo modo nouit & infinitos: pariter & quòd ex duobus producitur quorum alter est latus solidi & hic idem pariter aliquo modo cognouit & infinitos alios: & qui quod ex eisdem componitur eodem modo, pariter & in aliis, hic tamen vnus est, an verò diuinæ mentes coniungunt nondum liquet. Sed ad eàdem, vnde nuper digressi sumus redeamus. Eadem casu & fortuna fieri consilióque haud dubium est: sed & ab anima & casu fiunt eadem verùm tamen rariùs, velut casus lapidis dum vinculum frangitur per se & ob ponderis grauitatem & cum volens vulnerare funem incidit. Rarissimè tamen generatio propter coniunctionem sexuum aut fimi translationem, cum ergo semper casus ad consilium aut ad animam referatur multitudo causarum infinita est: velut superiùs diximus de coniunctione lupi cum lupa: hic quia fugiens illa propter leporem quem vidit sibi inuicem obuiarunt. Et lepus ipse vitabat strepitum venatorum &. talia sine numero. Mundus igitur etiamsi casu constaret prius oporteret anima aut consilio, aut conditum esse, aut reg[illegible], aut vtroque. Videtur autem anima aliquid esse quod intelligit vt in idem redeat. Et quoniam causæ quæ agunt aliæ quidem faciunt cum motu vt in corporeis aliæ sine motu vt in incorporeis seu per se talia sint, seu intellectus ea separet ac quasi fingat manifestum est incorporeorum duas esse causas cuius contemplatione, formámque velut quod lateris rectum respicientis quadratum æquale esse quadratis continentium noniam quæ in æquali base sunt & inter parallelas æqualia & ipsa sunt, & vt quadrata partium lineæ diuisæ inæqualiter dupla essent quadrato dimidij & differentiæ: quanque in incorporeis quæ per mentem finis non adeò conspicuus sit: magis tagis tamen in substantiis quàm corporeis in quibus tres causæ sunt materia, efficiens, finisque, omnes igitur quatuor, sed non eorundem: solus enim finis omnibus eorum quæ verè sunt effectibus communis est. Deinceps igitur considerandum, Non esse autem formam corporeorum causam manifestum est tùm ex hoc quòd cum ab agente fiat, causa simul & effectus eiusdem comparatione esset. Et si forma sit neque enim erat & ob id compositum causa erit agens compositi non primò, sed per formam, media enim est forma, non igitur per se primo quatuor causæ erunt: neque agens hoc autem est propter obscura derelinquere manifesta. Quapropter neque medici huius causæ meminerunt, nec qui disciplinas tradunt: cum tamen magis causa esse deberet in artificiosis quàm in his quæ ab anima sunt, nam artifex

per se circa formam versatur circa materiam autem per accidens: at anima circa vtrunque primum. Neque enim homo ex ære aut ligno velut scamnum sed ex carne: & non carne simpliciter sed ex carne hac. Præterea forma anima eorum aut anima est, hæc autem sempiterna, aut si ex corporis mistione fit vt vult Alexander posterior eo ipso, causa autem prior: sin autem vita hæc est aut vt accidens in corpore, aut tanquam lumen in Sole. Similiter in incorporeis materiam adesse impossibile est, nam non essent incorporea si materiam haberent: neque agens: nam incorporeum moueri non potest: quod enim mouetur est corpus: agens autem, vt dixi, hoc ipso à forma differt quod cum motu fit: sunt igitur incorporeorum habentium causam, causæ duæ, forma & finis. Finis autem primum atque per se bonum. Quo circa quatuor causæ necessario sunt. Aut enim incorporeorum incorporea finis ac forma & ipsæ incorporeæ substantiæ, aut corporeorum alia quidem vt incorporea, & hæc quidem secundum finem, formam & materiam: vt cum cœlum mouetur est quidem finis & forma quoniam incorporeum & quod mouetur materia, non autem per motum mouetur sed vt à forma. Propterea non quia motum sed quia motu mouet alterum efficiens est: velut cœlum quod aërem contentum motu mouet: atque in his non solùm finis & materia sed & agens est. Hæc si non vidit Aristoteles mirabile est: si vidit & subticuit adhuc mirabilius. Sed nondum adeò comperta fuit essentia rerum apud antiquos. Ideò accidit ei quod his qui artem numerorum tractant multis enim notis ea peragunt quæ postmodum inuentis melioribus paucissimis possunt absolui. Ergo vt ad institutum redeamus cum in incorporeis finis videatur qui & forma vnum vnius tantum causa erit velut Deus intellectus aut amoris: at incorporea corporeorum formæ, non enim in tempore agunt sed patiuntur: extra tempus enim finis est & forma: quod autem potius in tempore est veluti cœlum & ignis, sed huius causa in tempore est veluti motus aut lumen. Propterea finis ac forma sola diffinitione differunt in incorporeis: de agente est dubitatio. Si enim agens mouetur dum mouet, finis non est. At in generatione homo quidem finis est, sed est alius homo qui generat, non ergo idem nisi diffinitione differunt autem re atque numero, specie autem nihil prohibet, quando nec effectus à causa necessariò differt. Agens ergo aliud à fine est in mortalibus, forma autem & finis idem in immobilibus. Sed de huiusmodi consideratio altera & magis propria Diuinis, & forsan superior animarum contemplationi: De immobilibus autem quæ in mobilibus sunt cum consideret Mathematicus reliquum est, vt qui de animatis tractat mobilia consideret & in mobilibus. At si quis obiciat nullam esse causam quæ secundum formam ex his quæ dicta sunt: nam in immobilibus finis est in mobilibus agens, non ergo est causa vlla secundum formam? Verùm non ita est: sed in immobilibus alia est ratione à fine; finis enim causa est Deus velut homo hic hominis causa: vt enim homo sit, hic homo fit: at finis formam multo antecedit semperque causa manet, neque si non esset, esset id, cuius causa est, at forma non est causa nisi velut agens dum fit. Finis etiam extra id quod fit est, est enim ratione alius, forma autem ratione idem. Sed & in immortalibus atque mobilibus formam admittere necesse est: mouetur enim cœlum vt finis gratia sed non à quo, neque igitur ratione neque re in eo quod mouetur idem sunt: in eo autem quod mouet non diuersa. Sicut lumen in Sole idem quod ad vrceum transmittitur, at in vrceo vt illustrat & vt varios colores parit diuersum. Sic & in immobilibus & mobilibus forma, causa, ratione est: in corporeis autem mobilibus quidem cum omnia talia sint sed sempiterna forma est causa ab aliis distincta. Verùm vt in corporeis mortalibúsque causa non est, effectus est, in incorporeis autem finis latet, ergo in plerisque nomen causæ secundum formam, quod etiam in artificiis videmus: neque enim faber lignum facit sed scamnum: & aurifex non aurum sed annulum & reliqua his similia, cum enim materia sit ac præsit formam artifex quærit. Promptè enim se offerunt duæ causæ in mortalibus agens & materia, cum enim scamnum videmus quærimus ex quo factum est scamnum, & quis fecit postmodum illius finem etiam, sed non adeò ille nobis notus est vt neque forma nisi quatenus est eadem scamno. Latitat enim in fine quoniam pedes habet & magnitudinem vt sedendi officio aptum sit, cum igitur causæ causas habeant, donec ad primam deuenerimus vt mistorum simplicia, simplicium cœli, cœlorum incorporea atque inter illa quod vniuersum mouet necesse est eum qui causas rerum tractare velit de prima materia primóque authore motus determinare. Cum verò incorporea non moueantur, vt mouent quidem, ad eam considerationem quæ de anima est pertinebunt, vt autem ipsa sunt principia aut inuicem aut secundum essentiæ erunt altioris considerationis eiusque quæ solum incorporeis propria est, & si quid est quod omnino cum corpore commertium non habeat. An verò in vniuersi ordine finis sit dubitatione dignum. Primùm quia res cum sint infinitæ ad vnum finem reduci non possunt. Et plura etiam casu accidere cum sit concessum ea autem non ob finem, finis horum nullus erit & quoniam sic experimur: nam calore solis attracti vapores cum in vnum coëant congregatur pluuia, non ergo frumenti causa pluuia decidit neque eam immisit Iuppiter: Et si sic immisisset non vtique vni proficere, alteri autem obesset: vt potè iter agenti: neque essent fulmina nec toxica aut muscæ vt cogeremur dicere, vnde mala. Et si omnia quæ in animatis causa finis fieri concedantur quæ arbitrio hominis reguntur aut non causa finis erunt, aut non eius qui ad vniuersi finem reduci possit. Constat enim hæc ambo nos posse & ire & stare: Et eundo & non eundo non posse eundem finem constitui, aut igitur nullus prorsus est finis, aut non omnium, aut non in genere saltem sed vniuscuiusque


iusque tantum : aut non in vnum saltem coïbunt, sed vniuscuiúsque secundum genera vt inuicem pugnent velut hominis regnare, cerui in libertate viuere. Quòd si quis beatè viuere finem esse dicat primum quidem solo nomine vnus finis erit, nam contraria sunt liberum esse equo & homini habere equum & equitare. Et regnare Regi beatum erit, at his quos potentia Regis premit non itidem. Et multa etiam nullum vitæ vestigium habent calore destituta quæ etiam fine carebunt, Hæc igitur eam habent dubitationem vt Empedocles & Epicurus facta quidem esse omnia dixerint, finem autem assecuta non ad illum finem sed à natura tanquam cæca & velut ignis agente : nam equum seruitus hominis seruat : & leporem velocitas pedum & Elephantem robur & syluæ inaccessæ, propter aquas, & pisces mare : & serpentes virus ac solitudo & aues alæ. Et quæcunque aliquo præcipuo destituta sunt non potuerunt seruari, sed interierunt, neque enim sola hæc quæ nunc sunt genita animalia sed multo plura. Indicio primum esse historias centaurorum, Satyrorum, Faunûm, Sphingum, Phænicis, quorum nullum nunc est : contra nostra ætate aues plurimæ & animalia antiquis incognita. Et plantæ similiter inter quas balsamum generosissima esse desiit. Et singulis diebus noua oriuntur quæ monstra appellamus, quoniam genus ob defectum excellentiæ perpetuare non possunt. Et si res ad finem quempiam essent vbique omnia essent sed non ita est, verùm & plantæ & animalia varia pro locorum ratione : vt locus aër solum reliquaque patiuntur ipsam se tueri. At nobis sufficere debet ne non quæstio in infinitum trahatur vt determinemus postquam hoc in artificiosis verum esse videmus, vt non sit primus opifex quovis artifice imprudentior, & cum omnia ab vno procedant ista faciente, fierique non possit, vt ille quem non negabunt esse sapientissimum finis gratia non agat ; necesse est ergo & omnia quæ ab illo finis gratia sunt agere. Videmus etiam cuncta id agere vt optimè degant, lapis quidem vt in terra quiescat, aqua vt moueatur & non putrescat, hirundines sibi & filiis parant domicilium, & quò neque mures, neque feles ascendere possint : Araneæ telas quibus pro retibus vtuntur ad escam capiendam & ipsæ tanquam in domicilio tegantur, occultentur, & molliter degant. Formicæ in proximam hyemem alimenta colligunt, multáque longè diuiniora faciunt quæ longum esset describere, sic & plantæ folia sursum vt fructus tegant, fructus seminis causa : & radices fundunt inferius non solum vt alantur sed vt stare possint. Nec mirari debemus si artifex etiam peritus scamnum non fecit rectè quoniam nodus in ligno obstitit & Schidiæ deciderunt, & deturparunt opus, si etiam hoc idem in natura ex impedimento materiæ aut actionis velut propter motum accidat inde exoriantur monstra. Et in regionibus alij nigri alij parui alij caudati viri : nihil enim horum ex anima quæ semper rectè agit, sed ex aëris qualitate vitiato instrumento ex quo producitur. Sed & videmus animalia & plantas producere semen ex quo denuò similia illis regenerentur : non autem casu ista fieri possunt : siquidem nullum aliud humidum hoc facere potest quanquam nobilius : neque ex cerui semine lepus sed solum leporis, cum verò hæc in omnibus aut pluribus & continuo processu fiant at absque errore fieri non potest vt casu accidant : nam si casu proiectis lapidibus facta nunquam fuit domus multò minus vermiculus, plus enim longè artificij est in hoc ipso quàm in pulcherrima domo, nam in artificiis tota species extra posita est, in naturalibus minimum extra, intus autem maxima pars, imò ferè totum. Vbi enim vtrumque diuiseris hæc manifestè apparebunt. Laborat autem Aristoteles (vt potè malè posito initio) ad finis tuendam constitutionem : quoniam finis cognitionem præsupponit, natura autem est agens quod cognitione caret : at nos qui animam id agere per seipsam aut calorem aut calori aliquid simile dicimus cum ipsam intelligere haud dubium sit, circa finem ipsum nullam patimur ambiguitatem. Cum ergo anima dominetur materiam ipsam disponit, non autem materia semetipsam regit aut animam. Sed si leuia quidem in generatione inferiorem partem occupent animæ consilio fit, nam sponte superiora peterent, indicium est ergo & hoc non casu aut ob materiam res fieri, sed esse diuinum opus. Materia ergo propter finem est, finis autem non propter materiam, non enim quia os ideò sustentaculum, sed quia sustentaculum ideò os factum est. Et vt arca fieret, ideò lignum, sed non quia lignum, ideò arca facta est. Et vt reliqua huiusmodi. Finis ergo est causa necessitatis eorum quæ sunt ad finem, vt nauis propter finem nauigandi : & ligna ipsa propter nauim. Et in disciplinis non ita est, atque quodammodo ita est : neque enim præmissæ ob conclusionem, sed conclusio ob præmissas : veruntamen ob suppositionem. Si enim non erunt anguli æquales in triangulo, neque latera illos respicientia erunt æqualia. In quibus ergo necessitas finis est simpliciter, in his etiam media ad finem rursus simpliciter necessaria : vt in immortalibus, in quibus verò suppositione non simpliciter, vt pluuia propter abundantiam, non autem pluere simpliciter est necessarium, sed forsan erit siccitas, & squalor. In rebus ergo necessitas est vltimi, aliorum propter illud : in mente & anima primo cognita sunt necessaria magis quàm quæ sequuntur. Verum & in ordine resolutorio artium finis est magis necessarius his, quæ ad finem sunt. Sed est conuersa demonstratio Mathematici ac naturalis : finis enim in naturali primum est cognitum & hic est effectus in Mathematico autem causa, quapropter & conuersa ratio procedendi. A necessariis enim aut simpliciter aut magis cum sit procedendum in his à causis ad effectum procedemus, in illis ab effectu supra causam. Semper autem multa sunt necessaria propter vnum, & vt vnum sit necessariò multa supposita efficiunt. Sed cum omnium sit vnus finis, isque

isque simpliciter necessarius vt in superioribus dictum est, omnia quidem eiusmodi erunt iuxta finis rationem in ordine numerorum videmus.



PARS TERTIA.


ORPORIBVS omnibus animas dominari non solùm verisimile est sed etiam experimento comprobatur: ea autem omnia mobilia: neque moueri possunt nisi ab aliquo principio quale est anima cum nihil aliud esse possit quod moueat nisi immobile vt in infinitum non procedatur, necesse est igitur & corpus & animatum & mobile, vnum idemque esse. Quamobrem cum accidentia horum plurimum conferant ad cognoscendam rem de corporum accidentibus nunc determinandum est. Est autem corpus omne in loco, & motus in tempore, ac mobilis motus quo circa de loco & motu ac tempore determinandum est vt verò corpus quoddam continuum est ita & locus continuum etiam tempus: quapropter etiam de continuo tractandum est, videtur autem continuum semper diuidi posse, quoniam non magis pedale quàm semipedale, neque quatuor quàm duo, & magnitudo numeri partibus ipsis continui paruis correspondet: quapropter continuum in semper diuidua diuidi potest. Et si continuum non sic diuidi posset, neque angulus neque linea per æqualia diuideretur, ratione autem sic constat, re autem vnum est, actus autem distinguit, quocirca in diffiniendo continuum infiniti mentionem fecêre. Ergo infinitum in magnitudine aliquo modo est, aliquo modo non, at vacuum ipsum neque principium habet sed esse videtur.



CAPVT II.


De Corporibus simplicibus.

QVoniam quidem corporum alia sunt simplicia, alia composita, composita autem absque simplicibus dignosci nequeunt propter vtraque, scientia simplicium necessaria est contemplanti ea quæ ad Mundi constitutionem pertinent. Neque enim nisi per corpora composita in his inferioribus, aut simplicia in superioribus licet ad diuina ascendere. Porrò diuinorum cognitio ea est, quæ sola beatum hominem efficere potest & ipsa perfectissima tanquam finis omnium. Corporum autem alia cum moueantur in loco vt cælestia, alia ad locum vt terra, alia vtroque modo vt aqua & aër. manifestum est, enim in Oceano, sinuque Adriatico, & iuxta littus Africæ moueri perpetuò aquas quadruplici inuicem recursu. Sed & aërem moueri circumlatione corporum superiorum verisimile est, non vt rapiantur quemadmodum tradit Aristoteles de igne illo suo, cum nec dissoluta substantia continuare possit tam procul motum, nec violentia esse perpetua, nec aqua trahatur ab vllo eorum cum tamen perpetuò moueatur, sed vt sponte sequatur. Indicio est summa illius pars quæ vt corpus à corpore violenter traheretur, melius est ergo sequi non trahi vt aqua: eadem autem est ratio totius quæ partis in his quæ sunt perpetua & secundum totum. Et quæ in aëre apparent quæ sic circumuolui videntur. Quæ igitur in loco mouentur cum immobilia sint secundum partes, si enim diuiderentur extra locum ferri possent velut elementorum partes omnia calida sunt aut calorem operantur. Quæ autem ad locum vt ipsum etiam incalescunt, sed cum toti motus non conueniat: neque enim totum extra locum suum esse potest, totum vtique frigidum est. Quæ autem vtroque modo pariter frigida sunt quia motu dissoluuntur partes. Sic ergo ligna & lapides mota velociter igniuntur, aqua & aër vt celeriùs mouentur eò magis refrigerantur, quoniam non consistunt; motus enim causa caloris est si non dissipetur. Elementa ergo omnia & partes eorum frigida sunt. Incalescunt aut vel à calore cœlesti vel motu vel putredine, à calore cœlesti vel vt externus: atque ita corrumpit & putrefacit, nihil in Sole generatur, sed propter Solem: aut vt instrumentum animæ participis sensus atque ita calidum efficitur actu, vt animalium calor: aut vt instrumentum animæ quæ vitam solum præbet eoque modo calida potestate euadunt nulla enim planta calida est. Est porrò in corporibus magnitudo & motus non solum secundum locum sed & multiplex alius, & causæ ipsarum mutationum in corporibus (nam corpora ipsa nequaquã mutantur de singulis tractandum erit.

Est autem ridicula illa trini comparatio vel ad perfectionem & vulgarem sermonem vel ad Deorum mysteria vel huiusmodi, turpissimum autem illud quod primum de eo numero omne dicatur perinde si quis dicat hominem præditum ratione quoniam vmbilicum habeat in medio ventris, nam neque vmbilicus sapientiæ author est: Et si esse minimè venter huic muneri faueret & simiis quæ ratione carent eodem in loco vmbilicus tamen positus est. Ergo corporum sunt magnitudines & loca: loca autem magnitudinem habent, & in his & per has motus fiunt, sunt autem magnitudes numero tres, longitudo: linea enim vtrinque habeat duos motus necesse est, linea autem lineæ superstans efficit superficiem cuius erunt duæ magnitudines longitudo atque latitudo, neq; enim longitudo esse potest cum ea sit prioris lineæ, linea verò superficiei superstans corpus efficit quod longitudinem habet latitudinem atque profunditatem: neque enim vllam aliarum habere potest dimensionum quæ propriæ sunt aliis & cum quibus nulla ex parte communicat. Inquit enim & rectè Euclides: lineæ rectæ partem esse in plano partem in sublimi est impossibile, vt ergo superficies quatuor habet motus ita corpus sex. Quo circa quæ in

in loco mouentur tantum quatuor motibus simplicibus agi possunt, non enim secundum profunditatem ascendendo neque descendendo moueri possunt, nam vel ex loco vel ad locum moueri necesse esset. Corpora igitur sunt & superficies quæ illa ambiunt: sunt enim extrema: lineas autem & puncta imaginati sumus, non enim sunt, quia indiuidua: vt neque superficies sed in alio: sed linea in alio non est: neque ex lineis superficies neque ex punctis linea componitur sed sola ratione constant. Quæ enim per se sunt vt alia sint causæ sunt, velut album ex albitudine, nec sensus longitudinem comprehendit aut lineam sed secundum huiusmodi. Melius est ergo tres illas magnitudines sic demonstrasse quàm ex adeò infirmis rationibus, nam esse non est necesse, itaque nec demonstrari conuenit: Intelligi autem est necesse: neque ergo absonum fuerit hæc à Mathematico accepisse.

Sunt ergo motus primi necessariò sex, duo quidem recti à medio & ad medium: quatuor autem circa medium à dextro in sinistrum & à sinistro in dextrum & ab ante retro atque à retro antè, nam non minus contraria sunt hæc quàm sursum atque deorsum & plures esse debent superficiei quàm lineæ: si quidem in superficie qualibet sunt duæ lineæ. Aristoteles autem duos motus in vna linea statuit & vnum in duabus, id est, in vna superficie. Sic verò in vniuerso senarius continetur perfectus numerus. Non enim rectè ratiocinatur cum dicit à medio & ad medium duos esse motus cum si ad motum referantur, vnus sint, scilicet secundum rectum: sin autem quoad terminos circularis quilibet etiam duplex sit.



CAPVT III.

De Anima, & Animatis, & pertinenbus ad illa.

QVicunque de natura scripserunt Animam aut naturæ authorem esse dixêre, aut ipsam esse naturam. Interrogantibus enim quid sit homo, aut quæ illius natura, animal dicunt vtens ratione. Manifestum est autem quòd & animal ab anima dicitur, & ratio ipsa vis quædam ipsius animæ. Cum verò à notioribus nobis inchoandum sit prius quæ de animalibus notissima sunt accipere oportet, quæ coniungentes his quæ dicta sunt in prioribus de simplicibus tum mistis corporibus ad ipsius animæ inquisitionem veniemus. Ergo si anima sola sit omnium animalium atque eorum solum quæ oriuntur etiam quid nobilissimum est anima ipsa eiusque contemplatio, ac meritò cæteris præferenda: Sed si omnium, vt dixi, mortalium actus quidã est, & vita, adhuc multo melior erit. Sed si omnino etiam immortalium est, reguntúrque diuina corpora anima ipsa profectò nobilissima anima erit, illiusque tractatio admirabilis prorsus. Neque video cur si cœlestia corpora ad naturalem pertineant Aristotelis sententia, eorum animæ non ad hanc tractationem pertinere debeant? Dicemus autem de hoc posterius, meliusque forsan erit quàm tot absurdas de anima opiniones vel proponere, vel confutare, videtur igitur animatum nunc dici quòd præclaram aliquam habet functionem à simplicibus corporibus seiunctam velut ali, crescere, moueri, cognoscere; nam generari his etiam conuenit quæ communi appellatione animata esse dicuntur, cuiusmodi omnia superiùs esse docuimus. Cum ergo duo sint palàm genera animatorum scilicet quod in vniuerso & simplex: & quod instrumentis indiget in animalibus dubitatione dignum est scire an tertium aliquod aliud inueniatur cuius opera & actiones sint multiplices ipsum verò corpus simplex & inelaboratum, aut postquam ea animalia nullum subeunt laborem quid prohibet ne ex eadem materia aërea scilicet aut aquea oculi, aures, crura, linguaque & vniuersum corpus formentur. Sanè si non ita est, necesse est omnia animalia hoc exiguo in confinio trium elementorum contineri, nam perfecta atque sanguinea animalia sine dubio non alibi viuere poterant, calida enim esse oportet quæ motu prædita sint: humida in quibus calor pabulum inueniat: fumidam ergo materiam aëre perfrui oportuit atque adeò in aëre viuere, & in aquæ confinio, ob alimentum atque in terra si non essent pisces futuri. Vnde id genus vt balena, delphin, marsuinus, animæ alterum opus & è regione hominibus & aliis animalibus sanguineis, terrestibus oppositum esse videntur. Qui verò de natura consentanea rationi scripserunt credidêre, vnâ animâ omnia formata: quasi humanam formam pro scopo spectante atque ad illius exemplum sensim appropinquante, nam non solùm homines sed & canes & æluri & leones, & pantheræ, ac simiæ & huiusmodi quinque digito in singulis pedibus habent: nulla numeri illius manifesta vtilitatis ratione. Eadem animalia vt propiora similitudine digitorum eo ingeniosiora velut simiæ canibus canes æluris, æluri leonibus. Quin etiam pollex digitus in æluris atque canibus nullum præstat fermè auxilium. Vnde non nisi ad imitationẽ hominis talis diuisio facta videtur. Quamobrem aliqua animalia bifida vt sues, boues, lepores, minore ingenio prædita sunt, hisque quæ solidam vngulam habent, velut asini. Sed & si equi bobus ingenio præstent, & elephanti omnibus id in causa est quod elephantem vitæ longioris gigneæ volens magnâ mole vt esset necesse fuit, itaque non poterunt pedes in tot digitos diuidi: sed id voluisse declarant pedes rimis in quinque digitos diuisi, sed non separati locoque manuum promuscidem dedisse. Similiter equus cum ad tot labores & ad pondera sustinenda genitus esset vngulam præduram & solidam habere necesse fuit: sed ne obiter id fecisse videretur commenta est os alij omni dissimile. Verum in serpentibus quos solertes esse constat non idem videtur forsan quòd exangues sint: huiusmodi igitur dubitationem habent.

Ad

Ad eorum verò notitiam cum ex aliis magis cognitis via fit, quædam autem sensu velut operationes, quædam ratione quoniam corpora, quæ sponte mouentur ab incorporeo quodam moueri necesse est, atque ex illo ad substantiam deuenire, quæ est anima tùm verò ex modo constructionis corporum qui in mutatione consistit partim quidem secundum sensum, partim verò secundum rationem. Et ex operationibus quidem alia mouentur ab anima alia à calore, & alia ab vtrisque ab anima quidem sola aut cùm mente coniuncta velut intellectus & voluntas atque in his animam nemo esse dubitat; animam enim ex cogniatione dignoscimus. Vnde in homine quoniam perspicua est cognitio & maximè ob id plures æstimant animam esse in illo & certiùs credunt quàm in cœlo, quamvis diuinum sit & adeò celeriter moueatur, quoniam non adeò omnibus compertum sit, nec cuique tam manifestè cœlum intelligere ob id natura moueri existimant: vnde illud:

Natura vertente vices & lucis & anni.

Quam euidentius in elementis & mistis naturam esse crediderunt & non animam motus principium attamen idem est principium omnium his atque illis diuersa ratione communicatum & quidem animalibus perfectis nemo naturam solùm tribuit, quoniam vident & audiunt & recordantur, & imaginantur velut in somniis: hæc autem testimonia sunt cuiusdam excellentis conditionis, quæ ab anima proficiscuntur. Vnde dubitatio prima ab insectis & imperfectis animalibus orta est nemo tamen Peripateticorum aut excellentium Philosophorum solam illis animam tribuere ausus est maior dubitatio fuit in plantis, quoniam & de principio ipso dubitatum est, scilicet an cognoscerent, nam quod omnes de hoc ita idem sentiunt velut de insectis, & his quæ ex putrida materia genita sunt animalibus; constat enim cognoscere aliquid quoniam sentiunt, sed non adeò vt arbitrio suo moueantur mouentur igitur omnia hæc palàm ab anima & à calore, quoniam in his instrumenta sunt: instrumenta autem non sine conditione: sed & lapides certi generis velut Herculeus & adamas & iaspis & onyx & achates mouentur ab anima & à calore quoniam inter vltimum ipsum quod mouetur à sola anima estque elementum aut ex elementis compositum expers caloris naturalis & quod mouetur ab anima & calore atque instrumenta habeat necesse est, ob continuationem ordinis rerum, intercedere medium scilicet, quod ab anima & calore sed sine instrumentis moueatur cuiusmodi sunt lapides isti, nam qui calore solo, vel frigore concreuerunt, calorem naturalem non habent, sed à sola anima velut terra & aqua mouentur: vita igitur his magis, illis minus communicata est, & tamen omnibus, sed quibusdam illustriùs velut quibus per multum calorem & mentem vti hominibus aliis permultum calorem tantum ab anima velut sanguineis animalibus, alia minus quibus perexiguum calorem atque actum & instrumenta velut his quæ ex putrida materia gignuntur quibusdam per instrumenta quidem non tamen actu calor inest, velut plantæ, quibusdam verò calor potestate tantum inest velut & in plantis actu autem non velut lapides, de quibus dictum est atque in his omnibus vitam dicimus inesse, quoniam calor inest, vltimo in loco sunt quibus anima communicatur absque instrumentis & calore velut mista & elementa, aque his per naturam dicimus communicatam vim animæ; necesse est enim, vt dixi quod mouetur sponte ab incorporea substantia moueri: hæc autem anima est, nam neque aliquid seipsum mouet quoniam idem moueret & moueretur: & est, ac si frigidum seipsum calefaceret, sin autem à corporea substantia vel aliena vt non spontè moueatur vel sui parte atque id non per se manetque eadem quæstio, si verò per qualitatem aliquam ea in aliqua substantia est vt necessariò regrediamur ad ipsum principium quæ verò à calore solo mouentur omnia corrumpi necesse est quoniam calor cognitionis est expers, at sine cognitione nihil potest generari, propterea in his omnia corrumpit nisi eatenus paruus sit vt impedimentum caloris naturalis dissoluat, quo explicato animæ aliquid generet, velut de ouis quæ in locis calidis etiam generant. Ratione autem constat animam omnium esse principium atque vnam & eandem esse velut & naturam quoniam in mortalibus & incorporeis omnia vnum sunt, simpliciter quidem vnum, quod omnia potest multa autem quæ secundum materiam vt ab anima seiuncta sunt, velut elementa mista, & cadauera vnum verò & multa: in his quæ animam habent prout ipsam habent, non solum ob materiam, sed etiam animam; vita enim multiplex est & genere, & specie, & numero. Cum ergo videamus in homine cuncta moueri ab incorporeo idem quoque in mundo ipsumque intelligere palàm est vnam esse omnium animam & vt ille dicebat:

Spiritus intus alit totumque infusa per orbem,
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Ex mutatione autem quia videmus talia esse principia tùm in sexu, tùm in diuersis speciebus, nam viris & mulieribus mammæ, in viris autem nulli sunt vsui, inane verò quod vtrinque in ilijs est, etiam masculis damnosum cum ventriculus non vtrinque adeò foueatur à contactu calidorum membrorum, nec etiam adeò firma in sede consistat maximè in latere sinistro vbi plus vacui inest: factum verò id vt in mulieribus dum fœtum ferunt vtero se ad superiora extendente intestina locum inueniant donec protrudantur in septum transuersum. Hoc igitur iactura magna factum est in masculino sexu, quoniam anima prouidere non potest: est enim prouidentia posterius succedentium ac simul omnia generantur non tamen simul perficiuntur, vnde huic postmodum contingit, vt sit masculus ob calorem genitalium anima

protruden

protrudente foras instrumentum generationis, huic vt sit fœmina cum calor tantus non fuerit: similiter & in generatione animalium, anima quidem primum iecur generat non oblita muneris sui vt viuat, eodémque momento principij non solùm temporis etiam principium motus fabricat seu cor, seu aliquid cordis loco, atque ita progreditur ad singula namque consequentium immemor vt rectè Aristoteles dixisse videatur fœtum primò vita plantæ viuere, deinde animalis; demum hominis, atque ita etiam in imperfectis fœtibus fœminarum constat quas molas vocare consueuimus; eadem igitur sunt omnia & in principio quod est anima & in tempore, & in origine cum perfectissimum semper intendat & perficiat quod est in genere materiæ.

Quomodo autem vna anima tot formis satisfacere possit, dicere oportet: Sunt enim in ea potestate quidem singulæ velut in decade singuli numeri in ea continentur & potestate quidem illi in ea sunt, actu autem ipsius decadis, cum verò materiæ communicantur actum quidem recipiunt vniuersa quæ sic consistunt ob id illa adeò sollicita est, vt omnia sint animata, vt vires omnes suas explicet velut si quis opulentus vir ornamenta sua in medium proferre studeat; omnia enim quæ in anima illa sunt, pulchra sunt, tametsi corpora fœda videantur inditio est, quòd & muscas ex ebeno, & erucas, ex margaritarum conchiliis & serpentium dentes & ossa quædam in delitiis habeamus chariora multò habituri si mouerentur atque progrederentur: longéque magis si etiam cum hoc & structuram admirabilem illorum videre possemus & intelligere eorum arcana opera; vt ergo singula quæque fiunt & in specie certa collocantur anima ipsa quæ vna est etiam infinita est, velut si infinitus esset aliquis numerus hic solum actu esset cæteri in eo potestate continerentur velut in continuo partes. At apud nos secus contingit vnusquisque enim numerus actu est qui aut infinitus solum potestate quoniam natura nostra incorporeæ absolutæ atque diuinæ quasi conuerso modo se habet. Itaque mundi anima magis continuo persimilis est quàm numero. Quomodo autem infinita sit alibi declaratum est neque hic necessarium est scire, nam seu infinita sit, seu non, sufficiat intellexisse innumeras esse formas in ea potestate per quas & generibus & speciebus & cuique contento sub illis vna tantum & in plures diuisa satisfaciat hoc enim erat quod necessarium scitu fuit. Neque etiam potestate ita intelligendum est vnanquamque animam esse in anima mundi, velut trigonius in tetragono, siquidem incorporea tota actu sunt, quomodo igitur potestate. Hoc enim naturæ infinitæ est cum vt aliàs diximus vnum totum sit mundus incorporeus atque Deus & indiuisum, ideò infinitum, ergo potestate se habet ad corpora velut lux in Sole, sed illa partes habet, quoniam qualitas quædam est corporis in infinito autem exhibet vitam, & explicat se adeò vt si materia infinita esset & parata formis, tam illis omnibus sufficeret quàm vni quomodo ergo infinita dici non debet? Cuiusmodi autem est vt & in incorporibus quæ quanto maiora sunt tanto validius mouentur quàm parua. Vnde dubium non est vim illam infinitam esse, id est, non circumscriptam, potestate igitur in plurima diuisa est comparatione ad corpora, velut eadem lux Solis in diuersis speculis. Talia igitur cum de anima sentire oporteat potiùs hic liber atque Aristotelis ipsius de vita inscribendus esset quàm de anima. Sed quoniam & anima ipsa cum vna sit verè in multas diuiditur, & genere & specie & numero vt quisque seipsum esse agnoscat non alium pertingántque operationes non solum mentis, sed etiam sensuum interiorum & exteriorum, propterea quomodo istud contingere possit vt vna sit anima posteriùs dicemus. Quamobrem de anima sic instituta erit tractatio à Philosopho. Considerandum igitur est ob id quænam operationes ad animam pertingant & quæ non. Nunc autem quæ circa animam sunt & illius opera prosequamur.

Dicemus igitur quod incorporeum omne infinitum est & vnum, tanquam lux quædam cuius Deus origo est: corporeum verò quoniam metiri potest longum, latum, atque profundum, finem habet. Et lux ipsa vt defluit, vna est & continua & absque nostra: non igitur in incorporeis diuisum quicquam aut numerus, sed vnum tantum, perfectione tamen differens, corpus autem quodlibet finem habet. Velut experimur in nobis, currere enim & pondera ferre, & videre, finem habent: quoniam sunt corporea, aut non sine corpore fiunt vt & memorari, intelligere autem, & velle infinita. Si ergo corpus ab incorporeo regitur, & incoporea ab incorporeis fluunt, fluunt & corpora ab incorporeo. Corpus ergo vt fluit infinitum est: cum autem consideramus altitudinem, latitudinem, atque longitudinem & ambitum finem recipit: itaque pars est cuiusdam, cumque hoc cœlum quod semper mouetur & ipsum pars est: ipsum verò in alio, & illud in alio medio sicut medium in incorporeo, Et vt à primo recedit degenerat, & vt corporibus miscetur idque anima est: velut calor quidem in opaco miscetur, lux autem non miscetur: quodcunque autem non miscetur magis diuinum est vt mens: quod autem miscetur anima vtrumque perpetuum & incorporeum. Incorporeum autem nullum corpori miscetur cum quantitate careat, & etiam diuideretur, nulla ergo anima est in corpore. In quo ergo differt anima à mente? quoniam mens nil recipit à corpore neque speciem, sed est libera, anima autem vitæ coniuncta, vt mens animæ. Perfectio igitur operationum animæ alia iuxta ordinem generationis, alia vt instrumenti & nobilitatis corporis, velut lyncei & piscis: alia velut videndi aut audiendi in lynceo: alia vt huius vel illius, alia demùm vt sobrij & ieiuni aut eius qui benè pransus est. Manifestum est ergo animas quidem oirgine vnum esse, sed non perfectione: vmbra enim corpori propior densior est cuius extremæ partes sunt

tenuiores

tenuiores in eodem autem ordine differunt corporũ solùm ratione. Omnis homo ergo rationi parere potest quia mens est extra vitam, quorum verò anima vitæ immersa est mens animam ponderi illigatã mouere non potest, animalia igitur rationis expertia cum mente careant vel habent quo anima moueatur, sed velut aqua in vase à vita mouetur. Sed cur mens nulla animæ prætérque in homine alligatur? Quoniam imperfectior est ordo, perfectiores autem ordines quam sit anima humana vitæ alligari non possunt ob distantiam. Infinitum est igitur & totum & incorporeum, nisi cum magnitudines expendimus: velut homo incorporeus est nisi cum sensibus alligatur. At omnia infinita & finem habentia dum iuxta partes sumuntur. Constricta enim est quasi vinculo substantia cum corpus sit. Corporum autem perfectiones iuxta ea à quibus producuntur: nam & ab iisdem reguntur. Anima igitur in corpore vitam facit & opera habet iuxta naturam materiæ cum verò instrumentum adest scilicet calor solis coextensa illi corpus generat iuxta perfectionem suam quod regendo fungatur operationibus propriis.



LIBER



LIBER PRIMVS
THEONOSTON,
SEV
DE TRANQVILLITATE.

ERemita. Quòd me de Trãquillitate verba facere hortamini, ô amici, libenter recipio conditionem vt quę sola sermone suo nos oblectet, & Tranquillos faciat. Quorsum enim tot Epitheta Diis concessa immortalibus æternitatis, securitatis, voluptatis, potentiæ, sapientiæ, totque aliorum, quàm vt ostenderemus illos Tranquillè viuere. Hic enim est omnium Beatorum finis quem cuncti, cupiunt, desiderántque. Quòd si summa felicitas in opibus reposita esset: opes verò pararentur labore, industriâ, nauigatione: an non melius esset, ô amici, etiã sine illis opes possidere? *Ci*: certè. *Er.* Si ergo mortalibus animi Tranquillitas etiam sine illis donis Deorum concedi posset nonne profectò etiam hi mortales, qui eam possiderent, beati essent non minus, vt ita dicam, quàm Dij? *Ci.* Imò magis si tantundem possidere liceret. *Er.* Sed & cum duplex sit in animo & corpore, optima autem sit quæ in animo est, nec in corpore vtilis sit, quàm quantum animæ prosit: indicio est, quod iidem labores, studia, curæ graues sunt iucundæque, provt ad animi voluptatem referuntur: nonne ergo optima etiam erit conditio hominis, si vel habeat Tranquillitatem corporis vel eâ non indigeat? *Ci.* Sanè. Sed & Tranquillitati similia in omnibus beatissima sunt, hominis quies, securitas, pax, patria, domus: contra reliqua omnia quæ his aduersans molestissima, vigilia, labor, timor, bellum, exilium, diuersorium. Quinimò etiam comparatiuè caupona, aberranti maximè iuxta portus naufragio: alioquin ingrata futura, & despecta. *Ci.* vera dicis: nec scio vllam felicitatem in humanis præter Trãquillitatem nec in Diis suspicor aliam esse posse. Nihilominus duo me hac in causa dubium reddunt, siquidem primum, quod multi delectantur inquietâ vitâ: nec aliud eos delectat quàm si vrgeant & vexent, etiamsi sine vlla vtilitate id facturi sint. Alterum quòd si summa Tranquillitas optima sit ac beata vita, nil scire præstat, nam scientia laboriosa primum est: deinde etiam plura dum scimus, minus quiescimus mente. Deos etiam cum sapientissimos esse constet quomodo Tranquilli esse possint, non video. *Er.* ô amice rectè quidem Dubitas, sed non tempestiuè: nam primum sine me definire, quid sit Tranquillitas, inde de illa differemus. Constat sanè quòd si Tranquillitas esset non sentire malum nihil esset si optima res illa sit melius quàm esse lapidem aut arenam. Vnde rectè Epicurus ridetur à sapientibus cum sua indolentia. Nisi fortè de corporis Tranquillitate loquamur quæ verè est ἀπαθία, sed si de Tranquillitate quæ summum bonum est, illa enim summum, vt ita dicam, non malum est, & principaliter Diis conuenit, posteà verò similitudine quadam hominibus. Propterea cum Tu duo dubia inueneris mihi profectò plura occurrunt. Sed longa vt video futura est disputatio, cum sit hæc, caput alterum totius operis. Neque enim dubium est duas esse felicitates, de quibus an homini conueniant dubitandum est vna quidem quæ in hac vita in Tranquillitate consistit: in qua cum quod sit, dubium non sit, quærendum potius est quæ sit, & quanta sit: altera verò, si sit cum immensam esse constet, dubitandum solùm relinquatur an sit. Vtraque ea in animorum immortalitate reposita est. Reliquæ tractationes ad hoc, duo capita referuntur. Itaque in hac cum penè infinitæ sint dubitationes ab ea quæ secundum naturam, necessaria est primum inchoabo, nam cum propositum sit scire quid sit Tranquillitas, vnumque genus eius in Diis certè sit perfectum, sed nobis non adeo notum: alterum in nobis notius sed imperfectius & obscurum, ob id dubium oritur à qua incipiendum sit. Et an forsan præstet à neutra inchoare, sed ab ipsa rei vt dicunt essentia, scilicet Tranquillitate, tanquam re quâdam vtrique communi vt in vniuersum sint sex modi procedendi, quorum meliorem eligere præstat, vt facilius res possit absolui. An verò Senecæ exemplum sequi melius sit, qui ab inanimatis imaginem ducens, ab illis etiam initium sumpsit. Et sanè id mihi magis arridet quàm superstitiosus ille modus Peripateticorum qui dum rationem tueri velle videntur difficillimam reddunt disputationem: & dum breuitatem in necessariis profitentur, vt rei magnitudinem etiam supra quam sit extollant, omnes dubitationes ab initio proponendo prolixiorem esse multo quàm sit, illam efficiunt, mihi magis placet bonorum Medicorum morem sequi, qui non prius morbos detegunt quàm

quàm auxilia parauerint: ita vt non proponamus dubitationem antequam solutionem inuenerimus. Principio ergo duo proposita sunt, Tranquillitatem esse summum in hac vita Mortalibus bonum: deinde in solitaria vita esse maximum. Vt ergo vtrunque ostendamus necesse puto scire quid hoc nomine primùm Tranquillitatis, intelligendum sit: deinde quid etiam verè sit, nam nominibus & Veteres & recentiores sæpè abusi sunt. Tranquillitatem propriè deductam esse à mari innuunt Poëtarum verba Plautus ex eo ad animum traduxit in Epidico:

Habe animum lenem, & Tranquillum face,

Transfertur & ad aërem ac ventos idem in Cassinæ prologo:

Tranquillum est: Alcedonia sunt circa forum.

Sed Tranquillitatem definit Cicero Quarta Tusculana, quòd sit Placida quietàque constantia hanc Græci εὐθυμίαν animi stabilem atque inconcussam sedem. De qua egregium olim Democriti volumen erat. Sed quid hoc fortassis dicetis in tam claris ac perspicuis rebus & in quibus clarissimi viri scripsere tempus terere? Optaremus, dicetis, vel abstrusa vel noua audire, hæc pertrita & clara sunt, & à melioribus tractata. *Ci*: Non hoc nos obiicimus sed cupimus audire potius, scimus enim quod perierint libri de huiusmodi: qui si nihil vtile continebant, cum essent egregiorum virorum, cur turpe tibi fuerit tot imitari optimos, etiam si aberrent: si aliquid illi continebant abstrusum ac reconditum vtiléque quid vetat, & nos reparare. Ea enim videtur natura inuentorum, quæ domuum: quandiu manent incorruptæ, locus non est alias extruendi, vbi ceciderint, solent reparari, aliæ elegantius, aliæ humilius. *Er*: Rectè dicis, ideò etiam & nos cæptum sermonem prosequimur. Difficilis forsan videbitur, sed eo attentius illum haurietis. Videmus in mari in lacubus in aëre quandoque omnia quieta, amœna, placida, atque hanc Ttranquillitatem vocamus. Quæ cum sit in vndabundis secum tamen semper habet tremorem quendam suauem. Non flant venti sed spirant auræ: non tumultuantur moles maris, sed crispat vnda: Non lacus attoluntur, sed superficie ipsâ placidè sensimque ludunt. Ita in animis nostris etiam tranquilla quies non sine motu leui est, qui non perturbat, sed delectat. Forsan & erumpit aliquando vt diutius quiescat, verùm postquam in ignorantia nec stupore reposita esse Tranquillitas sed in cognitione vt dictum est, oportet cognitionem ipsam partem esse Tranquillitatis. Demiror autem plurimum cum tot egregia argumenta attigerint Valerius Maximus, & Cicero tum Aristoteles ac planè Plutarchus, Galenus, Plotinus, ac Theophrastus, qui soli in variis generibus argumentorum optimè scripsisse videntur, nemo præter Plutarchum in hoc genere scripserit ni forsan Senecam, & Antoninum exceperimus. Neque enim dicendum est felicitatem aut otium, Tranquillitatem esse, nam otium ignauiæ est, & vt diximus Tranquillitas munus est animi ratione, aut intelligentia vtentis. Felicitas non est in nostra potestate opes, honores, sanitas, Tranquillitas autem est in nostra potestate, nostra, dico, omnium aut sanè, plurimorum. At felices paucissimos esse constat. Extat liber Plotini de Beatitudine, sed aliud est Beatitudo aliud Tranquillitas. Nam & si beatitudinem esse intellexerimus solùm eam, quæ ex Tranquillitate oritur, per quietem animi, non tamen beatitudo Tranquillitas erit, sed illius fructus. Dices Galenum de Indolentia scripsisse pro Socrate, iam dixi Tranquillitatem, non esse absque indolentia maxime animi, non tamen Tranquillitas indolentia est. Rursus obiicietis forsan Theophrastum de Diuina felicitate librum condidisse, sed non de omni Tranquillitate tractauit sed solum de diuina non autem humana quæ cum non eadem sit, alia etiam planè est, homonymia enim dicuntur quæ Diis atque hominibus tribuuntur. Securitas est in Deo, in homine fiducia non securitas: in Deo, sapientia: in homine opinio Vmbra scientiæ: In Deo æternitas, in homine fragilis & obscura vita breuis & ad omnes casus obnoxia: In Deo felicitas in hominibus lubrica voluptas aut pompa seu exultatio. Quid est ergo cum videamus rem nullam eandem esse in Deo atque hominibus vt existimare possimus Tranquillitatem diuinam mortali posse accommodari. Inquit aliquis, Platonem de summo bono egisse in Philebo, at summum bonum est Tranquillitas vt dicit: De Tranquillitate igitur egit Plato, sed non ita: namque cum virtutes plures sint vt pote fortitudo, prudentia, temperantia, non est Tranquillitas vna harum, aliæ enim exploderentur, sed ex necessariis quibusdam virtutibus concinnus consensus in vnum ac quasi multarum vocum modulatio quadam. Multa ibi præclarè vt solet scripsit Plato ibi quæ non aspernamus non tamen est idem rei argumentum neque finis, nos cupimus ostendere quid sit, quod vnum Beatos nos efficiat veluti mercatura, diuites, studium sapientes, Plato ibi quærit felicitatem in quo genere sit voluptatum, an virtutum. Forsan igitur existimandum est veteres illos deterritos difficultare argumenti, aut contentos fuisse Democriti libro. Sed vt rem hanc auspicemur melius erit vt more omnium artium, quæ aliquid nouum fingunt, atque subtile, primum illud crassâ mineruâ delineant: sic Vitruuius Ichnographiam primùm instituit: Statuarij hominem prius sculpunt, inde paulatim Achillem aut Herculem aut Mineruam aut Venerem. Ita & Pictores primùm lineis rudibus efformant imagines, & absque coloribus: post verò distinguunt lineis etiam ipsis: post colores ipsos addunt: mutántque hos atque illos non semel: & quanquam quædam rudibus lineis concinna viderentur quia tamen sub coloribus & vmbris, non vt prius respondent proportioni, denuò illas etiam mutant: atque ita multis aggressionibus rem perficiunt. Non ergo turpe ducam rudem ab initio quandam deffinitionem proponere inde illam velut Vrsa catulos lambendo sensim efformare.

Dico

Dico Vobis ô amici, rem numquam difficiliorem attigisse quæ plerisque leuissima videtur, vt magis procedimus eò magis difficilis redditur: pluresque se offerunt dubitationes. Dicet enim quispiam ô Laurenti ipsane cogitatio res efficit an non? veluti diues sum hâc parte beatus sum. Diuitem falsò me puto, si hoc beatum me facit, quid aliud est tranquillitas quàm mera stultitia: si opes exiguntur ad tranquillitatem iam paruum est negotium. Nam & si aliqui sint adeò inquieto animo vt nihil illis satis sit, plures tamen cum habent & opes honestas, & sobolem, & reliqua mediocriter aut propè valdè maius minusve conquiescunt. Vnde ergo medium hoc Tranquillitatis habendæ, vel docendæ, si in vno naturalis hic est instinctus, in altero insania. *Ci*: Profectò rectè dubitasti, & hoc petere volebam. *Er*: At ego primum antequam ad alia pergam hunc volo obicem de medio auferre, ne impedimento sit vbique. *Ci.* Benefeceris certè. *Er*: facturus sanè sum quamquam, & si non fecissem poteram me excusare: nam alius fecit pro me, sed ego illius longiorem disputationem paucis colligam: vt sit non solùm euidentior, sed etiam clarior. *Ci*: sed si euidentior est, & clarior, cur ille longiorem efficit? Et Hieronymus Cardanus hanc quæstionem primus quòd sciam proposuit in libris de vtilitate capienda ex aduersis: longiore autem sermone tractauit tum quia quæ inueniuntur multis ab initio indigere videntur, quæ postmodum non fore necessaria ostendit diligentior consideratio: & etiam quòd multis indigent, qui volunt aliquid integrè demonstrare. Ego vero demonstratione carebo, nam si quis volet, ibi videre poterit, aut librum ostendam, & rem ipsam aperiam. *Ci*: vidi, sed non totum adhuc perlustraui: & forsan etiam locum illum attigi, sed non animaduerti. Sed quando nouo etiam modo rem hanc es ostensurus non est impedimento legisse etiamsi animaduertissem, nouum enim est quodcumque alio modo tractatur. *Er*: Tria sunt in vniuersum de rebus iudicia: vel quod adsint & delectent, aut contristentur nos atque commune hoc vocatur iudicium. Aut quòd non adsint cogitent autem adesse, & ob id lætentur, aut mæreant hoc proprium est insanorum. Tertium est, quod adsint, non tamen homo lætetur aut mæreat quod proprium est Philosophi. Propterea vulgus, & qui primam sequuntur viam Philosophos stultos esse putat: tum quia non secum sentiant, tùm quia discrimen non intelligunt inter non dolere, aut non lætari insanorum atque Philosophorum. Imò potius inter causam cur qui non lætantur, aut tristantur ea stultis, ob bona malave præsentia, quoniam contraria adesse imaginantur, non Philosophis autem quia nec illa bona, nec ista mala esse existimant. Quocirca triplex inter illos discrimen est. Nam stulti quod non est, opinantur, putà opes, aut vitæ periculum: Philosophi non, sed norunt hæc si adsint adesse si non adsint non adesse. Stulti præterea nihilo secius perturbantur, licèt contrariò modo quàm deberent: Philosophi non perturbantur: stulti præterea perturbationes rebus relinquunt, Philosophi auferunt. Quare stulti omnino malè imaginatur: Philosophi, si errant perperam cogitant. At non errant sed diuinare potiùs videntur. Vates enim quæ non tunc videntur præuident ita Philosophi quæ videntur negant paulo post: ostendit euentus non Philosophos, sed illos etiam deceptos. Oritur filius gaudent parentes: Dicit Philosophus inter bona & mala seu indifferentia reponendum. Aliquando moritur, hoc, inter mala ducunt. Philosophus negat: & rectè secundum si primum rectè. Nam si nasci reponendum erat inter indifferentia, mori etiam, vt qui nil boni pereat, nescio inter indifferentia reponendum erit. Idem dico de opibus dolore, morbo. Hoc solum ab initio dubium relinquitur. An nasci bonum fuerit, an indifferens. Philosophus dicit bonum, non etiam quia si auferatur maiorem dolorem affert quàm lætitiam nascendo attulerit. Si ergo ita est cùm natus sit hac conditione vt facile posset, inter indifferentia est numerandum. Et certè quotidie visuntur, vt & hic, & ego ipse, qui filiorum generationi & opibus iam partis renunciant. Nemo autem sapientiæ, robori, incolumitati, amicitiæ bonorum renuntiat, quia sunt vera bona. Non sunt ergo hæc vera bona, quæ sub casu & fortuna sunt. Quanquam non me lateat robur, & incolumitatem partim debere dici vera bona, partim non verè. De qua re longiorem habere aliquando oportet disputationem. Iam ergo ex his Tranquillitatis primùm genus habetur. Nam est quies animi orta ex securitate. Securitas autem quoniam quæ possunt auferri non sunt vera bona. Itaq; cum manente vita & sensu, non virtus neque scientia, neque conscientia benefactorum, nec spes deorum auferri possint, dicemus eum qui possit esse his quatuor contentus tranquillum esse. Reliqua commoda non in his numerat. Sed quanto plura numerabis, potiri illis oportet, & cum magna spe. Quod si ita est pauca numero, & non magna etiam esse oportet. Iam ergo sic Tranquillitatis imaginem atq; Ienographiam quamdam, vt ita dicam, habetis. Iam verò rectâ ratione ad rem propiùs accedamus, quæ per se clara sunt adiicientes: primum illud Deos verè esse tranquillos quoniam securitatem illam simplicem, & absolutam habent: nobis nedum non secura est hæc possessio, sed cum vitâ sublatâ, hæc omnia auferantur & certissimus aliquando morituros, de tempore etiam incerti. Hinc fit vt duobus in gradibus à vera Tranquillitate destituamur: scilicet & quod amissuri simus certò scientes, & quod id quod retenturi sumus quantum simus retenturi adeò nesciamus vt ne vel momentum nobis Tranquillitatis, aut securitatis relinquatur. Sed cum, vt dixi Tranquillitas ex securitate oriatur non tamen sit ipsa securitas, sed ex eius cognitione,

gnitione, cùm sit quoddam egregium bonum, necesse est vt etiam sit si cognitio sit, cognitio possessionis boni. Erit ergo bonum virtus, operatio bona scientia, & spes deorum cætera vt dixi commutantur in mala etiam dum manent ob id indifferentia appellata. Et sicut vxor casta, sapiens, formosa magnam affert voluptatem contra tædium: impudica, stulta, deformis & domus extructa etiam, eadem ruitura tristitiam, metum: & iuuentus similiter inter bona annuneratur, senectus inter mala, vt solùm illa quatuor relinquantur, quæ mutari non possunt desinere possunt nec desinere, nisi morte vel amentiâ. Oportet ergo Tranquillitatem esse voluptatis genus, postquam constat in genere iucundorũ esse collocandam, quod oritur ex cognitione possessionis bonorum per se & omnium. Nam si alia esse posset putare bona necessario illa, dum desideraret, non esset tranquillus. Igitur ad Tranquillitatem necessarium est rursus vt sciat illa tantum quatuor esse bona. At qui hoc sciet Philosophus erit, & necessario etiam bonus Philosophus. Solus ergo Philosophus bonus tranquillus esse potest. At firma fœlicitas vt dictum est in tranquillitate consistit, summum igitur bonum humanum & summa fœlicitas in perfecto Philosopho esse potest. Atq; hæc generaliter dicta sint. Reliquum est vt ad singula deueniamus. Forsan verò postquam memoria labilis est operæ pretium erit vt duas primò propositas dubitationes dissoluamus. Harum ergo altera erat satis rudis, quòd si Tranquillitas consistit in eo vt nil triste percipiamus bonum sit esse velut lapidem. At non nos dicimus Tranquillitatem esse, ipsam non percipere, sed percipere quidem oportet. At id quod percipitur intelligere non esse malũ. Ipsa verò scientia iucunda est, labor ad illam forsan quandoque grauis constabit liquidò in cognitione esse Tranquillitatem sine sensu doloris corporei. Qui si tamen adsit, & possit contemni, nihilo secius stabit inconcussa Tranquillitas. Postquam verò decretum sensim ad hanc cognitionem propiùs accedere, dicemus tria hîc maximè spectanda: genus quod est voluptas. Nam summum bonum in voluptate est aliqua, cum sit perfectio operationis. Estq; voluptas hæc in anima, & de rebus quæ in anima consistunt scilicet illius perfectione: cognitio ergo in sapientia consistit: at cognitio rursus est de duobus, primũ quod ea quatuor possideat sapientiam virtutum, opera virtutis, & spem Deorum, & quod bona sint, & quòd nulla sint præter hæc bona. Alterum verò dubium est difficilius verumtamen si quis rectè consideret eò spectant hi qui talia agunt, vt tranquille viuant. Non possunt autem tranquille viuere, dum alij quos, vel inuidia, vel ob inimicitias oderunt benè habent: quare vt viator etiam fessus iuxta hospitium gressum accelerat, non quia eum delectet motus immodicus quies magis eum fatigat, sed vt in hospitio requiescat, ita Mortales praui Tranquillitatem ipsam malis modis, atque absurdis quærunt: vir autem probus virtute. Qui si etiam sapiens sit multis amputatis inutilibus ad ipsam rem, quam potest paucissimis intermediis, cõpendiosiórque viâ accedit. *Ci*: Profectò iam videris mihi de tota re disputasse vt penè nil aliud superesse putem. *Ph*: Risit Eremita, atq; sic inquit: benè actum putarem, si totis his septem diebus hanc disputationem absoluere possem. At enim nondum constat, ô amici si Tranquillitas in his quæ diximus ponatur, an alia sint quærenda, dico, filij, opes, incolumitas; horum enim trium maxima cura esse solet: ad perpetuitatem filiorum, opum ad opem ferendam omnibus in casibus incolumitatis sine qua frui nullo bono licet. Imò forsan, vel morte, vel obliuione, vel insania tranquillitatem amittemus. Quare videre oportet, ne si hæc omnia negligamus, dum volumus sapientiores videri, stultissimi habeamur apud omnes, si curauerimus quonam pacto tranquillitas seruabitur; necesse est enim ad tranquillitatem possidendam nihil optare, vt diximus, nedum quærere quid non prorsus in nostra sit potestate, at hæc non sunt. Ecce amici videte, an iam satis de Tranquillitate actum sit. *Ci*: At hercle, hæc magna videtur difficultas nec satis ego quid dicturus sim, habeo: verùm audire ex te cupio. *Er*: eodem res reuoluitur, melius est istius modi habere, quàm non habere ideóque quærenda sunt, non vt bona sed vt ad bona adipiscẽda commoda. Ita vt nec læteris quòd possideas, nec angaris quod adipisci, non possis. Fingite vos tractare aliena bona, in quibus ob probitatem tantum studij adhibetis, quantum si vestra essent: nihilo secius si malè cedat res, nec doletis, nec ploratis, nec torquemini, sed æqui bonique quicquid euenerit consulitis. Quo fit vt tractatio de Tranquillitate Senecæ, licèt eadem nomine nostra videatur, nihil tamen, vt dici solet ad rhombum. Ille enim tranquillitatem interpretatur mitem, & iucundam vitam inter negotia. At illam ducere nemo potest. Sic enim inquit ille: sed librum adducamus, neque enim memoria mihi adeò constans est, vt verba referre possim: Hoc puto virtuti faciendum, studiosóque virtutis, si præualebit fortuna, & præcidet agendi facultatem, non statim auersus inermísque fugiat, latebras quærens, quasi vllus locus sit, quò non possit fortuna persequi. Sed parcius se ingerat officiis, & cum delectu inueniat aliquid, in quo vtilis ciuitati sit. Militare non licet, honores spectet: priuato viuendum est, sit orator: silentium indictum est, tacitâ aduocatione ciues iuuet: periculosum etiam ingressu forum est in domibus, spectaculis, in conuiuiis, bonum contubernalem, amicum fidelem, temperantem conuiuam agat, Officia, si ciuis amisit, hominis priuati exerceat, ideò magno animo nos non vnius vrbis, mænibus clusimus, sed in totius orbis commercium emisimus. Patriámque nobis mundum professi sumus, vt liceret latiorem virtuti campum dare. Præclusum tibi tribunal est, & rostris prohiberis,

aut

aut comitiis, respice post te quantum latissimarum regionum pateat, quantum populorum. Numquam tibi ita magna pars obstructus, vt non maior relinquatur. Sed vide ne totum istud vitium tuum sit. Nō vis enim nisi consul, aut prytanes, aut ceryx, aut sufes administrare Rempubl. Quid si militare nolis, nisi Imperator aut Tribunus? etiamsi alij primam frontem tenebunt, te sors inter gregarios posuit, inde voce, adhortatione, exemplo, animo, milita. Præcisis quoque manibus, ille in prælio inuenit, quod partibus conferat, qui stat tantum, & clamore iuuat. Tale quiddam facies, si à prima te Reipubl. parte fortuna submouerit, stes tamen, clamore iuues: si quis fauces oppressit, stes tamen, & silentio iuues. Numquam inutilis est opera ciuis boni. Auditu enim, visu, vultu, nutu, obstinatione tacitâ, incessúque ipso prodest. Vt salutaria, quæ citra gustum, tactúmque odore proficiunt, ita virtus vtilitatem etiam ex longinquo, & latens fundit, siue potitur & fruitur suo iure, siue precarios habet accessus, cogitúrque vela contrahere, siue otiosa, mutáque est, & angusto circumscripta, siue ad aperta, in quocunque habitu est, prodest. Quid tu parum vtile putas exemplum benè quiescentis. Longè itaque optimum miscere otium rebus, quotiens actuosa vita impedimentis fortuitis, aut ciuitatis conditione prohibetur. Numquam enim vsque eo interclusa sunt omnia, vt nulli actioni honestè locus sit. Nunquid potes inuenire vrbem miseriorem, quàm Atheniensium fuit, cum illam triginta Tyranni diuellerent? Mille trecentos ciues, optimum quemque occiderant. Nec finem ideò faciebat, sed irritabat seipsam sæuitia. In qua ciuitate erat Areopagos religiosissimum iudicium, in qua senatus, populúsque senatui similis coibat, quotidie carnificum triste collegium, & infœlix curia tytannis angusta. Poterat ne illa ciuitas conquiescere, in qua tot tyranni, quot satellites erant. Ne spes quidem vlla recipiendæ libertatis animis poterat offerri, nec vlli remedio locus apparebat, contra tantam vim malorum. Vnde enim miseræ ciuitati tot Harmodios? Socrates tamen in medio erat, & lugentes patres consolabatur, & desperantes de Republ. exortabatur, & diuitibus opes suas mœrentibus exprobrabat seram periculosæ auaritiæ pœnitentiam, & imitari volentibus magnum circunferebat exemplar, cum intra triginta dominos liber incederet. Hunc tamen Athenæ ipsæ in carcere occiderunt, & qui tutò insultauerat agmini Tyrannorum, eius libertatem libertas non tulit, vt scias & in afflicta Republ. esse occasionem sapienti viro ad se proferendum, & in florenti ac beata ni, impotentiam, inuidiam, mille alia vitia inermia regnate. Vtcumque: ergo se Respubl. dabit, vtcunque fortuna permittet, ita aut explicabimus nos, aut contrahemus vtique mouebimus, nec alligati metu torpebimus. Imò ille vir fuerit, qui periculis vndique imminentibus, armis & cathenis circumfrementibus non alliserit virtutem, nec absconderit. Non enim debet seruantem se obruere, vt opinor Curius tentatus aiebat, malle esse se mortuum, quàm non viuere vltimum malorum est, ex viuorum numero exire antequam moriaris, sed faciendum erit, si in Reipubl. tempus minus tractabile incideris, vt plus otio ac literis vendices, nec aliter quàm in periculosa nauigatione subinde portum petas, nec expectes donec res te dimittant, sed ab ipsis te ipse disiungas. Audistis, amici, quæ dicat vult hominem tranquillum totum negotiis ciuilibus esse deditum. Vt reor argumento à Socrate sumpto qui cum esset tranquillus semper se tamen negotiis Reipubl. immiscuit: at Socratis Tranquillitas, non Tranquillitas fuit, sed si quis verè consideret duritia quædam. Nam è quatuor rebus, quæ ad Tranquillitatem faciunt duabus caruit spe in diis, & sapientia. Virtutem & fructum virtutis tulit: at de singulis suo tempore diseremus. Nunc satis sit vt intelligamus, non esse tranquillitatem in ciuili vita quod etiam abunde docebimus, ignoscas mihi licet ô amice. Sed quod maius est vult hunc solum tranquillum virum amicum sibi ascifcere sed minimè cupidum. Atque is mihi similis videtur illi, qui dicebat hominem expedire vt ditaretur: qui cum modum non doceret, & esset pauperrimus, nemo dubitat etiam illum nescisse. Sed omittamus hæc: si vult amicum illum tanquam rem ad Tranquillitatem bonam; & velut eius partem nihil minus: sic vt commodum & nos volumus. Sed videtur vt rem necessariam consulere. *Ci*: At quid refert hoc postquam inter commoda illum ducis & opes, visque curare hominem tranquillum: existimare illa quatuor vera bona cum sufficiat ad Tranquillitatem (atque hoc videtur voluisse Seneca) vt omnia inter commoda quæ sunt salutaria, omnia inter incommoda, quæ sunt noxia reponantur: nihil sit verè bonum malumve. Atque hoc modo res erit intellectu clarior & facilior ad adipiscendum. *Er*: Non: sed si vera bona sustuleris, iam nulla erit tranquillitas neque fœlicitas, sed omnia in indolentia posita, & fortuitis casibus. Neque enim homo potest esse tranquillus recta cum ratione nisi cum melius quisquam non solùm sibi, sed neque alteri contingere posse existimabit: Et neque hoc poterit existimare nisi summum bonum humanum possidere se cognoscat hoc autem cognoscere non potest nisi & summa bona sint, & illa quæ sint omnia intelligat. Alia ratio est, quod qui summa bona cognoscit commoda minoris facit: sicut serui & amici minoris sunt pretij apud eos, qui filios habent, quàm qui non habent: si igitur nulla bona verè esse existimet commodis lætabitur magis in commodis anget: ideóque non erit Tranquillus.

Ci : Intelligo : sed quid faciunt commoda illa, & si quid faciunt quomodo negligi sine dolore, & molestia animi possunt ? *Er* : Non ita : sed velut qui prædium pulchrum, & diues hæreditate accessit aliis non inuidet, vel qui aliquid ex eo furantur, vel qui dono accipiunt, aut possident fructuum partem, aut domum, aut tabellas pictas, sed dicit optimum ego habui, & non cum quoquam commutarem illi, vel omnino commutarent libenter, vel si saperent, ita qui bona illa possidet postquam summum bonum humanum accepit, non inuidet, sed tranquillè viuit : sciens quòd nemo cuncta potest habere. Sicut igitur homo non debet tristari quod sit mortalis, sed lætari potiùs quod fœlicissimus inter homines natus sit, ita & qui summum illud bonum adeptus est. *Ci* : Vera narras : sed quomodo animus noster tranquillus esse potest cum sit natura, agilis atque mobilis : Tranquillitas autem vt & tu fateris est quies quædam. At quod natura agilis, & mobilis sit, indicat quod libenter mouetur, libenter varietatem aspicit quicunque perfectiores sunt, aut principio suo propinquiores, faciliùs atque celeriùs tum magis assiduè mouentur. Vt infantes qui numquam quiescunt etiamsi verberentur : senes autem quiescunt libenter, quia ab initio remotiores. Et viri magis mouentur mulieribus, & promptiores sunt ad itinera, cursus, saltationes. Et etiam magis mutabiles sunt in opinionibus, quàm fœminæ. Et ita sani ægris, & similia. Indicant ergo hæc materiam nostram, vt cœlestem, atque cum motu fabricatam, ortam, educatam non quietè, sed motu potiùs gaudere. *Er* : Magnam excitasti difficultatem ô amice, sed non est hæc natura animi nec corporis, sed planè quid ex duobus oriens amicitia siquidem corporis atque animi ab initio maxima, vt alter alteri gratificari cupiat, maximè autem animus corpori, magis quam animo corpus. Etenim patres infantibus magis gratificantur quam infantes patribus. Hoc enim natura inditum est, vt quæ maiori sunt prædita cognitione, atque prudentiâ, nituntur magis gratificari, imò etiam magis diligant expertia sensus aut minore intellectu prædita, quoniam dilectio cognitionem sequitur. Verùm vbi animus ipse longâ consuetudine edoctus deprehenderit quantum detrimenti afferat hoc obsequium ei, nec corpori tamen emolumentum afferat, retrahit se, nec præcipiti volubilitate sinit, dum iuuenis est homo, multo minus cum iam consenuerit agitari. Non ergo id ex natura animi aduenit, sed potiùs ex propensione maxima ad corpus, quod vnicè ab initio diligit. Indicio est, quòd homo cum cessat obsequi motibus corporeis, non id agit natura defatigatus, sed potiùs iudicio atque prudentiâ se continens. Altera causa est motus ipse qui cum ex quadam reflexione fiat tametsi exiguus, videtur velocissimus. Videtis experimentum in vase pleno aquâ, ex quo radij solares reflectantur, quàm celeriter in pariete micent quamuis aqua exiguo motu agitetur. Vnde id virgilius animi motum, vt sibi videbatur depingens, pulchrè sanè, sic inquit.

Velut aquæ tremulum labris vbi lumen ahenis,
Sole repercussum, aut radiantis imagine lunæ,
Omnia peruolitat latè loca, iámque sub auras
Erigitur, summíque ferit laquearia tecti.

Sed non animus mouetur, verùm neque corpus : sed calor ipse innatus conflatus ex cœlesti, ac motu. In nobis enim tria sunt : vnum quod mouetur, nec mouet congessum ex elementis grauibus : aliud quòd mouet non mouetur, anima siquidem : tertium quod mouetur ab anima : corpus autem mouet calor naturalis. Hæc omnia perspicua sunt, nisi quod quis dubitare posset an calor naturalis idem esset, quod anima : Itaque vno eodémque argumento ostendam, & animam esse immobilem, & non esse calorem naturalem. Quòd si ostendero animam esse immobilem cum palam sit : naturalem calorem mobilem esse simul ostendam etiam calorem naturalem, animam, non esse. Cum ergo anima primum incorporea sit, non est in loco, & quod mouetur est in loco, non igitur anima mouetur. Deinde si moueretur, vel recto motu, atque ita tandem, imò breui forsan è corpore exiret : aut circulari cui similior videtur propter cordis, & arteriarum motum : at si anima sic moueretur neque intelligeret, neque sentiret cum ipso experimento discamus, animum cum distrahitur conturbationibus, intelligere nihil posse, sentire autem vix quicquam, si quidem quæ sentiunt, & intelligunt quiescere oportet. Sed & illud argumento est, animam non moueri quòd non propior sum cogitatione Ægipto cum sum in Cypro quàm cum in Italia, sed statim mens quocumque auolat. Liquet igitur corpus in iuuenibus celeriùs, & faciliùs moueri non ob animam, sed ob calorem naturalem, qui in eis vegetior est quàm in senibus : mentem autem quæ mouetur, quæ concupiscit, quæ deliberat ob id velociùs solùm moueri in iuuenibus, quòd anima cupiat corpori, & suo instrumento, quod cœlestis est calor abundè gratificari. Itaque cum huiusmodi non intellexerit Socrates neque Democritus, nec Antoninus, aut Plutarchus, aut Seneca, nescio quomodo de animi Tranquillitate quicquam nisi probabile, & persuasiuum dicere potuerint. *Ci* : At Plutarchum quoniam is author mihi familiaris est, video tamen, & ipsum Tranquillitatem cum actione coniungere. Vt omnes eandem sententiam sequi videantur. *Er* : sanè ita est ; omnes enim probabiles sermones demonstratiuos prætulerunt : rerum imagines

nes

nes rebus ipsis: & finis, seu essentiæ intelligentiâ caruerunt. Vnus errauit omnes errant: vnus benè dicit omnes benè dicunt. Quæso respondeas, si quis Tranquillitatem laudaturus veniat, anne quempiam melius laudaturum Cicerone eam speras? *Ci*: Neminem sanè. *Er*. Quin etiam illam possidere se dicit, & iactat, *Ci*: Hoc nescio quomodo. *Er*: Audi illius verba ad Atticum, cætera vident esse tranquilla, tranquillissimus autem animus meus. Nisi fortè intelligit tranquillum animum cui omnia sint secunda. Hoc enim esse potuit. Sed si ad rem spectes, qui optimè laudatur, docturúsque esset tranquillitatem, is vbi esset, nec quid esset nesciebat. Sed perturbato animo semper inter metum, & spem, inter dolorem, & inuidiam supra mortales omnes vixit. Quo fit vt huiusmodi viris Antonino Ciceroni, Plutarcho, Senecæ de hac scribenti non credam, etiamsi verissima scriberent. Nec verò scribere persuaserim illos vera qui omnibus bonis abundauerint. Dicas sanè, quis Antonino Philosopho fœlicior fuit? Summus orbis Imperator longâ pace eruditus cum filiis? Quis Seneca ditior, vt qui possideret septuagesies centena millia Coronatorum: cum tot amœnis hortis gratiâ Neronis, summâ potentiâ: at in fine incidit in Principis iram: sed potentia & opibus, & dissimulatione illius non timuit nisi eo momento quo periturus erat. In quo si non perturbatus est eum magnum duco: certè post eum casum, nil scriptum reliquit quando etiam prohibitus sit condere testamentum. Plutarchus ditissimus cum filiis, & vxore amicitiâ Traiani Principis, & orbis terrarum domini fultus tranquillitatem miseris laudare, an obiicere poterat. Facilè enim vt dici solet cum valemus ægris consilia damus. Ciceronem omni tranquillitate non solùm caruisse, sed etiam imagine, haud dubium est. Videtur autem Plutarchus ob id errasse non solum quòd vt Senecæ falso Socratem fuisse tranquillum animo existimauit, sed etiam quod non credidit virtutem virtuti esse contrariam: at Tranquillitas virtus est, ciuem se bonum præstare virtus est, non ergo Tranquillitas efficere debet, vt homo non se misceat ciuilibus negotiis. Cum enim tria sint in homine præcipua animus, homo ipse sibi, & homo aliis: tria etiam habet præcipua: vt animo satisfaciat coniunctio cum diuis: vt sibi tranquillitas: vt aliis viuat officium præstare: quod ad ciuilem potentiam maximè conducit. Eâ igitur ratione deceptus est cùm aliis pluribus Plutarchus. Primum quod argumentum demonstratiuum probabilibus rationibus tractat: secundum quod finem non statuit, neque verum bonum, aut tranquillitatis subiectum: Tertium quod exemplis agit: exempla autem miseriæ non leuant miseros. Quæ enim consolatio est ei, quem rotæ inserunt etiamsi centum qui sic periere commemores. Exempla quidem certis: in causis vtilia sunt non tamen in omnibus: atque in his in quibus vtilia esse possunt debent non supinâ narratione proferri, sed rationibus certis, atque opportunis materiæ, loco, tempori, confirmari. Quartum quod ordinem non seruat, in consolando illum quem vult Tranquillitate frui; sunt enim, & alia multa quæ prætermitto in quibus peccat. Sed primum videamus: non docere illum veram Tranquillitatis rationem. Et primum illud spectemus Tranquillitatem non etiam in non sentiendo, vt dixi aduersa: nam sic nulli sunt tranquilliores lapidibus, & plantis. Neque in bona fortuna: nam metus nunquam deesse potest, nunquam deesse. At mutatus, ea multa sunt necessariò in optima etiam fortuna mala coniuncta: vt mors, morbi proprij, vel saltem necessariorum. Deinde bona fortuna nō est in nostra potestate, nos autem id docere proposuimus, quod possumus etiam adipisci cum libet. Neque in duritia cordis quadam Tranquillitatem reponimus, tum quia paucis adest, fuit autem in Socrate, ob nimiam ambitionem, quâ etiam opes curámque filiorum, & illorum fœlicitatem quæ maiora sunt spreuit, idque accidit omnibus pauperibus, cum ambitionis ardore illo inebriantur, vt vitium illud non virtus fuerit, quo præter inanem gloriam, quam vt quærebat adeptus est, perdidit semetipsum, & filios, in maximáque vixit animi perturbatione: tùm quia, sic esse tranquillum parum abest à stultitia, neque id optimum quod in Tranquillitate repositum est, scilicet agnoscere se esse beatum possidet. Sed nec in consilio, vt quidquid euenerit boni æquique ducas. Nam quamquam hoc sit Tranquillitati satis proximum, duo tamen illi Tranquillitatis præcipua desunt, vt ita dicam commoda, seu ad illam obtinendam auxilia. Scilicet quòd si non agnoscunt se beatos, sed neque putant se infœlices. Et quòd non deuitant quantum fieri potest incommoda quę quoquo modo lancinant tranquillitatem, autque eam vellicant aut obtundunt illius sensus. Porrò ne speretis, ô amici, in animo nostro omnimodam quietem in tranquillitate, sed velut & in mari cum tranquillum est, tremunt vndæ semper, & in aëre cum serenus est, leuissima aura spirare solet, ita in summa Tranquillitate animus noster quasi tremulus est atque spirat. Quid ergo est Tranquillitas, voluptas ea, quæ percipitur ex cognitione possessionis omnium bonorum. At qui cognoscit hoc, cognoscit etiam necessariò commoda quæ bonis illis coniuncta sunt, acque incommoda, quoquo ordine se habeant. Vnde cum etiam commoda cognoscat incommodáque hæc vt fugiet, ita illa sequetur. Itaque, nec amicorum officia deseret, nec Reipubl. munera reiiciet, sed non tractabit vt is, qui omnem spem in eis tanquam bonis collocauit, neque vt alius quispiam qui nullum esse bonum putat, vt Pyrrho. Sed tertio alio modo. *Ci*, iam planè videor melius assecutus, quid sit tranquillitas huiusque nominis significatum, Sed cum artes exemplo doceantur: si enim picturam

picturam exercere vellem libenter Titianum pingentem eiusque conuersationem intueerer: si scalpere Michaelem Angelum, ita si discere vellem esse tranquillus, vellem aliquē, si fieri posset, agnoscere tranquillum. *Er.*: planè non habeo quem ostendam, cum tandiu absim ab hominum consuetudine: potius officij tui hæ partes essent: sed depingam tibi quibus notis illum inuenire possis. *Ci.* placet, primum oportet eum esse peritum in rebus, cum vt dictum est, quod sapientiam illum possidere necesse sit, tum vt cognoscat illa bona se possidere: secundum, vt sit pius, nam si bonam de Diis spem concipere debet, vt talis sit necesse est. Tertium, vt neque diuitias congerat, nec amicos, nec honores quærat, nam huiusmodi vt videbimus sunt impedimenta Tranquillitatis. Tantum enim debet sequi solum, quantum est illi necessarium, & vt iusta officia non deserat, fugiatque hominum vituperationem. Quartum vt constans sit in aduersis: nec fletu, nec dolore, nec facto turpi, nec obliuione se animo commotum, nedum excussum. *Ci*: videris omnia absoluisse signa tranquilli hominis. *Er.* sanè: sed tria tamen ex his sequuntur vnum semper fermè, reliqua duo etiam plerúmque. *Ci*: Quæ? *Er*: Quod semper fermè sequitur, est quòd oportet huiusmodi hominem incidisse in calamitates graues, si non se commotum esse in grauibus calamitatibus ostendere debet. Secundum est, quod in his calamitatibus, neque multo post ægrotabit, non vigilabit, non Impallescet, non tabescet, non solita munia deseret. Tertium quod regionem in qua hæc passus fuerit si poterit deseret. Commodò consulens, nec periclitari de securitate nolens, & iniuriæ se subtrahens: *Ci*: Mira & pulchra narras: sed cur adiecisti quæso (fermè) cum diceres oportere calamitatibus grauibus oppressum fuisse: nam id verbum superfluum videtur. Nam si constans debet videri in calamitatibus, oportet illum eas experiri, & si in grauibus graues. *Er*: Non semper necesse est ex calamitatibus dignosci Tranquillitatem, nam quandoque etiam ex excellenti bona fortuna eadem dignoscitur, cum homo in eodem statu ad vnguem manet. Nam qui inconcussus est in ictibus bonæ fortunæ magnis, idem prope est vt etiam constans sit in aduersis. Quis non perturbationem Ciceronis in aduersis ex tantâ iactatione in consulatu suo præuidisset? Quis non remissum animum Demosthenis in aduersis præcognouisset cum adeò quod benè perorasset gratularetur sibi: coronásque à populo oblatas magnifaceret, & non oblatas quæreret. *Ci*: At dicis nota, non prædicere videris: aliquem ostende, quem ex bona fortuna impatientem in aduersa coniectari possit. *Er*: Facilè est: Quoscunque videris in secundis exultare, efferri, hoc scias tantundem in aduersis commoueri. Est enim natura nostra eiusmodi vt folles, pulsus pilæ, quæ omnia quantum attolluntur decidunt: quantum decidunt attolluntur. Numquam vidi Galeni libros, nisi de prædictione ad posthumum vnum, scio longè illum hominem abfuisse à Tranquillitate, quamuis id ei esset nomen Græcè. Siquidem γαλήνη Tranquillitas est. Non est cur dubitemus immodicos in lætitia etiam immodicos esse, si quid contingat aduersi. Quinimo etiam in eodem genere: vt si quis honoribus immodicè gaudeat, iniuria vel leui abundè tristabitur: si quis opibus lætatur tristatur amissione pecuniæ: si quis mortis minore conflictetur lætabitur plurimum bonâ valetudine. *Ci*: Sed vnum me angit; dixisti enim Tranquillum virum, vbi calamitas inciderit, exit autem ex ea vrbe quæsiturus nouas sedes. At vt vidimus dum librum ostenderet Senecę in hoc maximè probatur, Socrates, quod tyrànorum tempore manserit Athenis, hortaretur ciues. *Er*: ô corrupta hominū iudicia nulla in re magis detestandus Socrates, quàm quòd in patria eo tempore manserit. Sed vide quæ hortatio, & qualis hortator parum tempestiuè diuitibus exprobrabat, quod opes in auxilium Reipubl. non impendissent. Hoc miseris auxilium, hoc consilium, hæc consolatio. Sed videte quid efficeret hac ipsa mansione in patria, vt si non occideretur probaret causam tyrannorum, qui alios iustè occidere videretur quoniam ab hoc qui probus habebatur manum continerent. Tum magis quòd in viis tametsi parum garriret: si occideretur stultus. Vt qui tot abeuntibus, & relinquentibus opes cum patria, ipse solus cum esset pauperrimus in patria maneret. Mansit ergo eâ ambitione, quâ etiam contempsit filios, & opes sperans non occidendum eâ causâ, vt illi tyrannica facta, isto seruato à quo nihil timendum erat velarent, ipse verò triplici vtilitate fungeretur, & quod viri fortis nomen sibi ascisceret, & quod vnus optimus vir etiam à tyrannis iudicaretur in ciuitate, cui cum vt bonos occidissent parcendum tamen esse putarent. Et quòd manendo tyrannis gratificaretur hoc beneficio, vtque illos sibi amicos faceret vt qui præstantia sua illorum leniret inuidiam, & scelera velaret. Cogitate modò, ô amici quali animo fuerit hic vir. Nemo probus ibi manere volet vbi improbi dominantur, & innoxij trucidantur. Nonne animaduertebat hæc iniqua vulpes, quòd si bonos, quia boni odio illis essent tyranni occiderent Socratem si optimum rati fuissent, multo magis quàm cæteros dignum esse, qui ab illis occideretur. Quod si bonos nō ob id occidebant, sed velut hostes aut factiosos aut tumultuosos, vel nonne hoc ipso facto velabat sceleratum parricidium tyrannorum? ô Socrates quandiu & tua latuerunt flagitia. Simili enim causa Phalaris testatur aduocare Pythagoram, vt aduentu suo leuaret Agrigentinorum odium, cum alioquin esset sæuissimus tyrannus. Quem pro monstro crudelitatis nominat Aristoteles. Nonne eadem causa Dionysij pater & filius Platonem acciuerunt: sed patri odiosus factus, quod de eloquentia cedere noluisset venundatus est pro seruo. Nec certè iniustè id autē malè factum. Cum non deserere tyrannum aliquando liceat, adire numquam liceat.

Tyrannum dico eiusmodi: cuiusmodi fuere Dionysij Syracusis, Phalaris Agrigentij. Nabis Spartæ, nec si Regum falsò nomine sint insignes: vt apud Siculas Agathocles & Ptolomæus, Physcon, apud Ægyptios. Sed vt institutum sequar eodem consilio Periander septem sapientes Corinthum accersit, illud in ipsa epistola addens, videbunt enim vos non sine gratulatione Corinthij Periandri domum adeuntes. Sic Pisistratus optauit Solo non quamuis sibi aduersantem & à quo illi timendum esset manere Athenis, ob id quàm discedere. At ille contra, maluit abesse à patria & bona relinquere, non prodesse ciuibus cum eius gratiâ nihil non facturus esset Pisistratus, quam manendo probare Tyrannidem, quamuis Pysistratus in neminem sæuiret. At noster Sanctus Socrates cum tyranni qui fugere non potuerant aut neglexerant mille trecentos optimos è ciuibus sustulissent, mansit Athenis & laudatur, Quorsum vt resisteret tyrannis: at non habebat arma solus senexque ac mendicus. Quid ergo aliud quam quod vt sperabat & vt dixi, euenit, eo seruato dicerent homines tantam fuisse probitatem in Socrate, vt etiam tyranni illi ob id pepercissent. Sed iam de necessariis conditionibus Tranquilli hominis differamus. Necesse est vt qui tranquillus esse debet ô amici intelligat id ex quo perturbari deberet non esse malum. At Plutarchus, & Seneca id non ostendunt sed mentem audientis decipere conantur, & aliò auertere. Etenim si qua ciuitas fame vrgeretur, essetque in proximo frumentum quod pecuniis emi posset, illa verò ludos institueret & tibicines modulari imperaret vt fastidiũ famis in populo leuaretur an rectè fami cõsuluisse videretur? *Ci*: Non per Iouẽ sed dicam audacter meo & huius nomine stultitiæ non leui notâ digni essent. Rursus si medicus dum æger laborat, iuberet picturas & gemmas afferri, quæ delectando illum molestiam morbi delinirent ad morbum ipsum, nihil afferret, quem diceretis esse medicum *Ci*: Non medicum vllo modo, sed Sycophantam. *Er.* Ergo si cum de Tranquillitate agatur, & velimus hominem quiescere vt potè in exilium pulsum, bonis priuatum, an non stultum erit, illi dicere, vel quod diuitiæ & patria tametsi bonæ sint non tamen malum esse illis carere. Vel quia inopes Socrates & Æschines Philosophus Lysaniæ filius fuerint pauperrrimi: Alciabiades verò & Aristides exules: vel quia tametsi pauper factus sit, sic tamen incolumis, & eruditus, ac similia. Sed nec si neges amisisse: Quid enim aliud est quàm eum vt fatuum habere. Cum ergo quatuor sint, quæ ad tranquillum animum faciendum dici possunt, vel vt negemus factum esse, quod amentis est: vel ferendum & si malum, quod nihil affert opis, nihil docet: exclamabit enim ille, at hoc ipsum sciebam, tu vtinam experiatis, aut vt aliorum bonorum recordatione compensetur: quod non est perturbationem tollere sed permiscere: sicut qui mel cum aloë miscent: aut quod vltimum est vt doceas quæ mala sunt, & quæ non sunt: nullumque malum nobis inuisis aduenire posse iam illum tranquillum reddes. Cum verò eorum quæ bona & mala habentur magna sit multitudo, vbi ostenderimus quædam bona non esse, statim intelligemus contraria non esse mala: at quibusdam ob corporeum affectum difficile est, quædam persuadere non esse bona: & contra, non esse mala. *Ci*: Non intelligo quid dicas: forsan exemplo opus esset. *Er.* Faciam vt voles: Dico mortem non esse malam, hoc difficillimum est persuadere. Rursus carcerem, tormenta, & morbos insanabiles graues: Et iterum hæc eadem in filiis: Demum iniuriam & meritorum honorum repulsam, atq; priuationem. Sunt igitur septem cum ergo sint homines, quibus omnia hæc non esse mala suadere possis velut Diogeni si modò talis in animo fuit, qualem extra præ se tulit, is totius & exactæ tranquillitatis capax erit sin autem timidus mortem benignus luctum filiorum, Philotimus contemptum, ambitiosus iniuriam reformidabit, mollis dolores, impatiens carceres vel seruitutem, tranquillum reddemus omni ex parte præter quam eâ, quâ corporis vitio succumbere cogitur perturbationi. Manifestum est igitur quod tranquillitatis nomen vt & sapientiæ & decoris & roboris & opulentiæ latè patet. Maiúsque est ac minus, vnumque ad omnia tranquillo erit animo præterquam ad mortem propriam aut filiorum, vel tormenta alius ad carceris mentionem exhorrescet. Itaque sufficiet quemuis ad eam tranquillitatis mensuram deducere quam capere potest, vt etiam de doctrina, de arte si non possit esse Apelles sit Zeusis, & si non Timagoras. Ergo non esse illa, edocebo, si quæ solum bona sint ostendero nam bonorum certum est mala esse contraria. Plutarchus cum odisset plus iusto Stoicos, vt eos amare nimis in libro, Quòd non minus incredibilia dicunt Stoici quàm Poëtæ irrideat, errauit in Tranquillitatis declaratione. Cum existimauerit non sola animi bona, esse bona imò neque adiectis corporis bonis, sed fortunæ oportere adiici. Itaque cum iam quinta pulsauerit hora, si placet hanc differemus disputationem.

Ph. mane facto, nihil magis cupiebamus quàm audire Inchoatam disputationem. Itaque exeuntes è domo etiam ex arca cœpit de Tranquillitate, vt optabamus verba facere dicens, *Er*: Heri si memores estis, dixi necessarium esse ad constituendam tranquillitatem, aliquod etiam constituere firmum bonum, quod stante vitâ eripi non possit: idque ostendere maximum esse: cum nemini dubium sit, non fieri posse, vt vnus homo in pluribus excellat. Post hæc videbimus quodam inter commoda magis iuuare possint & facilius retineri è contra quæ incommoda magis obsint. Inde ad probabiles etiam rationes descendemus nihil relinquentes (quantum nobis licet) quod ad docendum hoc possit adduci? Eâ ratione quòd multi quibus demonstrationes non satisfaciunt

tisfaciunt leuibus argumentis persuadentur. Itaque cum verum sit,quod probare proposuimus, nihil refert quouis modo persuadeamus, modò persuadeamus. Dictum est primum, sapientiam, bonam esse. Nec quisque, vt reor de hoc ambigit: sed quid sit bonum, dubium est. At, ô amici, sic illud inquiremus si calidum vellemus scire quid esset, an non diceremus quod est simillimum igni? *Ci*: sanè meo iudicio. *Er*: Quod si Candidum velimus scire quid esset, nonne diceremus quod est simile niui? *Ci*: Equidem si ergo bonum volumus scire quid sit, nonne quod est simillimum per se & manifesto ac vt ita dicam principali bono? *Ci*. Haud dubium. *Er*: An non principalia bona sunt dij. *Ci*: Non est dubium. *Er*: Bonum igitur est quodcumque simillimum est Diis ipsis. *Ci*: Ita profectò. *Er*: bonum ergo pro causa principali quod nos diis similes efficit? *Ci*: Edepol. *Er*: At sapientia, virtus, & opera secundum virtutem,& cum Diis conuersatio seu spes in illis, Diis propria sunt. Ipsi enim sapientes, virtute præditi, & bona efficiunt & primam causam diligunt,&ex his omnibus securitas habetur: Quæcunque ergo in hominibus talia sunt bona sunt. *Ci*: Haud dubiè. *Er*. At rursus quemque in hominibus non talia sunt, aut si in diis sunt in hominibus inueniri nequeunt, vt æternitas simul comprehendere ea non sunt bona? *Ci*. Nequaquam. *Er*. Fieri enim non potest vt aliquid sit candidum, & nulla ex parte simile niui: nec calidum & omnino dissimile igni: At sanitas, opes, voluptates corporeæ, ambitio,honores non nos Diis efficiunt similes, non ergo bona sunt. *Ci*: de omnibus assentior præterquam de honoribus: nam & Diis sacrificamus, & illi gaudent honoribus. *Er*. Non sanè ô amice: sed si etiam Dij contemnantur vt apud Scythas, Æthiopes Antropophagos Et hâc nostrâ ætate Epicureos, illi vlla ex parte de sua Trãquillitate,aut felici stau decedunt. Itaque honorem Dij non curant,sed tamen par est nos illis exhibere.Velut si Rex iter faciat rustico illi honorem non ferente, nec vlla ex parte deterior fit, nec irascitur,nec angitur:ille tamen exhibere tenetur, & ni exhibuerit æternâ legè pœnas dabit. Est igitur bonum id, quo nos Diis assimilamur, & quanto magis assimilamur eo illis etiam simus propiores: atque ideò meliores præstantiores, digniores, ac feliciores. *Ci*: ô beate, postquam video non te hæc dicentem sed per te numen aliquod;doce nos obsecro quænam sunt scitu digna de bono: nam omnes nominant bonum, laudant, prædicant;quid sit, nemo videtur ausus dicere: sed circum loquuntur de ipso. Existimo autem te tenere aliquid circa illud. *Er*. Hoc est boni proprium ô amici quod quanto magis augetur tanto plus iuuat: vnde in hoc differt à voluptatibus, & commodis, veluti opibus, filiis, amicis. Hæc enim ad metam certum adeò vtilia sunt vt plerosque fefellerint & in numerum bonorum reposita sint. Verùm multitudine suâ opes præterquam quòd nihil cum Diis commune habent, grauant hominem: & curam anxiam expolcunt vt nisi consuetudo dominationis & licentiæ, vitæ,& pruritus illæ voluptates detinerent homines, more antiquo omnes mortales ob vitæ tædium refugerent regnum. Accidit autem his, quod & scabiosis, quos si prohibeas scabere cum non sustuleris pruritum intolerabili malo afficias. At si sustuleris regnum, non sustuleris pruritum, quomodo illas inauditas voluptates explebunt. At idem dico de filiis, amicis, honoribus, adeò vt quidam dum volunt pluribus satisfacere, interierint, nec est rarum, sed quotidie vulgatum exemplũ. tria enim cum sint, quæ boni spem referunt bona vera, commoda, & voluptates, atque ob id falsò credita omnia vera bona, hoc ipso distinguuntur, quæ vera bona non sunt incrementis magnis semet detegant. At scire prudentem esse fortitudinis opera exercuisse in Diis spem summam habere. Etsi infinita forent nullo afficiunt hominem incommodo, verum illum meliorem perpetuò reddunt. Alterum est quòd bonum nihil mali secum habet admistum, sed protinus delectat voluptatem gignendo. At opes non ita sed secum curas semper gerunt, & filij, & amici, & honores, & magistratus, & cætera huiusmodi. At quæ bona sunt mali nihil secum admixtum habent. Non timorem, tristitiam, anxietatem, nec quicquam aliud? Eo fit vt hæc Sola Tranquillitatem afferant,& quæ Tranquillitatem commoda consequuntur. *Ci*. Sed faxo dicas rogo Tranquillitatis vtilitates: nam & inter reliqua mala, quasi sui obliti, qui de Tranquillitate scripsere, illa Prætermiserunt. *Er*. Non omittam quanta sit vtilitas Tranquillitatis dicere ô amici, vt Vos illa etiam liberiore animo amplecti possit is Namque ipsa primùm beatum efficit in hac vita hominem qui cum inter fluctus semper modò blandientis, modò aduersæ fortunæ agitetur, atque concutiatur, nisi ad Tranquillitatis portum se reduxerit, non est hæc vita sed tormentum. Etenim à secundis etiam ac voluptate adeò affligitur, vt constet aliquos solâ lætitiâ inopi natâ periisse. Longè plures adeò insolentes reddunt boni euentus, vt eosdem ex ipsis felicibus casibus periisse constet. Neque in hoc est facile inuenire numerum. At fac vt neutrum eueniat,vt qui ex Calore frigori se exponunt, longè magis patiuntur, vt plurimi etiam pereant, ita aduersa quæ beatos & insuetos ictibus aduersæ fortunæ euertunt: non solùm quòd vt ab insuetis illi magis patiantur, sed quod minus contra eos sint instructi & parati ad dimicandum. Illud etiam in voluptatibus aduertendum,quòd cùm modus imponitur dolorem non afferunt, cum pleræque corporeæ, vt calefacere ex frigore satiati potu cibo, re venereâ |tum scabendo in pruritu dolorem afferant. Cum ergo tot modis Tranquillitas animi, & moderatio salutaris sit in commodis, quanto magis in aduersis, atque incommodis, vbi etiam est necessaria. Quid maius esse potest, quam felicem se eo in

in casu in quo omnes solent esse infelices. Et eum qui videtur consolatione indigere, alios consolari. Aristippus cum prædium amœnum amisisset & amicus tenuis fortunæ illum solaretur: respondit at ego te consolor vicissim qui cum nullum habeas quanto magis consolatione dignus es: nam mihi tria magna adhuc supersunt prædia. Et cũ alij mœrerent & animo essent deiecti tu tamen fortiter resistis, munia debita administras, dormis, quiescis, edis, ac bibis cum amicis Versaris, Diis non irasceris, nihil turpe nihil importunum agis, sed eandem vitam ducis quam in fœlici fortuna. Apud alios laude ac gloria dignus, in ipso infortunio melior, ad restituendum amissa longè paratior. Interim verò neque deformas te, nec adimis animum auxiliatoribus tuis, nec angis amicos, nec morbum, ex hoc contrahis nec vitam breuias, nec insaniæ periculo te exponis. Non furor te præcipitat, non desperatio te inutilem reddit: sed omnia in melius tolerando & mentem retinendo mutas. Ego cum bis aut ter fortunæ ictibus grauissimis euersus sim adhuc hoc beneficio viuo. Videtis in senecta quantis viribus *Th.* & cùm maximè celebrat gressum in labili solo, vt at nos vix illum possimus assequi) hoc præsidio fruar. Qui nisi tranquillus fuissem iam ego periissem: & triste meis spectaculum amicis, inimicis iucundum præbuissem: coniunctos verò ac filios Ipsos interitu meo prostrauissem ac perdidissem. Quare ingrati fuerim animi, si iam virtutem propter quam viuo adhuc, tot tantaque bona adeptus sum meritis laudibus fraudauero & ingloriam reliquero. Plura etiam dicturus essem de hoc sed sufficiat id adiecisse quod peculiare sit Diis optimum etiam fore, ac præstantissimum in hominibus. Propterea apposite ille.

Felix ille animi, diuisque simillimus ipsis.
Quem non mendaci resplendens gloria fuco
Sollicitat: non fastosi mala gaudia luxus:
Sed tacitos sinit ire dies & paupere cultu
Exigit innocuæ tranquilla silentia vitæ.

Ci. vera dicis sed de hoc vno dubito, quoniam dicit Simillimos esse Diis Tranquillos, & ob id non necessarias opes: at Dij, vt in prouerbio omnium Datores sunt, omniaque possident: quod & si hæc ipsa non possiderent, quæ nobis præstant, alias habent opes. Dicuntur enim felices, quia nullius indigeant, homines ergo cum indiguerint beati dici non possunt, neque Tranquilli. *Er.* Rectè dubitas, ô amice, idque effecit, vt plurimi Tranquillitatem in commodis etiam vitæ constituerint. At Deos omnia habere in potestate certum est, sed & illud certum nullis vti: habent autem solum vt regant, quamobrem qui his non vtitur, tanquam ad beatam vitam, sed solum vt viuat, quandoquidem ea sit conditio nostra vt nudus & vacuus omnibus viuere non possitis est Tranquillus, & Diis simillimus. *Ci.* Sed & hoc fateor, est enim manifestum. quòd Dij istis non indigent, nec vtuntur etsi habent, habent alterius causa: verùm Diis tamen nihil cum hoc deest & abundant omnibus bonis, illorum naturâ id suppeditante: fac igitur, vt nihil desit etiam homini & assentiar opibus illum non indigere, at cum homo eâ conditione sit, ô generosè, vt opibus indigeat, duoque in illo id præstent, quod solum diuina substantia, fieri non potest, vt plus homo sine opibus Tranquillus sit, quàm si Dij timerent aut non intueri possent beatam originem suam Conficiã autem te tuo argumento: an si homo non intelligat tranquillus esse poterit *Er.* minimè: *Ci*: At hoc tamen non habent Dij, sed aliquid perfectius quàm intelligere quod περιλάν πουσιν, appellant: & si illo caruerint non erunt Tranquilli. Vel igitur Tranquilli si erunt sine hoc aut homo sine intellectu Tranquillus esse potest, aut non sine opibus, quandoquidem ad suam vt ita dicam integritatem aliquid desit, indigeatque sic: at Dij non indigent: homo igitur is cui aliquid deest non Diis comparandus, sed cui nihil deest, at solus ille ex his quæ supposuisti Tranquillus est etiam quod de opibus, dico de incolumitate, & libertate saltem intellectum? ac dictum Velim. *Er.* pulchrè dubitasti, nec quicquam scio quòd grauius contra me adducere posses, nihilominus id cogitare debes quòd quæ in homine duo sunt vita incolumis scilicet & bonum, in Diis aut omnino vnum sunt, aut sic coniuncta vt separari non queant. Cum ergo vita incolumis indigeat his commodis Dij non indigeant vllo ob coniunctionem exactam vitæ incolumis cum bono eo fit, vt hæc commoda quibus vita incolumis indiget etiam ad ipsa bona esse necessaria videantur. Et certè hæc ratio tandem eò terminatur, vt non iam sit quærendum an talia commoda sint Tranquillitati necessaria, sed an vita incolumis. Et de vita quidem planum est, itemque de vita quæ cum ratione est seu compote rationis stultum enim esset dubitare, an stultus, an moriens, vel an mortuus Tranquillus esse possit? Quæramus ergo hoc, an vita ægri vt pote cuius artus sint resoluti, aut coeci aut surdi tranquilla esse possit. Nam si dicatis quod dicere Vos posse intelligo hostis, fames, calumnia possunt tollere Tranquillitatẽ vel si excutiant hominem de mente, vel si vitam tollant fateor: sed tum neque miser erit neque beatus, nec perturbatus si nõ est tranquillus. Cum ergo supponamus hominem viuere & ratione præditum esse, non plus illi timendum est ab his, quàm ab omnibus causis quæ vitam adimere possunt at si timendum est ab his semper timendum erit: nulla igitur tranquillitas. De hoc ergo dicendum erit cum de fame, de damnato ad mortem, ac similibus sermo habebitur, at sermo talis vt palam est subtili indagatione indiget, vt non sit hic annectendus. Sufficiat pro nunc, solum demonstrasse opes atque huiusmodi non esse primum necessaria ad Tranquillitatem vt in Diis

Diis vita & potestas : Sed in hominibus hoc necessarium esse ad vitã & rationem. *Ci:* satisfecisti, si satisfeceris, aueo enim illam audire disputationem, scilicet an vita & ratio cum sint necessaria tranquillitati, homo autem intelligat se cogi illa relinquere videatque se priuari eis, an interim possit esse Tranquillus. Sed ordinem peruertere nolo itaque vt libet sequere. *Er.* Ergo si quis bonis his innitatur, reliqua nec despiciat, vt incommoda, nec vt propria aspiciat, beatus atque Tranquillus in hac vita viueret summum bonum adeptus:& Diis ipsis quàm simillimus; bonorum enim possessor ac memor securúsque futuri, non solum præsentis & particeps cuiusque vitæ, etiam, aliorum non minus quàm illi, sed suauius deget vitam quasi superhumanam cœlestémque. *Ci.* At qui ô beate, nonne eædem sequentur illum, qui voluptates sequetur, sed eiusmodi quæ nec sint turpes, nec inconstantes, nec fœdæ nec quæ dolorem afferant sed veluti venationem, ciuilem vitã & aulicam musicam prætetea. Nam & hic securitate eandem inueniet voluptatem quam tuus hic diuus & maiore, corporis robur laudem apud ciues, expers doloris : hoc est, credo, licet Epicurus volutaretur in absurdis quod eum voluisse suspicor, non ego volo ludũ qui infamis est, aleam sæpe experitur aduersam:nõ conuiuia & crapulam in qua homo fit deterior sensibus, pulchritudine corporis, ac viribus : non Venerem ex qua tot sequuntur incommoda, si quis veluti sus volutetur in illa, non parce eam degustet. Idem ectypis picturis ac alienis delectabitur, feretque sermones de illis. Hũnc ego cur non Tranquillus esse possit non video, vt ille tuus & minore negotio longè quàm ille, & suauius viuet totum corpus experietur ludo pilæ, animum latrunculis nullo aut ridiculo Pignore. Etenim in vno videmus quàm alacris se ab eo recipiat, in alio fit immemor etiam impendentis mortis. Vidi quosdam grauissimis morbis ac insanabilibus detentos, qui dum luderent latrunculis omnino obliuiscebantur & præsentium malorum atque dolorum & mortis impendentis: Carolus Antonius Raudensis Mediolanensis Panitius cum suppressa vrina, iam quatuordecim diebus & intelligeret & sentiret in horas imminere mortem fritillo ludens eam depellebat prorsus curam. Crabrinus Fondulus cum suspendio periturus esset sequenti die, admonitus damnationis qui fuerat & Princeps & tyrannus Cremonæ vt nihil deesset ad miseriam afflictæ fortunæ, mors violenta turpis ac digna non Principe sed nebulone, post tam beatam fortunam tam proxima & si quid ad rem facit etiam indigna captura, fuerat enim ab amico proditus : cum tamen hæc omnia adessent eam molestiam ludo fritilli totã nocte præcedenti leuauit. Et cum iam die multo collusor expauesceret auditu soni nolæ significantis pœnas sumendas de damnato, atque ille ob id recedere vellet iratus Crabrinus arrepto fritillo inquit, parum abest vt hoc tibi non comminuam caput nebulo, qui me hac causa simulata tam pulchro ludo fraudare, vis arriserat enim eo extremo ludo aleæ fortuna) an hoc ad te quicquam pertinet, non ad me. Itaque lusit suauiter donec aduenientes ministri & expectauere finem ludi coacti, tum demum iniecerunt laqueum & abduxerunt. I modò tu cum tuis disciplinis, virtutibus actionibus laudatis spe in Deos, pietatem non contemno sed humanam fragilitatẽ & animi mollitiem quibus confirmetur aut deliniatur auxiliis nunc disputo & tantam Tranquillitatem in tam sæuis casibus inueni : ex historia antiqua vel præsentibus exemplis cognita, opponi si vis vt credam. Er : gaudeo mirum in modum. *Ph.* inquit læto vultu totum culmen aduersæ opinionis explicatum esse. Atque vt video res in duobus consistit : vnum est quòd Tranquillitas sit in voluptate honesta, atque modesta : alterum quòd etiam in maximis calamitatibus quædam sint potiora virtute atque aliis quæ dicta sunt bonis. Quinimo & hoc primum membrum ita subdiuidunt vt ne quid tibi desit : quod Tranquillitas consistat in exercitatione artis cum autoritate summa & vita perfecta, vt si medicus sit aut primarius habeatur aut certè secundus aut tertius, sed cum certa spe principatum obtinẽdi. Et Senator sumus aut orator quapropter Ciceroni hæc contigerunt quamuis secundario in ordine non esset primus nam Crassus, Cato, Brutus, Cassius, Scipio, multique alij illum autoritate superabant : Et aurifex inter aurifices atque ita in vnoquoque genere, cum inter pares sit inuidia. Vnde illud Hesiodi ab Erasmo in Latinam linguam conuersum.

Semper vicinus vicino est æmulus : hunc vt
Condere cernit opes properantem gnauiter : atqui,
Concertatio conducit mortalibus ista.
Odit ita fabrum faber : figuloque molestus,
Est figulus : Mendico protinus inuidet alter
Mendicus. Cantor Cantorem liuidus odit.

Cum ergo quis metam attigerit eam, beatus viuit atque quiescit, tanquam sit adeptus Tranquillitatis locum & sedem. Sed iam ostendamus hæc omnia vana esse atque ridicula. Quòd enim his leuibus voluptatibus etsi honestis atque innoxiis tranquillitas non constet, eò per se patet, quòd iidem in aduersis fluctuant atque franguntur mirum in modum velut enim Chalybs qui frangi nec flecti debet oportet vt purgatus sit sæpius, sæpius igne duratus, & succo humano imbutus, ita animum ad omnia constantem oportet purgatum esse sapientiâ, duratum virtute, & imbutum diuino amore atque Deorum consuetudine, is enim diuinæ particeps solus est voluptatis & gaudia immensa sentit absque doloris vllius Vestigio : omitto quòd huiusmodi homines semper maxima fuerint in veneratione. Vnde illud Senecæ. Nunquam in tantum conualescet nequitia, nunquam sic contra virtutes coniurabitur vt non Philosophiæ nomen sacrum & venerabile maneat. Non

laudo

laudo quia Senecæ dictum, sed quia verùm ideò amplector, licèt ex Seneca. Nam etiam vita improba & temeraria impudentia faciunt, vt pudeat nomen illius in medium adducere. Quis enim etsi Hæreditario iure tantum opum assecutum ferat æquo animo differentem? Et tamen non illas sic adeptus est, non habuit à Rege vt Aristoteles, non à Tyranno vt Aristippus & Plato, sed rapuit in administratione. Deinde etiam audet dicere vitam similem etiam debere doctrinæ. Sed omittamus hoc monstrum, sufficiat illum probasse in vno in quo talem se præstitit qualem prædicauit scilicet fortitudine in ferenda morte, quam gentis naturâ consecutus est, potus & vitæ tædio & timore Neronis quam Philosophiæ præceptis: tum verò & in historia eorum quæ apud cæteros authores scripta non inueniuntur. Ad rem redeo illud tractabam Philosophos & sapientis maiore esse in veneratione quam musicos, aut venatores atque id palam: sed hic non figo pedem, neque enim ignoro nobiles Iurisconsultos, duces militum præcedere authoritate apud vulgum sapientes ipsos: verum & illud omittendum censeo, quamquam in rem nostram faciat quod sapientum sit clarius nomen, tot reconditorum cognitio, sed solum id amplector, quod proprium etiam his bonis vt solidum reddant animum atque constantem, inde quod similem illum Diis efficiant: aliæ voluptates relaxant animum & in felici vita quidem aliquid esse videntur: at cum emerserit tempestas statim concidit animus totaque illa tranquillitas pessum it. Nec Tranquillitas illa est imò nec tranquillitatis vmbra cum hi non se beatos iudicent, nec acta recognoscant sed solum transigunt absque molestia, tempus. Dico etiam Senatoris, magistratus, & qui arte in aliqua principatum obtinent. Certè non sine metu amittendi quod aquisiuere esse possunt. Et maximè cum eruditione, sed dolo eam sibi gloriam subfurati sint. Et quod etiam magnũ est in huiusmodi coguntur retinere vi hæc quę pararunt ac multo labore, quorum nullum est in veris bonis. Quid demùm illud Antonini adeò appositè de his qui Tranquillam ex virtute vitam ducunt: Intro respice, intus est fons boni, semper scaturiens si quidem semper fodias.) Quam beata esset ergo hæc vita quæ semper nouas ex se voluptatis diuinæ causas inuenit & effundit. Quòd verò alij sint beati qui ad fastigium autoritatis se contulerunt, vides quò te reuoluas, scilicet ad prima elementa, an tranquillitas & beata vita tepo ni possit in bonis fortunæ. At nunc etiam absurdiùs dubitas, cum non illa esse necessaria ducis, sed in illis Tranquillitatem non solum fœlicitatem colloces. Itaque absurdissimum fuerit non minus hos tranquillos putare, quàm glaciem calidissimam, frigidissimum ignem, nigram calcem, candidos carbones, atq ue huiusmodi. Labores primo immensi in parando, in retinendo, in vtendo: metus, solicitudines, curæ, anxietas molestia: atque omnia in summo, & vis tranquillitatem esse. Inde excedere loco necessarium est, si mors senectutem non præuertat, qui dolor est dũ priuaris: Duo tamen Principes hac nostra ætate nouo exemplo cessere regnum filiis. Argumentum potius intolerabilis sarcinæ quàm vllius fœlicitatis. Et retinent tamen partim ob consuetudinem quæ omnia aspera expetenda reddit: Et ob pruritum eorum quæ illi iunguntur, velut honorum opum voluptatum vltionis: Demùm quod non tutum sit deponere tyrannidem, vt Phalaris dicebat. Extremum quod obiicis de tolerantia supremorum: Agis exemplo, agis experimentis quæ scripta inuenisti. At ego desperatione non Tranquillitate, vel fortitudine multos occurrisse morti aio velut Cassium Cassiique, centurionem, Brutum, Scipionem, Pompeij socerum, multósq; alios id est non lenire mortis metum, sed metum mortis metu maiorem inuenisse. At fortiter mortui sunt Iulianus Cæsar, Catoque, qui lecto Phædone obierunt. Quid de tot Martyribus, qui ob nomen Christi vltrò se morti obtulerunt. At de hoc peculiaris sermo habendus erit. Nunc dicam exemplum quod mihi narrauit Patruelis meus, dum vltimo se ad me contulit. Dum enim, quæ noua illi contigissent, quæque vidisset interrogarem, respondit nunc, non ex Taurino venio sed Mediolano. Vbi res non mediocris momenti contigit. Agnoscis, inquam, dicebat, Hieronymum Cardanum medicum quem eamet tuarum litterarum commendatione amicum reddidisti, qui multa scripsit, ego illi: neminem magis, sed quid accidit? tum ille, duo ei erant filij maior natu Ioann. Baptista vocatur, non imperitus medicus, sed iuuenis & admodum impatiens. Cæterum tamen miti ac simplici ingenio, vt maximè diligeretur à patre. Hic sumpsit vxorem clam patre, & inuito, omni labe plenam vt pater neque si vellet ferre posset. Tum agnatos qui cum omnes sordidam ducerent vitam etiam illius sorores impudicitiæ nota cum matre aspersæ erant. Cum verò vxori neque dedecus domus, neque iniuria sufficeret, nisi & id cum matre misero adolescenti exprobrarent, ità & rabie inductus, à patre ille tùm etiam facti pœnitentiâ curauit eam puerperam veneno necari per famulum alium adolescentem. Obiit illa non veneno, sed vi morbi atque Fato quo tam inclytus iuuenis morte suâ, omnia turbare debuerat. Vnde & inuidia patris, & stultitia filij & acerbitate iudicum, & ineptiâ quorundam qui quale exemplum esset futuram serò animaduerterunt, periit ille. Dum ergo patrem consolarer, respondit is, etiam si ipsum possem redimere è morte non facturus essem tametsi tam charus foret mihi filius, vt libenter ceruicem meam pro illo securi subiecturus essem, si licuisset, modò sperassem posse stirpis incolumitati, & prudentiâ & constantiâ succurrere. Cui ego: Quomodo ergo tam patienter fers mortem eius quem viuentem adeò vnicè diligebas? Respondit pater (est autem vt scis mortalium omnium vir veracissimus.) Quoniam intellexi sic Diis placuisse. Siue ergo id intellexit, siue id sibi intellexisse persuasit, vide quàm tranquillo animo tantam calamitatem pertulerit. Vt generosissimus ac vt

ita

ita dicam fermè vnicus cum filia ſcientis ſit publicè ſecuri plecteretur, cumque eſſet adeò clemens, humanus, & omni diſciplinarum genere abunde inſtructus. Nec defuit tanto facinori aliud, niſi quod præter conſuetudinem omnium, in carcere, & media nocte ſupplicium ſumptum eſt. I nunc & hanc tranquillitatem confer, cum illa Anxagoræ dicentis ſciebam genuiſſe mortalem: quæ potius eſt in curia quam Tranquillitas animi filium negligentis filiíque ſalutem: Et Xenophontis qui quieuit cum in pugna cecidiſſe fortiter ſe gerentem intellexit: quod vanæ ambitionis argumentum fuit non Tranquillitatis. *Ci*: Sed quibuſnam indiciis percipere potuit pater necem filij, Deorum contigiſſe voluntatem? *Er*: Dicam namque omnia, vt de amico & tam noto in orbe diligenter omnia ad vnguem ſciſcitatus ſum & agnatus ille meus de ſingulis percunctatus eſt diligentiſſimè, ſed non nunc, verùm cum tempeſtiuum: & de animorum immortalitate agemus: vnum nunc ſat ſit ergo tranquillitatem in bonis ſolis poſſe conſtitui: bonáque illa omnia quæ dixi eſſe atque ſola. Sed quoniam iam domum redimus, tempus eſt vt prandium paremus, à prandio ſi placebit reliqua proſequar. *Lib.4.*

Ph. peracto prandio ſublatiſq; cum lancib. reliquiis ciborum tum mappâ, ſoláq; menſâ quę apud ignẽ erat relictâ, cœpit Eremita interrogare an noſtrum aliquis iam dubitaret de Tranquillitatis conditionibus: tum *cius* equidem non parum: nam cum tranquillitatem in ſapientia & virtutibus & operationibus, tùm ſpe in Diis, neque quales eſſe debeant hæ neque quãtæ ſint definiuiſti. Vt iam non vna dubitatio, ſed plures relinquantur. *Er.* Rectè mones, ſed omiſſa in futuram hebdomodam ſingulari tractatione de Diis ſolum generaliter, de illorum conuerſatione hodie loquemur: tùm de virtutibus, & earum operationibus abunde: ſed & de ſapientia: verùm & de illa rurſus generaliter, nam & ſpecialem tractationem, cum ea quæ de Diis eſt, coniungemus, cum de contemplatione loquemur. Nunc verò à virtute auſpicabimur. Homo videtur ad quatuor comparabilis ad Deum, & conſurgit virtus, quæ pietas vocatur, alia ſiquidem res, aliúſque animi à pietate affectus: Ad homines reliquos, vt inferiores oritúrque humanitas: imò potius ad cuncta animalia, nam videris quantum etiam curam horum capreolorum agam nec ſine exemplo ſanctorum virorum optimorúmque, vocabitúrque benignitas: vel vt ad ſuperiora omnia, ſed tamen quæ nocitura non putantur, vocátque ea virtus prudentia, vel ad ea quæ nos malè afficere ſolent, & iam nocitura putantur, dicitúrq; hæc animi virtus fortitudo. Sed ſingulæ harum cum hæ tantùm neceſſariæ videantur ſub ſe multas ſpecies continent, velut ſub fortitudine patientia, conſtantia, continentia: ſub prudentia vigilantia, temperantia, ſolertia, atque huiuſmodi. Quòd ſi quis velit quintum genus facere temperantiam, & continentiam, & ab aliis diſtinguere non contendam. Sic & ſub benignitate liberalitas, miſericordia, clementiá, gratiáque continentur. In vniuerſum virtus eſt, quod optimum facere docet erga Deos, & animata manſueta, & nos ipſos. Virtutes ergo factæ ſunt ad tutelam noſtram & aliorum, qui nobis non ſunt noxij tùm verò ad reddendam Diis gratiam. Tu verò illas in quot vis ſpecies diſſeca, nihil refert. Cum autem ſingulæ, præter pietatem, conſiſtant circa medium, vt liberalitas inter auaritiam & prodigalitatem, temperantia inter luxum, & auſteritatem, benignitas inter ſocordiam, & ſæuitiam, adeò vt qui dixerit omnem virtutem eſſe iuſtitiam parum aberraſſe videatur, liquet in virtutibus hominem debere vſque ad extremum, & ſummã perfectionem peruenire. Quippe quod tale medium parum abſit à nobis. Niſi forſan in prudentia: hæc enim etſi circa medium quiddam ſit, vtpotè ſoliditatis & calliditatis, hoc tamen medium circa tot verſatur, & tam latè patet, vt magnum negotium ſit eſſe prudentem. Non ſic continentem liberalem, benignum, iuſtum, pium, fortem, atque ſic de cæteris, ſed tamen prudentia potius verſatur circa commoda, quàm quòd bonum per ſe ſit. Optimæ ergo ſunt pietas, fortitudo, & iuſtitia. Ad vſum tamen humanum prudentia vtilior eſt cæteris. Benignitas autem iuſtitiæ pars: aut potiùs iuſtitia benignitatis. Optimum igitur eſt homini iuſtum eſſe, atque quidem, inde benignum, temperantem, demùm prudentem. Temperantia autem hoc ipſo prudentia eſt melior, quòd & virtus ſit quatenus continet hominem, & vtilis ac fructuoſa. Operibus quoque ſecundum virtutem nullus debet eſſe modus neque vlla meta. *Ci*: Sed ſi illi commoda noſtra minuant quid agendum? *Er*: Non ſum adeò Stoicus, vt velim te præcipitem agere, vt exerceas virtutem, ſed ſi potes ſine magno incommodo. Secus non ob commoda ſeruanda ſed vt virtutem melius exercere poſſis. Velut ſi quis hominem vulneret, qui patrem ſuum occidere velit, non ob id malus dici debet, ſed pius, quanto magis cùm non agendo meliorem, & vberiorem benefaciendi occaſionem expectes. Sed iam de ſtudiis agamus, Auerroës exiſtimat Mathematicas ad fœlicitatẽ, ac tranquillitatem non conferre: Seneca, nec naturalem quidem ſcientiam neque Theologiam ipſam, ego omnes ſcientias, vt arbitror vtiles, ita hanc benè viuendi rationem ad tranquillitatem non planè ſufficere arbitror. Nam ſic omnia bona in tria capita ſolum redigerentur. Senecæ ratio quæ, & Socratis eſſe videtur, hæc eſt, ad fœlicitatem, & ſolidam tranquillitatem, nihil aliud eſt neceſſarium quàm quod docet tranquillitatis fundamentum: fundamentum tranquillitatis eſt ipſa virtus: quod ergo docet virtutem neceſſarium eſt: reliqua ſunt ſuperflua. Nam vita hominis breuis eſt. Rectè autem opinatur quòd perfecta fœlicitas in tranquillitate ſit: vnde inquit, nam cum ſumma, beatæ vitæ ſit ſolida tranquillitas, & eius inconcuſſa fiducia, illud quoque rectè imò propè diuinè: Quemadmodum radij ſolis contingunt quidem terram, ſed ibi ſunt, vnde mittuntur, ſic animus magnus, & ſacer,

facer, & in hoc demissus, vt propius quidem diuina nossemus nobiscum versatur, sed hæres origini suæ: illic pendet, illuc spectat, ac nititur: nostris tanquam melior interest. Quis est ergo hic animus qui nullo bono nisi suo nitet. *Ci.* Vnde in tam improbo viro tanta sapientia cum scriptum sit à Salomone, *In maleuolam animam non intrabit sapientia, neque habitabit in spiritu subdito peccatis.* *Er.* Vera sunt hæc & illa, sed locus non est huiusmodi discutiendi, recipiamus quæ benè sunt dicta: relinquamus hominem homini, vt vixerit, vt senserit improbitatis suæ pœnas sat sit abûde dedisse, Perstrinxit oculos posterorum, sed non adeò vt non depræhensus sit fucus, si non aliud rectè fecisset Cornelius Tacitus, hoc vnum sufficiat docuisse hominis fraudulentam imposturam. Ad rationem dicimus non esse in virtutis sola exercitatione Tranquillitatem, conscientia rerum multarum & magnarum locuplex est testimonium Diuinæ naturæ nostræ atque læta memoria anteactæ victæ, præsentisque vsus iucundus. Periit Archimedes & neque sensit captam vrbem ab hoste quamvis sciret obsessam: adeò intentus describendæ figuræ, vt nihil illum mouerit vox minantis militis. At non vis tu Mathematicas, ô Auerroës? Ridiculus es, cum damnes quod nescias. Scio ego non adeò proximas veræ Tranquillitati, sed magis auocant hominem vt ludi latrunculorum & fritilli vice fungantur, & tamen aliquid melius sunt: nec habent secum aduersæ aleæ anxietatem atque tristitiam. At non adeò delectant ob id quòd sine dolore & sine metu sunt. hæc sunt insanientis & diuina dona paruifacientis, quod in illis optimum est vt spernas, velut Bergomensis ille, qui deesse putabat ad formam pulcherrimi viri gulæ tumorem illum quem quidam herniaarij hozium vocant, velim adesse & Mathematicas & Philosophiam omnem imò etiam linguarum in quibus libri præclari scripti sunt peritiam vt nostra tempestate Græcam. Est modus in hac Tranquillitate: hoc sæpè dixi, non pigebit tamen repetere, in magnitudine, quemadmodum in omnibus aliis rebus mortalibus. Non est vt credunt aliqui vnum indiuiduum Tranquillitas, sed quidam summam habent qui fortes natura sunt & prudentes & vsu exercitati & & eruditi in disciplinis & hanc nouêre rationem & amant eam, his enim sex rationibus si septimam addas summam cognitionem singulorum maxima constat Tranquillitas, quam sequitur vnusquisque adeò vt ausim vix vllum esse hominem qui omnino Tranquillitate careat, nisi omnino efferatæ naturæ atque inquietæ quos facile est dignoscere. Sed vt reor, vix vnus inter mille inuenietur. Id verò ea ratione colligo. Quòd vnusquisque aliquid habeat felicitatis: ac temporis in quo animo quiescat. Atque id ad Tranquillitatem pertinet. *Ci.* At de magnitudine & profunda artium peritia satis dubito, quænam Tranquillitas possit esse in tam obscuris disciplinis, non enim quiescimus cogitantes eclipses conorum & sphæroïdes ac conoïdes atque inuenta Apollonij, Archimedisve, quæ æquare non sine maximis laboribus licet, superare verò non speret. An ergo in ipso limine hærebo, an vsque ad terminos progrediar aut transgredi nitar? similiter & in Philosophia finem vnum facit Aristoteles: alium postulant infinita illius commentaria: accessit noua difficultas illorum qui vlterius progredi ausi sunt, quique nouis principiis innituntur, si finis quæritur vbi non est, vel etiam si sit, meta transgreditur humanæ conditionis & vitæ terminos, quomodo quærendo tum laboriosè & irrita spe Tranquilli esse poterimus? aut si contenti erimus superficiaria illa scientia rerum, & nos ipsos fraudabimus & aliis qui eruditiores erunt, inuidebimus, locúmque dare cogemur. *Er.* Non leuis est hæc dubitatio, sed mediocritas in omnibus non tam est quærenda quàm possidenda: mediocriter eruditus gaudet his quæ possidet, & ad maiora etiam si licet aspirat: nec varium studium illud voluntarium fatigat hominem sed:

Leuiter austerum studio suadente laborem.

Procedit alacris ad summa quæque scandens montis verticem. Nec piget præteriti cursus, nec desperat altius peruenire nec fastidit quod adeptus est iam & habet. *Ci.* Modo si libet postquam hæc explicaueris cœptum sermonem persequi potes. *Er.* Quid melius est quàm vt hunc sermonem tanquam nihil actum esset hucvsque de integro resumamus? Ostendamúsque primum non esse vllam mortalibus felicitatem præter solidam Tranquillitatem. Id verò conatus est declarare Seneca, his rationibus Prima: Beata vita nil aliud est, quàm securitas & perpetua Tranquillitas. Hanc dabit animi magnitudo dabit constantia benè iudicati tenax. At hoc quomodo peruenitur? Si veritas tota perspecta est: si seruatus est in rebus agendis modus, ordo, decor, & innoxia voluntas aut benigna, intenta rationi, nec vnquam ab ista recedens amabilis simul mirabilisque. Denique vt tibi breuiter formulam scribam: Talis animus sapientis viri esse debet, qualis Deum deceat. Quòd si ita est cum Deus, vt dixi, nullo corporeo auxilio, nullóque casus appendice ad fœlicitatem indiget, cur hæc in sapiente requirimus cum illum assimilare Deo volumus? Secunda ratio est quod beata vita atque Tranquillitas est bonum rationalis animæ: At quid stultius est (inquit) quàm bonum rationalis animæ ex irrationalibus nectere? Tertia est quòd Tranquillitas nostra monstrum esse non debet, at si ex animi bonis

corporiſque ac fortunæ ſecundæ caſibus conſtabit, erit monſtrum quale illud Virgilij:

Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo;
Pube tenus, poſtrema immani corpore piſtrix:
Delphinum caudas vtero commiſſa luporum.

Si enim, hæc Tranquillitas animi corporis ac fortunæ donis conſtet, quæ miſtio erit, quæ confuſio? Rurſus Tranquillitas hæc ex repugnantibus conſtitui non debet vt ſic ſi conſletur ex repugnantibus conſtituetur: fortiſſimæ enim rei incertiſſima aſtruetur, ſeueriſſimæ parum ſeria, ſanctiſſimæ intemperans vſque ad indigeſta. Quid ergo inquit, ſi virtutem nihil impeditura eſt bona valetudo & quies & dolorum vacatio non petes illa? Quidni petam non quia bona ſunt. Sed quia ſecundum naturam ſunt, & à bono iudicio ſumuntur. Quod erit in illis tunc bonum? hoc vnum benè eligi. Atque hoc idem eſt veſtis mundæ electio, quia non in re bonum eſt ſed in electione, quia noſtræ honeſtæ ſunt, non ipſa quæ aguntur. Ea ratione ſumpturum me ſi detur electio: & ſanitatem & vires dico. Tùm maximè quia ſi deſint naturalia inſtrumenta & ſi miſer non ſit non tamen ſecundum naturam ſe habet. Prætereà Antipater qui huic dogmati aduerſabatur concedebat ſapientem inter dolores beatum eſſe poſſe, non tamen beatiſſimum: at ſi virtus aduerſus incommodum poteſt efficere ex miſero beatum, quanto magis ex beato beatiſſimum: cum minus ſatis diſtet beatiſſimum à beato, quàm beatus à miſero. Demùm ſicut in Sole lux obtentis nubibus obnubilari poteſt non tamen quin Sol ſit lucidus prohibet, ita externa impedimenta opus prohibere forſan poterunt, mutare eſſentiam, & rei decorem non poſſunt. Ita corporis & fortunæ impedimenta & detrimenta obſcurare quidem poterunt illam animi Tranquillitatem ne extra ad opus exeat & ſe conſpicuam exhibeat, tollere illam non poterunt. Hæc ille tùm alia huiuſmodi plura pulchriora, quàm efficacia argumenta protulit: Et ſi meo iudicio ſit aquieſcendum nec perfectè nec omnino malè. Et poterant forſan hæc ſufficere ſi nec argumentum non fuiſſet omnino paradoxum & non ſolùm ab hominum quodam generali conſenſu exploſum, ſed etiam à ſummis Philoſophis damnatum. Et maximè, vt dixi, à Plutarcho, verùm in huiuſmodi, opus eſt duo obſeruare. Primum, vt exemplis quàm euidentiſſimis hæc doceantur. Secundum, vt rationes ipſæ à primis priuilegiis deducantur: ſed velut Archimedes in vnum concurrant, vt cum cylindrum ſphæræ ſexquialterum oſtendit baſim habent; circulum maiorem, altitudinem verò eandem. Ille enim mille coëgit in vnum vt ita dicam conſpirantes rationes. Supponamus igitur primùm quòd animi ſunt bona & mala, quoniam principalia ad principalia referuntur. Animus, res noſtra principalis eſt, & omnia ad illum palàm referuntur. Neque enim diuitiæ vel honores, vel ſanitas aliquid ſunt niſi incolumi animo & ad illum omnia referuntur. At bona & mala ſunt principalia ad quæ omnia quæ ad nos pertinent reducuntur: Non ergo malum aut bonum principaliter & per ſe primò de alio dicuntur quàm de animo. At corporibus quædam ſecundum naturam accidere palàm eſt, velut ſanitatem, pulchritudinem, quædam præter naturam, ſeu non ſecundum naturam, velut candida fieri, vel rubra, plena quædam præter naturam vt dolere & ægrotare. Animæ ergo nihil contingit, neque ſecundum naturam, neque contra naturam, ſed multa non ſecundùm naturam: vt ſcientia, opinio, obliuio, velle, nolle, virtus vitium, idque manifeſtum eſt. Nihil autem contra naturam, nam contrarium non habet. Et ſi maximè eſſet obliuio eſſet & ſtultitia: at iſta ſunt corporis non animæ: nemo enim adeò deſipit qui curato corpore non ſtatim reſtituatur. Anima autem ſi læſa eſſet, neceſſe eſſet reſipiſcentes paulatim reſtitui. Sin autem non eſſet fortuna corporis, quomodo ipſam poteſt lædi. Nullum vnquam indicium potuit deprehendi animæ læſæ: quod ſi anima non eſt læſa, non contingit ei quicquam præter naturam, quare neque ſecundum naturam. Quis enim ambire poteſt quòd ſi non contra naturam quicquam animæ accidere poteſt, quòd neque ſecundum naturam? vbi enim ſecundum naturam quicquam accedit, ſi remoueatur palàm eſt contra naturam remoueri. Si amare ſecundum naturam dici poſſet, odiſſe præter naturam eſſet. Solum ergo quæ non ſunt ſecundum naturam accedunt ei quæ bona vel mala dicuntur. Quæ verò corpori contra naturam accidunt, non poſſunt eſſe mala: nam neque in omni ſunt principali parte: neque in eodem genere, id eſt, eorum quæ ſunt, non ſecundum naturam, ſed contra naturam. Si igitur morbus & dolor non ſunt mala, nec ſanitas, nec corporea voluptas bona ſunt: Sed hæc vocantur naturalia, illa contra naturam. At Fortunæ caſus per ſe quidem omnino nec ſunt bona nec mala, nec ſecundum naturam, nec præter naturam, aut contra naturam: vt verò ad corpus comparantur eiuſque medio ad animam non ſecundum naturam dicuntur, nec ſimpliciter, ſiquidem hæc corporis accidentibus conueniunt, ſed ſecundaria: non enim ad animum perueniunt niſi per corpus ipſum: nam diuitiæ, honores, gloria amici non niſi benefaciendo corpori animum iuuant. Et animus dolet, quoniam ſuppetias ablatas corporis cernit. Sunt ergo in animo bona malaque: In corpore facultas & defectio, in fortunæ caſibus ſuppetiæ & impedimenta. Rurſus in anima tria ſunt eſſentia Tranquillitatis, quæ nihil aliud exigit quàm ipſam bona: operatio prima, &

est iucunditas præcepta ex Tranquillitate & bonis ipsis: Et operatio corporis similis animi affectui. Hanc ergo posse impediri à magnis corporis læsionibus haud dubium est, quanquam referant illum qui interfecit Asdrubalem inter tormenta semper retinuisse vultus lætitiam. Georgium Cellam Nouariensem & Hieronymum Sauonarolam, dum viui cremarentur, tum alium Hieronymum de Praga cecinisse vsque ad vitæ finem. Sed mirabiliora referuntur de Petro Cubiculario Diocletiani & duobus Anthiochenis fratribus, vt iam ob multitudinem, miraculum desierit admiratione esse dignum: nihilominus ipsum opus ne corpore perficiatur intercipi potest: quamvis magno non sine illius detrimento eo fieri possit. Et pauci tamen huiusmodi superare queunt. Ergo hoc ipsum plerunque ne mirabilibus mea oratio constet, solet etiam turbari fortunæ casibus, vt cum inops sollicitus est vt victum quæritet: ita primam operationem ac quasi illustrationem corporis detrimenta cum magna fuerint & insanabilia impedire solent. Iam verò essentia Tranquillitatis, non magis ab animo auferre possunt quàm nebulæ lucem à Sole. Huiusmodi ergo sermones non probabiles sunt apud eos qui rectè quæ dicuntur intelligunt, cum enim tria sint in anima Tranquillitatis essentia: fructus Tranquillitatis & est operatio illius prima, & operatio quæ extra progreditur: Maximi fortunæ casus possunt hoc vltimũ impedire non fructum Tranquillitatis. At filiorum luctus & corporis morbi cumque doloribus iuncta, decus & iniuria & fructum prohibere possunt, non essentiam tollere. Vt autem hæc multis indiciis comprobem, audite. Primum si quæ obfuerunt, tollantur, statim fructus Tranquillitatis redit. Hoc manifestum est indicium illam non sublatam neque extinctam, sed obfuscatam. Rursus quoniam videmus in quibusdam etiam vtranque operationem innuere vt in exemplis diximus cum tamen acerbissimis cruciatibus premerentur & ad mortem vsque, quam effugere non poterant nec aberat summa iniuria cum dedecore. Confirmat & hoc vox ipsa Epicuri morientis quanquam is alienum dogma sequeretur cum ageremus vitæ supremum diem tanta est vis morbi, subiicit, consolatur me tamen recordatio tot inuentorum. Quid si ea hora virtus & eruditio sine deorum auxilio poterat solari sentinam spurcitiæ inter tormenta calculi, quid in optimo viro cum desit periculum vitæ etiam si mirum in modum discrucietur? Nonne pudet cedere constantia ac patientia viro, omni muliere molliori? Nonne piget fateri morbos Tranquillitatē animi cum iam coaluerit tollere posse. Qui nam grauior aut multiplicior aut insanabilior morbus est senecta ipsa? At quot viri adhuc viuunt vt omittam Catones illos Varrones, Gorgias, Socrates, Democritos qui in summa senecta tranquillissimè degunt? In summa si iniuria mortem, luctum, & vincula tollas, nil mihi videtur, quod non solum Tranquillitatem, sed nec illius vltimum fructum impedire possit. Sed nec iniuriam inter hæc commemorandam censeo si ira defuerit, si adest, nec sine iniuria tranquillus esse poterit. Neque etiam verissimile est Tranquillitatem tolli posse simul cum fructu, sed primum excuti fructum inde ipsa: at fructum palàm videmus quàm difficulter excutiatur in constanti viro adeò vt non nisi multis, ac magis malis cedat, vnde in Iobo, neque rupit Tranquillitatem mortuis filiis, dirutâ domo, cæsis seruis, ablatis ouibus, bobus, atque camelis. Sed nec percussus fœdis vlceribus à capite vsque ad pedes sed respondit quiritanti vxori, si bona suscepimus de manu domini, mala cur non sustinebimus. Sed tandem post dolores extremos patientiam rupit, fregit Tranquillitatem. Quis similis huic & quam rarum exemplum? Sic credidit quod cum Tranquillitas in excelso animi vertice posita sit, non potest frangi humilibus partibus deturbatis nisi idem sentiamus esse animum & corpus, quòd si ita sit cur à leuibus & mediocribus calamitatibus, Tranquillitas non interrumpitur ne tantillum quidem, à maximis verò euertitur. At hoc quidem euenit, quoniam essentia ipsa Tranquillitatis indiuidua est quoquo modo, operatio nequaquam. Quin etiam temporis progressu cum in plerisque manente causa, quæ illam euertit luctu, amissione pecuniæ, iniuria, ac huiusmodi ipsam resurgat, indicio est non periisse, non corruptam esse, sed obfuscatam, concussam, impeditam. Neque enim alia bona accesserunt ex quibus denuò gigneretur manserat in anima, sed prohibita est ad tempus, velut arbor aquæ inopiâ, vel frigore obsessa fructum suum præstare. Demùm & illud ad hoc facit quòd cum Deus his omnibus succurrerit quæ ratione carent ignorantia malorum cur non etiam hominibus non solum idem quidque melius præstare debuit qua se à tot miseriis redimerent. Atque id velut felicitatem externam in Regibus, ita internam in sapientibus ac religiosis viris. Quocirca vnunquemque par est sufficere sibi ipsi, & vt tueatur Tranquillitatem, idoneum esse. Hunc verò illo magis & naturâ, & consuetudine, & educatione & vacuitate impedimentorum. Sed & ob id (quod iam prius promiseram declarare, omisique ex industria) diuino auxilio solidaque pietate, opus est, cum calamitates vniuersim affluxerint: & vt in tempestatibus venti assidui concusserint, non Tranquillitatis fundamenta: neque enim bona per se conuelli possunt, neque ipsum animum, qui tangi non potest, neque ipsam dulcedinem securitatis, quæ vt radius quidam ictum non recipit, sed amicum animæ labefactat (corpus scilicet) ob cuius vinculum aliquando contingit etiã fructum intercipi Tranquillitatis. Nam essentiam, vt dixi dirui nunquã concesserim, videmus enim eos qui minimè auari sunt Tranquillos manere etiam si bonis euertantur: alios honoris contemptores ex repulsa, non dolere: velut Spartanus ille, qui gaudebat trecentos Spartæ viros se meliores inuentos cum in illorum numerum ascitus non esset: alij morbis, alij luctu,

luctu, alij vxoris impudicitiâ, alij iniuriâ non rumpunt Tranquillitatem. Causa? causa nulla alia esse potest, nisi quod eâ parte, anima sit vitio ei opposita virtute armata: si igitur ita est, haud dubium est illum qui omnimoda & excellenti virtute munitus fuerit quacunque calamitate attingatur non deiectum iri è sede Tranquillitatis. Quid ergo est quod amplius dubitetis Tranquillitatis nullam partem esse corporis incolumitatem aut secundã fortunam, nec ad illã vlla ex parte pertinere. Sed si auxilium pietatis accesserit etiam mortis metum deponemus: & quæcunque intolerabilia hominibus videntur, feremus. Nec est quòd semper miraculum aliquod expectemus à Deo, immittit ille auxilia occultè per animum illi inspirans quæcunque fuerint opportuna, vt maxima pars virtutis ac sapientiæ nostræ, imo vtraque earum ex Deo ipso, quasi per occultas vias nobis insinuetur. Ergo ordo hic ita se habet vt primum disciplinas condiscamus, tùm etiam virtutes, atque eas ita assiduè exerceamus vt & promptè & cum voluptate illas tractemus, sic & pietatem ipsam. Demùm vbi sic profecerimus vt nobis ipsis imperare didicerimus nebulamque vitiorum ac perturbationum prorsus ex animo eluerimus: tum demùm intelligere oportet qualem fructum ex hoc capere possimus: ac intelligere nos Tranquillitatis esse possessores. Demùm vbi & hoc obtinuerimus voluptatem etiã capiemus ex hac ipsa possessione eousque vt securè, iucundéque viuamus. Quòd si quid euenerit sinistri immoto animo & iam retinentes arctè complexique quæ habemus vera bona, tanquam nostra, curabimus vt detrimenta illa sarciamus, impedimenta remoueamus non vt nostra neque ad nos pertinentia, sed veluti Procuratores aliorum negotiorum. Ipsa verò virtus dux erit egregius ad tractanda opera, & nos diriget ad meliorem oportunioremque viam tollendi quæ obsunt & iucundum efficiet laborem, vt qui à virtute proficiscatur & si res malè cædat inconcussam seruabit Tranquillitatem, se benè duplici iucunditate fruetur, & quod virtute ac sapientiâ te munitus sis, & quòd ipsa etiam profeceris. Vt non sit iucunditas in possessione commodi vel ornamenti. Nam in amissione esset etiam dolor & vtrunque etiam Tranquillitatem inperturbaret: sed quod virtute id tibi parauerit quod magnifaciunt homines. Est verò id, ac si quis puerorum ludo dum nucibus certâ arte quadam collimet & vincat, ipsum, quod vincit nihil est, collimasse, etiam, & gloriam in eo ludo comparasse apud pueros nihil est rursus, at exercuisse artem rectè id voluptatem affert. Ludus ergo occasionem experiendi dedit. *Ci.* At hic multum dubito, quod si non collimet ergo tristabitur, frangetque Tranquillitatem. *Er.* Non: nam exemplum ad vnguem rei non conuenit primum: quia in nucibus poterit non collimare, at operatio secundum virtutem non aberrat, quod & si velut flante vento nuces non attingeret, nihilominus integrè se actum virtutis aut disciplinæ exercuisse. effectum non successisse impedimento fortunæ. Alia causa est quòd eiusmodi actiones quæ ex disciplina sunt, voluptatem afferunt dolore vacuam: non enim musicus vt esuriens, si comedat voluptate fruitur, si non comedat discruciatur dolore: Et qui ludit si vincit gaudet, si vincitur tristatur, quin imò quædam in vtramque sortem malè cadunt vt pruritus qui & scabendo & non scabendo molestiam affert. Nam musicus si peritus est, si benè canat delectatur, si malè ob sociorum imperitiam etiam gaudet, quia videt quantum alios excellat. Itaque peritum esse oportet. *Ci.* Sed si hæc voluptas bona est quoniam contrario caret, etiam sensus ipsi ad Tranquillitatem pertinebunt? Carent enim & ipsi tristitia. *Er.* Voluptas ipsa bonum non est. *Ci.* Fateor sed sensus ipse seu sentiendi actus cum voluptatem pariat, bonum erit & tanto maius scientia quanto voluptas quæ ex visu capitur, maior est quàm quæ ex scientiâ: habet enim duplex commodum & voluptatem ex ipso aspectu, & ex aspectu cognitionem. Deinde si carere visu tristius est quàm carere scientia, visus certè præstantius bonum erit ipsâ scientiâ. *Er.* Difficilem nodum attigisti, & vt video qui solùm reliquus sit experiar tamen quantum licebit per vires meas illud ascendere, scilicet quare sentire non ad Tranquillitatem pertineat. Id autem non respondebo quod sensus à validis sensilibus offendatur, nam & in intellectu Archimedicorũ inuentorum aut Apollonij quantus est labor, & longè durior quàm ille, & sanè frequentior. Sed ob id est discrimen quòd sensuum exteriorum notitia exiguam affert voluptatem per se sola, nisi ad memoriam & interiores vires referatur. At illarum operatio ad scientiam atque cognitionem pertinet quæ scientiæ proxima est: nam per scientiam hic intelligi volo cognitionem omnem quæ nobis propria est, nec cum belluis communis velut cogitatio & ratio & intellectus & mens atque memoria tum imaginandi vis, nam cum reliquæ omnes præter has duas propriæ sint homini, etiam hæ duæ in nobis licet idem sortiantur nomen tantum tamen ab his quæ in belluis sunt cognatæ differunt vt aliæ ipsæ omnino videantur & sint. *Ph.* His dictis cœnam parauimus & equos curauimus inde discubuimus.

Ph. Postera die cum adhuc dormiret Eremita quippe non quietè vt visum est nobis eam noctem tulit: Ciuis inquit, nescio quem hodie sit habiturus sermonem hospes hic noster: nam si de Tranquillitate verba facturus est videtur his proximis duobus diebus omnia attigisse. Sed interim sine strepitu surgamus: surreximúsque multò post autem senex. Interim verò cum nos laborem illi leuassemus domumculam egredientes ad montem qui à dextra erat ascendimus, dicebat enim ille:

De mane montes, de sero visita fontes.

Tùm cœpit de Tranquillitate alios ac nouos serere sermones dicens. *Er.* Heri

tractaui

tractauimus de Tranquillitate generaliter: Hodie verò de illius vtilitate, tùm specialiter dicendum erit, quomodo in vnoquoque genere habeatur. Nihil enim in humanis ea ipsa vtilis esse constat: & primo ad iucunditatem animi summamque voluptatem. Quiescit homo, & contemplatur Deum diuinaque tùm etiam artes atque disciplinas colit, parsque est diuinæ vitæ vita verè Sapientis. Vnde etiam vita producitur paucique non ad extremam perueniunt senectam. Indicio sunt Philosophi atque Eremitæ quorum perbreuis vita est octuaginta annorum, cum plurimi ex his centum excesserint Gorgias, Democritus, Epimenides, Seneca, Paccomius & Antonius Abbates, tùm Romualdus, Rauenates Ioannes & Moses Eremitæ. Proximi illi B. Hieronymus, Zeno, Myson, Theophrastus, Epicharmus, Protagoras Pyrrho aliique innumeri. Et ex Romanis, Varro: ex Græcis oratoribus, Socrates. Tertium commodum est vberior Sapientia non solum ex longiore studio quæsita sed Tranquilliore animo. Vnde etiam illud:

Carmina proueniunt animo deducta sereno.

Nostris temporibus Marsilius Ficinus in studiis literarum consenuit prope ad centesimū annum idem multa vertit nobiliora opera è Græco in Latinum: sed Nicolaus Leonicinus, vt aiunt, centesimum decimum superauit in eisdem laboribus an delitiis non dico. Inde ex multiplici doctrina atque disciplina rectè omnium administratis opes, aliaque commoda: Et ex his rursus opinio bona apud populum amici, potentia, cæteraque huiusmodi. Adeò vt si rectè consideretis etiam apud illos qui Philosophiam negligunt, melius sit Tranquillum esse cum censu exiguo, quàm turbulenta cum vita, immensisque opibus. Sed iam hæc dimittamus & de singulis Tranquillitatis modis specialiter agamus initio à causis iræ sumpto. Sunt autem iniuriæ, iniurias ergo per genera singula distinguemus. Nam de ira quæ vitium est iracundorum hîc agere stultum est enim iugulare mortuos. Quid enim aliud est ira huiusmodi quàm furor, sed breuis non perpetuus. Propterea non est de huiusmodi agendum: sed eorum munus, qui modò aliquid dicant omnia benè dicta esse putant. Narrat Seneca de tot iracundis: quid ineptius sunt iracundi stulti & feri homines, si de singulis agere uoluero amittam vt dici solet operam & oleum. Deinde illos alloqui non nos ipsos tales oporteret, cum tales esse non credam, vt sine causa irascamini. Imò nec vltra id quod par est etiam si cum causa. Dico igitur ab animo iram omnem ex quavis causa quantumvis magna explodendam esse sapienti viro. Idque si ostendero salutare iucundum, honestum, ac exemplo magnorum virorum tum generali ratione, non dubitabitis sapientem irasci non oportere, sed etiam facile fore hoc quod tamen difficile creditur. Porrò cum hoc & iratum se ostendere & vlcisci malos & tollere causas irarum non absurdum esse Duco. Hoc enim solum contendo non irasci debere hominem: neque plus iusto animaduertere in delinquentes: tertium nec vlcisci omnino quod iam acceptum est quatenus illata est iniuria sed vel quatenus omnes malos odisse expedit vel ne aperias aliis viam inferendi ex contemptu nouam iniuriam. Frequens enim illud circumfertur:

Veterem ferendo iniuriam, irritas nouam.

Iam ergo vt summatim in rem colligamus, quædam sunt quæ dicenda viderentur & non dicemus velut non esse irascendum absque causa, neque vltra metam iniuriæ. At hæc, vt dixi, tanquam aperta & per se nota prætermittam. Sed & id, non esse vllo modo irascendum nunquam id facilè docebitur: quomodo autem maiore labore opus erit. Tertium non sumendas pœnas vltra metam acceptæ iniuriæ. Quartum non vlcisendas iniurias modo. Id verò, vt paradoxum pluribus indiget. Quintum, vlciscendos malos atque arcendum contemptum. Sextum, quomodo quis odisse malos cum summa animi Tranquillitate possit: si quidem omnium neque in Deos cadit, neque sine perturbatione esse videtur. Demùm & illud adiicere necessariū est iræ simulationem oportunam esse. Et quomodo liceat sapienti & Tranquillo viro perturbationem fingere: atque hæc omnia: antequam de iræ singulis causis seu speciebus aggrediantur. Adiiciemus & illud iracundorum vt etiam stultorum imò magis tùm eorum qui iniuriæ inferendæ sunt assueti consuetudinem vitandam esse. Itaque iram semper esse inutilem facilè ostendere possum ex hoc quòd fœda sit, inutilis, hominem de mente deiiciat, vnde inimici & improbi & æmuli cōcertatores suos, consulto ad illā irritant, vt eos de consilio de menteque deturbent ac impellant ad furorē, maledicta, & absurda, vnde infamiam & periculum illis asciscant. Hoc ipso solum quàm mala sit ira cognoscere potestis quod qui vobis malè volunt conatur vos ad eam prouocare. Sed & Tranquillitatem animi summum, vt dixi, bonum abrumpere. Præterea inutilis, prorsus est, quòd omnia quæ irati benè facimus si quid omnino irati benefacere possunt, non iratus facere possit ac melius. Est ira contraria ad vnguem Tranquillitati. Etenim est animi motus, Tranquillitas autem quies. Propterea par erat vt post tractationem de Tranquillitate, de ira loqueremur? non solū vt de contrario, sed & vt de principali causa quæ Tranquillitatem abrumpit. Ira præterea vitam breuiat & morbos generat. Iurare possum, dum essem extra Eremum, vidisse plures homines qui ex ira in acutas febres inciderunt, ac exinde periere. Inter quos Herculanus, Buzacarenus in Saccensi opido Ioan. Angelus Siluaticus Senator regius Mediolani, Quæstor Bussi. Hi omnes ex ira confestim in morbos inciderunt ex quibus breui periere. Nota est Syllæ mors, & quomodo ex ira originem contraxerit. Quid referam eos, qui

ſibi ex ira mortem conſciuerunt Marci vt Sabinus Romæ poſt Humam, Gualterius comes ſeu antiquo more regulus Brenenſis. Quæ ſtultè autem facta, dictaque ſint monſtroſæ ſæuitiæ exempla, tùm alia ridicula non eſt vt commemorem. Fœda eſt ira quæ vultum toruum, oculos rubicundos efficit, buccas inflat, titubantem greſſu, nec ſi conſiſtat firmum eſſe patitur: ſaliuam inſtar apri effundit. Nil turpius irato homine: atque hoc ipſo deteſtabilius ſtulto & ad immania facinora promptior habetur. Infœlix ſemper eſt iracundus etiam ſi diutius illi ſecunda fortuna aſpiret. Sylla breui felicitate vſus quam ei fortuna, iam Populum Romanum peroſa præſtitit, tandem amens ſceleribus dictaturam depoſuit, obiit, vt dixit, irâ: Fauſtus eius filius vnicus à Cæſare, cui tamen pepercerat extinctus eſt. Hæc Sapientibus mentem, Magiſtratibus auctoritatem, Regibus regnum, amicos, filios, vxores, & quicquid chariſſimum eſt, vt etiam vitam eripit. Quid deteſtabilibus ira, quod maius argumentum contra illam eſt quàm quod ſoli irati ſua facta damnant, libidinoſi libidine ſuâ gaudent, auari opibus, proditores proditione, inuidi malefactis, Ganeones venis, ſoli irati vitio vitioſè facta excuſant. In Deos ira non cadit cur in ſapientem cadere debetur? Sola etiam inter animi vitia, ira procreat morbos ob fraudem, inuidiam, luxuriam, iniuſtitiam nemo ægrotat: conceptâ irâ ægrotant plurimi. *Ci.* At iram quandoque laudant non tam, vt vtilem, quàm vt neceſſariam, Primum quidem in bello, vbi niſi irati ſint milites in fugam facilè proripiunt ſe. Et ideò illlud dici ſolet:

---*Furor arma miniſtrat.*

Quia gentes quæ maximè bello valuerunt velut Germani, Scythæ, Parthi & noſtra ætate Turcæ omnes admodum ſunt iracundi: Et generoſa animalia, Leo & Aquila, & inter canes quicunque ſunt generoſiores iracundi ſunt. Et hominum qui rebus geſtis in bello inclaruerunt vt Alexander magnus, Hercules Aiax Telamonius & Achilles iracundi omnes fuêre. Quoties iraſcitur apud Homerum furit minatur: Iracundus & Hector eſt: Ita tot inclytorum virorum ira fuerit, vt pro virtute habeatur. Et celebres Imperatores quoties dimicandum erat ad vnum ex duobus confugiebant, aut vt iniurias ab hoſtibus acceptas commemorarent, aut neceſſitatem: vt cum pro filiis, vxoribus, parentibus, patria vel pro ſeipſis, quòd loco anguſto concluſi eſſent, pugnandū foret. Aliquando etiam contulit ſed hoc non vbi diſcrimen eſt magnum, adduxiſſe victorias partas, hoſtium ignauiam, ſæpè ſuperatos. Huiuſmodi & ſi non omnia Seneca contra ſeipſum adducit ſed non diſſoluit nodum, hac tamen parte agendæ ſunt illi gratiæ, quod non diſſimulauerit, malueritque indiſcuſſa manere quàm præterire. Ergo irā ſic probant aliqui, quaſi eadem ſit ratio vitiorum, atque virtutum, bellorum in quibus flagitia pro pietate habentur & pacis. Viuentium alieno ac proprio commodo. Quis enim neſcit milites maximè pedites ſtultos planè eſſe? qui triginta drachmis argenteis cubant ſuper terram, hyeme, etiam loco madido & ſub dio: æſtate in puluere & ſub Sole, ſine cibo ſæpè, aliquando etiam ſine potu, eâ lege, vt occidant ſine lucro, aut occidantur: ingrati diis & hominibus: ſine virtute, ſine pudore, ſine vllo commodo, ſine ſpe vlla boni, ad arbitrium ducis vt occidantur, vel nullâ vel quàm minimâ cauſa. Vbi quod ab omnibus aliis fugiendum eſt in illis pro virtute habetur ſtultitia, ira, ſordes, fames, ſitis, illuuies, vigiliæ, ardores, gelu, puluis, cœnum. Contra omnia quæ aliis probantur, in illis vt vitia arguuntur: Pietas, munditles, commoda, fides, iuſtitia, honeſtum, decus, ſuppellex, lectus, prudentia. Sola fortitudo communis eſſe videtur: Sed nec fortis miles laudatur, temerarius exigitur, qui nullo commodo nullâ cauſâ ſe certæ morti exponat. Et vbi arcem defendit moriendum ſit omnino: ſi pertinaciter & vſque ad eſum ſolearum & humanæ carnis illam tutatus fuerit ab hoſtibus: ſeu deditionem quàvis conditione fecerit à ducibus ſuis. Itaque amentis fuerit hæc ſcribere illis qui non ſunt neque partes humani generis neque regnorum ſed miniſtri. Cur hæc non ſcribimus, equis dico? reſpondebitur quia non intelligunt, neque legent iſta: at nec hi. Reliquum ſanè humani generis propter quod iſti ſanguinem vilem profundunt nec corporis nec animæ, nec Deorum, nec filiorum, nec honoris vllo habito reſpectu, qui minimâ mercede, quam nec conſequuntur, ſeu clade preuenti, ſeu pace factâ ſecuriſque ducibus, ſeu iam partâ victoriâ, dico duces ipſos, artifices, ſacerdotes, nobiles, mercatores, Magiſtratus, Sapientes, & ad ſeruos ipſos vſque his præceptis Tranquillitatem fugiet, domabit iram, vitam ducet piam atque honeſtam. Itaque non eſt admiratione dignum ſi viri, ſi belluæ præferoces ſint etiam iracundæ: ſed præſtat in ducibus prudentia iracundiæ. Solúſque Alexander cum hoc vitio adeptus eſt imperium vniuerſi, atque ob id omnes fortunæ quod acquiſierit merito tribuunt, præter Plutarchum, qui eum virtute & peperiſſe imperium dicit, & ornaſſe. Non tamen audet iram in illo probare verùm quando nullum alium felicem: inuenimus ex huiuſmodi viris, vt nec Philippum qui iecit Regni fundamenta, non Themiſtoclem, aut Cimonem, vel Miltiadem, vel Scipionem, vel C. Cæſarem vel Auguſtum multo minus nec Traianum contra verò M. Antonium, & Syllam exitum habuiſſe infelicem quemadmodum & Marium, liquet non ob id defendi poſſe iram, in præſtanti Duce, nedum laudari: vitia ergo idonea ſunt ſceleribus deceptio in alea, fraus in libidine, rapina in latrone: an ob id ergo vitia probabimus aut defendemus? *Ci.* vnum ſupereſt Duci, cui ſit pugnandum eſt natura timido proderit ira, acuit enim animos & fortes reddit (vt inquit Ariſtoteles.) Et confidentiam in Rhetoricis addere teſtatur?

robur

robur quoque in pugna addere iram testatur omnes & experimentum adeò docet vt alieno testimonio non indigeamus. Ira quoque medela est tristitiæ, quod à paucis animaduersum est quoniam spem addit ad vltionem, quæ spes non solum tristitiam lenit sed voluptatem affert, vt ille idem refert *Er*: haut sapienter pugnaturo Duci commendauerit iram, victus est Terentius Varro peneque Romanam rem funditùs euertit: Quid Fabius nonne ab Annibale victoriam extorsit partam iam fermè iracundi magistri equitum errore. Itaque desine in Duce iram quærere, vt fortitudinem addat. An quiuis tam abiecto animo Dux esse potest vt cum hostibus metu mortis congredi audeat. Si dux est electione qualis electio: si hæreditario iure nonne substitues aptum bello an vt C. Caligula, nedum viso hoste fugiet. Quid cum tali Imperatore sperandum est si iratus pugnare audeat. In Monomachia etiam nihil hoc auxilio ineptius. Forsan si pugnatum sit pugnis, vtilis erit, itaque ne iram vlla ex parte vtilem, aut commodam esse ducas. Quinimo ibi inutilior vbi commodior esse deberet, quare si placet iam de vltione dicamus.

Ci. Magnum hoc audire aueo paradoxum, nec rem mediocrem facturum te existimo si ostenderis nunquam vlciscendam iniuriam. Nam de ira quamvis non credidissem adeò exactè, eam elidi posse, sciebam tamen iram rem malam esse & turpem, & irrisam a sapientibus, ac vulgo. *Er*: sed audi cum ira multiplex sit, alia quidem quæ repentina est & acuta sed statim desinit, cuiusmodi erat Aldi Cardani secundi patruelis Hieronymi Cardani amici nostri, qui è mensa proiiciebat lances & vrceos, statimque desinebat innoxia, modò primum impetum deuitaret aliquis: & hæc à flaua bile, eademque tenui fit: alia amarulenta quæ viris potētibus est familiaris diuque seruatur à melancholia exusta: tertia qui acerba non sedatur nisi effuso sanguine, peculiaris viris militaribus ac his, qui latronum moribus præditi sunt à flaua exusta bile, constat cum omnes præter naturam sint, cum magis eam quæ acerba appellatur. Quamobrem vltio omnis etiam præter naturam est, quam Dij ipsi omittunt. Aut enim non possunt quod vix verisimile est, & tamen si non possunt & beati nihilominus sunt nihil ad felicitatem contulerit posse vlcisci, quanto minus vlcisci. Quòd si possunt & negligunt multo minus vltio conuenit sapienti. Præterea vltio vel in superiores & æquales est exercenda & tam periculosa est & difficilis, & magnis laboribus, ac dispendio indiget: vel erga minores & imbecilliores, tumque negligenda est: probaturque vox illa regia, sufficiat posse vlcisci, vnde Aristoteles Alexandrum ab vltione dehortari volens scripsit ad illum, vlcisci conuenit ô rex meliores & potentiores: at tu cum optimus sis nec quisquam alius te melior aut potentior, quid est vt velis vlcisci quemquam? Accedit quod vltio vel vtilis esse debet, vel iucunda nobis, vel quia bonum sit nocuisse inimico: non hoc nisi ille malus sit bono enim nocuisse malum est: vel quia nobis bonum sit: nec hoc quidem quod cum plurimo periculo & iactura fit: vel quia iucundum, atquanto iucundius ac diuinius fuerit neglexisse ac contempsisse? Adde multa quæ intercidunt ne vlciscaris non accepta iniuria quod Regibus & Imperatoribus sæpè accidit ob calumniam: maximè iracundis & stupidis vt Caligulæ, & Claudio, contigit & Augusto. Ne vnum pro alio affligas nominis similitudine vel falsa accusatione deceptus. Ne ille causam iustam facti habuerit. Tempus quoque ipsum multos vlciscitur & grauius quàm inimicus possit facere, & sine periculo. Alios ad pœnitentiam facti redigit & compensationem vberiorem damni: Adde quòd perturbationum Victorem esse posse è numero immortalium Deorum, esse etiam Epicureorum ex opinione vnde lucretius:

Hæc igitur qui cuncta subegerit, ex animoque
Expulerit dictis non armis, nonne decebit,
Hunc hominem diuum numero dignarier esse.

Ci. Mira narras, sed tamen facilius est dicere, quam talia facere. Homo etiam contemnetur ab omnibus: idque etiam est vim sibi ipsi inferre. Adducunt & illud: Iram non habere à veteribus, perinde dictum videbatur, ac si quis dixisset mente carere. Ira legum præsidi necessaria, ciuitatum moderatoribus per accommodata. Aufer à Rege iram, iam non imperio rebelles experietur popularium animos, sed & momento de principatu periclitabitur. Imo verò & cuiuis hunc eripe affectum, cui non fuerit contemtibilis? à quo non circumscribetur, expilabitur, protruderturque. Est apud Gellium Taurus vt appetitus hic vlciscendi si sæuior fuerit ira dicitur, ita eius priuatio inutilis, sed mediocritas probanda est. Ita non grauem esse iram quæ migrare mentem faciat, sed quæ è domo excludat. Et Cicero ad Quintum fratrem: omnino non irasci, non solum est grauitatis, sed nonnumquam etiam lentitudinis. Doleque nimis patientem fuisse. *Er*: Ridiculi sunt hi autores & quales fuerint oratorum mores in Antigorgia perpulchrè declarat. H. Cardanus: At enim si ira & vltionis desiderium perturbationes sunt non magis animo sanus existimare debet, qui leuiter afficitur ira, quàm corpore qui leuiter febricitat. Vituperabo grauem febrem, leuem laudabo, vitiosum vtrumque & damnosum irasci & vlcisci, quàm leuissimè fiat semper damnosum & vitiosum. Imò adeò malum, vt dum appetimus minimum dum efferuescimus vt dictum est non solum febres ex opinione medicorum, sed bilis vomitus alliciat oris amaritudinem, erysipelata, herpetas, carbunculos, inflammationes, phygerla, capitisque dolores:

Ci. Non equidem effugiam, veniam quocunque vocetis. Aristoteles in Moralibus censet iræ motum naturalem maximè esse, sique congruum accipiat finem ac electionem, futuram fortitudinem veram, vel

fortitudinis operationem. Est enim appetitus natura procliuis, vt sese rationi obsequentem præstet, etiam si non rationalis per essentiam. Proinde ex ira produci affectus valet à ratione conformatus compositusve, si vacuus fuerit ab ira, vacuus erit ab efficacia, ab indignatione erga malos & ingratos. Nonne Dauid dixit? Domine ne in furore tuo, neque in ira tua corripias me. Quod poëta egregius & carmine comprehendit dicens.

Ne quæso Domine me tuus furor opprimat:
Neue ira sæuiat tua.
Sed qui pater mihi es, paterna filium.
Seueritate punias.

Quis dubitat Homerum patriæ iratum, ex qua esset vrbe noluisse prodere! vt sic acceptam iniuriam vlcisceretur. Neque enim secus poterat cum esset pauperrimus: & mēdicando victum sibi pararet cum etiam esset cæcus vt ex nominis significatu apparet. At non tam certum est fuisse cæcum nec mendicum verisimile quam odio patriæ, vnde oriundus esset, siluisse. Vt neque Plotinum quem existimo eadem causâ vnde natus esset non prodidisse. Tantam verò fuisse de seipsis confidentiam, vt plures concertaturi essent de hoc. Quod etiam in Plinio naturalis historiæ autore euenit. *Er.* Disquiramus singula, ab ira iuuari potest fortitudo; non negarim: sed, vt dixi, in milite mercenario nullius aut improbi vsus. Si vacuus fueris ab ira nolo tamen te non odisse prauos atque improbos velut hostes humani generis & impios. Quid enim aliud est improbus quàm hostis publicus hominum aut Deorum. Hunc ergo non potero non odisse. *Ci.* At si oderis etiam vlcisci conuenit: vltio igitur bona est, & laudabilis. *Er.* Est de huiusmodi viris sumpta, non enim esset iustitia in iudicibus bona, sed quomodo licebit imperturbato animo odisse quenquam, atque eo magis vlcisci volo enim vt vlciscaris non quia hostem, sed velut humani generis aut deorum inimicum, aut vt tua redimas pecuniam, vel honores, si potes aut saltem existimationem. Decet enim primum magistratus istiusmodi viros castigare, plectereque, & cogere, vt quod eripuerunt, restituant: illis verò, quibus adempta sunt, reddantur si fieri potest quæ sunt ablata non nego. Et hoc tam in inimicis, quàm omnibus aliis. *Ci.* Cur ergo non in aliis id facere conuenit? nec si priuatæ conditionis fueris? *Er.* Quoniam leges ad hoc magistratus & iudicia constituerunt. At vbi iniuriam passus es, cum duo sint quæ necessaria sunt vt nocens puniatur, Quod iudex animaduertat atque hoc in omnes malos licet quod etiam in vsu est: & quod deferatur nomen ad iudicem. Hoc causam aliquam honestam habere debet: ea est illata iniuria seu accepta, ab accusatore. Hanc ergo vt pœnam exigat cum duplex actio requiratur, prima etiam licet vna videatur duplex, est deferre, & honestè deferre: deferimus itaque, quia improbus: sed honestè deferre licet, quia inimicus quia nos læsit. *Ci.* At quomodo & odisse, & detulisse, & perseuerasse in accusatione sine vlla animi perturbatione licebit. *Er.* Dixi ad tranquillitatem nihil melius esse immò optimam fore solitudinem, quod proximum est locum eligere vbi plurimũ valeat iustitia apud iudices. Et ob hoc nemini licere sibi vltionem sumere, quòd mali exempli res primum sit: & serat odia sempiterna inter familias & leges contemnantur, & publica tranquillitas quæ vel in magistratibus consistit, vel ab illis maximè defenditur, perturbetur. At odiũ & amor naturalia sunt & nobis insita: vt nihil amare nihil odisse non possimus cum Antoninus Philosophus defleret educatoris sui interitum, & ob id ab Aulicis tanquam pietatis ostentator reuocaretur Antoninus Pius, illius adoptiuus pater & verè socer: inquit sinit illum naturali affectui satisfacere, nam neque imperium, nec Philosophia naturales affectus explodere possunt. Et forsan, hoc est quod B. Hieronymus dicebat: Hominem carere perturbatione sic vt à nullo moueatur esse tollere hominem ex homine & in corpore constitutum esse sine corpore. Itaque maneant primordia illa amoris, bonorum non solum, nam hæc planè admisimus vt necessaria, sed etiam commodorũ atque suppetiarum, sed ita vt nullum in nobis affectum nec lætitiæ nec tristitiæ generare possint. Sed velut alienorum habeantur. Odero sic malos & amabo bonos, hos sequar & adiuuabo vt alienos, illos fugiam & opprimam quantum mihi licebit, sed sine animi dolore aliquo, aut molestia. Illud durius quod à Platone in Theæteto scribitur. Est admodum (inquit) arduum, hominem comperisse ingeniosum, qui insimul mansuetudinis ac modestiæ exsors non sit. Quippe ad hanc diem eiusmodi neminem vixisse, aduerto, vel etiamnum esse nunc, cui naturæ genius ita affulserit, vt boni sit compos vtriusque. Siquidem acumine qui insignes sunt, callidi item ac memoria illustres, & docilitate, numquam non iracundi sunt, ac contentionis auidi, nec raptantur secus ac nauigia retinaculorum prorsus expertiã. Hosce item furore quodam præstare dixeris verius, quàm fortitudine. Sed enim qui ad grauitatem natura facti sunt, eamque vnam rem habent, veluti scopum, si se ad ingeniis cultum dent, & doctrinam sibi pergant indurè: hi verò hebetiores comparent mox, & nescio quomodo desidiosi, obliuionis quoque nubilo identidem se obtendēte. Id quod à Platone sancitũ, vel Aristotelis valet calculo comprobari, qui Thracas esse adeò ingenio tradit oblæso, & memoriâ propemodum nullâ, vt-ne quaternarium quidem numerando queant transcendere. In iis tamen robur, & ad belli munia promptitudinem singularem, haud desideraris. Ego tamen vidi viros clarissimos quinimo quod maius est, quorum parentes erant mâximè iracundi, naturam dico, non disciplinâ pacatos atque tranquillos atque in omnes aduersarios mites nisi quatenus improbos odere. Quare id naturæ potius scribentis tribuendum est, quàm rationi aut veritati.

Vnde

Vnde & illud Diogenis, falsum cum Plato vomuisset, inquit enim, bilem video, quasi exprobraret illi vitium animi, sub humoris nomine. Sic & Galenus, vt dixi iracundus fuit. Aristotelem non dixerim, sed quid si hæc vera sunt de suo Socrate censet quem tranquillitatis ideam facit, num ingeniosus non erat? certè non ibi Socratem sed Theodorum inducit loquentem, verùm excipit & Theætetum & Socratem, qui illi facie persimilis, erat naso admodum simo & oculis valde prominentibus. Itaque & hæc neque vera Duco, neque etiam ab ipsismet à quibus proferuntur probata sed ad rem ipsam redeamus, vltionem bonam non esse duco, restitutionem bonorum autoritatis, dignitatis, pecuniæ amissæ duco, vnde hac causa ne contemnaris etiam necessarium est punire bonos nedum malos. Sed &, vt dixi, malos & odisse & persæpè punire expedit, cum vel magistratum obtinueris, vel cum ex legibus licuerit: vel etiam tutò omnino vitasse semper. Qui autem mali dicantur oportet scire. Quicunque obsunt hominibus volentes sine causa & sine impulsu, hi omnino mali sunt, vt fures, latrones impostores, proditores, delatores falsi: quique impedire conantur bonos. Post hos sunt qui impulsu malè agunt, velut adulteri, & huiusmodi. Tertio loco sunt qui non causa vera, sed quæ illis probetur nocent velut irati ambitiosique. Post hos sunt qui vitiatis iudiciis obsunt etiam si iure id agant nam si non iure hi omnium pessimi sunt & execrandi: vt qui præter iniuriam & damnum rei corrumpant simul & iudices & leges, sexto igitur loco sunt qui rem iustam agunt, non tamen secundum leges. De his tamen dubitare licet, an solum non boni an etiam mali dici mereantur sicut & de his qui iniurias iustas vlciscuntur non legibus aut iudiciis, sed consuetudine quadam dimicandi certamine singulari, quam pugnam vocant monomachiam. Porrò cum dictum sit non licere irasci neque vlcisci, non vltionis causâ, neque ob iram pugnandum est, sed vt restituatur quod periit. Siue vllus neget quod clam accepit seu iniustè, te coram testibus iniuria affecit. Vnde illum in certamen vocare non licet, qui sine testibus percussit, modò non graue intulerit damnum. Quid si ille neget, & tu iniuriam fateris accepisse, & ille non pugnandi legitimam habet excusationem. Propterea qui sic affecti sunt prius ab iniuria ipsi incipiunt. Et si sapiunt sine teste, vt ille neque iudicio damnare nec ad pugnam cogere te possit. Nec cõuenit ob iniuriã sine testibus acceptum quæ contemptum non parit in certamen vocare propter illum, neque ob damnum cum leue vel nullum sit, neque ob iniuriam: non enim vt dictum est vlcisci conuenit, sed si testes adsint in ius vocare licebit. At cum pœna minor est iniuria & qui affectus est iniuria, miles ciet si sine teste rem ille gloriabundus propalarit, an vlcisci conueniat vt te restituat, & illum in certamen vocare dubium est. Quoniam neque secundum leges diuinas neque humanas licet. At si non licet pro Patria nisi ex iuramento pugnare quomodo sine iuramento in priuata causa? Consuetudo tamen & naturalis ratio admittunt vt iniurij puniantur & damna illata iniustè, iustè compensentur. Propterea qui rectè in his consulunt iubent vt qui iniuriam accepisse fertur publicè roget per edictum, an ille fateatur se intulisse aut iactasse quòd intulerit: si negat iam contemptui satisfactum est, si fatetur aut contumeliam aliam addit priorem, & si neget prouocari meretur, licet & de occultis insidiis proditione de credita pecunia pro furto hominem ad arenam vocare. *Ph.* Hæc cum dixisset domum tardè sumus reuersi: modicoque cibo sumpto & vasis sublatis ad colloquium reuersi sumus.

Ci. videris mihi ô generose maximum paradoxum intermiscuisse sermonibus de Tranquillitate monomachiam consulendo, nedum admittendo, quæ etiam veteranis militibus negotium facessit: hanc in tranquillo viro suades. *Er.* Nunquid mors ipsa deterior non est & terribilior monomachia? *Ci.* Est certè. *Er.* Et tamen de illa sermonem facere cogemur suo tempore ni hanc disputationem imperfectam relinquere voluerimus. Plena est mortalitas magnis incommodis: quæ & si deuitare non abs re fuerit quandoque tamen quo magis illa deuitamus in eadem impingimus. Rara est occasio monomachiæ, cui neque mulier, nec adolescens, aut puer, aut filiusfamilias, aut qui non tractauit arma aut qui est in sacris, aut lauream adeptus, aut qui ætatem militarem supergressus, scilicet annos quinquaginta, aut Princeps non tenetur. Rursus non tenetur nisi cum legibus sufficienter agi non potest. Nam, vt dixi, neque in occulta iniuria debes prouocare, neque si prouoceris assentire, sed respondere vt legibus agat. Neque in causa leuissima, neque vbi reum legibus agere licet. Cauere oportet huiusmodi occasiones, cauere malorum consuetudinem, & vix fieri potest si rectè occurreris in initio vt salua fama ac re non effugiat, hoc discrimen longum nimis esset si huiusmodi causa de qua tam multi scripserunt suo marte libros magnos, ego per trãsennam explicare voluero. Satis sit capita attigisse: & quòd nulla ex causa cum bonis pugnandum est exitiali certamine: cum malis autem monomachia vis opus esse potest, quandoquidem vt licuerit sint opprimendi, malos dico solum eos qui sine causa, vt dixi, & sine impulsu volentes nocent aut nocere cupiunt, seu vi, seu dolo, seu corruptis iudiciis. In cæteris tuæ vtilitati, atque securitati stude. In tanto igitur turbine rerum si contigerit tranquillitatem non in fiducia victoriæ sed in necessitate mortis, & causæ quæ te ad pugnandum impellit prodegisse vitam sæpè fuit diligentius custodisse. Qui suam negligit dominus fit alienæ, cum animam tranquillam in certa re habueris, cur in dubia retinere non potes? Nullus est casus tam certus quam naturæ lex. Itaque obfirmato animo si quid tale contigerit illius vitam iustâ causâ appetere debes qui tuam nullâ. Omnia tamen agere tanquam pro salute tua non illius nece dimicaturus

turus accedere debes. Quòd si animus non adeò fortis est omnia enim vitia in nostra sunt potestate præter timiditatē,hanc recuperandæ rei amissę viam relinque aliam inuenias. Licet vt aliquando dare gladiatorem.In vniuersum stultum est & insanum prorsus consilium sic agere, vt tranquillitatem amittas, nam si quicquam depereat alia via est redimenda. Quomodo autem generaliter disces non commoueri ad iram non vlcisci nunc dicendum est,& primum vnius studium alterius cupiditatem euertit, si rem recuperare laboraueris minus optabis vltionem. Est etiam genus vltionis dignum benefactis iniurios & æmulos cum gloria longè anteisse. Atque id rursus delinit acerbitatem doloris iniurię acceptæ.Ferunt consuetudinem edendi lentè hominem patientem efficere. His præterea te initiaberis quibus turpe est excandescere. Velut religio , Philosophia. Quin etiam cum omnia velut plantæ sensim crescant,coalescant, & confirmentur ita paulatim ferendę iniuriæ assuescere debemus laudaturque Socrates in hoc quod Xantippem molestissimam mulierum velut gladiatorem domi aleret. Si vis iram domare fer mulierem. At non sic vt factis te euertat, sed contumacia & verbis irritet. Præterea assuescas paulatim tempus deliberationi interponere: memorabile est illius Philosophi ad Augustum , antequam respondeas Alphabetum totum tecum refer. Salubre omnibus consilium,sed præsertim iracundis. Quodvis enim momentum temporis sufficit ad radices iræ conuellendas, ideò vt ille dicebat.

Principiis obsta,sero medicina paratur.

Quicunque iracundi sunt & detinent iras his tempus suppetit ad sedandum animi Impetum : qui verò statim erumpunt , vbi ab initio quietem egerint non progrediuntur. Cogita tecum quot viris perniciosa fuerit ira , quot Principibus fœda : quòd illa non Diis , non Regibus , non parentibus , aut filiis non amicis non insontibus parcit. Quot reges ob iram regno,quot priuati vita, & opibus sint spoliati.

Impedit ira animum ne possit cernere verum.

Iram,si non sit insania etiam cum rectè agas pœnitentia sequitur. Hæc cum meditaris resipisses , consiliumque mutabis & morem. Disces tempus deliberationi interponere. Cogita quod qui in actionibus ac motibus præcipites sunt magnis incommodis solent affici lenti atque tardi,& qui sensim mouentur sine læsione vitam transigunt : ita & in vitiis ac qualitatibus animæ. Quid lucrari potes eo impetu, quicquid habes potes perdere.Imitare Deos qui & vlcisci parant tēpus tamen sint pœnitentiæ , cauentque ne ira succensi castigasse nocentes videantur. Indicium prauitatis iræ est incrementum : virtutes quo magis crescunt fortitudo,temperantia, iustitia, pietas, prudentia,eo sunt meliores : vitia leuia vbi creuerint se produnt inertia , gula , auaritia : at quæ abominanda sunt in insaniam dum augentur permutantur velut impietas & ira. Cur sanè,non nisi quia iam ex insaniæ genere sunt dum pullulant.Sæuitia ferina est & ab ipso initio insaniæ & inhumanitatis pars:meditare qui sis , sub quibus sis, finem omnium,finem eius quod facturus es & ira diffugiet , nec quicquam inuenies quod ad illam te prouocet si vinum ad iram te impellit , bibe aquam : si natura suadet , illam muta : amuletis resiste,dicunt carneolum gestatum & chrysolithum lapis est aurei coloris durus ,fulgens , iras compescere, bibere lac ouillum vel asininum & eorum carnibus vesci. Ferunt etiam balascium lapidem gestatum iram cohibere. Sed præter omnia rationem obiicere oportet ea cum victrix fuerit omnes solet domare affectus. Dicis non vindicabo patrem cæsum , non irascar latroni vel venefico? Equidem castigabo sed non irascar. Omne pœnè genus pro remedio admoueo.Sanguinem effundo proprium vt à febre me liberem : non quod non nisi iratus faciam. *Ci.* Sed non vis me tempus interponere ? *Er.* Equidem : *Ci.* Quid si fur domesticus *Er.* Statim eiiciam è domo. *Ci.* Non ergo tempus interpones ? *Er.*Non vbi de furto certus sim. *Ci.*At fac vt certus sis : nonne potes etiam deliberando errare ? *Er.* Quomodo ? *Ci.* Si pomum sustulerit. *Er.* leuis res *Ci.* Non ergo statim deliberandum , si talis non meretur eiici. *Er.* sine me cogitare,an in his quæ prorsus mala sunt finis aliquis constitui debeat *Ci.* Non absque causa id peto : quidam è famulis cum quis donasset mihi decem pira perpulchra vnum sustulit: Ego numeraueram & qui attulerat decem fuisse affirmabat. *Er:* Fassus estne illico furtum *Ci.* Nequaquam sed constanter pernegabât: *Er.* Aderantne alij è familia. *Ci.* Aderant vt non posset dissimulari factum. Propter tot quæ circumstabant omitti debuit. *Ci.* Ergo prius oportuit hoc pensitasse. *Er.*Quidni?cum tot hicinde controuersarentur. *Ci.* At interim furtum furto adiicere potuisset. *Er.* Custos adhibendus donec manseris. *Ci.* Scio quid acturus sim in posterum. Verum sequere. *Er.* Vt sciamus quomodo iram tollere debemus maxima pars scire quòd tolli possit. Sed & cognoscere quomodo generetur illiusque ortum. Nam quòd tolli possit inditio est , quia non sit nobis nâturalis, quandoquidem multi eo affectu careant vt etiam auaritia crudelitate atque aliis vitiis. Tùm verò augetur atque minuitur, & manifestè, adeò vt incrementa & decrementa sint maxima : naturales autem res non eiusmodi sunt , sed aut manent:aut crescunt parum minuuntur iræ,sed & multi liberati sunt ab hoc affectu velut Augustus & Titus Vespasiani filius. Sed quid iuuat multos recensere cum videamus hodie multos , qui militis sæui ac latronis officio functi sunt addictos religioni cum persona , mores mutasse:& ex iracundis factos mansuetissimos,velut etiam ex crudelibus mites atque clementes. Etenim ira tota non est ira,sed plerunque inuidiam aut sæuitiam sibi iungit , vt in Phalaride atque Apollodoro qui non tam cum ira quàm sine , sæuitiam exercebat , in quibusdam etiam insania vt in C.Caligula. Hæc igitur

si

si ademeris quorum domini sumus & tempus præstant ad pœnitentiam,ad consilium scilicet inuidiam & sæuitiam facilem curationem iræ,cum per se sola fuerit inuenies. Et quanquam adsit fermè tamen si illis careat innoxiam. Asciuisce ergo beneuolentiæ atque clementiæ, si non potes iram tollere, & res quasi redibit ad idem, Quatuor enim præcipua videntur in ira. Primum est motus ille animi quo quid sub forma iniuriæ tibi repræsentatur, quem tollere vix licet quoniam sæpè etiam ita est, quod iniuriam accipimus, secundum est naturalis impetus quo dignum putamus nos ab ea contumelia liberare: parque pari rependere. Sed & hoc naturaliter nobis inest, & auellere arduum. Tertium est cum vlterius procedimus ad stabilem vlciscendi cupiditatem,& tum fixa iam est ira: & non est hoc naturæ sed affectus & consuetudinis vitiū, & inopia rationis.Cumque inter secundum & tertium affectum hunc,multum sit interualli & vnum naturale aliud perturbationis species licet cuique,qui secus habuerit integram mentem & innoxiam resistere atque conuellere affectum ipsum, modò vt dixi, non sit nec insanus, nec sæuus, nec inuidus. Propter bonorum iræ solent & si magnæ sint esse innoxiæ, multaque tribuimus iræ,quæ non sunt iræ,sed odij,inuidiæ, sæuitiæ, stultitiçque delicta.Nanque quartum discrimen est in irato puniendi modus: aliquis verbis solum contentus est, aliquis flagris,alius iacit quæ inuenit lances, vasa, scamna, quidam non nisi armis feriunt, aut exercent iram:quidam oculos effodiunt, aut aliquid immane patrant, alij occidunt,alij nec hoc contenti sunt, sed etiam in cadauera iniuriam proferunt, vt Cambysses in Amasim Ægiptiorum regem iam mortuum, quem stylis confodit verberauit milleque modis iniuria afflixit.Quare periculosum est adhærere improbis quorum consuetudo beneuola,periculosa est & plena dolis,ira terribilis, atque intolleranda. Sed & præter id ira coercetur,vt si non alio est metus iram tollit,& ira metum. Quicquid ex his prius arcem mentis occupauerit id etiam obsidet ac tenet. At exemplum huius perpulchrum scribit Seneca de Pastore, splendido equite Romano his verbis:C.Cæsar Caligula cum eius filium in custodia habuisset immundiciis eius & incultioribus capillis offensus, rogante patre, vt salutem filij concederet, quasi de supplicio eius admonitus, ad mortem duci protinus iussit. Ne tamen omnia inhumanè faceret aduersus patrem ad cænam inuitauit illum eo die, venit Pastor nihil vultu exprobrante,propinauit illi Cæsar seminam vini, & posuit illi custodem, perdurauit miser: non aliter quàm si sanguinem filij biberet, vnguentum & coronas misit, at obseruare iussit an sumeret,sumpsit eo die quo filium extulerat: imò quo non extulerat. Iacebat conuiua centesimus, & potiones vix honestas naturalibus liberorum,podagricus senex hauriebat, cum interim non lachrymas emisit, nec dolorem aliquo signo erumpere passus est. Cænauit tanquam pro filio exorasset. Quæris quare, habebat alterū. Hic primus iram suppressit: Et Regis genua complexus est: funestam, perfusamque cruore filij manum ad os posuit: & cænauit sed tamen sine vnguento, sine coronis:Et illum hostis sæuissimus multis solatiis vt cibum caperet hortatus est: non vt pocula ingentia super caput posito custode siccaret, contempsisse Romanum patrem si sibi timuisset: nunc iram compescuit pietas, dignus fuit cui permitteret à conuiuio ad ossa filij legenda discedere. ne hoc quidem permisit benignus interim & comis adolescés, propinationibus crebris senem,vt cura leniretur lacessebat, contra ille si lætum & oblitum,quid eo esset actum die præstitit.Perierat alter filius si carnifici cōuiua non placuisset. Timor ergo ingens si potest tantam corcere iram, quid est cur etiam honestius non eam contineas. Rara sanè est historia & mirabilis: sed vos cogitate vltores deos. Et quot crudelia facta admiserit pastor aut maiores sui in miseros senes,hominesque innoxios. Et Reges boni & sæui tyranni ex æquo ministri sunt Diuinæ vltionis. Quare cogitate nobiscum quoties iniuria, vobis infertur, quot immerentibus ego aut maiores mei intulerunt, nihil sine vltione Deorum transitur: sed omnes per pontem ire coguntur. Hocque sit vnum iræ remedium non vulgare sed si te improbitatis aliorum tædet, si malefacta mouent cogita, cum in forum vadis nemini te occurrere, qui non sit improbus cum multi etiam sint improbissimi.Insidiæ,fraudes,furta,periuria,iniusta indicia, veneficia, cædes,impietas, parricidia: optimus ille est qui pro pessimo suspenditur, aut securi percutitur,omitto flagitia intemperantia:quida enim inter tam funesta scelera possunt, aut quam accusationem merentur? Felix ille est qui non natus est accusatorem non bonus. Assuescere oportet lætitiæ, nam tristis facile irascuntur. Læta cogitemus, nihil plus habituri, etiam si tristiores vixerimus Niobe vel Antonia, imò minus. A prandio consueuimus adire magistratus & Principes vt facilius obtineamus: vel si non impetremus non irascantur. Gaudium quærimus & laxamentum non mollitiem, aut delitias, quæ solent facere iracundos,nō mutare. Præ hoc quod concupireis nihil magni æstimato, nihil tutum duxeris & ab iræ insulta tutus fies. Quis est, qui pro festuca erepta, aut pro pallio quod illius sit qui abstulerit ablato, irascatur? Si igitur alienum duxeris quod munere naturæ accepisti,si minimum non solum alienum quod fortunæ,vbi amiseris non est cur irascaris, sed iam omittamus generalia & causas iræ singulatim prosequamur.

Et primum à personis, vbi vilior persona iniuriam intulit (siquidem iniuria iræ stimulus est vnicus aut damnum etiamsi sine iniuria fit) vltio turpis est: si æqualis periculosa: si cum superiore concendere velis furiosum est. Sunt etiam ea quibus ad iram prouocamur alia rationis expertia, alia quæ ea participant sed aliena, alia verò coniuncta. Quidam cum cecidisset, equum statim iussit iugulari: alius cum librum legeret

minutis

minutis literis conscriptum iratus abiecit, alius cum calce ab equo percussus esset, adeò illùm diu acriterque verberauit vt ex labore & ira in morbum deciderit. Nota est historia Xerxis, qui verberari iussit pontum. Et non abs re, nam maiores sui, Cyrus flumini iratus est, sed & Cambyses Apim Cyri filius vulnerauit, nescio an Deo, an belluæ: nam neque ira parcit Diis, & non desunt qui sibi ipsis etiam irascuntur, at verò pro quibus? vel pro iniuria vel pro damno illatis: vel quia fecerit, vel quia non fecerit: aut quia non aptè fecerit. Iam primum irasci his quæ sensus sunt expertia, aut quæ exiguo sunt prædita sensu, velut infantulis, vel muscis, vel etiam asinis; pars est non obscura dementiæ, non iræ. Et affectus similis canibus: quos vbi lapidibus petieris non ad hominem, sed ad lapidem accurrunt. Est enim præcipitis admodum iræ canis inter animalia, vt referant cum feram assequi non possit, adeo concitari & efferuescere vt obcæcetur, itaque non obscuræ amentiæ est irasci pro iniuria, his, quæ nesciunt quid sit iniuria & vlcisci velle ea, quæ vltionem, ac dolorem, nec cognoscunt, nec sentiunt. Eò si quis progrediatur nonne totum iracundiæ genus vt amentis damnabit, cuius pars non obscura sit ipsamet amentia. Quid enim stultius quàm irasci his, quæ iram nostram nec meruerunt, nec sentiunt. At verò deterius Diis irasci, quòd imbres assiduos, niues, æstus, frigora, tempestatesque immittant, si enim non curant hæc non est quod imputetur: si curant, errare non possunt. Non est quòd irascaris Diis, nec Regibus, qui si iram tuam sentiunt statim vlcisci possunt, si non sentiunt quid proficis? Si volentes te læserunt timere potiùs debes, quàm irasci: si nolentes cur irasceris. Deos exora vt propitij sint, non prouoca. Si audiunt aliquid proficis, si non audiunt non est cur metuas maxima pars iræ est cogitare quod iniuria indigni simus, cum enim iniuriam aut damnum accipimus expendere oportet primum an verum sit, multa enim opinio affert, quæ vera non sunt. Deinde si verè accepisti an nolens intulerit: Et si nolens intulerit, an sine causa? Et si sine causa an magna sit? Et si magna, an vlcisci possis? Et si potes an pręstet? Nam irasci non licet: mitto nunc institutionem puerorum atque præcepta qui vbi iracundi sint multo labore, fame, & flagris domandi sunt adeò vt sentiant parendum illis esse & ira, nihil fore nocentius, verbera mutant mores, sed labor, & fames etiam naturam. Prosequamur in proposito Cassius fallaci opinione seipsum & rempub. Romanā perdidit. Tiberius hospitem suum ob iram deceptus dum putat è sontibus vnum esse, occidit. Nihil fallacius opinione: nihil ad opinionem gignendam promptius ira, malus testis ira: non qui sit, sed quem oderit vel quem suspitio obtulit, subiicit. Non patitur alios quæri testes: non excutit coniecturas: non audit excusationes: quicquid primò decreuerit, quicquid obiicitur non solum esse putat, sed vult. Habet testes, falsi esse possunt, vel te odisse, vel contra quem dicunt, vel corrupti ab inimicis alterius è vobis scilicet tui vel eius qui accusatus est: vel cogitur, cum nesciat authorem vt se excuset. Non minus periculum est ab inimicis tuis quàm illius qui accusatur. Noti sunt Hippius Atheniensium & Phalaris Agrigentinorum, & Hieronymus Syracusanorum tyranni, hic à Theodoro, alter à Zenone Eleate, primus ab alio tyrancida dum torquerentur decepti omnes suos amicos & fidos defensores nominatos à sontibus pręcipiti ira occiderunt. Error suasit, ira impulit vt plecterentur amici & insontes, relinquerentur inimici, & conscij conspirationis. Nunquā fidas tuis hostibus raro hostibus accusatorū. Si hoc iniustū, illud est stultum. At nō sunt inimici neq; mei neque illius? qui scis? quàm facilè decipi in hoc potes, sed fac non decipiaris, namque securus esse potes quin ab inimicis tuis, vel illius pecunia corrupti non sint, aut ne alium subiiciant vt se excusent, si magnum est crimen, tu potens, vt à graui periculose liberent: si lene, tu talis vt non sit à te metuendum quòd illum parum offendere sibi persuadeat. Nemo enim est qui non quenquā alium etiam sibi coniunctum, aut charum vel amicum falso velit malum haberi quam se verè, primùm quòd nihil magis quàm se ament: secundùm quod diffidant veram opinionem posse tolli. Errauit totus vnus Populus & Romanus populus cum decem mille testibus, dū præ ira insontē Caium Eluiuū pro Cornelio Cinna quòd ambo ex eadem essent familia subiecit. Et reum non attigit inscium culpæ non solum occidit, sed caput eius per vrbem pilo infixum detulit, sic Chiorum classis ab amicis Ephesiis, dum per noctem properant deleta est, quòd crederent esse hostes, cum illi victi vt se seruarent ad eos se contulissent. Nonne Cinna consul ab exercitu suo falso Pompeium ab eo occisum existimante apud Cumas occisus est. At si testibus credere tam periculosum est, quomodo tutum esse poterit credere coniecturis? atque multo minus suspitionibus. Itaque ira non opus est, neque pręcipiti consilio, vbi de noxiis sumere oportet pœnam quam non sumpsisti sumerè semper potes, quam imprudenter & iniustè sumpsisti irritam facere nō potes. Iam multa essent corrigenda si mala omnia essent corrigenda: nihil est sanum in hominibus. Quid optimum est in eis? certè leges & consuetudines? Si ostendero leges & consuetudines esse prauas quid iam est quod queraris imò nec admireris nam reliqua omnia ad priuatum commodum ad voluptatem ad odium & inuidiam diriguntur, irascaris ergo legibus, irascaris consuetudinibus. Nam leges solas Deorum esse referunt, & ab humanis affectibus atque notis segregatas. Consuetudines non ob aliud manere quàm quòd ab omnibus approbentur, omnibusque vtiles sint. Apud Athenienses, vt ab illis initium ducam, primùm fuere leges Draconis sæuæ admodum & contra pauperes, si quis olus subripuisset vt filios fame pereūtes reficeret capite

capite plectebatur cogita si sit irascendum quis hoc patienter aut ferat aut oculis sustineat. Successere leges decem tabularum à Solone descriptæ quæ ad Areopagum maximè pertinebant: in quibus adeò fauebant homicidis, vt liceret etiamsi consulto fecissent aufugere negare nec nisi rei consensu, aut multis, ac multis testimoniis damnabatur. Damnatus rursus ad fugam tempus habebat: si extra limites agri Atheniensis occidebatur, qui occidisset perinde erat ac si Atheniensem ciuem Athenis occidisset: nisi quod iudicium de pœna capitis iudicibus, seu sex viris relinquebatur. Cæterùm exulet & à ludis ac sacris Amphiayonis arceantur. Adeò verò hæc lex fauet homicidis, vt stomachum mouere omni viro Cordato, atque humano possit. Cuius imitatione etiam languidior est lex & mos Venetiis in huiusmodi casibus. At Romani quam legem habuerunt, vt ciuis Romanus nec verberibus (istud dignum) nec securi plecteretur. Hoc iniustum videas reliquas monstrosas Corneliam quâ honoribus, & bonis spoliati sunt omnes aduersæ factionis: Seruiliam Agrariam quæ omnium prouinciarum agros vendere iubebat: sed hæc dissuadente Cicerone lata non est. Lex vna è duabus quas decem tabularum Atheniensium decem viri adiecerunt, vt essent postmodum, duodecim, quâ connubia prohibentur inter plebem atque patritios. Sæuitiæ autem lex Iunia Norbana quæ perhibebat vltra certum numerum ex testamento liberari seruos: summæ autem stultitiæ quæ ab Antonino Pio lata est, vt omnes qui sub Romana ditione essent, Romani ciues haberentur. Inde horribiles illæ de Maiestate leges, non pro factis solum etiam leuibus sed verbis in Principem excogitatæ Iuliæ rursúmque Corneliæ, sed verius ab Augusti inuentæ, à Tiberio publicatæ & exercitæ: vt appareat Turcas ab Italis de fœritate victos ac superatos. Quid de illa lege alia duodecim tabularum, quâ obærati ære alieno in nexum dabantur creditoribus, vt etiam illorum corpora dilaniare liceret: sed hanc Papyrius consul ex Senatusconsulto sustulit. Illud absurdè paricidis vltimum cruciatum statuisse, sed non nisi sponte confessis quasi amentiæ supplicium esset non sceleris. Quid demùm incredibilius ea lege quam à decem viris perlatum arbitror, quâ cautum erat vt si seruus dominum occideret omnes qui sub eo tecto essent seruilis conditionis nullo habito, vel sexus, vel ætatis discrimine, pueri, mulieres, infantes, nondum etiã nati ducerẽtur ad vltimum suppliciũ, vt sic apud omnes nationes nomen cũ gente Italica deuouerent vltioni, & experimẽtis ad intentionem absque misericordia. Doleo quòd Italus sim hæc referre monstra: & tamen perpetimur nec irascimur, irascimur leui culpæ. Iam pigeat nos tanti erroris. Fastidio multas consuetudines & patienter fero tot librorum inutilium commenta, tot deliramenta quæ scribuntur, olim satis mendaciorum & leuitatis in Græcis, post ineptiarum in Latinis nunc verò quam fœda & probrosa in Italica lingua leguntur. Scriptores eximij; Tõsores, fabij lignarij, Lenones, mulieres, ac omnis turba erudiri vix digna, nedum vt alios doceat. *Ci*: Quid ergo omnes sustuleris libros Italicâ linguâ scriptos si posses? *Er*: Mallem omnes perire quàm omnes manere. *Ci*: At si relinqui possent aliqui quos præeligeres. *Er*: Certè paucos aut nullos? *Ci*: Quos tamen retineres. *Er*: Non habeo quod dicam, ne aliquando alij rescifcant. *Ci*: An velles perire Petrarchæ carmina? *Er*: Certè nihil in lingua Græca, vel Latina tam suauiter scriptum habemus. Atque is solus hoc negotium defendit, qui inimicabilis est & qui res ipsas scripsêre, velut Berengutius, Matthiolus aut historias velut Matthæus, Ioannesque Villani aliique non multi. In eodem quoque albo scriberem epistolas Principum de secretioribus rebus. *Ci*: At nolles superesse rationem dicendi Dantem, Boccatium, Sannazarium, Ariostum, Pulzium? *Er*: Nescio quid præstaret quandoquidem deteriore his multis placent & probantur. Sed mittamus hæc. *Ci*: Scio non conuenire professioni: sæuerioribus homines tui similes, si modò quisq; tibi similis est, delectant? non negarim pleraque esse eiusmodi vt magno malo generis humani scripta sint. Sed & multa Latinè Græcéque. Omittamus hæc: Dictum est de sæuerioribus iniuriis quòd calumniæ non sit credendum, non coniecturis, multominus suspicionibus. Eramus in hoc. *Er*: Vera dicis non est credendum coniecturis si non est accusatoribus. Tremit vox, impalescit, cor palpitat, hæsitat in responso, balbutit, diuersa respondet: dissimulauit me videre, alteram viæ partem ingressus est non me salutauit, complices secretò alloquitur, tristis est, exiit vrbem, aliò se contulit, iuramentum repudiauit. Nolim ego hæc esse argumenta iniuriæ illatæ, sed quibus ad veritatem inquirendam innitar. Dissimulabo diu & strenuè, vt citò faciléq; authorem inueniam. Plures se produnt spontè quàm deprehendantur industriâ nostrâ. Raro in eodem, in simili flagitio frequenter, quoniam idem est & non idem. Non idem factum non in eundem tendebat sed tamen flagitium idem in quod natura vel consuetudine fertur. Difficile est cõsueta diu linquere. Si attentus extiteris teste non indigebis sed videbis. Non refert in quẽ peccauerit cũ non ad iniuriam oculum dirigis, sed caues ne vlterius noceat. Antequã in hunc locũ me conferrem, quidam famulus qui propria è domo sustulerat, defendi illũ apertè aliis accusatoribus, quoniã probare non poterã, quòd omnibus coniecturis constabat. Intra decẽ dies Pyrũ pulchrũ cũ decẽ dono mihi data essent, furatus est. Iã non erat coniectura, sed sciẽtia: eo tamen processi modestè, vt illud etiã viderẽ: demúnq; fateretur. Statimq; è domo eieci. Sunt & quædã quæ pro iniuria habentur, & dãnosa existimantur, quę tamẽ vtilia sunt, & laudem afferunt. Velut is famulus (nã ex eius memoria in hunc incidi sermonẽ cũ è domo tum alter simili causa existet, post quatuor dies prædicabant me auaritiâ motum illos expulisse: vnum ob pyrum alterum ob vini vrceum, nam is vini congia clam deferebat ad meretricem alius inclamasset, minatus esset,

esset, ad prætorem eos detulisset, questus cum amicis, ego è re mea putaui forẽ: nam cum anteà omnes vt in domum exteri, eram enim tum Bononiæ lucri & honoris causâ irrumperent omnia direpturi, vbi vox hæc publica deterruit improbus nil aliud factum est quàm vt fures deterrerentur, locumque relinquerent bonis: atque ita in posterum semper fidis famulis vsus sum cum anteà omnes fuissent fures nam conditio mea non eiusmodi erat quàm probi vitare deberent cum manifestum esset me numerare stipendium etiam illis improbis, & honestè alere. Itaque qui putarent multum mihi obesse, omnibus aliis magis contulere. Sed iam discumbamus: sed aliquanto cœnatum est.

Ph: proximâ luce peractis necessariis cum ningeret, in tugurio sermonem habuimus. Rogabat ciuis vt de hoc loqueretur, an volens intulerit iniuriam quippe in hoc sæpè erratur. *Er*: Constat multis modis iniuriam inferri nec existimare illos qui inferunt se iniuriam facere. Primùm cum decipitur, secundum cum ab alio persuadetur, tertiùm cum non credit te id existimare, quartùm cum non putat te magnifacere, quintùm cum res exigua est. Præterea est aliud discrimen in substantia, vt ita dicam, seu essentia iniuriæ: cogitatio, deliberatio voluntas dictum, gestus, actio & perfectio veluti si quis obiurgare coram populo voluerit te, id considerandum quod cogitauerit, deinde deliberauerit. Dicetis si deliberauit, ergo voluit? non: nam forsan deliberauit inuitus, metu, spe, dolore, ipsa ira percitus, deceptus. Velle simplex est: atque idem quod cupere ad deliberationem multa requiruntur. Si ergo voluit maius multo est, quàm si deliberauit. In quibusdam plus est deliberasse quàm voluisse. Nam deliberatio fit necessario cum mora & iudicio seu bono seu malo: voluntas non ita, sed ad odium & amorem refertur. Plurimumque ad eam refert naturalis inclinatio: sed dictum iam ad leges pertinet, de reliquis enim non tenetur, nisi in crimine læsæ maiestatis. Nec in eo nisi cum voluntas proditur, aut dicto, aut silentio eorum quæ propalare debuit. Prima tria quia incerta sunt, nullis legibus puniuntur. Quid si confessus sit? Periculosum arbitrio se inimicorum exponere, sed de iure non est in culpa quoniam variabiles sunt hominum animi in singula momenta. Præterea deliberatio, aut voluntas non censetur quæ cũ possit, nihil efficit. Dictum ergo ad iniuriam pertinet. Sed multi dicunt leuitate ducti, vel garrulitate, vel irâ concitati. Expiscari oportet dicti sententiam, mentem dicentis, quâ occasione, loco, & tempore dixerit. Si apud tuos amicos longè minus, si apud plebeios domesticos suos: contra si apud inimicos, æmulósque tuos, Principem, magistratum, & vbi plurimum obesse possit si temerè si callidè: si longo sermone si obiter, periculum iniuriæ magnitudo. Si cum oppressus es maximum, si cum flores & gloriosus & minus refert. In Cæsarem cum plurimum posset, & Pompeium dum regnaret quot dicta à multis supplicio digna contempsere? vt de Mamurra Catullus & de Fascia: aliaque huiusmodi. Quinimo in fauorem dicta persæpè reputantur cum nocere non possunt. Aqua enim pauca ignem magnum accendit non extinguit. Sed si nocere se velle profitetur adhuc non iniuria est volo illum obiurgare, non obiurgat tamen: quis prohibet? quia non deliberauit: res in mitiorem partem semper deducenda est. Multi deliberarunt, volunt, dicunt, sed non audent: non est illata iniuria. Accedit gestus tunc nihil iam deest, minatur digito, erigit manum, proiicit chirothecam, iam iniuria te afficit. Obiurgat sed clam, iniuria nulla est, quid prohibet ne præsens hoc agat. Itaque tui arbitrij est, expostulare de iniuria & potius de iure quàm facto vllo. Actio nihil plus habet nisi quòd deliberationem significat magis quàm gestus. Gestus enim ostendit iram: nam impatiens ille esse videtur qui occasionem expectare non potest. At, qui perficit, addit, & iacturam persæpè. Vnde illum vindicare licet vt restituatur quod ablatum est. Hæc igitur circa essentiam rei, sed circa modum plura dicenda sunt, & maiore, illa indigent, consideratione. Plurimi iniuriam inferunt, nec sciunt se inferre, vel ab aliis persuasi, vel quia rem ad illum pertinere non putant, vel quoniam non magnam rem esse credunt, vel quoniam nocere se non existimant, aut quòd si idem passuri sint pro iniuria non sint habituri. Sic agentes non iniurij sunt damnum itaque inferre possunt, iniuriam non possunt. Alij vi, necessitate, metu, datâ fide, dum nocent iniurij non sunt quia volentes non id agunt, oportet enim adesse voluntatem, vt adsit iniuria. Reducuntur hæc ad duo capita, vnum quod ad ipsum pertinet, aliud quod ad alios qui id suaserint. Itaque è diuerso sæpè contingit vt quam tu credis iniuriam, iniuria non sit, quoniam nescit se iniuriam facere. Quidam putant damnum se inferre iniuriam non inferre, quoniam damnum inferre, non est iniuriam inferre, nisi contra ius fiat, & quoniam scio esse contra ius, & volo esse sic. Iniuria enim dicitur ab eo quod cõtra ius fit. At si damnum non inferat, existimet autem se inferre, & iniustè, iniuriam non infert, quoniam non est iniuria absque quatuor conditionibus damno, voluntate liberâ, sciẽtiâ, quòd iniuriam facias, & quòd tu cognoscas accepisse. Multis autem modis hæc quarta conditio contingit, vel quod putet te latere, vel quod non cures, vel quod nescias eam esse iniuriam, vel quòd instituto tuo fieri non posse iniuriam credas, vel quòd iusta sit vltio potius quàm iniuria. Quòd si iniuriam te accipere putet, tu verò non existimes, iniuria est. Non enim nostri arbitrij esse debet, vt quod iniuria non est pro iniuria accipiendum sit, & postmodum quod est iniuria vt iniuria non sit. Sicut ergo quod iniuria non est, iniuria vt sit facere non potes existimatione tuâ, ita quod iniuria est, non potes facere vt iniuria non sit. Si verò res sit exigua quæ pro iniuria habetur, non est iniuria,

etiam

etiam si alia omnia adsint. Nam hoc refertur vel ad rem vel ad existimationem vulgi: at cum parua res fuerit potest existimari neglecta, contempta: & si qui perferre te grauiter ferant alij, vltum esse: & minima curare. Quare in dubia causa cum etiam vtilius, sitne tutius, melius est neglexisse. Tot ergo modis cum decipi contingat circa iniuriam acceptam quis dubitat vix vnam inter mille occasiones esse in quibus etiamsi pro iniuria irasci conueniret, homo irasci debeat. Quoties ergo fallimur etiam si esset irascendum. *Ci*: Ergo aliquando irascendum? *Er*: Imò ergo nunquam: nam etsi fatear iniuriam leuandam, tolli debere damnum, nunquam tamen fatebor irascendum esse. Vide illud quod ira per se dolor est, & dolor magnus.

Necdum etiam causæ irarum sæuique dolores.

Exciderant animo.

Testatur Poëta grauem seu sæuum esse dolorem hominis irati. Quorsum ergo sibi ipsi dolorem inferre? Sed & incommoda in omnibus actionibus cum sit maximè tamen in quibusdam veluti si quis ægrotet. Dij boni quæ patientia medicorum astantium pharmacopolarum ministrorum cum res est cum iracundis. Omitto hæc muliebria: sed quis audet continere iactantem, retinere nolentem, bibere, aut surgere: clamat, queritur minatur, plorat, omnes amicos vicinos in sui auxilium implorat, tanquam vim ab hostibus patiatur tandem impetrat libertatem contra præcepta medicorum: fitque cautus vt stultorum mos est in perniciem suam. Indulgent neq; medici neque amici vinum aquam, iactare sinunt illos, integumenta abiicere, surgere. Nonnunquam etiam medicos fatigant maximè si sint ex imperitorum numero qui maximus est: & si sint adulatores. Hæc sunt iræ in illis premia, derideri, morbum protrahere, demum etiam & persæpe mori, cum morbus minimè lethalis extiterit. Sed & si iter agere contingat quantas turbas monet iracundus. Putat se esse domi inter ciues, ridetur à plerisque multi admirantur, imò stupent, quidam indignantur & quidam ægrè ferunt: demum sæpè contingit, vt ad manus veniant. In caupona clamat, obiurgat, quæritur. Sed illi omnia patiẽter ferunt scientes hos maximè sibi lucro esse: quorum aliqui solis his verbis contenti sunt, alioqui multa obliuiscuntur: alij vt videantur liberales, alij vt placati iniuriam verborum pecunia compensant. Optimè agitur cum iracundis, ab his, sed cum iram simulantibus pessimè. Succedunt qui nauigant ibi rursus prælium facere oportet cum huiusmodi viris, qui vt plurimum succumbunt: si superiores extiterint odio habentur ab omnibus, vt qui iniuria extorserint. Iracundi enim mitibus ob contrarios mores inuisi sunt, aliis iracundis quòd in iurgia facilè incidunt. In bello seditionem excitat & in vrbe rixas & in conuiuio contentiones: & in disputationibus nil incommodius, nam vix propria verba intelligit. Itaque iracundo nil deterius, nil turpius, esse potest. Eius qui vlciscitur sine ira damna sua & qui cùm irà nullum scirem inuenire accommodatius exemplum, quàm scabiosorum duorum, quorum vnus vnguibus prurituì satisfacit: nec extinguit titillationem, nec eruit humorem & lacerat cutim, & vriginem summam excitat: At contra qui forficula cauat radicem voluptatem magnam affert, eradicat pruritum omnem, nec pruriginem vllam parit, nec lacerat carnem, aut summam cutem. Quid est ergo vt adeò insanias, vt spretis commodis, & mala non curans tam leui re dilabaris in peiora. *Ph*: sed quid est quòd si hoc tam ingens malum est, tam multi tamen sint iracundi. Nam & inter nos (si licet hîc dicere) aliqui etiam tales sunt: & ab ira vincuntur. Vincuntur & Reges, vincuntur & sapientes. Naturale solet appellari quod plerisque contingit: quod autem naturale idem & bonum est: & ideò ira non videtur adeò mala. *Er*: Dicas mihi gemmæ plures sunt paruæ quàm magnæ. *Ph*: Sine dubio & absque comparatione: vt paruitas familiaris sit gemmis. *Er*: Et tamen gemmas nemo non optarit magnas. Quæ nobis coniuncta sunt reluctante materiâ, naturalia ita sunt vt contra naturam dici possint. Reges non pauci nomine Reges: & etiam his qui Reges sunt persuasum est iram eos reddere terribiliores. Sic quidam perpetuò latent vt Æthiopum. Alij thiara velant faciem, non est modus his stultitiis quas adulatores suadent, & ipsimet inuenerunt. Quid non laudarunt improbi & insani, imò perfidi sycophantæ? Iram, sæuitiam, vt sint terribiliores: rapinas, vt sint potentiores ac securiores? luxuriam & libidinem, vt amicos sibi comparent & populo placeant. At ergo hæc probabis? Quicquid abundat pro vitio habendum est bona rara sunt & ideò in pretio. Iam verò supplicamus quænam personæ dignæ sint in quas iram effundamus. Pater vel mater: Ah: refert ne paricidium re an verbis excogitaueris, aut tentaueris? Quid, irascerisne fratri cuius epithetum cum filio proprium solet esse charissimus. Irascerisne Regi vel magistratui, vt omnes sciant te esse prorsus stultum & insanum? Tentabisne crimen læsæ maiestatis? Iratus effundes vel verba inania, vel cædere illum cum tot armatis cogitabis? *Ci*: Irasci solent pauperibus & imbellibus. *Er*: At qui his irascuntur tam impiè irascuntur quàm tutò. Sed quid tutum esse potest aduersus Deos? Qui pauperibus irascitur Diis ipsis irascitur. Existima Deos in nobis ipsis esse maximè autem innocentibus & miseris quales solet esse pauperes. Iratus non solum sed sibi consulens Pausanias occidit pauperculâ Cleonicen, percussus est Adrastia, & per insaniam tandem ad exitium impulsus, qui tot millia virorum in acie sine crimine occiderat. Sunt homines velut templa, in quibusdam seruatur Panis cœlestis, in quibusdam non seruatur, ita in aliquibus hominibus habitat Deus, in plurimis non habitat. Si coneris, vel dolo, vel irâ Deum de suo habitaculo deiicere, quid

quid tibi boni contingere Potest? *Ci*: Vlciscar quemcunque qui mihi ex hostibus se obtulerit. Hic non parens, aut filius, vel amicus, sed neque bonus esse poterit in hos eisque similes effundam iram meam. Explebo desiderium lenibo dolorem: plagam plagâ sarciam & æquabo, vel etiam superabo. Quàm volupe est videre lachrymantem ob vltionem iustam à me factam, qui meas lachrymas iniustas læto vultu intuebatur. Imitabor Agathoclem illum verè regem, cuius cum exitium duorum filiorum, Ægestani Siciliæ populus procurassent & successu lætati essent, vltus est illos omnibus experimentis suppliciorum: in ipsos ciues, in filios, in mulieres, in vxores prægnantes. *Er*: Sed aliud est vltio de inimicis, atque inimicis sceleratis, aliud irasci & ob id solum sæuire. Sed ne Agathoclem putas ex hoc fuisse fœliciorem: *Ci*: Certè vt nullus alius, si Sylla apud Romanos, Antonius & Augustus excipiantur. Vt enim iucundissimum sit seruare amicum, ita effundere cruorem inimici capitalis. *Er*: At interim finge cuiquam iniustè ereptum bonum filium, nam maius exemplum inuenire non possum iniuriæ acerbæ: quid interim cogitabis? *Ci*: Vltionem quàm maximam & toto animo. *Er*: At tu interim cum eam facere non possis (nam si potes cur non facis?) nonne tantundem discrutiaberis quantum si facere posses, caperes voluptatis. *Ci*: Sanè si sine spe, sed interim spero. *Er*: At quam diu differetur spes hæc, quam sæpè etiam frustrabitur tu autem interim dolebis. Quid ergo dolebis sine fructu, ille non læditur interim lætatur, quòd doleas, non posse vlcisci. *Ci*: Quid ergo agam? sinam ne inultum: gaudebo cum carnifice filij mei (quod omen dij auertant) maxima est voluptas in vltione, tum præcipuè diu desiderata. *Er*: Sed si non desideraueris & eueniat iam frueris voluptate eadem citra omnem animi angorem effice vt non oderis neque persequaris vt inimicum sed vt improbum: & vt humano generi exitialem. *Ci*: At non adeò me delectabit vltio illa sicut nec potus non sitientem. Neque quæram tam efficaciter aut subtiliter vlciscendi modum, si non eam totis animis optauero, totis viribus quæsiero. *Er*: At ô egregie, nonne vides quod te tuo exemplo & telo conficeris. Si enim quis sitiat voletne magis sitire, vt postmodum bibat, quãdo incertus fuerit de aqua inuenienda? *Ci*: Quid ergo faciet ille miser? *Er*: Cogitabit tam multis modis illum pœnas daturum sceleris quot modis viuit. *Ci*: Quot modis viuit vnusquisque. *Er*: Quadrifariam àb obitu primum at de his dubitas ne mala malis ventura sint, si pro meritis vnusquisque recepturus sit? *Ci*: Certè sed hoc ipsum pauci credunt *Er*: Nescio an pauci an multi, sed de hoc suo tempore loquemur. At secunda vita est hæc ipsa quam ducimus, in qua euenire putant omnes Philosophi præter vnum Epicurum quicquid Dij ipsi decreuerint. Sed bifariam opinio hæc diuisa est quidam enim putant consuluisse Deos vniuersi bono: tanquam si quis ex hemorrhoidibus totum corpus sanum tueatur confluentibus in eum locum malis, vt non sit hic homo totus sanus iuxta vnanquamque partem, sed solum in vniuersum: alij crediderunt, quòd perfectus sit mundus etiam oportere vnanquamque particulam sanam esse: iustitiamque permeare in singula membra illius, ita vt vnicuique reddatur quod suum est atque eo modo etiam in hac vita infœlices Dij faciunt sceleratos vt quanto plus viuant tanto magis scelerum pœnas luant: De decore morbis suorum calamitatibus atque huiusmodi. Est tertia quædam via media inter has ac experimentis magis congruens quòd solum Deus in hac vita eximia crimina puniat, reliqua aut non curet, aut differat. *Ci*: Quæ erant eximia crimina? *Er*: Ea sunt trium generum: Primum cum persona pia & Deo grata affligitur: cum illa in eius tutela sit, & in exemplum posita mortalibus & vicem gerat humani generis totius. Secundum est ratione agentium, vt cum falso iudicio aliquem perimimus. Qui enim iudicio perit, centies perit: non solum dedecore, sed mortis meditatione. Ob id aliquot sunt gentes qui sontes suos nullo scelere occidunt, sed omnes alunt vitulos, ne aliis nocere possint: illud cogitantes, quòd qui iudicio damnant pro vna morte plures rependũt quod par non est inuenti etiam sunt principes, qui quoscunque noxios nisi proditionis seruant ad metalla, ad triremes, ad extruendas moles, vt olim Ægyptij Reges cum Pyramides illas ædificarent. Tertium cum alium in alio punimus, & insontem velut parentem in filij nece: & fratrem in fratre vnico atque huiusmodi. *Ci*: Quid ergo si quis optimi viri filium iudicio non satis constanti perimat, quale hoc erit? *Er*: Eximium scelus & monstrosum ex quo mala multa, vt eueniant necesse est. Ille verò qui hoc agit omnino ab humano genere diuulsus est Monstrum horrendum ingens sibi ipsi pœna cruciatus & dolor: Sed quod ad famam & gloriam quæ tertia vita est abominandum. Vt huiusmodi homines perniciem non solùm familiæ sed & ciuitati & genti afferant. Cur enim odio habemus Iudæos quia Christum interferunt benefactorem plurium, virumque innocentem. *Ci*: At Deus erat? *Er*: Aliud est de excidio aliud de odio: Excisa est Hierosolyma, quia Christum occiderunt, odio habiti sunt omnibus Gentibus, quia sæuierunt in bonos. Quanquam Iosephus etiam arbitratur Hierosolymam excisam ob Ioann. Baptistæ sceleratum iudicium. Cui ego non assentior. Sed quis Athenas totas non odio habet ob Aristotelem, Themistoclem, Miltiadem (etsi nõ occiderint) & Socratem eâ solâ opinione quòd bonus esset? Poterit ne amare genus hominum, aut pari superstites eorũ posteros qui tam abominandis sceleribus obstricti sint. Si Phalaridis, si Alexandri Pherææ, si Dionysij stirps superesset, quid audiret quod monstrũ, quod portentum inter homines versaretur. Homines natura mali sunt sed habet modum malitia. Quid de quarto vitæ genere dicam, quo quisque sibi ipsi, & beatus viuit? Nã apud tales esse potest? Cogitent, nõ cogitent, dissimulẽt, semper vmbrę miserorũ corã oculis obuersantur. Nihil dirius quàm secũ

testem

testem gerere malæ conscientiæ. Intus inquit Seneca esse potes: securus viuere non potes. Itaque cum hic tam miser sit, quid est cur illi vitam adimere tentes fundamentum malorum suorum turpitudinis, infamiæ, malæ conscientiæ, metus, laborum, & ærumnarum, denique desperationis. Nam si putat aliquid à morte superesse, qualem exigit vitam? si nihil, quam capere potest voluptatem? An igitur huic tam misero mortem intentabis, vt careat pœna? Quòd si nihil cogitet rursus nec beatus esse potest, sed nihilo plus quam sus in cœno. At reliquum nihil est. Quid ergo capiet hunc vlcisci hominem? *Ci*: Vera puto hæc omnia quia tibi credo, secus multum dubitarem. *Er*: Cur? *Ci*: Quoniam occidere in iusto iudicio & filios patribus vulgaris res est temporibus nostris: neque primum vnquam non fuit: neque postremum legitur prohibetur: quod autem legibus cautum non est non pro crimine habetur: at euersiones vrbium fines familiarum raræ sunt: Et vix singulis seculis accidere solent: quare videtur, quòd omnes etiam obseruant periculum esse in potentia, in eloquentia, & autoritate suorum. Vt patrum ac fratrum; ab his enim quandoque metuendum est. Non negabo scelus esse maximum, insōtem occidere: impium filium viuis parentibus: non tamen crediderim Deum hæc vlcisci hic etiamsi curet. Dei munus non exiguum est habitare vbi Principes ipsi degant: vbi leges bonæ sint, vbi magistratus ad clementiam, non terrorem inclinent. Neque negauerim quod negari non potest, huiusmodi viros, qui talia admittunt diras esse tartari furias non homines, sed viperas ac plerunque vt decet atrà bile percitos furere in se, & suos ac sibi ipsis suisque pœnas esse. Quandoque euenire in iis casus, seu fortuitos, seu occultâ ratione, vt à Deo puniti atrocibus pœnis videantur. Siue modo à Deo propter ea seu alia causa non facile est scire. Vnum hoc noui in mea vrbe, quæ certè mitissima est, & in puniendo circumspecta omnis generis errores quamvis rarissimè accidere: Quod si eos errores excidium maneret, non esset vrbs æterna vt est, aut si æterna esset, oporteret nil tale vnquam contingere. Quin etiam huiusmodi miracula adnotata essent, & homines boni metu fierent. Sicut enim Martis occursus soli ostendens calores, & Erratica in ascendente declarans illius cui oritur in horoscopo formam corporis & animi mores fundamentum sunt totius astrologiæ quòd aliqua sit, & si non ea sit quæ habetur; ita si huiusmodi experimenta deprehenderentur vera, fundamentum constans haberemus Deum curare hæc mortalia, atque vitæ piæ peragendæ. At apud Principes & Respublicas, Dij alia ratione coluntur, vel consuetudine antiquâ, vel vt in metu populi retineantur, vel quod post mortem animæ corporibus nudæ luant pœnas. Esset etiam id iniustum quod tu vt iustitiam Dei extollas magnificas. Scilicet vt vrbs vna pro vno viro plectatur: tam multi & innocentes pro vno, & qui nulla ratione cum iudicibus illis sceleratis coniuncti sint. Quare si iniquissimi sunt iudices qui insontem perdunt & filium immerenti patri eripiunt: quales erunt Dij qui in multis eadem peragant? Hoc enim nunquam erit ostendere se iustos sed terribiles. Ignosces si longior tibi visus fui, aut si contradixi tibi. *Er*. Iudicia hæc diuina, tu quidem solum ad bella refers: ego multis modis vrbes puniri nec manu hostili video. Peste, penuriâ annonæ, vicini tyranni metu, vectigalibus magnis & intolerandis, terræmotu, inundatione, seditionibus grauibus, tyrannide cum iura silent. Nonne dixit Cicero non desinere: neque euerti Rempubl. cum muri diruuntur, sed cum iustitia perit. At etiam illud dixi, vnum virum insontem in vrbe instar esse totius humani Regis & multo pluris faciendum quàm Regem. Sed & id adiicio velut in agro in quo napellus oritur etiam alias herbas plurimas nasci noxias necesse est, ita & aget ipse & squalidus est & incultus, & vbi oritur regulus, oriuntur & serpentes omnes alij, & locus ipse desertus est, & regio inculta, siticulosa, plena reptilibus fœdis, ita vbi tales Iudices sunt, Populus totus prauis moribus consuetudinibúsque præditus est ita nil mirum si tum accidant calamitates maximæ. Nanque vt inter serpentes monoceros nascitur, ita non nisi inter pessimos optimus vir, Idem ibi plectitur. Oportet igitur & nasci & interfici, quæ duo non accidunt, nisi ante magnas vrbium aut Regnorum clades. Romanis nullum tale prodigium accidit, quoniam Deos non colebant, sed faciebant, adeò ambitione insanâ laborabant, at cæteris vrbibus accidit: Hierosolymis non semel, quoniam ciuitas sancta erat, & Deum maximè & piè coluit. Sed mittamus hæc quæ longiùs distant à proposito nostro, reuertamur ad sermonem propositum. Quicunque tibi gratia exempli filium iniustè occiderit, iam est astrictus, sceleri: non potuit hoc vnum admisisse peccatum enorme, sed plura, pessimus est, pessimè viuit, cui maius potes inuenire supplicium, quàm vitam. Habeat modò pecunias, palatia, agros, potentiam, amicos, & quicquid voluerit in ipso animo vlcus est, & ardor inextinguibilis. Metus, suspicio, ira, inuidia, anxietas, conscientia malorum semper exagitant. Si pœnitet infœlix est, si non pœnitet etiam alia huiusmodi optat, ruit præceps non solùm in scelera, sed etiàm in pericula. Da locum paulisper rationi, concedat ira, captiuum habeas eum qui falso iudicio peremit filium tuum. Quid ille tum maximè optaret vt eum statim occideres, tibi quid deterius contingere posset quàm vt statim occideret. Solueretur metu, solueretur miseria, finirent dolores, finiret dedecus. Ergo fac vt viuat, timeat, pœniteat discrucietur, animo pudeat. *Ci*: Rectè dicis & sapienter & quàm diutissimè vixerit eo deterius illi erit. Velut & Pisauri regulus, tonsorem qui illi dederat venenum, in carcere quoad vixit, habuit: sed tria obstant: Primùm quod aliud est longè esse in vinculis apud hostem suum, aliud liberum & in delitiis. Deinde quod Pisauri regulus etiam tormentâ addebat. Die enim quâ venenū illi

propinauit frustum carnis abscindi è musculo cruris, aut tibiæ, aut brachij iubebat, & in sartagine coctum edere cogebat. Ita inter metus, cruciatus, squallores, sine vitæ spe nec mortis dominus non tuo iudicio solum, sed omnium, miserior longè mortuis erat. At de his qui liberi viuunt inter Mundi delicias, ridebunt homines. Accedit quòd si huius captiui filium potuero interim interficere, cur non magis explebo animum, & vltioni satisfaciam? Quinimo, malim illius peremisse filium, & vt ipse liber sit. Sicut etiam in declamatione illa Quintiliani Pater filium sibi dari postulat, non patrem in quem effundat totum virus. *Er*: Certè res maxima est perimere filium innocentis parentis qui causam flagitij filio non dederit etiam si filius admiserit. Sed sepositâ irâ vbique rationi consulendum. Primum dicit aliud est esse liberum, & in delitiis, aliud captiuum sine solatio: fateor: sed etiam longè aliud est torqueri multis annis, & tribus diebus quibus (maximè si decori consulere velis) ad summum in tormentis inimicum tuum citra mortem detinere potes. Quod verò de solatiis addidisti nulla maior est pœna, & cruciatus quàm qui inter voluptates viget, modò non tam paruus sit vt eum extinguat, aut obruat. Habes experimenta plurima primum illud de Pastore superius recitatum in quo cogebatur ille miser conuiuij hilaritate frui. Vidimus & in luctu positos ex tristitia resurgere ex prosperis omnino consumi. Agathocles cum sui periculi meminisset, oblitus est filiorum salutis, quod perinde erat ac perdere: vbi ipse euasit vbi regnum recuperauit, dolorem mortis illorum impatientes tulit. Si captiuus fuero apud hostem acerrimum, potero obliuisci mortis filij, si liber non potero. Duo dolores cum pugnant minores sunt vno. Podagrosus oblitus est podagræ dum fugeret hostes. Et morbus corporis animi metum minuit. Ita confusæ perturbationes magis agitant animum, minus affligunt dum nescit ille qui vnus à quo magis cauere debeat. Si filium illius in vinculis habeam, aut vnum aut alterum dimittam, vt vehementius illum affligam. Multi dolores cum vni quantum vis insistere licet non plus discrutiant, sed his vtimur cum vno ad libitum non vti licet. Maximi Tyranni doloribus multa miscebant iucunda. Ratio id ostendit: vt enim ex calore magis vim frigoris sentimus, ita ex delitiis laxatis penetralibus animi, & corporis sentimus acerbissimos dolores. Adde quòd iniustum est filium, si bonus sit plectere pro paterno scelere: Si iustus sis nunquam aliquem nisi improbum læseris. Propterea neque à probo inimico metuendum est. Nam si non læseris cur si læseris, & tu probus sis non lædet vir probus probum vnquam. Si improbus, non est vt quæraris cum iusta pateris. Non ergo de captiuo filio vltionem sumam. Neque etiam illum affligam: nam incertum reddam doloris sui, sed nil maius esse potest quàm diutissimè ad singula momenta recordari dedecoris, suspicare, timere, pœnitere quòd sua causa semet in has intruserit miserias. Qui ergo liber est hæc & alia mala cum sentiat, nec speret euadere posse, quod in captiuis vix adimi potest necesse est maxima in calamitate viuat. Interim tu contra cum hæc cogitas tranquillissimè. Hæc prohibeo, vt pessimum virum quantum per occasionem licet interim per laqueos, decipulas vim vlciscaris. Vt virum te exhibeas & tranquillus tamen viuas. Quod tanto facilius ac melius facies, quanto liberiore animo: & quanto medicus alium sibi amicum melius curat quàm metu præpeditus & cupiditate celeriter sanandi seipsum.

Considerandum etiam est in vltione atque ira, quoties aliis irascimur propter ea quæ nos in alios fecimus aut facere voluimus. Ipsi nos maledicimus, nolumus de nobis maledici: ipsi minuimus aliorum existimationem, nostram nolumus non attingi: ipsi nos aduersati sumus aliis, ægrè ferimus, si quis aduersum nos eat: ipsi nos deludimus, ridemus, scommata iacimus in alios, si quis horum aliquid in nos agat faciatve Dij boni quantas turbas excitamus: iniqui æstimatores nostrorum bonorum quæ maxima esse putamus, & alienorum quæ minima. Quin etiam quàm multa quæ non fecisti, facere tamen voluisti. Ingratus est, excandescis, an tu nemini vnquam ingratus fuisti? Sed nolens? an scis quod ille consulto talis sit? an non quod deest tibi scilicet facultas etiam deesse potest & illi? an reliquis omnia sunt commoda tibi soli nihil? vide etiam an idem tu facturus esses in illum quod ille facit in te? Sed dicis ego ex causa facturus essem: at ille ex causa, vel quia decipitur, vel quia persuasus, vel quia non putat se posse stare nisi tu excidas. Quid tu facturus esses, si idem crederes? Multa refert ætas, animus pusillus, imperium potentioris æmulorum tuorum, vel suorum incitationes dolique: fama vulgaris exemplum alterius vt quod est bonum in alio malum sit in illo, ille tamen putat esse idem. Denique in omnem casum decet suppressisse iram, impetum retardasse. Laudatur hoc in Platone quod ego vitupero, sed sunt Græcæ leuitatis ostentationes, non virtutis exempla. Deliquisse seruus vnus Platoni videbatur: tradidit Spensippo cedendum qui fortè aderat: dicens hunc tu verberato, vt ego nimis in illum ob iram sæuiam. Sed tamen iratus iam verberandum tradebat. An non melius fuerat seruum vapulare à Platone quieto, & factum diligentiùs expendente? Certè: sed cur non fecit quia non patiebatur moram quin videret verberari miserum. Addidit tamen id de Spensippo, nepote suo, vel ad ostentationem quod potiùs credo quàm quod timeret ob iram errare. Quandoquidem qui iratus est talia dicere non potest. Sed vtvt sit iram declinare oportet in qua animus egregiè fallitur velut in inspiciendo fluctus agitatos, res vt sunt deprehendere non possumus ira minuit virium alienarum æstimationem, suarum auget: aliorum crimina contra auget, propria minuit. Pericula imminentia occultat: occasionem benè agendi tegit omnia perturbat, conuoluit, miscet, obscurat. Et quantò vis potentior est eò magis dedecet & noxia est relinquamus illam

mulierculis & infantibus, quibus pro armis est. Ita ob misericordiam aliquid impetrant, ob iram nihil. Non est ferenda ira nec tolerabilis, nisi quæ cum fletu est, quæ non minatur sed ad misericordiam mouet. Quid periculosius ira? minatur superioribus: intempestiuè pugnat: arma sua deserit verba contra facta obiicit: impetum inanem solidis viribus opponit. De te aliquis vnus malè dixit, tu de multis quotidie dicis, tu iratus, & ille iratus par pari referas. Sed quando de vna vrbe simul de vna gente tota malè sentis cum quereris iniustè cogita quid merearis: cum imprecaris vrbi aut Regi propter quem tot perituri, vel saltem perpessuri sunt mala, quid tibi debetur cum ex vno tam ingentes pœnas, qui te offendit si posses sumere, cuperes. Propterea quidam ebrij quidam lasciuiendo quidam ludendo, plerique non malo animo dicunt tu tamen illis malè esse vis? sunt qui præ consuetudine benè dicere non norunt, tu tamen vis vt pœnas subeat ab eo qui se cordatum profitetur cum etiam plebeius quisque quòd vsu non iudicio peccet, ignoscat. Omnia vitia socios plures inueniunt: etiam latrones, fures, mœchi, lusores, ganeones, auari, ambitiosi, inuidi, siccarij, solos iracundos & insanos ac proditores vitant omnes, qui sapiunt. Sed & proditores plures inueniunt socios & minus periculum est cum illis versari cum eos agnoueris quam cum iracundis. Dicam quod aliquando euenit, vt intelligatis quacunque in occasione fugiendos esse iracundos: Dum Mediolani, habitarem, erat quidam iuuenis Ioannes Cardanus vnus superstes è viginti tribus Alexandri Cardani qui cum consuetudine societatis iunctus esset alteri adolescenti iracundo de Casatis illeque colaphum incussisset iratus vni adolescenti nescio cui venit percussus paucos post dies vt vlcisceretur cum sociis Casatum, Casatus procul illum videns fugit educto ense, at illi cum Ioannem depræhendissent cum ense nudo tanquam defensurum Casatum illum miserum omnino culpæ expertem interfecerunt. Hoc non pro vno casu sed decem millibus, qui quotidie eueniunt huic similes narratum sit. Aliud diuersum valde in alio genere. Medebatur Medicus celebris cum alio non adeò præstanti nobilem quendam iracundum valde: secundus cum remissum, vt videbatur valde morbum existimaret contusum è carnibus suasit ægro, sumpsit, vrina paululum perturbata est, videbatur tamen ægro quòd benè se haberet, venit ille primus & aderat alter etiam qui contusum è carnibus concesserat: dicit accepisse contusum, & iratus subiecit, vt tegeret medicum alium se suopte consilio accepisse: iam quinque esse dies quibus sine febre sit, & illum non iussisse dari carnes: credidit medicus egregius non consilio alterius sumpsisse carnem, quoniam febricitaret: monuit non perseuerandum esse in carnibus contusis, quod vrina esset facta deterior: exclamat æger coram multis amicis suis qui ad inuisendum conuenerant se cõsilio alterius medici sumpsisse & conualiturum etiã si non priuet se tali carne: ille primus medicus eiusq; prænomẽ & nomẽ recitat: ita sua iracundia de eo quod medicus ille monuerat ad salutem criminatur tanquam de maximo errore & accusat. Atque hæc sunt merita, quæ reddit vir iracundus. Alius Gallus dux militum iracundia ferox cum scutum aureum solueret medico in singulos dies, cum medicus præcepisset medicamentum sumere quod inuitus faciebat: forsan imaginatus quòd sic protrahere vellet morbum, nam ira omnia in deteriora transfert suspitiones, casus, facta, dicta, coniecturas, risus, gestus, dum iratus esset iam quod suspicaretur eousque morbum protractum medici auaritiã, & paucis tamen diebus ægrotabat euaginato gladio coëgit medicum bibere pharmacum: & ita dato aureo dimisit cum tanta iniuria & magno metu perculsum & cum iactura medicamenti sumpti, & periculo ac dedecore cũ Mediolani hæc res apud omnes diuulgata sit ab eo (ea enim in vrbe dominantibus Gallis acciderat hoc) & absq; vlla causa hæc sunt lucra cum iracundis. Dixi deterius esse cum iracundis versari, & periculosius quàm cum perfidis. Dicam aliud maius etiam quam cum insanis, multi enim imò plerique insani non sunt adeò furiosi, nec adeò clamant, verberant vt iracundi. Sed aliud nouum secretúmque ex hoc aperiam cum iracundus sit omnino indignus amore ac societate, & his qui cum eo degunt periculosus, & omnes mortales omnia propriæ vtilitatis causa agat, necesse est vt omnes comites ac socij (ni sint parentes aut filij vel fratres (vt sint eius proditores, qui captantes occasiones, aut illum spolient, aut saltem irrideant.

Vultis videre quam iratus manifestè peccet & quàm sæpè: quod reconciliatus & sedatâ irâ damnat quæ in ira peregit. Nota est historia Alexandri qui Clitum collectaneum suum & qui eum à morte præsenti defenderat interfecit iratus & ebrius, deinde vbi resipuit discussâ ebrietate, irâ sedata, fame necare se decreuit. Nec lusit nam triduo toto à cibo abstinuit iuuenis exercitiis immodicis assuetus biliosus nec nisi fratris claustris & euersis ianuis & longis precibus totius exercitus fatigatus & rationib. validis aliquo modo persuasus adeò ex ira contra amicum in iram contra seipsum exarcerat, cibum accepit. Vide quàm violenta sit ira. Huc pertinẽt omnes fermè qui mortem sibi intulerunt Cato, at Brutus Cassius totq; alij quos non metus occidit cum possent euadere, sed ira ferox. Quin etiam Catoni Cæsar pepercisset. Vnde Cæsar dicere solebat Catonem maluisse salutem propriam perdere, vt gloria sua eum fraudaret. I modò tu & virtuti tribue, quod dandum est vitio. Nam si in seruitute viuere turpe est cur suasit filio, vt Cæsari reconciliaretur. Nota est ira Campani illius, imò furor cui cum consul ex decreto Senatus parceret ipse filios & vxorem, inde seipsum occidit. Nihil igitur est hac perturbatione vehementius. Timor excutit hominis mentẽ de sede, si magnus sit, sed simul etiam eripit vires: at ira cum excutiat mentẽ de sede, vires etiam addit. Dicis, at ego nemini iniuriã infero, mãsuetus sũ, comis, laudator, beneficus, quid

quid est cur alij me iniuria tam iniustè afficere debeant. Sed quoties non animaduertens alios afficis iniuria. Mœcharis & non afficis iniuria ? amas sororem filiam alicuius & illum iniuriâ non afficis:permitis tuos vagari obsidere facta aliena, verba iactare, & non es iniurius. Homo sæpè tum maximè iniurius est, cum iniuriam nullam se inferre existimat. Deinde si hac parte non peccas, aliâ es improbus, auarus, inuidus, impius, luxuriosus, segnis, vis tibi parci à Deo, a legibus ne puniaris ab hominibus ne infatueris, nec aliis vis parcere. Tu tuo modo peccas, illi suo tam natura, casus, consuetudo illos ad iniuriam impulerunt quàm te ad intemperiem vel auaritiam. Quid est quod Christus inter maxima tormenta & dedecora & iniquâ damnatione dicit Domine ignosce illis quia nesciunt quid faciunt. At hoc quod tu putas semel dictum, quia rarum tam frequenter contingit, vt nihil sæpiùs. Maxima pars hominum naturâ stultâ est, plebs, pueri mulieres, insani, suspitiosi, iracundi: reliquorum tam paucæ actiones sunt consideratæ vt mireris perturbatio eas exagitat, consuetudo, causæ quæ præcipitant ad illas falsi amici, mala institutio à teneris, nimia celeritas.

Si per Syluam magnam ires & ramis virgultis,radicibus occurreres an indignareris ? venistis in hunc mundum Syluam malorum hominum, indignaminique quod malis hominibus decies in tota vita occurratis, & non gratias Deo agitur, quòd non decies singulo die: indeque illis irascimini tanquàm propter vos solos mali facti sint vósque solos læserint cum & parentes & fratres & propinquos prius, & amicos, & vicinos,aliosque quoscumque nouerint millies maioribus damnis ac contumeliis affecerint. Narrabat mihi H. Cardanus Mediolanensis quòd cum Bononiam iuisset alium ibi medicum inuenit professorem quem medici suis conspirationibus expulerunt. Idem aggressi sunt contra illum: coniurauerant enim ne quis Doctor illum audiret, ne quis ad curas aduocaret malè dicebant de eo apud Senatores ipsos medico quodam pessimo ac patriæ proditore id vrgente: contigit ergo, vt omnes fermè quòd ad exercitationem artis attinebat illum relinquerent: Ita fit vt omnes fermè vrbes cum oculos habeant in tenebris ambulare velint: peribant autem illorum inscitiâ quotidie multi, ac multi, dicebat autem ipse, cur vis succensere stultè his, nonne satis benè prouidit vt tu minus laboris habeas illi suæ stultitiæ pœnas luant. Nam de gloria artis iam satis tibi comparatum est: lucri nihil perit cum plus emolumenti habiturus sit ex libris quàm ex assidua exercitatione. Ita ille vt turris immota inter procellas quiescebat. Neque illis est irascendum nec ipsi Authori, non parcunt patriæ, non parcunt miseris ciuibus, non amicis, non fidem illis habentibus non honori suo, non animæ suæ, non Diis, quibus se displicere tot criminibus intelligunt & vis vt parcant tibi homini ignoto alienigenæ nil de illis bene merenti, & quem arbitrantur sui similem. Perimunt quotidie sex ægros imperitia, quidam etiam Forsan venalem habent hominum vitam, & vis vt magni æstiment de lucro & ambitione certare contra te. Quid huiusmodi viris scelus videri potest quibus prodere tot infantium vitam & insontium ludibrio est ? Ita vir ille Tranquillam ducebat vitam & pro lucro ponebat quod alij summâ vi vlcisci parassent. Ph. Sed cum interim domum rediissemus pransi sumus.

A prandio, Ciuis inquis, optimè iudicio meo iram damnasti effrenem sanè animi impetum quo tot mala quotidie contingunt quibus mortales omnes conflictantur: bella seditiones rixæ, persecutiones, cædes, vincula vt audeam dicere mortalium malorum iram esse deuncem: sed tu quid facturus esses si æmuli te perpetuò affligerent: an velles quiescere & omnia pati ? *Er.* Non equidem: nihil deterius quàm lapidem te ostendere cum carneus sit. Duo ergo cum sint auxilia iubent medici à leuiore inchoandum, modò de summa rerum non pericliteris. Auxilia contra eos qui tibi aduersantur, sunt illum tibi reddere amicum, atque id leuius, securius, melius. Quod igitur melius est, Securius, faciliusque paratur, id præponendum est ei quod difficilius, periculosius, ac minus est vtile. Ostendamus autem singula ex his. Quod parare amicum tutius sit quam vlcisci nemo est qui dubitet, non consumam tempus in rebus claris atque manifestis, sed & quod longè melius id facilè demonstrabo. Nam si pugnes contra duos & vnum occidas iam tibi vnus solus superest hostis, par cum pari pugnas: at si ex duobus hostibus vnum tibi concilies duo eritis contra vnum: at quanto facilius est duos contra vnum vincere quàm vnum ab vno superari ? Sed illud est difficilius ostendere quod facilius sit. At vincere hominem cùm sitis omnibus amicis fautoribus familiaribusque vltimum est reconciliare cedendo, pensando iniuriam, excusando, interponendo amicos, hoc neque nouum est, neque rarum exemplum: sic Tiberius Gracchus Scipioni, sic Vatinius & Gabinius Ciceroni, sic Lentuli P. Cl.Pulchro: C. Antonius quoque & M. Colonius Caninio Gallo, &. Q. Pompeius Cælio Ruffo. Et M. Crassus Gn. Pompeio: Sic Cimon & Pericles Vespasianus & Mutianus: tanta verò est horum exemplorum & tam ampla seges, vt quotidie decem in vnaquaque vrbe ex inimicis amici fiant. At posse vlcisci planè acceptam iniuriam tollere inimicum totis agentem viribus rara res est ac perdifficilis. Quid ergo est causæ, vt cum possis hoc, illud vix possis aut omnino non possis,quod non possis, velis, quod possis nolis ? Cogita etiam illud homo qui inimicus nunc est, aliquando amicus erit, aut si non erit esse poterit. Quid ergo vtilitatis mihi comparabo, si opes autoritatem, potentiamque illius minuero, eâ aliquando vsurus ? nonne hoc ipsum

ipſum eſt contra me facere ? Itaque filioli mei fugite iracundos & iratos atque iram ipſam. *Ci.* Sed quomodo vt fugiam agnoſcam iracundos ? *Er.* vultu quidem regula quadam generanti : cum affectus immutet vultum frequens affectus plurimum immutat illum. Ideóque iracundi irati ſimilem vultum habent. Eſt autem iratus. Rubicundus tumidâ facie, atque oculis, balbutit in eundo inconſtans colorem frequenter mutat. Cæterùm quod ad corporis ſtatum attinet inquit Ariſtoteles: Rectus corpore : figura benè latus: animoſus, ſubrufus, ſcapulæ diſtantes atque magnæ latæque : extrema magna & valida : leuis & circa Pectus & circa bubones : barbatus probè, Capillorum ambitus floridus, deorſum tendens. Itaque cum hominem inuiſeritis huiuſmodi vel ſi aliter iracundum deprehenderitis fugite procul & vitate has peſtes. Quin etiam aliquid contrahitur ex conſuetudine vitij præter periculum.

Vnaque contracta liuorem ducit ab vna.

Ci. Attamen dici ſolet illud.

At vindicta bonum vita iucundius ipſa.

Et ſequere & inuenies quid reſpondendum. Nihil amarulentius vindicta, quando contemnendo eadem fermè, quid fermè, imò plura conſequeris quàm vindicando. *Ci.* At Nerua.

Telis phœbe tuis lachrymas vlciſcere noſtras.

Et vindictam vir ille piiſſimus non optat nam vide quid poſtmodum agerit Traianus ſucceſſor imperij ad quem ſcribebat: ſed requiem à laboribus. Quid eſt quod iraſcaris cum ira ad inſaniam & furorem ſæpè conuertatur. Hercules iratus Euriſtheo inſaniuit occiditque vxorem cum filiis liberatus demum à furore potu aquarum ; vnde fingitur ad inferos deſcendiſſe ſed ante furorem cum aquas biberit poſt furorem vtcumque ſit denuò poſt paucos annos ex ira rurſus & morbi impatientia & ingratitudine mortalis generis ſe in lyram non fabuloſè iniecit. Quid ſi dicam paradoxum iracundum inſano eſſe periculoſiorem cum inſania mitis fuerit. Quinimo aula inſanos requirit pro deliciis & ſtultos iracundos vitat. Inſani voluptatem iracundi timorem, dolorem afferunt, & eis ad quos nil attinet admirationem. Superat ira auaritiam, cogitque effundere & perdere pro quibus perire maluiſſet. Odiſſe verberaſſe occidiſſe quos ſanguine redimeret: Ambitioſus honores reſpuit: luxurioſus reiicit pulchra: timidus abiicit vitam. *Ci.* Quid ergo faciemus ſi quis nos vt euertat ad iram prouocet.

Er. Magnum attigiſti ſcrupum ô amice. Multi enim conſulto & apud Principes fidos illorum ſeruos collidunt. Sunt enim iracundi plerumque vbi ab ira receſſerint iucundi, manſueti, fideléſque præ cæteris hominibus ac etiam ſatis iuſti : quod ille humor vt excandeſcit facilè concitatur, & ob id tenuem cum eſſe neceſſe eſt. At tali humori ratio dum quieſcit plenè dominatur quo circa & ingenioſi ſunt iracundi, & intellectu præditi vt diebus præteritis ex Platone narrabam. Quid ergo agas aduerſus hos ? Equidem vt ante dixeram ſi fieri poſſunt ibi habitandum, vbi ius colitur, improbi puniuntur. Quorundam etiam Deus iniurias morte finit occulta quadam ratione. Sed & vt dixi malos caſtigare non pertinet ad iram ſed ad iuſtitiam, docui enim omnes caſtigandos, ſed inimicos longè iuſtius iudicio vulgi. Sed fac vt perpeti cogaris longo tempore iniuriam te prouocantis ad iram : tùm id cogita primum quod deterius eſt, ſcilicet ſi à magiſtratu adipiſcendo prohiberis à domo exire tamen potes. Quòd ſi ægrotares non quereris, & tum amiſiſſes & magiſtratum & libertatem. Idem ſi captiuus fores, ſi ſeruus: cur ergo non in lucro ponis quod ſis liber, inter calamitates numeras quòd non fungaris magiſtratu. Eſt ergo ira non iactura. Cogita illud, nihil abſq; Dei voluntate fit. Qui virgulâ te cedit poterat & loro, & qui loro falce, Qui inimicum tibi immiſit, ille idem poterat te in morbum atque mortem coniicere. Maxima ſalutis pars in rebus eſt Deus in cogitatione Dei recordatio. Si vir fortis es ede fortitudinis experimenta ? Si callidus ſolertiæ ? Si bonus cur contemnere non potes ? ſi nil horum, cur quereris ? Qui à Deo omnia ordinata putat, numquam iraſcetur non miniſtro cui parere neceſſe eſt: non Deo qui iuſtiſſimus eſt ac potentiſſimus. Semper mitius agendum eſt, memento quòd agnatus eſt tibi vel cognatus quicumque iniuriam inferre poteſt. Quid indignaris ira victum te iniuriâ afficere, quando hic affectus etiam populos corripere ſoleat. Magis ſimulare decet iram, quàm iraſci. Hoc enim ſtulti illud ſapientis. Eſt ira ſimulata pueris loco verborum, debitori loco iudicis : ſubditis vicem refert pœnæ: malè agere tentantibus loco præſidij illi aduerſus quē agitur: Reges commodè continent tam populos & amicorum praua vota cohibent. Quot viris ſapientibus ira hæc profuit ? Habet ſimulatio iræ iræ commoda nec habet incommoda. Non mente vocat, non importunè vrget, non errat, non eſt ridicula, non excœcat, nec hæmoptoim mouet, non bilis vomitum, non præcludit vocem, non dolores ventris non quicquam turpe facit, non lingua balbutit, non titubat pedibus, nec conuitia iacit in deos. Formidabilis expertis. Non eſt hæc ira ſed prudentia. Itaque & quàm habes vlciſcendi opinionem celare & quam non habes ſimulare vtile fuerit. Sed dicitis longa patientia opus eſt perferre importunum inſidiatorem aut hoſtem ? Sed ſi Deus perfert, cur tu perferre nolis ? *Ci.* At mihi nocet, Deo non nocet : *Er.* Quî ſcis an hoc ipſum tui commodi cauſa acciderit. Perſecutiones Lacedemoniorum coegerunt Themiſtoclem viuere, vt regem, cum domi nec diues eſſent. Quot mutare locum coacti in melius mutarunt ? *Ci.* At quot in deterius. *Er.* Certè clarus & probus nullus vnquam non melius extra patriam acceptus eſt. Nuper Matthiolus Senenſis cum villam vix regeret arte medendi in regiam conditionem mutauit

mutauit factus regis Poloniæ, ideſt, Sarmatiæ medicus. Ne dubitet quiſque : ſed ſi ignobilis arte aut improbus ſit, quid eſt vt doleat ? Non efficit ſimulatio iræ timidum ſed conſtantem, nam ira vbi deferbuerit animus timidos reddit. Quod etiam in nationibus verum etiam videmus. Quid enim fortius Gallis ob iram, vbi tamen victi fuerint, Italis, & Hiſpanis cedunt : tanto timidiores victi quanto ab initio belli fortiores. Diſſimulauimus ergo vltionis tempora & ſimulabimus iram.

Ci. Attamen Ariſtoteles calcar virtutis, iram appellat, & multi ab ira etiam excuſantur. Ferimus probra irati non Tranquilli : Et leges ipſo irato parcunt, alios puniunt qui conſulto aliquid egerint, tanquam excuſatione illos dignos hos indignos. *Er.* At tamquam qui ſimulauerit non hæc omnia melius facere poſſit. Quid ira facit, niſi vt vinum etiam vt homo facta ſua detegat atque arcana ? Caueat ergo homo ne ad iram prouocetur. *Ci.* Sed quodnam eſt auxilium aduerſus iracundos ? *Er.* Authoritas. Tetigit illud virgilius perpulchrè.

Ac veluti magno in populo, cum ſæpe coorta eſt
Seditio, ſæuitque animis ignobile vulgus.
Iamque faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat.
Tum pietate, grauem, ac meritis, ſi forte virum quem
Conſpexere, ſilent, atque arrectis auribus aſtant,
Ille regis dictis animos & pectora mulcet.

Ambitioſos timet iratus : ſuntque iratorum theriaca, nec vlla melior, eis enim ſi cum illis conueniant ſponte ſe ſubmittunt : maximè ſi admoneantur. Cæterùm, vt dixi, nihil eſt ira imprudentius. Cumque omnia animi vitia occupent hominem ſola tamen ira poſtquam occupauerit ſtare illum non permittit : reliqua permittunt reliqua etiam impellunt animos ira præcipitat. Ergo cum præcipitem agi videris amicum quid faciendum, ſi authoritas non valet ? Hoc habet quod quouis obice velut fulmen irritatur & magis lædit. Laxare igitur oportet huiuſmodi homines & illos ſibi ipſis relinquere : qui cum non habeant cum quibus exerceant iram inaniter illam effundunt : & exigui temporis innoxij euadunt, ſic Craſſus Cambyſis iram effugit, & mortem. Peſſimos eſſe iracundos declarat exemplum trium virorum, qui maximè fuère iracundi iidem quoque ſæuiſſimi. Cambyſes Sylla & Caligula. Vlciſceris inimicum, an ſciet vel non : ſi non, quid proderit tibi cum honori tuo non ſatisfecerit. Si ſciet & non occidas, relinquis à quo tibi perpetuò timendum ſit. Et ſi timēdum non ſit, ſaltem qui de te perpetuò malè dicat. Quòd ſi adeò miſer, & imbellis ſis vt nō audeas maledicere, reliquiſti exemplum miſerabile imanitatis tuæ. Quòd ſi interfeceris hominem dicam illud Platonis : Fertur enim interfectum vi hominem qui liberè vixit interfectori proximo ſtatim poſt mortem tempore iraſci, ac propter violētam mortem, terrore turbatione que plenum, maximè ſi viderit interfectorem inter ſuos more ſolito viuere, interfectorem ipſum eiuſque actiones, vim ad hoc ſuppeditante memoria cunctis viribus terrere atque turbare. Quæ, ego ad naturalem rationem abſque vlla immortalitatis animi mentione neceſſitatéve fieri exiſtimabo. *Ci,* Sed dic ſodes quomodo ? *Er.* Quoniam qui ſic hominem occidit maximè cum ira deferueſcere iam debuit motu magno agitur, vtque moueatur corpus ab eo principio neceſſe eſt : animus igitur à voluntate ſeu ira ſeu odio vehementer mouetur : vnde ex humana ſympathia, cum ille pereat reelididitur animus interfectoris atque percellitur. Si igitur quieſcat in ſuo ſtatu nec ab aliis maioribus perturbationibus agitetur ſentit eam impreſſionem conceptam in ſanguine, ac ſpiritibus, & parte animæ quæ rerum reminiſcitur & eſt vis imaginandi, quæ non aliud eſt quàm rerum memoria, vnde terretur imaginibus non ſolum per ſomnum ſed & cum ſolus extiterit. Non ergo iræ opus vnquam bonum eſſe poteſt, aut vtile, quomodocunque vlciſcamini. Memorabile eſt exemplum veniæ, etiam in Populis ipſis. Sæpiùs rebellauerant Volſci, à Romanis tandem cum excidenda vrbs eſſet veniam meruere. Architas cum vidiſſet hortos & agros omnes à villico ſuo incultos & horridos, dixit illi, cederem te, niſi eſſem iratus. Hoc laudabilius exemplo Platonis, Multa huiuſmodi referuntur exempla à Valerio Maximo vbi de moderatione agit. Eo ipſo vt omittamus omnia mala quæ de ira inferri poſſunt, quoniam ſunt pluſque infinita iram ſupra omnia refugere oportet quod ad nullum aliud vitium tanta nec tam certa pœnitentia ſequitur quàm ad iram. Ira occidimus homines, peſſum damus quæ chariora ſunt, amicos amittimus, ſeruos & filios è domo pellimus : cum ſociis rixam excitamus, ſecreta prodimus : immerentibus malè facimus, Clamamus publicè & flemus : proiicimus, abiicimus, iuramus quæ ſeruare non niſi magno damno poſſumus, damus aut concedimus, quæ poſtmodum dediſſe piget. Accuſa illam apud te, produc illius, malè facta in publicum : comparanda cum cæteris vitiis : nam non eſt aliquod eo deterius ; demum damnanda & execranda cumque animus Tranquillus ſereno cœlo ſimilis ſit, iratus procelloſo atque tempeſtuoſo cogita, temetipſum Tranquillum reddas cum Princeps Mediolanenſis tributa ſupra modum exigeret Patritius quidam è familia Panigarolarum dixit ei, Quid vultis vt agam, cum mihi ſint quatuor filiæ nubiles. Reſpondit egregius ille Princeps ira percitus, deducito ad lupanar: contra & ille irâ percitus maiore, non potens ſibi temperare educto gladio Principem punctim percuſſit : Fortuna quæ tum Principi fauebat, effecit vt in auream fibulam quæ cingulo inſecta erat, impegerit ; vnde fruſtrato ictu occiſus eſt ſtatim à cuſtodibus Principis. Ita ira multa ex cauſa vnum perdidit, alterum penè. Putat Seneca primum non poſſe hominem iræ reſiſtere, ſed

conceptam

conceptam sui iuris esse non admittere vt sæuiat, argumento deducto ab hoc quod Socrates etiam irasceretur tumque vocem submitteret & partius loqueretur. Quis nescit hæc fuisse illius figmenta & nugas vt dominari etiam naturæ videretur: facilius non admittitur, quam deletur. Si quis rectè secum perpendat rationes quas dicam aduersus perturbationes numquam sanè irascetur: dolebit etiam rarissimè. Nam dolere quasi necesse est homini, quod neque saxea natura sit, neque diuina: quod tamen paucissimis in casibus in sapiente euenit. Nec est perturbatio, sed naturalis affectus: vt corpori calefieri aut infrigidari. Hocque ipso etiam à Stoicis differimus opinione. Signū verò illud in Socrate, scilicet vocem submittendi & partiùs loquendi fuit non solum in illo, sed in quibuscunque hominibus qui vel pudore nolunt irasci, vel qui suis quos amant aut venerantur irascuntur. Est enim iræ non vltionem quærentis aduersus illum cui irascitur, sed quasi in seipsum vel ob amorem eius cui irascitur vel ob venerationem. Itaque vt rem tandem concludam, duo sunt circa iram consideranda: primum, quomodo eliminari possit, & quod eliminari possit: atque eadem hæc fermè communia videntur omnibus vitiis ac passionibus, tum etiam perturbationibus animi. Primum ergo sic fiet, si vnunquodque vitium ad libram & Trutinam singulo die reuocabitur: quod fecisse sextium quendam apud Senecam legi. Et vt irascatur homo iræ suæ quemadmodum scorpionum alexipharmacum proprium est ac nobilissimum, ipse scorpio ita irasci iræ suæ maximè conducit. Si ergo quis singulo die damnet ea in quibus deliquerit non solum per iram, sed per odium, vecordiam, ignauiam, stultitiam, vanum timorem, spem fallacem, fidem frustra adhibitam improbis malorum consuetudinem nimiam cupiditatem ac talia huiusmodi animum reddet syncerum atque Hilarem Tranquillum & ab omni labe immunem ac purum.

Gutta cauat lapidem non bis sed sæpe cadendo.

Non dissoluetur etiam mons assiduo attritu? Porro quæ confirmare debent hominem aduersus omnes perturbationes animi sunt. Sex præcipua quæ si quis consideret duobus exceptis casibus numquam dolebit: nam de ira iam satis dictum est, quod iram simulare sæpius expedit etiam vsque ad errata. Neque enim iram simulaueris nisi eam rectè simulaueris: sed tamen fac vt non sit ira sed iræ simulatio. In illis verò casibus dolebit quidem alius, alius non. Et si res vno modo se habeant dolebit quidem iure alio non. Nam si generatio Æterna est quod Peripatetici aiunt, ego non credo, dolendum est abruptam esse æternitatem: si non neque dolendum est. Itaque illud, primum dicas possum sine incommodo non irasci: non iratus est Prexasper Cambysi, non Harpagus Astyagi, non Augustus Pollioni ob Timagenem? non Philippus Legato Atheniensium, qui dixerat ei vt se suspenderet, distulit si non continuit iram. Bibulus occisis duobus filiis à militibus Gabinianis illos tamē reuinctos tradidit Cleopatræ quæ eos miserat, dicens non ad illum sed ad Senatum spectare hoc iudicium: Ludibria hæc continentiæ moderationis & sapientiæ, sed tamen sufficiunt ad ostendendum id quod decreueramus scilicet quemlibet habere suam iram in potestate, saltem vt eam dissimulet. Maiora sunt, quæ de Ioanne Gaulberto equite Florentino referuntur quem constat cohibuisse iram contra interfectorem fratris vnici, sed hæc ad miracula referuntur. Nullus iam est, qui non sciat etiam si vlcisci proposuerit iniuriam dissimulare. Proferre ergo vltionem atque differre iam cuiuslibet est: at si differatur vtilius est & seuerius & honestius omnino non irasci quandoquidem ira nil aliud consequeris, quàm vt detegas voluntatem & non possis vlcisci: vt videaris iniustè vlcisci: vt discrucieris, vt aberres in vlciscendo, ergo omnino non irasci præstat. Secundum est argumentum quòd qui infert iniuriam ex ordine vniuersi infert: à Deo id permissum est: ordinatum vt aberret in iudicio: non vt volens inferat, sed vt tegulà cadens inferat: qui infert nolens iam vltione dignus non est: ob id cur irasci expedit diuinis ministris, aut aliis, sed potius dominis: at domini sunt Fata, Deusque, irascemur ergo Deo ac Fatis? omnia hæc nugæ sunt impatientis. Sapientis est etiam quod tempus præstat id sibi primum asciscere: at tempus dat hoc, vt iniurias minuamus, obliuiscamur, negligamus, obliteremus. Finge igitur præteritum esse tempus cum commodo, quod sine commodo omnino dilabetur, quid est ergo vt iniuriarum non obliuiscaris. Multis illud est proponendum quòd minora sunt hæc quàm quæ contingere potuerint & quam contingere soleant: Et quòd omnium tandem finis est mors. Ablata pecunia, honor amici, cum morieris, hæc omnia & longè plura amissurus es. Attulit iniuriam, quia eiectus es à collegio, at ciuis es, & socios habes: poterat & exulem facere vide quæ aliis contingant. Demum illud supremum est & super omnia quòd diuini sumus, & ex diuina stirpe orti, quodque animus hic noster violari non potest. Non vlciscuntur Dij iniurias, quoniam violari non possunt, Quid ergo cum te diuinum esse sciat in causa est, vt vltionem mortalis desideres. Dicebat Hieronymus Cardanus amicus ille meus, non cupio facere, neque videre vltionem de inimicis, quia morientur illi, at ego semper manebo. Credit, enim ille monumenta sua semper mansura. Et certe plurima possunt: vt si ad multitudinem respicias, non aberret. Verùm omittamus hæc eo supposito rectè iudicat, & tamen gloria illa librorum vmbratilis est quamuis quòd sub illa continetur solidum sit scilicet mens aut mentis imago: at si æternus est animus noster à quo quæso potest violari? liceat ergo nobis ab ira non moueri & Tranquillo esse animo. Sed plurimi

ximi sunt qui quamdiu vlcisci nequeunt, irascuntur, cum possunt nolunt, quoniam sufficit illis victores videri & potuisse vlcisci. At si neminem vlciscaris nisi malum nunquam poterunt existimare te non potuisse vlcisci, sed noluisse credent. At non vlcisci malos ambitiosi est & stulti: quandoquidem vt dictum est.

Veterem ferendo iniuriam, inuitas nouam.

Ph. Hæc cum dixisset satis tarde cænauimus.

A cœna inquit *Er.* videtis amici quantum mali pariat ira vt nesciam aliud commodum quam quod soluat amorem vt in prouerbio quamquam non rarò etiam illum adaugeat, in reliquis prorsus est inutilis. Quæ cum confirmatur, in odium vertitur. nihil enim aliud est ira quàm odium temporaneum, & odium est ira perpetua, vt quæcunque de ira dicta sint de odio etiam possint esse dicta, verumtamen etsi Seneca existimet odium esse rem immedicabilem & deteriorem ira, non tamen ita est, sed velut acuti morbi si in diuturnos transeant sanabiles fiunt, quia moram patiuntur & auxilia admittunt, ita ira cum in odium transierit multo melius sanari potest, quàm dum feruet & vrget, est enim odium ira paccata & ira odium feruens, si deposueris iram cur non & odium omnibus vna satisfaciet mors. Cupis extinctum qui nollet viuere: amas igitur non odis. Odio habetis omnes malos: hoc vt dixi non perturbat nos: sicut neque quod vitia oderimus necesse est hominem qui viuat, aliqua amare & odisse. Non liuor non inuidia perturbabit sapientem, quæ nihil nocent aliis sed solum nobis Dicebat enim ille.

Inuidia siculi non inuenere tyranni
Tormentum maius.

Honestior est indignatio, sed tamen & ipsa doloris species vt etiam commiseratio. Et vtrumque bonorum est non malorum: contraria verò inter se. Indignamur autem cum boni fuerimus & premiis ac honoribus digni, hæc verò assequi alios cernimus non his dignos, seu nos habeamus quòd non rectè ea bona distribuuntur seu non habeamus quod dupliciter peccent iudicia hominum. Non indignatur homo nisi de iudiciis hominum nemo enim rectè indignatur de thesauro inuento aut necessaria hæreditate, aut bono fortuito, sed si ab hominibus dentur pecuniæ, gloria tribuatur, magistratus concedantur, honores illi exhibeantur. Et si eis faueant. Porrò ex Aristotelis sententia ita distinguere oportet indignationem ab inuidia & odio: Nam homo indignatur cũ indignis bona contingere viderit, inuidus autem etiam si dignis adeò vt mala cupiat omnibus euenire, sufficit tamen ei vt bona illis non eueniant: inimicus autem mala cupit, & cum contigerint etiam lætatur. Manifestum est igitur quod hæc omnia ad animi perturbationem pertinent. Multa hic essent dicenda, quæ tamen præter propositum dici possent: sed aperiamus Aristotelis sententiam: cum virtus sit medium vitiorum vt etiam Poëta dicit,

Virtus est medium vitiorum vtrinque redactum.

Et inuidiæ sint duo genera vnum quo tristamur de bonis alienis, aliud quo lætamur de malis quod est longè deterius, nam omnia vitia sunt eiusmodi vt stultitia deterior est vafricie, quæ sunt circa prudentiam, & auaritia prodigalitate: Et ira torpore, ita & maleuolus qui cupit malefacere & de calamitatibus gaudet deterior est inuido, qui non vellet vinci bonis: in eorum ergo medio constituit indignabundum: laudatque hunc affectum, quàm apte autem in medio illarum perturbationum collocetur, & vt virtus extollatur non est vt dicam. Verùm id magis conuenit quod iam dicere proposueram scilicet esse aliud indignationis genus quo erga amicos vtimur & claros. Indignamur itaque maximè filiis & parentibus & his quibus miseremur, & vxori & sociis & scortis & fratribus & Principibus. Est enim odij species cum desiderio tamen vt illis benè sit si enim ira & odium cupiunt illis male esse: amor autem lætos nos reddit, indignatio tristitiam affert sine cupiditate vindictæ, manifestum est quod hoc genus affectus, est indignatio. Omnia igitur huiusmodi cum dolorem inferant & misericordia, & indignatio, & maleuolentia, & liuor, & odium, & inuidia, & omnia huiusce generis impediunt Tranquillitatem, nisi vt diximus de generali odio loquamur. At quis potest dubitare totam hanc segetem in solitudine deesse. Cui enim ego irascar? aut cui inuidebo? vel cuius miserebor? quem odio habebo, cuiue indignabor? Indignabar venatoribus qui capreolum, fœminam etiam grauidam vulnerarant: miserebarque ei sed euasit seruataque est. *Ci.* At tu non vis hominum misereri, qui misereris capreoli & aniculi forsan? nec vis indignari his qui te rursus oppresserint, indignaberis his qui belluam vulnerarint? *Er.* Et propter id non tã gaudeo non perturbari, quàm non posse perturbari. Felicissima vita est diuorũ vitæ simillima: Diis simile est non perturbari, simillimum non posse perturbari at ego hic eo commodo afficior: Quæ ergo vita diuinæ potest esse propior quàm præsẽs hæc mea. *Ph.* Obstupuimus his sensibus, sed ciuis vt erat acutus vincor, cædo, sed adhuc causam habeo quâ sustentor in opinione, verũ vt reliqua puto & hanc dissoluet. *Er.* Dic. *Ci.* Si vita felix est in Trãquillitate, trãquillitas oportet vt sit sine perturbatione: Quid est ergo quòd homines quærũt audire, ac videre, repræsentari tragædias in quibus teste Aristotele cõmouentur misericordia & timor & animi maximè perturbãtur? illeque victor coram populo recedit, qui maiore affectu commouet animos audientium: Et ad illum magis accurrunt homines? Vnde ille partes in fabula Agnitio nouarum personarum spe aut metu plena Pripateia, cum ex fœlici infelix, aut ex infœlici fœlix, & ex fœlici infœlix redditur velut in lynceo ac Danao: prius exemplum, in Oedipo repræsentatur Quæruntur insuper Regum personæ vt magis moueant affectus & maximè commiserationem

tionem, quam tormēta & neces ac luctus demonſtrando perturbationemq; moriendo excitant. Itaq; vt magis fletus excitent & chori lugent & miſerabiles actiones repræſentantur. Siquidē Tragædia pars, ſecūda ſcilicet Epiſodia in qua fabula tota recitatur & cum annexis: nā in prima quæ eſt prologus, ſubiecta, narratio ſolum generaliter cōprehenditur: In Epiſodia hiſtoria ſeu fabula, cū his quæ extra fabulā ſunt ipſi tamē inhærent ordinatâ ſerie: Chorus mouet, augetq; affectus maximè cōmiſerationem, admirationem, timorem, & perturbationē. Eſt autem duplex chorus: vnus qui actionē Tragædiæ conſequitur lugubris ſēper ſi tenorē Tragædia ſeruat, atq; hic etiā ex pueris & mulieribus, cum mulieres in calamitatē inciderint conſtitui ſolet: Alter eſt qui ſolatur & bene conſulit calamitoſæ perſonæ, vt in Thyeſte Thyeſti, in Oedipode Oedipodi. Ob hæc refugit Chorus anapoeſtū atq; Trochęū, quia diffugiunt ac leues ſunt nec conſolationi nec luctui ſatis idonei, cum trochæus ex lōga & breui conſtet velut venit Anapæſtus autē ex duabus breuibus & vna lōga vt veneri, adhortationi quinimo & incitationi maximè idoneus: vnde Lacędemonij in bello eo vtebātur in tubis. Pars autē in Choro lugubris Cōmus dicitur, cæterum chorus communiter ex duabus partibus componitur Parodo & ſtaſſimo. In exodo qui eſt quarta pars & vltima ſoluitur fabula ſeu per aduentū deorum ſeu per machinam ex qua exit qui rationē reddit finis Tragædiæ. Hæc omnia igitur in hunc vnū finē ordinata ſunt vt cōmoueāt videntes & audientes. Et ſunt partes ſecundū quantitatē recto ſucceſſu Prologus Epiſodium Exodus, ſed chorus vbiq; & ſæpè maximè in Epiſodio admiſcetur. Adornant autē fabulā tribus quæ ad illā pertinent ſcilicet moribus vt cū probi qui patiantur introducuntur: ſic enim commiſeratione digni ſunt: Et cum quiſq; decorem ſuum ſeruat Rex regina ancilla ſeruus puer: Inde sētentiis grauibus & tamen pro natura perſonarum & elocutione. Extra autem fabulam & actionē vt oculos oblectent apparatu conuenienti, vt aures melodia. Hæc omnia ergo cum delectent, & tum maximè delectent cum animū moueant ac perturbent non videtur beata vita in animi tranquillitate ſed in perturbationibus potius conſiſtere. *Er.* Non tam mihi videris voluiſſe contendere quàm oſtendere quantus ſit Poëta: nec deerat quicquā niſi vt de Epopocia verba faceres. Nunc de his diſſeramus ô ciuis noue Athenienſis? Et pōſtquam tu egreſſus es ex Philoſophia ad Poëticen, ego te volentē propius reuocabo ex Poëtica ad muſicā, dico igitur quod animis cæleſtibus felicitas ineſt ſempiterna cū tranquillitate, non ex illa ea tamen perfectat eſt & abſoluta. In nobis velut in harmonia voluptatē affert ſymphonia quæ ſi non conſiſtat intercipitur delectatio atq; voluptas, vt in cātu ad fugam appellato, licet tamen & mirum in modum auget, non minuit declarationē tremulâ voce, vt etiā in cheli & lyra alternare vocem deſcenſu nō integræ vocis aut ſemitonij. Sed Enarmonico modo per dieſes & comata nō in illis quieſcendo. Talis motio titillat aurē & auget voluptatē, vt etiam in elymis leui remiſſione vocis & motu quaſi perpetuo digitorum, vt vox tremula vndet non remittitur ita titillatio illa quæ in ratione tragœditæ ſentitur, dum ea vides & audis, quæ nec ad te pertinēt nec vera fuiſſe putas, enarmonicū muſicæ genus in delectando animam effingit. Sic & me mouet Quartus virgilij Æneidos, ſed non perturbāt hæc hominē, & ſi moueāt lachrymas, dolorem in animo non gignunt. Plura enim viſa mouēdo lachrymas ex actionis vehemētia vt etiā exclamationes & voces querulæ dolorem tamen animi nō mouent. *Ph.* Hæc cū dixiſſet hora noctis quinta cubitum conceſſimus. Poſtera die cum iremus ad montes inquit: Nunquid ô amici in aliquo heri ad damnanda ea vitia quæ ex cupiditate nocendi proueniunt defecimus? *Ci.* In nullo vt mihi videtur prorſus, *Ph.* Hæc illo dicente Eremita cæpit flere fluebantq; ex oculis vbertim lachrymæ. Quid eſt, quòd adeò te perturbauit, ô optimè dixi ego quem putabam in ſumma Tranquillitate viuere. *Er.* Dicturus eram de amore ô amici, in memoriam hoc reuocauit mortē Ambroſij varadei ſocij atq; amici cuius mentionem feci ſuperioribus diebus & cū quo ſine querela vigintiquatuor annis in hac ſolitudine vixerā. Debuerat mors me iam abunde ſenem tollere, illum relinquere multis annis iuniorem: nunc contra actum eſt: ille iunior multis annis, ſolū me reliquit in hac rigida ſolitudine, ſed non tam dolore mortis illius moueor, quàm animi quadā teneritudine ac ſolitudinis in qua relictus ſum memoria. Nam quòd ad illū attinet nihil eſt prorſus quod doleā, quinimo potius inuideā. Quid enim amiſit ille morte ſuâ? Natus eſt vt obiret Deus & natura debitū ſuū repoſcuerunt. Moriēdū erat omnino & in ſolitudine quāto citius tāto melius, vt trūcus aridus in via quāto citius auellitur tāto commodius, neq; filios habere, nec ſcribere, nec contēplari poterat, hoc enim habebat mali vt literas neſciret, quis fructus vitæ ei ſuper erat? Tādiu viuendū eſt quādiu vel ſpes ſobolis detinet nos, aut cōmodum mortalium, aut quādiu vtimur vitâ beatâ. Diximus heri ad felicitatē pertinere vt homo eruditus ſit: hoc illi deerat. Magnū emolumentū mortaliū ſapientia. Canebat, ludebat cithara ſed & videbat, & audiebat, & comedebat, & loquebatur, & ambulabat: hæc omnia ſunt eiuſdem generis. At viuere eſt ſcire aut eum generare qui ſcire poſſit, vbi etiā finem neceſſe eſt proponere fini propiora beatiora ſunt. *Ph.* Hæc cū diceret lachrymę ceſſabāt nuturq; exhilarabatur. Poſt hæc cæpit de morte, luctu, ac metu mortis diſputare in hūc fermè modū, ſed nobis interrogantibus. *Ci.* O generosè in hac ſolitudine ab ira & odîo eſſe te trāquillū nihil miror, & fateor apertè quòd ad hoc attinet te eſſe tranquilliſſimū, ſed non idē contingit ab aliis affectibns omitto modò luctū præſentem, ſed de antiquo & mortis metu quomodo quietus eſſe poſſis atq; tranquillus nō poſſum videre. Certè & à peſte & forſan etiā à morbis vagātibus tutior eſſe potes, à peſte quidē quod nullus ad te veniat, à morbis vagātibus quòd in hac ſolitudine viuas & inter rupes in ære frigidiſſimo ac libero, ſed an peſtis omnino ſit vt homines intereāt diſputauit H. Cardan. in quodā libro appellato Paralipomenō ſatis luculenter. *Ci.* Sed quid concludit. *Er.* Neceſſe putat id contingere, ſe non ſimpliciter neceſſe: vnuſquiſque enim ſeruari poteſt vt in egredientibus per anguſtū pōtem,

non tamen omnes seruari poterũt, sed necesse est plures interire quàm seruari, sed quid ad hoc? sufficit quod dixi, me longè tutiorem esse ab huiusmodi periculis: præsertim tẽperata cũ ratione victus, sed de hoc aliis diebus sermo erit: nunc operæprecium est quærere an metus mortis & luctus qui etiam solitariũ hominem comitari possunt trãquillitatẽ impedire queãt, quod ab initio propositum esse. Tũ verò illud subiiciemus, an & ab hoc tutior sit homo in solitudine viuens. Quid est vt homo mortem timeat eorum quæ post futura sunt? aut nihil erimus aut omnino melius erimus, & alia inueniemus quæ nũc nota nobis nõ sunt, nunquam melius est nobis, quàm cum non sumus, indicio est somnus profundissimus, quem etiã omnes mortales quærunt. Si aliquid superest beati profectò simus ex morte: si nihil, exuimus miseriã. Quid est aliud naturaliter optare profundissimũ somnũ quàm conscietię nostræ, quæ nos ad id impellit quòd vigilantes miseri sumus? plusque est in omni sensu miseriæ quàm voluptatis. Plus mali in metu quàm boni in spe: plus incõmodi in dolore, quàm iucunditatis in voluptate plura videmus & audimus quæ torquent nos quàm quæ placeant. Interiorum cogitationum vnus finis est infernus & miseria & cruciatus. Mortẽ timere dubiã aut procul, dũ adhuc est stultũ: breue illud tẽpus fieri nõ potest vt ob memoriam doloris nõ excutiat tranquillitatẽ, si quis tamen irascatur vitæ, vt Cato, & Cassius, & Cẽturio ille suus & Otho, poterit nõ odisse etiam ipsum mortis momentũ. At cur irascamur huic vitæ plura sunt præsertim seni. Non ergo suaserim vt Seneca de morte cogitandum, sed de vitæ odio, sic enim vita cũ voluptate erit, si quidẽ, vt diximus, in ira omni voluptas quædã est & nõ parua: & nõ minus ad mortẽ prompti erimus ex ira contra vitã quam ex rationibus nõ adeò firmis pro morte. Indicio est quòd nulli libentius moriuntur, nulli mortem quærunt, quàm qui vitã odere. Propterea Poëta noster etiã fœminam fortiter quæsisse mortẽ fingit quòd vitæ irata esset. Vnde illud. *& altos.*

Conscendit furibunda toros.

Accipite hanc animam, meque his exoluite curis. Et illud.

Me me adsum, qui feci: in me conuertite ferrum. O Rutuli.

Quis iratus vitæ mortẽ non quæsiuit Adrianus morbo fatigatus? Atticus dolorẽ? Cliẽthes senio simul & faucium incõmodo, Zeno digito pedis perfracto. Quod si quis proponat sibi à morte spem longè minus horrebit illã. Vnde visum est agmina virorum mulierum atque infantiũ spontaneæ se obtulisse morti: & acies militum ob id acriter pugnasse. Idq; primum aduersus timorẽ mortis auxilium. Nã iratorũ agmina non videmus, neq; legimus se morti obtulisse. Nescio quâ ratione conatus sit tertiã quandam Seneca viam inuenire quâ mortis timorẽ adimeret: scilicet tanquã mors bona sit. Inuenio quartum genus vtilius in bello quo intrepidi in pugnã feruntur, certum est vel cõsuetudine, vel cupiditate gloriæ, vel spe præmiorũ id accidere. De spe prẽmiorũ dubiũ nõ est cũ videantur tãto ardore expugnari vrbes manifesto periculo atq; præsenti mortis, cũ Dux edixerit licere cuiq; diripere eã si obtinuerint. De gloria videmus corã Rege neminẽ velle etiã certæ morti cedere. At de cõsuetudine videmus etiã tot phalanges cadere sine murmure, nedum gemitu quod consuerint occidere & socios cadentes videre, & ipsi cum vulneribus pugnare. Sed videtur cõsuetudo nõ tantum posse quàm spes gloriæ ac præmiorũ, quòd victi omnes turpiter fugiunt, obliuiscũturque sui metus: quapropter nisi quis perturbatione magna ambitionis aut auaritiæ aut iræ agitetur, nunquam mortẽ non poterit formidare. Cũ ergo sint quinq; maximi affectus in homine. Ira, ambitio auaritia timor & amor ab horũ vno vel pluribus petendũ est auxiliũ aduersus eũ qui dominatur, solus autem timor odiosus est & semper abigendus quod solus sine voluptate prorsus sit. Nã ira cũ voluptate est amor etiã cũ maiore sed dolori mista ambitio quoq; expers est magis doloris, voluptatẽ tamẽ habet: auaritia mista fermè. Ex æquo est vt amor ex voluptate & dolore sed maior est in vtroque affectu quàm auaritia: ob hoc vt tranquilli simus timorẽ prorsus explodere oportet, eumq; trifariã, vt dixi, licet: vel obliuione nõ cogitando: vel spe fallendo boni maioris: vel aliâ perturbatione quæ timorem possit superare. At nulla est perturbatio quæ sopiat timorẽ magis quàm quæ illi è regione opponitur, sola ira è regione opponitur timori & etiam illius parit obliuionẽ, ira igitur cõmodissimũ est timoris medicamentũ. *Er.* Tres video sũt timoris mortis expellẽdi rationes ira spes maioris boni, & cõmemoratio bonorum mortis, quã solus Seneca proponere ausus est. At in omnibus vt video maximæ nec magnæ dicã difficultates sunt. Nã laudare mortem penè insanientis est: spẽ illã multi nõ habent, nec habere queunt: & illa extra metã hanc est, vt dixisti. At odisse vitã hoc habet incõmodi vt interim nõ viuas, ita vt trãquillitatẽ cõsequaris sine qua multi cõmodè tamen viuunt pessimã vitam inibis imò semper moriemur. Deũ enim vitã habebimus odio irascemurque illi quid suaue esse poterit? sũmũ bonũ erit mors. At quæ vita erit cuius optima pars mors est? odisse ergo vitã remediũ est Herculeum, nam ferunt Herculem impatientia doloris se in pyrã coniecisse. Nec puto sanę mentis fore vt remediũ morti inuenias maiorẽ in vita dolorẽ inuenire, quàm sit ipsa mors. Non dormies, nõ ædes, non bibes, non ludes, non confabulaberis, nõ spatiaberis, non contẽplaberis, sed omnia dãnabis. Fateor mortis timor malus est sed hoc deterius cum quo non tam multi vitã degere possunt mediocrem velut cum mortis timore. *Er.* Non oportet metas transgredi hoc ipsum odisse vitã cũ quadã voluptate est scilicet vt exuas hunc dolorẽ, vt moriaris vt solus sis: at timor planè sine voluptate est, vt dixi. At odisse vitam & illi irasci infinitum est, metum imponere, oportet, vt eatenus odio habeas, quatenus mortem optes, non auidè. Itaque in huiusmodi vita etiam multa iucunda remanent, velut si dicas tecum quid ago senex, contemnor si ludo, si amo, si canto, si salto, si conuiuor, imò etiam irrideor. Mei non me diligunt, cæteri etiam oderunt. Non possum amplius quidquam melius sperare, timere deteriora debeo: Et tamen cum his ipsis quæ nunc habeo infælix sum. Dentes deficiunt, qui reliqui sunt pro tormento sunt, labant, dolent, lapidosi sunt. Sum deformis: an anima fæteat certus sum. Mulieribus congredi nequeo, inutile est quod tãti cõmodi causa na-

tuta mihi adiecit, siã aut Lusciosus aut Surdaster, totus me delectat sed tantum ostẽdit: cibus nec delectat, nec vtilis est melius est mori semel, quàm semper mortem expectare. Iuuenis Papiæ cum securi percutiendus esset, moràque nescio qua causa interponerent, rogauit impensè vt morã tollerent, grauius hoc esse quam mortem. At iuuenis si momentum illud fortuna effugisset viuere poterat: senex & expectat & nunquã euadere potest & semper deteriore est in conditione quanto magis procedit. Duo quidem maxima paulatim consuetudine paranda mihi videntur tranquillitatem optanti: vt discas propria cõmoda & incõmoda vt aliena tractare, & vitam odisse viuere tamen. Tertiũ quod Hieronymus Cardanus testatur se adeptum nihil sperare, sed hoc mittamus quod quanque arduũ sit ad impetrandum, nõ tamen multum confert proposito nostro, tametsi etiã necessarium sit ad tranquillitatem aut nihil sperare aut saltem minimo studio: doceamus reliqua duo & primum quomodo quis assuescat odisse vitam hanc sine magno tamen incommodo vitæ. Seruus quidam senæcæ ætate à domino crudeli aufugerat bonaq; fortuna inter deserta latuerat: Aduenit leo cum spina in pede claudicãs animaduertit hominẽ, pedem ostendit, spinã educit seruus, ex ea die è præda leo partẽ seruo in spelunca obtulit ad biennium vsq; tandem pertæsus seruus ferinæ vitæ decreuit potius supplicium seruile subire quàm inter feras viuere, erat seruile supplicium cedi virgis: inde in cruce, quam ipsi humeris ferebant ad locum, suspensi fame, dolore, aliisque incommodis mortem obibant. Magis tamẽ inhorruit seruus ille ferinam vitam tametsi tutam, quàm adeò asperam, & tu ingenuus cum sis ferinam consuetudinẽ nec tutũ miti mortis generi non postpones? At dicetis feræ non sũt: fallitur quisquis hoc credere potest, velamẽ vultus & formæ auferas & blandimenta verborum exitialia ferina omnia reliqua sũt mores cogitationes actiones cupiditates. Quid est ergo cur non irascaris hominũ generi huiusmodi, talibus sociis & tam peruersæ consuetudini. A ferarum vi cauendum est & ab vna tãtum: at hic & à vi, & ab insidiis, & à conspiratione plurium in vnum, oderis ergo meritò atque irasceris hominum generi velut Timon ille Atheniensis de quo in Apologis pulchram historiã contexuit Cælius Calcagninus. Refert enim quod cũ sicũ cui multi suspenderãt Atheniẽses succidere cogeretur, edixit prius si qui essent antequã illam excinderet qui vellent se suspendere tigillum & laqueũ in illorum gratiã parasse. Expectaturũ etiam illos ad mensem vsque properarent. Quod si nullus aduenisset ne vacua esset omnino arbor seipsum suspensurum, cum verò nemo aduenisset expectabãt Athenienses vt ipse pollicita præstaret. Et cum differret iam acclamabãt publicè ciues, quando te suppendes ô Timon, virumque præstabis, quos ille cũ iam frustratus esset vt arborem succidit, populo per duo trimetra hæc respondit.

Placere Timoni suppendium potest.
Si displicere Atheniensibus potest.

Eo enim animo viuebat vt *illis displiceret.* At cũ optarent illius interitum superuiuere malebat, sed nõ inter illos verum in secessũ vt ego. Quapropter & illud ad defendendam causã solitudinis meæ facit quòd procul habitem ab his quos & si non odero ob morũ tamen dissimilitudinẽ odisse meritò possem, at si odisse nolim liceat tamen fugere conuersationẽ. Nihil ergo cũ ingratius esse possit quàm inter tot inimicos feras insidiatoresq; viuere, aut omnino mori præstat aut sicut ego facio eremum inhabitare. Quòd si etiã mihi tot molesta supersunt vt vitã cõmutare velim in mortẽ, & odisse tot inimicos mihi hærẽtes perpetuò famẽ sitim vigilias labore obliuionẽ hebetudinẽ imbecillitatẽ vẽtriculi officiũ dentiũ, necessitatẽ parandi mihi tot cũ solus sim: an non meritò & ego vitam odio prosequi possum? sed tamen interim & lyrã cano, & studeo, scribo, & delinio vlcera, conditiones meæ & calamitatũ lenio acerbũ sensum, idq; agendo velut cum fame edendo delector, ita aliquando pigere potest & debet huius tã diuturnæ assiduæq; curationis tot vlcerũ animi, atque sensus. Vt oderim meritò vlcerosum corpus curationẽ tamen non contempserim. Iã ergo miserũ est viuere, & irasci possumus meritò vitæ nisi, sic vt boni quicquid est in ea tamen percipiamus, sic tranquillè etiã dolores morborũ & mortis feremus metũ. Præterea stultum esse reor legere quæcunque aduersa velut noxias herbas tot dulcium fructuum quales sunt in vita penitus obliuisci. Mortuũ esse neminem pigere debet cum tot incõmoda fugiamus ipsum mori acerbum sanè est: forsan & non adeò. Aristoteles in senio sine sẽsu fieri mortem scripsit: multi conciderunt eoque peruenerunt vt iam mori possent absq; dolore vllo, cum anteà nihil sensissent præter timorẽ ipsum, sed quid in hoc laboro, aliàs de his sermones seremus longiores. *Ci.* Sed videris mihi ô generosè, scrupulum iniecisse ne non adeò tranquillus in hac solitudine viuere possis vt cæteri mortales. *Er.* Quî sic. *Ci.* Quoniã cum moriendum est, non habet cui hęc tua relinquas. Et antequã moriaris & adhuc compos tui necesse est vt multa patiaris incommoda. Velut vt mingas, vel etiam aluũ deiicias in lecto, at mori tãquam suem fæda res est ac detestabilis: Itaq; quomodo in hac solitudine tã senex (ignoscas mihi) & prope mortem, siquidem dictum est. B. Augustini iuuenis citò mori potest senex diu viuere nõ potest. Tranquillus viuere possis aut trãquillior quam qui in vrbe, vbi non deest turba consanguineorum: alia præterea amicorum: Inde familia tota: post etiam vicini medicus qui solatur languentem, tonsor, pharmacopola. Inde etiam Parochus qui diuinã Scripturam commemorat: tu verò hic omnibus his præsidiis cariturus quomodo nos persuadebis tranquilliorem te exitum posse nãcisci, & quanquam forsan conuersurus sis in contrarium, velut illud de lachrymis astantium, de tumultu ob rapiendam hæreditatẽ, attamẽ in phratrio hæc omnia amputata sũt, necessaria relicta: cur ergo non dicemus tranquilliorẽ esse in hoc casus statum phratrij, quàm tuum? *Er.* Probè recteque dubitas. Et cum

cum multa confusa aliter quam videri debeant, videantur propterea hæc ipsa distinguere operæprecium erit. Itaque primum de nostro communi statu agam, inde etiã phratriorum. Meministi primum agnatorum & cognatorum atque affinium illorum lachrymas dãnasti: & rectè, nam qualis cruciatus intelligere se mori ab alio quàm à teipso imò hoc existimatur iure merito maximũ quod supplicio damnatis adueniat. Deinde memoria relinquẽdi charissimos. Inde quæcunque pulchra possides. Quis nescit hæc omnia ad acerbitatem pertinere. Inde etiam cum animaduertis alios quidem lachrymantes quòd nihil eis relinquas, alios quòd relinquas fictis lachrymis plorare: vnde illud. *Fletus hæredis sub persona ridẽtis est.* Et rursus è diuerso.

Ploratur lachrymis amissa pecunia veris.

Hæc omnia ad maiorem perturbationem etiam ex tua sententia, imò amborum vestra pertinere arbitror, sicut & curam filiorum quos toties tutatus es ab iniuria: seu ob ætatẽ subiicerentur improborum vexationibus (quis enim non plorat moriẽs pupillos quos relinquit) quanta passuri antequam ad ætatẽ adultam perueniant? Tutor spoliat propriis bonis quemadmodũ Aphobus ille cum duobus reliquis (tametsi sapienter curasset pater vt & muneribus egregiis pecuniaque multa deliniisset illorũ rapacitatẽ, & sanguinis coniunctione curasset, vt fideliter infantes tractarent) Demosthenem. Vbi verò ad virilem processerint ætatem aut in ea iã fuerint à tyrannis & ministris tyrannorum, à potentibus ciuibus, à petulantibus, à perfidis quantum timendum est, omitto modo leuia mala cũ in omnibus his de vita & vniuersis bonis homo periclitetur. Quæ securitas iam in ancillis? quibus credere vitam, est necessarium: vel si ducas vxorem adhuc maius est periculum, cum propositũ sit premium adultero vxor tua formosa & benè ornata quem etiam periculum solicitat proprium, ne si cõiux rescifcat pœnas dent vtrique. Atq; ideò natura dum putant ibi quot doli & insidiæ domesticorum. Quæ ergo solicitudines miserorum patrum morientium: si pauci sint filij stirps ne pereat in manifesto periculo versatur: si multi, vix fieri potest vt diuites sint: paupertas semper, sed præcipuæ hac ætate est omnium malorum & ærumnarum principiũ. Hominumq; supplicia tanti penduntur quãtum homines ipsi cum suis bonis ponderant. Adeò vt magistratus de pauperum laqueo tantũ agitent, quantum de iugulanda pecude lanij. Ea ergo causa fuit vt homines qui trãquille viuere cupierunt velut Philosophi, & Religiosi viri, non solum à prole suscipiẽda, sed etiam à connubio abstinuerunt. Quod lex nostra non solum permittit sed etiam suadet. Tranquillè igitur viuere volẽti haud cõuenit in infinitum illud modestiarum pelagus ingredi filiorũ & vxoris. Sed fac vt vnicum habeas filium eam curã adhibere oportet alteri quasi adoptiuo filio vt si viuat tuus hæres, gaudeas: si pereat non contristeris. In his sẽper casibus iuuat diuidere hos affectus vt fictus maior sit, qui autem minor est sit verus. Ita tranquillius viues, non ego nũc ago de luctu, vt velim aut sperem multum hac via eum posse minui, sed de illa securitate quam, quærimus, vt interim in tranquillitate viuamus. Sed ad ordinem redeo, dicis medicos non affuturos mihi: primum non dicam hac ætate quam parum profuturi sint medici, quanque parum necessarij. Neque enim mittere mihi sanguinẽ expedit aut cucurbitulas adhibere vel purgare: vel adimere cibos qui benè nutriant. Sed vt disputatio sit generalis, quantum voluptatis affert medicus cum clisteribus medicamentis, cucurbitulis, venæ sectione, syrupis atque eiusmodi inuentis obiicis quod in stercore iacebo, sed parum abest si mandato medici parere volueris dum inter emplastra cubas. Nil odiosius medicorum operâ, sed sanitatem afferunt? vtinam non magis mortem præcipitent, plures occidunt medici sanandos secus cũ nullũ seruent moriturum. Deinde quales medici? fæx potius medicorum, nam de medicis idem contingit quod de gemmis & equis apud reges orientales: quicquid est præclarum & insigne & labe caret, id totum ipsi seligunt, vitiosa & fœda & inutilia permittunt mercatoribus auehenda. Ita medicorum, si quis est vel paululum præstans, hos quidem pro se suisque seligunt, illos pro professoribus in academiis, pluresque etiam multo inuenies ex his selectis indignos eâ autoritate & malos ac imperitos, quàm ex relictis quemque dignum eo loco. Quid ergo ab his medicis gregariis tibi boni cõtingere potest. At scelesti illi pleni auaritiâ atque ambitione, deteriores quàm priores admittunt errores, tum etiam consulto flagitia. Quid ergo opera eorum grauia & odiosa: ipsorum maxima pars imperita: peritorum plura errata quàm rectè & ex artis præceptis facta nunquid molestum esse ducis carere hac sarcina? Transeamus ad amicos, ad vicinos, ad sodales, ac socios quam tranquillitatem afferre possunt, cũ lachrymas statim talium aduentus in huiusmodi casibus ciere soleat: seu memoriâ relinquendi, seu inuidiâ quadam, nihil ineptius ad tranquillitatem, solantur amici: quod solamen cum prope adest vltimum illud terribilium? forsan cupis aliquid dicere, admonere qui supersunt: quid ego dicere velim aut ad me venire eos momento illo, quos tanto tẽpore sponte videre nolui? sed hoc est quod te decipit ô egregie, in hac consideratione; quoniam non cogitas hominem probum eâ hora nil aliud mente reuoluere quam Deum ipsumipsiusque beneficia, hoc enim est trãsmigrare: reliqui exitus mortes sunt. Tranquillitas summa in hac contemplatione est, hãc contemplationem nemo magis constãtem nitidam & puram habet quàmvis solitarius; hac igitur in parte tranquillissimus est status solitarij hominis, sed desunt necessarij vt cogantur inter sordes cubare & fame etiã si nõ moriturus sit, alioquin vel hoc solo incõmodo interire? Primũ non verũ est in sordibus huiusmodi homines mori, qui si sine sensu pereũt nihil ad illos: si cum sensu sordibus non abundant, quinimo sicci & loquẽtes eflant animã. Mors illa volutantium se in sordibus ad vos attinet qui delitiosè viuẽtes & saturi in morbis prius motum amittitis quàm immodicã plenitudinem. Quas sordes

miter,

mitet, qui tam moderato & pauco cibo atque potu indies contentus sit? Quod ad lotiũ attinet, mihi paraui vasa vt sine motu vllo nedũ labore mingere possim, ea subiicio per noctem in maximis frigoribus dum surgere piget, sed fac vt hoc adsit incommodum, idque sperare possim sanè breuissimum futurum est si modo eueniat vt cum sensu viuens prorsus fiam immobilis. Sed fac vt aliquot diebus etiam perdurare possit compensanda sunt quę ad tranquillitatem faciunt, & quæ illam interturbãt longè plura inuenies mala in ciue, quàm solitario in eo autẽ plura bona & commoda quàm incommoda. Sed ad ordinem regredior. Dicis me non habere cui hæc relinquam: quasi non illa propter nos, nos autẽ nõ propter illa facti simus. Nero cũ periturus esset, pulcherrima vasa fregit ne alius possideret, inuidiosum est alterum habere, quod tu magnifaciebas, neque relinquimus quæ habemus vt custodiantur ab hæredibus, sed vt hæredes locupletentur. Præposterè agitur, cum res inanimatas diligimus sic vt earum gratia animatis cõmendentur, quasi mortuis nobis futuræ adhuc sint vsui. Quamobrem iam cesset hæc stulta anxietas, quâ sublatâ quid vis vt curem cui relinquantur? *Ci.* Sed habes capreolos tuos, & gallinas, delicias tuas, non te horum miseret? *Er.* Ludis, sed miseret sanè verùm in gallinis breuis est vita: fieri poterit vt illæ intereant ante me. De capreolis vel alij habebunt locum quo se abdent. Si quis huc veniet habitatum, gaudebit tam blandâ societate nec perdet eos. Cæterum filios harum & præcedentium curaui vt agrestibus locis ac quam securissimis propagarẽtur. Estq; magna copia in cacumine montis qui ad meridiem spectat, qui locus est dumis plenus ac consitus. Et ex illarũ multitudine locum me delegisse opportunũ educationi & securitati eorum cognosco. Sed de capreolis eos deduxi ad summa montis qui ad boreã spectat, inacessa fermè feris nedũ hominibus ibi etiam catulos eorum detuli quos constat adhuc viuere, & multiplicem prolem generasse. Itaque meis alumnis satis prospexi, cætera fortunæ erũt: quæ & si omnia pereant non video quid ad me attineãt, vltimũ est de parocho neq; enim in hac solitudine participare potero dicis communibus sacramentis. Non, exomologesim, nõ diuinum Christi corpus, aut oleum sacrum, cõsequi potero: neq; audire quę expirantibus dici solent. Nemo me exhortabitur vt fortiter contra diabolum pugnem: vt Dei meminerim vt agonem intrepidè substineam. Fateor hæc posse omnia adesse incommoda, sed postquam hoc meum institutum antiquum est Hieronymi Antonij Hilarij totq; aliorum qui vel in monasteriis, vt vocant, vel omnino soli habitarunt in solitudine nouum non erit caruisse his auxiliis quibus non defuit gratia Christi singularis. Consolatur se mens Deo addicta & lumen superiùs recipit. Eo desiderio separatur vt capiat omnia mandata Ecclesiæ si liceat perfecisse. Ergo summũ desiderium summi boni cõsolatio est maxima animæ, & forsan se detegit ipsũ quod amatur & obseruatur eo modo vt cogatur homo obliuisci omnium malorũ, quæ & aduersa acciderũt quibus tũ angitur. Credite mihi ô fratres, nulla voluptas, nulla quies, nulla trãquillitas ei aqualis est quę homini accidit pio & Deũ syncere amanti, regna & principatus dilabuntur & sunt plena suspitionum & malorum, Dei amor & contẽplatio sola per se benigna est & amabilis, ô quàm dulce est in Deo consenescere. Non est pręsentis instituti scire cur nõ videantur omnes hi sed pauci tantum felices in hoc opere: sicut cur multis qui iniusto iudicio damnati sunt contigerit, vt primum euaderent, repetito tamen supplicio perierint. Ergo relictis his, dicamus oportere, hominem trãquillum bonum esse virum, & Dei amantem. Qui si quidem stupido sit ingenio tantùm tribuitur illi à Deo quantum ad felicitatem sufficit: Præclaro autem & ciuili & ingenioso ac vt ita dicam, exemplaris vitæ multo maiora. Sed si quis tranquillus esse potest à metu mortis in omni alia causa etiam tranquillus erit, nam omnium calamitatum medela est memoria maioris calamitatis aut secura spes maioris felicitatis.

Dico eum, quem non torquet metus mortis tranquillum esse debere: si quidem cogitet, quàm breuis sit hic cursus, & quàm perfectè mors explicet vnumquemque ab omni molestia, metu, dolore, luctu, iniuria, morbo, cruciatu, necessitate, incommodo denique omni. Dices at remanet infamia? stultè quidem & tu cum vmbris illis es qui putant magnum esse cadauer deferri cum pompa, vel abiici in Gemonias, omnia finit mors, nec quicquam in hoc mundo ab illa superest. Si ergo liber es ab illo metu liber es ab omni malo quandoquidem mors finit omnia tam bona, quàm mala vt ego tranquillè viuas disce mortem contemnere. Cogita humanas res ac mortalia omnia torrente quodam rapi, vt desinant fermè antequam cœpisse putes. Fac vt his qui habes non auide vtaris, quæ non habes nõ cupias, multum ad hoc facit, vt dixi Dei amor, sapientia, exercitatio patientiæ, & moderatio quidam animi naturalis. Cogita omnia in perpetuo esse fluxu, rapi, trahi, vrgeri: hominum prauos mores, & deuita quantũ potes illorũ cõgressum. Si quis aliquando abstineat hominum consuetudine illorum societatem postmodum pati non poterit, adeò beata res est solitudo, constat ergo ad tranquillitatem hoc nostrum vitę genus præstantissimum esse, sed fac vt phratriorum melior, sit aliquanto cõditio cum tempus imminet mortis: certè dũ viuis non adeò tranquilla est vita: an ergo velis tantum temporis quantum est vitæ cõmutare cum momento mortis: & tranquillitatem certam amittere vt incertam quandam, leuem turbationem effugias, nam plerique eorum qui hac ætate pereunt qua ego sum, sine dolore, sensu, ac mora moriuntur. *Ci.* Sed dic quæso postquam adeò sapientiam laudas, an omnis sapientia ad tranquillitatẽ prodest? *Er.* Magnam affers, ô egregie dubitationem variique homines de hoc varia dicunt. Propterea veritatem inuenire certa ratione necessarium est, & vt inueniatur non pronum. Primum ergo scientia dubia potius exagitat hominem, quàm tranquillitatem pariat,

pariat, velut sciẽtia illa quam Philosophi Aristotelici de anima habent simplici fide vulgi inutilior est. Illa etiam qui docet exagitare alios, vt omnis contentiosa nimirum, si tranquillitati impedimẽto sit, velut Sophistica & Rhetorica. Et rursus qui onerosa est vt Iuris prudentia & grammatica : Et qui in difficillima terminatur vt astrorum cursus dum causas scire volumus nec licet: Et quæ de futuris tractat propterea ab Astrologia & huiusmodi diuinationibus est abstinendum: Demùm est qui finem habent inutilem nec iucundum : velut calculatoris chymistarum & huiusmodi etiam si de veris tractaret. Antoninus autem Poësim à tranquillitate segregauit: nec scio quâ ratione: nisi forsan difficultatem inuentionis reformidauerit. Hic mederi nolenti medicinã non vtilẽ ad tranquillitatẽ esse dicam. Mathematica autem & naturalis & quæ de moribus tractat plurimũ ad tranquillitatẽ conducere crediderim, nisi quid habes aduersus hæc dicendum *Ci.* Non sanè quicquam in contrarium nisi quod ipsum scire solum mihi perpulchrum videtur: vt etiam Rhetorica placeat, sed cum benè scribere laboriosum sit numquid & hoc ipsum à tranquillitate segregare oportebit ? *Er.* Non equidem nam scribere tanquam tibi conficias commentaria volupe est & iucundum : at hoc etiam minimè laboriosum cum scribas vt velis, & quo placet stylo, vbi verò aliis scribere oportuerit tuus calamus præparandus est, vt omnia præstes quæ sunt opportuna, at vt discere iucundum, docere graue : si nescis scribendo & nitendo doceris, si scis habitus efficit vt cum delectatione ea quæ didicisti perficias, ac doceas, vnde scribere tranquillitatem optanti non arduum fuerit, neque à proposito alienum. Præsertim si tempus non præscribatur, nec occasio vrgeat, aut impediaris. *Ph.* Hæc cum dixisset domum iam regressi prandiũ parauimus discubuimusque.

A prandio figuram in mensa descripsit, inuitauitque nos vt scrupis luderemus. Hic ciuis quærere cœpit, an ludere liceret hominibus grauibus, diuinoque cultui addictis respondit Eremita imò hic ipse pars vna est tranquillitatis & laudabilis si præparcè, cum amicis sine lucri spe & absque pecunia peragatur vnde illud satyrici.

Ludere par impar: equitare in arũdine lõga.

Ci. Eadem in sententia est qui scripsit librum de ludis *Er.* Quis. *Ci.* Hieronymus Cardanus ille tuus, vidi in apotheca prostantem venalem, legi paululum, satis arrisit: emi : sed postmodum tempus legendi non habui, sed hoc animaduerti in fine eius ludũ probare etiã qui ex fortuna pendeat vel in anxiis vel ægris cum à negotiis tẽpestatibus præbemus, at nunc non video quid horũ sit, attamen certabo. *Er.* Ea conditione vt si victus fueris librum aliquem mittas lectu periucundũ. *Ci.* Rectè sanè, sed maioris erit sumptus in vectura quam in libro : sed mittam tamen nisi ego ipse forsan rediero, sed quid si vicero : quod tu proponis prȩmium. *Er.* Subsaltat cor, vellet spes ingredi, sed ostium non apperitur quid tu dicisne forsan reuersurum ? *Ci.* Dico : sed quid tu proponis. *Er.* At nihil dicis cum forsan illud adiicis. *Ci.* Deliberabo. *Ph.* At interim ego curabo equos: *Er.* Depono igitur lapidem (& extulit) hunc qui ex arboris trunco cum fructu glandi pene simili coaluit, mirâ naturæ vi. Ita neque amisisse quod vellem apud te esse alioqui graue erit, neque pigebit intensius certare vt habeam librum. *Ci.* Sed quem librum ? *Er.* Tu de hoc deliberabis. *Ci.* Nescio qui potior quam vt Dioscoridem cum Matthioli senensis commentariis mittam. Hic enim inter montes habebis socium perpetuum, vellem etiam aliquid de natura lapidum : sed mirum cum plurimos detulerim mecum libros, illeque agnatus meus toties alios attulerit, nunquam venisse in mentem hunc ipsum. Sed forsan melius fuit : nimis enim tam pulchro studio deditus prȩmia aliorum amisissem. Sed iam scrupi sunt in tabula ludamus si placet *Ph.* Tum ego abij, interim illi luserunt.

Vbi reuersus sum ab opere iam ludus ferme finem acceperat: neuter succubuit itaq; ciuis volebat neminem teneri, Eremita autem vtrumque, vt vterque victus persolueret id de quo certauerat Iudicem me elegerunt : Ego vbi diu rẽm pensitaui sententiam pro Eremita protuli : hac ratione motus, quod ludus ille factus erat vt vincerentur : at si vt vincerent institutus fuisset non vincendo transmutare nõ oportuit neque aquirere, ergo si non vincitur, perinde est ac si donum recusare non possit vterq; , cum in hoc victoria esset vt recusaret nec acciperet nunc quia non vicit recusare non potest. Ita vterque cogitur accipere.

Post hæc vbi cœtus fuit prolatam ob sententiam inquit mihi est ô amici quod carius sit tempore relaxauimus animum vt acriores insurgeremus ad negotium quod præ manibus habemus, nihil melius est tranquillitate in hac vita tranquillitatem quærimus veluti summum bonum didicimus quod sit præstat & scire quanta bona nobis det. Tranquillo animo primum non aberramus, Diis debitas gratias agimus, non vigilamus non tristamur, mens sana est in corpore sano, vita producitur bellè excipimus amicos quid difficultatis habet tranquillitas quod delectationem vehementem non exhibet. Illa enim constat ex quadam permistione doloris. Quid pulchrius sit illa aut commodius in reliquis non video. Quamobrem videndum est ne quid desit Forsan dicetis non esse nostram tranquillẽ viuere obstant enim morbi cæteraque incommoda. Quis enim senex vt de me loquar tranquillus esse potest, hodie dolet dens heri renes alia die auris grauiter audit, alia oculus parum videt inde tussis, dentes, aluus fluida aut nimis dura ventriculus qui semper malè concoquit : vrina vriginem facit vigiliæ, lachrymæ non voluntariæ : deiectio appetitus labor & lassitudo stillat nasus, nullum membrum fungitur rectè officio suo, sed cum omnia ferri possint morbi tamen aut periculosi, aut qui nos aliquo sensu pernobiliore priuant, aut officio necessario vel qui grauiter excruciant hominem velut coxindicis dolor, & podagra vix tolerari possunt. Itaque

que non solum hæc ipsa cum adsunt necessario senibus nos excruciare solent, sed & ante senectutem metus eorum, verum ô socij quid est quod nos tantopere debeat vexare vt è tranquillitatis sede excutere valeat, non animo corpus dominatur sed corpori animus, cum quis timet corpus tremit labant genua facies impalescit: si timor augeatur corruit semimortuus: quin etiam multi prorsus pereunt alij magnis morbis corripiuntur, videt iram vt contra mutet corpus. Tristitiam licet in vultu in gesta occulere, at languorem corporis extenuationem oculos siccos non licet abscondere qui fiet ergo vt idem possit esse seruus & dominus? aut vt seruus imperare Domino possit: vel illi omnino non parere. Non ergo succumbet vir sapiens dolori. Narrat qui Amonini scripsit vitam, Epicurum cum ægrotaret nulla habuisse cum suis de corporis affectione colloquia, sed continenter de causis rerum naturalium disputasse. Ei rei intentum mentem habuisse perturbationibus vacuam, vt quæ motuum corpusculi nullam partem acciperet suum bonum custodiens adeò vt, nec medici operâ vsus fuerit. Sed tum benè habuisse. Quid faciet homo Deorum cultui additus, & animum sciens se habere naturâ immortalem, & ingenuè Philosophatus, cum Deos negligit, animum mortalem existimat, non legitimè fatum tantum præstat dolori? Scimus Turcarum Druidas se exurere, vulnerare, nec sentire dolorem ex animi sola intentione. Podagram expertus ego sum: referunt alij dolorem esse maximum: sed & dentium & lapillum renum quos cruciatus inter primos numerant adeò vt matrona de Raude eos partus magnitudine præferret nec impedierunt Tranquillitatem, erigi in hac solitudine contentus cum his. Quales ergo cruciatus tollere animi Tranquillitatem posse dicemus? Non possunt esse continui si magni: & si continui & magni necessariò perimunt. Magna autem voluptas est, cum cessauerit dolor magnus, & eò maior quò etiam acerbior dolor. Multi dolore delectationem sentiunt, vnde dulcem dolorem inter species doloris numerauit Erasistratus, teste Galeno. Si leuis ergo non impedit Tranquillitatem, quandoquidem etiã delectat persæpè. Et cum dolor in mutatione consistat vbi consuetus efficiatur, hominem non malè afficiet. Stupor, pruritus, dolorum sunt genera, seu species & hominem delectant. *Ci.* At qui in eculeo torquentur nunquid Tranquilli erunt. *Er.* Non sum adeò addictus Tranquillitatis nomini vt Stoïcorum more admiranda dicam, sed neque rem dubiam vllam ad sensum meum traham, velimque huic opinioni fauere, cruciatum illum Tranquillitatem impedire dixerim, quòd fiat cum iniuria, contemptu, & dedecore hæc autem omnia ad animum magis quàm dolor ad corpus pertinent. At rarò bonis hæc contingunt quòd si eueniant solabitur nos innocentia. Nunquid si canis te lacerauerit, Tranquillitatem amittes magis quam si ex vlcere spõtaneo discruciareris. *Ci.* Sed canis ratione caret. *Er.* Et qui discruciat innocentem, rationis non minus expers est quacunque belluâ. *Ci.* Sed nocentem esse putat: accusatus est falsò: adhibiti testes corrupti pecuniâ. *Er.* Rara hæc auis tam fœda: rarius vt ille omnino innocens sit ab omni crimine & si eius de quo accusatur ignarus sit. Exclamabat ille, criminis cuius insimulor insons sum sed alia me vrgent, exclamat Mezentius apud Virgilium:

Debueram patriæ pœnas odiisque meorum
Omnes per mortes animam sontem ipse dedisse.

Nullum crimen in Æneam nullum flagitium aduersus illum, ab eo tamen & filius & ipse occiditur. Itaque cruciatum inter ea quid Tranquillitatem disturbare soleant non numerabo: inter ea quæ possint certè cũ dedecori iniuriæ contemptui & morti coniunctus fuerit. Memineris ô homo, cum in hunc mundum veneris, te eâ lege nasci, vt omnia dura perpetiaris: omnia eodem animo scilicet inuicto feras. Non agam nunc de vicissitudine, non de spe quæ inanis esse potest, sed de vitæ breuitate, vt omnis maxima actio scenæ similis sit.

Ph. Hæc cum dixisset visus est quippiam cogitare: nec vllus è nobis illum ausus est interpellare, tùm verò ipse cœpit in hunc modum. Molestum est fermè ad eadem quæ suprà diximus redire aut miseriæ mortalium comminisci tùm præcipuè quòd Tranquillitas ipsa rarò ab huiusmodi impediatur: sed qui illam impediunt maximè nos sumus studiis numeris seu intemperantiæ seu auaritiæ & ambitionis. Verùm quia hæc tractatio longa esset sufficiat, hoc reliquo ipsius diei ostendisse quàm vanis desideriis quotidie homines non solum distineantur, sed etiam discrucientur, voluptatem quærimus tam bonam, quàm malam, tam superfluam quàm vtilem tam illam quam habere & consequi possumus, quàm illam quâ potiri non licet atque in hoc totam vitam collocamus, velut, Tantalus quidam. Iam vnus quærit musicam, & postquam multo labore vix didicit socij desunt. Et si adsit sæpius errant inde risus mouetur astantibus, atque ipse pro laude contemptum assequitur & pro voluptate tristitiam. Canunt benè, vnus præ alio vult videri & ibi angitur animo. Si benè cessit disciplina, alia subit cura vt discas ludere testudine elymis, ibi quantus labor quantum tædij? laboratur toto anno vt si pro voto res successerit paucis oblecteris, nec sine magna cura. Interim modò vnum, modò aliud deest: Et cum omnia felicissimè cesserint à pluribus contemneris, quàm laudaris: res tua perit: cura familiæ & negotiorum intermittitur, seruus fit sociorum, quos ferre cum omnibus incommodis ac vitiis illorum oportet. Videtis ergo quàm inimici sint hi tranquillitatis: nec aliunde petenda sit ratio impedimenti eius, quàm à nobis ipsis. At dicis delectat me discere, à puero didici: nullum est instrumentum, hoc ipso, ostenditque lyram absolutius, nullum liberius, nullum suauius, nullum accommodatius, & tamen quantum & ipsum affert incommodi, dum fides trahuntur,

tur, remittuntur, atque mutantur vel reparantur. Franguntur ab humido & pluuiis plenæ humore, franguntur à ventis & sicco, dum contrahuntur. *Ci.* Tu ne absolutiorem dices lyram organo. *Er.* Imò. *Ci.* Quomodo cum in organo sint voces plusquam quadraginta in lyra vix viginti. *Er.* In singulis vocibus lyræ plures continentur imperfectæ: adeò vt sint supra ducentas. *Ci.* Hui quomodo tot? forsan compositas adnumerare vis. *Er.* Nequaquam. *Ci.* Quomodo ergo tot? *Ph.* Tùm Eremita lyram accepit ea erat diuisa vndique quatuor vinculis vt essent quinque spatia, fides autem viginti, quare inquit videtis iam centum esse voces singuli ordines constabat autem ordo ex septem fidibus Diapason continebant Acutum, Doricum, crudum: graue, dulce, Phrygium, Medium, temperatum, lydium. Itaque cum vltima vnius prima esset alterius ordinis decem & nouem euaserant sed addita est vltima, vt numerus esset rotundus & par magadæ antiquo instrumento sed durissimo vt lyra suauissima, media quasi chelis seu testudo, sed hæc longè paucioribus chordis constat, nec fidibus propriè qui intentæ manent cum plectro superficie tenus tantum tanguntur: at chelis manuum digitis diuulsis chordis vltima autem & ea quæ addita est Proslambanomenos appellatur, tonóque inferior est. Sin autem Nete hyperboleon ditono vel tono cum dimidio superius vt sit summa tonorum omnium sexdecim aut decem & septem semitoniorum autem sex aut septem. Sex si toni vno plus sint, septem si vno minus. Hæ tamen cum viginti contineantur & spatia exigerent vigintitria, necesse fuit vt spatium seu interuallum in quibusdam plus tono contineret additis autem quinque semitoniis vltimæ chordæ in acutis fient vigintiocto voces integræ vel dimidiatæ vndequaque distinctæ. Cum ergo fides sint vt dixi viginti, quod apparet Athenei testimonio his verbis, Timotheo Milesio cum visum esset vti lyrâ plures habente chordas, reprehensum fuisse apud Laconas quod antiquam musicam corrumperet: cumque quidam vellet quas superaddidisset præscindere demonstrasse aiunt Timotheum esse apud illos Apolloniscam qui lyram habeat magadæ similem cum totidem chordis constat autem magadam habuisse viginti teste Anacreonte. Ergo centum & viginti voces habuit lyra cum essent vigintiocto re distinctæ necesse fuit, nonaginta duas fuisse quæ vnisonum efficerent, omnes cum viginti octo supradictis, voces autem numerauimus centum viginti, sed & longè plures erunt eis additis quæ extra diuisiones cadunt: aliæ enim reperiuntur versus lyræ ventrem & plerunque tres: grauisonis in chordis parum vtiles ac synceræ, in acutis euidentes & persæpè necessariæ, vt tota lyra complectatur triginta voces aut etiam vna plus omnes inter se magnitudine distinctas. Sed cum sint sexdecim toni atque hi omnes in semitonia diuisi, quoniam lyra tota constat semitoniis ob diuisionem manubrij erunt in illa quadraginta sex voces in organo autem distinctæ trigintaocto, constat enim quadruplici fermè diapason chorda vna deficiente semitoniis autem chromaticis decem, est enim organum chromatici generis. Quare in chromatico genere locupletior est lyra organo. Sed & in Enarmonico: cum enim organum per dieses & comata diuisum non superet centum vigintiduas voces vt in organo Nicolai Vicentini, apud Panzanum Genuensem efficitur vt diuiso quolibet semitonio per dieses & comata vt fiant voces centumoctuaginta quatuor prorsus distinctæ quæ sunt longè plures centum viginti duabus, quoniam organum ad minora interualla quam diesum diuidi non potest tremulis enim digitis & comata non solùm diesis & plectri moderatione effinguntur bellè hæ voces cum in organis in quibus cōsistunt chordæ nequeant fabricari. Addite modo concentus ex vnisonis tum multiplicibus, cum sint voces vt demonstratum est centum quadraginta fient, cum vnisonis quingentæ sexaginta; lyra ergo hac ratione omni ex parte absolutior est organo & quovis musico instrumento, nec puto organum appellatum à perfectione sed à vocis magnitudine cum suauitate coniuncta. Est etiam absolutior lyra quòd plures voces octo scilicet, autem nouem, imò & decem simul tangere liceat: in organo cum pedalibus appellatis duodecim, sed ob manus breuitatem & vocum propinquitatem etiam cum illis denarium nunquam numerum excedunt vix attingunt. Est tertiò & in hoc præstantior lyra, quòd vocem retinet etiam si amoueas digitos, in organo statim occluso foramine extinguitur, quamobrem mira quædam suauitas ex lyra habetur quæ non est in aliis instrumentis. Accedit quarta ratio quoniam in lyra & premendo plectrum & sustinendo vox intenditur, ac minuitur leniter ducendo mollis fit, asperè dura, quorum nullum in organo efficere licet. *Ci.* Sed hæreo quomodo in lyra quatuor digitis vndecim chordas tangere liceat sic vt benè sonent. *Er.* facit hoc fidium tono maius vt in tertia maiore aut minore, quia in organo solæ chordæ consonant interuallo duarum vel trium aut sex: in lyra autem quæ sibi succedunt etiam, nam de alternis communis est ratio. Ita in diapaso lucramur nouem interualla quæ consonant in lyra, dissonant autem in organo. Si ergo quatuor aut quinque adhuc subtrahamus quas necesse est ob diatessaron conficiendum dissonare relinquentur quatuor voces bene sonantes in lyra quæ male sonant in organo. Vnde lyra locupletior est. Digitus etiam vnus duas & tres potest premere fides at in organis nisi vnam chordam. Diximus de absolutione modo agamus de libertate quæ nemo ignorat nisi qui cæcus sit. Facilè fertur, & in manibus tenetur, non est necessaria sedes vlla, non facilè frangitur, non confunditur quemadmodum organa aut cauacimbala vocata: seu clauata cimbala: vtrumque enim rectè dici potest. Quòd verò ad suauitatem attinet melliflua omnino est, nec hac in parte vlli

instrumento comparanda. Propterea fingitur orpheum lyrâ mouisse plantas, & saxa, nedum animalia bruta, coëgisséque illa saltare. Ea temperauit Eurydicem à Diis inferis reuocauítque ad superos. Sed & eadem vsos ferunt Deorum pleró̈sque velut Apollinem, Vnde Horatius:

——Ne forte puderi
Sit tibi Musa lyræ solers, & cantor Apollo.

Eâdem vsum constat Mercurium, Vnde illud eiusdem:

——Curuæque lyræ parentem.

Et Linum quoque Orphei præceptorem, Vnde Ouidius:

Et Linon in syluis idem pater reddidit altis
Dicitur inuicta concinuisse lyra.

Qua de Causa etiam illam inter cœlestia signa collocarunt: cum ferant etiam Bacchum illâ vsum commodissime autem & facilitate summâ, & quod omni instrumento alij benè societur, sed nulli melius quàm humanæ voci vt Deus inter mortales esse videatur qui concinne eâ vtitur. Neque puram fuisse adulationem cum vel Nero totam noctem Terpon audiendo operam daret, qui citharâ canebat. Et cum populus Romanus ipsum Neronem eiusque diuinam vocem audire cuperet. Nero Orbis Princeps & tot ludorum tantarúmque voluptatum dominus: Populus verò Romanus tot ludis, tot spectaculis assuetus vno citharistâ canente gaudebat. Vt existimem olim citharam aliquid fuisse plus quàm sperari posset in humanis delitiis. *Ci.* At dubito plurimum ô vir generose, ne me circumuenias hac in parte, qui laudes citharæ tribuis lyræ, lyræ autem citharæ tanquam vnũ & idem sit instrumentum cum vnum Græcum sit alterum autem Latinum atque Romanum. Illud etiam inter laudes lyræ connumerasti quod voces plures habeat vnisonas, mihi autem videntur illæ non solùm superfluæ, sed etiam indecoræ & planè absurdæ. *Er.* At lyram & citharam idem esse ostendunt auctoritates veterum Poëtarum Virgilius:

——Etamicum Cretea musis
Cretea musarum comitem cui carmina semper
Et citharæ cordi.

Cum Græcus esset citharâ vtebatur, quam oportuit esse instrumentum musicum Græcum & non aliud quam lyram. Et rursus in Duodecimo:

Ipse suas artes, sua munera lætus Apollo
Augurium, citharamque dabat, celerésque, sagittas.

Et Plinius l. 7. c. 56. Citharam Amphion, vt alij Orpheus, vt alij Linus inuenit *Ci.* Satis de hoc video apertè, sed quomodo vnisoni melodiam adaugent? *Er.* Quoniam pleniorem eam reddunt dulcéque aspero & tensum remisso & languidum contento & magnum paruo speciem harmoniæ etiam in vnica voce efficiunt. Itaque existimo citharam multis modis principatum obtinuisse. Sensu cantilenæ verborum dulcedine, numero metri, modulatione, voce canentis, instrumenti suauitate, & pulsandi scientia, ferunt Melpomenem inuentricem fuisse miserabilis carminis in quo ars ipsam excellit, Horatius:

Præcipe lugubres
Cantus Melpomene: cui liquidam Pater,
Vocemcum cithara dedit.

Et illud vulgatum:

Melpomene tragico resonat sed mœsta boatu.

Huius etiam artis difficultatem ostendit raritas, nam cum plures viguerint singulis ætatibus homines tibiâ clari, tum testudine organóque à Neronis ætate vsque ad nostram vix vnum Laurenium Medicem audiuimus citharâ excelluisse. In quo præter suauitatem soni vocisque dulcedinem sensuumque dignitatem admirabile illud fuit quod nec numerus orationi nec industria defuerit tantis occupationibus, summóque fastigio Reipub. Nostra ætate ferunt Brixianum quendam florere in hoc genere. Ergo si quod est instrumentum Tranquillitati opportunum si qua metri aut Poësis ratio, id erit cithara, cantúsque miserabilis ac quasi tragicus. Hoc ipso licebit emergentes quasi animi curas ex molestia humanæ miseriæ lenire, quanquam, vt dixi, nec hoc probem. *Ci.* Iam me sensim vt video huius musicæ amore inflammasti, quamobrem rogo, vt aliquid accinas. *Er.* Et quid mirum Cæsenæ intellexi virum esse nomine Iudicum, Prænomine Io. Baptistam ætatis annorum xcvij. qui lyrâ canit ac modulatur. *Ci.* O beatus, si hoc facere potest. *Er.* Sed nunquid attulisti? *Ci.* Habeo aliqua sanè mecum, nam ego & famulus canimus. *Er.* Effer. *Ph.* Protulit ergo aliquot choros quos vidit Eremita, selegítque vnum lugubris argumenti, quod maximæ lyræ accommodatum esse aiebat: Verùm tempus ad canendum postulauit itaque ille studendo triuit penè duas horas interim cænam parauimus.

Vbi cænatum est cæpit canere partem acutiorem quatuor reliquas lyra modulabatur. Erat autem vt reor lamentatio Hieronymi Cardani, amici vtriusque illorum, in filij morte huiusmodi.

Vt

Vt flos purpureus duro concisus aratro Languescit : sic illa mei morientis

imago, Filij nestoreos heu digni viuere in annos. Qui postquam suculam

vidit sæuamque securim. Exanimis jacuit diu tandem voce

recepta : Heu : miserande pater dixit mi serandaque

proles: Nunc tres concordes anima moriemur in vna. Sed me a mors

mihi iam minima est pars certè dolo ris. Infantem miseror paruum

patrisque senectam. Languentemq; animum sternit pietatis imago

Et quamquam moriar primis iuuenilibus annis : Quosque mihi

sensus clari tribuêre parentes. Carnificis dextra eripiat

cum vestra nefandos Iura te gant lætique trahant per crimina


vitam : Immemorem tamen heu pietas fa cit ! ô dolor ingens.

Nobilis heu pater, en quis te solabitur inde, Mærentem?

laterique hærens comitabitur vltro ? Infantem commendo tibi

nostrum rogo viue. Obdura in sæuos casus, curamque

ne po tis Suscipe meque putes florentem viuere in



Ci. O beate, nihil suauius audisse me memini. Manum do, cedo inquam, nulla est præclarior aut suauior musica. Itaque si musica ad Tranquillitatem aut necessaria est aut vtilis certè nulla commodior, vellem autem de hoc sententiam tuam audire : nam videris diuersa dixisse. *Er.* Hoc video, quæris an necessaria, an vtilis, an neutrum. Ergo quomodo videbitur necessaria si nihil sit præstantius ad Tranquillitatem quod sit in potestate nostra. Nonne? *Ci.* Certè arbitror sic dicendam esse necessariam. *Er.* Si ita est palàm est non esse necessariam : nam multa videntur præstantiora in hoc genere quę sunt in potestate nostra cuiusmodi primum est Poësis exercitatio ac studium, inde historia selecta maius his est contemplatio arcanorum naturæ & hoc ipso maius est studium Mathematicarum : post originis rerum scientia quibus omnibus maius est diuina contemplatio, sed de Philosophia, Mathematica, originéque rerum suo tempore dicemus, quoniam Tranquillitate aliquid plus habent solum de Poësi, historia & Dei amore sermo nunc habeatur. Est enim Poësis maximè idonea Tranquillitati audi illum :

Carmina proueniunt animo deducta sereno.

Inde vide quid dicat Horatius de se : suisque studiis quam benè contentus viuat.

In illa Ode :

Non vsitata nec tenui ferar
Penna biformis per liquidum æthera.

Vates Post subiicit :

Iam iam Dædaleo ocior Icaro
Visam gementis littora Bosphori
Syrtesque Getulas canorus.

Et in illa :

Descende cœlo, & dic age tibia
Regina longum Calliope melos.

Inde subiicit :

Vt tuto ab atris corpore viperis
Dormirem & vrsis : vt premerer sacra
Lauroque collataque myrto
Non sine dis animosus infans.

Et rursus in illa :

Exegi monimentum ære perennius :
Regalique situ Pyramidum altius.

Et Ouidius quamvis in exilio quantum habet voluptatis ex laboribus suis :

Iamque opus exegi, quod nec Iouis ira nec ignes
Nec poterit ferrum nec edax abolere vetustas.

Inde paulò post :

————————*Super alta perennis*
Astra ferar, nomēq; erit indebile nostrū.

Idem in morte Tibulli. Et cum studiis illis musæ gratiæ ioci voluptas, iucunditas semper cohabitant. Tristitia non ingreditur ad Musas neque Musæ ad tristes & perturbatos. Si places tibi scribe comœdiam, si displices conde tragædiam : si libero animo es & exultas Epopæiā, si sine studio & magna cū voluptate iocosum dithyrābos. In Poësi homo vt aliena scribit furore agitatus ita maximè iuuat tanquam non tua relegisse. Adde ornamenta & delicias quibus delectas temetipsum dū illa canit? Et vt iuuat affectus ipsos demulcere, si quid graue passus fueris, vel scribendo tragœdiam tuam, vel legendo alienam. Interim pulsauit hora sexta noctis cubitúmque concessimus.

Mane facto de more curatis equis extra domum iuimus hic Eremita, nulla inquit Seneca & rectè maior penuria quam temporis eo vtamur, seu vtamur, seu non vtamur pari ratione dilabitur qui eo non vtitur, est ac si non viuat, vixeritne, qui malè vtitur non viuit sed inter imperit. Ociosus enim est dormiens & qui alea vel latrunculis ludit, qui legit quæ nullam continent vtilitatem, perinde sunt ac si non viuerent. Solus ergo qui benè tempus collocat viuit: atque sic Tranquillus solum etiam dici potest & esse. Ergo cœptos sermones iam absoluamus. Dictum est Poësim & maximè tragœdiam leuare plurimum curas graues, tum ex intentione mentis : tùm ex similitudine affectuum : sicut sol dissoluit ignem : tum auocando velut dolor in brachio tonsillas, sed & animum demulcendo ornamentis illis atque delitiis. Quidam certarunt etiam alio genere carminum mouere commiserationem

miserationem velut, Virgilius de Tridone:

Dissimulare etiam sperasti perfide tantum.

Et de eadem:

Dulces exuuiæ dum Fata Deusque sinebant

Accipite hanc animam.

Et in materno affectu plurimum:

Hunc ego te Euryale aspicio.

Et in patri sene Euandro deflente vnicum filium:

Non hæc ô Pala dederas promissa parenti.

Idem affectus in Mezentio forti viro.

Tanta ne me tenuit viuendi nate voluptas?

Sed ouidius certat pro Elegia quòd ad commiserationem facta sit:

Flebilis indignos elegia solue capillos.

Sed & multi in morte coniunctorum elegias scripsere non tragœdias, & etiam si clarissimi fuerint viri. Omitto antiqua exempla quibus pleni sunt libri nostrâ ætate celebres Poëtæ in hoc genere certarunt: Balthasar Castellioneus in morte Raphaëlis Pictoris, & matris deflentis puellam morientem, Et Flaminius dum suam deplorat ex morbo calamitatem, Et de Hercule deplorante Hylam & in Hyella moriente & in morte solæ. At Sciafinatus in obitu Gualterij Corbetæ amici sui & viri valde eruditi vsus est carmine heroico cum dixit:

Sera quidem sacro meritos mea lumina luctus

Effundunt cineri cum tristis & anxia pridem

Te patria & totus terrarum defleat orbis

Et alter:

Quis dabit in lachrymas fontem mihi? Quis satis altos,

Accendet gemitus & acerbo verba dolori?

Exhaurit pietas oculos.

Quem secutus est Flaminius, ita vt variatum fit. Et certè vt mihi videtur cum tria sint ad mouendum commiserationem Historia, Tragœdia, & Epopæia. In Historia augetur affectus fide: nam vera narrantur: in Tragœdia accedentium & fictorum non extra tamen historiæ similitudinem & densitate casuum atque lamentationum, si quidem omnia vna die administrantur. Verùm in Epopæia Deorum & miraculorum figmentis quantum de affectu accedit, tantum de fide adimitur. Iuuat & numerosa oratio resonans. Tragœdia igitur ad narrandum singula historiæ similior est: Poëticæ in augendo affectus. In Epopæia autem singula narrare difficillimum esset minima autem humile, nimis indecorum. Ea ergo causa apud Iudices licet numerosa oratio & pedibus congruens plus moueat affectum quia tamen fabulis congruit, ideò iudicum animos potius in contrarium agit. *Ci.* Sed cur numerosa oratio magis mouet animos, quàm soluta? *Er.* Quamvis multa circa hoc dicere possem potissimæ tamen. Causæ tres esse videntur: Prima scilicet quod sit notior, & ideò si orator aut histrio etiam addat gestum, & pronuntiationem, & habitum magis mouebunt animos, quàm si simpliciter verba proferant. Et recitata lingua communi plus mouent quàm latina, quia magis intelliguntur. Numerosa autem oratio notior est quia rationem habet & proportionem inter partes: vt etiam harmonia in auditu & in visu symetria. Demulcent etiam animos carmina vt & musica at placati animi ad misericordiam sunt promptiores, paratioresque vt ad sæuitiam incitati atque irati. Tertia causa est motus omnis autem actio à motu intenditur. Vnde carmina & maximè Heroïca & Elegia mouent animos illa quidem cum grauitate, hæc verò miseranda semper & proprium eius est vt sit plena querelis. *Ci.* Id etiam libenter planè discerem, ô generose, cur quæ maximam afferunt tristitiam plerosque iuuat in memoriam reuocare: cum alioqui non discrucientur: tum verò in horum memoriam seipsos reducentes plorent? An malum placere potest? *Er.* Pulchram proposuisti dubitationem quam vtinam tam pulchrè dissoluere liceat. Sed vt mihi videtur hoc non ex intento, sed velut pruritus scabendi voluntatem excitat, ex quo consequitur dolor, ita amor memoriam refricat amati memoria illius cum eo careamus calamitatis excitat recordationem ex qua inuiti etiam in lachrymas rapimur. Et licet maior sit dolor, quàm voluptas, attamen cogimur vt mulier grauida ex modico nixu deuenit in acerbissimos dolores. Non enim necesse est maiora esse principia, his quæ consequuntur sed plerunque minora sunt. *Ci.* Rectè equidem hæc omnia, sed id commune est: ego autem non de hoc quæro cur matres recordentur amissorum filiorum, inde lugeant illos, hoc enim vt dixisti, causam habet manifestam: illud quæro, quod est obscurius, scilicet quare quidam egregij viri quærunt causas memorandi, vt postmodum acerbè doleant, cum possent obliterando memoriam postquam reuiuiscere non potest carere etiam dolore. *Er.* Exemplum. *Ci.* Non desunt: Suetonius in Caligula: vnus iam puerascens insigni festiuitate, cuius effigiem habitu cupidinis in æde capitolinæ veneris Liuia dedicauit. Augustus in cubiculo suo positam quotiescunque introïret exosculabatur. Ouidius ad Liuiam scripsit de morte Drusi eius filij. Et licet non ipsa scripserit non scripsisset tamen nisi probari putauisset. Plures alij celebres viri, sed nemo magis obitum filij defleuit inscriptis, Hieronymo Cardano tuo meoque; alij iuxta sepulchra vsque ad mortem perseuerarunt. Arte misiam constat sepulchrũ ex edificasse Mausolo coniugi Cariæ quod inter miracula orbis numeratur. *Er.* Siste gradum aperuisti viam dubiæ rei. *Ci.* En quomodo. *Er.* Quoniam gloriæ nominis causa id faciunt: cupiunt enim quod morte corporis amiserunt charum, æternum fama apud posteros reddere. Quod etiam Cicero moliri se testatur in filia, nec id improbandum quod tot sapientum

pientum virorum iudicio laudatur & ratione non caret. *Ci.* Vera dicis sed est aliquid plus seu vltrà: nam huiusmodi scribendo ac legendo & refricãdo videtur leniri dolor: *Er.* Vera dicis nunc in mentem causam reduxisti: Qui scribunt talia vitam dant his de quibus scribunt & cum dolor sit ob interitum scribendo illorum laudes Eurydicen reuocant ab inferis: atque ita magnum solamen est, tum maximè quod norint omnino morituros aliquando & si non viuentibus nobis. At sic mortuos esse iuuat quandoquidem propter id non inglorij moriuntur. Sic Franciscus Petrarcha quamvis nouo argumento alienam defleuerit animæ suæ peperit immortalitatem: *Ci.* Recte & ad amusim vt dici solet. Est ne alia causa cur etiã legẽdo & quasi refricando vulnus leniatur dolor? *Er.* Est, & egregia alia præter eam quam capimus voluptatem, ex eo quod videamus siue per nos, siue per alios donatos illos vitæ alio genere congruit bellè illud Horatianum:

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi. sed omnes illachrymabiles
Vrgentur, ignotique longa
Nocte, carent quia vate sacro.

Sed vt dixi est aliud etiam quod iuuat in hoc casu: postquam enim tempus minuit dolorem, relinquitur memoria præteritæ consuetudinis, quæ vt peracta est, ita æterna, quia immutabilis: at, vt dixi, amare æterna, & quæ nobis subtrahi non possunt, id maximè ad Tranquillitatem pertinet. Propterea eiusmodi memoria est pars præteritæ conuersationis: sicut etiam vidisse per somnum? & ideò dulcis est non tristis. Summum enim malum est, omnino carere præsentiâ illius: qualiscunque ergo repræsentatio dolore imminuto iucunda est: & leniminis loco. Ita multiplex commodum est scribendo, legendóque talia. In scribendo quidem vnum in legendo duplex, vt dixi. *Ci.* Sed omisimus eam dubitationem propositam, an ad elegiam, an ad heroïcum carmen spectet nænia & fletus mortuorum & miserabilium casuum: an ad tragœdiam, an ad lyricum carmen, nam & Horatius defletQuinctilij mortem carmine lyrico, quem imitatur Flaminius in obitu Franciscæ Sfortiæ cuius est initium:

Puella delicatior
Molli columba: pulchrior
Rosæ rubentis flosculo
Cur immerentem candidis
Te sæua parca fratribus
Et coniugi dulcissimo
Prima iuuenta sustulit?

An potiùs ad tragœdiam talia repræsentare. Sed tragœdia vt affectum auget dolori leniendo apta non est. Tragœdia ergo ad gloriam pertinet Poëtæ & infœlicilis nec non ad vindictam: vt pro morte illius auctores inuisi reddantur. Elegia autem est cum molliter casum deflere volumus, & ad mulieres senésque pertinet. Et medicamen secum doloris defert: Heroïcum carmen ad Principes personas aut fortes viros dirigitur & de huiusmodi etiam personarum casibus infœlicibus est. Lyricum autem carmen, ac eius vim in illa Ode expressit Horatius: docetque in his rationi parendum esse, repræhenditque superfluam in his curam. Vnde Heroïcum carmen in medio est, lugubris ergo Elegia, seuerum Lyricum, Heroïcum maximè mouet affectum in te, sed in audiente grauitatem retinet. Cæterùm cum carminibus tria alia iungi solerent vt ab Aristotele didicimus Musica scilicet Chori & Poësis: nam Poësis sine carmine licet non sit aliud tamen est, velut in comœdia multa Poësis lata licentia carminis. Et sicut rythmi ad carmina pertinent ad musicam autem modulatio, ad Poësim Chori, ita tamen nunc indistincta habentur hæc omnia, vt integra narratione opus esset ad hæc distinguenda. Solum id dicamus quod post lyram est testudo seu chelis, sed longè illa inferior. Vnde illud Horatianum forsan ad hoc instrumentum deflecti potest:

Qui persæpe caua testudine fleuit amorem
Non elaboratum ad pedem.

Et Virgilius:

Ipse caua solans ægrum testudine amorem
Te dulcis coniux te solo in littore secum.

Quanquam, testudinis, nomine & citharam, vt dixi, & magadan, & chelin & multa alia instrumenta comprehendi posse tanquam sub communi genere intelligam. Verùm Musica non minuit luctum nisi quatenus Poësi & carminibus iuncta est, sed augent: quomodo autem iuncta minuat iam audiuistis, quapropter ad tertium genus instrumenti ad parandam Tranquillitatem accommodati transeamus: scilicet historiæ lectionem.

Equidem magnam voluptatem in historiæ lectione esse intelligo & quæ valeat animum Tranquillare, vtinam copia illarum adesset, sed non est. Earum enim quæ varietate præstant aut rerum magnitudine nulla integra superest, Non Trogi, aut Diodori Siculi, aut Appiani Alexandrini, aut Dionis, vel T. Liuij. Sed neque ex elegantibus licet non etiam generalibus, non Salustij, non Cornelij Taciti, Pauculas tamen habemus Anabasim Xenophontis, paucula ex Salustio, primum librum Epistolarum Principum Argentoni historiam. Leporis aliquid habent Epistolæ ad Atticum Ciceronis, sed Delio narratore indigent. Cæsaris commentaria specie pulchra, sed sine neruo, vt militem tùm delectare possent. Gesta Ottomannorum, vita Caroli Quinti: illa quidem non edita, hæc solum vmbram retinent. Summa iucunditas certè esset repræsentare res vt gestæ sunt. Quæ videntur oculis, quæ omnibus nota sunt, illa parum me delectant, scire cupio quæ alij non norunt: quæ arte constant magis quàm fortunâ. Consilia procerum, dolos sociorum, causas dissidiorum, quæque in angulis fiunt non in campis. Sed mittamus hæc.

Hæc vna est præcipua Tranquillitatis

ratio, Dei afflatus, Geniorum præsentia. Hominem .... esse putem, nec si sim esse velim si Deum ignorem. At vbi nouero Mens modò bona adsit) semper cum maximè solus sum, tres sumus Deus, libri, & mens nostra. Sed mittamus mentem modò, & libros, & cogitationem. De Deo ipso sermo instituatur. Dico illum adesse omnibus de eo cogitantibus, eosque fælices, id est, Tranquillos reddere. *Ci.* Mira narras tanta maiestas homumcioni, & improbis etiam, & res noua & innusitata. A Philosophis reiecta, nec à Theologis satis recepta. Inquit enim Christus, *vbi duo vel tres in vnum congregati fuerint in nomine meo ibi ego ero in medio eorum.* Et cum apparuit euntibus in castellum duo erant, non vnus. Deinde etiam si adsit hæc causa vniuersalis beatos non efficiet. Quin imo tu ipse à teipso diffides dicens paucos esse Tranquillos animo, & vera puto te dicere: inde omnibus Deum assistere, & quoscunque homines quibus Deus assistit beatos esse, id est, Tranquillos. Quis non videt hæc pugnare inuicem? *Er.* Hic mihi ô amice multa occurrunt primum vt explicem quid secundum Theologos & Philosophos dicendum sit: inde vt doceam seorsum vnunquodque propositum, demùm vt interrogatis tuis respondeam. Demonstremus paululum Deum vnunquemque videre, & adesse vnicuique. Nam in solis luce id perspicuum est, quòd omnia nobis videntibus collustrat. At Deus causa est excellenter vniuersalis, latet hoc in luna: magis mirabile videretur dictum de Iove vel Saturno: de Sole non admiramur, quia opus eius est illustrius: hoc autem quia nobilior inter sydera: Si ergo videre cunctos & assistere maximè conuenit nobilbus causis arque vniuersalibus, Deus autem maximè vniuersalis est & nobilissimus, Deus ergo omnibus collustrando assistit imaginemque suam in nobis mente, voluntate, vitaque declarat. Quod si Sol oculus, vnus esset, iam non dubitaremus quin nos omnes non videres: at quia hoc nescimus dubitamus quod si intellectus esset qui intelligeret: nam minoribus indiget intellectus ad intelligendum, quàm oculus ad videndum, & est validior facultas & subiectum nobilius, Deum autem collustrare omnia iam obtinuimus si idem esset oculus etiam perspicuum esset illum cuncta videre: at constat eum intelligere, intelligit ergo omnia Deus. Sed solum fallimur in hoc quod radios illius, & ipsum non videmus vt in Sole. Sed haud obscurum est adesse & intelligere nos omnes. At si ita est cum in omnibus motionibus aliorum quies màxime faciat ad sensum: sedendo enim magis quàm ambulando, & tacendo quàm garriendo, & occlusis oculis quàm tabulæ intenti spectando audimus harmoniam; homo ergo in solitudine (idque commune dictum sit à Theologis, ac Philosophis semper cum Deo est: & illius magis sentit afflatum quo sensu cum per se beatus sit & omnes alios sensus dissipet suo lumine vt potè à nobilissimo agente necesse est in summa Tranquillitate esse, qui in solitudine Deo operam dat. Theologi tamen volunt ab initio & improbis semper malum genium adesse. Et de principio quidem apparet in Epistolis B. Antonij cui maiorem fidem ego adhibeo quam centum testibus rogatis: cum probus esset, nec esset cur mentiretur: De malis autem multa refert exempla Alexander ab Alexandro in genialibus diebus. Malis autem qui bonam mentem habent Dei adesse afflatum apud Philosophos in confesso est. Theologi etiam id docens de Balaam, de Saul, & quotidie id videmus: nam si Dei præsentiā improbitate humana distinguimus nulli homini aderit, nemo enim bonus nisi Deus, sin autem magnitudine improbitatis? nulla erit certa meta, & hominis improbitas tot modis confunditur vt quem aspectu inter minus collocaueris profundo Dei iudicio cogamur reiicere vt pessimum: contra quem pessimum faciunt humana consilia Deus iam absoluit. Quare melius erit iudicio meo illam definire voluntate firma aut non constanti: in magnis malis aut paruis causa impellente vel ob inuidiam tantum aut liuorem, atque ita in huiusmodi constituere rationem metæ. Nunc ad obiecta quæ leuia non sunt dicamus. Causa vniuersalis modo vniuersali beat, & non vndequaque fateor. Sed in Deo & intellectu hominis est eminentia præter magnitudinem virium ac virtutis in Sole & calore ac luce deest eminentia tam in Sole ipso qui est causa, quàm in ipso effectu qui est lux & lumen ac calor, & ob id licet solis præstantia exhilaret corpus & sensus non tamen beatum efficere potest hominem, Dei præsentia potest, & efficit. Diuina enim videntur omnia torpedini similia, cum enim illa hauserimus imbuerimusque cessant omnium aliorum & corporeorum sensus & voluptates & dolores, hocque ipso homo cognoscit se profecisse cum ad alia omnia marmoreus redditur. Qui autem hos afflatus profanarunt, vt quidam, qui reuelationes quasdam falso iactitarunt & consuetudinē geniorum, catulorum consuetudini similem, hi ad impietatem, & insaniam accedunt, cum obiicis pluribus magis assistere Deum quàm vni soli verum est, quantum ad actionem illam pertinet: Sed si quis ob Dei amorem relinquat omnia commoda, aliud de illo sentiendum erit. Idque experimento comprobatum est, quanquam multi in solitudines eant, vt magis innotescant hominibus. Non loquor de stultis, fraudulentis, ambitiosis, nec desperatis, sed de his qui ob pietatem se ab hominibus segregant: cum illis enim est Dei afflatus. Deus non relinquit sperantes in se: ille solus simulantes agnoscit. Dictum ergo illud intelligitur de omnibus veris Christianis etiam militibus. At dicis sic plures essent Tranquilli pluresque beati? Nonne mens seu sequamur Philosophos seu Theologos ad intelligendū omnia nata est? Quantas imagines in ea esse existimas, comprehendit quotquot sciuerunt

maiores

maiores nostri, quosque præsentes in vniuerso orbe, quosque scient omnes posteri, diuina prorsus res: at quàm pauci tamen Archimedes, vel Pergei, aut Aristoteles? Iurarem sanè multos haberi pro religiosissimis, qui non solum hæc non facient vt relinquant delitias Mundi, vt Deo soli seruiant, sed sint irrisuri etiam quæ hic dicimus si quando recitari ea audient. An ergo Deus huiusmodi afflabit homines? At dices forsan cur tot inter Phratrios optimi viri, qui tamen nullo inclarent miraculo: sed iacent obliuione obsiti? Certè verum id totum est: Etenim plures sunt boni, Dei amore solum huic negotio intenti, & iam dici, qui nil differunt ab aliis hominibus: imò etiam ab improbis multa incommoda patiuntur. *Ph.* Hæsit autem tum paululum: cui Ciuis dum taceret inquit: hos constat non solum quicquam tale consequi sed deterius cæteris affligi. Et ego multos huiusmodi homines noui. Nec existimo eò confugiendum, quòd illis gratia Dei ad Tranquillitatem sufficiat: quandoquidem mirum in modum torqueantur. Videatúrque hæc Stoicorum fuga & peruersio indicij rerum. *Er.* Benè dubitas ô amice, & ego quandoque hæsitaui multum tum maximè cum experirer hæc dona non nisi claro ingenio præditis data esse ac concessa: vt quasi videatur prudentiæ illorum munus potius quàm Dei. Sed neminem video non bonum Tranquillum quamvis sapientissimum: quinimo hos ipsos cæteris turbulentiores. Verùm nec sine pietate hoc contingit, nec sine sapientia. *Ci.* Cur ergo necessaria est sapientia si donum Dei est. *Er.* Dicam quid de hoc sentiam ô amici: Nonne Iacobus inquit in Epistola (nam huiusmodi nodum Philosophi facilè dissoluerent) *quod fides sine operibus mortua est.* Quantum rogo interest quod quis rusticus sine opibus sine voluptatum vsu sine ingenio Deum colat, forsan si haberet hæc non culturus, & nobilis alius opulentus ingenio præstans disciplinis liberalibus imbutus qui multos annos lucubrationibus impendit pietatis studio in solitudinem se conferant? Itaque Deus & viam & votum vni præstitit multis votum tantum, ob id præclara illa miracula, felicitas & quies solis his confertur. Quam Philosophi donum esse volunt solius eruditionis. *Ci.* Acquiescerem facilè ô admirabilis nisi viderem etiam inter Phratrios multos valde eruditos & pios quod ex vitæ instituto facile est coniicere maledicant enim quidam quantum velint, absurdum tamen existimo, vt valeas te in glaciem coniicere. Carent certè multis commodis multæ sunt illis adeptæ voto tamen suo peccandi occasiones. Vt si peccent minus peccent rarius & quod maximum est violentissimâ causâ inducti, quandoquidem instituto vitæ constet voluisse peccare vt admodum venia magis aliis etiam digni sint. Nihil tamen in his huiusmodi apparet Nec quenquam vidi admirabilem præcipuè ex eruditis. *Er.* Adhuc pulchrè dubitas sed falleris: Et inter hos enim beati sunt & Tranquilli licet pauci, pauciores etiam extra, sed eminentiores forsan, quoniam quicquid rarius est id excelsius etiam esse solet. *Ci.* Satisfecisti mihi nescio quantum socio nostro. *Ph.* Pulchrè quanquam haud sim Theologogus. Verùm dicas mihi, nam hoc ipso confundor, cum multa sint, vt video, ad Tranquillitatem necessaria, an omnia hæc simul sunt necessaria, an singula tantum pro vniuscuiusque generis diuersitate? *Er.* Primum ô amici videamus quot sint Tranquillitatis genera. Equidem mihi plura esse videntur inter quas est Tranquillitas militaris. *Ci.* Hui quid audio si propè ignem essemus timerem ne diceres illum esse tactu iuncundum atque suauem. Quid vnquam audiui mirabilius quàm in militia Tranquillitatem occidere aut occidi: algere, torreri, esurire, sitire, laborare, vigilare inter metum, curas, ac spem semper positos. *Er.* Ne tanta ô amice: in mortalibus rebus hæc est præcipua quòd sola militia cum mortem contemnere doceas nihil curas quæ morte sunt inferiora. Ideò solum & gloriam, & victoriam, & fidem, ac principatum: alacris miles in his cogitationibus viuit, nec quicquam metuit, sed cum occasio datur si hyems sit apud ignem parata mensa mundis lineis vestibus ab illuuie plurium dierum loquitur facta egregia spes maiores cum Principibus, quos seruerit sermones: plurima hic ad beatam vitam habet quibus alij carent: vt inter mortales felicissimè & tranquillissimè viuat. *Ci.* Dic sodes quæ: sed ne tu fuisti aliquando miles? *Er.* Nequaquam sed interfui eorum sermonibus & tum maximè, cum puer essem. *Ci.* At quæ dicas rogo sint ista præcipua? *Er.* Primum non cogitare vt dixi de re vlla mala quandoquidem mortem spernant, nec metuant nec illius meminisse velint: tantus ardor mentis, tam alacris animus, vt omnium malorum obliuiscantur cum maximè impendeant, adeò sunt assueti omnia in spe & votis exuperantibus collocare. Deinde conuersatio cum Principibus & sermones familiares, vt etiam non dedignentur cum gregario milite colloqui, ac cum Tribunis & Ducibus de quibus præcipuè sermo est adeò familiariter loquuntur, vt dicas fratres esse suos. Detinent eos, secum conuiuio excipiunt, magnifaciunt, laudant vt vel hoc solo beatos illi se putent, non commemorabo exempla in hac causa quæ tot sunt vt tædium paritura sint. *Ci.* Nec requiro, scio enim esse nimis plura sed sequere si quid aliud habes. *Er.* Est inde transitus ille è summa miseria ad repentinam & persæpè repentinam felicitatem: soli milites norunt voluptates edendi, bibendi, dormiendi, calefaciendi, quiescendi, sanitatis opum: soli enim esuriunt, sitiunt, vigilant, frigent, laborant, & defatigantur, vulnerum cruciatus experiuntur: & inexpectato ditantur. Quibus etiam nihil magni contigerit spes maxima alit: & fortes ob virtutem & ignauos ob stultitiam

Accedit præterea licentia vitæ summa cum omnia quæ possunt agant paucis legibus militiæ subiecti: quas etiam vt volunt seruant. Atque hæc libertas militaris vt in aliis hominibus sordida & turpis, ita in illis decora & gloriosa. Videas militem laneo thorace solum indutum, ense accinctum, caligis variegatis & enormibus: quanto turpior tanto gratiosior & laudatus magis. Semper spem præponunt metui: habent suasores, incitatores, exempla infinita eorum, qui ex minimo statu in maximum euaserint. Tempus præterea ita diuidunt, partem muniis bellicis impendunt: in quibus summa voluptas est & iucunditas præferri etiamsi sit res periculosissima, videas mærentes qui post habentur. Lætos qui ad pericula mittuntur tantus ardor animis, tanta alacritas in spe, voluptas in gloria. Quam dolet apud Homerum Hector retineri ne pugnet? & apud Daretem cum somnio Andromachæ Priamus illum impedit. Et Turnus cum abducitur à sorore, vt cum ab Ænea eriperet. Ergo vel gloriosa munera subeunt cum spe lucri, aut securi restant, reliquum temporis ludo & iocis atque conuiuio, tùm somno consumunt. At illud præcipuum modò est in hac exercitatione plures & quam maximè fidos amicos habere. Quod extra militiam vix contingit. Et quanquam habeas nescire potes. Ita summa felicitas humana in his studiis reposita est. Hi etiam postquam munus ipsum reliquerint, beati sunt, commoda retinent, honores, gloriam, amicos, dignitatem, fortitudinem assueti: nec metuere, nec sentire mala, incommoda relinquunt labores, pericula, miseriam. Quin etiam paucissimi sunt, qui militiam non diuites serunt. Nec vlla est ars aut disciplina in qua tot & tanta præmia exhibeantur, aut tam præsentia. Itaque Romanos illos Tranquillitate summâ ante bella ciuilia vixisse haud dubium est nil aliud cogitantes quàm gesta sua & nomen apud Populum, felicitatemque Reipub. quæ diu floruit vt etiam reliquiæ Vetustatis admiratione sint dignæ. Sic etiam paucis ante annis, sed & hanc sustulit intestina seditio, Gallica gens, militaris admodum, hoc priuilegio gaudebat. Nihil enim neque in bello, neque post, nisi pugnas & egregia facta curabant, loquebantur, cogitabant: conuiuia, & potationes, ac ludos celebrantes: adeò vt etiam in pace summa cum aliis non possent bellum committere, certarent inter se quanquam mirabili casu & sine exemplo Rex eorum occiderit. Ergo nil melius habet humana vita: nam diuina Tranquillitas omnibus absque dubio anteponenda est. *Ci.* Profectò penè militem, me effecisti. Iam iam ô puer expedi mihi arma: apta equos. *Er.* Ludis certè si non militarem Deo vellem inter homines habitum fuisse pro milite. *Ci.* Sed si placet adoriare alia genera Tranquillitatis si qua sunt. *Er.* Est quod dixi sapientum virorum studiis incumbentium, qui etiam virtute animi præditi sunt. *Ci.* Sunt ne alij? *Er.* Est & quartum genus Aglai illius Psophidij quem sapiens Appollo prætulit Gysi opulentissimo Regi: quietè in angulo solitudinis viuere, cuiusmodi est vita etiam Eremitarum, si rectè metiri res nostras voluerimus. His quanta generibus tota Tranquillitas humana constat & continetur. Sed verè Tranquillitas in duo genera reducitur, aut quod omnia bona complectitur eminenti quodam atque excellenti bono: aut quod obliuisci faciat & bonorum quæ non habemus & malorum quæ habemus. Quæ igitur diuina est eiusmodi est, post militaris: Nam obliuiscantur si non adeò excellenti bono gaudent. Sapientum vita minus Tranquilla est: Quæ autem in humilibus viris est, casu potest esse Tranquilla: non tamen meretur celebrari. Virtutem illam sine sapientia etiam prodesse multum velim: vt non concupiscas, non irascaris, non voluptatibus te dedas. Quin etiam nullum fermè exemplum inuenio Tranquillitatis Philosophorum nisi Socratis qui ab ambitione illâ mutuatus est; Erat enim regnum in paupertate. Sed verè, vt dixi, non nisi illa prima tria genera reperio. Propinquiores fuere Tranquillitati beati illi maiores nostri Antonius, Hilarius, Moyses Eremita, Ioannes, Paphnucius, Macharius, Hieronymus, sed cum discipulos congregauerint non in sola consuetudinis hominum fuga videntur fuisse beati, sed in conuersatione diuina ac laudabili. Eos verò qui regna adepti sunt mirum quòd minus fuerint beati quàm Camilli, illi, Scipiones, Papyrij, Fabij, Cincinnati, Fabritij, nam vbi felicitas inualuit Tranquillitas cessat, neque enim eiusdem generis sunt Tranquilla felicitas atque turbulenta. *Ci.* Ergo regnum adeptum esse vt video turbulentioris est conditionis causas quærere Tranquillitatis? *Er.* Non malè dicis ô amice: quidam enim sunt motus in homine seu ingeniti à natura, seu diuinis similes qui Tranquillitatem afferunt: quoniam Tranquillitas in omnimoda quiete esse non potest aliter cœcus & surdus Tranquilliores essent videntibus atque audientibus. Homo enim per se sensum habet quendam mali similem originali vt vocant peccato qui nisi tollatur negotiis sensuum exercitatione & cogitatione molestiam magnam dum affert etiam Tranquillitatem impedit. Ergo necesse est aliquid agere. Qui in carcere sunt etiamsi non sint vincti, & si nihil illis deficiat tristes tamen viuunt, hoc ipso quòd sensus quantum natura datum est exercere non licet, nec prout decet illis vti. Cum ergo ingenitum nobis sit semper altiora petere vbi eò peruenerit, quò non possis superius auolare tanquam impeditus à diuino illo cursu, qui & si persæpè ad malum sit & per improbitatis callem, nihilominus homo tristatur & dolet etiam si in summo vertice rerum humanarum sit constitutus. Quamobrem in Repub. benè instituta qui florent honoribus felicius viuunt quàm qui regno potiuntur. Et tamen hi non commutarent iam assueti delitiis, vides in nobis perpetuum motum cordis & arteriarum:

arteriarum : an putas frustra esse, aut hominem quippiam in animo non huiusmodi habere, quod semper titillet & inquietet? Verùm Tranquillitatis bonum nemini naturam inuidisse crediderim, iuueni, seni, pauperi, diuiti, hæc enim secundum naturam sunt, esse ægrum non ita. Quapropter cum neque robur in senibus, neque voluptates in pauperibus, commodæ & perfectæ esse possint, neque in robore, neque in pulchritudine, neque in voluptate Tranquillitatem posuerim. Voluptatem à bono superiùs differre docui: at nunc etiam si dixero malam persæpè esse non fallar. Non dico omnem, nam quæ habetur ex conscientia pietatis sapientiæ, innocentiæ operum secundum virtutem Tranquillitatem affert cum in contrarium commutari non possit. Quæ verò cum libertate, securitate, sanitate, opibus, amicis, rebus necessariis, laude ac gloria hæc etiam cùm Tranquillitate esse potest non tamen illius est pars, quia sedes in qua constituta est labilis est, & inconstans: at voluptas veneris, epularum, doli, iniuriæ, neque est cum Tranquillitate quanto minus vt sit illius pars. Sed de his à prandio disseremus. Placet vt edamus.

Ph. Domum enim iam redieramus vbi sublata sunt vasa & accensus ignis tum Eremita inquit, oportunum nunc esse reor ô amici, vt de Tranquillitate sermonem absoluamus: nam nunc maximè tempus est cum omnia silent & nix frequens cadit, & venti sæuiunt, vt quod exterius procellosum est nobis maiorem pariat Traquillitatem tanquam extra aliam positis, hic euenit sapientibus viris & fortibus vt in communibus calamitatibus & cum alij mœrent, ipse non solum non confligetur sed etiam gaudeat. Senex est & inualidus mens tamen iucunda est & prudens: Aliorum videt errores & consilia votaque stulta, quid illi gloriosius contingere potest? Non est labor exercitatis cogitare, sapere, inuenire vt neque velle, aut videre, vel audire. Accidit mors filij ex qua multi patres obeunt, durissima sanè res, & inter casus mortalium maxima præcipuè si paucos habeat, si ille adultus est & bonæ spei. Non se stultè ille vt quidam alij, solabitur, mortalis erat, Numantia diruta est, Scipio obitum fratris tulit: neque illud nihil proficis, te ipsum frustra maceras: Quid non ne illud stultius laudatur, desideratur? ô tempestiuum consolatorem amissi filij? Simile illud stant fata inexorabilia: quicquid præcipuum est afferunt, pessima derelinquunt: huiusmodi & tam multa alia non tam præter propositum & inefficacia, quàm etiam stulta remedia doloris: ô peruersa hominum quorundam iudicia. Sed neque illa quandoque sufficiunt cum reuocamus homines ad ea quæ credere difficillimum est. Innitamur nunc his quæ demonstrari possunt & posita ante oculos illa neque paruifaciamus, neque negligamus, neque omittamus, sed differamus tantisper, non sunt in magnis calamitatibus afferenda leuia auxilia, vt neque si ignem inspergamus quem non extinguimus, sed augemus. Procedat quod firmum esse debet & stabile, ex firmis quoque ac certis probationibus. Morituri sunt omnes filij atque nepotes, tum pro nepotes hoc certò scis: Quid refert quòd ante te vel post te sint morituri? Si nolebas illos ante te mori, mori ante illos te oportuit, atque præoccupare. At est quod dicere possis viuere potuit ad senectutem vsque, & post me obire, & alios relinquere filios. Quantum est quot putas potuisse superesse? Quadraginta anni: at tùm moriturus omnino erat: illi dilabentur quàm breuissimè: res ad idem redigitur. Post te vt moriantur vel ante nil refert: hoc solum dignum est consideratione quòd si relicturus erat filios aliquid est & fortè magnum: si non omnino, vt dixi, res ad idem redit. Sed fac vt relicturus esset, nunquid placebit Deo vt perpetuò hæc tua stirps maneat. Quæ si aliquando finem est acceptura adhuc nihil amisisti: seu totum genus humanum interiturum est, vt Theologi magnaque pars Philosophorum esset. At vide ergo quot modis nihil amiseris. Quòd si omnino mansura est humana natura si animi manent iam rursus nihil periit. Si poterat continuari stirps hoc non nisi ex Dei prouidentia, at ille per alium è tuis descendentibus aut fratrem, aut sororem, patrimum, matrimumque idem facere poterit. Si prouidentia est nihil malum: Deus enim bonus est, & iustus: si prouidentia non est Mundus finem habiturus est: nihil amisisti. Quicquid terminum habet pro nihilo habendum est. Si sine filiis vixisses semper non doleres; idem est habuisse & amisisse. Non inquis: sed quod natura dederat casus sustulit. Si Deus sustulit vt dixi, bonum est quod Dei prouidentia fit: si casus, casu etiam contingit habuisse omnia sunt casuum: dolendum non est aut saltem non immodicè. Sed si pereunt filij frater aut soror tua pro te ipso est. At si nec illi: quid periit? patris matrisque tuæ stirps ergo si parentum tuorum supersunt fratres aut sorores, patrimæ matrimæque, adhuc illi restituti erunt per eos easve & cum illis tu ipse. Tot ergo modis non periit qui periit filius tuus. Atque hoc totum est fermè certè maximum quod possit animi Tranquillitatem abrumpere, quid ergo est vt alius quispiam timeat, senex es habes sensuum mentisque voluptates: quod præteritum est id iam in tuto & extra omnem fortunæ aleam, minores sunt voluptates at delicatiores: rariores ac eo longè magis delectant. Pauper es liberior es, tibi viuis, plura bona inexpectata expectato. Quidquid aduenit præter spem iucundius est atque suauius quàm quod consuetum est. Desunt amici: imò ob hoc felix sum in Eremo quòd neque miseriis illorum torqueor, neque negotiis distrahor. Felicissimus sum quia solus sum, cum neminem timeam à nemine mihi cauendum sit. Visne esse cum bonis aut cum malis: Si cum malis ab eis decipieris in suspitione perpetua eris: si cum bonis. Boni semper misere sunt, opprimun

opprimuntur, eorum indignis calamitatibus perpetuò discruciaberis: æger es Tranquillus non es: sed neque permittes te perturbari. Non ero longus in huiusmodi. Satis est multos ægros etiam insanabilibus morbis fuisse felicissimos. Philippus Macedoniæ Rex & Annibal: alter sagittâ excusso oculo, alter morbo factus luscus. Itaque rectè in Deo primùm, post in militari arte, atque sapientia virtuti iuncta, Tranquillitatem collocauimus. *Ci.* At ô egregiè non omnes in Eremo esse possunt nisi Eremus in ciuitatem transeat: quid ergo cum in ciuitatibus erimus beatos nos efficiet voluptas, & si eâ careamus nihil propè iucundum aut Tranquillum esse potest. *Er.* At ô amice tantum abest vt voluptas Tranquillitatem efficiat vt omnino nolim vllam Tranquillo præter eas quas dixi, esse voluptates. Voluptates enim ciborum, veneris ac ludi, neque enim alias noui à virtute abiunctas nisi has tam reor esse inimicas Tranquillitati, & felicitati omnes, quàm non necessarias: nam de necessitate quid dicam cum iam ostenderim nullo modo Tranquillitatem in huiusmodi collocandam. Videamus modo an mala sit voluptas an bona. Id verò primum ex crassa minerua, scilicet ex frequentibus successibus. Deinde ex ipsa voluptatis essentia. Tertiò à conuenientia eius cum Tranquillitate. Demùm ex causis voluptatis atque illius natura. Primum ergo vt historias omnes perlegamus, tùm acta temporum nostrorum, perpendamus omnia mala quæ ex voluptate ortum habuerunt: omnes ingentes voluptates maxima mala peperêre. Quid excidium Troiæ attulit? immoderata Alexandri voluptas, & potiundæ cupido, & retinendæ pertinacia. Quanta mala ex hoc acciderint non est vt recitem, pleni sunt libri. Semiramis dum amat sordidè & voluptuariè filium seipsam dedecorauit: gesta alioquin laudanda infamauit, vitam amisit. Sardanapalus dum operam voluptatibus dat semetipsum primò, deinde concubinas & prolem & regnum ipsum tot iam annis florens perdidit. Alexander Vino infamis Clitum occidit: veneno in flore iuuentæ sublatus est: amore turpi adolescentis Bagoe tantum crimen admisit vt æquari possit dimidio benè gestorum. Quid de Romanorum luxuria, libidine, alea, ludisque aliis tùm comessationibus. Regnum quod sæuitia Caligulæ, stultitia Claudij, Crimina Tiberij perdere non potuerunt cum stirpe tota perdidit Nero lasciuiâ & voluptate nimiâ, alioquin non malus. Quid est vt dicam Vitellij & Heliogabali infelices exitus? hi quemcunque possunt admonere nihil miserius esse casibus & fine voluptatum. Sed ad noua veniamus. Domus Aragonia nonne ob delitias nimias & voluptates afflicta est & regno spoliata, demùm etiam extincta est. Rex Franciscus primus Galliarum dum muliebri amori seruit quot mala passus est. Atque inter cætera morbum illum Indicum quot etiam ossa palati amisit? Inde victus captus totum regnum defœdauit, venio ad minora exempla, Iacobus Bonfadius nonne ob pueriles concubitus, rem adeò vilem & soridam, vir alioquin inter eruditos, non postremo loco securi percussus in carcere, inde etiam publicè crematus est. Dominicus quoque Tinotus Gallus, insignis musicus consimili stultitia eodem modo extinctus est. Emarus Ranconetus magnum lumen literarum Græcæ, Latinæq; linguæ, & iuris peritissimus compressa filia cum tot essent Lutetiæ virgines sine periculo in vinculis obiit. Damnatus ad triremes rursus Gombertus musicus stupro pueri principalis. Maximum decus bonarum literarum & adiumentum. Angelus Politianus principali puero vitiato, per ebrietatem, inde illo extincto, fama est manus sibi intulisse. Franciscus Laudrianus vir prudens, strenuus, & in tractationibus principalibus exercitatus bis petitus capitali iudicio ab mulierum infœlices amores primum ancillæ, secundum Dominæ fugâ ab altero iudicio vix se eripuit: & ex clarissimo viro ac potenti nullus euasit, cum priorem etiam in vxorem duxisset, cum altera de ducenda conuenisset. Pannonij vino obruti dum temerè cum sobriis Turcis multis & benè instructis, ipsi pauci, nec satis instructi, clade maximâ acceptâ Regem regnumque splendidum ac diuturnum cum libertate simul amiserunt. Quin quòd & Germani adeò fortes fermè infames & in bello incauti sæpè trucidantur. Et Galli etiam dum nimis deliciis student ob conuiuia quidem stultè multa agunt, & ob adulteriorum nomen subditis graues, certè Mediolanensem regionem amiserunt. Nuper duo filij Principis Florentinorum mutuò se iugularunt: quos & si non dixerim ebrios fuisse: nec etiam parum sobrios auserim tamen dicere, nisi fuissent in conuiuio temperaturos à tam sæuo casu. Quid multa exempla commemorem & non illud potius?

Multum merum peccare cogit plurimum.

Et illud:

Vina senem vt nolit cogunt ductare choreas.

Quid quod sapienter vino obrutis Troianis captam vrbem, seu fingit, seu narrat Virlius. Verum nullum maius luxuriæ argumentum quantum possit, quàm quòd Annibalem ad eam vsque diem armis Romanis inuictum fregerunt Campanæ delitiæ ac perdiderunt, constat autem luxuria ex intemperantia: intemperantia verò constat ex tribus sensibus tactu scilicet libidine gustu, potu, & vino, & odore vnguentis scilicet fragrantibus. Sed si modum non adhibeas vt Nero etiam in auditu musicæ & in visu amænorum locorum, & tabularum ac picturarum. *Ci.* Nihil agis (cum venia dictum sit) nemo negat superfluâ voluptatem omnium malorum & exitij causam esse, de hoc est contentio scilicet in vniuerso genere & tẽperata. Hoc nullo exemplo demonstrare potes, neque verum esse credo. *Er.* Vbi extrema rerum adeò mala sunt, necessarium est etiam media esse è genere malorum. Sed isthæc omittamus nam si voluptatem naturalem laudare velis, nemo melius fruitur quàm qui est in solitudine, & qui abstinet. Dicebat Socrates se obsonare fame: Quis cum voluptate bibit, nisi qui abunde sitit? Odores ex

pratis

pratis quæro tam suaues quàm sunt sponte nati & naturali gratia iucundi, aures lyrâ pasco: serius nec exhilarat visum, veneris voluptas cum nimia iactura coniuncta est, vt præstet eâ caruisse, nec possum dolere quod illa caream, nisi doleam etiam quod consenuerim, sed agedum, reuocemus voluptatem ad examen in genere suo & ex propria essentia voluptas quidem in motu consistit, vt tranquillitas & felicitas in quiete, non est ergo tranquillitas in voluptate. Finis voluptatis aut malus est prorsus, aut pœnitendus, aut nullus, experimentum sume de cibo: aut dolet & grauat & pœnitet tantum edisse: aut morbum facit & est malus: aut omnino nihil sentis & tunc etiam bonus non est, quia nihil est, non ergo voluptatis pars est aut genus Tranquillitatis. *Ci.* Memoria expletæ voluptatis Trãquillitatem affert recreati etiam cibo & potu melius viribus habemus, similiter visu pratorum & amæni loci, & auditu suauis musicæ melius animo habemus, voluptatis ergo pars est aut à voluptate oritur Tranquillitas. *Er.* Rectè obiicis sed quædam hic sunt quæ potius dolorem auferunt quàm afferant voluptatem nam inuisere prata, moderatè se Musicâ exercere, ad benè institutam vitam pertinet, non ad voluptatem. Ego breuiter sic agam Quædam sunt media, quædam bona, quædam mala: illud non est bonum quod auctum definit esse vtile honestumque: at voluptas etiam ex picturarum aspectu, vel locorum amænorum cum excesserit nec vtilis nec honesta est: igitur nulla voluptas est bonum. Quæcunque enim bona sunt vt sapientia, sanitas, virtus, pietas, pulchritudo ea omnia quantò magis crescunt eò sunt meliora. At voluptas non est eiusmodi: quin si quis rectè considerare velit maximi quicunque viri despêxere voluptates, non despexêre bona, Quâ etiam causâ intelligimus filios & potentiam & honores esse aliquo modo in genere bonorum licet fallacium: voluptas ergo neque in genere verorum bonorum est, id est, constantium: neque fallacium seu mutabilium. At sunt quædam quæ in neutro sunt horum generum, & tamen sunt meliora voluptate, cuiusmodi sunt sermones cum amicis, consuetudo cum sociis, venatio atque istiusmodi quæ palam est esse inferiora filiis, amicis, honoribus, & tamen longè meliora sunt voluptate, quia non transeunt in contrarium, nec malum afferunt, & sunt honestiora imò absolutè honesta & decent quemcunque. Itaque cum voluptates nec ex hoc tertio sint genere: sequitur eas esse malas. Quid boni esse censes in eo quod non potest esse suaue sine malo. Filij boni sunt & delectant & amici & honores & gloria & sapientia & virtus & pietas, & confabulatio, & gemmæ & equi: at nunquam edere delectabit, nisi esurias, non bibere, nisi sitias, non concubere nisi prius tentigine irritatum, non dormire, nisi dormiturientem: quocirca neque odores neque musica ad voluptatem pertinent: sed vnum est virtutis fructus, altera naturæ munus: ipse verò voluptates è genere sunt scabendi & calefaciendi se quorum alterum non sine pruritu delectat reliquum nisi is frigore affligatur. Hanc adeò spreuere Philosophi, vt etiam comici damnarent. Vides Plautum.

...... Sapientum illud dictum te audisse reor sæpius:
Voluptas est malorum esca: quod ea non minus homines.
Quàm hamo capiantur pisces.

Gloriatur Cicero pro Archia se nec somno retardatum vnquam à negotiis aut auocatum à voluptatibus, aut alio abstractum: vt nihil deterius existimetur in hominibus voluptate, sed voluptatem quærimus in Poësi vt dictum est animi non corporis: neque eam quam scitè aut iustè intelligo, si vera fateri volumus atque quæ ratione ipsa manifesta sunt mala absolutè voluptas est, nec vno modo sed multis. *Ci.* Paradoxa dicere videris, atque ideò auidè audire cupio. *Er.* Primum quod charissimam rem subripit id nobis maximè nocet & pessimum est non malum solum: at negabisne voluptatem subripere nobis tempus cuius iactura sola irreparabilis est? finge quicquid velis, omnia restitui possunt præter tempus eius summa etiam penuria est in humana vita: & tantam partem abripiunt necessitates: Infantia puerilisque ætas, somnus, morbi, mandata, magistratuum, amicorum officia, cibus, potus, aluus, vestire, exuere vestes, at eius quod reliquum est si supputentur magnam partem voluptates quid atrocius homini contingere potest? Melius in morbo & dum edimus operam dabimus contemplationi, quam voluptatibus impediti, quas mens ab omni bono abstracta ad se reuocat. Magnum quoque malum afferunt cum opere suo abstrahunt homines à recta mentis operatione cùm morbis impediendo, tum corpus debilitando, tum somno tempus auferendo, tùm incitatione ad alias. Illud quoque deterius est quod nos decipit & iam maxima pars eorum quos sapientes vocamus, à virtute abalienata est: tum verò plebs tota & principes atque petentes viri seducti sunt ab illa. Quid ergo peius excogitari voluptate potest? sed attingamus etiam aliam principalem rationem.

Nihil minus conuenit cum tranquillitate ipsa quam voluptas illa enim motui inimica est & inæqualitati insistitque diuinæ cuidam virtuti & in animo impressionem habet & expers est perturbationis cuiuscunque: at voluptas horum contraria omnia habet: primũ quidem plurimum agitat corpus & commouet: venus ipsa adeò exagitat vt Democritus illã comitiali morbo cõpararit, cibi degrauant hominem, potus obturbant mentem: somnus omnia impedit: vnguenta vim animi impediunt. At inæqualitatem quantam parit voluptas? quæ vbi accreuerit necesse est vt repente tota simul concidat, nihil inæqualius voluptate: nullus homo inæqualior quã qui insectatur voluptates. Ipsa voluptas inæqualitas quædam est. Qui voluptati inhiant, antequã obtineant anxij, vbi obtinuerint alacres, & pleni gaudio esse videntur, vbi destituti fuerint quasi fatigati. Tales à cœna, & somno,

à concubitu ab alea surgunt vt palam sibi dissimiles sint. Nulla in his spes bona, nulla fiducia, seu se sperent ante senectutem morituros, quid deterius seu ad decrepitam ætatem peruenturos, cum intelligant tum se à voluptatibus relinqui & doloribus tanto magis subiici reliquis hominibus quanto plus operam dederit voluptati. Neque enim quisquam tam amicus est voluptati neque ipse Epicurus aut ante illum. ..... qui audeat negare voluptate dissolui corpus & in senio tanto deterius effici. Dentes cadunt, aures obsurdescunt, oculi lacrymantur, crura labant, spiritus fit grauis & difficilis, inde mille morbi oboriuntur. Quid est ergo deterius quam importuno tempore & delitiis assuetum transire ad peiora mala? laudabilis meritò hac in parte Socrates est, quod ob abstinentiã à voluptatibus omitto mentem sed & corpus vegetum retinuerit. At mihi summa miseria esse videtur, & multo maior quàm mors in florente vita viuere cum iam mortuus sit, & illud dici possit de te.

——— *Acheronticus.*

Senex victus decrepitus.

Ci. At si non dederis voluptatibus operam non talis erit cum eò perueneris? *Er.* Serius hoc fiet: nec adeò infeliciter: Et quod maximũ est his ero assuetus operibus propter quæ suspiciar & amer, non autem contemnar & odiosus sim, sed viden', qualis sit vir voluptatibus deditus opus est vt te doceam. Qualis ille Claudius linguâ titubans, caput assiduè mouens, pedem dextrum trahens, raucâ voce, tremulis manibus, naribus stillantibus, & fœdus in omnibus. Et in vitellio facies rabida plerunque ex vinolentia: venter obesus. Nil fædius, nil miserabilius sene voluptuoso & luxurioso. Iam videamus singulas voluptates, quid boni aferant quantum deceant honestum virum. Et primum crapula, quæ hominem prægrauat & odiosum sibi & aliis facit: vt illud.

Cœna desurgat dubia quin corpus onustum.

Quid de ebrietate quæ non inuentura est defensores nisi ex exemplo Philippus primus docuit posse ebrios præstantes esse, inde illius filius Alexander: Post Cato vticensis, & M. Antonius triumvir. Sed horum nemo fælix aut tranquillus fuit. Iam veniamus ad venerea in quibus resoluuntur vires: ipsa voluptas sordida: quod boni est, est significatio amoris aut potentiæ, quòd si aliter eam consequaris nonne pulchrius, mundius, nitidius, atque honestius quàm inter has sordes volutari. Quanta laus pudicitia à maximo tribuitur, tantum turpitudinis est in libidine: & quot noluerunt mori vel ob violatam pudicitiam, vel vt ne violaretur, tot habemus testes sãctissimos fœditatis libidinis atque peruersitatis. Nemo se excuset de eo quod profiteri aut palam facere naturali instinctu pudet. Res sordida inquietat hominem. Et non sinit vel in posterum quiescere, vel tùm adhibere animum cælestibus Diis quos constat ab huiusmodi labe esse purissimos. Rem nobis naturæ necessitate adiunctam ad seruandum genus velut & egerere ac mingere, nos multis modis flagitiosam efficimus, modo immodico eius vsu, modo intempestiuo modo in varias formas deducto atque distracto, sed neque somni superflui voluptas neque vnguentorum aut inertiæ aut ludi indignitas obscura est aut dubia: sed quos non pudet tam turpiter inuolui cæno luxuriæ ciborum & ebrietatis contaminationi, putas ne satis posse damnare hæc minora mala. Dicam tamen aliquid aduersus ludum forsan melius esset tacere: nam hoc genus voluptatis adeò tranquillitati est inimicum, vt ex aduerso illi inuentum & cognitum videatur. Quis lusor est qui vnquam quiescat siue alea feliciter seu infeliciter ceciderit, vigilantes somniant ludum, dormientes exercent, cogitant semper optant, sperant, metuunt, in perpetua viuunt solicitudine, at cum edunt vel quiescunt minimè sed & secum loquuntur tanquam amentes. Ambulantem in via non nisi ebrium & fugientem mortis periculum & lusorem cognosces: illum quidem corpore mutantem & obliquo incedentem tramite, alterum cursu deprehendes: hunc quia secum loquitur, cogitabundum, aut omnino tristem aut risu leui allicientem quemcunque obuiam habuerit, idem caput iactat dextra sinistraque. At cum ludit quot formæ vultus dum affectus animi prodit, Deos execratur irascitur timet, sperat, lætatur, tristatur, nunquam quiescit: nec in ipsa sede: hunc dixisses bellum indixisse omnibus bonis cogitationibus obliuiscitur negotiorum, amicos non agnoscit, interpellantes odit, illi vnus Deus est ludus, nec vllus sanctior hac in parte vel Iudæus vel Christianus. Sed hæc mittamus ac rursus ad sermonem execrãdæ voluptatis reuertamur.

A causis voluptatis initium ducam. Quid est voluptas aliud quàm sensus explendi immodicum desiderium: fac vt non adsit desiderium, vt dixi, nulla erit voluptas. Quid est ergo voluptatis principium nisi motus, quid incrementum nisi auctus motus. Quid perfectio eius nisi motus vehemens: non dico solum in corpore sed in animo. At in animo adeò agitato ac concitato & victo à motibus indecentibus atque turbulentis qualis esse potest voluptas? alius ardet amore, alius deliciarum concupiscentia, alius assuetus ludo æstuat: alius ob consuetudinem æstuat gulæ cupiditate, velut apud Comicum (hoc enim genus & hominum & vitij antiquo tempore magis in vsu fuit.) illud.

——— *Perij perspicio, parum.*

Os amarum habeo, dentes plenos:

Ita cibi vacuitate venio lassis lactibus.

Et reliqua huiusmodi indecora & turpia. Sed ea mittamus vt deplorata aliud genus attingamus incommodi. *Ci.* Agatur si placet.

Er. Quid sit propriæ contrarium Tranquillitati expectabam nos vt interrogaretis, nam neque motus, neque timor Tranquillitatem animi impediunt cum fermè nos semper comitentur, imò nec spes, sed omnes sperant, timent necessariò vel tantillum, imò in nobis tranquillitas est cum mouetur animus, sed ita vt non agitetur.

Quies

Quies est lenis, sed non perfecta vt in mari oportet ex toto aduersari trãquillitati, quod ei contrarium esse debet id nempe etiam in mari vbi tranquillitas est, inueniri necesse est. Hoc igitur æstum vocamus: cauendum est ergo ne in æstum nobis inimicissimum incidamus, sunt autem quædam etiam quæ magis illum excitent gula libidineque velut ambitio & auaritia & æmulatio in exercitatione artis. At exemplum auaritiæ excellens habes in tota Aulularia Plauti & Euclione sene, vide quid dicat.

Peruigilas noctes totas, tùm autem interdiu:

Quasi claudus sutor domi sedes totos dies. Et illud.

Nimis malè timui, prius quam intro redij, exanimatus fui.

Quis est Poetarum? sed maximè Horatius auaritiam exagitat. Qui auarus est nec partis quia non vtitur, nec parandis quę non habet fœlix est. Quanta mala perfert auarus lucri causa. Cur is ad militiam vbi nihil boni est nisi lucri causa? cur mercator sulcat maria cum tot periculis tot incommodis, non nisi ob opes? Quis vigilare te cogit, quis laborare, scribere, orare, audere quæ non potes nisi cupiditas auri & argenti? Cogit hæc pati hyemes & pruinas, lutuosã ire viam, nullis parcere difficultatibus. Illa te obuiam impellit Deo, Regibus, legibus vt pœnas des, & vita ante tempus amittas. Ea fidem dextræ, pudorem vultui rationem animo eripit. Per fas atque nefas, tuta & periculosa inuia, auiaque deducit: nullum tempus, nullam occasionem, nullam verecundiam non pietatem, non misericordiam, non amicitiam respicit, modo sit pecunia omnia benè acta puta. Putas ne in tantis fluctibus in tanto ardore animi posse esse tranquillitatem vllam? Sed quid post ex ea copia opum? vt relinquas inimicissimo, ô insania hominum vitam perdere vt inimicissimis relinquas nec fruaris, quid furiosius? omitto eos qui vt alant sobolem laborant, neque enim illi iniquè seipsos excruciant si non habent: at si minus dolent quam principes, his tamen filij proprij hostes sunt periculosissimi. Indicio est primum paucitas exemplorum eorum qui à filiis sibi non timuerint. Seleucus Antiocho cessit vxorem, Ariobarzanes filio suo regnum: & Ariarathes cum filio vt alter, regnaret contendebant, & pio miraculo adducitur quod Demetrius apud Antiochum quamvis vnicus illi filius cum gladio sederet: At cõtra quot filij suspecti patribus: alij occisi à filiis, adeò vt etiam Medeam patrem necasse ferant. Quid ergo de fratribus aut nepotibus ex illis sperandum. Quis est hæres qui non cupiat mortem eius cuius est hæres, plures etiam procurant: pro his tamen vt habeant quod profundant hi laborant, esuriunt & mille incommoda patiuntur, non pol ergo, hoc est erebi furiis agitari? In huiusmodi hominibus Tranquillitatem vllam esse censeas? succedit ambitio magis furiosa, quàm auaritia & minus vtilis, quæ adeò vsque processit vt milites certent quis prius morti præsenti se obiiciat. Hac & auaritia ipsa reges regna subditos amicos seipsosque euertunt, tantus furor dominandi, vel cupiditas vt anteponantur. Ex tuto in periculum se coniiciunt: ex opulentis fiunt pauperes: ex gloriosis infames, ex quietis in turbulentum statum se commutant: cumque prius ab omnibus amarentur hoc ipso fiunt omnibus odiosi. Inde direptiones, cædes, incendia, ruinæ, vastitas, querelæ subditorum, templa euersa, sacra profanata, metus, fugæ, omnia desolata. Quid nisi vnius immoderata ambitio? Quantum durat victoria succedente clade. Quam speciosa fuit victoria Francisci Regis Gallorum contra Eluetios: at Dij boni quot compensata cladibus eius gentis, & ad ipsius regis captiuitatem. Omnia mortalibus vana sed nihil ambitione inanius quæ nec habet stimulos quibus accendatur, vt gula libido & ira quoque nec definit in iucundum quippiam atque vtile quemadmodum auaritia sed tota futilis est, vt quasi ad te non pertineat. Quid tot parta Persarum, Pyriorum, Medorum, Græcorum, Romanorum, Gallorumque sanguine trophea? Quis nouit? quis recordatur. Vbi Athenæ, Sparta, Messenij Argiui Thebæ. O stulta non solum misera cõditio mortalium tota malis quærere rem inutilem. Quam etiã stultiores sunt, fueruntque & Barbaris & Turcis Græci nostrique reges, nam illi saltem vt occuparent regna prouincias atque vrbes pugnabant Græcis præmium plerunque erat erigere tropheum, nostris etiam principibus paulo maius, tanquam parum sit tantũ effudisse humani sanguinis. In hoc æstu animi etiam si multos credant esse deós seu ob periculum, seu ob animi illam perturbationem, quam adeò magno emptam volunt ambitionem illam quis credere possit eos esse tranquillos? Quòd si in tam arduis supra modum concupiscere honores summa amentia est, quid facias in minoribus? Audi Themistoclem noctibus surgentẽ quòd Miltiadis tropheis exagitaretur, non sperabat ille regnum se adepturum sed insaniebat cupiditate immodica effundendi sanguinis humani. Non fuit hæc tranquillitas militaris, sed sitis, sed æstus intolerabilis inanis gloriæ. At ciues, medicos, sutores quis ferat æstuare ob simile adeoque leue studium & tamen æstuant ita vt etiam præ dolore moriantur, cogita dum viuerent quã felices vixerint. Iam multa hominum ambitionis stulta exempla narrantur sed nulla maiora aut plura quam Demosthenis in laudem tamen illius peruerso iudicio scribentium conuersa. Quantum enim gratulabatur quòd populum Atheniensem sua eloquentia in pericula conieciſſet commemorat inde acclamationes, blanditias, honores ac reliqua puerilia, quæ illi à populo dum è suggesto descenderet habebantur. Ille idem de tot iniquis causis iniustè defensis tanquam re egregiè gesta gloriabatur. Hic ipse mortua filia forte per tres dies, ante quam etiam vnicam, vt reor habebat, coronatus & cum veste candida in Philippi Regis nuncio cædis prodiit in publicum. Iniustum factum nam Philippus & ciuis erat Atheniensis, & cum Atheniensibus nuper fœdus inierat,

inierat, & cum illos perdere posset maluit conseruare & honoribus atque beneficiis augere. Inde etiam statum, nam eo fato Alexandri filij iram & odium incurrit, & penè in vitæ discrimen venit, inde etiam pulsus è patria diu exulauit: & cum satis intempestiuè rediisset eandem iterum damnatus ab Antipatro iussus est occidi, sed & inane factum: quid enim hoc ipso habitu nocere potuit Philippo mortuo iam: aut Alexandro, cum opus esset ciuibus, pecunia, armis, classe, sociis? sed turpè etiam & impium in luctu filiæ, vt dixi, adeò recrudescente. Fortis viri est ferre moderatè mortes suorum, amentiæ verò exultare, cum nec feræ vllum genus hoc agat. Quid ergo duxit in tam absurdum facinus Demosthenem, nisi ambitio prorsus stulta: imò insana ac perdita? Hunc postmodum vt eloquentia superauit ita stulto eodem affectu, imitatus est Cicero: qui adeò irritauit Antonium, vt exitium sibi vniuersisque propinquis suis attulerit. At debuit tueri Rempub. Fateor, laudo generosum animum, sed non armis illam tutatus est: neque vsque ad aras verùm verbis duntaxat & vltra aras: vt videretur solus inimicus Antonij, voluit & impetrauit. Sed quid tantus amor ambitionis non fortitudo, non amor patriæ neque plorasset adeò effœminatè vitia, sint oportet quæ animum perturbent, atque deiiciant, similia sunt ille me superat clientibus, ad illum perueniunt plures emptores plures emunt illius tabulas. Quæ stulta ambitio si nihil vtilitatis afferat hic honos labilis & fluxa res non diuturna tanto in pretio esse debet quantum affert vtilitatis dementiæ est amare studia non solum quæ non iuuant sed etiam nocent, gloriam enim inanem dum quæris commodo & vtili destitueris. *Ci.* Hec omnia probo, ô generosè, sed facilè cum valemus ægris consilia damus, nam necessitas multos impellit, cum enim honesto loco natus sit deesse tibi videris & esse ignauus si te ipso inferior anteeat, similiter cum quis vrgetur libidine, quid vis vt agat? an in tormento viuet? Beatus non esses si deessent tibi necessaria: at locus ab ambitionem, ætas à libidine te excusat. Plura essem dicturus in hoc genus si locus hic sacer & persona paterentur. Itaque quemadmodum gulæ vitium non esse dicimus famem explere, nec auaritiæ nobis parare victum: ita amare & libidini operam dare coguntur, & debitos exigere honores tùm maximè quod ad contemptum etiã dilapidatio patrimonij & iniuriæ multæ consequuntur. Atque hoc non nouum esse videtur, sed antiquum & ab Aristotele dictum laudantis mediocritatem vtriusque extremi excessum improbantis, laudo cõtinentiam & humanitatẽ, summam animi abiectionẽ aut superbiã, aut libidinẽ, aut saxeum habitum nescio an laudem, certè exuperantiam magis damno: defectum non quantum velis probo aut si tu probare velis cum difficultas retineatur nescio quæ tranquillitas esse possit in hoc casu, veteres huic molestiæ libidinis (quam necessariam fecit natura) nomen imposuere latino quidem turgere, Græcè autem σρύμαργ☉. Itaque cum solis nuptis hoc honestè euadere liceat incommodum, sed maiore molestia vt malum malo pellas non minore sed molestiore nescio hac in causa quomodo tranquilli esse possimus, tum maximè quòd leges multa in huiusmodi casibus prohibeant, ac damnent, iudicentque, turpè etiam videtur ingenui animi viro cum immeritus, audet obtinere quæ sua non sunt, tùm non audes quæ tua sunt retinere. Hæc, vt dixi, si quid habes & à quibus loci & ætatis beneficiis fateor te esse immunem, cuperem à te doceri: quonam pacto præsertim mihi, qui media sum ætate, & inter multos mei similes pro Repub. nostra possim non amare aut ambire honores vt solus iacere videar. *Er.* Magna & difficilia narras ac petis ô amicè, & in quibus nondum quisquam Philosophorum se expedire potuit, sed alij meras insanias dixerunt, vt Plato qui vxores volebat esse communes credo non duxisse ob hoc vxorem ne videretur aut coargueretur, si non omnibus copiam eius fecisset, alij perplexe locuti sunt sed non debeo nunc studere vt totam hanc difficultatem exemplo soluere aggrediar, in qua tot viri excellentes post longum studium aut absurda dixerint, aut dubiis verbis ac sententiis docere velle, nisi sint, quæ nescirent. Sed sufficiat quæsito ipsi satisfacere, in quo illud maximum est vt cum potitus fueris vel deceat vel cogaris amare. Illud verò de certamine in Republica tam sit necessarium, vt pars videatur ipsius Reipub. cum enim Respub. constet ordinibus, aliis propellentibus illos & quidam ex eis sunt atque pulsantibus, quæ forma erit Reipub: si quisque iners & tranquillitatis possidendæ nomine permittat se loco deiici, turbari ordines, corrumpi leges: confundi omnia: locoque cedere non solum deterioribus atque humillimis sed improbis? Namque constat eos qui iniustè alios pulsant, quique suo loco est deiiciunt, qui turbant qui confundunt ordines non esse bonos aut iustos aut Reipub. vtiles. Quapropter necesse est aut perdere Remp. aut ambitum contra ambitum instituere. Idque & Catoni aliquando probatum est teste Cicerone, cum legibus vis per ambitionem afferretur, postquam ordinaria auxilia non proderant contra iretur ambitum atque largitionibus. Ideò vt te hoc modo explicem non dubium est quin dicere soleamus formicam paruam atque elephantem magnum ita Rempub. beatam & ciuem tranquillum quo in sensu beatum & tranquillum in ciuili vita dicimus ciuem venetum scilicet, patritiũ, non quòd quisquam ciuilem vitam agens tranquillus esse possit. Iam enim extra tria illa genera nemo talis esse potest. Ergo proximus ad tranquillitatem accedes in ea Repub. cum tamen necessarium sit retinere existimationem non potes esse tranquillus, compensat tamen hanc iacturam multa bona & commoda illorum ciuium & regia tractatio præcipuè scientia omnium quæ aguntur vbique, & in vniuerso orbe, sed de his cras acturus sum vberius. *Ci.* Satisfecisti, & intelligo quid velis non simpliciter trãquillus est patritius venetus sed turbulentæ vitæ optimum

optimum genus elegit. *Er.* Imò melius quàm regnum. *Ci.* Et in eo etiam genere multis licet esse Tranquilliorem, quæ offeruntur honesta, quæque sors præstat aut bona fama inter ciues eam libenti animo amplexari fugientem non insequi, neque reluctantem retinere velle. *Er.* Rem acu (vt dici solet) attigisti. *Ci.* Sed ad aliud dicas quæso. *Er.* Maioris est, vt dixi, negotij & otium ad disquirendum non paruum exigeret. Existimo hanc esse difficultatem veneris fructus est amor, ad venerem cogimur tanquam ad rem necessariam, igitur & ad amandum. Amor præterea fructus est sapientiæ, & intellectus & cognitionis qualiscunq;. Quicquid enim cognoscit, statim amat si dignum sit amari: nam cum cognoscit: aut vt vtile vel iucundum cognoscit, aut vt inutile & triste auersatur: si vt vtile & iucundum cognoscit, ergo appetit is appetitus, ni fallor, amor dicitur. Qui diis propter ipsosmet insitus est, dum enim efficiunt perfectionem suam implent: in aliis autem propter id quod ab illis recipiunt. Amare igitur est necesse quia cognoscere est necesse: quod amat non tranquillum: tùm quia vritur, tum quia timet priuari: ergo non solum non est Tranquillum sed etiam infœlix. Dico quòd hoc secundum facilè diluitur: æterna enim si solum ames, vt Deum vitas sapientiam, virtutémque, nullo prorsus in periculo es, vt amittas, nisi morte. Imò ne per illam quidem, hæc satis superque declarata sunt superioribus sermonibus: At is amor qui ex consuetudine veneris certè non debet esse maior quàm filiorum aut fratrum, in quibus quod ex homine exiit ad summum peruenit & ad formam humanam: quòd autem effunditur in Scorta amissum est & periit: ratione agitur, his non plus debemus amare vxorem, multominus Scortum quàm filios, fratres, parentes: at docuimus quonam pacto etiam horum maxima parte amissa remanere Tranquillitatem & quomodo multo magis ergo amissis his lenociniis: quorum etiam magna copia est, præsertim sapienti diuiti, nam sapiens non est qui eget & iuueni: horum enim sunt hæ perturbationes. Id solum ergo monuisse in his præstat, nec vltrà transiliamus. Siquidem vt non amemus, nisi vt aliena quemadmodum diximus, scilicet vt quantum possumus illis prodesse prosimus reliqua quæ præter spem eueniunt non ægrius feramus quàm in nobis ipsis ferenda esse docuimus. Quod si hoc possumus ferre, quantò magis & absentiam & timorem amittendi. Et cum dixisset cœnam parauimus & discubuimus. Mane facto, cum dies esset festus, paululum orauimus, inde etiam ad sacram ediculam perreximus, non leui labore cum pene niuibus obruta esset via, atque ibi domuncula erat, in qua Eremita Sacerdos habitabat, in reditu autem cum ad flumen iter esset cœpit de Tranquillitate sermonem continuare occasione sumpta ex arbuscula quadam syluestris pyri dicens. *Er.* Quid est quod natura voluit cum sapientissima sit quicquam carere fructu, tum verò & fructus ipse ad aliam vtilitatem dirigitur tum propriam velut vt propagetur: quæ tamen propagatio est ad finem vniuersi: tum verè communem, secundum quam pascunt aues, curant homines ægros, multaque alia similia his commoda efficiunt ac præbent. Ita decet sapientem virum suos dirigere sermones ad vtilitatem tum hominum tanquam propriam: neque enim semen eandem generat plantam sed eiusdem speciei: tum communem ..... vniuersi scilicet vt Deus ipse colatur diuis verò etiam gratia reddatur: quos omnes bonos erga nos atque in seipsis præstantes reddidit summi boni immensa natura. Ergo cum de Tranquillitate iam sex diebus perpetuis sermonem habuerimus hoc ipso festo die opere pretium fuerit docere primum illius necessitatem, inde vtilitatem, demùm quomodo comparetur. Necessitatem ostendunt casus humani, vt oporteat hominem quotidie subiici diuersis periculis: nec vlla regio videtur nunc aut olim tuta ab incommodis, dico, magnis & grauibus. Primum quidem de antiquis dicamus temporibus: Græcia videbatur maximè culta & ciuilis & inter Græcos Athenienses, at quam infælix primum vita inquilinorum etiam Atheniensium: adeóque misera vt Enxius quidam cum in Alimusio populo iudicatus esset vt inquilinus dicat apud Demosthenem in fine orationis: Potius quam cognatos deseram, si ab eis conseruari non potero meipsum interficiam. Leges tributa iniuriæ violentiæ tales erant vt cum essent Tranquillissimi ciues latronum vitam viuere viderentur. Nulla fides, nulla pietas omnia plena seditionibus, rapinis, dolis, turbulentissimáque conuersatione. Ciuitas in perpetuo bello atque nauali, intus exagitata rapacissimis oratoribus iudice imperita plebe. Ex minimis quibuscunque litibus pecuniariis dabantur & exigebantur miseri illi serui, ad quæstionem. Quæstio huiusmodi erat vt in rota torqueretur Testis Demosthenes pluribus in locis tum maximè in 3. orat. in Aphobum cui titulus est De falso testimonio. Publicè fœnus exercebant, exigebant acerbissimè, omnia plena sæuitiæ miseriæ latrociniorũ. Anaxagoras comprehensus & in vinculis habitus expirauit. Socrates damnatus ad cicutam: Aristoteles quæsitus vt interficeretur: Exilio se redemit bonis publicatis: Theophrastus optimus & Philosophus & vir fuga præuenit iacturam. In seditione triginta tyrannorum septem millia optimorum ciuium occisa, & bonis spoliata vt mulieres & pupilli mendicarent, quorum pars maxima fame consumpta est. Apud Lacones etiam deterius agebatur: adeò vt ciues optarent semper etiam in militia: & dum militarent, diem pugnæ auidè expectarent. Adeò dura domi forisque vitæ conditio vt mortem vitæ potiorem ducerent. Nullusque aliena ex vrbe inter eos inueniretur. Quid postmodum de Elotis suis villicis, quos impunè erat non solum, sed pro merito habebatur occidisse constat illos fuisse dolosos, periurios, auaros, inimicósque peregrinorum vnde illorum decreto quod vocabant ξενηλασία, id est, peregrinorum

rum expulsio omnes alienigenæ depellebantur, quod etiam obseruatum est ab Hadriano Iunio. Quid est ergo quod sperare possemus in aliis cum in principibus ciuitatibus hæc haberentur? Duriora omnia etiam apud Macedonas quàm apud Græcos: & apud Acarnanes, Ætolos, & Thessalos quàm apud Macedonas, & etiam apud Illyrios magis quàm apud illos omnes: & apud Italos durissima, tùm verò asperiora apud Romanos, vide nil aliud sapiebant quàm bella. Delitiarum, commodorum, & litterarum omnino inexpertes. Pestis illos assiduè quassabat. Deteriora adhuc & indigentia plena apud Gallos, Germanosque quibus præter reliqua mala illorum agrorum sterilitas aderat. Bactrianis & Medis præter hæc omnia mutua seruitus & tyrannis. Sola Ægiptus post Alexandrum magnum non ante aditum aliquem præbuit disciplinis, magnis conatibus & incredibili cōstantia auctæ sunt Athenis. Difficultatis studiorum Philosophorum indicium nobis hoc vnum sit neminem euasisse ex illis qui non fuerit aut damnatus aut saltem accusatus cum nostra ætate tam etsi aliqui aduersus leges sēserint alij maxima inuidia laborauerint nemo tamen dānatus sit, imò ne coactus quidem in iudicium venire. Et apud Iudæos non melior sortitio diffidentibus à rege sacerdotibus populis autem hiccinde in contrarium distractis vt alterutrius præda quisque esset. Quis non videt technam & improbitatem illorum & tyrannicam artem expillandi populos? Iam nihil reliqui erat nisi apud Græcos Iuramenta & fides iudicium. Eiurare magnum habebatur apud illos: & inuenerant modum nescio an casu an aliqua ratione confirmatum, aut sola opinione constantem vt super capita filiorum iurarent. Fuit autem adeò formidolosum vt Aphobus damnatus à iudicibus summa decem talentorum, qua sententia euertebatur omnibus fortunis vir alioquin improbissimus, non tamen ausus sit iurare Milyam esse seruum quem falsi accusabat & in quæstionem vt seruum trahi petebat, proposita illi à Demosthene conditione, vt si super filiorum capita iurare vellet continuò remittere se omnia propter quæ quæstionē postulauerat, & tantum de eorum æstimatione detrahere quantum est id quod ob Mytiam si seruus fuisset recuperare poterat. Vt existimandum sit terribile fuisse iuramentum, & forsan experimentis multis confirmatum. Ea ergo ratione aliquādo mitiores res erunt tum iudicum vt etiam dixi sentētiis. Atque inter Iudices eminebat Senatus Areopagitarum: Præterea boni nihil: sed omnia plena litibus & controuersiis & cauillationibus tum iurgiis, insidiis, extorsionibus, tributis, contentionibus iniuriis, confusione tantâ, vt nihil posset excogitari deterius. Iudicia verò manebant incorrupta non omnia, neque maior pars, sed quæ ex selectis viris constarent, vt ob studium gloriæ, nam sæpè hi eligebantur qui non perpetrauerant, venio ad Romanorum tempora (nam de antiquioribus, neque est quod referam, & tyrannis immensa regum Ægiptiorum, & immoderatæ illæ moles laboribus damnatorum & numerus eorum à Diodoro siculo descriptus ostendunt nihil fuisse tristius illis) in quibus seu libertatem considerès seu Cæsarum ætatem non est quod probare possis: pleraque etiam acerbissima. Primum quidem libertatis temporibus vigebant Alexandri hæredes qui totam Græciā Asiamque destruxerunt: perpetuis bellis dilapidationibus tributis: vnde etiam Ptolomeus Polyorcetes ille euersor vrbiū. In Italia aspera omnia bella Respub. tyrannicæ seditiones euersiones vrbium perpetua pestis sapientiæ nulla rudimenta. Homines feri agrestes inhumani nil præter fidem inter illos: seruitutes duræ: multatio agrorum omnis infanda & intoleranda: quæ si essent temporibus nostris nemo posset perdurare credo homines illius temporis Iliceos fuisse imo potius lapideos & ferreos. Trium mirari decet temperantiæ, iustitiæ, æquitatis, hoc faciebat inopia, vnde nullæ artes ad diuitias vt essent hæc germina potius asperitatis seculi quàm virtutum specimina. Secūdum fortitudo bellica, & perpetua prælia: quæ duo incommoda vitæ ciuilis & intolerandā miseria pepererunt. Tertium multitudo militum & frequentia populorum: quod emolumentum ex robore vitæ iis contigit cum cibis contumacibus & moderatè vterentur. Quid est vt de primis temporibus loquar in quibus omnino vita ferina fuit? veniam ad præsentia, nam præterita recensuisse non erat necessarium, sed tantum ad fidem præsentium vtile. Et vt homines exemplo priorum tranquillius viuerent intelligentes quam meliora sint præteritis hæc secula. Forsan Cæsarum dominationem & dissidij, tempus commemorabis? vt pote tempus illud quod à Theodosio Cæsare vsque nunc fluxit. At quæ monstra Cæsarum? Iulius fœdauit totum orbem cladibus: Augustus sanguine ciuili: Tiberius Caligula, Claudius Galba, Otho, Vitellius, Cōmodus neq; Romæ neque in Prouincia aliquid intactū reliquerunt, non tam ipsi, quam exemplo eorum tota aula amici magistratus, magistratuum amici præfecti milites. Incredibilia sunt quæ illis temporibus acciderunt, sæuitiæ, auaritiæ, libidinis, furorisque machinamenta. Post non mitiora neque meliora sed eo peiora quod velut apud Iudæos turpissimis acerbissimisque factis religionis prætextus obtendebatur, vt optimus ille (infandum & incogitatum, & si liceat sic dicere incogitabile) ah? animus non ferè vt dicam: vt exēpla immanitatis proferrent Sygibertus hortante Clodouæo patrem proprium occidit: inde etiam per proditionem ab eiusdem Clodouæi ministris Sygibertus occiditur. Parum abest qui talia suadet ab eo qui perpetrat. Inde attulit librum cuiusdam Gregorij recitauitque verba hæc quæ ego conscripsi. Et ecce profero vobis: Recolite hostes super parentes nostros violenter aduenisse, ac multa illis intulisse mala. Qui datis obsidibus, pacem cunctis inire voluerunt: sed illi obsides ipsos diuersis mortibus peremerunt: & iuuenes super parentes nostros, omnem substantiam abstulerunt, pueros per neruum fœmoris ad arbores appendentes,

pendentes, puellas amplius ducentas crudeli nece interfecerunt: ita vt ligatis brachiis super equorum ceruicibus ipsique acerrimo moti stimulo, per diuersa petentes, diuersas in partes fæminas diuiserunt. Aliis verò super orbitas viarum extensis, sudibusque in terram confixis, plaustra desuper onerata transire fecerunt, confractisque ossibus, canibus, auibusque eas in cibaria dederunt. Iam adeò miserum fuit tum esse vt etiam nunc dici possit miserum fuisse, vnum ex innumerabilibus exemplum attuli, sed vt dixi iam ad præstantia veniamus & imminentia, quorum causa consilium quærimus atque damus. Quænam est prouincia, seu regnum, aut regio vel ciuitas, vel etiam locus aut Angulus in quo timendum non sit? Vbi timoris causæ sunt quomodo beatè licet viuere nisi tranquillitati innixus omnia contemnere potueris? Necesse est ergo tranquillitatis rationem habere, atque in ea exercitatum esse. Maximorum regnorum vnum laborat tanta oppressione vt solis militibus benè sit. Subditi quicquid laborant illis laborant, nec quantũ ad victum sufficit illis relinquitur. Miserior est etiam vita vt par est Christianis: vt necesse sit vel esse impium vel esse miserrimum. In alterius regno maxima suspitione laboratur, quod amplissimum sit & supra fidem, magnis interuallis & mari præcipuè Oceano seiunctum, non virtute bellica partum, sed fortuna quadam ac coniugiorum & hæreditatum iure coaluerit, nouum, atque ob id inuidiosum. Ipsa gens quæ præest ambitiosa nimis, ob id cogitur ministris suis parcere: quantum verò licentiæ ministris conceditur tantum infertur iniuriarum subditis. Propterea necesse est iustitiæ loco exempla sæuitiæ ostendere. Metus quoque dissidij in religione & eorum qui ab Vnitate Romanæ Ecclesiæ recesserunt, cogit vt multa committantur aduersus eos etiam qui dolo carent. Ita persæpè melius est ac tutius esse, est improbis quàm bonis, cum enim boni in suspicionem hæresis vocati fuerint propter seditionis metum ægrius absoluuntur quàm improbi conuicti de priuatis criminibus. Multa enim habent quibus se redimunt quoniam non vrgentur Principali potentia sed solum seueritate iudicum aut etiam rapina. Contra hæc multa habent quibus se tueantur aut elabantur pecunias, potentiam, gratiam, dolos, clamosos, rabulas, vafros interpretes: legum demum si nihil horum iuuat corruptis custodibus vel effractis locis vbi custodiuntur effugiunt. Et quanquam nullum virum adhuc egregium perdere contigerit ad hancusque diem quidam tamen eorum non quasi à fronte petiti, sed, à latere, ita afflicti sunt, vt turpius eorum innocentiam fatendo peccauerint cum genus pœnæ fuerit acerbissimum vt in filios vel parentes sæuiendo quàm si vel minori suspitione ipsosmet perdidissent. grauius etiam animaduersum est in Gallia in Emarum Ranconetum, in Iacobum Doletum, viros eruditissimos si Musis nulla habetur reuerentia quem fructum ferunt tot labores? Si licet ob publicam vtilitatem nobis ô viri tollere hominem vnum? cur non licet homini parcere cuius beneficio plures viuunt, aut mortales multi commodum sensere? Iam vide quam beata vita esset in Germania adiacentibúsque Prouinciis si non esset hæc discordia, tanta seditio omniaque confusa, contumaciâ aut violentia. Itaque iactatio magna, & inquies. Indos, idololatras, & insanos & moribus adeò ferinis adibis, quos etiam metus alterius horum Principum assiduè quassat? An Anglos? & si pro nihilo ducunt omnes occidere sine vlla causa peregrinos. Quid tandem sub quibusdam regulis quibus quod libet, licet: an tutè viuere posse ibi speras. Sed sub Pontifice, sub venetis, sub Principe aliquo Italo viuam? Hæc sunt loca ad quæ tandem confugere licet. Verùm hæc quamquam meliora longè sint atque paccatiora aliis non tamen vacant difficultatibus. Asylum satis tutum videte Ferraria, ob illorum Principum mansuetudinem: imò incrementum rei literariæ inde exhortum habuit, tum à Medices Florentina familia. Hi conquisitis vndique codicibus vtriusque linguæ magno auri pondere redemptis Marsilioque Ficino & Angelo Politiano operam dantibus, qui plurimum incrementi ad vtrasque literas attulere. Conuersione Ferrariæ vnus Leonicenus longâ ætate adiutus Medicinam conuersione multorum librorum in Latinam linguam illustrauit. Sed nullum maius incrementum accessit quàm ex diligentia Aldi Manutij ciuis Romani qui tot opera illustrium virorum reuocauit ab orco vt iam omnia penè quam habentur illi debeamus. Nescio an id virtute & fortuna bona illius viri acciderit, an inertia & infelicitate sequentium. Ergo hæc mittamus Pontificumque laudem ac regum prosequamur qui magnis præmiis, propositis eruditos adiuuêre. Sed tamen omnibus in locis Italiæ magna vectigalia exiguntur: vbi principes procul absunt iniusta plura admittuntur, & non eadem magistratibus quam principibus securitas æquitas, magnus animus ac liberalis, respectus virorum præstantium. In plerisque locis cum in omnibus laboretur inuidia vim habet. In tot tantisque periculis si tranquillitate munitus non sis quomodo euades? Præstat ergo in huiusmodi casibus locum etiam inuenire idoneum tranquillitati & si contingat vt extra patriam sit nouos necessarium est inuenire amicos & ex patria aliquos adducere, cogitare etiam oportet omnes relinquendos esse, nisi illis priores pereamus. Sed si nos senes dum sumus alios desideramus ob imbecillitatem nostram & illorum alacritatem sic agendum nobis est vt ab eis colamur vt præstantiores & quod nostra opera

opera adiuuentur. Præterea quæ ætas vacua est laboribus periculis anxietate? senectusne? quàm constat esse ipsam miseriam. Mala præsentibus incommodis deteriora expectans. Mitto senectutem de infantia nihil loquor, & si tota in discendo labore, patientia, flagrisque posita sit. Sed non indiget hoc auxilio quamuis maximè indigeat, cum careat iudicio & prudentia. Ad iuuentutem venio: quis non aliquid patitur? Insidiæ, iniuriæ, labores, pericula, morbi, metus, anxietates, inopia, calumniæ: Præterea naufragia, bella, pestilentiæ, fames sexcentaque alia inter quæ parentum, fratrum, filiorumque mortes: quis in tam longo cursu potest omnia hæc totque alia effugere? Inspiciamus annum: nos torquet suis vndequaque partibus: æstas affert immodicos calores sitim, lassitudinem, muscas, pulices, cimices, morbos vagantes, tonitrua, fulmina: Hyems torpet frigore, niues pruinæ nebulæ cum aëre turbulento. Ver quod deberet esse pulcherrimum incommodum est ambulantibus lutosum atque cænosum, & sine vllo commodo terræ nascentium (laudent modo vt libet) Autumnus incommodus, & grauis. Nox quoque curas affert & tristitiam, impedit omnia nostra penè vota, si fine somno transigatur quid molestius dici potest. Dies laboribus plenus vt crescit spes eo securitas minuitur. Quot læti prodeunt è domo qui nunquam regrediuntur. Omnia periculis plura etiam suspitione plena sunt. Quot ridentes surgunt qui lachrymantes se ad lectum conferunt? alius exuit vestes non amplius induturus: Et vt poëta dicebat.

Quis scit an adyciant hodiernæ crastina summæ

Tempora dij superi.

Venio ad hominum conditiones: vxorem habes semper litigas: cogeris cum non vis aut saltem cum non expedit: negat cum maximè desideras aut opportunum est: zelotypia laboras perpetuò. Non habes, nulla voluptas, nulla dulcedo, nulla domus, custodia, spe filiorum cares. Meretricem at possideo quid fædius, quid miserius quid dolosius: sufficiant experimenta comædiarum veriora hac in parte historiis. Filios habes: aut perpetuum metum si boni sunt, aut perpetuam pænam si mali. Sum Sacerdos duris compedibus vincior. Aut malè audire & Deo displicere necessarium est, aut in ærumna viuere. Adsunt singulis diebus Castitatis pericula, & si, ut libet, illa volo euitate, subsannant me multi. Sollicitor infringere temperantiam vnus ad conuiuia, alius ad ludos me prouocat. Prudentia in periculo est, res difficiles sese quotidie offerunt, de quibus iudicium aut aliquod consilium amicis & exteris dandum est. Hoc ergo nimis verum, me vndique curis, & sollicitudinibus premi. Sum miles sed Gregarius nihil infelicius, non nomine peris sed numero. Si sors malè cedat pessima pro te est, si vincis aliis vincis. Es Iurisconsultus qualis labor & quantus ut nihil scias. Es medicus nec vnam habes vitæ horulam præfixam. Hoc solo meliore conditione viuis, quòd non necesse sit facere tibi plures as potentes inimicos. At sum princeps nihil miserius si ad te respicias: si ad pruritum illum & insatiabilem appetitum, aut tuos, forsan fœlix satis Aut ergo non sibi aut non rectè viuis. Dei mandatis primùm quantum, refragaris, metus vndique insidiarum, atque ibi summa amaritudo vnde aliis dulcedo: tu cum aliis imperes, tibi longè durius mala consueto dominatur: nihil sanctum, nihil modestum apud principes, multo minus aliis erga eos. Qua mensura alios metiuntur eadem sed multiplici ab aliis idem perpetrantur. Suspecta cibaria, nox vigil, somnus inquietus, dies plenus curis. Sed fac fœlicem illum nunquam tranquillum esse contenderis. Neque enim ullum inuenies qui hoc dicat: vel etiam suspicetur. Vita ergo principis turbulenta est. Totum populum seu plebem paupertas vrget: quomodo potest esse tranquillus? venio ad mercatores nulla ars magis inquieta tota plena laboris, suspicionis, timoris, denique doli. Quid ergo inquietius? Artifices etiam laboribus & assiduitate. Nullum quietis tempus habent: vt tandem colligam omnes hoc auxilio tranquillitatis indigent, atque vtinam omnibus tam vsui esse posset hoc, vel etiam tam homines id crederent aut vti scirent quam necesse est singulis. Sed alij non vtuntur, aliis etiam si vterentur prodesse non posset. Neque enim idem est necessarium aut vtile propterea etiam de vtilitate dicendum est.

Non idem est necessarium aliquid in causa existimare veluti vita miseriaque humana atque vtile; nam necessarium esse docere sufficit: vtile autem non, sed oportet quomodo & quando declarare, quot etiam modis. Principio ergo cum summa felicitas sit ipsum viuere perfectum & nullis affectum incommodis: atque ex hoc, dignoscitur vt sentias te sine noxa viuere tranquillitas adeò id efficit vt hoc ipsum quod efficit esse credatur vt verò felicissimum est huiusmodi viuere, ita contraria ratione si quis viuere se sentiat; impeditissimum est præter id quòd infelix sit. Alterum commodum est vitæ ipsius longitudo: nam animus corpori dominatur nec homo torquetur curis, nec humores corrumpuntur vt ex ira ad flauam bilem degenerant: ex timore & tristitia ad melancholiam, ex inertia & diffidentia

ad

ad pituitam, neque enim hæc dubia sunt aut obscura. Propterea tranquilli & qui nil cogitant diu viuunt. Contra perturbati & maximè qui contrariis affectibus agitantur breuis sunt vitæ. Id verò experimento comprobare licet: nullum tranquillius hominum genus Philosophis & Eremitis: At Philosophorum vt memoratum est vix vnus aut alter non longæuus periit: Eremitarum plurimi ad metas supra humanas penę peruenerunt: scilicet seculum excedentes, vt nil videatur ad vitæ longitudinem accommodatius hilaritate animi. Atque cum in his duobus suaui scilicet & longa vita omnis humana felicitas constituta videatur, poterant, hæc duo iam nobis satisfacere. Sed quia multis id non placet vt solum vel maximè animi commoda æstimemus, nec volunt paruo esse contenti, sed vt plurima non desint: nec etiam satis fidunt his quæ generaliter exponuntur nisi singillatim quæquæ ostendantur. Ideò & huiusmodi hominibus austeris satisfaciendum esse Duco. Composita ergo mente, at vt dixi bona valetudine, animus vtrinque sapientior, atque pacatior. Ex vtroque horum bona existimatio & fama incrementum accipit & res benè cedunt: quod non solum vtile est, sed ad augendam existimationem vtilius est duobus his quæ nuper dicta sunt. Plerique enim non tam ex ratione diiudicant sapientiæ quàm ex felicitate: non tota, sed ea quæ in negotiis, constat & in nobis est. Adducti hoc argumento quod fructus ostendunt arborem, rectè igitur ac prudenter negotiari felicitatem parit, qui ergo ea parte sunt infelices neque prudentes neque satis patientes esse videntur. Vbi ergo homo ad omnia compositus esse videtur nullis perturbationibus agitatus & rectè tanquam iudex in neutram partem inclinatur iudicat, & rem tempestiuè gerit. At ex his duobus, omnia negotia, dico omnia pendent. Primum quidem si animus sit defecatus videbis an suscipere debeas prouinciam an non, an prouinciam & non finem, aut non prouinciam sed alia via finem eundem quærere. Vbi deliberaueris nec timidè, nec anxiè in ipsum intentus fueris? metieris quæ obstant quantis viribus, quamdiu manere poterunt, quibus modis submouere possint. Vbi sapienter & tempestivè omnia tractaris in eo negotio in quo dominaris, multa tibi parabis auxilia per quæ ea obtinebis quæ secus obtenturus non esses, si etenim rectè inspicias recteque consideres tum præsertim (*Ph.* Ad ciuem conuersus) qui in Repub. versaris Magna pars negotiorum infeliciter cedit, ob intempestiuam aggressionem, maxima ob ignorantiam tractationis & magnitudinis rei ac eorum quæ illi sunt necessaria, aut eorum qui voto tuo controuersantur; Omnia verò propter malam substructionem velut si quis velit profiteri necdum lauream consecutus alter vult certare cum opulento sine opibus & cum gratioso nullis suffultus amicis: Apparet igitur tranquillum hominem etiam in negotiis tripliciter futurum felicissimum: Et quod non quærenda non quæret vt me doleat, nec iacturam patiatur nec infantia aspergatur: quæ tria sunt mala quibus qui quæ obtinere non possunt quæsiuere: Et quæ obtinere potest facilius & securè obtinebit vt animo sit meliore, nec interim angatur, & minus dispendij fiat: Et longè plura maioraque sit obtenturus quam si talis non esses. Indicio sit Attici felicitas: vt contra Ciceronis quanquam potentia præstaret nec minus acutè Attico ipso cerneret, sed ira timore ambitione auaritiaque impellebatur. Eadem exempla his temporibus videre licet, in his qui maximè fortunati sunt. Omnes enim tranquillos & sapientes ac pacatos inuenies. *Ci.* Omnia hæc cum mihi placeant dubium tamen valde habeo quòd cùm de tranquillitate agas, & tranquillitatem neges esse in negotiis quonam pacto velis fortunatos in negotiis maximè esse tranquillos. Imò & si esse possent tranquilli qui negotiantur non tamen ratio felicitatis negociantium ex tranquillitate sed æstu potius animi tranquillitati contrario sumenda esset. Quot etiam experimentis clarissimis liquidum apparet, cum Alexander & Cæsar qui æstuosissimi animi fuerunt etiam in negotiis fuerint felicissimi. Sic Pompeius, Sylla, Lucullus: Et nec minus in ciuilibus ambitionibus qui enim plurimum ambibant plurimum etiam poterant. Vitiares etiam illam Linconiensis auream regulam: Calidi in agendo ac prompti felices sunt in assequendis votis. *Er.* Principio scire debes ô amice vnam esse tranquillitatis rationem, quietem scilicet animi: sed hæc tamen in aliquibus est sine opere vllo vt in contemplatiua, in aliquibus autem opere, & licet rarò, nonnunquam tamen graui vt in arte militari. In quibusdam est modus quidam tranquillitatis seu vmbra tranquillitatis vt in mercatura & ciuili concursatione. At verò modus est alius agitationis animi ac corporis: quippe alacres animo & maximè tranquilli dissiliunt vt cerui capreolique neque necessarium est vt magna animi agitatio motus corporis consequatur. Potuit Cæsar & Cicero alter militia, alter calamo clarus euadere nec tamen turbare animi tranquillitatem. Sed vt suprà diximus hæc omnia vt aliena tractare atque agere. Non dixerim Cæsarem fuisse tranquillum, multo minus Ciceronem aut Clodium, poterant tamen hæc esse cum tranquillitate quòd ad animi quietem pertinet, non autem quod ad contemptum calamitatum, quoniam negotiatorum animus non dominus esse potest mortis, ideò coguntur multa timerè & de multis tristari, quamobrem & Cæsar potuit esse tranquillo animo & Lucullus & Sylla, at non Cicero vel Clodius viles animæ,

vt neque Atticus. In quacunque tamen vita sunt tranquillum & æstuosum placidum & turbulentum. Adeò vt potuisset contingere etiam Ciceroni tranquilla vita, sed non simpliciter, verum vt dicimus hominem pictum esse pulchrum hominem & formicam magnam & huiusmodi, ita & in hoc casu. At dicis (quoniam video reliqua clarè demonstrata vt nullam pariant difficultatem) hoc vnum solum restat quod dicis Cæsar cum æstuanti animo adeptus est imperium orbis Cicero in ciuitate libera principatum ad quem non peruenissent si animo tranquillo fuissent, aut saltem vltra excedere non poterant. Nullo modo ergo tranquillitas vtilis dici potest ad augendam rem *Ci.* optimè sentis, sed hoc solum adde tametsi fateamur omnino aliquem Cæsari similem posse esse tranquillum & vt dicis propria negotia vt aliena posse tractare attamen neque ipsum neque vllum alium Romanorum illorum ducum tranquillum fuisse. Multum differunt esse ac posse. Quinimo æstuanti animo supra mortales omnes. Ille tamen vt dixi optimè gessit negotia sua cum ad orbis principatum peruenerit. *Er.* Fateor ingenuè non fuisse tranquillo animo qui tantum etiam flagrauit amore mulierum auaritia, quamvis largiendo in hoc superior peccato fuerit. *Ci.* At dico etiam non potuisse. *Er.* Qui non. Hoc minimè fatear. *Ci.* Ostendam nunc: cum fuerit ad negotia promptus, quæro à te an sine illa promptitudine parare posset orbis imperium an non ? *Er.* Certè non. *Ci.* At promptitudo illa calorem vehementem cordis expostulabat : dico confirmatum multis actionibus atque consuetudine, at huiusmodi virum quis possit tranquillum appellare ? Fateberis equidem non omnes naturas aptas est ad tranquillitatem : at ita sit etiam : stultum postmodum est idem velle affirmare de Cæsare iam in tot bellis, seditionibus, sceleribusque exercitato. *Er.* Dico Cæsarem fuisse tranquillum, non solum esse potuisse, contempsit mortem, cum apud Mundum quia succumberet voluit sibi manum inferre. At dictum est supra de tranquillate militari, verum cum dixi non fuisse tranquillum dixi ob genus multorum, nam & Ciceronem coniunxeras & clodium & mille alios *Ci.* Concedam Cæsarem & Catonem & Lucullum forsan qui eo animo pugnabant fuisse tranquillos, imò & cassium & Brutum & quoscunque constat ita pugnasse vt victoriam lucro ponerent: securitatem omnium aliorum in morte ponerent : nam hoc animo nihil mirum est visos esse prudentissimos, disponentibus illis omnia paccato animo vt tranquilli essent atque ideo prudentes : sed quid de Cicerone qui cum mortem tamen in malis esse duceret, quique miser ob perturbationes vixit, fuerit tamen fortunatus & benè res suas tractauit, cum non esset tranquillus ? *Er.* Hac dissoluta nullam aliam amplius in hoc opinor superfuturam dubitationem. Equidem istud non leue videtur argumentum sed non concludit : imò tumet fermè viam aperuisti. Homines fama ex industria præclari euadunt natura, labore, & casu, natura nihil ad tranquillitatem pertinet : labor & industria vnum tantundem, alterum etiam melius ex tranquillitate perficitur : casus quoque tam adueniunt tranquillis quam æstuantibus, quid ergo est quod melius & plures euadunt inqueti quàm tranquilli ? Causam superius tumet addisti natura calida & exercitatione acris hæret magis negociationi mente opereque non quod tranquillus vir idem facere non possit, sed quia non facit : non curat non putat esse bonum : si tamen æqualem velit adhibere diligentiam longè meliùs agit, quia rarius minusque aberrat. Ergo concludendo firma stat ratio vir tranquillus omnia melius agit, sed aliqua non putat esse bona : in aliquibus non adhibet diligentiam alia & plura non putat esse tuta nec fallitur, quot enim Cæsaris iter ingressi sunt plures quàm mille, sed ex Romanis illustribus Catilina Lentulus Cetegus, Pompeius, Marius, Cinna, Saturninus, duo Gracci qui omnes periêre cum proximis, cum posteritate, cum opibus vniuersis. Quot sequi voluerunt qui omnes periêre sextus Pompeius cum fratre : M. Antonius & L. Antonius Dolobella totque alij, quæ ergo sapientia dici potest id sequi in quo tot periêre vnus vix seruatus qui & ipse etiam paulò post periit. Certè etiam stirps. Malim fuisse Bataum seruum cuius modo multa supersit stirps quàm Iulium Cæsarem cum suo imperio strenuisque factis atque triumphis, cum nemus quidem ex tota stirpe supersit. Si quis ergo ea velit quæ iure sperare potest, quæque sunt vtilia atque honesta quæ sola sunt bona non aliter ea assequetur melius quàm tranquillo animo. At si quis modica cum spe & temerario ausu tentet maxima & turpia (nam si Cæsar voto excidisset incredibile quàm malè auditurus esset, imò Catilina peius quod factionem contrariam haberet quam Catilina non habuit, etsi peiora voluit hic ille alter fecit) vt periculosa quasi talis ludens seruari non possit nisi per venerium, non absurdum erit vt dicamus posse aliquid maius stulto succedere quàm tranquillo. Sed & id postmodum infaustum turpe & infelicitate plenum. Sed fac vt eueniat in bellicis rebus in quibus iam diximus posse esse tranquillitatem : In ciuilibus nego euenire posse : & Ciceronem fuisse infelicissimum & inquietissimum : Quod si quis legat illius epistolas (non enim ex aliorum testimonio id aucupor) inueniet ita esse, & bonam ei fortunam ex natura & laboribus contigisse : contra omnia damna atque pericula tam tristitiam animi ex erroribus errores autem ex perturbationibus animi maximè metu & ambitione, nec defuit ira neque auaritia & nimius sui amor & multa alia. Si enim

impertur

imperturbato animo fuisset nemo felicior dici potuisset, natus temporibus florentissimis, primus in vrbe omnium domina, Mortalium facundissimus eo loco & tempore vbi facundia maximo in pretio erat & plurimum poterat: diues valde vt decem & septem villas prope Romam possedisse feratur, Amicos plures habuit quàm vllus vnquam forte mortalium, vxorem pudicam, filios, fratres, & fratris filium: peritiam Philosophiæ non leuem, Polygraphus & græcæ etiam eruditissimus, integerrimâ valitudine vsque ad diem quâ ferro obiit memoriâ insigni: Quid cum tantis naturæ & fortunæ priuilegiis fecisset si tranquillo fuisset animo. Nec nunc opto traquillitatem veram quæ in eo genere vitæ esse non poterat sed eam quæ illi propria est, cũ qua homo constans animo nisi ad mortis aut maximè calamitatis metum omnia agit sine perturbatione prudenti atque paccatâ mente. Non est hîc vt singula discutiam: nam de erroribus vitæ Ciceronis librum quis conscribere velit, maximum efficiet, cum vix quicquam rectè fecerit. Et tamen tantus ob industriam & astrorum fauorem habitus est. Remanet ergo inconcussa conclusio tranquillitatem esse tanquam temonem ac gubernaculum pro felicitate in negotiis adipiscenda. Reliquum est vt agamus de aliis tranquillitatis vtilitatibus: atque hæc fit in quarto genere quod sapiens videatur rectéque consulat existimationi. Quid verò dicam de tractatione cum aliis hominibus quam mansuetus, hilaris, comis, placidus moderatus? Est & aliud emolumentum ad sapientiam non iam dictum sed eam quam nunc dico contemplationem naturæ & rerum diuinarum & mathematicarum. Vnde illud lucretij.

Ædita doctrina sapientum templa serena.

Et Ouidius.

Carmina proueniunt animo deducta sereno.

Omnia præterea opera, omnia negotia tranquilli hominis gratiam quandam redolent vt turbulenti contra. Quies, somnus, lætitia, corpus floridum, motus compositi, ornatus, omnia sunt munera quieti animi. Animo quietus in iuuenta multa euadit pericula & donis fruitur ætatis: in senecta incommoda fert æquo animo. Noctu dormit somnos integros continuos quietos: interdiu fruitur voluptatibus quas occasio ei offert. Solus lætatur, cum sociis gaudet, benè fert omnia mala, bonis verò melius fruitur. In dignitate humanitatem, in priuata conditione retinet stabilitatem & grauitatem. Sanus opportuna peragit, æger efficit vt non ei morbus iacturam afferat neque impedimenta in necessariis atque negotiis suis. Porrò tranquilli mores sunt non mentiri, non nugari, non impalescere, non irasci, non tristari vultum semper eundem referre. Amat, sed ita vt odisse possit non quæritur, vultum, habitum, incessum, ornatum eundem retinet. Non flet, non suspirat, non effertur in secundis, nec frangitur in aduersis: Non iurgatur, non verba turpia effutit, non vagatur rarò mutat familiares & colonos. Rarò emit agros, domumve nec vendit: alea non ludit: non iurat: hoc enim est impotentis animi. Quid plura omnia tranquilli quasi diuina sunt & ad similitudinem nihil patientis incommutabilia. Nec id tam vetat, quin multa agat velocitate summa. Nam quid tranquillius Cælo? quid etiam celerius? Motus ergo & actiones celeres esse nil prohibet, sed tamen ordinatas esse oportet. Iam diuina ipsa quæ oculis subiiciuntur inspiciamus, quàm celeriter moueantur in summa tranquillitate degunt sempiterno iam ante tempore & in æternum maneat. Vbi nullus æstus aut frigus, nulla temporum vicissitudo sed omnia candida, lucida, illustria, ibi tripudium perpetuum, & solatia nullum finem habitura, ô beatæ sedes quando vos inuisam? Quomodo eis comparabitis mortale quicquam. Quid hæc regna superba & quæ fuerunt Romanorum, Græcorum, Persarum, Medorum, Assyriorum, euanida stulta plena cruoris sceleris & miseriarum. Quid beatius est hac solitudine donec ad illa cœlestia remeauerimus. *Ph.* Hic nos fletum continere non potuimus: non tam memoria excessus illius quàm recordatione miseriæ nostræ & temporis malè acti. Tùm inquit. *Er.* At nunc cum spe viuimus vitam quam etiam dedignati non sunt Reges: nam omitto nunc Eremitas, & Timonem, & Democritum, Gulielmus Giennæ Princeps & Gallorum ac Pannoniæ reges in solitudine contempto regno vixere: quemadmodum & Amurathos Turcarum Rex aliique multi. Quod si homines hanc vitam experirentur nemo esset qui incommoda vitæ ciuilis subire vellet. Nihil nocentius consuetudine humanâ, nihil iucundius solitudine in quam se contrahunt homines, quoties respirare volunt. Tranquillus homo ne animalibus mansuetis negotium facessit: inditio sunt, capreoli hi, tùm cuniculi, testudinesque neque enim vir tranquillus his miseris ànimalibus negotium facesset. Et antequàm vos venissetis, passeres in mensam inuolabant, aliæque auiculæ. Hominem enim tranquillum etiam animalia mansueta amant & agnoscunt. Quo circa ex ea die quâ hunc Eremum ingressus sum, carnem nullam spirantis animalis edi. Nam? pisces minus nobis natura coniuncti sunt, neque illos miseret nostri, laudoque Plutarchum, Porphyriumque qui de hac materia libros luculentos scripserint. Solis nobis diuini afflatus adueniunt atque tranquillis: tranquilli somnia de futuris prædicentia vident: soli vident solum genios suos soli cum sumus toti sumus tranquilli cum sumus, virtus nostra tunc eminet: ô placida & benigna tranquillitas, ô solitudo hilaris ac læta. Quid tranquillitati solitudine similius? Quis fructus solitudinis tranquillitate nobilior. *Ci.* Sed ne omnes ad tranquillitatem

tatem apti sunt homines ? *Er.* Mihi sanè videtur si vitio implacabili seu natura seu vsu ac consuetudine laborent? *Ci.* At si quispiam tranquillus sit nunquid etiam firmus in suo statu remanere poterit, quamvis colluctante fortuna? omitto modò vitam illam admirabilem, Stoicorum qui volunt patrem in funere filij gaudere & sontem dum torquetur in rota. Nunc ego de sapientis solùm tranquillitate ago: Cuidam est filius vnicus abunde malus vel qui oderit patrem, quid aget pater hic, aut qualem se ostendet ? *Er.* cogitabit ac si non esset, nam & beatus sibi videri poterat antequam genuit eum : Quid ergo ex hoc sequitur si ex eo rursus filios vel filiam suscipiat restitutus, alioquin si diues sit per submissas personas mulieres ei subiiciat. Sin pauper adhuc animo æquo ferat tanquam ipse à seipso dissideat, si fratres adsint vt iam dictum est aut auunculi & vtraq. parte parum perierit: interitu recordeturque ipse egerit puer iuuenisque, semper illud in mente habeat quoties ego contra meipsum peccaui : & nunc pecco, vt castigare me velim, ita ille à me vlciscendus est. Tùm id quot boni demum mali euasêre ? quot mali boni ? Denique & hoc nihil proficio hoc æstu Mithridates occidebat filios : Priamus amisit : alter tranquillè vixit, alter maluit Helenam retinere. Ita amandandus est vt nocere non possit ita cauendus est vt hostis ita protegendus vt filius. Interim non leue commodum ex hoc accidit vt vices illius & miserias & si sors ferat mortem eius æquo animo toleres. Potentem virum qui eum tueatur, sed ne vt nouerit illum, habeat. Interim cæcitas vulnera morbus diuturnus ipsa ætas reddere illum possunt bonum aut tractabilem aut facundum, quicquid horum contigerit nihil amisisti. At iactura opum facta est? propter filios opes factæ sunt. Si filius restitutus est lucro magno permutasti, si periit non dolet, quòd non defueris parte vlla ei, sed & id cogita quot modis aliis absque officio pietatis perire potuerint consueuerintque omnibus prætérea miseris hoc vnum solatium est nihil habere quod charum amittas in morte, eripiuntur filij boni, perieris : mali quid mali pateris ? Mala vitæ gaudia mortis sunt:vitæ gaudia angor mortis. *Ph.* Hæc cum dixisset iam domum reuersi discubuimus vnà, læti, hilares, quod pollicitus esset docere modum quo tranquillitatem ipsam adipisceremur.

A prandio ille cœpit in hunc modum: *Er.* Nihil videor effecisse collaudando vrbem si vrbem ipsam adire non docuerim. Neq; si laudauerim Monocerotem quomodo autē haberi possit non ostendero. Quærimus tranquillitatem, quomodo possideri possit dicendum est Dixerim-ne tranquillitatem esse constantiam ? non, nam tranquillitas voluntaria est habitusque cum voluptate coniunctus: constantia verò violenta plerumque, & persæpè coniuncta cum cruciatu, nos autem quærimus tranquillitatem & quietem non ostentationem virtutis sed virtutem. Itaque hac seclusâ duas difficultates patitur hæc persuasio at inuentio primam ob ea quæ tranquillitati simillima sunt segnitiem, inertiam atque stuporem in quibus non solum laus vlla non est, sed vituperatio neque vtilitas sed iactura non leuis: imò tanta vt vbi declinandum sit à tranquillitate ad extrema, melius est ad impetum promptitudinemque nimiam & iram declinare quam ad segnitiem atque stuporem. Res enim humanæ & omnes actiones in huiusmodi periclitantur. Alterum est consuetudo opposita quâ persuasi sumus quoniam videmus neque reges neque duces neque quos vocamus sapientes quærere huiusmodi scientiam nec rem ipsam colere: quinimo sapientes quærunt libros suæ artis & medici medicinę & Architecti Architecturæ & Geometræ Geometrię non de tranquillitate tractantes, Reges verò & ducos asperitate non tranquillitate regna continent beati tamen viuunt & si secus agant in mille incommoda deueniunt & lenitatem crudelitate dānasiorem experiuntur velut si quis Antonium Philosohum septimio seuero & Iulium Cæsarem Augusto comparauerit cum enim homo solus esse non possit, necesse est vt sui boni riuales plures habeat : Ergo cum retinere quod alij expetunt velit necesse est vt non solum occasionem auferendi subtrahat sed etiam omnem spem prorsus: at id facere nisi timeatur: at violenter timentur non lenia:igitur Principes non lenitatem sequi debent sed potius violentiam & crudelitatem in nocentes, vt illos vlciscantur omnes alios terreant & qui riuales esse possunt & qui illis fauere student:hac igitur causa principes tranquillitati rarò student:quoniam lenitatem imò segnitiem & vecordiam pro tranquillitate habent. *Ci.* Quid ergo est quod quidam Philosophastri conantur persuadere principibus vt mites sint misericordes & in puniendo sontes ac improbos lenitate vtantur? ô stulta consilia. *Er.* Homines illi pernicies sunt principum & plerunque pecunia corrupti vnus docet vt proditori solum pecunias auferat vt alius secum dicat nullo periculo furabor principis pecuniam, postquam summum periculum est restituere. At alius docet vt mulctam esse donet quasi conspurcentur manus ex pecunia à damnatis exacta vt postmodum miseros populos tributi macerent: Alius consulit vt Regi Capto parcat, vt ignoscat, vt restituat ablata, vt sit qui nocere semper possit: Et ex diututno bello perpetuum euadat. Sed ne decipiaris vt vtile est seuerū esse in nocentes imperfidè, improbos ita præter sæuitiæ experimentum valde inutile est crudeliter quicquam in insontes moliri: nam dicit quisque si ea pæna manet innocentes quid iuuat innocentem esse melius consulitur sceleratis quam probis illi enim & si pæne subiiciantur commodo tamen antea gauisi sunt: at probus cum eadem patiatur neque id assequi potuit vt semel animi libidinem

bidinem expleret. Atque hæc prima discretio principum quam quisque saltem qui tuto Dominari velit obseruare debet ne in alterutra parte peccet. Secunda discretio quæ optima est quam seruant diuini principes vt habeatur ratio eorum qui simplicitate peccarunt, post qui iuxta causa iniuria scilicet graui vel assidua & maximè cum contemptu: post eorum qui ira in hisque omnibus habenda ratio ætatis sexus vitæ totius prioris pietatis benemeritorum maiorum suorum fidei religionis & egregiorum factorum. Si ergo lenitatem nos non probamus multum hæc differt à Tranquillitate, in qua durissima etiam conditio sic imperatur vt ex statu suo non dimoueatur iudex seu princeps sit. Sed eodem vultu non solum sed animo quibus lenia imperat eisdem crudelissima: considerans primum publicam vtilitatem, & quorsum euasurum sit exemplum etiam si alioquin indignus sit hoc malo ob id multum refert qua quisque causa peccauerit. Secundum breuitatem humanæ: vt qui aliam nocentis impar suæ etiam quam futura breuis sit meminerit. Sed & animum singulorum despicias & cur peccauerint, quamque maligna sit opinio improborum: inde misereat innocentium, atque iniuria affectorum, hæc cum cogitabit vicissitudinemque mortalium, rerum parua ducet quæ iniuria carent, magnum quicquid sceleratum est. Itaque in tanta rerum perturbatione principes difficulter seruare possunt Tranquillitatem. Tum quia seueritati studere coguntur, tum quia huiusmodi peritiam Philosophicam non callent. Ipsa consuetudo quoque vt dixi hominum quia paucissimi verè sunt sapientes facit vt Tranquillitatem contemnant. Duplici modo autem aberrant inutilem eam in actionibus esse putantes, & quicquid inutile est actionibus infaustum etiam & contemnendum esse credunt. Quapropter ex duobus erroribus tertium etiam efficiunt: existimant enim ludere operam eos qui talia cogitant scribunt legunt vel eis delectantur. Ego autem vobis narrabo qui intelligitis. *Ci.* Simus rogo vt musicus ille discipulo suo qui dixit mihi cane & musis: ita & nos duo tibi, quanquam haud speramus etiam si multi adessent vix vnum esse cui hæc non placeant. *Er.* Hoc minimè: sed vestri tamen gratia dicam, cum triplex sit vt dixi Tranquillitas quilibet quancunque nolet amplexari poterit: sed tamen non cuique pronum est vnumquodque genus consequi. Sed violentis animis & audacibus militaris in promptu est. Facile est aggrediendo maxima mortis obliuisci. Contra studiosis & mitibus sapientiæ Tranquillitas facilis est ad habendum: Probis autem & innocentibus & origini suo propioribus ac ad superna ardentibus diuina quæ optima est & perfectissima. In omnibus quædam communia sunt alia propria. Et communia quidem sunt breuitatem huius vitæ considerare & paruitatem huius vmbratilis felicitatis: de quibus tanta dici non possunt quanta essent verissima & ad propositum. Sed vnum id sufficiat vt regna antiqua & facta memorabilia tot fortium virorum respicias & quorsum euaserint, vt ne nullum vestigium remanserit. Inde conuerte te ad tua & aliorum facta, rememorare vitæ præteritæ videbis nec superesse vmbram euanuisse omnia. Si quæ iam triginta annis egistij, iam nunc quomodo facta sint qualem exitum habuerint non curas, si vides tot annos præteriisse tam velociter, nullo relicto vestigio nisi senectutis quid vis sperare de paucioribus qui supersũt, & actiones curas præsentes? Alterum est, vt cogites quantum virtus distet à vitio: scire ac profiteri à ludo alea: Musica à concubitu: honores & tractationes ab inertia: solertia ab ira: securitas ab iniuria: facundia à maledicentia: fames naturalis à crapula: somnus à pernoctatione: venatio à segni otio. Tertium vt & id coram te habeas siue angar siue æquo patiar idem est emolumentum, & forsitan maius. His accinctus armis progredere ad capiendam Tranquillitatem bonum autem est vt ab initio nihil habeas impedimenti sed recta assuescas leniter omnia tractare & in rebus versari absque perturbatione. Neque enim Tranquillus in malis tolerandis versatur, sed & in parcè vtendo voluptatibus. Ideò quæri solet quid difficilius sit an moderari voluptates an dolores? Multis videtur leuis dubitatio quoniam dolores & calamitates magis percellunt: ducor ad supplicium, sum in tormentis quid maius esse potest? Nihilominus inter miracula non minus numeratur temperantia quam constantia in perferendis doloribus. Et videntur plures se continere in cruciatu quam in voluptate. Ideò tamen ex hoc res clara est: nam cruciatum perferunt homines quia non est liberum carere illo, nec à se repellere, ideo ex necessitate oritur consilium at in voluptate nullum est repagulum neque obex: quicquid fit à voluntate procedit: ob id frequentius accidit vt homo sit fortis in aduersis quam temperans in voluptatibus difficilius tamen est longè perferre aduersa tranquillo animo & non perturbari quam continere se à voluptate. Itaque noster tyro ab initio exercendus est in perferendis laboribus & fame ac siti: quoniam labor conuenit humanæ naturæ genere licet grauis videatur cum exuberat. Efficit etiam molliorem & minus ferocem vnde continentem. Parat ergo viam ad abstinentiam voluptatum, nolo autem vt abstineat à voluptate omnino sed vt discat cum velit posse abstinere verum simul & dolores perferat & à voluptatibus continenti animo abstineat, cumque sint tria quæ homini in vita occurrant gaudia cum voluptatibus calamitates, cum mœroribus & negotiationes & de vtrisque primùm abunde dictum sit, reliquum est vt etiam de tertio genere agamus. Oportet igitur ne quid desit negotia ita tractare vt maximè anxij facere solent. nullo tamen modo ob hæc torqueri. Id qua ratione facere possimus nunc docendum erit: nam superius idem succinta oratione vt dici solet attigimus. Ergo vt primum tibi

tibi proposueris nihil esse verè malum aut bonum præter conscientiam scelerum aut virtutis, iam etiam nihil te torquebis si non adipiscaris quod adeptum esse haud putas ad felicitatem tuam pertinere. Sed neque si tueri non potes te cum tua tamen res agitur neque enim calamitosum quicquam putas. Dicetis quid ergo me hortabitur impelletq; vt laborem illum curámque suscipiam si non ad me pertinet finis actionis : nec me potest facere fælicem neque infælicem : nec tristari debeo nec lætari ? Dico negotiatio hæc ob consuetudinem fieri debet. In festo natiuitatis domini homines lauro iunipero-que exornare solent domum, tum pomis aliisque eiusdem generis : Si quis hoc agat consuetudinem sequitur, delectatur perfecto opere : homines alij non admirantur quod prætermiserit : si prætermiseris, non ob id doles nemo detestatur non factum nisi plebeius. Multa ergo sunt huiusmodi in vita humana quæ facere iucundum est, omisisse nullam affert iacturam neque tristitiam neque turpe est primum ergo debet quis sensim assuescere vt nihil speret nihil timeat : hoc sanè durum est sed tamen non omnino difficile. Post etiam optare discat & odisse moderate amet mortalia vt mortalia, huius si meminerit vix vnquam ob amorem discruciabitur. Summa doloris in amore est quod mortalia tanquam sint immortalia diligunt. Non probo id Ama tanquam osurus, Odi tanquam amaturus. Sed ama vt rem mortalem. Cum dico rem mortalem non vnum dico sed plura. Primum si ad corpus spectet exterius pulchrum interius sepulchrum : & multis sepulchris fœdius : multa enim ex illis vel quia noua vel quia nimis vetusta sorde carent. Si ad animum falsus bilinguis simulator vt nil certe habere possis. Cum dico rem mortalem dico vsuram breuis temporis & quæ in horas singulas per se mutatur. Cum dico rem mortalem, dico rem quam statim possis amittere nihil eorum enim firmum aut securum. Cum dico rem mortalem, dico rem nullius propemodum fructus, & plerunque damnosam. Quod placet aliquando nec multò post tempore oderis : Cur ergo ad pernitiem vsque & amentiam diligere vis quod osurus es. Satis est ergo dilexisse vt commodum tunc. Interim habeas aliquid in quo te exerceas velut qui monomachiam inituri sunt præludia armorum. Rem molestam coniunctam non tamen periculosam : cuiusmodi est vxor contumax velut Socrates, vel filium stultum vt Hippocrates vel fratrem improbum vt Cicero: vel inimicum assiduè illum molestia afficientem vt B. Hieronymus. *Ci.* At hoc vnum in amore dubium relinquitur si potiaris an melius sit relinquere vt Beatus Viuas. *Er.* Intelligo quod velit : An melius sit torqueri & tutò viuere & sine infamia an expedire libidinem & viuere in metu & cum infamia ? Verùm distinguere oportet quia tam metus quàm nimius amor Tranquillitatem impediunt si secus libidinem explere possis melius est, carere metu & infamia quia libido æstum habet, si autem periculum est ne desuetus non possis cum velis : nihil maius malum quàm morbus. Res ergo eò deducitur, quid cauendum, an minus malum sed quod imminet, an maius sed quod adueniat rarò ? Neque in hoc regula generalis dari potest, sed conditio personæ spectanda est senex & inuidia carens morbum magis iuuenis & inuidia laborans infamiam & leges similiter cautus valde morbum, inexpertus leges. Et quantum affligitur & si pendet ex existimatione vita vt professor maiorem infamiam habeat. Hæ de vulgari animi Tranquillate dicta sunt : nam vera in continentia sola reposita est. Cum ergo in huiusmodi lucta animi Tranquillitas manserit inconcussa, iam scias te profecisse. Interim & malo medeberis & exerceberis, neque enim volo te hanc molestiam habere sempiternam sed quandiu perueneris eo vt tum vsu tum ratione ipsa discas omnia tranquillo animo ferre, non lætari secundis tanquam tuis atque perpetuis sed quandiu vti licuerit nec tristari aduersis. Sunt autem Tranquillitati contraria omnia quæ angerent hominem tristitia, dolor animi, ira, spes, timor, inuidia, odium, ambitio, æstus, impatientia luctus amor vehemens, solitudo, desperatio, æmulatio, inconstantia, temeritas: vnum vitium est quod cum Tranquillitas aliquandiu cohabitare potest: scilicet inertia, seu desidia, Auaritia quoque non magna & crudelitas vt est naturæ vitium & gula & libido cum Tranquillitate animi esse possunt : quod sint quasi seminaria naturæ non autem perturbationum. Est & aliquid immodicum in nobis quod tamen non repugnat Tranquillitati, velut nimius amor sapientiæ & pietas in Deos eximia & voluntas boni: Modò vt & ita temperes, vt quanquam infinitum sit velle, non tamen ita velis vt esse quasi aut fieri iubeas ne frustreris voto. Vbi ad culmen Tranquillitatis perueneris vbi in ea felicitate confirmatus fueris imitare eos qui ad montium cacumina per vias præcipites ascendunt ne retrò aut ad latera respicias, sed semper ad verticem : ita duplex erit hæc imitatio primum vt ad diuina te conuertas Deum & quæ illi similia funt intuearis, mortalia relinquas retrò : item vt non quod cupiunt homines animaduertas, sed illorum exitus vitam videbis omnia quoniam Tranquillitatis expertes sunt, plena miseriarum. Noli imitari alios, sed respice cur imitandi non sint. Nec studueris laborem insumere vt alij similes sint tibi, tanquam de Principio Scholæ Philosophorum disputandum sit. Neque enim refert si solus etiam in hac sis opinione: nec gemma singularis pulchritudinis laborat vt aliæ gemmæ sint eis similes : equus autem tantum abest ab hoc voto & sic sit insignis vt etiam alios à se repellat. Hoc quidem inhumanum, sed neque velle similem facere sapientis, sed sequere naturam & illam imitare. Viam quærentibus ostende, negligentibus & multo minus talia contemnentibus ne persuadere tentes. Quidam qui vel consuetudine vel natura in extremo alicuius vitij

sunt

sunt nullo modo sunt apti ad hac percipiendam doctrinam: cuiusmodi sunt auarissimi: dicunt enim quid mihi cum his nugis? alius inemancipatus irridet & odit talia dicentem sic qui ambit maxima tum illi hæc placere simulabit cum à spe exciderit voti. *Ci.* At mihi scrupulus animum torquet. *Er.* Dic: *Ci.* Si cum tristitia & anxietate æstuque animi etiam vis in Tranquillitate animi minui voluptatem qua in parte ergo Tranquillus felicior erat, communi homine? Quod etiam ex experimento planum esse videtur: nam Tranquilli aut nulli omnino fuere, atque ita de laruis sermo est institutus, aut si modo aliqui fuere Socrates & Atisthenes & Diogenes fuere: aut si non omnino tales fuerunt certè mortalium si proximi magis Tranquillitati fuere. At constat hos cum tantis conatibus industria obseruationibus vix lanij vel tonsoris fælicitatem æquasse: si modo inanem illam gloriam & fastum nomine sapientiæ partum detrahas. Itaque res tota adhuc corruit. Exegimusque hoc septem dies frustra. Quare ô generose quod ad me attinet si hoc dissolueris existimabo me prorsus persuasum. Rogo itaque ne me contempseris & vt elabores hoc quod plurimum nunc me torquet dissoluere, nollem enim tot pulchra quibus tam attentus auscultaui ob hoc vnum amittere, spero autem in te, & magis mihi polliceor, quam vt videre possit animus meus, vel simpliciter factu possibile credam. *Er.* Plurimum interest ô Maurocene inter felicitatem quæ ex Tranquillitate habetur atque vulgarem illam artificum & plebeiorum quandoquidem hæc quæ à Tranquillitate proficiscitur honestior est & pacato animo efficit vt melius ad negotia parati simus quo circa fortunatiores longè sunt vt dixi qui animo sunt Tranquillo quam qui & si feliciores essent iactantur tamen, huc illucque modò à iucundis modo à tristibus. Itaque valde bonum est atque longè vtilius esse felicem ob Tranquillitatem animi quam auram fortunæ. *Ci.* In hoc mihi satisfecisti & nunc video magnitudinem discriminis. *Er.* Sed & illud animaduertere decet quòd vita plebeij est vt vita laborantis scabie qui pruritu vexatur sed scabendo voluptatem magnam sentit nemo tamen malit esse scabiosus quam sanus. Ita nec quisque velit frui voluptatibus his quæ ex præcedente molestia ortum habent: quoniam molestia magis assidua est & voluptas quæ scabendo habetur persæpè cum dolore est. Ita in Tranquillitate nulla est prorsus molestia: in vita vulgari molestiæ puræ sunt, voluptates dolori & anxietati mistæ nec adeò continuæ. Præterea si quis per planum iter decem, M. passuum facturus esset alius per tantundem sed salebrosum modo ascendendo modo descendendo nunquid idem esset labor eademque voluptas? *Ci.* Non, sed si iucunda erit deambulatio per planum molesta erit per accliuia, decliuiaque sin molesta etiam molestior hæc longè. *Er.* Pari ratione dices de vita Tranquilla quæ plano itineri similis est, deque communi quæ salebroso. *Ci.* Nunc intelligo. *Er.* Multo etiam melius est carere iucundis ac tristibus quam vtrisque subiici quod tristia longè plus moueant ac afficiant nos iucundis: itaque melius est Tranquillitate felicem esse quam fluctuante fortuna. Demum quod dicis imò obiicis non frui Tranquillum voluptatibus falsum est, imò multo magis quam qui fluctuat inter eas & maiores: nam primum melius illis vti nouit *Ci.* Certum est. *Er.* Liberiore fruitur animo cum ille alter saucium mille vlceribus habeat *Ci.* Et hoc quoque verum est. *Er.* Et Tranquillus in memoriam reducit, quæ benè acta sunt quæ fortunatè vt eorum stabili memoria delectetur. Hoc genus voluptatis est cui potest incumbere: & solum inter mortalia. Mortalia enim cum prætereunt immortalia euadunt. *Ci.* Et hoc verum est: sed leuis voluptas præteritorum: adest & memoria infortuniorum ex aduerso. Præterea quod dicis Tranquillũ multas ob causas esse feliciorem verum est vbi parem sentires ex iucundis voluptatem vt ille alius sed non sentit verùm multo minorem. Hæc sunt rursus diluenda si integram victoriam consequi velis & magnum discrimen ostendere. *Er.* Rectè & apposite. Dicis voluptatem præteritorum esse leuem: Hoc non fateor nam sola præteritorum voluptas sed nuper præteritorum valde magna est: cum futurorum sit incerta & ob id anxia: præsentium adhuc obturbet nec impresserit in cogitationem. Reliquum est ergo si aliqua sit magna voluptas vt sit nuper præteritorum: velut & dolor & tristitia nuper perpessarum miseriarum. At vt nuper exacta videatur facit studium mentis: ob id felicitas non leuis est memoria præteritarum voluptatum. At dicis tantundem est doloris in aduersis? Nequaquam: Primum quia tuum est reminisci eorum quæ velis sæpè cogitationem ad id reducendo: scribendo & carmina pangendo tum vero pictura quæ perpetuo sit ante oculos repræsentando. Ita contraria ratione calamitates obliterabis. Calamitates etiam quæ in melius commutatæ sunt voluptatem afferunt. Tum vero illud maximè nostræ causæ fauet quod bona quæ ob virtutem nobis parauimus mala quæ ob eam effugimus vtrorunque memoria nobis ex æquo iucunda est. His ergo fidamus atque insistamus ludibria fortunæ si magna fuerunt & bona etiam reuocemus ad paulò antè acta si mala delectet nos euasisse. Quæ vestigium reliquerunt vt luctus quantum fieri potest obliteremus eorum memoriam. Quòd verò dicas Tranquillum non tam plenè sentire voluptates vt alium hominem: aut de corporis voluptate dicis? atque id est omnino absurdum æquales enim sensus æqualiter sentiunt: imo magis Tranquillus qui alio non auocatur. Aut de sensu animi loqueris: atque etiã hoc ni casu melius & exactius percipit Tranquillus quam vulgaris homo. Hoc vnum est in quo superatur quod non vt suũ aut perpetuũ iudicat, at hoc ne vis ad felicitatẽ pertinere, quod falsum est inani spe iactatum. Sic enim cuperes te esse stultum illum

Atheniensem & Horatij & multo antea decantatum qui naues quæ ad Piræum perueniebant cum eis quæ in illis essent suas esse putabat. Habeo prædium oblector sicut & tu, fruorque eius commodis, sed tanquam alterius qui quoties velit repetere possit possidebam. Tu verò tanquā à te auferri nequeat. Ego non tantam percipio voluptatem, sed si casus contingat vt ob crimen mihi falsum adscriptum cogar vendere non dolebo vt tu. Gaudebo solum vsura præterita. Quin etiam attentior sciens meum non esse quod possideo multa mihi seruabo ex quibus cum amisero minus depauperabor, non spe deiiciar non dolebo. Et neque ea causa ægrotabo. *Ci.* Sed interim non gaudebis vt ego: nam neque lætantur adeò his quæ nobis ad arbitrium principis dono dantur in singulos annos sicut si oppidū dono acceperimus. *Er.* Vera dicis sed vide vbi decipiaris: in tuo exemplo discrimen est, nam vnus possidet vt suum est quia ex lege suū est: alius vt alienū quia iure caret quo possideat, sed ad arbitrium dantis possidet: ita discrimen est facti: at hic nullum est discrimen facti sed solius opinionis. Est ergo ac si duo accepissent ad arbitrium principis agrum possidendum, atque vnus crederet dono accepisse alter modum quo possidet intelligeret: qui putat dono accepisse magis lætatur sed non plus habet quam alius. Ergo solidæ voluptatis Tranquillus tantundem habet quantum plebeius homo & aduersis non angitur hoc ipso ergo longe melior est cōditio Tranquilli circa voluptates & dolores sed & habet aliud multo præstantius quia Tranquillus causam habet voluptatis seorsum ab his omnibus bonis & est ac si quis Dominus sit arcis alius nil habeat vnique eueniat nauis onusta mercibus vtrique contingat vt pecuniarum quantitatem cogatur pro redimēdo filio erogare, quis adeò est hebes vt conditionem horum æquare velit. Vnus in omnibus his semper beatus erit saltem non miser: alter in omnibus miser, saltem non beatus. Cum ergo Tranquillus fælicitatem vel in gloria gestorum, vel scientia arcanorum vel amore diuinorum fælicitatis maximam partem iam habeat collocatam in tuto securam quæ ei eripi non potest quanto meliore conditione erit quam qui fortunæ fluctibus omnia subiecta habet. Tranquillus ergo semper fælix est vel quandocunque omnia sint aduersa non infælix erit. Superest postmodum etiam beatæ vitæ futuræ spes constans de qua diebus sequentibus sermonem sum habiturus. Quamobrem cum hanc Tranquillitatem vel etiam vestro iudicio hæc solitudo magis præbeat aut etiam forsan sola, nihil mirum est si tot viri boni quanquam diuites & potentes eam prætulerint conuersationi in vrbibus atque omnibus opibus quæ certè ad Tranquillitatem comparatæ nihil sunt. Equidem inter illos fuere Pontifices à Syluestro ante & ipse Syluester qui in montis spelunca habitauit. Sed hoc forsan violentum & metu. Sed Cælestinus Quintns fælici æuo relicto Pontificatu solitariæ vitæ se dedit, quanquam eum referant deceptum à suis. Verùm vt nolens electus est ita studium semper illud Tranquillitatis retinuit. Arnulphus quoque Episcopus Metensis cum Lotharingiæ præfectus esset ea est Prouincia insignis inter inferiorem Germaniam & Belgicam Galliam ad solitariam quoque vitam se contulit. Vlfranius etiam Senonensis Archiepiscopus, & Arnobius Pamphiliensis Episcopus & Basolus Sacerdotio diues in finibus Khemorum se ad Eremum eisdem causis contulēre. Syluia præterea virgo filia Præfecti Alexandriæ sed de hac minus mirum vt pote fæmina & puella. Ethbinus verò Britanus cum diues esset, hoc vitæ genus prætulit aliis. Et Menas Samnites cum esset domi clarus maluit solus in montibus viuere quàm apud suos. Notum est de quodam temporibus Ludouici Vndecimi Gallorum Regis quis à prima pueritia in Eremo vixit quique omnibus tamen fuit admirationi non solum ob sanctitatem vitæ sed & Sapientiam omittam nunc exercitus illos Eremitarum, ante B. Antonij & Hilarij ætatem, tum & eorum ætate ob religionis ardorem. Ad alias venio: Sadocupus Marcomenorum Rex semel victus maluit in nemoribus cum duobus sociis perpetuo vitam agere solitariam quàm regnum desiderando belli tentare fortunam, ita post regiam vitam proximam collocauit quæ meæ similis esset. Quid dicam de B. Hieronymo qui tantus in omni litterarum genere consenuit in Eremo Cardinalatu relicto: Moses Iudæorum Dux quadraginta annis in solitudine fuit. Numa Pompilius antequam regnaret: Timoleon viginti annis vt gloriosissimus bello euaderet. Epimenides Cretensis sapientia coluit Eremum & Ambrosius quamvis Episcopus Mediolanensis coluit & Augustinus. Quid de Carolo Pipini Francorum Regis fratre: cuius cum frater & nepos regiam dignitatem possiderent ille hanc regiæ aut prætulit aut proximam duxit: Vixit maximus virorum Io. Baptista in Eremo, Et B. Magdalena. Totum Gymnosophistarum genus apud Æthiopas in solitudine degebat: apud Iudæos Esseni qui millium multorum numerum æquabant. Et ex Philosophis quotusquisque inclytus fuit Parmenides Athlas, vnde nomen monti, & Promethus vnde fabula & Pythagora asseclæ Achillem in solitudine eruditum referunt Diocletianus orbis relicto imperio pacifico solitudinem coluit. Musæus Linus Orpheus in ea educati sunt. Quid plura nonne primus parens noster omniumque in solitudine ortus est vixitque perpetuo atque per multa sæcula hæc fuit vita mortalium fælix sed non cognita donec vt reliqua detrimenta quasi ex insidiis nos inuaserunt. Et nunc tamen etiam tot gentes vastas habitant solitudines Hiberniæ insulæ accolæ omnes Scotique agrestes Lapones Scythæ nobis tanto fæliciores quanto incultiores. Plures etiam apud nos futuri essent, nisi ipsa educationis consuetudo imperiumque parentum obstaret: eligimus vitæ genus cum nescimus qualem ingrediamur vitam alios etiam detinet lucrosè spes & iam inchoatæ artis aut potius latrocinij. Sed si intelligeremus quantum voluptatis habet hæc

secreta

secreta vita silentium atque recessus inter montes iuga colles antra speluncas nemora desertaque loca, vbi nullus est ianitor; quanta libertas quanta securitas omnes ciuilem vitam hanc vestram aspernarentur. Non solitudinem illam exacta vnius viri laudo sed duorum aut trium in eremo habitantium. Vnde beatam puto ab initio maiorum nostrorum conditionem fuisse cum adhuc raris hominibus duo vel tres in vasta solitudine habitabant. Sed non adeò beata vt hæc quòd mulieres adessent, & cura sobolis ex quibus multa consurgunt ad Tranquillitatem impedimenta. Nunc autem duo aut ad summum tres perfecti viri non solum summam Tranquillitatem perficiunt sed & fructum illius abunde præstant. Hæc volui dixisse quoniam vt præcedentibus diebus dixi non leue incommodum est & maximè ab initio vt fructum Tranquillitatis percipiat vnum hominem vni seruire: Tranquillitatem tametsi hoc nihil impediat, omitto enim curam parandi prandium cænamque quæ nulla persæpè, rarò necessaria, nunquam grauis: serendi metendi terendi pinsendi seruandorum fructuum certe aliquot mensibus non caret fastidio, quare melius est esse saltem duos aut ad summum tres. Ea etiam societas mutuique sermones auxilia securitasque multum prosunt. *Ci.* At Deus verè solus est. *Er.* Acerba quorundam insectatio: nam neque Deus solus est sed omnia cum illo & ipse omnibus: neque nostra natura tam infirma diuinæ comparanda est. Quinimo si quis etiam Tranquillitatem quærat in Vrbe non vitupero: neque necessaria est solitudo ad Tranquillitatem sed vtilis. Imò si necessaria esset vtilis non mereretur appellari, nemo enim crura vtilia ad ambulandum: nec oculos ad videndum: sed necessaria potius ac verè & ex consueto loquendi genere. Verùm vbique inuenire licet Tranquillitatem diuinam maximè ac militatem. Sed & Syracusis dum vrbs oppugnaretur. Archimedes studiis sapientiæ incumbebat. Tranquillitas & reliqua dona diuina nihil habent quod aduersetur sed communia sunt omni homini, loco, tempori & in quacunque occasione. Nec à suo munere impediri potest, nisi in diro carcere & infanda seruitute: aut si senectuti paupertas & morbus diuturnus contingantur. Quapropter vt Tranquillitati melius operam dare liceat firmandum est ostium oppessulo: scilicet vt quantum necessarium est ad vitam opes habeas, amicos, bonum nomen principibus ciuitatis charus sis, fidos domesticos consanguineos si potes: aliter vel agnatione vel collegio similes comparabis. Abstinebis à turpibus amoribus, à societate petulantium impudicorum sordidorum petacium improborum graues habentium inimicitias. Et generaliter fac vt socios habeas non tibi graues quos officiis quandocunque licuerit demereberis. Et sub illis alios quos supponas si defficiant & pro domesticis paratos habeas. Inde conuersus ad Deum in illo conquiescas. Quod si non id satis videtur studiis sapientiæ incumbes ita vt per illa rursus proueharis ad cœlum. Memineris Dei à quo omnia per quem omnia qui maximè dignus est amari: cuius memoria omnem consolatur miseriam pro mensura quæ illi placet. Neque enim necessarium est scire cur huic tantum indulgeat in suo dolore, illi non adeò. Similiter cauebis à crapula, ab inertia, maledicentia, ira, inuidia quæ temetipsum si nil aliud mali tibi contingeret ex ea excruciabit. Præter omnia singulari præsidio est abstinentia à cibo potuque sit vita frugalis & quam fames obsonet quod etiam ad bonam valetudinem vtilissimum est, fieri enim non potest vt in temulento corpore aut cibis plano aut qui pluri carne ouis caseo piscibus delectetur aut varietate multa ciborum quanquam etiam vilium quicquam sani inuenias, aut vt Tranquillum quicquam sit. Sed variæ perturbationes in vno atque altero vigeat. Hic irascitur, hic ad libidinem fertur, alius ad auaritiam, cibi abstinentia multa peccata animi non solum corporis solet corrigere gutta vini, cyathus aquæ. Si huiusmodi moderatio desit frustra hæc omnia dicta putabis. Non contendes, non litigabis: Mortem neque in spe neque in metu reponere noli. Necessarios feres: conferent enim ad exercedam Tranquillitatem illos quoque meliores sibi ipsis & tibi reddes. Principiis malorum prospice. Facilius enim tum vt arbores conuelluntur à radice & sine dispendio. Quod si contigat vt aliqua te excidere è sede Tranquillitatis: noli terreri aut desperare constantiam aut tristari sed sensim & illicò tamen te restitue. Quin etiam pro lucro pone quoniam ea eam intelliges quantum amiseras. Est homo Tranquillus velut in vertice montis amæno positus despiciens mille incommoda illorum qui sine spe in valle tumultuantur aut qui ad verticem ascendere conantur; quorum maxima pars aberrando in via fertur in præceps: multi in calle dilabuntur ob viam lubricam reliqui ferè omnes defatigati retrò redeunt. Atque hæc est tota Tranquillitas summumque bonum huius vitæ, at de alia cum cogito hæc minora videntur. Cæterùm interim cœnam probauimus paulò vberiore quamobrem piscatu opus est. *Ph.* Itaque piscati sumus ranas & testudinem vnam, parataque oppiparè cœna ad tertiam noctis horam discubuimus.

LIBER



LIBER SECVNDVS THEONOSTON.

SEV

DE VITA PRODVCENDA, atque incolumitate corporis conseruanda.



HILOSOPH. Cum primum surrexissemus lotis iam manibus, igneque parato, inquit Ciuis.

Ci. O beate, cum tot commodis solum mihi videris vita, ac valetudine prospera indigere. Sed tamen si casus ferret, (quod absit) vt ægrotares, iam magno esses in discrimine vitæ, & omnibus his commodis destituereris. At de vita video, seu casu, seu ratione contigerit, non esse quod quæraris. De valetudine incertum est mihi, qualis tibi fuerit, prospera ne diu, an aduersa.

Er. O filioli Deo primùm gratias, cui omnia debentur: cæterum hanc mihi vitam, & valetudinem comparaui, quæ mihi perpetua est, incolumis, quantum per ætatem etiam licet valida, atque robusta.

Viuēdi ratio multum confert ad vitā producendā.

Ci. Quid ais? Nam de vita audiui à multis multum proficere viuendi rationem ad eam producendam: at quod tutus tibi etiam à morbis ea causa in tam aspera solitudine, in tam acerbo aëre hoc mihi nouum videtur, & inusitatum. Sed tamen tu qui totus Deo addictus es, forsan potes hanc rationem contemnere. Quid enim aliud est hæc vita, quàm obscurus, ac miser carcer? Sed & ad valetudinem forsan plurimum valet nullis esse impeditum curis, ac lætitia illa animi, qua Sanctos Patres illos, si non diuino auxilio id contigisse dicas, tandiu vixisse arbitror.

Ad valetudinem plurimum valet nullis esse impeditum curis.

Er. Eia agè ô fili, non negarim etiam istiusmodi contulisse & illis, & mihi ad vitam protrahendam, sanitatemque seruandam incolumen; sed longè maiora sunt commoda ad vtrumque horum lætitia illa, & vacuitate à curis: nam & in Vrbibus multi inueniuntur longæ vitæ homines, curis tamen, & calamitatibus prægrauati, multi contrà fœlici fortuna, qui in prima iuuenta obiêre. Modò enim curæ non eiusmodi sint, vt eripiant somnum parum vitæ obsunt. Vt lætitia etiam, nisi quatenus hominem non auocat ab illo.

Modo curæ non eripiant somnum parum vitæ obsunt.

Ci. Vera dicis: multos enim ex vtroque genere noui. Sed iuuat puto multum robur naturæ, integra natiua valetudo, & quo quisque sydere natus sit, & qualibus ex parentibus: multi enim sunt, qui velut Garamantes vix quadragesimum annum attingere possunt; in quibusdam Vrbibus, Oppidis, Familiis plures propè centesimum accedere solent.

Er. Vera dicis: sed non est hoc nunc meum institutum. Neque enim negarim, quosdam esse, qui nulla arte ad senectutem perduci possunt: quod & Galenus Princeps artis medicæ fatetur: at vitam breuiorem reddere licet, longiorem, vt reor, minimè. Eiusmodique ratio fermè in omnibus bonis est. Cæterum non credatis, mihi quod in hac solitudine viuam, contemptum adesse vitæ. Pulchrum est quandiu vixerimus, viuere ita, vt non pœniteat vixisse: nec animi peccatis, nec corporis morbis: nam eiusmodi vitam esse arbitror incorporearum substantiarum, quibus quanto similiores euaserimus, tanto beatiores non solùm, sed etiam perfectiores dici possumus. Quod si ita est, vt pulchrum sit ita vixisse, cur est, vt non etiam eam vitam viuere cupiamus, & diu quàm cum vixerimus, neque pigeat vixisse, nec tædeat. Si cui vita tædio esse debet, cui magis, quàm seni? Quid seni decrepitæ ætatis viro, & in solitudine degenti: At tantum abest, vt vita mihi tædio sit, vt quandiu etiam viuere cupiam. Sed neque existimo grata esse Deo nostra incommoda, nisi quatenus languidiores efficiunt ad flagitia perpetranda: quod siquis secus se ab illis contineat, non est, vt gaudeat miseria sua quanto minus, vt eam affectet. Sæpius connumeráui gaudia mea, & voluptates, causasque illarum non est, vt denuò recenseam, sed vt cupiam viuere, & maximè sanus.

Ita viuere Vt non pœniteat vixisse.

Ci. O sine fuco prorsus vir iuclyte, &

Parallellus Socratis cum Eremita.

χαρδιάμαντ@, seu adamantine, quousque tua gloria manebit, quàm beatior, quàm melior es illo Socrate? Ille contemsit cõmoda vitæ; tu spernis incommoda: ille non formidauit mortem, tu vitam asperam libenter sustines: Ille forsan falsò iactabat se, tu verè & ex animo hæc dicis: Ille quod summum fuit, sperare potuit non deteriora; tu quod minimum est, deteriora expectare non potes. Si leat ergo Græca garrulitas, & nos nostrum habeamus Socratem.

Er. Sed omitto ista, ne dicam illud Euripidis:

Αἰνούμενοι γὰ οἱ 'γαθοὶ τρόπον τινὰ,
Μισοῦσι τοὺς αἰνοῦντας, ἐὰν αἰνῶ ἄγαν.

Sed potiùs sequamur quod instituimus. Dixeram non minus salubrem esse hanc vitam, & vitæ producendæ aptam, quàm in quavis Vrbe. Quòd si hoc vobis ostendero his septem diebus, operæpretium fecisse videbor.

Ci. Hoc est quod audire cupimus.

Commoda senectutis, & vitæ diuturnæ.

Er. Sedenim videamus primùm, quot sint commoda præcipuè senectutis, & vitæ diuturnæ; namque sic etiam illius vtilitates intelligemus, & quantum fructum afferat vixisse diu: sic enim meliùs intelligemus beneficium, quod ex solitudine nobis parauerimus, in solitudine degendo, si solitudo longiorem vitam, atque salubriorem præstare potuerit. Equidem primùm illud à me declarandum est, ni fallor, generaliter, quæ commoda, & vtilitates vita nobis afferat: nam si Philosophis credendum est, anima cùm sæpius exierit è corpore, denuò inclinatur ad illud, quasi ad vitam non pœnitendam: hoc enim ipso, quod est viuere, tria præcipua percipimus commoda, & duo alia præstamus. Ipsa quæ percipimus sunt sentire tot sensibus, spectare cælum, sydera, solem, lunámque, tot varietates temporum, regiones, vrbes, flumina, montes, maria, prata, insuper nemora, saltus, viridaria, flores, herbas, & arbores, animalia, aues, pisces, quadrupedia, lapides, gemmas, ædificia, picturas, totque alia, quæ longum esset numerare. Inde se offert auditus, quo harmoniam cognoscimus, cantus, sonos, auium modulationes. Gustus saporum iudex, & olfactus odorum. Sed & memoria, & ratio, & cogitatio, atque hæc omnia in primo genere. Post sunt voluptates, quæ omnes in motu quodam constant, recreari in vmbra æstate, inuisere regiones, & loca Veneris præterea, ac tot aliorum seu visus, seu auditus, seu gustus, aut olfactus, totque alia: sed præcipuè etiam memoria præteritorum, si Epicuro credendum est. Sed omnium præstantissimum est tertium genus, scilicet intelligere, quo ipsi Deo iungimur. Hæc omnia igitur in nobis præstat vita: aliis autem duo præcipua mortalibus quidem voluptatem qui nos amant, & vt alios etiam procreemus; Deo autem, vt illi gratias agamus, & veneremur, & mundum adornemus.

Hæc ergo sunt, atque huiusmodi vitæ huius commoda generaliter. Quo fit, vt quantumcunque huic vitæ adiiciatur, tantum etiam ex his omnibus bonis nobis accedat, & vsus fiat diuturnior.

Ex salubritate tria cõmoda.

Ex ipsa vero salubritate tria commoda, ne adeò metuamus mortem tanquam præsentem, aut proximam, & vt non doleamus, & vt ipsius vitæ commodis omnino frui possimus, aut ea meliùs percipere. Ergò hoc est primum generale commodum diuturnioris vitæ, scilicet vti diutius vitæ bonis: alterum vt recordemur præteritarum voluptatum, atque felicitatis.

Emolumenta senectutis.

Specialiter autem senectus primum affert multam sapientiam, atque prudentiam adeò vt & in actionibus, & in exercenda arte si quam noris, ni omninò stupidus sis, aut oscitanter cuncta egeris, fecerisve, ad culmen perfectionis peruenias in ea ætate.

Aliud emolumentum est, vt voluptates, & actiones omnes iucundas, velut sensuum perceptiones ipsum cognoscere, atque intelligere longè meliùs perficias, atque degustes, liberatus toto perturbationibus animi, ac corporis, quas feruor præcedentis ætatis parit, à quibus omnia bona nobis interturbantur, adeò vt nil syncerum percipere possimus. Itaque senex longè melius percipit, atque degustat voluptates, & delicias, & tam animi, quàm corporis operationes naturales, quàm faciat iuuenis, & multo longè magis, quàm puer.

Senex melius degustat voluptates quã iuuenis.

Senectutis quoque præcipuum commodum est, si rectè recta fuerit, & non prorsus infortunata fuerit, multam videre stirpem, & sparsam hinc inde, illam prouehere, adiuuare, ordinare, ornare, ab illa vicissim coli, & venerari, atque operâ iuuari, ac protegi.

Est etiam in ipsa senectute bonum non leue, extinctis perturbationibus, contemplationi totum se dedere, vt quasi diuinam in terris vitam agas: liberior eò à metu mortis, quò propior, vtpote qui nec vitam valde optes ob imbecillitatem corporis, neque odio habeas ob animi libertatem. Sed vt propior metæ eò alacrior illi occurras meliora expectans, si bonus fueris, & sanctè vixeris. De his omnibus mihi credere etiam vltra rationes adductas securè potestis, vt omnia hæc iamdiu experto & in dies experienti.

Bonum in sene, vt mors cum voluptate fit.

At vnum est & aliud incomparabile bonum in sene, & maximè decrepita ætate, qualis sum ego, vt mors cum voluptate fit, velut aliis cùm summo dolore. Est enim mors senis titillatio quædam simul in omnibus membris. Id primùm aliquando penè expertus sum; tùm ratio ipsa extremæ senectutis docet; tum illud maximè quòd verisimile non sit, naturam in aliquo defecisse: vt quicquam esset in humana constructione, de quo conqueri de illa meritò possemus; quod si omnino dolent alij, id fit, quoniam immatura fit separatio. Vides crustas vlcerum, quæ ante maturitatem tanto cum dolore auelluntur, cùm siccatæ fuerint cum voluptate decidunt: nostrum fermè est, vt eo dolore careamus. Quod si ob intemperantiam, auaritiam, æstus animi acceleramus mortem, & dolorosam

mortem nobis accimus, in quo meritò incusanda venit natura. Vides etiam fructus, cùm maturi sunt, quàm leniter ab arbore, & , vt ita dicam, quasi cum voluptate ab illa auferantur, & si auferre neglexeris, illa sponte remittit, & decidunt; ita mors matura cum voluptate est. Interim gaudemus tamdiu vixisse, & quod solum nostrum est, præteritum scilicet, eo abundè, & cum voluptate fruimur, memoria scilicet præteriti temporis: & securitate, quòd immatura mors nobis aduenire non possit.

Quæ causæ morborum, ac mortis.

Ergo vt vitam producamus, & sanitatem tueamur, videndum est, quæ sint causæ morborum, atque mortis. Si sanus nulla ex parte mutetur, sanus erit, quod etsi in melius mutetur, adhuc magis sanus euadet, nonne?

Ci. Equidem.

Er. Rursus, nonne & illud considerandum, quo magis vitio, & celeriùs corripiantur, & quo præcipuè etiam vita eorum finiatur.

Ci. Appositè.

Er. Videamus ergò hoc ipsum primum per ocium, tanquam scopum, in quem dirigenda sit disputatio.

Ci. Pulchrè.

Exemplum de dentibus

Er. Principium hoc sumere oportet primùm ex ratione, inde ex experimento; ratio verò duplex, naturalis, ac coniecturalis: quemadmodum si dicamus, verisimilius esse membris visui subiectis dentes, ex occultis ventriculum debilitari, & euerti. Dentes quidem, quoniam inclusi sunt ossibus haud firmis, aut crassis, & sine vinculo valido, quò obliquus sit illorum adinuicem occursus, qnòd atterantur indies, quòd naturaliter mutentur, naturaliter etiam cadant non amplius redituri, quòd ex cerebro defluat humor perpetuò serosus, & acris, qui illorum radices destruat, & erodat; Ex ventriculo autem ascendant vapores, qui illos corrumpant. Coniectura autem, quòd rebus duris occurrant, calori, frigori; quòd ex longo atteritu, mutatione aëris, concussione elidantur. Ex experientia, quoniam neminem videas, aut inter mille vnum, qui octuagesimum attigerit annum integris dentibus, cùm fermè omnibus aliqui decidant, plures vitientur etiam ante sexagesimum.

Exemplum de vêtriculo.

De ventriculo par fermè ratio: tenuis, amplus, exanguis, occurrit calori, frigori, concutitur ambulando, distenditur à cibo, à potu laxatur; aqua non iuuat illum, vinum verò etiam grauiter sæpè nocet. Coniectura; homines comedunt tot illi inimica; prægrauant eum, atque distendunt, vt disrumpi videatur: saliunt, currunt à cibo, tot morbi, quibus in omnibus vehementer affligitur: deuorantur dura, & ossea, & cruda, & fermè venena: comedimus nondum priore concocto cibo; vigilamus, dum concoquere opus est, distrahitur calor studiis, atque curis. Experimento, quòd vix vnus est, maximè ætate prouecta, qui non quæratur de ventriculo. Quis sine iniuria vnquam huius membri vixit? Vni dolor, alter non concoquit, alter nauseabundus est, alius sitit, alius non esurit, alius eructat cibum. Iniurias ille sentit omnes, dentium omnia incommoda, omnes errores hominis. Cogitur ille deuorare quæcunque medicamenta aspera, & non læsus etiam supplicia vitiorum aliorum membrorum sustinere, ac perpeti. At dentium vitia, & calamitates diu possumus tolerare, ventriculi non diu sine magno detrimento totius corporis, & vitæ, si magna in illo fuerit noxa. Post hæc succedunt aures.

De Auribus.

Multi credunt, plures primùm affici incommodi circa oculos, priusquam circa aures; sed falluntur; hic non vt in prioribus experimentum cum coniectura consentit. Coniectura enim est, quòd aures celeriùs patiantur, quàm oculi, & homines citius obsurdescant, quàm obcæcentur, quoniam oculus humidus est, & plenus spiritibus, & multiplici munimento defensus: præterea calidus, & ad omnem aëris iniuriam robustus; nec potest colligere vaporem, nec retinere. Experimentum tamen videtur oppositum ostendere: vides senibus oculos lachrymantes spontè, vides vti perspiciliis, omnes testantur visus defectum non auditus, atque ita familiare malum videtur imbecillitas visus senibus, auditus autem obtusior adeò rarum, vt hoc sine pudore non audeant fateri, illud apertè testantur.

Attamen coniectura certior est experimento: nam quia id de oculis nemo abscondere potest; quoniam oculi oculis subiacent; ideo quod tegere non possunt, honestum ducunt apertè fateri, dum vitium est valdè commune. Sed auditus vitium occultum est, & cùm tegatur à plerisque, omnes sibi turpe ducunt accidere, quod vitium potius esse videatur vitæ, & intemperantiæ, quàm ætatis. Multis enim modis, tum ex gestu, tum antecedentibus, tum ex priorum verborum intellectu sensum eorum verborum assequuntur, quæ tamen non perceperunt: Quod & si non possint, tanquam alij cogitationi intenti, iubent repeti: alij verbum illud tantùm explicari volunt intentius, in quo vis sermonis latet, tanquam illa intellexerint, cùm tamen nen intellexerint. Demum si magna res non est, quidam etiam per verba communia ita respondent, vt verisimile sit eos percepisse, quæ dixeris. Itaque cùm aliquibus, vel aliquando benè responderint, quod surdastri sint, suspicionem effugiunt. Cùm persuasum sit hominibus, eum qui semel audit, semper posse audire; & qui audit aliquid, omnia posse audire, sed aliò intentum, non animaduertisse, quæ dicerentur. Tum verò huic solertiæ fauet plurimum, quòd hi qui colloquuntur, plerumque sunt iuuenes, aut adolescentes, qui cùm ab hoc vitio sint immunes, non cogitant, nisi quod vident. At hoc videre impossibile est; percipere omninò difficillimum; sed etiam vix coniectari non leue est, maximè in callido viro. Sed rei veritas est, quòd plures & citiùs fiunt surdastri, quàm lusciosi. Post autem fiunt & oculi debiles, túmque

Plures citius fiunt surdastri, quam lusciosi.

túmque iam ingrauescit senectus: labant genua, renes quoque & pulmo laborant: bonúmque est, & prosperè agitur, si solum vitio laboretur, non morbo. Hæc igitur sunt primùm sex senum incommoda; si non imbecillitatem crurium connumerare velis, vitium quoque cerebri, vigilia, obliuio, talia subsequi solent hanc ætatem.

Quid ergo? occurrendum est duplici ratione: generali vnâ, vt corpus humectetur quàm fieri potest; alterâ, ne cruditates fiant: ex horum vno imbecilles fiunt omnes vires, ex altero contingunt omnia impedimenta, calculi renum, difficultates spirandi, surditates, cæcitates, mali habitus. Hæc inuicem distinxi, tametsi coëant in vnum, scilicet, vt calor naturalis validus seruetur; nec eius actio impediatur. Sed quoniam hæc duobus modis consequimur, qui fermè contrarij inuicem sunt: vno vt cibis benè nutrientibus alamur; altero ne quid nimis sumamus, ideò etiam in duos scopos dissecari meritò poterit hæc intentio.

Ex cruditate omnia impedimenta.

Cùm ergo sint tres nostri corporis partes, membra, humores, & corporei spiritus; membra verò ex cibo, humores ex potu aut sorbitione, corporei spiritus, ex incorporeo, id est, aëre nutriantur, vt Hippocrates auctor est, palàm est, duo esse præcipua conseruandæ sanitatis, & producendæ vitæ argumenta, cibum, & potum, atque aërem; reliqua omnia, velut animi curas, somnum, euacuationem, consuetudinem, motum, seu quietem, tempus, anni, artem, ad hæc ipsa duo referri. Nam anni tempus, & locus, in quo habitatur, ad aërem pertinent: non enim nocent, aut iuuant, nisi quatenus aërem efficiunt bonum, aut malum; calidum, seu frigidum. At animi curæ concoctionem, & per se præpediunt distractis spiritibus, & non per se, sed alterius causa, scilicet somnum subtrahendo. Quare & somnus, & animi curæ, & motus, & quies, & euacuatio excrementorum, & consuetudo, atque ars, omniáque eiusmodi sic obsunt vitæ, & valetudini, aut prosunt, quatenus quod restauratur bonum, aut malum sub debita quantitate aut exuberans, vel deficiens efficiunt. Itaque vbi curæ premant hominem nihil melius, quàm detrahere ex cibis, eósque quàm concoctu faciles, & pauci alimenti seruare; ne si non prauitate lædant, lædant contumaciâ, aut si nec contumaciâ, obsint, saltem multitudine: præcipuè verò si curæ somnum eripiant, aut interruptum præter consuetudinem effecerint. In cibis autem, ac potibus cùm plura considerentur, qualitas naturalis, & quæ arte comparatur, ordo, tempus, quantitas, quæritur meritò quid inter hæc omnia præcipuum? Quidam dixêre, quantitatem esse primam auctoritate, vt quæ plurimum possit in hac causa, & per eam solam construatur non tantum sanitas, sed etiam vita plurimum producatur. Quorum dux fuit Aloysius Cornarius Patritius Venetus, qui dum hæc scriberet, octuagesimum annum vitæ iam agebat incolumi corpore, atque mente, is assuetus iam ab anno

Tres corporis partes.

Duo præcipua producenda vitæ.

Vbi curæ premant detrahere ex cibis.

Aloysius Cornarius Scriptor.

suæ natiuitatis trigesimo sexto, quòd morbo tùm penè insanabili ventriculi detineretur, perpetuò eundem tenorem victus seruauit vsque ad eum annum. Et quanquam multis curis, ac litibus, quarum dolore frater interierat, tortus sit, moderatione corporis sanus mansit, & superior in iudicio. Idem excussus anno septuagesimo è carpento, & longiùs tractus, cùm carpentum esset euersum, luxato crure, ac brachio, multisque in capite receptis, ictibus, cùm à medicis desperaretur, vellentque tanquam in vltimis casibus medicamento, & sectione venæ vti, ipse (vt narrat) cofisus in humorum temperata quantitate, nec de salute desperauit, nec auxilia admisit, breuique conualuit. Annis autem nouem pòst, cum iam propè octuagesimum esset suasu medicorum, & vrgentibus amicis, dum duas cibi vncias consueto ponderi adiecisset, intra decem dies, aut paulò plures ægrotauit, ita vt rursus à medicis salus desperaretur, nec tamen ipse multum speraret: tamen ad pristinum ordinem rediens denuò conualuit, licèt serò. Sed & idem meminit tùm cum octuagesimum tertium annum ageret, nec aure, nec oculo debilitatum, sed & inter nepotes suos, quos plurimos habebat, canere solitum suauiter, & equitando inuisere loca sua solitum, & pedibus etiam, licèt parum leniter ambulando. Quin etiam exemplo veterum eâ ætate conscripsisse comædiam satis elegantem. Hic ergo omnia ad cibi, & potus quantitatem exactam, & exiguam refert, quandoquidem delectus non meminit. Inquit enim, duodecim vncias cibi sumere solitus eram, vitello oui, ferculo, pane, atque carne computatis, in potu vero quatuordecim. Non tamen docet, an in prandio, & cœna, an in tota die, an semel duntaxat cibum caperet, cum dicat, vitello oui computato; nam si bis sumebat cibum, bis etiam oui luteum sumere illum in die verisimile erat, aut tam de prandio, quàm de cœna intelligendum. Sed cum dicat ipsemet, exiguum fuisse cibum; constat de tota die locutum.

Ciborum exacta, & exigua quantitas.

Confirmauit hoc exemplum Gabriel Panigarola Patritius noster, Iurisconsultus, vir singularis humanitatis, qui vt accepi, iam aliquot annis, cum septuagesimum annum excedat, ex malo corporis, & morboso habitu xxviij. vnciis cibo, & potu computatis in singulos dies contentus est, vt res redeat ad idem. Die tamen Iouis, & Dominico aliquid plus assumit. Alius etiam, quem probe noui xxxvj. vncias computato cibo, & potu assumit die quaque. Sed is singulis prope modum circuitibus dierum quindecim leue assumit, vt cassiam nigram, aut huiusmodi quidpiam. Hic iam nonagesimum superauit annum. Et vos me videtis, qualis sim, cum propè centesimum sim constitutus. Ergo ille vir adeò memoria dignus, videtur noluisse hoc bonum docere mortales, sed solum, vt illum scire intelligeremus. Nam neque si semel duntaxat in die cibo vtatur, aut bis; neque si pro tota die, aut prandio, cœnave

Gabrielis Panigarola victus ratio.

hoc explicuit, certos nos reddere dignatus est. Sed nec an delectu ciborum vtatur, sed omnia in ænigmate, commemorat: Hippocrate in dicendo breuior, & salebrosior. Verùm ex modo dicendi coniectari licet, hanc fuisse summam totius diei, & ciborum delectum quendam obseruare solitum; sed ita tamen, vt modò pondus non excedat, vuam, vel ficum quandoque assumere liceat. At etiam sic interpretando dubium relinquitur, vt dixi, hanc summam vnâ vice, aut duabus sumát. Quin & illud mirum videri potest, quod plus potus indulgeat, quàm cibi, maximè cum totus cibus solidus non sit; sed adsit ferculum, & oui luteum. Et mihi sanè magis eo in libro Philosophorum agere videtur, quàm medicum.

Ciborum delectus permittitur, dũmodo pondus non excedat.

Ci. E quidem cum illum librum sæpiùs peruoluerim, nunquam potui intelligere.

Er. At si viuit, cur non interrogabas?

Ci. Ostabat simultas quædam inter nos, existimabat enim fratrem meum Zachariam in lite parum fuisse propitium, cum inter iudices sederet, quamvis ex eo iudicio victor euaserit.

Er. At mihi obstat viæ longitudo: sed opinor consuetudinem sequi oportere, & quod more vestro partem exiguam præscripti cibi, nec oui luteum mane acciperet; vesperi autem totum residuum.

Ci. Ita credere decet; nam morem Ciuitatis cognitum præsupponit.

Er. Sed de potu quid dicendum?

Ci. Non habeo quod in medium afferam.

Er. Videtur suam ipsius consuetudinem secutus, non viuendi rationem. Quippe potus bes esse debet cibi, vt cibus esse velut dicunt propè potui sexquialrer, cibus quidem quindecim vnciarum, potus autem vndecim.

Cibus potui sexquialter.

Ci. Vnde hæc colligis?

Er. Quòd humidum non debeat exuberare siccum; at sic computato ferculo erunt tredecim, ac tredecim.

Ci. Verisimile est.

Er. Sed æquare possumus, postquam tam benè illi cessit potum superabundare aliis esse æqualem. Ergò ne verbis valetudini consulere videamur, facto autem aduersari, postquam iam hora est, si placet, cibum sumamus.

Ph. His dictis, panem, & pisces super prunis cum melle edimus.

A prandio vbi sublata essent vasa, atque accensus ignis cæpit Eremita in hunc modum.

Er. Quàm multa sunt sobrietatis præmia, vt nullius alterius rei, robur virium, splendor faciei, sanitas corporis, odor, suauis halitus, vox clara, & canora, sensus vegetes, alacritas animi, mens pura, somni læti, atque quieti, affectus animi moderati, nil turbulentum, acre agitatum; itaque eam totis viribus assequi debemus; tum maximè cum ob id ipsum, quo crapulam diligimus, cibum, & potum fastidiamus, ob quod fugimus, desideramus, atque delectamur. Sic ille tàm laudatus Socrates, obsonare famem abstinentia, & deambulatione prædicabat. Sed sunt quidam, qui felicitatem adeò in voluptate reposuerunt, vt omnia contemnant, vitam, decorem, honestum, valetudinem, denique voluptatem ipsam etiam ob voluptatem negligunt, maiorémque ob minorem, ac diuturnam ob breuem. Contra hos quid dixeris, quando quidem disputare non licet? Sed logè deterius sentiũnt quam hi, qui voluptatis quòd essent summi laudatores, vituperabantur Eudoxus, Speusippus, & Epicurus. Quid dicam de huiusmodi hominibus, quos nec agnouit Iuuenalis, & de barbarica hac voluptate? Quo primùm fundamento nixus eos damnabo, qui non solum honestum, & decorum paruipendunt, sed etiam vitam, & valetudinem: at summum bonum esse ducunt viuere nulla ratione, mori quam celerrimè, interim nihil iucundius esse putant, quam cogere alios, vt sic viuant, quoniam miseriores certò futuri sint easdem passuri calamitates, sed non eadem amentia, & animi furore obrutas, atque sepultas. Atque hic mihi Triumuiratus sceleratorum esse videtur, in quo nil iucundum fuit, quàm, quod omnes miserrimi essent. Sed si aliquo modo persuaderi possunt mortales, aliquid esse bonum humanum, aliquid iucundum, ac felix, vnum alio melius ex his, quæ hominibus eueniunt, beatiorémque vnum hominem altero, & vicissim vnum altero miseriorem, tunc depugnabo per sobrietatem, quæ nobis vna, tanta bona affert, vt sola omnem suauitatem huius vitæ complecti videatur. Sed missos faciamus homines hos monstruosos ciuilis, & benè instituti viri commoda prosequamur. Constat enim iam apud omnes sobrietatem parentem esse omnium bonorum homini.

Sobrietas omnem vitæ suauitatem complectitur.

Sobrietatis audes, & præmia.

Ci. Sed duo sunt, de quibus dubitamus. Magna enim, primum est voluptas conuiuiorum, quas omnes gentes celebrant, & à memoria hominum semper in honore habita; nec quicquam tàm commune omni genti, omni ætati, pauperibus; atque diuitibus, regibus quoque ipsis, Iudæis, Christianis, Idolorum, & Mahumethi cultoribus, viris, pueris, senibus, mulieribus, latronibus, ac probis hominibus. Conuiuiis verò sobrietas è regione aduersatur. Alterum est, quod cum laudem sobrietatem, qualis tamen sit adhuc non constat, hoc autem caput multis distinctionibus indiget.

Circa modum sobrietatis quæstiones 7.

Prima scilicet an tutum sit experiri tantantam mutationem in victu, cum ex multo minore plures antea sani perierint.

Secunda quòd ex ea contabescere ventriculus videatur, nam is primum ex chilo, & cibo nutritur, vt medici volunt.

Tertia quòd iubeat Hippocrates cauere summam inanitionem non secus quam & repletionem.

Quarta quòd si postmodum aberrare cogatur, atque comedere, tunc inusitato pondere pressus repentinæ mortis discrimen subibit,

Quinta quòd incertum sit, quanta esse debeat adhuc in genere; multo autem minus

nus in specie, & quæ vnicuique conueniat.

Sexta an quod morbosis, & imbecilli ventriculo sit profutura, aliis autem non?

Septima quando inchoanda, an iuuenta? cui bono cum tunc maximè valeant homines, an in senectute? quam tutum longam mutare consuetudinem. Multi dicis, iam hoc comprobarunt exitu? Quî scio ego ne vt in chymica duobus, aut tribus quædam forsan à malis geniis acciderunt admiranda, per quæ innumeri postmodum homines periclitari, & omnibus bonis exuti in summa mendicitate periere.

Mutatio victus periculosa.

Ph. At istud ego vidi experimento sæpè in his, qui nostræ vitæ initiabantur, aliquibus eam mutationem contulisse pluribus longè mortem, aut morbos graues, ac penè insanabiles, quæ omnia ex mutatione victus accidisse nostri medici referebant, quæ tamen multo minor est hac præscripta. Quinimo dum Papiæ essem, duos vidi medicos, quorum vnus nolebat bibere dum ederet, sed post multò, dicens velle vti potu delatiuo, & intra biennium ea causa periit, vt alij medici referebant. Et ipse princeps, qui hoc genus bibendi laudauit si eo non vsus est, improbus fuit, aut stultus; si vsus, cum perierit ante senectutem infelix suo inuento fuit. Alter semel in die cibum tantum sumere volens breui interiit, & quotquot hanc voluere sequi consuetudinem, qui multi fuere, neque constat, an semel velit hic nouus medicinæ auctor, sumendum esse cibum, atque ita periculosum erit, vt dixi, adeo mutare consuetudinem. Idque testatur Hippocrates, an bis, parumque nimis sumet pro vice. Adde quòd tam paruo cibo, & potu sumpto ventriculus, nec aptè cohærebit, nec concludetur, vt concoctio perfecta fiat. Quomodo etiam famem sustinebit, vt continens esse possit. Præterea si cibos non pingues assumere velit solum, vt olera, & fructus imbecillis omnino reddetur. Si carnes delectum ciborum habere non poterit, multi enim præclari medici existimant vitam longam, & incolumem non posse constare nisi cibis, qui oleum continent, non pinguedinem, ac sanguinem. Quomodo etiam si quid incumbat grauius, vt labor, aut venus, vel morbus, cum tam tenui vita poterit id sustinere. Leonicenus quoque qui centesimum excessit annum, & mater Ficini, tum verò Ficinus qui ad nonagesimum septimum peruenit inter perpetua litterarum studia Isocrates, duo Veneti Principes Landus, & Donatus: sunt qui Cardinalem Bembum nostra ætate nonagenarium obiisse referant: nec vllus horum tamen tam exquisita victus ratione vsus est, tametsi moderata quam nemo damnat, at noster Cornarius in hanc adeò asperam transtulit, dum etiam Ciceronem huiusmodi vitæ genere vsum fuisse dicit. Itaque cum plures senes interrogati essent de tam longa vita alius alia respondit; adeo vt quidam, nescio an seriò, cum annum excessisset centesimum dixerit,

Semel in die cibum sumere malum.

Nota de cibis qui oleum continent.

se nunquam ante Solis Exortum, aut post Occasum exisse è domo, tam ridiculas afferunt vitæ diuturnæ causas, vt existimem fato quodam eas decerni, non vlla arte comparari posse. Placet id de moderata vita, & quod quidam aiebat cum cubitum iret cum cingulo solitum deponere curas.

Er. Responsum fuit Antonij Cardani aui Hieronymi, nec id absurdum. Atque in ea familia multi fateor propè centesimum annum peruenere.

Ci. Imò quod maximum est nullus ex his, qui eo peruenit ætatis hac victus ratione adeò exquisita vsus fertur. Quid quod videretur natura decepisse nos cum rectam viuendi normam, ac nobis perutilem à naturali desiderio separasset. Sufficiat ergo exclusisse cupedias, & eum appetitum, qui nos cogit ob varietatem ciborum iusto plus sumere. At verisimile est tantum tribuisse nobis voluntatis, quantum & necessitas, & robur naturæ nostræ ferret.

Er. Sed tamen ô amice altius hoc consideremus hac solum ratione, quod ex tot hominibus tam pauci sequentes naturalem hunc appetitum, vt vix ferè nulli ad extremam senectam perueniant. Sed prius tamen etiam de conuiuiorum vsu, atque hilaritate dicendum est. Non possum negare conuiuia fuisse semper, semperque futura in vsu hominum: nam duo complectitur conuiuium, cibum rem maximè necessariam, & hominum conuersationem, quæ illis propria est. Verum quod Homerus Deos ad conuiuia, vocet, vt ibi:

Conuiuiorum vsu.

Hic epulis hilaris faciebat gaudia sacris
Mactatis agnis, & cæsis littore tauris
Sacra Necatombæis celebrabat ritibus, vnà
Instaurant mensis centum taurilia, nec non
Dona ferunt, cumulantque oneratis lancibus aras.
Diique alij Iouis ætherea tum Sedis Olympo
Concilio acciti fuerant.

Perabsurdum est, vt nec Virgilius eum hac in parte imitari dignatus sit, neque laudo hominis consilium, qui vt placeret hominibus, adeo aliena de Deo mentitus sit. Sed potius illud laudandum, Deus nec edit, neque bibit, traductum tamen est ad conuiuia sine vlla solicitudine:

O noctes, cænæque Deum, quibus ipse, meique,
Ante larem proprium vescor.

Verum quando hoc à suspicione abest, non tam probo conuiuia, quam admitto. Quid enim sani inter epulas, aut pij, & inter pocula, vel à temulentis excogitari potest? Dicta sunt conuiuia συμπόσια, & σύνδειπνοι, à compotatione primum, concænatio secundum; quod non solum carnes, sed etiam vinum in symposiis diuideretur; vnde etiam illud:

Conuiuij Æthimologia.

Iam sumus æquali saturi conuiuio.

Sed vndecumque deductum nihil conuiuio cum prudentia: vtrumnè ad bellica quidem opera iuuit surrexisse à conuiuio. Et nomine quidem hilaritatis defendi conuiuia consueue

consueuerunt: Sed vere ad luxum, temulentiam, ac procacitatem tota instituta videntur. Inde celeberrimum Lapitharum conuiuium. Quid dicam de conuiuiis Romanorum Imperatorum, Tiberij, Caligulæ, Neronis, Vitellij, ac cæterorum? Si quid mali patrandum; dies conuiuij expectatur. Persica plena crudelitatis, & insidiarum, Græca tumulentiæ, Italica luxus, & libidinis, vt non possim nisi grauiter succensere Plutarcho, qui etiam ficta fabula sapientum nomen conuiuij nomine defœdauit, non solum polluit. At dicetis, nonne noster Plato conuiuia introduxit, & Socratem in illis, vt in Phœdone? Sed videte quam pulchri, honestique, ac decori sermones in eo habiti sint. Pudet pro tanti viri dignitate quicquam recensere. Lucianus, & Philosophorum mores sui temporis, & conuiuiorum naturam, & fabulæ exitum ita concinnauit, vt nihil aptius. Sed nimis sedulo conuiuiis Erasmus in suis colloquiis innixus est mores suos prodens, vbi diuina, humanaque miscet, & existimationem hominum impudenti libertate (ne turpius quiquam dicat) conuiuiorum iudicandam admitti. Fortè illud mihi obiicias ex Ethicorum nono cap. 9. Fuerit & quædam virtutis exercitatio ex conuictu bonorum, vt Theognidi placet. Sed aliud conuictum dixerim, aliud conuiuium. Cum dico conuiuium, pompam quamdam ciborum, & potuum dico, inutilem prorsus sapientiæ, atque honestis moribus: permissam solum victoribus, & in vxore ducenda laudabilem. At conuictum (cum edere, & bibere omnibus ex æquo sit necessarium) sapienti cum sapiente, vt Asclepiadi cum Menedemo vtilem esse fateor.

Conuiuia celeberrima.

Differentia inter conuiuium, & conuictum.

Hæc non tam multa ob id dicta, quod conuiuia repugnare velim huic sobrietati; verùm quoniam abusus est illorum nostra ætate, non vsus. Et vt rapias, quod profundas stultè, aut vt Sarmati quidam per tres dies discumbas in mensa, vt quidam Itali ex hoc perierint: nam sobrietas hæc eadem apud conuiuas seruari potest, & si lancem tecum non detuleris. Admittuntur vnciæ duodecim cum minus cibi, potus quatuordecim, duas ex vtroque mane sumes iturus commessatum. Qui lentè mandit bibendo pytissat serius aliquanto incipit, finit ante alios, multa loquitur in medio cœnæ, huic vix tantum suppetet temporis, vt quod consueuit edere, atque bibere possit. Interfui autem non semel conuiuiis, vbi hæc agi à nonnullis vidi, nescio modo an eadem ex causa, sed qualiscunque fuerit, haud dubium est nostram hanc consuetudinem interpellare non posse: Neque enim accedimus ad conuiuia vt epulones, aut lurcones, sed vt confabulemur, congaudeamúsque. Et quædam sunt edulia postquam res ipsa pondere definitur suauia admodum, nec valetudini aduersa, ex quibus si, vel vtrem ederis, pondus non æquabis duarum vnciarum, qualis est lactis spuma vbique nota, sed Mediolani in præcipuo vsu, maximè in mensis Principum, atque conuiuiis.

Sobrietas quomodo seruari possit in conuiuiis.

Lactis spuma.

Sed quantum putas inesse ponderis duobus totis carduis? qui si bene cocti fuerint facillimè saltem in ventriculo concoquuntur, vt opinor. Neque enim hic mihi sunt libri medicorum. Habeo duos, aut tres, quos mihi delegi, hi satis, superque mihi sunt. Sed iam ad obiecta deuenio; agam autem rationibus, nulla mihi, vt dixi, neque lis, neque iurgium. Sed neque cum medicis consuetudo, absint procul, quorum consiliis sæpius euertitur, dicit Cornarius, valetudo, quam restituitur. Tres coctiones esse noui, (Etenim per bellum hanc materiam attingere possum cum inter cæteros quatuor illos de tuenda sanitate Hieronymi Cardani libros ad me non multis ab hinc mensibus detulerit agnatus ille meus,) primam in ventriculo, secundam in iecore, tertiam in vnoquoque membro. Atque in singulis coctionibus, quæ ritè peraguntur, tria resecantur, alimentum, excrementum vtile, atque inutile: vitiosa verò si fiat, resecatur excrementum, vitiosum, atque præter naturam; sin autem adhuc deterior non solum vitiosum excrementum resecatur, sed quod vtile esse debet corrumpitur: sin autem adhuc deterior etiam ipsum alimentum vitiosum fit.

Tres cib. coctiones.

Cum ergo tres, vt dixi, sint coctiones, erunt nouem quæ producentur in corpore nostro: tria vtilia excrementa, tria inutilia, & tria alimenta; veluti in prima coctione alimentum, quod nutrit ventriculum vtile excrementum, chilus, inutile excrementum feces. Aliter secundum Galenum etiam alimentum chilus totus excrementum vtile pituita, inutile autem feces. In secunda coctione alimentum sanguis, vtile excrementum humores singuli, qui in vasis seruantur, inutile vrina. Alter secundum eundem, alimentum & sunt quatuor humores potestate in venis contenti: excrementum vtile, humores in vasis seruati, excrementum inutile vrina. Aliter, & consurgunt quatuor diuisionis membra secundum Principem. Sed cum non sim medicus, nec tam diligens inquisitio huic proposito sit necessaria, huiusmodi contenti erimus. In tertia autem coctione alimentum, quod transit in membra, inutile excrementum, vapor, ac sudor, vtile autem semen. Aliud supponendum, quod est luce clarius: cibus debet concoqui à calore, calor in senibus est minor, ergo senes, vt magis senescunt faciliori coctione indigent alimenti, aliter, vt dixi, vitiabitur alimentū, non solū excremēta augebūtur, & vitiabūtur. Dixi enim quatuor esse incommoda, primum vt excremēta inutilia augeātur, secundū vt augeantur excremēta inutilia, & minuatur alimentū; tertiū, vt augeātur omnia excrementa, & vitiētur, & minuatur alimentum; quartum, vt excrementa omnia augeantur, vitientúrque; ipsum autem alimentum minuatur, & vitietur, quod palàm est adeò esse malum, vt pessimum sit, & mortem afferat, cum reliqua morbos graues iuxta ordinem dictum maiores, & minores pariant; in ea autem ætate etiam insanabiles. Oportet ergò vt facilius concoquatur alimentum, vt melius, & vt paucius, quia minus absumitur: vt

Ex triplici coctione quid producatur.

Ex vitiata coctione quatuor incommoda.

ergò

ergò facilius concoquatur, ex agentis parte duo tantum sunt auxilia, vt calor excitetur, & hoc exercitatione, & vocatis Elysir; vt verò amoueantur impedimenta, & eadem exercitatione, & leui euacuatione opus esset, verum vires neutrum ferunt, si graue sit, ergò ad materiam, quæ concoquitur potius, quam ad calorem ipsum confugiendum est. Ergò cum duo quæramus, vt cibus facilius concoquatur, & melius; atque id vnum est, quanquam duo esse credantur, quoniam vnum ex alio sequitur, & vt parum nutriant, parua quantitas cibi in vtroque auxiliabitur, Secundum vt ex qualitate facilè concoquatur, & mediocriter alat; nam si plurimum, repugnabit secundæ intentioni; si parum oportebit plurimum cibum assumere, atque ita difficile concoquetur. Tertium est, vt multa aqua subactum, & multo igne concoctu facilis coctionis reddatur. Ergò vt sensim calor minuetur, ita videntur hæc temperanda, atque ciborum quantitas minuenda, augenda facilitas tum ex illorum natura, tum ex arte, seu vt dixi coctione.

Cibi conditiones.

Ci. Videris mihi egregius medicus, quomodo id fieri potest?

Er. Librum illum, vt dixi, hoc toto Autumno legi.

Ci. Plus præstitit auctor ille, quàm Thessalus: nam Thessalus sex menses exposcebat, hic auctor duos vix.

Er. Iocaris, nam solum vnum de sanitate tuenda scopum hac in parte attingit. Etsi vis omnem rationem tuendæ sanitatis: ea autem est vix quinta pars totius artis.

Ci. Imò ea sola tres partes continet, vt sit longè maior dimidio.

Er. Nugas agis, & rides: sed si placet, sequamur, nondum enim ad medium deueni.

Ci. Sequaris, nam ego existimabam te conclusisse sermonem.

Er. Vah quid ais? Ergo vt sensim hæc mutatio fiat, omnis ratio suadet: Experimentum contrarium docet in illis tribus viris. Itaque hæremus in vado iam. Oportet nos explicare ex eo: inquit Cornarius videns, quæ obiici possent. Natura paucis, moderatisque humoribus prædita meliores efficit operationes, atque concoctiones; vnde membra redduntur robustiora; ex quo robore longior euadit vita, & incolumior, vt statim ab initio danda opera sit huic moderationi vitæ, & quanto citius, tanto melius. Addo duas alias rationes; prima mutatio consuetudinis est periculosa, ergò quanto rarius fit, tanto melius. Optimum igitur est, vt tantum semel se ad hanc victus rationem accommodet non sæpius. Secunda est, quod in mutationibus periculum est de errore, ergò quanto rarius fit, res est tutior. Et verè in facienda huiusmodi mutatione oportet consumere multos dies, ne homo ad nimis tenuem, aut crassam deueniat. Sed contradices ex Hippocrate, qui iubet senibus non dandos cibos multos; habentibus autem multum calorem non solum vtile esse dicit multum alimentum, sed necessarium,

Natura quãdo efficit meliores operationes.

Contradictio ex Hippocrat.

alioquin, inquit corpus absumitur: si ergo in triginta sex annis dederis tam parum cibi, quantum in septuaginta, ergò vel in triginta sex annis corpus absumetur, vel in septuaginta calor suffocabitur; aut vtrunque vt eueniat, necesse erit.

Ci. Hoc sanè videtur argumentum validum, nec scio quid possit responderi.

Er. Bifariàm possumus dicere, vel casu conuenisse ab initio huiusmodi victum tenuem, quia plus non poterat concoquere ventriculus ob imbecillitatem, cum is ægrotaret. Et ita quantum calor est in posterum diminutus, tantum vis ventriculi est adaucta, & confirmata. Ita in hoc casu videtur occasio eripuisse modum cognoscendi, & diiudicandi rationem victus, & hanc dubitationem. Aliter & generaliter (quod solum, vt reor dici potest verè) dicendum esset, quod cibus in iuuenta est sufficiens pro calore naturali illo (nam aliter esset error) & quantitas educitur alimenti ex illo cibo maior in iuuenta, quàm in senectute, quia temperatura hominis est humidior. In senectute ergo ex eadem quantitate cibi minus educitur, & æqualiter elaboratum, & siccius.

Responsio.

Ci. Ista satisfaciunt modo possis ostendere vera esse.

Er. Rectè dicis; sed incipiam à siccitate. Si enim nutrimentum debet, esse simile ei, quod nutritur, & in senectute corpus est siccius; igitur præstat alimentum esse siccius. Pari ratione, & paucis ne calor obruatur à multo alimento. Sed & æquè benè concoctum, id ratione finis aliter in morbos incideret, & breuior vita euaderet. Sed & si minus exugitur alimenti æqualiter poterit concoqui ab exiguo calore, vt maior quantitas à maiore calore, nonne?

Victus in senibus qualis.

Ci. Hæc clara sunt, & perspicua, & quod ita esse debeat, necessarium manifestè est. At solummodo ostendere oporteret, qualiter minus alimenti detrahatur ex eodem cibo in senectute, & siccius; nam de minori alimento experimentum docet, quod minor ignis minus olei detrahit, quis dubitat? Sed quomodo siccius futurum sit non video, sed humidius potius, quemadmodum in destillationibus contingit: quanto enim magis elaborata, eo magis etiam terrea sunt, ac licciora, quæ prodeunt.

Er. Non est facilè hoc certè demonstrare, nihilominus siquis rem animaduertat, quonammodo caro assata contrahatur, elixa distenditur, & dilatatur: Similiter & pingue quod defluit ex assatione est crassum, ac siccius manifestè, quam in elixatione, ita calor senis siccus minus exsugit humidi, & illud etiam siccius, ac crassius efficit: quarè fieri potest, vt eadem ratio victus moderata satisfaciat in omni ætate, quæ sit vltra incrementum. Atque ita esse credo, postquam experimentum respondet rei. Quinimo vidi ego Io. Baptistam de Iustis Cæsenatem, (de quo aliàs etiam mentionem faciemus) qui parum illud, quod edit in multas vices partitur, & nunc nonagesimum octauum annum agit, verum si quis moderationem

Calor siccus senis minus exsugit humidi.

sequatur, & ad faciliora transeant in dies melius acturum arbitror. Sed ad obiecta veniendum est, vt clarius veritas patefiat.

Responsio ad primam obiectionem ex 7. circa modum sobrietatis.

Primum, ac validissimum certè fundamentum est tantam mutationem periculosam esse cum ex longè minoribus plures interierint. Et quamquam his, quos nuper dixi, res benè cesserit, id contigit, quoniam omninò perseuerantibus in priore institutione pereundum erat, quid mirum est satius fuisse tentare fortunam. At audacissimi viri esse crediderim, cum alioquin sanus sit, tantam velle in viuendo mutationem tentare, sed si contingeret occasio huiusmodi dicam quid facturus essem. Principio ergo detraherem duodecimam partem cibi, ac potus, ita tamen, vt potus cibo æquaretur; deinde post quindecim dies, si melius me habere perciperem, duodecimam rursus residui detraherem, atque ita per mensem experirer, atque eo vsque semper duodecimam residui auferendo, donec relinqueretur, quantum vires ferrent, nec vllum sequeretur incommodum.

Phil. Tum ego rogaui, vt clariore sermone rem explicaret, locupletique exemplo.

Exemplum circa detractionem cibi, & potus.

Er. Petis vt rem exponam exemplo, & faciam libenter; res est nimis vtilis hæc. Bibat quis vini, & aquæ in singulos dies vncias sexaginta, edat triginta duas; subtraham vinum, aquamve, & redigam ad quinquaginta; cibum verò ad viginti octo, vncias & si meliusculè se habuerit post quindecim dies redigam potum ad quadraginta vncias, cibum ad viginti quinque, post mensem si meliusculè se habuerit, potum quidem ad triginta vncias, cibum ad viginti vncias, & vsque ad viginti duas: atque in hoc proposito permanebo per integros duos menses. Quod si rectè se habuerit, sed tamen non plenè, potum quidem redigam ad viginti quatuor vncias, cibum vero ad decem octo, interim perseuerabo in hac viuendi ratione per anni dimidium; fieri non potest, vt error siquis contingat non detegatur, seu nimiæ ariditatis, seu humoris nimij, seu cibi tenuioris, seu plenioris, seu quod in vtroque peccetur. Quod si superflua sint ambo, (quod ex copia excrementorum dignoscitur) rem adhuc mutabimus, cibum quidem ad sexdecim vncias contrahendo, potum ad decem octo, atque ita per annum totum, nisi euidens malum appareat, experiemur. Demum si neque hoc sufficiat, retrahemus cibum, potumque ad quatuordecim vncias; post etiam ad duodecim, si adhuc excrementa abundauerint. Vnde patet (dicit ille liber) malè naturam senum intellectam esse à Galeno: neque enim abundant senes pituita, si rectè regantur; at cum abundant, signum est non rectè regi; non ergo simul, sed sensim, & per longa temporis spatia tentare oportet hanc mutationem, sicque tuta erit.

Malè natura senem intellecta à Galeno.

Ci. Sed hoc non videtur sufficere; nam non mutatio ipsa periculosa est, sed quod ex mutatione consequitur. Vnde aberrant grauiter, qui putant Germanum si in Aphricam transeat, periclitari de vita [contingit enim hoc in his, qui æstiuo tempore ex Marsis, quos nunc Abrucenses vocant, Neapolim transeunt interiectu centum millium passuum vix, sed pro miraculo, cum sit recta à Borea ad meridiem; Marsique exporrecti sint vento boreali, protecti ab australi, contra Neapolis.] Sed quòd quanto diutius moram ibi traxerint, tanto maiore sunt in periculo; velut etiam in mutatione ætatum, quoniam temperamentum, nulla est sine magno metu, atque periculo. Cum ergo ex ea victus ratione, adeò mutetur temperamentum, & membra, quæ plurimo humore mandescere consueuerunt, eo destituuntur, contrahuntur, siccantur, obstruuntur, melancholiaque abundant, somni minuuntur, morbique lethiferi superueniunt. Si ergo quanto diutius hoc processerit eò maiore in periculo versatur homo, quàm temerariè, ac inconsultè quis se huic tanto discrimini exposuerit; vbi quanto magis processerit, periculum augetur.

Er. Non facilè assenserim tibi ô Maurocene, quod homo quanto diutius moretur in aliena Prouincia, & maximè contrarij temperamenti Patriæ suæ, eo magis periculo obnoxius sit, nam scimus quosdam Lusitanos in Æthiopia consenuisse, alios Indos in Hispania, Germanos in Italia; quin imò videmus Longobardos, vt ita dicam, euntes Romam, aut breui interire, aut si paululum restiterint, postmodum incolumes ibi degere. Multa commoda tempus affert, vsum, scientiam rerum, munimenta, quietem, quæ cum desint in principio longè maius est periculum. Sed & in mutatione victus alia longè ratio est, quam in aëris mutatione; aëris enim mutatio & mala est, & rarò bona, aut nunquam: at victus recta ratio per se semper vtilis est. Quo circa, vt dixi, cum sensim ad hanc accedamus, ad illam repentè; hæc victus tutior longè est, quam mutatio regionis.

Aëris mutatio rarò bona, aut nunquam.

Ci. Consuleres ergo, vt hanc inirem victus rationem?

Er. Dicam de omnibus quid sentiam, nunc ad obiecta respondendum mihi duxi.

Responsio ad secundam obiectionem.

Ad secundam ergo rationem dico, ventriculum non periclitari vllo modo, cum is primas partes sibi chili pro nutritione vendicet, vt neque illi, neque iecori, nec cordi deesse quidquam possit, quod etiam à Galeno scriptum refert. Forsan non malè coniectaremur in huiusmodi casibus primum affici cerebrum, quod est satis verisimile, nam, vt dixi ventriculus primum recipit cibum, estque dominus omnium ante alia membra. Iecur primum exsugit totum chylum, vt se aliis membris non subministret, satis illi sit, vt vix etiam in magna fame macrescat: Cor vt tyrannus violentissimus omnia etiam vi summa ad se trahit, cerebro nihil horum adest, quo sibi plus arroget: nam & procul est, & portionem solum alimenti delegati aliorum arbitrio membrorum recipit: nec cum exangue sit, validam habet vim attrahendi. Sed vt primùm quis læditur, oculi obtenebrantur, homo in incertum it; vigor mentis hebetatur; ideóque tùm si hoc incidat, desistendum ab ea

Libro de Marcore.

ca victus ratione. Nonnunquam contingit quibusdam viris, quod calidiorem habeant ventriculum, vt obtenebretur visus ob bilem, quæ in illum influat, his incommoda forsan fuerit hæc tam tenuis victus ratio; aut dandi sunt cibi duriores, qui diutius maneant in ventriculo: velut carnes apri, aut vituli, aut leporis: neque enim idem pondus cibi æqualiter nutrit, nec æqualiter satiat, nec æquali tempore moram in ventriculo trahit. Optime autem consuluit Cornarius vitellum oui quotidie assumendo, vt esset, quo nutriretur ventriculus commodè, idque certè vtile est in omni ætate. Sed neque dubium est assumi illum oportere ante alios cibos concretum, & coctum in validiore ventriculo, molle autem, & apalum, vt dicunt in imbecilliore. Atque id negari non potest, quin sit optima ratione factum.

Cibi inæqualitas.

Ad tertiam obiectionem responsio.

Ad tertiam non tam difficile est respondere: nam hæc quantitas cibi tam pauca his, qui plurimum exercitantur periculosa esset; sed tamen & ille dixit non repleri, & impigrum esse ad labores, atque hæc de communi victus ratione. De hac autem liquet, non debere eum, qui tam tenui victu vtitur, exerceri vltra deambulationes, & eas sufficientes, sed quæ omnino ab omni sensu lassitudinis, atque molestiæ sint.

Ad quartã dubitationẽ.

Quod vero obiicis de errore non ita est; nam statim quidem magis patiuntur, non tamen ægrotant, quia prauis humoribus carent; nec bonorum copiam, quæ prægrauet, habent: sin vero dolore, & pondere, atque anxietate premantur, vomitu liberari facilè possunt. Errant ergo, qui putant repentinas illas mortes, quæ repletis cibo superueniunt, contingere solum ob repletionem; sed contingunt magis ob humorum repletionem præcedentem.

Ad quintam docui modum, vt sensim in singulis experiendum sit.

Ad sextam dubitationem.

Maior sanè est dubitatio, quæ sequitur, scilicet an hoc conueniat tantum imbecillem habentibus facultatem naturalem, seu in ventriculo, seu in iecore?

Et sanè dubium non est, hoc tam esse necessarium, quàm vtile: neque incommodum vllum in huiusmodi affert, magis ergo his cõuenit, quam sanis hominibus: an autem solis ægris, iam vt dixi, declaratum est sanum ventriculum, vt etiam corpora sana exigere maiorem cibum, & ferre: Ergò in sano ventriculo etiam huiusmodi tenuitas victus conueniet; sed non adeò exquisita, nec erit tam necessaria, quæ debita est; nec tam tuta, quæ est tenuis valde, nihilominus debita conueniet. Quærit quispiam quando inuentum hoc? quod sciam non ante nos: sed quid obest, quam multa alia Typographica, bellicarum machinarum ignearum, pyxidis nauticæ, tum multa alia; vel quod essent admirabilia, vel parum grata, vel obscura ratione constarent. Hæc & si forsan non obscura sit, est tamen admirabilis, parumque gratum inuentum ad vtilissimam rem. Cui bono dicis? imo senibus perquam necessaria, qui vndequaque collabuntur.

Ad septimã obiectionem.

Rogas an in senectute mutanda sit consuetudo: nulla sanè, nisi quæ sit cum euidenti vtilitate. Nonnè vides hic nihil mutari, non horas, non consuetudinem cœnæ, & prandij, sed omnia remitti. Non tam acres, & exacti iudices debemus esse tuendæ consuetudinis, vt nolimus labores remitti ea ætate; quod si omnes, qui possunt nullo docente id agunt, & si non agant, periclitantur, cur etiam cibos non minuemus, & iuxta cibos potus; cum hæc quatuor Hippocrates se consequi tradat cibos, potus, somnos, atque labores. Dicis experimenta esse fortuita; non equidem; nec nunc primum inchoatam hanc rationem, sed animaduersam. Nam antea plures non prandebant, alij parum cœnabant, alij modicum sumebant cibum, quidam circumscriptum, alij alia ratione, quæ omnia eò spectabant, vt cibum constanter senes modicum caperent. Itaque cum hæc diuersa ratione constare viderentur, demùm deprehensum est, eam esse vnam paucitatem, scilicet ob id maiores nostri in regulam constantem hoc non adegerint, sed in diuersos modos. Quin imò Galenus, medici, & grammatici, & rustici vitæ longitudinem ita diuersam esse existimauerit, vt cum hoc esset principale propositum, & primus scopus, non ausus sit aliquam de eo assignare methodum, aut rationem; sed diuersa scribendo in omnibus mendacem, & inutilem se exhibuit. Quare de consuetudinibus illis mutatis, cum per se non essent bonæ, nil mirum est omnes aberrasse; vt etiam nostra ætate nimis Galenicus Curtius mutando consuetudinem vberioris prandij iam antiquam in copiosiorem cœnam, Pont. Max. Clementem septimum occidit, quoniam hæc consuetudo non erat per se contraria diuturnitati vitæ, vt nec mutatio vtilis, sed alio spectabant, scilicet ad commodiorem coctionẽ, & hoc multa habebat pericula, & impedimenta, sed cibi diminutio nulla prorsus, nisi cum fuerit nimis magna; nam in aliis volo seruandam esse consuetudinem. Dicis, non bene concoquet ventriculus parum cibi, quia non amplectetur, nec concludetur perfectè? Hoc forsan verum est, sed ad perfectam coctionem non necessarium est, vt perfectè concludatur: cum omnes bibere possint à cibo, & transmittere cum volunt: neque est necessitas huius, vt in conceptione de vtero. Sed quod amplectatur optimè, hoc verum non est. Et si dicas vacuum spatium superius relinqui; at hoc necessarium est, & secus malè agitur in his, qui adeò se replent, vt ad gulam vsque potus perueniat. Quin imò si superabundet, puto iecur id, quod superfluum est ad se statim trahere, vt chylus æquetur, & propriam, ac debitam retineat spissitudinem.

Responsio ad rationes adductas pro obiectionibus.

Mors Clementis Septimi P. M.

Ad famem sustinendam tria præsidia.

Quomodo famem sustinere possit, tria sunt præsidia, consuetudo, mora, & cibi natura, at de hac cras dicemus. Consuetudo ergo, quod cum pauci dies præterierint, & si in primis diebus statim ab assumpto cibo solito minore famescat, & à potu sitiat, post paruulos dies cessabit vtrumque. Deinde quod post horæ dimidium ab assumpto cibo,

cibo, etiamsi aliter sit consuetus plus sumere, nihilominus cessare solet fames, cum ventriculus concalefactus, vt concoquat, non vt trahat, laborat. Qualibus cibis vsurus sit, cras docebo, cum etiam vsum meum, quem vidistis, clarius, & exactius exponam.

Seni labores noxij.

De laboribus dixi seni etiam, si victu exquisito non vtatur, labores omnino noxios esse. Et vt vtenti exquisita victus ratione grauiores sunt, ita non vtenti longè periculosiores: est enim velle iuuenem in vtroque agere, quod omnino lachrymabile est; potius, quàm ridiculum, & exitialis ostentatio. Vnde valeat Plinius Secundus cum suo Spurinna tametsi dicat; Inde illi post septimum, & septuagesimum annum aurium, oculorumque vigor, inde agile, & viuidum corpus, solaque ex senectute prudentia. Quàtum refert hominem artis esse peritum, qui scribat, aut falcem ponere in messem alienam. Hunc Spurinnam si huic ostentationi operam non dedisset, constat centum, & amplius annis viuere potuisse, quem tamen quod amplius illius non meminerit, constat paulo post obiisse. Quod enim mentionem faciat studiorum, hoc est, vt dici solet, miscet quadrata rotundis. Hæc enim ea ætate gloriosa sunt, & vtilia, & innoxia; & si etiam noxia essent, adeo decora sunt seni, vitam studiis posthabendam esse ducerem. Sed iam sumus extrà hanc aleam? nihil enim vtilius seni ipsa contemplatione: quod aliquando sum ostensurus, si vos tandiu apud me diuersitati fueritis, vt quæ in animo habeo possim explicare. De somno non habebo sermonem, sed si sobrietas vtilis est ad omnes actiones, etiam ad moderatum somni vsum non erit incommoda.

Responsio ad exempla pro dubiis allatis.

Tandem vrges exemplis contrariis, multos ad longam peruenisse ætatem, qui eiusmodi abstinentia minimè vsi sunt; nec eorum, qui ad illam peruenerint, quemquam adeò abstinentem fuisse. Nec æquam fuisse hominibus naturam, si eum nobis ingenerasset appetitum, quo vita, & salus adimerentur. Verum id naturale cuique esse, quod vtile etiam illi est, & ad optimum finem; nam de cupediis haud obscurum est tàm longè abesse ab auxiliis producendæ vitæ, atque salubritatis, quam etiam absunt à bonis moribus, & naturali affectu. At ego id dicam, omnes qui diù vixere, dico valde diù, aut robustissimos fuisse adeò, vt si sine hac norma tandiù vixerunt, longius fuisse victuros; aut defluxionem aliquam naturalem, non dico artificiosam passos; quales sunt hæmorroides, vlcera crurum, bubones quidam anniuersarij, aut lepra perpetua, aut temporanea; aut omnino abstinuisse à cibo, si non hoc, alio ordine. Quidam enim singulis septem diebus nihil edunt; quidam ter in singulis septem diebus solo prandio contenti sunt; alij alia ratione, vt res ad idem redeat.

Cur multi sine regula diu vixere.

Ad naturã ars plurimum confert.

Quia vero obiicis vitam hominis fato, aut natura constare: de fato locis suis satisfactum est; nam idem argumentum si efficax esset demonstraret non esse serendum, vt meteremus; non esse edendum, vt satiaremur in fame, non opus esse industria, aut labore ad diuitias parandas; quid turpius, quid absurdius? Ad naturam autem ars plurimum confert; qui vocem habent vitiatam nulla musica canori euadunt; attamen & qui bonam habent vocem, non fiunt sine arte musici. In cunctis magnis rebus naturam pro subiecto, artem pro adminiculo habere oportet. Sed & omnibus ars semper vtilis fuit. Verum cum salubritatem docere velimus alios; nos ipsos nobis vt in fabula, non male consulere decet, namque hora iam quarta noctis, vt audiuistis, exacta est.

Ph. Itaque cœnam exinde parauimus, ac discubuimus. A cœna attulit Eremita vasculum, colluitque os.

Hic *Ciuis.* Cur id agis?

Er. Moris est singulo mense bis hoc facere: vides adhuc manere dentes; atque si tempestiuè id cognouissem, forsan & reliqui, qui exciderunt manerent.

Ci. Quonam constat?

Er. Vino græco; & annus est octauus, ex quo confeci illud delato per amicum, qui fortè hac transiit. Modus est hic, in octo libras eius vini vncias quatuor optimi cinnamomi, & semivnciam aluminis communis, quod Rochæ vocant, incoquo donec tertia pars absumatur, atque ita seruaui.

Vinum pro Dentium custodia.

Ph. Mane facto sequentis diei surreximus, ambulauimus; dies erat admodum serena, & clara, sed frigida; flauerat enim, vt opinor nocte tota Boreas ventus sub monte ad austrum spectante, limaces ad centum collegimus, conclusas testas, cyprinosque in piscina piscati sumus, olera collegimus, & præsertim betas, & rorem marinum inuenimus, & paucula tubera, lætique domum reuertimur. Paramus prandium tempestiuè hora siquidem sextadecima; atque ego interim equos curaueram: cœnatio iucunda, ac quasi tepida occlusis foribus, atque accenso igne inuitabat nos ad audiendum, quæ supererant. Itaque Ciuis noster inquit.

Ci. Nunquam piguit ô generose, neque vt opinor, pigebit huius itineris, atque aduentus ad te, cum multa non solum commoda in vita didicerimus, sed etiam sim expertus; vt videaris supra expectationem beatè viuere, non tantum beatam vitam expectare. Verum nulla mihi dices pulchrior affulsit ab ipso aduentu meo in hanc tuam domum. Videoque nec deesse necessaria, nec cupedias ipsas. Sed rogo te, an solum causa nostra tam splendidè conuiuaris? an antea etiam? nam vt video nihil tibi deest.

Er. Intelligo quid velis: aues cognoscere quonam pacto ad tantam peruenerim senectutem, præsertim tam integer corpore. Vita mea, vt cælestium corporum motus, & Populi Romani instituta, neque omnino simplex, ac vndequaque similis, neque varia, sed constant, atque æqualis varietatem non paruam continet. Non eadem mihi ratio victus, quam cum Eremum ingressus fui;

Eremitæ victus norma, ac vera ratio.

fui; nec eadem æstate, quæ hyeme; nec eadem diebus sacris, ac vulgaribus: non eadem etiam cum me exercui, & cum quiesco niuibus obsitus. Maximus, vt dixi, labor est colligendorum lignorum, sed & tritici, post fructuum, reliqua non sunt varia, sed exercitatio quædam. Olim quod tam corpore prægrandi cum non possem mediocri cibo satiari, spumam lactis cum pane edere solebam, vt paucis vnciis appetitui satisfacerem; & cum biliosus ventriculus, vt citò quod in eo continebatur, dissolueretur, castaneas assatas cum pane vsitabam. Nunc verò ab hoc incommodo liber sum, sed quandoque videntur deficere sensus; tum verò relictis aliis, vitellis ouorum cum pane vescor; nunquam tamen pondus transgredior, plerumque infra subsisto; horum causas gallinas has cælibes alo: hoc enim auium genus, vt nostris, etiam sine gallo fœcundum est. At multitudini cibi dum antea ventriculus latraret, succurri panico pro ferculo sumpto, leue enim est, & parum nutrit, item pane spongioso, quem è flore farinæ multa aqua subacto, eaque leuissima conficiebam, oleribus præterea leuibus in iure testudinum, aut piscium coctis, abiecto demum ipso iure. Tum verò & mel coctum, & despumatum, atque aqua mixtum, non secus ac lac in spumam suauem redigere soleo, videtis instrumentum. Sed & panem contero, additaque aqua denuò cum mellis modico, & olei panem efficio foliatum, & rotundum, quem nebulam vocare solent. Atque hæc prima fuit generalis ratio victus mei. Ad secundam duxi ab ætate cum in Eremum, vt dixi, quinquagesimum nonum agebam ætatis annum; tum verò cibi, & potus ad xxxx. vncias sumebam singulo die: vbi sexagesimum excessi contraxi ad xxxvi. à septuagesimo autem ad octuagesimum vsque xxxij. vnciis contentus fui, post verò vsque ad nonagesimum xxvi. tantum sumebam. Post non sum ausus quicquam auferre, memor quod Cornarius repetat toties quam sit parua, & exilis hæc quantitas. Sed tertiam inuexi, vt sorbitionibus magis vterer, ac liquidioribus. Posthac si opus erit ad extremam deueniā. Sed prius quartam exponam rationem, quam obseruaui, scilicet, mediis vt temporibus anni æqualem facerem potum cibo; æstate plus potus, minus cibi, hyeme plus cibi & minus potus contraria ratione. Sed & quintam rationem obseruaui, vt hyeme plus nutrientibus, minusque coctis vterer, æstate opposito modo coctiora, sed quæ minus nutrirent, memor dicti illius, ventres hyeme, & vere natura calidissimi, & somni longissimi: in his ergo temporibus alimenta plura danda sunt. Cum ergo ex præscripto totius summæ potus, ac cibi, non liceret variare quantitatem tribus his præsidiis visus sum, vt hyeme plus cibi, & qui plus nutriret, vt calori magis consumenti satisfieret, darem; at & minus coctum, vt diutius in ventriculo moraretur; ita enim consulit ille liber: sic æstate contrario modo singula mediis temporibus, quasi medio modo, sed

Olera cocta in iure testudinum.

Mutatio victus secundum ætates.

Obseruatio per anni tempora.

tamen ita, vt ver hyemi, autumnum æstati magis assimilarem; cocta magis, & minus quæ nutrirent dando autumno; vere autem minus cocta, & quæ magis nutrirent; vt non esset similitudo inter ver, & autumnum; nisi quod parem facio in his temporibus potum cibo. Cæterum nec in reliquis tam dispar est ratio autumni à vere, quàm æstatis ab hyeme. In posterum ergo si hæ quinque rationes sufficiant, ad extremam deueniam, scilicet, vt cibum, & potum in tres partes diuidam; magis enim occurritur incumbenti debilitati cerebri, de quo, vt ille dicit, & experimentum aliquoties me admonuit, magis timendum est, & facilius concoquitur dimidium cibi in dimidio temporis, quàm duplum in duplo: quod ille probat hoc experimento, quia homo facilius mediocriter ambulando feret pondus duarum librarum, quas soleas commodè deferre potest, quàm quatuor duplo lentius ambulando. Et quid opus est his similitudinibus? iam nunc aliquando experior, quoniam si parum cibi manè assumam, longè celerius esurio, quam sit pro ratione diminutionis cibi, quàm feci, vt clarum sit exiguum cibum mansum, celerrimè, & facillimè confici; ideò necessarium, & perutilem esse senibus extremam ætatem agentibus: vnde etiam in languentibus cum in extremo fuerint imbecillitatis virium sumpta est consuetudo partiendi cibum in plures partes, & per tempora: quamquam postmodum & in hoc excedant: nam sufficiat singulis sex horis; vt ad summum in senibus ter, in ægris autem debilibus quacumque sint ætate quater. Sed & (vt ad institutum redeam) potus copiosior æstate, & autumno, quam cibus melius satisfacit naturæ, & magis sitienti, & sudorem excernenti, & vaporem copiosiorem. Contra hyeme, & vere minus sitiunt, non sudant, minus vaporis exhalant, magisque esuriunt. His ergo rationibus vitam, vt videtis, satis incolumem vsque nunc duxi; non violenter defensis sensibus omnibus integris, sed naturaliter, & placidè seruatis, vt neque oculi cæcutiant, nec aures grauius audiant, quam prius, nec vox rauca euadat, nec tussis infestet.

Alia victus ratio.

Modus partiendi cibum.

Ci. Placet mihi modus hic, & rationi longè plus congruit, quàm ille ciuis nostri, sed facilè est inuentis addere. Verum existimas ne prandij, & cœnæ rationem ad hoc esse necessariam?

Er. Res aperta est; nemo non agnoscit opportunitatem, siquidem hoc primum principaliter, nec ad valetudinem tuendam, nec ad producendam vitam est necessarium: sed est modus quidam, in quo attendere oportet consuetudinem.

De cena & prandij ratione.

Ad occasionem verò respiciendum, si vel tardè prandendum, vel à prandio laborandum, scribendum, studendumvè, leuiter prandere oportet, cænare vberius. At si tempestiuè prandendum, vigilandum nocte, prandium cæna maius sit, cæteraque hac ratione.

Ci. Optimè videris illius libri rationem tenere, vt nihil melius, atque is liber talis esse

esse videtur, vt rem hanc optimè doceat. Sed quædam tamen, si non plura addis, deesse videntur.

Er. Quænam?

Proponit tria dubia. *Ci.* Tria, primum quod post extremam illam senectam non subsistendum esse ducerem in ea quantitate cibi, sed si imminuatur, & cibus pluris alimenti loco eius substituatur, adhuc progredi poterit, vt sint septem non sex obseruationes; velut si quis panis vncias quatuor, mellis & ouorum vncias duas offerat; panis autem ex iure sit, erunt vnciæ decem cibi, quæ nutriant pro vndecim cum dimidia, adiecto ferculo: vndecim autem cum dimidia tanto minores sunt tredecim, quanto calor centesimi anni minor est calore agentis nonagesimum quintum annum. Quod etiam experimento consenti: nam Cæsanas ille, vt audiui fermè vino solo nutritur, quod in nutriendo non imbecille sit comparatione habita ad concoctionis facilitatem.

Aliud quod desiderabam est, quod non docuisti, quando incipiendum sit; nam & si in habentibus ventriculum imbecillem quacumque ætate imbecillitas inchoauerit, docueris statim esse incipiendum, hoc, non tam ob vtilitatem, quàm necessario facere oportet; at in sanis cum plus cibi ferant, quam ægri, plusque sit necessarium, vel non eodem tempore, vel non tam exquisita victus ratione vti oportere.

Optarem demum scire rationem huius abstinentiæ veram. Siquidem quod prima fronte videmus, apparet naturalem calorem imminui bifariam, & subtracto fomento, & exercitatione sublata, quam auferre necesse est adeò imminutis ex inedia viribus. Quinimò tales vix consistere possunt, nec tuto incedunt: neque sibi incedere tutò posse videntur. Omnia igitur hæc explicare diligenter ne graueris; quæ si in eo libro scripta sunt, facilè erunt; si noua, tanto admirabiliora: nam etsi animi immortalitas nobilior sit, & longè dignior inquisitione; plures tamen maximè ex beatis istis, atque potentioribus inuenias, qui vitæ huius longitudinem, atque sensuum ad extremam senectam incolumitatem præoptent, quàm animi immortalitatem.

Phil. Subticuit paululum ad hæc verba admiranti similis Guascus, deinde sic orsus est.

Naturalis inclinatio ad vitam producendam. Ad primam dubitationẽ Responsio. *Er.* Non absurdè ô Maurocene & pro dignitate tua dubitasti, atque eo magis id mihi iucundum est, quod in rem meam facere id posset, natura enim non solum ad vitam producendam procliues sumus, sed etiam ad spem vitæ ipsius producendæ. Verùm quod mouit eum auctorem, vt hoc septimum non adiiceret, existimo fuisse; vel quòd omnino ex aliis dictis manifestum foret; vel quòd parua esset spes in tam decrepita ætate: aut quoniam cum eò peruentum fuerit, multiplicato cibo copiosi alimenti, velut ouorum fiunt multæ obstru- *Ad secundam.* ctiones, vt parùm supersint, quod in matre sua experimento comperisse ait, quamquam iam ægra esset, vt non satis constaret, an morbo, an sola ratione multitudinis ouorum obierit. Quod autem venit in mentem est, si modo ad hoc genus auxilij confugiendum sit, nil melius esse, quam lac melli puro mistum, aut lac cum vitellis ouorum, & saccaro, atque id sanè vltimum. Ad aliam dubitationem censeo quanto celerius incipiendum, modo calor naturalis haud minuatur. Non ergo adeò exquisita victus ratione vti ab initio oportebit; quali autem, *Ad tertiam & est de meta abstinentia.* & quanta, statim sum dicturus, si primum vos admonuero, quàm citius illa vtemur, tanto citius corpus confirmari, solidari, atque temperari, vt in æuum durare possit. Quòd si serius incipiat, incertum est, an detrimentum acceptum ex prioribus erroribus possit emendari. Sanè si imminutum sit humidum, si factum terrestrius, nequaquam id corrigi poterit; ergo quanto citius, tanto melius. Sed cur? & quomodo? Dico metam esse huius abstinentiæ constantiam virium, robur *Podagræ salus.* sensuum, & naturalium facultatum, velut appetendi, concoquendi, excernendi, excrementa, & excrementorum non necessariorum, vt mucci, & sputi ablatio. Propter hoc esse reor, quod Hippocrates intellexit, cum dixit, quod antea etiam retulimus. Non satiari cibis, & impigrum esse ad labores. Ergo qui huiusmodi victu vtetur, non solum muccis, & sputis carebit, sed in eo, si aderunt vlcera, siccabuntur, splen detumescet, cessabunt flatus, quin etiam sanabitur omninò ex podagra. Quomodo enim fiet podadra sine vllo humore crudo? sanabitur ex malo habitu, & hydrocele: & si solum inchoauerint adhibito debito vinculo ex sarcocele, & enterocele. Quòd si bene fortunatus fuerit, etiam ex confirmatis eisdem morbis vinculo perpetuo adhibito arcto conualescet. Idem ex lachryma oculorum etiam antiqua, & ex incipiente cæcitate, seu ex obstructione, seu ex suffusione, & ex incipiente surditate, & resolutione non valida ab asthmate, tussi, atque pluribus aliis morbis, qui ex sola cruditate citra acredinem fieri solent. Ob hoc rectè admodum dixit Cornarius hanc victus rationem esse verum Elysir, & aurum potabile, quod verissimum est. Non ergò vllo modo patiemur calorem naturalem minui, imò vegetiorem, puriorẽ, alacrioremque illum faciemus. At quod obiicis in talibus abstinentiis ciborum, & potuum consuesse homines obscuritatem oculorum pati, fierique tenebricosos oculos, nec consistere in ambulando: pulchram moues dubitationem, quam perpauci intelligunt. Res autem hoc modo se habet; tenebra illa, *Explicatio ad obiectiones.* & vt homo vix consistat, non simpliciter fit ex abundantia humorum, nam omnibus plenum corpus habentibus euenirent; non ex sola virium imbecillitate; cuius rei experimentum apparuit in viro illo, qui damnatus ad mortem, cum multis diebus duabus vnciis panis, & duabus aquæ sustentaret vitam, demum pertæsus tanti supplicij ab omni aqua, & cibo abstinuit, mortuus est tredecim diebus post scilicet integris, nam quintadecima obiit, vt idem refert, nec tenebras in oculis passus est, nec incedendo

ob

ob cerebri imbecillitatem cadere timebat, sed crurum, & genuum. Si ergo inedia hoc posset, in nullo magis, quam in illo: deficit tamen visus prope mortem. Sed aliud est deficere visum subtractis spiritibus: aliud tenebras pati, vertiginem, nutare capite, quæ non nisi ex vaporibus fiunt. Hæc igitur symptomata semper accidunt ex humoribus, & vaporibus ab illis ascendentibus cum viribus imbecillibus. Ideo in repentina inedia, in sectione venæ abundanti, in violenta purgatione medicamenti accidere solent: adhuc enim humores supersunt, quantacunque fuerit euacuatio, & vires defecerunt. Ideo tales linquuntur animo, & vertiginem, & obscuritatem oculorum patiuntur. Et maximè in ipso motu humorum, ideo huiusmodi homines incurrunt hæc dum mouentur, non dum quiescunt; non quia cerebrum mouetur, vt vulgus putat, sed quia humores, qui sunt in corpore, & maximè in cerebro, vel in ventriculo. Ideo illud symptoma est argumentum repletionis humorum, & imbecillitatis virium. Vnde si quisquam exhibeat vinum, quandoque sanabit, quandoque conuulsione, aut comitiali morbo excitato interficere poterit hominem; quod periculum non est in syncope; nam syncopis potest aduenire citra humorum copiam: non autem hæc symptomata, quæ tu connumerasti. Cum ergo in huiusmodi victus ratione ritè peracta, humores, vt dixi, absumantur, & vires maximè interiorum membrorum confirmentur, manifestum est vtramque ob causam huiusmodi homines ab his symptomatibus maximè vsque ad extremum vitæ esse immunes, nedum vt sint eis magis obnoxij cæteris.

Motus vertiginis vnde.

Ci. Sed vnum dicas quæso, quod mihi nunc in mentem venit. Legisse me memini apud Xenophontem, apud Persas turpe esse spuere, aut emungere nares; quodque solo nasturtio, pane, & sale victitent, & aquam bibant. Hi ergo omnes cum exquisitissimo victu vterentur, debuerunt ad longam senectutem peruenire, quo non credendum est; verisimile enim esset tantam rem, qui laudes eius gentis etiam ab exiguis argumentis sumptas celebraret, non fuisse neglecturum.

Persarum victus, & ritus.

Ph. Paululum animo adfuit tum Eremiat, vt videretur hoc sibi nouum, & forsan arduũ quod obiiceretur; non multo post inquit.

Er. Existimo Persas non diu vixisse, non quia non senescerent, sed quia breui senescerent. Indicio est, quod Cyrum senio confectum inducit, nec tamen eo perduxit ætatis, vt annorum numero nomen eius celebretur. Regio igitur, & victus iste militaris non exquisitus, sed aridus incolumitatem quidem, & agilitatem, & tolerantiam laborum ferebant, vitæ tamen longitudini aduersabantur extenuato corpore; cum nihil esset pingue, non oua, non lac, aut carnet, aut pisces, & præter id labores, vigiliæ, & inedia, vt sine cibo aliquot diebus maneren; quis dubitat hæc tantum obesse vitæ longitudini, quantum prodessent valetudini. Itaq; ex hoc admonemur simul nos non debere extenuare regimen, & cibos simul in qualitate, & quantitate, sed in vtroque seruandam mediocritatem, ita tamen, vt in qualitate potius ad copiam, in quantitate ad tenuitatem declinemus.

Animaduersio.

Ci. Satisfecisti mihi, ergo quam iam vitam egeris, dicas si placet.

Er. Principio cum in Eremum veni, scitis qua ratione peruenerim: quem socium habuerim: & quod iam trigesimus octauus annus abhinc agitur, quo me in hanc solitudinem contuli. Narraui me vixisse annis vndecim cum socio; inde cum alio, qui sub initio præsentis anni obiit; inter prioris obitum, & aduentum secundi intercessisse annos propemodum tres; sed nec integros adeò vt ferme coactus sum sæpius viuendi normã variare. Principio ergo cæpi vitam agere consimilem socio priori, quòd ad eam omnia paratiora haberem, & quod vidissem illum iam nonagesimum annum cum hoc vitæ genere excessisse. Mortuus est enim, cum iam centesimum quintum annum ingressus esset; atque hæc memoriæ tenere vos arbitror. Ille ergo cum melle, tum ouis vesci solitus erat; panem madefaciebat in iure testudinum, nonnunquam piscium. Edebat & pisces, sed raro, in craticula coctos cum melle, cuius & copiam magnam habebat, & summam gerebat curam, & olus coctum, & lentem quandoque, sed optimè coctam. Quid plura? edebat ex omni cibo, sed duobus tantum in eadem mensa diuersis; namque nec à fructibus, nec à fungis (sed hoc tantum & primos) abstinuit. Verum ter in die, atque parum semper, & certa ratione. Æstate cum ambulasset decenter, offam panis leuissimi,) quem ego illi sedulo, neque maior cura mihi erat,) cum modico mellis edebat hora sexta, cum sex æquales horæ fermè intercessissent, oui vitellum primum, inde ferculum cum exiguo pane, & piscem in craticula assum cum melle sumebat. Post Solis occasum malum, aut pyrum coctum, & offam panis. At ego pisces cum melle edere solebam, & olera cum oleo cocta; pisces autem & ego in craticula, sed bis in die tantum cum pranderet leuius, cum cænaret opiparè. Hyeme autem secunda hora diei cum satis, & pro viribus se exercuisset per mediam, neque enim surgebat vnquam nisi peracta prima hora diei æstate ob noctium breuitatem, hyeme autem ob frigus, offam sumebat, ac vitellum oui; hora septima panem ex iure, & testudinis iecur, atque carnis illius vnciam, vsque ad binas vncias, & hæc cum melle, (credo mel suauitatis, ac salubritatis causa potius in vsu illi fuisse, quam alimenti) comedebat. Vesperi autem tertia noctis hora panem leuem cum pyro cocto, aut amygdalis contusis, vel auellanis, aut cotonei cocti parte, vel mespilis, aut etiam castanea assata cum pipere. At ego, vt dixi, cœnabam meo more lautè eadem hora. Post tres annos, & quoad vixit ille, esum olerum minui, tum cibi, ac potus quantitatem, vt nunquam trigesimam sextam vnciam excederet, rarò æquaret, ratione inita tamen, vt

Victus ratio.

Testudo multum ab authore probata.

Ouum duratum ad vires confirmandas.

vt dixi, temporum, mellisque parum, auellanarum contusarum plurimum cum piscibus, aut amygdalarum deuorabam; ter in hebdomada ouum duratum edebam ad vires, & habitum confirmandum.

Cum obiisset, sepelissemque illum auxilio socij illius, qui solis ad quartum lapidem iuxta sacellum habitabat, cum non potuissem persuadere tunc, vt mecum maneret, solus remansi. Iamque septuagesimo anno propior, cæpi ouum non durum, sed nec molle, nec album, sed solum luteum in cæna primo assumere, quem morem singulis diebus seruo; præterquam sexta feria, cuius loco, vel oua testudinis, vel piscis frixi caudam cum melle edere soleo. Tum verò etiam cibum ad vncias triginta duas cum potu ipso computando contraxi.

Oua testudinis cum melle.

Leniui labores lentius agendo, quoniam nemo erat, qui me iuuaret; tametsi enim decrepita ætate ille esset, tamen leuia quædam peragebat; velut parare prandium, ac cænam pro vtroque maximè æstate, vt laboris licet plus esset; minus tamen temporis in eo absumerem, atque ob id mitior videbatur.

Et certè res iam in angusto constituta erat, nisi spes vna consolata fuisset; nam cum vrgerem Eremitam, vt dixi, qui prope nos commorabatur, Ambrosium Varadeum Mediolanensem, vt ad me commigraret, nec possem persuadere ab initio, tandem multis præcibus motus peracto triennio ad me accessit. Ergo eo tempore adiutus illius opera rursus paucioribus ouis vsus sum, ter enim aut quater vitellum oui in septem dierum circuitu sumebam; ficuum, & fructuum, vel etiam olerum aliquanto plus.

Octuagesimo anno visus sum mihi manifestè debilior, quam antea, nec sensim ad hoc deueni, sed quasi repente, seu quod natura ita ferat, seu ob diuinum quendam mihi præfinitum cursum, atque circuitum. Rursus igitur ad oua, eaque sorbilia, vt dicunt deueni. Nam cum septem esse genera cibi boni, atque perfecti intelligerem, Carnes, Oua, Panem, Pisces sanguineos maximè qui respirant, Vuas passas, Lac, & Vinum; at quorundam ex his copia non erat, scilicet lactis, piscium huiusmodi, vini, & vuæ passæ, carnem autem mihi ex instituto præscripsissem, res ad panem, & oua deuenit. At pane solo vesci difficillimum fuisset, propterea in ouorum vsu solo post panem præsidium collocaui.

Septem genera cibi boni.

Ci. Video causam, sed demiror, quod videaris parum probare genus piscium, atque in hoc dissentis ab vniuersa Medicorum Schola, cum Hippocrates, & Galenus probent pisces petrosos. Sed quos pisces sanguineos vocas, (hoc enim nouum nomenclaturæ genus est) & exinde qui respirant quos tu probas, cum perpauci edendo vsui sint.

Er. Dico pisces sanguineos, vt Thynnum, ex equo fieri solent. Cybia, Melandria, Apolecta, & quod vocant Tynninam. Sed ex Tursione (is enim respirat) sit caro optima, & recens, & salita. Sed & Delphini iuniores edendo vsui sunt, & in vniuersum hi carnem habent, & optimam, si sint iuuenculi: pretosi autem pisces pro ægris magis sunt, quam vt robur hominis sani sustentare possint.

Pisces sanguinei qui.

Ci. At videor legisse apud Rondelletium Thynnum esse sardam.

Er. Non sibi vir ille satisfacit, cum modo è cetaceo genere, modò è sardæ illum constituat, constat circa voculas intentum nec memoria, nec iudicio valuisse quantum in hac causa necessarium fuisset.

Ci. Quem ergo sequeris!

Er. Bellonium.

Ci. At eum accusat furti Rondelletius.

Er. At bellè congruit, cum nihil simile illi sentiat Bellonius, & antea scribat, & ostendat se non solum pisces vidisse, sed piscium singulorum viscera, quæ ignorasse Rondelletium haud obscurum est. Itaque videtur, vt dici solet, pignus à custode exigere.

Ci. Ergo putas nec Cyprinos sufficere ad alendum.

Er. Vix Sturionem, imo quid vix? omnino non sufficere dicam.

Ci. Sed si libet, sequere ordinem.

Er. Post ingresso nonagesimum annum, cum fermè nihil esset, quod superadderem, redacto pondere ad viginti quatuor vncias, & diuiso cibo, ac potu iuxta normam Hieronymi Dugnani Mediolanensis prioris Eremitæ vitam duxi ad hanc diem vsque constantem, vt videtis. Sed destitutus sum duobus potioribus præsidiis, vuis passis, ac vino, quod tantum senibus conuenire puto, quantum lac infantibus. Sed etiam, si placet, sumamus cibum primum ea hora, qua secundum sumere antea solitus eram.

Ci. Displicet nobis vehementer, ô vir egregie, nos tibi tot diebus fuisse impedimento, ne posses tuum institutum ordinem, tuamque antiquam consuetudinem in ætate adeò inclinata seruare.

Er. Sed nihil putatis referre, vt reficiamur diuinis cibis? nam Deum ne putatis esse, aut bibere?

Ci. Nequaquam.

Er. An creditis hoc sciuisse antiquos, ac credidisse?

Ci. Et illud.

Er. Et eum tamen sempiternam vitam agere?

Ci. Et id quidem.

Er. At ne vos prætereat Antiquorum illud de Ambrosia, & Nectare, vt cecinit Poëta.

Iuppiter Ambrosia Satur est, & Nectare viuit.

Ci. Quid pro Nectare, & Ambrosia ducebant?

Er. Ambrosiam certum est cibum esse, vt ibi.

Ambrosiasque dapes.

Sed de Nectare alij pro cibo, ali pro potu

tu ſumpſerunt, exiſtimantes abſurdum eſſe duplici vti cibo; ſed vtcunque ſit Ambroſia eſt cognitio Dei, Nectar autem voluptas ex cognitione: his duobus enim probi homines reficiuntur, & inſtaurantur: quapropter & dulce mihi admodum eſt, atque iucundum hos vobiſcum ſerere ſermones; & vt dici ſolet θεῖον ἐξαίρω λόγον. Diuinum excipio ſermonem. Hoc licet ad alia ſoleat deflecti, Plato tamen à poëta accepit, quem in hunc ſenſum protuliſſe exiſtimandum eſt; quod diuini ſermones animam ab affectibus corporis ſeiunctam ſaturare ſoleant.

Ci. Sed tamen cum hac ſaturitate homo niſi alatur, viuere diu non poteſt; differt ſanè vitam aliquandiu.

Er. Rectè inquam: nam qui diuina non curant, cibo indigent, nec alia re ſuſtinentur. Celeſtes mentes cibo prorſus, atque potu non indigent: probi homines, & ſancti ita aluntur diuinis ſermonibus, ac bene inſtitutis, vt plurimum ab his iuuentur, non tamen prorſus ſuſtententur. Quinimò id ego egi, vt non debilior factus ſim, ſed robuſtior; tandem enim ſummam recipio potus, atque cibi, quam ante, eamque duabus partitam tantum vicibus, quam conficio, cum antea tam in tres diuidere cogerer, vt eam concoquerem. Sed eia parate prandium.

Ph. Itaque cœpimus parare prandium, diuiſimuſque Tincam ſatis grandem, abſciſſo prius capite, vt illam frigeremus; effluxit autem multum ſanguinis, exiſtimo fuiſſe maſculum piſcem; aderat & Eremita ſpectator.

Ci. Tum Ciuis. Ecce vides, quod piſcis hic ſanguinis multum habet, hic ergo ex his, quos tu laudas, erit?

Er. Par eſt, vides habere iecur, vbi iecur, ibi ſanguis. Sed etiam perfectus, nam in ſiniſtrum cordis ventriculum piſcibus, qui non reſpirant, vena inſeritur, vbi ergo hæc duo membra, ibi ſanguis; ſicut vbi pulmo, ibi reſpiratio: Meminit autem Bellonius in anatomia Thynni in corde tres incumbere quaſi fiſtulas, quarum duæ magnitudine ſunt iuglandis, pulmonis inſtar, tertia verò inquit, his adhæret tracheæ arteriæ munere fungens. Idem Delphino cum aſcribat pulmones, & Turſioni, patet Turſionem non reſpirare. Quid ergo dicis, idem erit piſcis ſanguineus & qui reſpirat? aut omnes piſces ſanguineos eſſe dicemus, quoniam nullus piſcis iecore caret? Intelligo per ſanguineum piſcem, qui multo, rubroque ſanguine abundat, velut, vt dixi, eſt Tynnus, eum verò qui reſpirat, qualis eſt Delphinus, & Turſio, carnes habere palam eſt; vnde in delitiis eſt apud Principes, & opulentos, vt exornent menſas non tam ſumptuoſo, quam vtili cibo. Reliquorũ piſcium, cũ non ſit verus ſanguis nec eſt vera caro. Caro enim non niſi ex ſanguine fit. At quod nutrit ex animali proprie caro eſt, reliqua vt ſunt proxima eius naturæ: nullus ergo piſcis, qui non reſpirat, bene nutrit; optimi tamen ſunt natura magni, ſed iuuenculi, ſcilicet Thynnus, & interfluuiales Sturio, & qui ſũt eius generis; poſt Salmo, & Trotta; & Cyprinus: reliqui multum abſunt à vero cibo. Quamquam in ſalubritate præſtent petroſi, & ex aquis dulcibus Percæ, Lucij, & quicumque in aquis puris viuunt ſquammoſi, aut valde molli carne, velut Bottæ, ſeu Capitones, & Larij lacus.

Quid intelligat per ſãguineum piſcem.

Nullus Piſcis qui non reſpirat, bene nutrit.

Ph. His dictis, diſcubuimus, tum multi ſermones habiti ſunt inter nos, quos recenſere ſuperfluum eſſet; dum verò vitam hanc, ſeu ex corde, ſeu, vt Eremitæ placeret, Ciuis laudaret, Eremita reſpondit.

Er. Certè non poſſum pœnitere mei inſtituti, & ſi aliud omnino non eſſet, quam quod tria illa commoda quæ vidi in meis duobus ſociis; ſcilicet, vitam perfectam ducere, non mori niſi ſemel, tuncque ſine dolore, vt contra peſſimum eſt, & infeliciſſimum mori acerba morte, ſæpius ante mortem mori; & dum viuitur, perfecta vita non frui.

Tria commoda vitæ ſolitariæ.

Ph. His dictis, menſam ſuſtulimus, accenſoque igne inquit Ciues.

Ci. Poſtquam mentionem feciſti ſociorum, & quod leni morte abſumpti ſunt commemoraſti, rogo, vt illorum exitum nobis, ſi placet, recites; forſan etiam non obiter hæc ipſa ſum accepturus.

Er. Libenter; atque id ex medicorum inſtituto, qui iubent nos à cibo quieſcere debere. Eſt autem recitatio huiuſmodi hiſtoriæ, quies quædam. Hieronymus Dugnanus annum agens, vt dixi, centeſimum quintum menſe Aprilis, veſpere quodam doluit paululum in ventriculo, & videbatur præter morem, quamquam iam parum videret, audiret, ambularetque, vix etiam conſiſteret, paulo languidior facie (aderat autem etiam Varadeus) vt in lectum libenter concederet; quieuit adhibitis linteis tepidis, viſuſque eſt paululum obripuiſſe. Poſtera die melius ſe habere exiſtimauit, non tamen potuit ſumere, niſi vitellum oui; vires manifeſtè deficiebant. Tertia die concidit pulſus, pedes erant frigidi, nihil ſumpſit, de diſceſſu ſuo nos admonuit. Rogauit Varadeum, vt lyra caneret carmen illud.

Mors Hieronymi Dugnani.

Rex Cælitum eſt paſtor meus
Nihil boni deerit mihi
Vberrimis in paſcuis
Amœna propter Flumina
Me ſpiritus Sanctiſſimi
Aura beata recreat.
Dulcique mentem pabulo
Nutrit ſua ſcientia.
Miſerrimus animus meus
Dum longius abit à Deo.
Errauerat procul à via,
Quæ ducit ad cæleſtium
Oras beatas; At Deus
Meæ miſertus miſeriæ
Benignitate maxima
Quæſiuit illum vltrò, & ſui
Reduxit ad caulas gregis,
Si ſola ſolus per loca
Inermis eam vbi plurima
Imago mortis territat,
Interritus perrexero
Cuſtode ſecurus Deo.
Me virga paſtor optime
Coercet errantem tua;

Reliqua non absoluit, nam vespera erat, & senex alto somno correptus est. Nil mirum, sæpius enim audieram canentem, veniebat enim ad Dugnanum tanquam magistrum diuinorum præceptorum, & instituti auctorem, atque hortatorem.

Dormiuit vero à secunda noctis hora vsque quartam quietus, inde iterum à quarta experrectus gustauit potum, atque statim in somnum decidit, dormiuitque ad sextam vsque horam. Post rursus experrectus, non delapsus est in somnum, sed interdum loquebatur, interdum quiescebat vsque ad auroram, cum tamen aliquantisper antea se iactasset. Tum verò cecinit carmen illud.

Quicunque verè spes suas locat in Deo
Immobilis semper manet
Sionis instar: nulla quem suo potest
Mutare vis vnquam loco.

Et reliqua, quæ sequuntur, accinebat lyra, & voce illo suadente Varadeus, vt posses illud dicere Virgilianum, quod de Orpheo scripsit.

Threicius quondam vates fide creditur canora
Mouisse sensus acrium ferarum,
Atque amnes tenuisse vagos.

Adeò suauiter, & præter solitum etiam morem quamquam semper esset admirabilis, vt crediderim aliunde è cælo suppetias aduenisse. Incredibilis enim fuit eius musicæ affectus, vt animos, & senis, ita enim ferebat, & mecum moueret: seu diuina aliqua illapsa suauitate, seu minister aliquis cælitum hanc insusurraret auribus armoniam nostris obtegente rem humana arte; seu quòd ob casum morientis amicis mollitis animis sonus ille per se iucundissimus adhuc dulcedinem, & suauitatem maiorem infunderet, atque alliceret ad voluptatem. Post experrectus melius loquebatur, adeo, vt diceres, non ægrotare; nam & facies splendidior, sed cibum omnem prorsus, ac potum renuebat. Sermones autem graues, atque iucundos de animi immortalitate serebat interim, quos à me postremò audietis. Perseuerauit autem vsque ad secundam noctis horam, rursusque solus carmen illud cecinit: erat enim Musicæ non mediocriter peritus.

Quousque Domine linquar in tantis malis?
O culmen, & salus mea.
Quousque pergis esse non memor mei?
Dic oro quam diu dies
Noctesque lachrymis madebo, & anxius
Deliberando distrahar;
Quousque supplicem tuæ clementiæ
Crudelis hostis opprimet.

Atque in hæc verba expirauit.

Antea verò interrogauimus, an dolorem aliquem sentiret, negauit, sed solum quandam leuem defectionem spiritus. Et bis ter titillationem quandam, quæ ex corde ad imos pedes promanaret; tum tame obtenebrari oculos, omnique sensu destitui; existimasse autem esse mortem; sed postquam resipisset, non alienam esse mortem ab huiusmodi sensu.

Ci. Sed, si placet, alterius socij etiam interitum explicato.

Er. Quilibet tam casus cognoscere nostros: sed dicam tamen; verùm non possum *Mors socij*
sine lachrymis, & quòd recens sit vulnus, & *enarratur.*
ipse diutius mecum fuerit, & longè iunior me mortuus fuerit, octuagesimum quartum enim duntaxat agebat annum; me autem reliquit longè seniorem, quam Hieron. Dugnanum; & quantum Dugnano officij præstiteram, tantum, imò longè plus hic mihi præstiterat. Hoc mense Aprilis rursus die secunda cæpit languere febricula quadam, quam primo vterque nostrum contemnebat: sed post septem dies ita ingrauescere visa est, vt decumbere cogeretur. Ego qui mihi ipsi non sufficiebam, postquam neque decumbentem releuari vidi, post tertiam diem ad sacellum quoddam longe tribus M.P. sed via difficillima perrexi, quod fortè fortuna non multo ante ibi inuenissem Sacerdotem quendam Thomam Comitem, qui illuc venisset: non tamen adhuc deliberauerat, an esset permansurus. Iuueni itaque hunc non solum ibi etiam esse, sed domunculam è lignis, stramentisque, ac luto sibi exædificasse: quo non parum lætatus sum. Nam non dubitabam roganti, vt simili in calamitate vtrique nostrum adesset non defuturum. Quod & euenit. Huius aduentu adeò recreatus est, vt quartam post diem surrexerit; vnde etiam ille, die sequenti abiit, quamquam nos illum multum, vt cum etiam illum inuenissem, rogaremus, vt nobiscum vnà manere vellet, & communi vti domicilio. Sed non est assensus is, causam ignoro, cum sit tamen admodum bonus, ac pius. Duos post dies ita concidit, vt palam esset moriturum omnino, & breui. Itaque rursus ad Thomam vado; venit illico; nihil edebat, bibebat solum, videbatur tabe laborare. Tum primũ secutus illos pulchros de beatitudine animi post mortem sermones, quos audituri estis, si vacauerit, imò si supererit tempus [conscripsi enim, tametsi non adeò eleganter, quis enim posset?] idque effecit, vt iam non misereremur, sed potius inuideremus: nam tanta dulcedine, atque hilaritate nos affecit, vt nil aliud desideraremus, quam illi iungi, & eandem subire sortem; lætabamur de sua fœlicitate, & spem de nobis ipsis concipiebamus: subiitque in mentem Homericum illud.

Tum Ioue nata Helena hic meditata est pharmaca potu;
Ac subitò iniecit medicamina rara lyæo
Vnde bibunt proceres Nepenthes inclyta succo
Gramina, quæ irarum, siue omnis cladis, & omnis
Vsque mali herbarum ducũt obliuia potu.
Hæc si mixta scyphis aliquis præsumpserit, ille
Luce illa nunquam lachrymas effundet obortas;
Non si vel genitor materque Acherontis arenas
Rapta petat Stygias, non si natumque fratremque
Coram disiectos ferro, atque in sanguine mixtos
Hoste oculis videat claris.

Ci. At

Ci. At dic quæso nouisti ne quid sit illa Nepenthe; aueo enim scire tantum arcanum.

Nepente quid sit.

Er. Helenium est, vt docet Plinius, nec decipitur. Firmum enim est argumentum, cum Helenium ab Helena postea sit appellatum. Sed puto Ægyptiam radicem esse oportere, & succum in vino administrari. Sed redeo ad propositum; cum hæc dixisset, oculis remissis, non, vt alij solent sublatis, quod initium fuit non doluisse, sed velut in somnum leuiter delapsus expirauit.

Ci. Hui hæc mors vitæ præferenda est: hæc vita Gazæ regum Orientalium. Sed videris non iure, imò immeritò conqueri, cum adeò fœliciter obierit, & etiam plenus annis: tanquam enim immaturum videris deflere, qui obierit annos natus octuaginta quatuor: vbinam gentium tandiu viuunt? vixisse Dugnanum centum quinque annis pro miraculo habendum est.

Si quis moderate viuat centesimum annum excedet.

Er. Hei mihi quòd vt video operam, & oleum, vt dici solet, perdo. Nonne prædixi tibi, siquis moderatè viuat, ni natura infælix sit, centesimum annum excessurum? Dicis vbinam tandiu viuunt? Nonne in Goa Vrbe Indiæ, & Emporio Lusitanorum, vt refert Ludouicus Frois duo erant senes, quorum vnus centesimum, & vigesimum, alter centesimum & trigesimum sextum ingressus annum ambo sacro fonte lauati id ætatis, saltabatque senior?

Ph. Hæc cum diceret, vidit Maurocenum obmurmurare in aurem mihi, & ait.

Er. Scio quid dicitis, nil refert, cum morte illum saltasse: est enim prouerbium notum. At quod ad rem refert, non præterierim illum causas attulisse scientiæ, quod tantus natu esset: Mutationes scilicet regni: nam primum fuit sub Canarenis Idololatris, inde Aphris Maumethanis; tum vero sub Lusitanis. Sed iam ad primum institutum redeundum est.

Ego medicus non sum, dicerem tamen vnicuique suam esse vitam moderatam quãtitatis ratione, quam experimentum post rationem ipsam comprobaret. Porro de qualitate, & numero etiam dictum est. Sed tamen illud de qualitate addam, placere maximè cibos, qui oleum continent: nam si in his peccetur non adeo putredini sunt obnoxij.

Ciborum præparatio.

De præparatione autem agendum est. Cruda si concoquantur omnium optima sunt, sicut exusta pessima esse reor: nam qualitate aliena sunt à natura rei, quantitate etiam ab eadem plurimum distant. Comparantur dissoluta aqua exustis, sed non sunt adeo praua, quoniam humidiora sunt; & minus à concoctione aliena; vt vero magis peccatur in sicca coctione, scilicet eorum, quæ assantur super prunas, vel in veru torrentur, aut in sartagine friguntur, ita optima sunt, quæ moderatè, & perfusa, succulentaque assantur, plus enim nutriunt, & melius, & solidius præbent alimentum, tum incorruptius. Oportet ergo multo igne & madefacta iuxta naturam eius, quod coquitur, celeriter coqui; ita tamen, vt perfectè coquantur; & vt in elixis nimis coquendo minus peccatur, in assatis contraria ratione minus coquendo.

Nota de iurulentis.

At iurulenta optimè nutriunt, sed si multum quis edat ex illis, pessimè afficiunt hominem subuertendo ventriculum, appetitum deiiciendo, iecur debilitando, humoresque corrumpendo. Quatuor enim sunt, quæ maximè noxia cibi alieni à natura humana; velut primum Panis ex loba, deterior ex furfure, deterrimus ex quibusdam medullis arborum, quæ ventriculo prorsus sunt inimica: secundum, cibi nimis pingues inimici iecori, qui dissoluunt robur iecoris, & præter modum replent, & generant obstructiones, & abscessus: tertium, sunt cibi putridi morbos pestilentes generantes, & syncopes: quartum, sunt cibi, qui à proprietate nocent alicui membro, vt Pagurus in generando lapidem renum, & vesicæ.

Quatuor cibi genera noxia.

Pagurus à proprietate generat lapidem.

Hæc igitur de qualitate, & præparatione ciborum dicta sint, sciendo quod frixa in oleo plerumque sunt mala propter causam dictam, quia oleum aduritur. Si tamen addatur tantumdem aquæ, vel dimidium saltem sunt iucunda gustui, & extra omne periculum, cum oleum præsente aqua non possit torreri, benè potest accendi; nunc ergo de ordine dicamus.

Refellitur communis opinio circa comedendi ordinem.

Sunt enim quidam, qui ordinem primum necessarium, esse ducunt, & alij non: qui ducunt esse necessarium à liquidis iubent inchoandum: alij à subducentibus aluum; alij ab optimi alimenti cibis. Incipiendum esse ab aluum subducentibus absurdissimum dico, quinimò nil melius est senibus, quàm vti his, quæ ventriculum roborant, velut edentibus carnes ventriculi gallinarum parte, qua carnei sunt, non cartilaginei; talia autem aluum non subducere solent. Deinde causa, qua exhibent hæc aluum mollientia ante cibum, est, quoniam imaginantur pylorum esse in imo ventriculi: at non est, sed multo altius: perturbabunt ergo coctionem, nec exire poterunt; vnde nocebunt sine fructu vllo. Accedit quòd causa, quæ illos mouet est, quoniam existimant omnia excrementa, in senibus debere fluere, exemplo sumpto ab vrina, & mucco, atque aliis huiusmodi. Sed quare non suadent eadem ratione, vt etiam senes magis vtantur venere, quam iuuenes, siquidem, & semen excrementum est. At dicunt vtile hoc est excrementum? At ego illis respondeo, etiam fæces esse vtilissimas, quando quidem ab eis fermè totum alimentum corpori extrahatur. Quare senes, qui ad longissimam ætatem perueniunt, omnes habent astrictam, aluum; nec est idem periculum in retentione fæcum quod est in retentione aliorum excrementorum ob latitudinem viæ, & musculos ventris, & auxilia prompta in hac causa; nec in aliorum retentione vlla vtilitas, nedum tanta, quanta est in fæcibus. Præterea quæ subducunt aluum nullo modo cum cibo exhiberi debent, vt nec malua, nec beta, nec huiusmodi, quæ habent acrẽ succũ, sed admitti possunt solũ, quę pure leniunt, vt oleum, & ficus, & vuæ passæ: non igitur administrari debent hæc, nec ante cibum, nec post. De liquidis autem, si

Subducentia aluum non exhiberi debent cum cibis, sed quæ pure leniunt

si per liquida intelligimus potus, & sorbitiones tenues, non bene nutrient ventriculum, qui indiget solido nutrimento, cum sit membrum, & membrum durioris substantiæ, quam caro, igitur non conueniunt liquida nec etiam adhærebunt bene illi, quare multum lædent eo destituto proprio alimento; excitabunt fluctuationes, corrumpentque coctionem. Igitur à mediocriter solidis, ac quasi glutinosis, atque boni alimenti incipere oportet.

Initium mensa quale. Pari ratione neque à detergentibus incipiendum est: qua enim hora nutriri ventriculus debet, vtile non est, vt detergatur: contraria enim sunt detergere, & nutrire: siquidem nutritio fit adhærendo, dersio autem separat. Sed si pituita adsit non mala, temperanda est bono succo: his ergo conuenit caro assata, aut vitellum oui satis concretum, vbi primum concreuerit, quod pluribus fractis ouis cognosci potest. At si praua sit materia, non tamen abundè mala, sufficiat adhibuisse, quæ incidunt, minimè quæ detergunt. At si deterior etiam sit detergentibus medicamentis absque cibis vtemur, maximè oxymelle, in quo radicula, vel cappares infusi per diem integram fuerint. Sed si abundauerit materia, & praua fuerit, vomitu est eiicienda. Si non licet, purganda iure galli, vel etiam cum caulibus, & betis pluribus. Stultum est ergo medicamenta permiscere cibis; vt curas conuiuiis, ac somno. *Oximel cum radicula vel capparibus.*

Ci. Si quidem si aliter facere possumus.

Er. Rarò non possumus: sed secundum medicinam sine medicina viuere debemus. Hoc illi significauit Genius, cui prædictum fuit, in longam posse peruenire senectam, si enula, & rhapontico vteretur. Enula siquidem, vt lætus viueret, & sine curis: dicitur enim pro hoc esse veneficium. Rhapontico autem quia neque purgando, neque perturbando, sed adstringendo corpus sanat à plerisque morbis longis.

Ci. At vt video Acetaria non conuenient ab initio cibi; illa enim detergunt, cum sale, & aceto constent? Tum vero quia alimentum herbarum, ex quibus plerumque constant ventriculo inutile est, ne dixerim inimicum.

Acetaria an conueniāt ab initio cibi. *Er.* Extra crepidam nunc sutor: sed dicam quid eo in libro legerim. Certe acetaria non eo tempore conueniunt, saltem benè se habentibus. Neque enim cibi diuersarum rationum simul conuenire possunt; si enim vt distincti exhibeantur necesse est vnum alium antecedere: si ergò in bene valentibus, & maximè infirma ætate conueniunt cibi boni; acetaria autem inter cibos medicos numerari debent, palam est, quod non conueniunt; sed neque vt misceantur; nihil enim tetrius; sed si modo in vsu esse possunt, nullum video commodum, quam ad temperandum bonum cibum, qui seu sit tenax aceto dissecatur, seu nimis humidus, sale siccatur, seu nimium adhærens oleum separat ipsum: seu feruidus, lactuca mitigat, sed si imbecillis sit ventriculus, aut iecur, aut venæ sint obstructæ seris, & cichorea, & eiusmodi iuuat, vnde melius in vsum hæc venire crediderim, quam lactucam; nam si pro alimento lactuca carni, ouo, & piscibus, imo neque caseo est comparanda (in sanis, dico) si pro medicamento, nullas habet vires, nisi somnum conciliandi, & feruorem temperandi: at tantum abest, vt iuuet ventriculum, aut iecur, vt etiam membra illa plurimum offendat; somnum autem non sufficienter conciliat; feruorem melius comprimit endiuia vtilis iecori, & ventriculo; quare nihil illi præter ganeam adesse sentio; cum enim æstate capitata fuerit, & magna, & candida iucundior est cichorio multo non solum, sed etiam quavis alia herba, quæ pro acetario sumitur. Multos tamen, ait auctor ille ob hoc solum olus decidere in febres per æstatem tertianas, atque ardentes, & si abunde frigidum sit; nam plurimum serosum alimentum generat, atque crudum. Nec video si cucumeres, ac pepones adeò Galenus damnat, cur cum lactuca multum illis assimiletur adeo, vt etiam cum adoleuerit, lac emittat, non pessima sit. Audet ergo dicere ille author, & rationes satis efficaces adducit ob lactucam plurimos mori febre, ac fluxibus pestilentibus, quod ego credo, aliis opinionem suam relinquo; nolim tamen tanto periculo, & ob tam exiguam voluptatem id experiri. Sed Galenus coctam edebat, quo in casu non damno eam, nam, & longè facilius subigitur, & serosam partem, amittit, & vim veneni; temperatiorque euadit. Quòd si cucurbitas sine periculo, & noxa sic edere licet, omnino autem, tutò cucumeres eo modo præparatos; imò persæpè vtilissimè, sunt enim medicamentum sanguinem purgans, bilis feruorem sedans, & æstus æstatis, & vrinas, atque sudores prolicit. Quòd si pepones sic edere liceret, dicerem esse vtilissimi medicamenti loco; sed gratiam omnem amittunt, vt vix quisque sustineat edere: nam præter id etiam grauem quendam odorem concipiunt; & vt vno verbo dicam corrumpuntur. Quare lactucis crudis nullum inuenio locum in cibo, neque ante, neque post; nec mirum; est ob id, si, vt apud Poëtam illum, locum suum non potuerit retinere; nam cum & ante, & post cibum noxia, antiqui vero etiam post cibum deteriorem experti essent; ad initium cœnæ transtulerunt; vt somni beneficio, & obruta aliis cibis minus offenderet; atque delitiis hoc modo satisfacerent. Verum crudæ nullum locum opportuniorem inuenio, quam vt pauca media quasi cœna, non in prandio deuoretur; emolumento sanè nullo, damno etiam non graui, si continuus non sit vsus.

De lactuca quid sentiat.

Ob lactucam plurimi moriuntur febre, ac fluxibus pestilentibus.

Cucumeres cocti vtilissimi.

Phil. At hanc regulam de omnibus oleribus datam esse crediderim radicibus, surculis, fructibus horariis.

Er. De fructibus non dicam, forsan verum est, si vuas excipias, & etiam Ficus, vuę enim maximè, si vel in vite sub ardenti Sole sine foliis, aut suspensæ siccatæ modicè fuerint, adeo bene nutriunt vt multos viderim reualuisse hoc solo auxilio ex febribus quartanis, erraticisque, alios ex fluxibus, & malo habitu cõualescentes restauratos; sanos pingues euasisse. Quæ cum in ficubus non viderim nescio *Vua laus, qualitas, & vires.*

nescio quomodo illos vuis præponam, quanquam non gignant adeo flatus; sed neque adeo bene nutriunt; neque ciunt vrinas, & aluum, vt faciunt vuæ; quæ dum mali humores adsunt, medicamenti loco purgant; dum esse desierunt, sistunt: tam auidè natura earum succum trahit, nisi immodice deuorentur.

De radicibus facilè assentiar, sed de oleribus minimè; nam & crudæ, & ante cibum magna cum vtilitate, fermè semper mentha: persæpe vero absinthium, ruta, fœniculus, carduus, medulla radicis iuxta, germem agrestis cardui, melissophillon, germina feris tenera, herbáque ipsa pullulans verno tempore, noua illa herba, (quam draconem vocant) folio rorismarini, sed teneriore abunde acris, & bene odorata, Saluia, quæ forsan Athanasia vera est, & cerefolium amicum ventriculo, quæ omnes coqui recusant, nihilo meliores effectæ, sed inutiles solum, & ingratæ cum oleo, & sale; & si placet pipere modico, vel melle; quæ sic magnos, & inueteratos morbos discutere possunt. Sed quid proderit, vt valetudini aliorum tam diligenter consulamus, si nostræ obliuiscamur, quare melius fuerit (si placet) cœnæ parandæ operam dare.

Ph. Sequenti die sermonem cæptum continuare statim adorsus est, hac occasione, quod bene concoxisset immixta cibis mentha sicca, sed & inquit.

Er. Maiora quædam, & incredibilia pene audiui; quod quidam primum edentes pilosellam præcipuè maiorem intra quadraginta dies ex Enterocele sanati sint. Alios meminit Matthiolus Senensis sumptis hippoglossi, & gladioli radicibus, foliis bettonicæ, tipheque lanugine pondere drachmæ ex singulis cum duobus ouorum luteis frixis simul in quadraginta diebus curatos. Sed cum mentha, & cerefolium, gingidiumve, aut absinthium ventriculo non parum prosint, & quæcumque odorata, & mediocriter calida, ac astringentia non parum ventriculo conferant, vt par est, tum præcipuè cortex nucis myristicæ forsan, & garyophyllum in admodum refrigerato, de his, quæ enterocelen iuuare possunt satis dubitauerim: velut etiam de Hippari, qua ego vtor ad detergenda vasa, nam intus sumpta mirum in modum astringit; sed si potest tantum astringere, quod peritonei partem adeo latam, vt pugnus ingredi possit adeo distantem, vt qua via ad eum locum permeare possit vix medicamenti non inueniam, adeo duram, & leuem, vt ex membrana constet, quomodo non ipsum iecur, ipsiusque venas propiores, arctiores, molliores adeo astringet, vt magnum malum accersat? hoc est quod semper in huiusmodi me torsit, nec quid dicam habeo audire mallem: à medico, cum nullus in hanc solitudinem venerit, intelligere non potui, siquid habetis, rogo, dicite: multum enim erit ex vsu proposito nostro: si enim conferre possunt, multa licebit hac via aggredi: si non possunt, ad quid coinquinare mensas huiusmodi sordibus, & damnum simul afferre nobis ipsis?

Ci. Audiui mira hæc, sed nescio an vera sint: nam si vera essent, tandem multa huiusmodi in vsum venissent, at nihil horum comperio, sed nugas meras plerumque. Quod tamen aliquando audiui à Medico, qui profitebatur, nescio modò quantum præstaret, nam & hoc muneris etiam apud nos in gratiam sæpè tribuitur; Dicebat is, dum loqueremur de Cantharidibus, quæ neque ventriculum, neque iecur, nec renes vlcerant, & tamen vesicam lædunt, fieri hoc posse multis modis. Primum quòd reliqua membra maiorem habeant vim expellendi, quàm vesica, & ideo cum non retineantur, non offendunt. Secundo quod posset referri in quandam similitudinem substantiæ, ob quam alia ab aliis nata sunt, aut pati, aut non pati, præcipue dura, quæ non patiuntur; stupida, quæ non sentiunt. Aut quod talia medicamenta non efficiant operationes suas, quia vires eorum quasi sepultæ sint, nec ad opus deduci queant, nisi multis modis subacta à prioribus membris, in quæ parum, aut nihil agunt; atque ita delata ad illud membrum vires illas tum explicant mirificas. Hæc sunt, quæ ille dicebat.

De Cantharidibus.

Er. At mihi nulla harum rationum satisfacere videtur: sed tamen, siqua est probabilior, vltimam esse puto. Nam cum dicis, quod membra valida celeriter expellunt, fateor noxium, sed vtile nequaquam; ego autem de vtili, non de noxio laborabam. Proprietatem illam aut non esse, aut inuentu haud facilem esse contenderim. Sed cur tertiam non probem postmodum responsionem id est in causa, quoniam explicatis viribus illis, cur medicamentum illud astringit Dicymum, & non rectum intestinum, aut vesicam. Quare arbitror hæc vera non esse, & ob id neque inuentam huius causam. Sed si modo vera aliqua est, composita est ex pluribus, præcipuéque hac vltima dicta; deinde aliis velut quod natura membri læsi, & natura vnuersalis, seu anima nutrix dirigit contraria ad loca contrarias patientia dispositiones; ad quod etiam facit familiaritas illa, de qua modo dixisti.

Ci. Sed cuperem alia scire, quæ mihi magis essent ex vsu, quamquam nihil tuum est, quod me abunde non delectet. Est autem id, quoniam difficile est à cibo adeo diligenter abstinere, & normam ad amussim seruare, an probes vbi aliquando deliqueris, quod multi faciunt abstinentiam postmodum illam cibi per vnam, vel per duos dies, vbi necessitas ingruat, & an tantum iuuet bis, aut ter incænatum ire dormitum, singulis septem diebus, quantum si singulis diebus detracta portione æqualem viuendi normam seruaret?

Er. Omnis inæqualitas, mihi crede, mala est. Finge primum non abundare crudos humores, cui bono illa exquisita inedia, quæ virtutem atterit, & calorem exacuit, & tenuissimum sanguinis absumit; ipsum verò sanguinem totum biliosum reddit, atque corrumpit: sin autem vitiosi iam sint humores, aut crudi, memineris nunquam, quod peccatum est, vlla diligentiâ, vel arte restitui posse: sed quippiam aliud loco eius vulneratur, non ad idem restituitur vnquam,

Omnis inæqualitas mala.

Inediæ inutilitas.

quam, sed ad simile. Porrò simile similius est aliud, aliud simillimum, aliud parum simile; aliquando nec simile restituitur. Si solum crudi humores supersint ex crapula, hoc minimum est malum; sed & minimum malum in hoc ipso, vt concoquantur, nec tamen cum restituitur, hoc sine offensa sit; Omnis ergo inæqualis, atque varietas mala, solum eam admittimus, quæ est æqualis, velut siquis prandeat hora sexta decima, cænet vigesimaquarta, licebit, vt in prandio quartam partem solum assumat in cæna tres partes è quatuor reliquis totius cibi, non solum ob temporis proportionem; & somni, atque quietis; sed etiam quod in longiori tempore plus quam pro ratione longitudinis eius concoquitur, neque enim si in sex horis vnciæ sex solum concoquantur, in duodecim duodecim, sed aliquanto plures; neque si in nouem horis cibi nouem vnciæ concoquuntur, in decem octo horis decem octo cibi vnciæ concoquentur, sed minus. Eiusmodi ergo inæqualitas solum ferenda, reliqua & si non vtilis sit, est tamen persæpe necessaria in victu delinquentibus nobis. Optimum igitur est quam propinquissimè ad æqualitatem cibi, ac temporis accedere.

Præcepta.

Post ad æqualitatem cibi in comparatione ad tempus Tertium est, admisso errore, tunc abstinere. Itaque virtus in difficillima parte est constituta, scilicet in vtraque æqualitate. Æqualitas enim diuinæ potentiæ argumentum est, effectus autem illius maximè diuturnus existit. Quicquid vero agitur præter hos tres modos, scilicet æqualitatis simpliciter, & eius, quæ à proportione temporis pendet, & eius quæ fit sarciendo priora delicta, id totum haud dubiè ad vitam pertinet belluinam, & haud homine ingenuo dignam.

Ci. Sed quid si ventriculum reficere oporteat collapsum, aut supinum, vel nauseantem? neque enim videris posse vti præcipuis illis auxiliis medicorum, lacte scilicet muliebri, vel asino, aut iure pulli, vel vino, vel aromatibus ipsis, quæ præcipua traduntur à medicis auxilia ventriculi imbecillis.

Er. Videris mihi, ô Amice farraginem quandā congecisse ex præcipuis quibusdam auxiliis, & ex aliis, quæ parum, aut nihil prosunt, alia omisisse longè his meliora, vnde modo mihi sint quædam præcipua, nec vnquam deesse possint, quia mea interest, quod omnia non habeam; quandoquidem & si haberem, non vsurus essem, neque possem vti, neque si possem, vellem, nam & his, quibus vti cogor, mallem abstinere. Dixisti ergo lac humanum, & lac asinæ esse præcipua, & vera dicis in hectica ventriculi, sed non in aliis causis; quod enim lacti cum ventriculo nauseante, aut supino? quid postmodum dicam de iure pulli, quod forsan si humores praui sint, contulerit illos detergens, aut si illo velis vti cibi loco; facilius enim concoquitur ita, vt nullum exhibeat negocium ventriculo fatiscenti? Neque enim dubium est, potum sorbitione celerius alere, & minore cum incommodo, sicut & sorbitionem cibo; sed & illud ad repletionem potius pertinet, quam ventriculi imbecillitatem: vt enim non fatigat ventriculum, ita neque roborat, itaque quod ad ius pulli attinet, in hunc vsum defraudatus in hac solitudine.

De aromatibus non est, vt dicam; habeo enim aromata, & præcipuè amica ventriculo, licet non exotica crocum, & myrti baccas, & mentham, sed vt dixi, & si hæc iuuent, non sunt tamen præcipua. Affers etiam vinum, de quo non negauerim propter vsum potius, tanquam naturam. Sed videamus, quæ sint præcipua ventriculo auxilia; nec sufficiat dixisse, si non probauero. Primum ergò dico, esse exercitationem, seu deambulationem matutinam, quæ oculos acuit, aures purgat, mentem exhilarat, ventriculum confirmat, teste Celso, caput roborat, & alleuiat, condensat membra, & agilia reddit, expellitque torporem.

Deambulationis matutina munera.

Ci. Sed non hoc auxilio tempus eget, languet æger: tu vis vt exercitetur?

Er. Nolim expectare, vt adeò langueat, vt moueri non possit; Ego si dies non pluuiosa est, memoriale facio singulis diebus, & statim prodeo ad aërem liberum; hic valles, hic plana, hic colles: paulò longius flumen, montes; luci an non tibi videor satis benè instructus ad liberam exercitationem? & vix vnquam redeo non locupletior floribus, plantis, ratis, lapidibus admirandis, animalculi præstigiosis. Si pluit, farinam facio, circumuerto molam, quæ mihi duplici magno commodo est; imitatus illud Virgilianum:

Geminos nam veste lacertos.
Liberat, & cinctus villosæ tegmine capræ
Peruerrit cauda silices, gremiúmque molarum
Admouet inde manus operi partitus vtrâque;
Læua ministerio; dextra est intenta labori.
Hæc rotat assiduis gyris, & concitat orbem.
Trita Ceres silicum rapido decurrit ab ictu.
Interdum fessæ succedit læua sorori,
Alternátque vices, modò rustica carmina cantat,
Agrestique suum solatur voce laborem.

Sed non interea clamo Cybelæ; hoc vnum deest. Verùm dicetis, volumus auxilia iam languentis ventriculi; nam exercitationem potius inter necessaria ad custodiam numerabimus, quam inter auxilia. Dico exercitationem esse auxilium, quia calor totus repurgatur, & reuiuiscit; excrementa cerebri, quæ ad ventriculum defluere solent, aliunde expurgantur quæ in ipso sunt ventriculo, experiuntur, fit exsuctio illa adeò vtilis ab eo, & à iecore, vt membra ipsa prægrauata pondere liberentur, sed postquam ita placet, dico ventriculi duo esse præcipua auxilia, panem coctum, & ius, quin etiam carnem limaciarum; nam nihil pane inuenitur amicius ventriculo ob longam consuetudinem; si quid est, quod offendere soleat, est durities; illa verò tollitur multa coctione; facio autem in iure testudinis, nonnunquam in iure limaciarum; nonnunquam in aqua sola,

Exercitatio est auxilium languentis ventriculi.

sed

ſed addo mel; aliquando in aqua cum oleo.

Ci. Sed quàm iucundum eſſe debet, præſertim in decocto limaciarum?

Er. Non parum ſuaue eſt, quod per ſe iucundum eſt,& bono animo editur. Si panis per ſe ſuauis eſt, quanto ſuauior coctus, vel cum mica ſalis, vel in aliquo iure, vel cum modico olei,vel addito melle.Vnum eſt, me iam tot annis nihil expertum fuiſſe commodius,& in quo ſine offenſa nulla perſeuerare potuerim.

Ius & caro limaciarum. Sed iam dicamus de tertio auxilio, id eſt ius limaciarum, & caro earundem, ſed non oportet tam obiter hanc rem pertranſire, velut id de pane; limaces ergo,quàm iuniores poſſum, ſi operculo obductæ non ſint colligo; ſi autem contectæ, quo maiores, tanto meliores, optimæque in morbido loco, & inter herbas luxuriantes, & in adoleſcentibus dumetis. Fuge lapides, terram aridam, præcipuè nigram, ſabulum, & vbi naſcuntur herbæ exitiales, cicuta, mandragora,hyoſcyamus, & amaræ,vt abſinthium, praſſium; & quæ ſunt valdè agreſtes. Fuge etiam cænoſa, limoſa; optimæ in ripis riuorum, ſed & ex habitu; debent enim eſſe iuuenes, pingues, ſaginatæ. *Limaces quæ bonæ, malæque.* Dignoſcuntur, quòd leue habent, non criſpatum collum, mobiles, & rotundæ ſine rugis, colore arundinis ſubuiridi glauco; gaudent aſphodelo, & quæ ibi inueniuntur, optimæ omnium ſunt. Malæ nigræ, cæruleæ, exertæ, quæ multum ambulant; Cornibus ætas fermè dignoſcitur, propterea quæ longa habent cornua, & in cacumine rotunda orbiculorum in morem, quæve humorem multum reſudant, inutiles ſunt. Dum eduntur, non ſtrident ſub dentibus, quæ optimæ ſunt, & pingues apparent, & dentibus facile atteruntur, & in ventriculo non longo tempore ſubiguntur. Ante æſtatem gignuntur operculo conditæ, durantque vſque ad ver, tum verò ſi terreæ non ſint, optimæ habentur; quæ procul dubio ſunt molliores, latent magna temporis parte, ſcilicet hyeme, & & æſtate, & ideo autumnalibus pluuiis prodeunt maximè, contectas aperiri haud dubium eſt; an verò omnes intectæ ſint, veriſimile eſt; quando quidem in inuolucro omnia oriantur certum eſt;multis etiam paruis, quaſi alterius generis. Ergò illas, quæ magnæ ſunt & iuuenes, & ſaginatæ, ac pingues, poſtquam mihi nunquam deſunt, *Limaciarum cultus.* cuiuſuis qualitatis, & vt ex copia ſeligere quodquod velim liceat, detraho è domo ſua, diligentérque abluo aqua cineris, ſeu lixiuio; deinde partem, quæ limo repleta eſt, contineturque in inteſtino, totam aufero; poſtmodum multa aqua, & modico accepti coquo, donec ſuperſint tres libræ iuris, inde extractas ex iure ſpolio cute tota ſupremæ partis tum etiam pelliculis omnibus inutilibus, ſemen etiam abiicio, quod quanto plus coquatur, tanto magis dureſcat, poſt iterum repono in iure ſuo addens ſalis modicum, & piperis mei indici, ſed & porrum vnum conciſum,& oleum, & petroſelinum iuxtta finem, quandoque etiam grana iunipeti recentis, demum cro-cum cum aufero ab igne, panemque madefacio in eo iure feruenti, quod ſempe redigo ad minus pondus, quam ſit libra, atque id ipſum, & panem, & carnes earum edo maximè in cœna, nihil vtilius hoc cibo, primum quia aſtringentem habeat maximam vim, vt cohibeat omnes fluxiones, deinde quia ſubſtantia eius, ſi quis rectè conſideret perſimilis ſit ſubſtantiæ ventriculi, ideoque illum nutrit, & parum ab eius temperaměto abeſt;præterea vim detergentem habet, vt quicquid eſt in ventriculo, abſtergat, aperit, & obſtructiones, quæ ſunt in iecore, & in meſæreo, & confert plurimum hepati proprietate ſubſtantiæ, quod Galenus non negauit, vnde multis modis ventriculo vtilis eſt; tum quia plurima impediměta ex iecore pendent;tum quia virtus omnis nutrix ab eo viſcere pendent, itaque videtur hoc vnum præſtantiſſimum collapſi ventriculi auxilium. *Vtilitas.*

Sed ſi modo alia connumerare velim adducam longe meliora, quam vinum, vel lac, vel aromata, vel iura carnium; nonne vitellus oui recentis longe plus confert ventriculo, ſeu nondum concretus ſit, ſeu concretus, ſed non obduruerit? hic enim ipſum nutrit, atque optimum ei, ac gratum exhibet alimentum croci, & ſalis pauxillo iniecto: poſt quem ſunt oua teſtudinum, & iecora: laudarim tamen magis nemoroſas, hoc ego conſilium cæpi pro ventriculo ſeruando.

Ci. Bellum ſanè, ſed aliquantiſper operoſum; maximè illud de limacibus, ſed in ouo illud requirerem, cur albumen adeò refugias?

Er. Si dureſcat albumen lapis fit, & cuique coctioni contumax, obſtructiones parit duriſſimas, & materia eſt lapidis renum, & veſicæ, ſicut & caſeus, quod & ſi ſorbile albumen ebiberis, non tamen ſecurus es, ne eadem mala peragat, quoniam non concoquitur,à calore, ſed dureſcit. *Oui albumē malum.*

Ci. Cur ergò tam probas vitellum, qui & ipſe dureſcit à calore, quinimo & ipſe ſicut albumen, quamvis multa aqua excoquatur,dureſcit tamen, eadem ergò progignet mala?

Er. Vera dicis,ſed albumen frigidum eſt, & lentum;vitellus autem temperatus,& friabilis; & exiſtimoque magna ex parte abuſumi in alimentum ventriculi, & quod reſiduum eſt parte, qua pingue eſt, & oleoſum (plurimum autem continet olei) tranſire in ſanguinem ſecreto terreo.

Ph. Hæc cum dixiſſet, cibum ſumpſimus, aliumque præparauimus pro cœna ex cochleis tam laudatis. A prandio Ciuis inquit.

Ci. An non videtur ergò aliquod olus prodeſſe ventriculo? certè mentham cum adduxiſſes poſtmodum inter hæc egregia auxilia prætermiſiſti: at ego ſemper laudari cichoream audiui, an tu forſan non habes.

Ph. Hic ſenex tanquam alia cauſa ſtimulatus repente ſurrexit, acceptoque batillo, ac ſarculo primum quidem niuem detraxit ex angulo horti ad meridiem ſpectantis, inde

inde sarculo radices quasdam nudauit digitis à terra infra circiter quatuor, erat autem sabulum, nos arbitrabamur esse pastinacas prægrandes, risit hospes, iussitque nos eruere tres, quas defoderat, eruimus sed maiore labore, quam existimabamus, tum ille.

Er. An agnoscitis, quæ radix sit?

Ph. Erubuimus, quamvis enim agnoscere eam videremur, dicere non audebamus, hoc ipse conspiciens inquit.

Er. Hoc cichorium est, quod videtis.

Ph. Erat sanè magnitudine incredibili, vt vna radix homini vni acetarium elegans præbere posset; reuersi itaque statim terra, ac niue reposita madefactas, & foliis helenij inuolutas sub cineribus condidit dicens.

Er. Hæc nobis pars cœnæ, & argumentum sermonis erit, præstat ante oculos habere. Ergo quid dicis de cichorea, seu cichorio.

Ph. Hic *Ciuis*.

Ci. Puto omissum à te, non tanquam neglexeris, aut oblitus fueris, sed quia non existimes tantum prodesse ventriculo, vt inter præstantia medicamenta numerari mereatur.

Ph. Tum Eremita paulo post adhæc inquit.

Er. Interim quippiam volo facere.

Ph. Exiitque in cortem ad meiendum, dum abesset Ciuis inquit.

Ci. Vidisti delicias regias? Existimabam me ad Eremitam venisse; venimus ad sanctum virum, ac admirabilem; venimus ad sapientem, & doctorem; ad Gazam persicam, ad delicias Assyrias.

Ph. Dum hæc diceret; Eremita ingressus est ostium, sedensque inquit.

Er. Dubitatisne cichoream conferre ventriculo?

Ci. Dubito auctoritate tua, cum antea non dubitarem, immo etiam dubito an & iecori conferat.

Er. Ergo & iecori confert, & ventriculo?

Ci. Puto.

Er. Et dubitas, an conferat ventriculo?

Ci. Dubito, quia plus tibi tribuo, quam mihi, tametsi dicat hoc Dioscorides; existimo enim, si non recipis, non errasse Dioscoridem, sed me illum non intellexisse.

Cichorea vtilissima ventriculo, & iecori.

Er. At ego ostendam cichorium, seu intybum, nam dici solet amaris intyba fibris, plurimum prodesse ventriculo; nam vel per se prodest ventriculo, & si quidem prodest ventriculo, prodest & iecori, vt dicis; ideò & hac ratione rursus ventriculo vtilis erit; at sic duplici ratione ventriculo vtilis erit, atque ideo vtilissima. Sin verò non per se vtilis ventriculo sit, vtilis ob id est, quia iecori vtilissima; at quæ vtilissima est iecori, vtilis valdè necessario est ventriculo; vtrovis modo ergo dicas, cichorea vtilissima est ventriculo; imo quodcunque eius genus; sed præcipua numerantur quatuor.

Quatuor genera cichorij.

Seris, quæ propriè in Ægypto nascitur folio minore, amarior, & astringens, venosa, atque ea optima est. Secundum genus ab illo cichorium est, cuius tres sunt species, satiuum, quod pingui loco, & molli plurimum expressit, cuius imaginem seruamus sub cineribus, idque vtile in obstructionibus est. Postmodum aggreste angustiore folio, & sicciore, non æquè gratum gustui. Tertia verò species minore folio, & valdè crispo, flore luteo in pappos euanescente, vocant Leonis dentem vulgari quam similitudine.

Sonchi aculeati vires.

Tertium genus est, quod Sonchus vocatur iecori calefacto, & ventriculo maximè accommodatum, eius duæ sunt species aculeatum vtilius hydropicis, & morbo regio laborantibus, & molle, & quod ad lactucam vergit, quod suauius est, & melius nutrit, & febrientes refrigerat, parumque differt à lactuca crispa, è cuius genere esse videtur vterque Sonchus; cum enim non parum folio ei assimiletur, lac etiam emittit etiam aculeata. Quartum verò est Intybum, quod Endiuiam appellamus, cuius tres sunt species, seu differentiæ; satiua viridis valdè folio maiore, quàm cichorium, quo etiam illi longè, latéque præstat, vt anima ventriculi dici possit, nec inferior in iuuando iecur ardentibus febribus perutilis; hæc tenui caule, & folio est quasi plantagini similis; alia minore folio, id est angustiore, sed crasso, candida, & dulcis sed hæc arte fit, foliis filo circumligatis, & terra per hyemem obrutis, quæ omnino mala est, nisi quod refrigerat, & amica est ventriculo, leuitérque concoquitur; at quæ non obruta est, neque candida est, neque suauis, sed & lenti quiddam habet; tertia verò species ex lactuca, & endiuia progignitur; licet enim duas quascumque herbas fermè sociare bifariàm; primum constricta semina inuicem serendo, atque ex adultis semina collecta, iterumque constricta rursus serantur, totiesque negtium repetatur, donec in vnum coëant, vnamque similitudinem. Modus alius lactuca seritur, vbi radix adhuc tenera est, vel etiam cum adoleuerit præcisis foliis inserantur semina intybi, & cum nata fuerint mediam quandam naturam retinebunt. Sunt qui semina vnius in succum alterius infundant, inde serant; sed hoc nihil ad formæ similitudinem, sed solum virium confert.

Communia omni generi cichoreæ.

Communia igitur omni generi cichoreæ sunt quinque, quod sint insipida, quod amara, quod astringentia, quod nihil horribile gustu contineant, quodque facile concoquantur, atque sine molestia: atque hac manifesta: & intus non manifesta: quod refrigerent, quod conferant ventriculo, & iecori, quod sedent fastidium cibi, quod aperiant obstructiones, quod vrinas proliciant. Exterius verò quandam similitudinem inter se retinent, quòd folio sint oblongo, & in acutum tendente, colore viridi, subnigro, laxa substantia, & parum pulchra, quod & flori eius conuenit, qui etiam raro magnus est, præterquam in dente Leonis, quod aridior omnibus sit, sed & agrestis intybi raro copia est; non absimile tamen primæ speciei satiui, aliis simile nunquam vidi.

Ci.

Ci. Sed hæc vera sunt, ergo mentha non erit ventriculo amicissima; absinthium vero erit: nam cum non legamus mentham esse vtilem iecori, absinthium vero perutile, liquet ex regula data, esse quod dixi.

Er. Imò de absinthio fateor, maximè de illius coma, & præcipuè Macedonici, & cum folia exigua sunt velut hyemis, & veris tempore; hoc autem debet esse suaue odore, & præter amaritudinem, gustu non iniucundum maximè cum sale, & oleo sumptum; verum de mentha etiamsi concedamus parem esse istis, non est necesse, vt iecori conferat; sed si confert, vt æque vtilis sit.

Ci. At ergo si hæc ita se habeat cur tam absinthium, quàm cichorium, quorum copia, vt vidimus (imo absinthij plusquam velles) non deest, inter auxilia ventriculi præstantiora non connumerasti?

Er. Sed cur neque famem, neque somnum, quibus duobus tantum homo obseruatis tantum proficiet, vt nunquam ventriculo sit laboraturus? Sed cur non de malo punica, quæ cum iecori multum, & ventriculo non parum inter vtilissima auxilia referri debet? adnumeranda enarratis? omnium vna causa erat velle recensere cibos optimos, cum tu quidem potius proposuisses lac, ius, vinum. Sed non mei muneris est medicinam docere, Galenus suam hieram præponit omnibus. Sunt qui à ieiuno frigidæ potu maximè iuuentur. Sic necesse esset distinguere morbos, causas, occasiones, temperaturas, ætates, consuetudines: at hoc quid aliud esset, quàm Medicũ agere? Interrogasti quonam pacto reficerem collapsum ventriculum; vel si collapsurus esset, sperarem posse restituere. Multa in suam gratiam commemoraui, sed non omnia; neque methodo, vt dicunt, nec ordine certo, sed vt res, & occasio ferebat, commemoraui.

Ci. At ergo, vt video principalia in hoc negotio erunt fames, intelligis non sine fame edere, somnus prolixus, exercitatio Ciborum autem præcipua panis coctus, limaciarum caro, iusque, ouorum vitelli: tum absinthium inter medicamenta, malus punica, cichorea. Sed quid de Cotoneis adeò laudatis illane prætermittes? *Cotonea.*

Er. Sunt qui laudant eximie, ego non reprobo, neque assentior: acido anim sunt succo, & ad appetentiam forsan plurimum, ad ventriculum parum conferre arbitror; vinum magis admitterem. Sed in vniuersum neque ciborum, neque medicamentorum vllum probarim, quod sine pinguedine edatur; postulat ventriculus imbecillus omninò vel nutriri, vel curari; nutritur etiam cum cichorium, vel absinthium exhibemus, quoniam non sine oleo. Probetur etiam, quod curat, velut, vt dixi, quod iecori manifestè confert; nam sic ventriculus plurimum, & verè iuuatur, cætera magis in speciem, aut quia appetentiam excitant. *Ventriculus quid requirat.* Postulat enim ventriculus, vel cibo roborari, vel vt illius facultas, quæ à iecore, vt dixi descendit, corrigatur, vel vt liberetur ab irruentibus humoribus. Tertium id vnum est, vt ab onere, & impedimentis, explicetur. Sed hoc ad medicum pertinet; at ego medicina vti non possum, quando desit pharmacopola.

Ci. At si cotonea, & mentham non recipias, admittas autem vinum, erunt vndecim: neque enim cerefolium, aut piper admissurum inter hæc nobilia medicamenta existimo, neque etiam crocum; tum quia non vis, tum quia ratio id non suadet; at cupiebam saltem duodecimum numerum explere.

Er. Oliuas adde. Ego verò antequam in hanc Eremum me conferrem, sæpius expertum me affirmo ius chamarum, & concharum, vt nihil melius ad restituendum ventriculum, & appetentiam collapsam multitudine leuis pituitæ: nam primum carne ipsarum vescebar: post confirmatus paululum panis offas cum illo iure sumebam. *Ius chamarum & concharum.*

Ci. At si nutrire vis ventriculum, aut iecur iuuare, aut explicare ab infensis humoribus, quid ad horum vllum facit caro, concharum, vel chamarum:

Er. Certè reliqua omnia ad speciem, non ad rem pertinent, & fucatam curam. Vere ergò cichorium cum oleo, sale, & aceto conditum pani iunctum nutrimentum temperat, & efficit medicatum, quod continua, & longa consuetudine permutat ventriculi non solum vires, sed etiam substantiam. Omitto quòd quædam iuuant functionem, velut quod temperat alimentum, quædam facultatem, vt exercitatio, & vsus astringentium; quædam vero substantiam, velut alimenta, & somnus. Cum igitur ita sit, cichorium exempli gratia, aliquid exhibet nutrimenti salubris ventriculo, sed longè magis est quod temperat alimentum cui coniungitur; inditio est, quod videamus cichorium ipsum si sine pane sumatur, aut medicamenti loco, vel etiam cum pane, & sale, parum aut nihil prodesse: conuenit igitur, quatenus pingui mistum. *Cichorium temperat alimentum cui coniungitur.*

Ci. Sed iam satis de his. Nostri Medici vuam passam valdè commendant; quid tibi videtur?

Er. Non improbo paruam illam, sed non ea est, quam adnumerari velim his singularibus præsidiis; forsan cretica illa magna, recens, pinguis, plena, lucida, quam tenui cortice, gustu suauis, admodum vibrans, nescio quid vini Mombasij perutilis fuerit, certè oliuis prætulerim: neque enim tam respicere oportet vires in his, quàm quamdiu igneorum vsu sine tædio possimus perseuerare, neque quàm valida sint, quam sine noxa, nec quàm medicamentosa, sed potius quàm benè nutriant, & in eum vsum accommodata videantur.

Ci. Has ergò, postquam duodenarium numerum excedere non placet, oli-

uarum loco reponamus. Sed quid si te podagra inuaderet, quomodo ageretur tecum?

Er. Abstemium, laboriosum, præparcum aggredietur podagra? sed quomodocunque id agatur, ante extrema inedia interitura sit, quam ego. Iam cum domi essem aliquando podagra detinebar; præsentiebamque illius aduentum; solaque abstinentia illam domabam: quod si omnes id studerent, longè melius consultum esset aduersus illam, quàm more medicorum potionibus, cataplasmatibus, cibisque validis se dilaniandos, ac discerpendos morbo traderent; id initium facile intelligebam, cum velut ex hæmorrhoïdibus fluxuris, nam & in malum aliquando expertus sum, vel pridie, vel tertio ante die, velut non concoxissem, satietatem quandam in ventriculo sentiebam, nec erat nausea; neque quicquam aliud, sed quod quantumvis parum sumerem, non concoquebatur aliquando, nec in vigesimam quartam horam, aliquando post decem, aut duodecim horas concoxisse videbar, atque posse sumere cibum. Sed statim eadem satietas reuertebatur; tunc animaduerti, cum hoc veniret nunquam non sine magno malo mihi cessisse. Podagra enim statim aderat, vel si antea iam cæpisset, grauiter me torquebat: quod minimè contigit, tametsi maiore morbo cibos & plures, & lautiores sine illo signo sumpsissem, vt id signum & immensæ plenitudinis sit, & indicium, quod nullo magis tempore, quam per initia & vtilis sit abstinentia, & cibi iactura maior. Itaque post aliquot vices votum feci, seruauique, nunquam sine fame cibum sumpturum, neque post habiturum consuetam exercitationem negotio vllo, aut studio.

Podagrā sola abstinentia domat.

Satietas quędā ventriculi inditium futurū podagra.

Salubre Eremitæ votum.

Ci. Video causam manifestè, cur cibus ab initio exhibitus adeò noceat: nam tum vires oppressæ sunt, & humor pessimè affectus: sed cur ab initio ventriculus laboret, cum in articulos materia defluat, id planè perspicere non possum; vt neque in hæmorrhoïdibus.

Er. Imo hoc ipsum ostendit aliquid plus, nam velut ab initio prægnationis pica mulieres fatigat, quoniam humores praui retentis mensibus circa ventriculum colliguntur, signum certum redundantiæ in iecore, ita & in fluxuris hæmorrhoïdibus: latet enim multus sanguis, & impurus circa eas partes.

Ci. Hoc satis constat, sed in podagra quid ventriculo cum articulis?

Er. Replentur venæ circa iecur, atque adeo ideo idem contingit, cum exitus via nondum pateat, quocirca, & multi, vt audiui, feruorem quendam sentiunt circa, & multi, vt audiui, feruorem quendam sentiunt circa iecur, indiciumque est magnæ futuræ accensionis; quod si statim sectione venæ occurratur, morbus tunc sedatur, sed in posterum conditio deterior euadit, quoniam humores crudi adhuc seruantur. Sunt qui flatu plurimum offendantur, quo excusso tantundem alleuiantur, nam venæ plenæ vel intus, vel extra per se comprimunt neruos, vnde fit dolor, aut augetur. Itaque ab eo tempore parum vexatus fui his de causis; decoctum verò anisi pluribus auxilio fuit, dum ægrotarent. Quod flatum discutiat, & vrinas vehementer moueat; & vt calidum, & siccum egregiè omne genus coctionis adiuuet. Sed quibus hæmorrhoïdas aperit, aut sudorem cit, vtrumque enim facere solet, nec obscurè, in his curat, atque præseruat.

Decoctum Anisi vtile.

Ci. Mirum quòd Paulus dicat aliquos sanatos in perpetuum vini potu prætermisso, aquaque sola pura vtentes.

Er. Forsan quia humor ille crudus non habet quo dirigatur ad articulos, podagram non mouet.

Quare vino prætermisso podagra sanatur.

Ci. Sed genitus iam, & copiosior ob potum aquæ quò demigrabit?

Er. Quidam simul parciore cibo, alij crassiore, & minus nutriente vsi sunt, quibusdam materia ad hæmorroïdas, vel ad scabiem deuenit, aliis mortem post aliquot tempus, & longis febribus ex doloribus ventriculi, quæ ego vidi; alij hydropes, sarcoceles quibusdam, quorum quia mortem obiere, post paucos annos, dico persæpè duos, aut tres egregij illi medici non aimaduertentes, vel non existimantes factum, ob id non meminerunt.

Ci. Attamen ille Pecchius Mediolanensis, qui perpetuis viginti sex annis in carcere tetro latuit pane exiguo nutritus, & aqua, & si quando lautè exciperetur paucis additis nucibus cum modico sale, ita conualuit, vt nulla victus iniuria recideret in morbum.

Vsus aquæ periculosa.

Er. Quid mirum, nam tam longo temporc consolidatus calor naturalis iecoris coxit, & absoluit cibos sublata intemperie, quæ impediebat, articulorum etiam meatus iam constricti ob alimenti paucitatem non poterant humorem tametsi crudum, & influentem admittere, quo reiecto interim natura prouidet, vt aliquo commodius dirigatur, modo mouet diarrhæas per interualla, modo vomitus, modò hæmorrhoïdas, omnia sine periculo, sicut & scabiem, & tubercula quædam, frequentius ad vrinas, id non sine periculo, ne lapillus gignantur, si diu stultè perseuerare vellet in crapula, procul dubio febris longa, & periculosa excitari posset, vel vrinæ retentio. Sed iam assuetus] tantæ parcitati vix transiuit ad crapulæ saltem continuum vsum; vnde etiam accedente exercitatione immunis euadet, sanusque perfectè deget. Itaque vt vno verbo dicam, volenti facillimus morbus est padagra, modò quis abstinentiæ patiens sit; nam qui eam ferre nequeunt, sola luxuria obstante, vel quadam animi mollitie præcipuè ob consuetudinem, his grauis fit, non solùm ob nutrimentum perperam exhibitum, & qui concoqni nequit;

Naturæ prouidentia.

nequit; sed quoniam recurrunt ad purgationes, & venæ sectionem, & inunctiones, & emplastra, quibus nihil potest esse deterius. Accedit tertium incommodum, quoniam assumentibus cibum ab initio dolor augetur, & ex dolore influxio maior; vnde etiam caliditas maior, vnde attrahitur materia, quæ trahi non debet.

Nil deterius in podagra quam recurrere ad purgationes, & venæ sectionem.

Ci. Sed quandiu abstinendum est à cibo?

Er. Nulla melior ratio, ac norma, qua ego vsus sum, est, quandiu fames aduenerit.

Ci. Quid si per quindecim dies non exuriat.

Er. Siquis non alio auxilio vsus fuerit ante triduum non excedet, sed si aliis consuetus fuerit auxiliis poterit protrahi tempus, sed interim non debilitabitur, nec lædetur ex inedia.

Ci. Ergo nunquam licebit quicquam apponere?

Er. Licebit vbi particula ex eo genere sit, vt nimis impediat, quod peculiare est genubus; in his enim fomento astringente, & calefaciente vtor, velut vino cum rosis ab initio, & cum fructibus cupressi, ac sale; postea etiam oxycrocio cerato, nam in huiusmodi nec periculum est, vt materia intercipiatur, nec si auxilium non adhibeatur, non nisi longo tempore sanescit, & si non sanescat, perfectè ambulare non potest, ideo in hoc solo casu fermè, & in manuum digitis ob doloris acerbitatem repellere, roborare, resoluere debemus, non laxare tamen, neque lenire, vt imperiti solent.

In genubus & manuum digitis medicamenta localia conueniunt.

Ci. Non putabam podagram infestare genua.

Er. Raro certè id facit, sed si faciat, pessimè affligit hominem, nam conuulsionis quandam imaginem præbet aqua omnis alia podagra absimilis est, & ambulationi maximum affert impedimentum, cum peculiare ei vni sit, vt nescias quomodo tuto tibiam dirigere, & genu circumuertere debeat, vt non doleat.

Ci. At mihi videris Medicus absolutus potius, quam Eremita.

Er. Certè antequam in hanc solitudinem venirem, Medicus fui, & huius solius morbi, atque hanc artem circumambiens Italiam, & Gallias profitebar.

Ci. Quam bene fortunatus fui in hoc meo itinere, vt præter reliqua commoda, etiam huius morbi, qui me aliquando tentare solet, tametsi non grauiter, curam didicerim. Sed dic quæso (quod Deus auertat) quod si resolutione tentareris?

Er. Hic morbus hæreditarius esse solet, atque cum hoc raro vel nunquam eos attingit, qui consilio præditi sunt, nec memoriam fatigant: à multisque tenuis; ac copiosi alimenti cibis, qualia sunt oua, & vinum, abstinent.

Ci. Ergo reuertamur, si placet, ad institutum.

Er. Vtique.

Ci. Duo sunt, quæ mihi negotium non leue facessunt, vnum quod præscripseris quantitatem cibi vnam, qualitatem non præscripseris, cum hæc pugnare videantur, nam si gratia exempli quindecim vnciæ cibi exhibeantur, si ex carnibus, & ouis alimentum erit, iusto magis, si ex oleribus, & fructibus homo debilitabitur, neque ferre poterit, quid ergò nos iuuabit hæc mensura, quæ adhibita detrimentum affert, nonne melius esset paucis ouis, & carne vesci, & si contingat vti oleribus, iisdem multis vti?

Dubitatio non leuis.

Er. Pulchram attulisti dubitationem, atque vtinam Cornarius noster eam attigisset. Sed hoc quæsitum paucis quibusdam regulis ex ea mensura collectis, ac præsuppositis constat. Prima est, quod totius ponderis cibi dimidium sit panis: vnde quod ad hanc medietatem attinet, nulla potest esse varietas. Secunda, quod præsupponit adesse ouum, vel carnes, vel vtrumque, quæ valdè nutriunt, & ferculum, quod plerumque rarum multum nutrit, atque ita iam videtur hic cibus, ad qualitatem attinet, mediocris. Tertia quod si quod discrimen sit vtpote quod aliquando multis carnibus vtatur, & suillis præsertim, aliquando minimum ex his sumat, sed olera, fructus, vel vuas passas, & huiusmodi, quæ parum nutriunt, dico id commodissime factum: cum enim natura non semper æquali cibo indigeat, & immutabilis iam sit quantitas, ipsa qualitate sarcitur, tum maximè quod corpus secundum naturam dispositum vtilium appetens est secundum naturam, vt si humores paulûlum exuberauerint, appetet olera, cappares, & si aluus astricta sit, horarios fructus, & pruna, & vuam passam, & maluam, & betham; & si æstuat ventriculus lactucam, & endiuiam, & cucurbitas, & cucumeres coctos; & si languidus sit pyra, cotonea, mespila, sorba, mala punica; & si viribus deficiatur, appetet carnes vituli, capi, & oua.

Responsio.

Natura appetit varia, secundum variam corporis dispositionem.

Ciuis. Intelligo, sed adhuc superest vnum, quod scire vellem, & est, quoniam dixisti, quod cocta plus, & melius nutriunt, an id perpetuo verum sit, vt quanto magis coquantur, non deficiente tamen aqua, tanto magis nutriant, & melius: nam non tam absurdus sum, vt cum pauca aqua dicere velim; corrumperetur enim, non coqueretur.

Erem. Distinguere oportet diligenter: Primum dubium non est, quin ad perfectam vsque coctionem omnia plus, & melius nutriant, & facilius concoquantur, omniaque cruda, aut parum cocta cibi ratione parum vtilia esse. Nam pro medicamento sumpta cruda præstantiora sunt, si sic edi possint. Ergo cocta perfectè duorum sunt generum, assata, & elixata. Assata, si vrantur certè, vt etiam antea dixi, sicut & frixa, omnino corrumpuntur, nec de his sermo habendus est; si autem non vrantur, sed vlterius excoquantur, minus ex-

Cruda pro medicamento præstantiora sunt.

crementitia sunt, non tamen plus nutriunt, neque meliora sunt. Non plus nutriunt, quia quantum coquitur, tantùm diflatur; neque melius, quia quod pinguius fuit, euanuit; quod coctum est nonne terreum magis est; quod antea excoctum erat, aliquanto siccius factum est; neque ergo melius, neque vberius alit; minus tamen est excrementitium, vt dixi, vnde celerius concoquitur: plus enim iuuat, quod careat excrementis, quàm obest, quod siccius sit alimentum. In elixis verò quanto plus iusto excoquuntur, minus certè alunt, quoniam plus trahitur in ius, quam in alimentum conuertatur; atque id etiam, quod in ius trahitur, melius est, & succosum magis, quam pars, quæ coquitur, fit etiam deterioris alimenti ea ratione, minus tamen est excrementitium, & longè facilius alit omni ratione; atque hoc de cibo ipso.

In assatis quod pinguius est euanescit.

Elixa simpliciter minus alunt, sed longè facilius, & minus excrementitia sunt.

At si cum cibo etiam ius intelligamus, tunc ex cibo transibit in sorbitionem, veluti panis coctus vlterius cum multo iure valdè, & plurimo igne hic multum nutriet, & quanto magis coctus fuerit, alimentumque eius sorbitionis abundans bonum, sed inæquale, non excrementitium, & facillimæ coctionis adeo, vt ex quatuor conditionibus præstantis alimenti omnes habeat in superlatiuo gradu, præter illam, quæ ad perfectionem attinet; neque enim optimum est ad vnguem alimentum.

Ph. Hæc cum dixisset, parauimus nostras cochleas, atque cichorium, aliaque ad cœnam lætique discubuimus.

Mercvrii dies aderat, & lux clara Solis permeabat rimulas cænaculi, vt è cubiculo prospiceremus diei claritatem; inde surgentes curatis necessariis itineri nos dedimus, vt Thomam Comitem conueniremus; quantum enim licuit, laborabat is sedulo, vt eum in societatem vitæ perduceret. Itaque sacellum deambulantes, incidimus in disputationem, an quicquam posset inueniri, quod à natura sit alienum, præstantius ipso naturali affectu, dicebat inquam Ciuis.

Quid opus est tot regulis ad vitam incolumem seruandam atque in longum producendam quam ferarum ritu viuere, comedere cum esuriunt, atque in hoc natura etiam docuit quæ meliora essent, bibere cum sitiunt, somnos ducere cum dormitant, exercere cum alacritas ad hoc sponte impulerit? non velim, vt illecebris cibi capiaris, non vt hortatu amicorum, non consuetudine, & vt vno verbo dicam, nulla prorsus alia ratione, quam si solus esses, atque occupatus; tum enim non nisi fame vrgente ederes, de ciborum delectu ne verbum quidem, quæ delectant, prosunt, quæ prosunt delectant; nisi corpus deprauatum sit humoribus, aut animus consuetudine popinarum. Vixit Seneca, vt ferunt vltra centesimum annum pane, pomis, & aqua riuulorum; sit crudum si tanto minus edas, pariter concoques, & minus impleberis. Sed liceat modo vti concoctis velis aliquas regulas: optimum in suo genere suaue, atque iucundum, ex vsu trito hominum simplex, atque coctū & non vltra metam; si huiusmodi cibo, ac potu contentus fueris, fameque vrgente solum vtaris, in quo potest esse peccatum? at si alia ratio ineunda est à naturali, vel naturalem abiicere oportet, vel illam aliam aliter vtramque fieri non potest, vt probes, nisi vna eademque. Feræ ipsæ rarò, vel nunquam ægrotant, nec pereunt ante tempus, nisi aliquando incommodo externo affectæ. Si ergo ratio viuendi illas nunquam decipit, aut fallit; Nonne amentiæ pars est velle aliam tentare veluti meliorem?

Seneca vita vltra 100. annum.

Ph. Hæc cum dixisset sic respondit Eremita.

Er. Tam difficile est seruare metam in voluptatibus homini, cum iam per multas ætates sibi ipsi indulserit, vt nequaquam sperare debeamus frui posse beneficio naturæ syluestrium animalium, quod si id facere possimus, nec tamen contingeret vita incolumis, & longa ob id, quoniam animalia & soli vitæ student, & ad solam vitam seruandam structuram suam nacta sunt: homo verò ad intelligentiam, ad memoriam tantarum rerum, ad studia natus, non poterit sufficere ad se custodiendum sola naturali inclinatione? sed ratio illi fermè pro natura est; Quoniam nudus natus sit, ob id ne parare vestes, quia reliqua animalia solo eo, quod dedit eis natura, rectè se habeant; An quoniam Leones, & Lupi, & Feles, & Cerui, & Cuniculi, & Serpentes, & Anguillæ, & Locustæ suis armis vtantur, homo inermis à natura factus nihil exterius ferè præsidij, non parauit natura rationem, quia homo sine ratione viueret; nam si homo naturalem affectum secutus comedat, bibatque quantum appetat, id sequetur detrimenti, quod miles, & agricola tam parum comedet, bibetque, vir verò studiosus, atque quietus tam multum quam agricola, ac miles; vnde studiosus ægrotabit, agricola, & miles aut ad munera sua inutilis fiet, aut contabescet: Quamobrem homini ad vitam, sanitatémque tuendam omnino opus est ratione, nec è re sua erit, vt naturalem affectum more animalium brutorum sequatur; ergò homo non appetitu, sed ratione victus modum conseruabit, ac diriget; Multa illi facta sunt impedimenta, dentium imbecillitas, ventriculi tenuitas, nulla in manibus arma, neque in pedibus, caro mollis, cutis vt aranea tela, ipse impatiens non solum doloris, sed caloris, & frigoris, vnus præ omnibus animalibus, & spontè ægrotat, & tot morbis subiicitur, quot non omnia animalia cætera simul; inde tot curæ, tot labores, consuetudines ac leges, quibus ad ea, quæ non vult, impellitur, ab his, quæ vult, arcetur, ipse solus suas miserias agnoscit, cum non possit depellere. Ergo ratio vna sola sufficere potest tot regendis

Ratio homini pro natura est.

Homini impedimenta, ac labores.

gendis incommodis, quam relinquere neque possumus, neque debemus; sic tamen genio indulgendum est, vt sæpè cum benè valemus, nec vis aliqua vrget, nostrúmque domuerimus abundè sensum, non exercitatio sitim, non exemplum conuiuantium famem accenderit. Circa qualitatem ciborum, ac potuum naturalis instinctus, & appetitus pro norma habendus est, calefactum ventriculum etiam aquæ aspectus recreat, vini odiosus est, aquam bibamus, vinum fugiamus; rursus ventriculus frigore laborat, deiectus est, aquam horret, vino gaudet; vinum bibat, relinquat aquam. Longum sit, si singula recensere velim, ita fructus aliquando, quandoque pisces, quandoque caro conueniet; atque eo modo, quod commemorasti, documentum perutile erit, nec negligendum; vtemurque eo fermè semper moderante ratione; placet equus acer, agilis, robustus, insignis, sed non sine habenis; nam sine illis cui vsui erit, nisi vt celerius excutiat sessorem, & ex altiore loco cadentem magis perfringat; vtemur naturali instinctu perpetuo, rectriceque natura, verum moderatrice ratione, atque vt ita dicam, medica norma semper, & assidue adhibentes parsimoniam.

Ph. Interim apparuit collis exiguus, atque in eo arbor grandis prostrata sessioni opportuna, hic Ciuis inquit.

Ci. Si fessus es, ecce locus ad sedendum nos inuitat.

Er. Pauci sunt, qui norint, ô Amice, quod sedentaria ambulatio magis fatiget hominem, puto quia refrigerat illum: sed enim hoc tempus non est discutiendi causam huius, de vsu potius exercitationis, quam salutis corporis causa suscepimus, si placet, differamus, quandoquidem parum adhuc abusumus à nostro tuguriolo.

Ci. Desidero audire; sed mallem si liceret prius hoc intelligere, qui fit, cum labor omnis sit, vt dici solet:

Leuiter austerum studio suadente laborem.

Et rursus:

Labor omnia vincit.

Durum esse laborem nemo ignorat, quandoquidem quies ipsa nobis iam iucunda est; qui fit, vt multi tamen laborem appetant sponte? videmus enim sponte saltantes vitulos, currentes equos; canes verò circumcurrentes.

Labor trifariàm sponte experitur.

Er. Rectè dubitas, sed labor trifariàm sponte experitur, per se nunquam. Primum quidem finis gratia, cupimus videre fontem, montem, syluam, non labor experitur, sed voluptas, cuius comparatione labor minime molestus est. Secundo ob consuetudinem: ex labore enim vapores gignuntur, atque resoluuntur; longo post tempore, cum labor desiit, etiam vapores gignuntur, & cum non resoluantur, laborem exigunt; aliter patiuntur lassitudinem quandam in membris. Est & tertia causa animus ipse diuinus, qui tam cupide modum appetit, quam corpus quietem. Itaque sæpè exsurgimus magnis animis ad capessendos labores. Estque pars diuinæ cuiusdam naturæ impigrum esse ad labores, eumque quis delectatur laboribus, ingenui etiam animi est. Vlyssem & infatigabilem, & prudentem, ac patientem finxit Homerus. Ita Xenophon suum Cyrum; Alexandrum Magnum, & eius Patrem Philippum constat fuisse laboriosissimos.

Est pars diuinæ naturæ impigrum esse ad labores.

Quod si etiam nulla consuetudo vrgeret, reliquiæ pristini alimenti nos inuitant, atque eo magis, minusve quo alimentum ipsum flatuosius extiterit, ac durius, propter enim ossa, ac cartilagines, & ligamenta, tum musculorum fines, homo exercitationem desiderat; si homo non se prorsus moueat, etiamsi moderato victu vtatur, non recte sibi consulit. Sed neque deambulationem solam sufficere homini arbitrer, cum in ea solum partes inferiores agitentur: neque viuenti moderate, tum maxime seni vlla validior motio conuenit. Ergo senex, qui moderate cibum assumat, potúmque, solum deambulabit, quantum sibi satis esse videbitur; sed & brachia lauandis vasis, aut colligendis lignis, aut scindendis exercebit; omnium vero meta erit vna, vt cum voluptate huiusmodi peragat. Est enim, vt dixi, principium ex animæ parte alacritas quædam: ex corporis autem stimulus à vapore, per quem inquies, pandiculationes, oscitationes, & venereorum appetitus, & laboris desiderium excitantur.

Meta laboris voluptas.

Ergò consuesse labori debemus, vt eum cum voluptate ferre queamus. Sed & in cibis, consueti sunt nobis faciliores panis, caro, vinum, oleum, pisces, olera. Non ita mel, & quæ desueta sunt, debemus tamen, & illis vti tum maximè cum corpus adeò à naturali robore destituitur, vt fermè languenti simile sit; præcipuè verò ventriculus, & iecur. Ardet homo, sitit, nil appetit, non concoquit: tum non melius erit endiuiam cum aceto ingerere, & aqua loco vini vti, quam in constanti victus ratione perseuerare; nec solum affectus, & labores, sed etiam anni tempora consuetudinem mutandam indicant. Et vt variare singulis diebus qualitatem cibi non est vtile, sed potius gulæ consulentis, & ganeonis; ita non semper in iisdem persistendum duco. Laudetur mediocris varietas, quæ intra terminos constitutos contineatur, pro endiuia cichorea, oxalis, & similes; nunquam tamen in eadem mensa laudauerim has ciborum varietates: sed aliud est de eadem mensa, aliud de circuitu anni, mensiumque.

Ergò vt ad rem redeam, exercitium validum conseruandæ sanitati, & multo minus producendæ vitæ conducit.

Exercitium validum noxium per quinque causas.

Primum, quia dilatat arterias supra modum in pulsibus illos magnos reddendo, vnde corpora redduntur imbecilliora.

Deinde quòd exsiccat cum prauo aliquid de vtili humido, & ita vitam breuiorem reddit.

Tertio quia assuefacit hominem multiplicationi vaporum, qui vel rosoluuntur non exer

uo exercitio, & ita res procedit in maius detrimentum in dies; vel non resoluuntur deficiente exercitatione, & sic periculum est, ne superueniat febris, vel saltem lassitudo oboriatur.

Præterea in exercitio feruent humores, & ideo corrumpuntur, ideo perseuerando non aliter corrumpantur, quam si quis vinum quotidie agitaret, aut iuxta ignem poneret.

Accedunt incommoda quæ sequuntur, alia perpetuo, vt maior fames, ac sitis, per quæ, si non comedas, plus corpus videtur afflig; si comedas, repletur, & ægrotat: plus enim est, quod resoluitur ex humoribus, quam quod adiicitur robori caloris naturalis, & eius viribus. Quæ autem non semper adueniunt, sunt vt immodicè exercitato, aut etiam satis mediocriter, sed succedente frigore, aut frigidis ventis homini fiat statim febris magna, & vehemens, vel defluxio, & decubitus in aliquod membrum: ex quibus magni morbi, periculosique sequuntur, sæpeque etiam mors.

Ci. Sed hac ipsa magis opus habes in eremo, colligendo ligna, triticum secando, iter longum agendo, cum in locis cultis hæc per alios facere possis, quorum corpora sunt robustiora, & siquid eis mali eueniat, suo etiam malo euenit.

Er. Dixi non esse vtilem exercitationem, quæ in Vrbe degenti, vel villa ob exemplum magis in vsu est, quam ob necessitatem. Imo vt dixi, solitudinem esse perutilem, quia exercitatio, qua in vrbibus homines vti solent, non est res necessaria, nec vtilis hominibus.

Ci. Perquam callidè elusisti obiectionem meam, sed perge.

Er. Igitur deambulationibus intedum sub dio, dum licet, aliter manuum exercitationi operam do, nec mihi sunt alteres necessarij, totque alia inuenta, non solum ad laborem, sed ad perniciem nostram. Quandoque demirabar tot inuenta in obsonando contra nostram salutem; at nunc desino mirari, cum illa saltem nos delectent; at hæc, quæ etiam odiosa sunt, plurimumque obsunt, quis inuenit? aut cur?

Ph. Intrim ad Sacellum peruenimus, pulsamus ostium tugurioli, erat id speluca potius in vertice montis posita; paulo post aduenit. Tum ergo interim, occlusus manet hac hora? quid si ægrotet, aut absit, aut etiam abierit, vel dormiat?

Er. Abiisse non crediderim, cum me inconsultò se facturum id negauerit. Deinde ne hanc cellam sibi pro hæreditario iure conclusam seruabit inanem? aut refertam tutus in hac solitudine? Qualis autem hora dormiendi Eremitæ? sed quo morbo laborauit, qui tam parcè viuit?

Ph. Cum hæc dicerentur, aperuit. Hic Eremita.

Er. Dubitant socij, quòd ostium non pateret, ne ægrotares.

Ph. Tum ille.

Th.Co. Qui solus degit, etiam in Vrbe, semper sibi bene consuluerit, si ostium occlusum habeat. Multa possunt superuenire, per quæ ab vno opprimamur, vel incauti, vel imparati; semper violentiæ plurimum sumus obnoxij. Hic tutiores, quanto sumus à latronibus ob solitudinem, & loci asperitatem, eo magis periculosiores ob vrsos, & lupos, rabie, & fame sæuientes.

Ph. Ingredimur, & in cespitibus, truncisque arborum illo iubente sedemus, hic dux noster.

Ci. Quomodo vales ô Thomas Comes? ac verè mihi comes?

Th.Co. Bene.

Ph. Tum ego. Vix fieri potest, vt quisquam in hoc montis vertice ob ventos viuat, nedum vt sanus viuat. Quin etiam vererer, nisi Deum custodiam quandam peculiarem tui habere existimarem, ne quandoque cum tuguriolo venti in sublime te agerent; quis enim illis resistere posſit? vbi etiam fulmina, & tonitrua fiunt, adeo vt viuens etiam inter tonitrua, & vt dici solet cum Iupitre degas. Subrisit ille, tum sic.

Thom. Iocaris ô Guasce tuo more: sed dic sodes, an putes meliorem esse aërem tuæ vallis conclusum, & vaporibus plenum, an hunc verticis liberum? Sanè quòd ad detrimenta corporis attinet, vterque nostrum abstinentia, & continentia cibi potest omnem aëris iniuriam sustinere: vbi enim nullus est humor malus, quid, quantum obesse possunt iniuriæ ventorum? vidimus excussos bigis, verberatos, contusos, cum essent secus incolumi corpore, euasisse mortem; quanto magis aëris noxam? *Continentia cibi omnem aëris iniuriã sustinet.*

Er. Sed ô beate, dicam omissis iocis, aërem vallis non profundæ, sed excelsæ, qualis est domunculæ meæ, salubriorem esse tuo, qui nimis violentus est; vbi enim à naturali statu declinaueris, quanto minus declines melius est, ac tutius. Neque enim in illis est, quod dici solet de vallibus, quod loca sint æstuosa, non perflata, & aquæ illorum malæ.

Thom. Istud mirum est, quod persuadere mihi niteris: an meministi, quæ dixerit Princeps Medicorum? In locis habitabilibus altis morantes sunt sani, robusti, laboris patientis, & diu viuunt. Et si præter id loca sint lapidosa, & aperta, liberaque eorum corpora erunt robusta, & solida, ac sicca, vigilantes, & solertes. Quod si præter id etiam locus niuosus sit, venti salubres erunt, & frigiditas adiuuat ad coctionem. Et si cum hoc humidior sit aër, modò liber sit, erunt magis carnosi, ac pingues. Nam qui nouas nunc de India Orientali historias scribunt viros illos tam longæuos, & supra centum triginta annos vitam producentes, quales etiam prædicat Strabo, & magis de Seribus, *Loci habitabiles alti cõducunt maxime ad sanitatem.*

eos

eos habitatores montium faciunt. Audiui in Carneis montibus, cum quidam vidissent hominem in cathedra sedentem admirati, quod esset facie illa Hippocratica, & prope centesimum vigesimum annum, at ille respondit. Quem quæritis patrem meum? Illi riserunt; tum is, qui sedebat; seriò, inquit, dixi: non enim ego sum, de quo mira illa audiuistis. Itaque eo hortante ascenderunt altius, & inuenerunt seniculum adhuc dolantem tabulam; interrogantesque eum, centum quadraginta annos habere se respondit: vtar enim verbo eius. Et certè locus, vt dixi, conueniebat, & ars, & vitæ moderatio. Quod autem magis admiratione dignum fuit, quod adhuc validis esset viribus, ac sensibus.

Ci. Sed si vos non interpello, licétque mihi cum tantis viris, & puer cum senioribus congredi, vt patriæ meæ iura tuear, & ego aliqua dicam. Nam inuitæ longitudine Aristoteles neque montes, neque valles expressit, sed regiones maritimas; quod etiam Homerus sensisse videtur, cum Nestorem faciat iam tertium ingressum sæculum:

Illum iam exegisse hominum tria sæcula fama est.

Et Ouidius:

Vixi annos bis centum, nunc tertio viuitur ætas.

Et Iuuenalis, quem ob decorem carminis cito:

Rex Pylius, magno si quicquam credis Homero
Exemplum vitæ fuit à cornice secundæ.

Et nos hic spectamus in Italia, & Gallia non in montibus longæuos, sed iuxta mare celebrari. Vnde maximè in vrbe nostra, & Genuæ senes firmi, nec quasi fortuna quadam singuli, aut pauci, sed tam multi inueniuntur, vt constanti ratione fieri id dicas. Quippe & ea adest copia humidi, & densi, miniméque putredini obnoxij. Quod enim salsa non facilè putrescant, experientia docet. Itidem quod neque facilè absumantur, declarat experimentum lampadis, ac lucernæ: oleo enim sal mistum facit, vt tertia fermè temporis parte amplius duret. Sed & de Macrobiis scripsit Lucianus ille, sanè affirmat Medos, & Persas, Parthosque ac Seres, aliosque viuere supra centum triginta annos, causamque reiicit in victus moderationem, præcipuè potum aquæ. Sed ego hoc ita velim intelligi, quod aër orientalis optimus est, inde solum, ex quo aquæ & fructus, quorum omnium temperato vsu vita existit longæua. Nam aquæ vsum ad vitæ longitudinem necessarium existimo non simpliciter, sed optimæ.

Ph. At noster Comes inquit.

Tho. Co. Habuisse consuetudinem cum Medicis, qui aërem montium, & maximè verticis omnium saluberrimum existimarent. Adducebat nescio quid ex Atheneo apud Oribasium dicente loca sublimia omnium sunt saluberrima. Et rursus montana salubriora sunt, & maximè sicciora, & maritima etiam calidiora, omniumque saluberrima, quoniam etiam sicciora sunt, vnde insulæ saluberrimæ sunt, & fructus habent optimos.

Ci. Hoc verum puto, nam & facilè coniungi possunt. Nam Sogdiana, & Bactriana iuxta Caspium mare sunt, tum Media: Persarum autem regio ad sinum Persicum Maris Indici montana tota; sicut & India ad Indicum Mare Oceani partem Orientalis. Drangiana vero, & Arachosia, & magis Paropanisus montana est tota. Adeò vt omnes hæ regiones è quatuor conditionibus in tribus conueniant; vt sint Orientales, & temperatæ omnes, & vel montanæ, vel maritimæ solum Serica regio plurimum abest à mari, & plana est; sed tamen temperatissima, & in ipso Orientis initio, nec de ea satis constat, quod adeò viuaces ferat homines.

Regionum conditiones.

Ph. Tum ego & mihi liceat hac in causa aliquid dicere.

Tho. Co. Dic quod velis.

Ph. At mihi ea sententia Luciani placet, vbique diu viui posse, modo temperata sit ratio viuendi; quamquam non negarim, quasdam esse regiones, vbi minore cura homines id consequantur, & etiam vlterius progrediantur. Nam Plinius auctor est T. Fullonium Bononiensem centum quinquaginta annis vixisse, cum is aër ab omnibus improbetur. Sed & in Tmoli montis cacumine, quod vocant Tempsim (Hic in Asia minore est prope Sardim, sed ea est in Maris littore, hic non parum abest à mari) viuere homines tantumdem consueuisse.

Vbique diu viui potest modo temperata sit ratio viuendi.

Quid Romæ dicam de M. Valerio Coruino, & Stephanione Mimo, qui centum vixerunt annos? cum magis de Lucia Mima, & Copiola Embolaria, & Samulla, & Terentia notissima fæmina, Ciceronis coniugio: sed nulla magis Osilij Clodia quindecies enixa totidem annis superauit sæculum. Constat de Democrito in Abderis Thraciæ, & Gorgia Leontino Siciliæ: at quantum abest Ætolia Epiorum gentis, vbi propè ducentos annos viuunt? Sunt autem Epij, qui & Epei, iidem postea Elei dicti, vt Strabo refert. Sed si ad Ætolos referatur, hi in montibus habitant. Ætholia enim montana regio est.

Qui Romæ diu dixerũt.

Ci. At vnum mihi occurrit inter hæc, quod scire vellem, scilicet an aër hic cacuminum montium tenuis sit, an crassus: & an vtilior sit capiti eo, qui in valle est: Audiui enim Bononiæ Medicos dicentes, aërem illum esse tenuem, cum Bononia sit sita ad Boream, & radicibus Apennini Montis, ob idque capiti valde noxium?

Er. Tria cum sint, vnum tantum verum est, quod aër scilicet Bononiensis, velut & Florentiæ, & quarumcumque vrbium non in vertice montium, sed in radicibus, vel inter montes sitarum noxius sit capiti; nam & surdi multi, & cæci, & lusciosi

& lusciosi in huiusmodi vrbibus visuntur, pluresque apoplexia, & syderatione pereunt: at reliqua duo falsa omnino sunt, scilicet quòd aër tenuis sit in radice montis, cum in vertice talis sit, vbi perpetuo flant venti: & quod tenuis aër noxius sit capiti, cum sit illi saluberrimus. Dicebat Oribasius. Tenuia (de aëre loquens) vero & capiti laboranti, & omnibus sensuum instrumentis conueniunt: loca enim sublimia saluberrima sunt, cum aër in eis non quiescat, sed perfundatur, & à ventis perpetuo agitetur. At loca humilia his non sunt vtilia.

Aër tenuis & sublimis capiti saluberrimus.

Ci. Quantus error illorum medicorum: audiui ego non semel, neque etiam si quis negaret, sine contentione pugnantes de hoc, atque affirmantes, Bononiensem aërem subtilem esse, & capiti ob id inimicum.

Er. Nihil mirum, habuerunt quosdam imperitos duces, qui errantes secum turbam medicorum traxerunt, vides quanta mala. Sed non omnia possumus omnes. Nam contra excellunt Papienses apertè, & longo interuallo simplicium medicamentorum, & Anatomiæ, & Græcarum litterarum peritia; nunc etiam adiectionem fecerunt, sed omittamus hæc.

Ci. Non tamen hæc videor præter rem commemorasse.

Er. Quid præter rem? imò quam appositè; sed tu ô Amice si placet sermonem continuabis: videbaris enim hoc velle persuadere, vbicumque licere vltra centesimum annum vitam, sola victus continentia producere.

Ph. Hoc certè est quod aggressus eram. Quid enim est primum, quod ad vitam faciat, nisi vt optimum restauretur nutrimentum, nec ab vllis homo offendatur excrementis? at licet parcitate victus, ac moderatione vtrumque assequi simul: imò si vnum assequor, aliud habeo: at aër sit quantumcumque bonus, offensas humorum tollere non potest. Nunquid lapides consumere poterit in vesica genitos, aut prohibere ne gignantur? certè ne quis febre pestilenti laboret facilius prohibere poterit; at ergo non ab aëre, sed à nobismetipsis auxilium petendum suadeo. Regula nostra si rectè nobis consuleremus ad vitæ longitudinem maximè idonea est: eam quidam indulgentius interpretati sunt; alij multo magis custodiunt: sed quid aliud est, quam vitæ moderatio, & auxilium, frænumque libidinum? At carnes non edimus: iam dixi non esse quod editur, sed quo nutrimur, id est, quod concoquitur, quod facit ad vitam; namque si subigitur, si assimilatur perfectè id etiam optime nutrit; modicum autem optime nutrit, & excrementis caret, nec occupatur natura; at non solidum est quod nutrit? Quid est ergò quod dicimus mel facere ad vitam producendam, quandoquidem tenuissimi sit alimenti. Et qui in India tam longo tempore viuunt, vt natalium obliuiscantur, hoc maxime præsidio inuitantur; quod neque vinum, neque carnes edant.

Ci. Sed mittamus hæc, quæ meo iudicio aut verissima sunt, aut saltem ptoxima veris, immo vera maxima ex parte: nam dictum satis. Modo instaret tempus audiendi illos de animi immortalitate sermones, quos Dux noster est tam libenti animo largitus.

Er. Iam maxime commemorare cupio, & eo magis cum Thauriceni præsentia adsit, nisi ei molestum sit.

Tho. Co. Iucundum est quidquid hospitibus meis præsertim tibi placet.

Er. En promptus, verum exhalamus tantisper.

Tho. Co. Immo, cum præ itinere curare corpora præstet, prandium paremus.

Ph. His dictis discubuimus, cibumque sumpsimus.



LIBER TERTIVS.

THEONOSTON.

SEV DE ANIMI IMMORTALITATE.

INTERROGATIS qualem de *Animi* Immortalitate Philosophum sequantur & an illum immortalem esse credant? Nil magis, atque in hoc Platonem Plotinumque, nec non Stoicos (at non tamen eadem de illa sentiunt) sed & alios authores huiusce phrasis habent, non inelegantes; eam tamen superesse omnes post obitum volunt, imò & esse immortalem. *Vas.* Quid interest quod supersit & sit immortalis? *Ad*: Serióne interrogas? *Vas.* Tam vt putem esse eadem. *Ad.* Corpus nonne superest, cadauer scilicet, & tamen immortale non est, existimant enim Stoici postquam aliquot annis vagata fuerit adiungi animæ cuidam, atque vt pars aquæ cum tota permisceri. Id maximè agunt vt spectris quibusdam satisfaciant.

Alij redice in corpora rursum.
Rursus & incipiant in corpora velle reuerti.

Quidam dissolui velut Cadauer etiam multas ac fabulosas de anima habent opiniones, in hoc vno tamen concordant, quod parum mihi non videtur, esse immortales. Et ad hoc probabiles multas, vt audiui, præ cæteris Philosophis rationes habent. *Vas.* Quas si libet enim audire cupimus. *Ad.* Volo satisfacere, quanquam plura & meliora è memoria exciderint, alia verò illi habeant experimenta & exempla in quibus plurimum confidunt. Sed his omissis quæ quisque iure negare possit? Aut verius in alias referre causas attingam quæ mihi nunc succurrunt. Cohortantibus igitur qui aderant Philosophis Augustino Lanizario Commensi & Branda. Porrò, sic inquit.

1. *Ad.* An dubium esse potest postquam cœlum & terram ac elementa omnia fatemini esse sempiterna, quæ dubio procul minus nobilia sunt anima, cum & quantitati subiiciantur, & certi generis sint, & menti pareant, & limitibus coerceantur, & tempore ad opera sua ad suos motus indigeant, animam ipsam non nisi posse esse immortalem? nisi vultis seruos dominis præponere. At hic statim inquit Augustinus, sed hæc anima multo maiore sunt, præsertim hominis. Tum subrisit Adrianus, dicens hæc illa neque maiora neque minora dici possunt animâ quæ quantitate careat. Et illicò mens nostra in inane illud & vacuum extra cælum & vltra omnem mundi molem transfertur. *Branda*, at nullum est vacuum extra cœlum Dicente Philosopho (Iamque verba illius referre properabat cum Adrianus inquit, scio sed satis habeo quod incorporea magnitudine non superantur vllâ corporis) *Branda* rursus, sed æterna dicunt Philosophi elementa, quia & si partes corrumpantur, totum successione manet, velut de hominibus *Adrian.* Sed quid de cœlo? obstupuimus dicto tam prompto. *Augusti.* At non valet diutius durat quoniam nobilius nisi ad idem genus referatur sic enim ilex & olea nobilior esset homine? *Ad.* At si pergas infinitam dicere ac comparare valebit, fieri non potest vnquam vt mortale immortali nobilius sit, licèt possit esse diuturnius velut formica mure. Inde subiecit aliam.

2. Quo circa etiam cum par sit nobiliora superesse, at homini non solum elementa sua perpetuò supersunt, sed cadauer ipsum ad multos annos: quod etiam adeò credidit fortunius Afaitatus, vt ausus sit dicere, cadauera, præsertim occisorum superuiuere vitali tantum anima, qualis est in arboribus ad multos annos, argumento deducto ex capillis & vnguibus, quæ in mortuis per multos annos constant. Cũ ergo vt vtar Hippocratis ratione mortuo animali nullum elementum, nulla pars, quæ substantia sit, pereat, sed omnia ad suum fontem redeant, quia dubitare potest de anima ipsa, quæ longè nobilior est quovis elemento. Propterea adducunt illud in medium, Plotini morientis, *Annitor vt quod est in me sempiternum ei quod est in toto coniungam. Branda*, sed dissoluitur tamen homo: & partes illæ dum fontibus suis permiscentur, euanescunt in auras. Indicio quòd neque aliquid superesse videtur, & quod Philosophus dixerit. *A morte non reminiscitur anima*: corrumpitur enim memoria quodam interiore corrupto. *Adr.* Dissoluitur homo quidem, sed ipse totus est anima. Quinimo anima ipsa aliquid plus est quàm homo, cum libera fuerit sed audi Hippocratem ipsũ de hoc in primo de dicta

pag. 5. Equidem nullum omnino corpus perit, neque fit quod prius non erat: verum permista & discreta permutantur. Homines autem putant hoc quidem ex orco in lucem auctum generari: illud verò ex luce in orcum imminutum perire, ac corrumpi. Oculis autem magis credere oportet quàm opinionibus. Inde paulò pòst generari & interire vt misceri ac separari idẽ sunt inter se, velut sydera oriuntur & occidunt, atque iterum ad ortum redeunt ita & in animalibus. Eadem fermè est illius sententia in libro de carnibus. Ponit enim ibi calidum sempiternum quod omnia intelligit & post tria elementa terram, aerem, & aquam. Quin etiam frigida omnia & vnum velut de cœlis, qui ad vnum reducuntur, vt sint solâ raritate & densitate differentia. Sed si differunt videntur permanere, nam vt Aristoteles dicit, ignis nihil generat. *Bra.* Ista sunt contra Philosophum *Adr.* variè locutus est Philosophus etiam in aliis cum enim elementa proponat in summo calida vel frigida, cur appellat ignem nostrum quendam feruorem super excedentem, & glaciem, congelationem extremi frigoris, nunquidne aliquid maius maximo? sed redeo ad rem: aut elementa sunt eadem, aut diuersa, sed non transmutantur & ita necesse est animam esse immortalem, à maiori vt dici solet: aut transmutantur in compositum, & inde redeunt, cum verò anima non possit esse compositum, sed solum componi cum alia redeant in simplicem naturam & ipsa redibit & ideò sicut illa erit immortalis. Et ita mors eius erit hæc vita, sicut & aliorum elementorum, & illius vita quam nos mortem appellamus. *Bra.* Sed admittatur animam esse incorpoream & immortalem velut & aquam vel aerem, sed vnumquodque horum dissoluto homine non seorsum manet, sed adiungitur toti & in illo confunditur, ac dissipatur, at hoc à corruptione nihil differt cum non maneat idem homo, sed in vnum omnes confundamur? *Ad.* Minimè, nam quamvis belluarum multitudo in vnum possit confundi tamen hominum ob mentem separata est, cum enim mens prorsus sit separata à corpore, non potest confundi, quia est hoc vnum, anima autem vehiculi habet rationem. Ideò incorporeum bifariam (dicunt illi) & est & intelligitur: Primùm pro eo quoc nullam sibi quantitatem determinat, potest tamen adesse & forma esse corporei, alterum quod omnino quantitatis est expers, hoc igitur est hominibus proprium, illud commune cuique viuenti non solum animalibus, sed etiam plantis.

3. Tertium est quod vnaquæque anima dum est in semine, ex his quæ solum vitam habent aut sensum vt præcedunt corpus & eo vsuræ sunt, non mens, quoniam illa corpore non vtitur, sibi fabricat corpus cum his omnibus partibus, instrumentis, & qualitatibus quæ sunt necessariæ illi speciei seu plantæ seu animalis etiam à materia putri seu sanguine geniti intra corpus seu extra, vt in his quæ ex duo generantur. Igitur anima est ante corpus & causa illius & virtus extra materiam quod etiam testatur Galenus 1. l. de facul. naturali: quare immortalis, incorporea, & sapientissima. Quanto magis dicunt humana, quæ est cum aliis duabus coniuncta ex authoritate Platonis & Galeni: licet hoc etiam in quibusdam videre vt foueis vulpium, Alcyonum, & hirundinum nidis, erucarum, Bombicum, & aranearum domibus & tectoriis. *Bran.* Hoc Peripatetici referunt in vim solis. *Adrian*: nequaquam nam artificiosa res non nisi ab intellectu vel notitiæ aliqua procedere potest: non igitur sol vt caret animâ. Si vi animæ solis, igitur anima solis est plurium specierum: quia operatio ostendit formam operationes diuersorum animalium specie diuersæ, igitur & formæ. Ideò dicunt animam non esse formam corporis, sed astare illi vt nautam naui. *Aug.* sed cum duo sint parentes & duo semina, quomodo fabricabunt vnum? *Adr.* fœminea anima non habet vim nisi vt dirigitur à masculi anima, quoniam ordine illi subiicitur, & hoc factum est præcipue ob generationem animalium ex diuersis speciebus vt muli & lyciscæ. Non negant Solis calorem & Lunæ etiam esse instrumenta fabricandi animalia & præparandi illorum materiam; Sol quidem sanguinea quadrupedia, & aues: Lunam autem serpentes, exanguia & pisces, vnde scorpij in Sole positi confestim exanimantur. Ideò tamen anima quæ illa fabricat sempiterna est & non secus sibi præparat corpus quam tonsor nouaculam & scriptor calamos aptat & atramentum ac stylum. Constat igitur vnamquanque animam immortalem esse & fabricare corpus præparando per vim luminis astrorum seu per se, seu per impressionem.

4. Desumunt deinde Exhortationem, pulcherrimum meo iudicio argumentum: & est quod in semine anima est tota in toto & tota in qualibet parte, igitur immortalis, quare & omnium animalium saltem sanguineorum. *Bran.* Quomodo? *Adrian*: Non me latet hic plura esse demonstranda, sed quo plura eo simpliciora, & quo simpliciora eo euidentiora erunt. Igitur primum quòd ex generatione ipsa animalium sanguineorum, quæ scilicet à semine fiunt anima sit tota in toto & tota in qualibet parte. Nam clarum est ex vno coitu plures fætus generari in belluis, vt canibus, suibus, cuniculis, sed etiam hominibus, vnde illud Poëtæ epigrammatici quanquam obscœnum.

Nempe semel futuit generaret Horatius vt tres:
Mars semel vt geminos Ilia casta daret.

Phlegon narrat Traiani temporibus mulierem in Ægypto quinque fœtus enixam, quos Imperator nutriri iussit. Si igitur ita est cum semen similare sit vbique & quomodocumque diuidatur caput & singulæ partes esse poterunt. At hoc fieri nequit nisi ab externo agente, quomodo enim capiti spina iungetur, collumque succedet, & viscera in imo pectoris constituentur, vt rarò non monstrum fœtus euadat, si alia pars pectori, alia capiti, alia ventriculo destinata sit ac propria, ab agente igitur velut in tabella fœtus delineatur, idem Solis calore & semine

semine partes singulas temperat pro rei qualitate, neq; enim pulmones duros aut pectus molle effingere licebit. Si ergo vis illa foris est & anima est? anima foris est & incorporea. Ideoque perpetua. Neque potes dicere, vim illë a corde influi & in toto semine esse omnes enim generabunt cor aut cerebrum deerunt crura quibusdã aliis brachia at æquè perfecta esse videmus in pluribus atque in paucis & in vno solo. Quare cogitationi omni repugnât animam esse in corpore quod format, sed illi assistit foris, quod cum Aristoteles de mente fateatur, nescio cur id reformidet in vitali & sensili, nisi vt Platoni contradiceret. Forsan dicemus (inquit Branda) hoc quod format esse materiæ seminis vim. *Adr.* Igitur aliquid seipsum perficiet quod est absurdum, si enim perfectum est non indiget perfectione vlteriore: si imperfectum nil plus vltra poterit, si igitur anima est tota in toto & in qualibet parte seminis, in quovis viuente erit immortalis. Sed vna (respondit Augustinus) *Ad.* Quid prohibet cum in area simus disputationis Platonicorum cum Epicureis? sed concludamus corporeum totum non posse esse in parte, in toto potest incorporeum, in neutro secundum formam, secundum vim esse potest corporeum in corporeo secundum partem esse potest, in toto esse non potest. *Aug.* Sed hæc ostendunt omnes animas esse æternas, ego autem audieram tantum de humana. *Ad.* Humana sola est æterna, vt dixi, quæ non confunditur, & capax meritorum ac suppliciorum: at quid refert, quòd vel Sol gignat belluam qui perpetuus est, aut elementum, aut anima, multum referret si sentire antea illam diceremus, multo magis intelligere, hoc enim absurdum est. Quinimò substantiæ hæ procurant & tuentur animalium atque plantarum generationem, vt liceat perpetuò & in pluribus operari iuxta facultates suas, in quibus operationibus gaudent (ac lætantur vt etiam vita animalium:

5. Verum hoc reuocauit in mentem argumentum aliud ex Hippocratis verbis sumptum ea ascribere volo ex libro de septimestri parte. Nam & splendores clarius vident, & strepitum audiunt, quod prius non potuerunt tanquam incrementum habeat hoc tempus cum iuxta alia, tùm iuxta sapientiam ex corpore elucescentem. Peculiarem quidem sapientiam in corpore inesse manifestum est in prima sanè die. Nam in somnis statim vbi nati sunt pueri ridere & plorare videntur. Vigilantes quoque suâ sponte statim rident ac plorant: priusquam quadraginta dies transeant non rident autem etiam si titillentur ac irritentur priusquam hoc ipsum tempus transeat. Hebetantur enim vires in illis. Plorant quidem & in somno & in vigiliis ob dolores, at cur rident si nihil vident per somnum? quod si vident quæ in vigilia viderunt, cur non magis rident in ipsa vigilia cum verè vident? at tunc non rident ante quadragesimum diem, quia exteriorum nihil cognoscunt, ideoque nec delectantur, at si rident in somnis quia titillationem sentiant riderent etiam in vigilia titillati: at hoc non possunt ante quadragesimum diem cum igitur statim ab ortu per somnum rideant, in vigilia nequaquam, etiamsi titillentur nisi iuxta quadragesimum diem, plorent autem & per somnum & ex vigilia etiam ab ipsa prima die palam est non ob aliud ridere illos per somnum ab initio ortus quàm quod recordentur eorum quæ antequam nascerentur & quæ in alio mundo dum adhuc puræ essent à corporibus videbant. Quid ergo certius esse potest argumentum, & quod antequam nascerentur beatâ frueremur vitâ, & quod quæ scimus ab initio sciremus quam quod Hippocratis authoritate constat & ipsa experientia, quotidiana deprehenditur?

Sed ecce aliud supposita mundi æternitate, dico necesse esse eosdem homines reuerti: seu ergo animæ sint immortales seu non cum reuertantur homines infinities erunt immortales, & si homines immortales quanto magis eorum animæ. Vocatur hoc argumentum cornutum. *Aug.* Quomodo? id aueo scire. *Adr.* Vtinam in vobis esset quod ego in me sentio siquidem animaduerto me esse qui sentiam & semper esse. Stabilemq; vitã habere, quod in me est, & incorpoream. Sed mittamus hæc quæ ab omnibus negari possunt, paucissimi, scio, cognoscunt. Satis nobis esse debet seu credatis, seu non me sentire in me & agnoscere quippidã quod est immortale. *Bran.* Verum ad rem si placet *Ad.* Quinimo dicam Argentum cum ab auro separatur in aquam transit, vbi aurum collegerint opifices rursus aquam illam in argentum mutant, an putatis hoc secundum argentum aliud numero esse à priore, an idem? Rogo dicatis quod sentitis, nec vt mihi obsequamini aut causæ faueatis concedatis, quod verum esse non credatis, aut scientes quò tendat ratio contradicendi studio negatis, quod concedendum sit. Planè tùm omnes vnum & idem esse confessi sunt, nimis enim manifesto vinculo tenebamur. Rursus aggreditur rem. Tuber oritur è terra corrumpitur tandem antequam eruatur, quod accidere necesse est, si vel hominem non nactus fuerit aut suem qui illũ anteà eruat, aut sub niuibus latuerit. Tùm putatis terram, quæ ex tubere fit aliam esse ab ea quæ tuber progignebat & in ipsum conuersa est, an aliam? Hic variatum est sententiis Branda dicebat si elementa manent in misto secundum substantiam eadem esse seu integra essent, seu vt dici solet refracta: sin Solis qualitatibus cum iam mutata sint idem numero reuerti non posse. Definitam ob id esse quæstionem. Augustinus verò dixit non esse eandem terram, causam quærente Adriano, cur argentum, quod maiorem mutationem acceperat terrâ, idem foret terra diuersa, respondit transmutationem argenti esse artificiosam, ac velut scabellum antea quàm conficiatur, & postquam dissolutum fuerit materiam eandem habere: in terra intercedere transmutationem naturalem vnde nouam generationem post veram corruptionem. Contra hos igitur. Sic Adrianus inuectus est. *Adrian.* Non video inquit ô amici

amici quòd si iris quæ in muro apparet radij solis ab aqua reflexis manet eadem (licet sublatâ aquâ desierit) numero, cur terra ex tubere genita non sit eadem priori quæ tuber iam genuerat? Quid de illuuie in domo quæ fit abrumpitur, abit, redit, numquid alia numero erit semper? perinde est ac si capias pugillum frumenti, & effundas, & rursus capias. *Bran.* Certè erunt quæ ex eisdem eadem partium quæ eædem fuêre ratione. Si quid additum aut ablatum fuerit tantummodo illarum comparatione diuersa. Nam & plumbum liquefactum & concretum est idem vt solum genus formam duritiei aut mollitiei aquirant. *Adrian.* Cur ergo cum ex aqua fit aër ac rursus ex aëre æqua, aqua aquæ non erit eadem experimento docebo. Capiatur vas ferreum crassum vndique conclusum capacitatis mille vrceorum aquæ & imponatur in id vrceus aquæ tantum & coquatur illa aqua & habeat vas vnum foramen angustum & permittatur exire aër inde vbi incipit exire fumus statim concludatur osculum illud ferro ita vt nec exire possit aër inde torreatur magno igne quod intus est postmodum, vbi refrigeratum fuerit, apperiatur & prodibit fumus & non aër: & si iterum concludatur & remaneat apertum, ita vt aër ingredi possit post tempus inuenietur aqua collecta in vase: ergo nec illa aqua nec illi vapores transiuerunt in aërem, & si dicas quod aër transiuit in aquam per nouam generationem propter frigus contra hoc est quoniam plus generatur de aqua, ex hoc aëre quamvis torrefacto quàm ex aëre simplici quod tamen esse non posset vbi vapor ille transisset in aërem. Concesso modo quod verè vapor ille trãsisset in aërem & ex illo aëre fieret aqua: quęro per quid differat secunda aqua à prima, non ratione formæ: cum forma sit indiuidua & etiam quia differrent specie nam tu vis, vel quod aër possit mutari, vel non, si non, nulla est generatio vt dicebam, & homines cum redibunt & eadem elementa & forma humana sit eadem, ergo homines iidẽ: sin autem fiet generatio vera & transmutatio cum hæc pars aëris non differat ab illa per formam, ergo differret per materiam primam quam necesse est supponere omnes qui concedunt generationem & corruptionem, vt etiam concedit Aristoteles. Ergo si ex eadem materia rursus fiat, aër omnino erit vnus & idem, cum adeò parum differant partes aëris ad inuicem etiam quod habeant diuersam materiam, quid dices de aëre condensato? an dices esse alium ab aëre priore raro cum tamen plus differant quoad omnia accidentia & sensu & ratione quàm primus & secundus aër? præterea si mansisset idem, iam ob tempus non diceres esse diuersa: quid ergo facit illa interruptio? *Ph.* Vides similia admodũ fore, sed vtrum sit idem cum denuò generet? Arist. 2. de ortu & interitu in fine enim negat at dubitabo. *Er.* Cur? *Ph.* Quoniam non idem est quod primam genuit terram & secundam, quæ autem à diuersis fiunt authoribus diuersa esse videntur. *Er.* Agens nonne extra rem est: Si diuersitas agentium diuersitatis factorum causa esset primum & vnum agens non nisi vnum producere posset, atque ita fratres essent iidem: Quod etiam genuit argentum & quod restituit essent idem cum tamen non sint. *Ph.* Sed non sunt in eodem genere hæc agentia. *Er.* Nil refert: satis est quod quæ in eadem materia fiunt sunt eadem, si forma sit eadem: neque videmus aliam diuersitatis causam, quando accidentia essentiæ varietatem efficere non possunt: cum idem homo sit calidus, frigidus, albus, ruber, sanus, & æger. Præterea si differunt illa composita vel ratione materiæ, quod esset contra suppositum, vel ratione formæ: igitur terra non esset vnum in specie: Terra etiam quæ est hodie si tempus esset causa diuersitatis alia esset ab eaquæ fuit heri. Quid verò refert quod desierit esse terra vel per horum vel per momentum. Hæc ille credo recitabat ex quopiam libro nescio quo, sed satis opportunè, vt videtis. Inde subiecit. Quoniam si quæ occurrunt, singula persequi vellemus labor ingens & infinitus esset. Melius est & absolutius dicere postquã grauitas in mistis manet etiam elementa remanere, sed formam aliam immortalem accedere quæ tamen forma non sit propriè corporis, sed communicata illi per vitam. Ergo vt rem colligam, si mundus est finem habiturus, vt Plato censet & annus illa xxxvj. reuersurus palam est immortales animas esse oportere vnde illa virgilianus.

Atque iterum ad Troiam magnus mittatur
Achilles.

Ac illud:

Rursus & incipiant in corpora velle reuerti.

Sin autem æternus vt Peripatetici cum materia prima & generatio semper maneat dubium non est, quin aliquando vel tota materia mea aut illius maior pars formam humanam non sit subitura. Quod vbi euenerit, non minus erit idem ei succedet, ac tunc illi, qui præfuit, quam senex Socrates Socrati iuueni aut puero. Horum tamen materia magna ex parte mutata est. Incertum tamen est hoc circuitus tempus, velut & id fabulosum, vt iidem cum eadem fortuna redituri essent, rursusque Phalaris & Agtahocles gauisuri sint tam iniustis crudelibusque suppliciis & Cleombrotus, atque Ophella dare pœnas adeò iniustas, sed Poëtæ hæc fingunt vt vnum per aliud intelligamus. Verùm hæc opinio vt narrat Aristoteles fuit Alcmeonis egregij Philosophi. Subiungam autem illius verba quæ sunt hæc xvij. Probl. 3. Quin etiam rerum caducarum ortus talis sit atque interitus, vt eadem rursus oriantur ac pereant. veluti etiam vulgo dicitur circulum esse res humanas. Igitur homines quidam eosdem numero semper esse censere furor est: specie verò seruari eosdem, probari melius potest. Itaque vel priores nos esse possumus, talemque statuet aliquis seriem, vt eodem sit repetendum, vnde ortus extiterit. Cogitandumque ordinem continuum ac semper eodem tenore constantem. Homines enim idcirco perire Alcmeon inquit, quod suum initium fini coniungere non possunt. Scitè

perherclè

perhercle si quis non arctius recenseat. Sed formula quadam eius verba accipiat. Et si circulus sit, circulus autem vnà principio & fine careat priores, neque nos illis, neque illi nobis propinquitate mihi esse videntur. Non laborabo vt declarem quod vel perspicuum est vel obscurum aut etiam mutilatum. Homines redeunt specie non numero iidem: Sed quid ad hoc circulus? nonne etiam absque illo? cur pereunt! quia non possunt finem principio coniungere si possent nequaquam ergo interirent. Quod si id accideret vnus homo esset, vnus igitur est quisque cum eo qui succedit in materia, non tamen ille idem prorsus, tùm quia abruptus est in medio, tùm quia per materiam secundam distinguitur. Quod forsan & vos obiicietis Achillis enim reuertetur, sed non Pelæi & Thetidis filius, iuxta horum sententiam, & ideò iuuat diutius viuere quod finis, altius principio propius accedat, præterea si homines differrent per materiam secundam, non essent plures secundæ substantiæ, sed secundæ substantiæ per accidentia distinguerentur. Sed quid, aliane erit forma præter humanam animam? Erunt ergo formæ aliæ ab elementis & ab anima in composito nec erit homo vnus. Sed quid efficiet materia prima cum homogenea sit & potentia solum ens, vt hoc sit vnum ab alio? Vt specie quidem sit & numero, sed non numeri conditionibus vt post pulcher, aut sapiens, aut iustus. Sed audi alium in hac materia deducendi modum. Cum fuerit conclusio generalis negans vera cum conditione demonstrata ex duabus propositionibus aduersis de eadem subiecto, quarum vtraque sit cum conditione, sed altera ostendat sine conditione, altera conditionis auxilio, & conclusio generalis sine conditione affirmatiua fuerit vera & assumpta cum conditione, quæ affirmat, sublatâ conditione, vera erit, & quæ negabat sine conditione falsa remanebit. Quoniam mutatio conclusionis ad veritatem est facta ob sublatam conditionem. Et ideò est etiam assumpta, sublatâ conditione & mutata in eam quæ affirmat vera. Ac conditio illa cum sit in assumpta alia propositione, sed non ingrediatur demonstrationem imò sine illa nihilominus ostendat negantem sine conditione veram esse, quamvis conclusio mutetur ob conditionem sublatam nihilominus assumpta negans absque illa conditione vera manet & quæ ei aduersatur falsa. Exempli gratia. Nullus fortis prudens potest esse infelix: hæc est conclusio negans cum conditione quæ est prudens & ponamus quod demonstretur duabus præpositionibus aduersis vtpotè infælix malus & non malus. Quia nullus fortis prudens potest esse infælix malus repugnat prudentem esse & malum; hæc enim omnia supponuntur iam quia agitur de forma non materia: nam & Aristoteles in prioribus resolutoriis proponit à esse B, & B, esse C, quæ nec veræ sunt, nec vera esse possunt: ad propositum reuertendo altera etiam propositio quâ demonstratur sit hæc. Nullus fortis prudens est infelix non malus. Dico quod sublatâ conditione prudens si hæc propositio vera fuerit, aliquis fortis potest esse infelix hæc vera fit. Aliquis fortis potest esse infælix malus, & ita commutabitur. Et illa negans nihilominus remanebit vera. Nullus fortis potest esse infælix non malus. Et hoc (licet videatur longa deductio) statim tamen potest demonstrari. Quoniam propositionis veritas non mutatur nisi in eo quod demonstrat. Si igitur hæc propositio Socrates cum moritur, non potest statim in hominem transmutari vera est, quia eadem materia & forma esset subiectū duorum hominum. Igitur cum Socrates moritur non potest statim generari homo. Propositio assumpta cum conditione & per illam demonstrans est, Socrates cum moritur non potest statim in eundem hominem transmutari. Quæ verò assumit conditionem & non demonstrat per eam est, Socrates cum moritur, statim non potest in alium hominem transmutari. Sed ista conclusio Socrates cum moritur sublata conditione statim & simpliciter prolata sic transmutabitur, in hominem & est vera & necessaria qua mundus est æternus & materia prima æterna secundum Aristotelem & non est infinita, ergo tandem redibit aliquando ad formam humanam, & quoties redierit generabitur homo. Igitur per demonstrata, hæc propositio, Socrates cum moritur potest in eundem hominem transmutari, quæ est opposita Primæ & affirmat, vera est, & alia similiter quæ negat Socrates cum moritur non posset in alium hominem transmutari. Igitur hæc propositio vera est Socrates cum moritur potest in eundem hominem transmutari & non alium. Igitur cum Socrates mortuus transmutabitur in hominem, transmutabitur in Socratem ipsum, & non alium quod volebam demonstrare. Summatim breuiter colligendo Socrates moriens non potest statim transire in hominem, quia non potest in Socratem hoc autem non potest esse, quoniam idem esset mortuus & viuus, sed Socrates moriens aliquando transibit in hominem tum ex demonstratis tùm ex concessis ab Aristotele igitur Socrates moriens necessario aliquando transibit in Socratem. Aliter ex exemplo si nauis Argos potuisset aliquando refici ex eisdem tabulis ipsa fuisset nauis Argos denuò licèt desiisset forma eius artificialis, ergo si materia Socratis redierit sub forma humana multo magis redibit Socrates, quia nihil perijt. Aliter si à morte Socratis reuiuixisset, statim eadem nemo negaret esse Sccratem, sed interpositio temporis nihil agit ergo vbi materia Socratis iungetur humanæ animæ idem redibit Socrates, quia si post horam & diem idem conceditur, ergo si à decem millibus annorum. Aliter si à morte Socratis ille statim reuiuisceret non alius à Socrate reuiuisceret hoc ab omnibus conceditur, ergo potentia quæ remansit in materia ad humanam naturam remansit ad Socratem. Cum ergo post mortem Socratis nihil possit accidere per quod potentia illa tollatur cum materia Socratis imbuet formam humanam redibit ex naturalibus principiis Socrates. Aliter si maximæ primæ Socratis

iungeren

iungerentur omnia quæ faciunt ad Socratis manum secundam & ad accidentia illius, aut maior pars esset perinde ac si statim Socrates resurgeret. Sed in tam longo curriculo annorum infinitorum necesse est redire omnia quæ pertinent ad secundam manum, & ad accidentia etiam illius, quia modò vnum, modò aliud, putà in decem annis singula in centum annis redibunt duo & in X, quatuor & in C, sexdecim. Ergo in aliquo circuitu omnia vel maior pars saltem. Hoc dico quoniam Socrates senex, vt dixi, est idem sibi puero quamvis materia secunda sit fermè tota alia & accidentia multo magis, quinimò assimilabitur in omnibus magis. Alteri seni eiusdem ætatis quæ sibi ipsi puero & magis etiam quæ infanti. Et si dicas quod interim non fuit Socrates nec quicquam reminiscetur? Finge, vt quisquam ex grauissimo morbo qualis in Thucidydis pestilentia iaceat vt mortuus obliuiscatur omnium quæ norat etiam nominis proprij, vt ille retulit contigisse, an non tamen erit idem priori, & non alij qui fortuna aut casu se putet fuisse illum qui antea ægrotarat & omnia sciret quæ prius ille sciebat? *Aug.* At longa est expectatio huius reditus Philosophorum *Adr.* Quid vis & Poëtarum plausibia & Philosophorum appropinquare his quæ naturalis ratio ostendit munus est non vera docere. *Aug.* esset somnium longissimum *Ad.* Non longius visum est Epimenidi suum quæ Cæsari Dictatori cum in Pharsalia pugnaturus esset. *Aug.* Causa huius, quoniam vita illa per breuis etiam quod ita esset, longior videretur quæ omnium C, annorum quia non entis nullæ sunt passiones, sed vt ad rem redeam & eam paucis perficiam hæc etiam adiecero concedendo quod materia secunda efficit differentiam inter homines non accidentia: quoniã in eodem homine permutantur: & cum necesse sit materiam secundam redire licet non sub eisdem accidentibus, ideò redit homo diuersus in accidentibus & est pulchrum: vnde contingit ponentibus æternitatem mundi, vt necessariò cogantur admittere palingenesiam, quam Virgilius toties repetit. *Br.* Quæ felix esset si recordaremur prioris conditionis vt fabulatur Pythagoras, & in sõno accidit, nam si bona frueris memoria gaudebis: si misera, lætaberis, mutatam; sed quid si non recordemur, refert quod superfuerit non video. *Ad.* Planè qui oblitus est omnium, deinde didicit, hoc solo beatus est quod prioris vitæ memoria gaudet. *Aug.* Planè subtilis valdè consideratio: nam si hoc sustuleris in quo differet ab alio quæ nec ægrotauerit aut à se ipso si mortuus fuerit? nisi forsan quod remanent coniuncti amici potentia opes si adfuerunt: *Ad.* Sed his omissis habemus pulcherrimum huius opinionis exemplum in ranis quæ mortuæ, ex eodem limo rursus regenerantur, tanquam à somno expergiscerentur, neque enim dubium esse potest quando secundæ è putredine primarum obortæ sunt. *Bran.* Sed manet apud Aristotelem eadem difficultas quæ prius, negaret enim *Ad*: scio sed rationem non adducit. Rursus aliud tota terra corrupta iam periit, an vna specie tantum, an specie & numero? dicatis *Bran*: specie solum. *Ad*: ergo totum vnum elementum corrumpi potuit. *Aug.* Quid si dicam numero? *Ad*: Idem erit de hominibus dicendum. Præterea cum semicorrupta erit, eadem numero & diuersa, quo nihil potest dici absurdius, tum innumera alia sequentur inconuenientia.

7. Sed ex hoc aliud etiam prodit argumentum non leue intelligenti, aliis perbreue. Nam si animus est incorporeus palam est quod perpetuus: si vis quædam corporea: cum totum perpetuo moriatur & ideò fluat & refluat, non erit anima eadem infirmis ac sanis: quo nihil absurdius. Et licèt dicas vt Galenus ossa exsiccari, & ideò totum non fluere ac reflurere, sed quandam partem terream perpetuò manere: Dico quòd etiam illa pars fluit ac refluit, licèt in refluxu fiat magis terrea non quia manent sed quoniam ei quod mansit assimilatur, ideò fit in dies magis terrea, non tamẽ quicquam remanet. Aliter fermè idem si qui tota materia distinguuntur non possunt iidem esse, quare nec vmquam eiusdem ætatis & temporis homines: si qui participant eodem modo iidem vt Socrates senex, & Socrates puer. Si diuerso modo, coniunctissimi vt filius cum vtroque parente, igitur qui participabit cum deesse non possit magna ex parte homo homini idem erit. Licèt accidentibus differat. Nam & hoc ad æqualitatem & iustitiam distributiuam pertinet: Aliud ex supposito:

8. Infinitæ non possunt esse animæ & immortales: mortales esse non possunt & homines infiniti: igitur mortales sint, seu immortales homines non possunt esse infiniti: igitur homines redibunt, aut perpetua non erit generatio. Etsi redibunt animæ erunt immortales, solum relinquitur vt demõstremus secundam cum prima suppositio sit pro nobis. Et est quòd Philosophus 8. Phys. iuxta finem volens ostendere Deum non esse potentiam in materia nec quicquã aliud declarat ex hoc assumpto quod nulla substantia seu forma in materia mouet æterno tempore, sed Anima humana mouet humanum genus æterno tempore, igitur anima humana non est forma in materia. Aliter si animæ essent mortales & infinitæ, esset infinitum in potentia actu finitis constans: atque id diuersum præteritis præsentibus & futuris: natura transmutante id quod potest esse in id quod esse non potest, idest futurum in præteritum primo. Deinde infinitum constaret ex duobus infinitis & vno finito: hisque omnibus diuersarum naturarum necessario, fortuito, & possibili: Naturaque cum possit per finita hoc agere quomodo cum pauciora sint hæc infinitis, infinitis opus habebit. Demum quæro, an millesimus futurus sit & C, ac M, & ita de aliis, an poterunt explicari an non: si sic igitur infinitum potest comprehendi: si non, ergo futuri homines erunt non vnius generis, sed quidam iam potestate & numero comprehensi & quidam non. Quis non videt ergo hæc pugnare inuicem animas esse mortales & numerum hominum infinitum cum ergo numerus hominum sit infinitus, necesse est, vt

dicamus animas esse immortales. Hoc enim modo quot dissona fugimus.

9. Et inter reliqua illud absurdissimū quod Deus vel ignoraret homines omnes quos & meritò posset despicere, vel vt mortales, vel vt infinitos, vel saltem vt ordine carentes, siquidem infinitum ad ordinē redigere est impossibile, Deus autem suā simplicitate cuncta quæ fuerunt, sunt, quæque futura sunt, posset & quæ potentia sunt, & nunquam ad actum ventura scire, sed quorsum cū futura non sint. Nam Philosophi alij volunt, vt cognoscat solum vniuersalia, alij etiam singularia, dico præterita, presentia, & futura, nullus tamen ea quæ sub horum nullo comprehenderentur, sed & sic singulorū operationes aut saltem sapientum & bonorum, dico, non solum Plato sed etiam Aristoteles 12. Methap 10. Ethic c. 8. in fine propriè autem dignatur immortaliū cognitione. Ea propter ex Philosophis ac sapientibus optimisque viris quique animū nostrum immortalem esse merito existimarunt ac prodiderunt. Primusque adiecta vt dixi ratione tùm maximè in libro de septimanis affirmauit Hippocrates post Anaxagoras : inde ex Philosophis principales sectę Academici Stoici atq; Peripatetici (nā Epicureos & Cyrenaicos, quis iure audeat appellare) in tanta omnium rerum inscitia in tam stulta opinione de natura & rerū Principio in tam rudibus mendaciis de Diis (Philosophos) atque inter hos præcipui, Plato, Zeno, Aristoteles, Theophrastus, Themistius, Plotinusq; qui primus luculente hæc tractauit, ac disputauit. Extra aleam autem Thales inuentor primus, & assertor Diuinitatis animæ adeò vt Thalem rei primūm Authorem faciamus, Hippocratem Demonstrationis, Plotinum tractationis, & absolutæ doctrinæ constituamus. *Bran.* Adeò vt nullus Aristoteli nostro locus relinquatur. Risit Adrianus *Ad*: Sed & de illo forsan, plura audies quæ nunquam alias adeò vt non tam barbaram nostram regionem esse credas. Barbaram (inquit Brāda) absit imò video vt cultam vt imitari cupiam non audeam spernere. Sed procede. *Ad.* Antisthenes ergo & ipse extra ordinem adiicetur fuit enim plusquam stoicus author Cynicæ sectæ sed & Cicero Hassen etiam quamvis solum inter medicos Philosophus. Conticuitque parum quasi interrogaturos expectans. Tùm Augustinus. Quid inquam sapientissimum Pythagoram relinquis *Adr.* Non est locus apud nostros mendacibus. *Aug.* Nunquid nulli ex aduerso sapientes ? *Ad.* Non quod sciam *Aug.* Quid de Galeno & Aphrodisæo quos vt audiui putant aliter sentire *Ad.* Galenum Pythagoræ, Alexandrum Auerroi oppone, huiusmodi sapientum multo maior si velim numerus apud nos erit. *Aug.* Sequere æternum diuinæ mentis honorem. *Bran.* Ha, Ha ? Factus es repente Poëta Strenuus.

10. *Ad.* Redeo ad negocium inchoatum intellectus adeptus perpetuus est iuxta omnium sapientum opiniones, si ergo est pars animæ, vt substantia, habeo quod quæro : si vt similitudo non poterit esse subiectum intelligendi : ergo homo non intelligit. Videtur tamen Aristotelis opinione animā intelligere per intellectum qui est similitudo intellectus agentis. Sed quomodo corporeum fiet incorporeum, & similis quæstio est de intellectu, an perficiatur ab intellectis extra ? vt Aristoteles vult, an à primo intellectu vt Plato? Ergo supponamus quod scriptum est à Prisciano in librum de intellectu in communi & Phantasia. Theophrasti scilicet res primo esse extra in medio, post in sensu inde in φαντασία, & cogitatione, demum in anima, mente: conuersa via regredi ex intellectu ad φαντασίαν, per cogitationem atque ita in memoria reponi. Et productio specierum fit ob motum in instrumentis factum à rebus sensilibus, non quòd instrumenta transmittant species ad animam. His suppositis quæ sunt euidentissima apparet omnem incorpoream formam intelligere, aliter esset absque operatione, nam nec agere nec pati. Referatur per exemplum intellectus ad speculum quod tamen materia careat: tunc quod offeretur illi erit simile prorsus speculo, quia propriæ imagini, sit autem quod offertur eius facultatis vt semetipsum imprimat. Ergo ponatur obiectum sapientia seipsam imprimens nec conuersa, & sapientia in intellectu impressa & commutata velut scientia quod triangulus habet tres angulos duobus rectis æquales, est idem ei quod scitur, scilicet Triangulum habere tres angulos duobus rectis ęquales: Et est de re materiaria facta incorporea per intellectum, quanto magis si res incorporea sit quæ scitur. Cum ergo talia sint æterna, ergo & intellectus. *Bran.* Sed nihil est eorum quæ sunt ante intelligere intellectus *Ad.* Meministis duorum ordinum sensilis vis est magis ens quàm Prima materia, quia materia vt sit indiget forma, cum tamen per se sit aliquid, sensus tantum vt à sensili moueatur igitur perfectius est ens. Imaginandi facultas etiam est magis actu cum specie non indigeat semper vt sensus, sed solum ab initio : & illa cogitatio quæ duo coniungit, ea intellectu : Ergo intellectus est maximè ens. Est tamen & diuino quinque modis inferior. Quod sit ad illum in potentia, quòd animæ connexus, quod inclinatus ad primas substantias. Quod est quasi relaxatus ab argente. Quintus quod eo indigeat ad eius operationem, ideò ab Aristotele comparatur coloribus in tenebris vt agens soli. Non est ergo vt tabula Pura ab initio omnium quæ intellegit comparatione sed, quæ intellecturus est auxilio agentis, nam alias, vt dixi, habet sibi ingenitas. Tùm *Branda* inquit.

Si hæc opinio posset esse ex sententia Philosophotum tantum potuissent scire Ataui nostri de Indis quantum nos, nam memoria illa constaret hæc cognitio ? Deinde quid differret cognitio principiorū ab ea quæ est de demonstratis per illa, vtraque ab intellectu agente, vtraque æterna? Demū cur tam paratis intellectu vtroq; tam raro tamē homines intelligūt. *Ad.* Respōdet ad hanc Priscianus in perspicua animę ad seipsā & intellectū cōuersione, animę perfectio tota cōsi-

stit, cōtra verò in eiusdē ad corpora inclinatione casus ab intellectu cōtingit. Non solū enim intellectus vt diximus, sed etiā anima, perficitur à seipsa Nēpe intellectus intelligētia nunquā intermittitur, quia potētia intelligēdi destituatur: sed id accidit quòd ad sequētia & corporea, & omnino extra seipsā anima distrahatur, propter conditionē vitæ illius hominis in vtranq; partem vices agentē variāq; ad opposita inclinationem. Ergo intellectus non semper, intelligit, sed semper potest intelligere, quia habet voluntatē cōiunctā per quam potest se auertere à sensilibus & à corporeis vexationibus, velut dolore, timore voluptatibus, spe semper ergo est in medio duorū cōtranitentiū. De cognitione principiorum illa est prima, aliæ sunt secūdæ, ideò aliquis sine auxilio sensus posset esse Geometra, si posset scire res absque sensibus, species enim latitāt sub nominibus quæ plerumque à sensu negando illū pendent, velut quod linea est longitudo absq; latitudine. Et ita si mens potuisset scire recta principia potuisset cognoscere regiones illas esse habitabiles, nō tamē habitatas, hoc enim fortuitū, ideò nō potest cognosci nisi à sensu. De corpore, cum non possimus scire nisi illo participe ob vitam sufficit vt non impediat. *Bran.* Sed, quamnam censetis fuisse Aristotelis opinionem, de his *Ad.*

11. Quod Anima sit actus quidā atq; substantia connexa intellectui, qui est præparatio & ex intellectu agente & anima fit intellectus adeptus æternus, cum intelligimus per actum primū, tanto magis per secundū, non ratione animæ æternus, sed agentis, velut lux in vrceo est æterna non ratione vrcei sed solis, vrceo enim fracto lux non desinit, sed esse in vrceo, sunt ergo tria lux, hæc lux, & lux in vrceo, lux non incipit nec desinis esse: lux hæc incipit esse & non desinit: lux in vrceo incipit esse ac desinit. Ita apud Philosophum intellectus agens nec incipit esse nec desinit: vt hic qui est in anima mea incipit sed nō desinit: vt in anima mea incipit & desinit: quia in anima incipit & desinit. Non est ergo vna anima in omnibus hominibus. Et quoniam semel separatus est nō desinit: sed non intelligit, donec animæ meæ rursum iungatur. *Bran.* Optimè congruere videtur nisi quòd hic intellectus vel simpliciter intelligitur, & ita nec incipit nec desinit vel in comparatione ad animam meam, & ita vt incipit etiam desinet. *Ad.* Rectè dubitas. Quod vnaquęque lux differeat ab altera patet & similiter intellectus quoniam cū incepit esse in anima mea, non incepit esse in vestra, igitur non sunt eadem inter se, neque cum luce Solis essent enim eadem inter se: est etiam lux ipsa immortalis, quia lux solis & est secundum. Dico modò, quod non desinit aliter vel sui ratione, & hoc non cū sit immortalis: vel comparata ad animam? neque id qudniam quotiescunq; anima hæc fuerit, erit idem intellectus modo enim in vrceo variatur, quoniam tam solis lux quàm vrceus corporea sunt & ideò mobilia, anima verò & intellectus agens incorporei verùm dicetis quod in vrceo est nec lux est sed lumē ideoque mortales. Dico quod lumen est perpetuū, quia reait idē numero ergo idem & in cōiunctione intellectus & animæ aliter qui refugit infinitum, sæpiùs cogitur illud repetere. Sed de hoc in initio huius argumenti diximus, vt vltima primis iungamus:

12. Omittamus modo hęc & deueniamus ad principale dicendo quòd si anima esset mortalis præsertim humana peruerteretur omnis ratio iustitiæ, & ordinis diuini. Quorsum enim si toti interimus (animaduertite bene) & infiniti sumus numero, nec fit reditus, tota hæc negociatio humanæ naturæ, tam breuis, inuoluta imperfecta? certè stultitia mera. Et consilia hominum; & tam improba facta dicta cogitationes illorum delectare Deos possunt, quomodo Dij boni qui his oblectētur. At contra, si vel pœnas daturi hæc agunt aut circulo redeunt hoc opus naturæ, quod astra quod elementa leuiora, aqua, & aër, quod generatio omnis elementorum & viliorum animaliū, & vt dixi ranarum imitatur, quod antiqui Ægyptij Phænicis commento reor representarunt dicendum erit: alterum pium & Prouidentiæ diuinæ in quo illius iustitia eluceslit, dimittuntur Tauri, vrsi, canes in ârenam ad pugnam illis quidem tùm acerbam, sed quanquam belluis tamē si vicerint lætam, à victoria recipiuntur & curantur, ita milites vt simus iustitiæ veritatis pietatis. In hoc vtrumque beneficium, & Deorū & naturæ perit. Deinde quæ Deorum inuidia (absit dicto calūnia & turpitudo) nos huc mittere cū tā fragili natura, anno breui, misera vita, tot perpetuis molestiis, tā perpetuo metu, tot periculis, odiis nostri generis, iniuriis calamitatibus, oppressionibus, incertā prole? Vbi iustitia illorum, vbi misericordia, vbi æquitas quisque dicere potest. At mali sunt homines? at ego qui bonus, & quanto melior tanto deteriora patior, quo exemplo, vt non solum propriis infortuniis doleam, sed bonis tot immerentium inuideam? Præsertim hoc durum quidem si nulla sit ab obitu expectatio, quòd omnibus bonis humanis tum faueat iniustitia, atque improbitas? Dico opibus potentiæ existimationi proli suscipiendæ & educendæ voluptatibus, honoribus gloriæ amicis diuturnitati vitæ incolumitate deliciis, quid quod maius est etiam virtuti, ipsi, sapientiæ, pietati, nam de deliciis ipsis & fama post mortem quis dubitat? At si vel homines redeant aut animi sint immortales in priore Fati & naturæ necessitatem excusabimus: sapientiæ & pietatis opera tùm laudabimus tùm excusabimus: in posteriore etiam diuinæ iustitiæ pręmiis afficiemur, & ordinem illum admirabimur. Quis enim vel adeò Prothagoras, aut Epicureus aut Cyrenaita, cur vel omnino atheus fuit qui Deos aut iniustitiæ, aut stultitiæ, aut imperitiæ accusare ausus sit. Sustulerunt aliqui, negarunt alij curæ esse res nostras, at nobis quibus iam Deorum Prouidentiam negare aut dissimulare nō licet, nisi asinis simus rudiores, quomodo hæc facta citra crudelitatē, improbitatem summam, inertiam, atq; iniustitiam, imò stultitiā excusare dabitur?

His agitur dictis, totoque ardentis ab ore
Scintillæ absistūt: oculis micat artibus ignis.

Quam melius est ergo existimare hunc

mundum

mundum esse veluti Deorum quoddam viridarium in quod immissi coloni ac agricolæ vnusquisq; suę artis,industrię diligētiæ,animi,motumque vestigia reliquerit.Propterea & Romanos ad excindēdam feritatē Barbarorum ac Italorum & Græcorum flagitia & lenitatem immisit & probos viros ad instruendos populos velut Socratem vt iocatus Plato in Eutyphrone quasi bene sapiente dehortatur filium ab accusatione patris de capitali crimine, & demum calamitates magnæ quibus cum neque contusi duro iugo neque admoniti ab optimis eius temporis viris resipiscere vellent ferme ex toto delerentur,vel aquarum inundationibus vel terremotibus vel ariditate terræ vel pestilentia, vel serpentum copia aut bellis exitialibus,vel etiam aliqua alia via quæ mihi nūc non venit in mentem.Sed enim præter hæc studuit (Quisquis fuit ille Deorum) summa diligentia in ætatibus mundi & regionibus, & hominum ipsorum conditionibus,& illorum ætatibus, casibus, studiis, vitæ genere familiis domibus successionibus vt omnia quantum fieri posset ad æqualitatem redirēt: parumque vel minimam homines fortuna inter se differrent. Et quanquam sint hominum plura genera felices infelices & qui iacent:atque hi omnes sine Genio alij Genio prauo vt C. Iulius Cæsar M. Antonius M. Brutus Cassius totque alij, & quidam cum felici velut ipse Iosephus qui res Iudaicas scripsit. Tertium sapientum velut Socratis Trimegisti alij corporatos secum habere creduntur. Hæc vtcunque sint non laboro omnia ad Generis humani aut pœnas aut auxilium certè emendationem.Quid sint si Genij non scio,nec quæro, vt sit vel Dei voluntas euidentior,aut fatalis quædam necessitas, aut astrorum ordo vel Dæmon aliquis,seu Deus an sua cuiusque propria voluntas,& si habeam quod nō credam non tamen scire fateor. *Aug.* Ego quod ad me attinet iam in opinione hac sum adeò confirmatus,vt illos stultos esse putē iuxta Poëtā.

——*Qui in fortunæ casibus omnia ponūt*
Et nullo credant Mundum rectore moueri
Natura nectente vices & lucis & anni.

Verùm id putat vnusquisque sapientum nostrorum prouisum omnibus & pro animorum immortalitate, & pro meritis atque suppliciis:Et quanquam huius noti ad paucos peruenerit,ipsa tamen res ad omnes pertinet & vtilis est Gaudent enim homines naturæ & rerum priuilegio, quanquam non moniti de sphęra paucissimi imò fermè nulli norunt, quod quarta pars periferiæ eius æqualis sit circulo maximo, quicunque tamen Quartam sphæricæ periferiæ portionē descripserit ad amussim in circulo magno eiusdem satis proximæ ad veram speciem rei accedet,propius qui portionem sciret dimidio semicirculi: nam tum tota propositum ostenderet. Sed dic quæso, si anima est immortalis (ait Augustinus) quid refert tēpus seu dormiat,seu vigilet,aut longum vel breuè,aut omnino,nil refert? *Ad.* rectè dubitas & ad rem multum facit.Sed mens cognoscit temporis vim in sensibus non in seipsa, ratione, & vitæ sensu sine qua communicari non potest.Et vt in tabella picta,in qua nuptiæ,ortus, pueri educatio, facta iuuenialia, senilis quies, morbus inde mors describūtur absque tempore ordo & successio rerum vno intuitu dignoscitur:ita perpetuā successionē cognoscunt,non tempus. Verumtamen hoc esse aut non esse,vtpote mens eclipsim percipit, qua est & quod definit non temporis mutationem. Quæ verò purior in causis sub quibus comparationes continentur.Adeò vt sensus ex comparationibus simplices motus & magnitudines cum tempore & iuxta illud percipiat.Mens nostra rem sensu perceptā & simplices lationes absque temporis successione,sed velut in tabula depictas. Perfecte autem causas & lationes in quibus quæ eueniunt cognoscit.Perfectissima ex causis simplices lationes,magnitudines, & comparationes cognoscit, sensus belluarum comparationes,sed simplicium nihil. Hæc est ratio horum sed ad principale reuertamus.

12. Homo vnus nobilior est totâ vnâ specie animalium maximè muscarum & similium species illa æterna est,ergo & homo ille? nec est quòd dicas species illa perpetua est, Socrates obiit, igitur species muscarum Socrate nobilior est. Nam non licet assumere,vt certum id de quo est quæstio.Duo igitur sunt demonstranda quod Socrates,sit nobilior toto muscarum genere,quod etiam sit viuacior.Nam si adimas perpetuitatem, dubium non est de sensibus,cognoscit homo,vt Auerroës dicebat,medullā, cætera animalia corticem:cogitat:illa non cogitant:imaginatur quæ vult & cum vult,non illa, sed fortuitò & ex memoria intelligit: at perpetuitas non perficit formam,neque diuturnitate quicquam fit perfectius.Socrates igitur muscarum genere nobilior est vt etiam quavis muscâ,id ergo primum.At muscarum genus perpetuum est:natura enim illa Deo curæ est perpetuitatis capax, igitur cum ab æterno quodam profluant illa omnia quæ muscarū naturæ conueniunt tanquā ente diuino etiam à Socrate,vt eiusmodi est. *Br.* Forsan dicent ab humano genere quod perpetuum est.At non,quoniam quæ vnusquisq; habet, à propria natura habet, in hominibus, non vt in animalibus. Ideò & foueas vt vulpes & telas vt aranea & nidos vt hirundo vnus & idem homo tum latibula vt cuniculi & longè plura facere nouit quàm vniuersa animalium genera. Quin etiam tot principia artes disciplinas negotia,& actiones. Homo ergo vnus naturā habet infinitā atque ideò immortalē habet. Quin etiam secus si dicas,sequatur necesse est, vt vbi solum duo essent cuniculi superessent verò mille equi,aut elephantes,cum duo ille cuniculi perpetuitatem continerent, vt illi forent nongentis equis, aut elephantibus nobiliores,in quibus nulla sit talis necessitas, cum possit genus in aliis centum seruari elephantibus aut equis.Hoc idem argumentum aliud in mentem huiusmodi reuocauit.

13 Hirundines norūt nidos suos mirâ arte fabricare, seu casu seu intellectu, seu vsu,vel natura, si casu,non esset in omnibus, neque pluribus,vt neque de aceruo lapidum proiecto,vt domus erigitur.Sed nec vsu,quia pulli

li hirundinum hoc scire non possent, cum nunquam construxerint, non intellectu qui sit illis proprius, nam si quis interrogaret & ipsæ scirent loqui, vt picæ, corui, merulæ, psittaci, sturni edocti verba humana, nũquã tamen didicerunt applicare verba negotiis, aut his quæ vident. Relinquitur vt natura. Sed natura cum sit omniũ per se ignara dirigitur à mente non errante, vt etiam docet Philosophi & Auerroës precipuè, ergo quod dirigit est mens cum ergo hæc mens extra animal illud sit, quia dirigit totam speciem hirundinum, alia alcyonum, alia bombycũ, atque ideò perpetua, cum genus illud perpetuum sit igitur principium omne actionis, secundum ratione͂, seu artis, seu negotiationis est sempiternũ, at hoc est in nobis quod percipimus & est anima, igitur anima mens est aut in ea mens perpetua, quod probare intendebamus. Neque potes confugere ad animam sensile͂ quæ est in animalibus quoniam videmus quod in nobis etsi oculus haberet manus, per se tamen non sciret fabricare fistulã aut colorem in pariete nisi fortuito. Sin autem dicas à virtute quæ proportione respondeat ipsi rationi in animalibus, quam æstimatiuã vocat Auerrois fieri posse nidum aut latibulũ: falleris nã videmus & in nobis quod non citra ratiocinationem nondũ experto fit quicquam tùm maximè, vbi opus est pluribus operationibus & continuatis & ordinatis, hæc antem non est in animalibus, quod etiam ostenditur ex illorũ natura, as vi, quoniã corui & picæ cũ sciant cõstruere sibi nidos qui ex eis didicerunt loqui, nunquã in æternũ scirent dicere aut rationem reddere, cur aut quomodo id agant. Igitur vis quæ docet non sensilis interior. *Brau.* Posset aliquis dicere quòd vis illa esset ab impetu & desiderio quodam sensilis animæ quæ non ordinatim, sed subsultim mouetur animal? *Ad*: Sed nunquã in tam longa operatione & varia & ordinata posset perseuerare, vt videmus in hirundinibus quæ paleas, primum madefaciunt vbi lutum non inuenerint, inde puluere oblinunt in foramine condendo ex impetu, frustrarentur enim nimisque frequenter. Reducamus modò (vt dicunt logici (ad formam:

Omne principium quod cognoscit finem, & necessaria ad illum, est immortale: anima & mens in nobis hæc cognoscit; igitur. Rursus ostendamus maiorem.

Omne quod cognoscit se cognoscere, est principium in nobis, mens cognoscit finem & se cognoscere: Igitur, ostendamus modò quòd principium ad extra sit immortale. Omne quod naturâ est separatum, est immortale: sed quod cognoscit finem & necessaria ad illum est natura separatũ ergo. Iterũ

Omne quod per se manet est immortale: omne quod est à materia separatum per se manet. Ideò. Demum omne quod conuenit omni & semper tanquam causa & cognoscit est incorporeum: Omne quod cognoscit finem & necessaria ad illum cognoscit & cõuenit omni & semper tãquã causa: quare. *Bran.* Ad hoc dicere visus est rectè Epicurus. Hoc contingere ex habitibus paulatim congestis, & ordinatis descendentibus in prole͂, Sicut visum est ætate nostrâ, quod columbi in nouis insulis non fugiebant homines, quoniam illos non nouerunt, post vbi se capi, discerpi, impeti iacul, lapidibus, baculis, spoliari pullis suis viderunt: primum quæ viderant effugere homines didicerunt postea etiam pulli illarum cum timore illo orti sunt, cũ ergo aues indigerent nidis quippiam eiusmodi & cuniculi latebras fabricarunt, filij itidem: sed cum non sufficeret perfectiora extruxerunt nepotes eadem quæ filij, sed & ipsi aliquid superaddentes tandem eo paulatim deuenere, vt rem artificiosæ similem construxerint ita de palea & aqua ex necessitate & casu ars prodiit non à mente. Et quia in hoc argumento videris totam adhibuisse diligentiã non pigebit si vis respondere: vt dicamus musculos quasi artificiosè moueri (& certè subtiliore arte quàm nidi ab hirundinibus conficiantur) & tamen non à mente vlla, imò nobis non animaduertentibus: neque exteriore cum illam vim sentiamus in nobis inditam. Et quicquid dixeris de hirundinum nido, dicam ego de musculorũ motu: quid ergo est vt dicas illum motũ esse à mẽte. Aliud si placet *Ad*: Placet maximè.

Si quis assuetus pulsui chelis aut citharæ aliud agat, aliud cogitet, tamen ex habitu pulsat ritè citharam. Et non ab aliqua mente: non propria, quia illa cognosceret: nec exteriore, quoniam mens exterior non docet opera alia nisi quæ à natura fiunt: hoc autem est artificiosum. Si ergo ille habitus esset æternus, cur per successionem descendisset in te pulsares non animaduertens à nulla mente externa edoctus. Aliud pulchrius si vis. *Ad.* Dic vt libet.

Hoc tuum argumentum huic innititur mens externa est æterna fateor: Ergo interior quæ idem potest non valet tametsi eadẽ cognoscat. Quia externa cognoscit absque discursu & ideò æterna, non quia cognoscit, sed quia absque ratione: nostra autem cum ratione. Esset enim perinde ac si diceres lumẽ a luce prouenit in igne & soli hoc verum est: & eodem modo concedam: & in vtroque lumen mortale est, admittes: sed lux in igne etiam corrũpi potest, igitur & in sole, hoc demum non concludit. Quodicto conticuit.

Ad. Ardua hæc omnia sunt ô vir insignis, & nisi aliis multis quæ audistis & audituri estis confirmatus paterer me, vt dici solet, in hoc argumẽto à loco deiici. Sed videmus diligẽtius singula, non ob id ipsum tantum, sed quoniam vt adagium est, qui non construit destruit. Dum enim inefficaces rationes deteguntur contrarium apparet plerumq; eius quod probare intendimus, veluti ergo in prima responsione, dico quòd non est simile de fuga, & fabrica nidi, nam fuga fit ex imagine impressa per oculos & aures in animã, vt cum vident hominem tremãt sed fabrica est per habitum artificiosum, quòd verum sit fabricando nidum semper sequitur rectã & eandem rationem, at in fuga non omnes columbi eodem modo fugiũt sed ad dextram leuã retro ante in sublime in terram ad aquas in arbores. Nec possumus dicere quod eodem modo operentur quia omnes imaginentur eandem formam vidi: hoc enim verum

rum est, & dato quod esset verum non possent absque ratione adhibere eadem & eodem modo iuxta opportunitatem, quare ratio manet in suo vigore.

Ad secundam causa erroris orta est ex Galeno qui vult principium motus corporis nostri esse à musculis, quod est falsum quia esset in pluribus diuersis & diuerso modo sed est in ossibus quæ voluntati ob animam sensilem eis coniunctam subiiciuntur, & ideò inchoant motum ex quo initio postmodum quilibet musculus illi ossi coniunctus mouetur ad perficiendum motum illum & ideo vis illa est in anima ad arbitium voluntatis cònstituta & dirigitur à mente quæ nouit originem motus licet non media, nec modum mediorum:sed illa sapientia est in constructione & est ab incorporeo & æterno. Et si fabrica est à tali agente, non minus & operatio.

Ad tertiã concludit oppositum homo enim nò pulsat chelim nisi vel a mẽte sua directus vel aliena : sed à quavis sit est directus ab incorporeo.Quamvis si non concludat ratio multo minus responsi similitudo, nam hæ operationes nec sunt ingenitæ nec naturales, sed ab arte paulatim incrementa accipiento,& sic aucta.

Difficillima sanè est vltima responsio. Dico tamen quòd ea similitudo non procedit quia est sermo de substantiis corporeis aut incorporeis.In accidentibus non est hoc discrimẽ,illa enim vt lux corporea sunt,cum dicis quòd incorporeum sine discursu agit Dico quòd comprehendit ordinem nidum enim facit ante oua & oua antequam foueat, ergo ibi est successio & ordo ad cuius similitudinem factus est humanus intellectus & anima ipsa.*Bran.* licetne aliquid respondere? *Ad* Cur non ? *Bran.*Hæc tua similitudo nulla videtur èsse,nam mens nostra cum discursu indigeat potentiam secum admistam habet ideò perpetua esse non potest, vt externa illa mens quæ pura est. Et si dicas lucem Solis differre à luce ignis quod vna sit purissima alia obscura & impura?Dico quod idem est de mente incorporea externa & nostra plena dubiis ignorantia erroribus quod peius est. Quod ad discrimen substantiæ & accidentium nihil est cum accidens fuerit proprium,nam hoc semper manet substãtiæ affixum *Ad*:Dixisti?*Bran*:Equidem. Ad audi modo & tu. Dico quòd quamvis videatur aliqua similitudo inter has duas comparationes non tamenverè est :sed corporea incorporeis comparantur in quibus necesse est esse similitudinem:quoniam corpora possunt differre & esse aliquam similitudinem in accidentibus:sed in incorporeis differentia cõtingit ex cõnexu cum corporibus verum intellige imò & sentire ipsum est proprium incorporeo provt in origine,non vt in subiecto.Quod enim sentit vel etiam quod educit ad actum perpetuum est.*Bran*,Nunquid caro & pomum & lapis fiunt ab incorporeo vel illius vi? *Ad.* Ad hoc respondet Galenus Primo de Naturalibus Facultatibus,quòd ab incorporeis fit formatio : cætera à corporea vi calido, ergo vt rem breui exemplo expediam mens nostra ad alias separatas se habet vt oculus paruus imò exiguus turbidus imbecillis obscurus ad oculum magnum purum splendidum bene cernentem:ambo tamẽ oculi,ambo vi incorporea præditi,ambo lucis participes. Sed audiatis alias rationes.

14. Si anima non esset immortalis superfluuum erat condere mentem & rationem, nam cogitatio poterat omnia intelligere,vel mens esse pro cogitatione in quo enim different.

15. Præterea mens ex vno in alterum resilit quod proprium est velut in speculis lucis:nam quæ corporea sunt non resiliunt non oculus vnum per aliud videt, non ordinat non nectit, non id potest ratio, neque multo minus imaginandi vis. Proprium est immortalibus imò etiam his quæ ab illis profluunt collustrare.

16.Sed mittamus hęc:ad id de visu veniamus: omittamus incredibilia velut Galeni opinionem, quòd fiat per concursantes species & dico quod Plato putat ab oculo species super rem decidere,atque ita maxima erit vis oculi quæ totum orbem in nocte amplectatur. Præterea videmus, à Syderibus ac Sole manifesto decidi. Et solem per fenestras virides, aut arborum apices subiectum solum eodem colore tingere. Propterea visa verior opinio Aristotelis, Quam & Bacco,& Cantuariensis Episcopus,& Facius Cardanus, & Vitellio secuti sunt quod à rebus sed per conos in quovis puncto terminatos. Quæ opinio infinitum,non solum admittit,infinities infinitum quot enim in medio potentia puncta,tot in actu coni,quia oculum ad videndũ quovis in loco ponatur mouent. Quare visũ est nostris,sapientibus melius, vt vi luminis censerent & calorem & splendorem totum à qualibet parte diffundi vt de animæ vi,oculus autẽ superueniens vim diffundit animæ virtute quæ in conum dilatatur ad obiectum vsque atque ita efficit,quod potestate est ad actum reducens.visionem. *Aug.* Sed in concauo speculo videmus conũ circa oculi opus, non,ergo coni ab anima fiunt. Similiter in crystallina sphærea videmus ex'aduerso conũ vtriusque apice ignem accendente cur,ergo desideratur oculus ? & vt dictum est color frondium defertur ad terram & ibi relucet. Sed & videntur multi negare lumen corpoream esse rem. *Ad.*coni & lumen & colorũ similitudo corporea sunt quia primum longitudinem,latitudinem,& profunditatẽ seu crassitiem obtinent,& à corpore deciduntur & in corpore sunt. Quare autem reflexæ & per sphærã transmissæ, absque oculi auxilio in conum coeant,ratio ipsa naturalis docet : nam quanta est proportio ambitus Solis ad distantiam à speculo concauo vel sphærula,tanta cũ fuerit ambitus speculi aut sphærulæ ad distantiam apicis coni à speculo aut sphærula , ibi necesse est maximam vim esse radiorum Solis, & ideò cum coeant in punctum fiet conus. Ergo dicemus colorem esse actu in lumine , non tamen esse conum in actu circa oculi opus aut speculum vel aliquid simile. Est ergo lumen res corporea non corpus:in quo color actu, potentia forma coni : & res materiaria non tamen vt odor & sapor qui sunt in materia

mista & mutabili is verò in materia mutabili non mista: aut quatenus simplex est:lumen verò in materia nec mutabili nec mista, aut quatenus non mista nec mutabili: quoniam licet propriè eius subiectum sit aqua aut aër, tamen chrystallus & vitrum & eiusmodi. Cũ ergo in medio colores sint confusi, & anima efficiat vt colores actu vibeantur in subiecto vel obiecto distingunt igitur potentia animæ prædita est vi infinita & immortali. Sed quia videtur magnum de luce ignis & lumine quoniam & ipsa, ad actum quæ sunt in potentia transmutant,& tamen sunt corporea & mortalia. Primùm sciendum est quòd (licet parerga videatur) flamma non est aër accensus sed humidum pingue tenue, necnon humidum terreum, quod cum multis notis dignoscatur hoc potissimum constat, quoniã fumus eam antecedit qui nobis spectantibus in illam conuertitur. Aliud, quia flammâ extincta fumus relinquitur & accenso ferro nulla flamma prodit, quàvis non desit aëris copia, inaurato ferro candenti. Ergo vt ad rẽ veniam, dicendum quòd ignis est res perpetua per se, per accidens corruptibilis & mortalis, nam stirpes, lapides, & metalla, animalia quæque sunt omnino per se corruptioni obnoxia, etiamsi per se dimittantur, quia corpora & mista: marcescunt enim intus, at ignis est res corporea mathematica vt etiam lux, lumenque, non tamẽ corpus neque enim mistum imò dirimit quamcunque mistionẽ, semper mobilis immarcescibilis, cui si non desit pabulum nunquam extinguitur neque fit seipsò deterior. Et ideò est medius inter mortalia & immortalia. Et ob id ab omnibus gentibus in Deorum sacrificiis adhibetur. At quod de igne dixi, dicito tu de luce & lumine propter ligna putrefacta oculos ælurorum, & huiusmodi, vel dic quod ea deductio ad actum fit vi animæ nostræ licet ignis lux conferat & adiuuet. Sed melior est prima aut secunda responsio, quoniam videmus etiam per ignem colores vitri transfundi in parietes & solum & gigni. Candor autem lucis & luminis est fundamentum ideò affricatus gladius nitens super chartã in obscurissimo loco super conum sacchari tum ob motum tùm ob candorem tantum præbet luminis, vt fermè possimus legere. Obstat solum inconstantia, candela autem & flamma maius præbet lumen ob profunditatem. Vnde si quis posset inuenire candidum absolutè perspicuum haberet lumen æternum etiam sine motu. Motus ergo celerrimus præcipuè quoniam (licet in medio nihil lucis aut luminis seruetur) seruatâ luce ac lumine aliquandiu in oculo, lucem lumenque lumini addit ac luci adeò adauget, vt instar candelæ illustret locum præcipuè angustum. Sed ad alia procedamus.

17. Diximus exemplo ignem medium esse inter mortalia immortaliaque vt nil magis, sed sunt etiam corporea & incorporea intelligentia & intellectu carentia, nam de sensibus non est quærendum medium, cum ad imperfectionem attineant, neque enim incorporea sensu vllo prædita sunt. Quid ergo aliud medium esse potest vel ipso Epicuro teste, aut indice aut conueniens magis esse potest quàm homo. *Bran.* Vera dicis non solum sed euidentia. Homo intelligit aliquando, aliquando non, aliqui sic, aliqui non, corporeus specie, incorporeus re, medium igitur etiam esse conuenit immortalitatis ac mortalitatis, corpore siquidem & coniunctione mortalis altera immortalis non nisi anima, anima igitur immortalis. Huic ergo subiiciamus alteram propositionem, siquidem quod natura adeò diligenter extrema coniunxit inuicem mediis vt rima nullibi fermè pateat inter species, loca, partes. Non est vt ista declarem amplius aut doceam: id quod etiam in iudicio ad Augustum perbellè depinxit Horatius dicens.

Est vetus atque probus centum qui perficit annos:
Quid? qui deperiit minor vno mense, vel anno:
Inter quos referendus erit? veteresne Poëtas
An, quos & præsens, & postera respuet ætas?
Iste quidem veteres interponetur honestè.
Vtor permisso, caudæque pilos vt equinæ
Paulatim vello: & demo vnum, demo etiam vnum.
Dum cadat elusus ratione ruentis acerui.

Zoophita vocat Aristoteles, velut vrticas & spongias, quas inter ne animalia numeres, an plantas planè incertum est. Perabsurdum igitur est imò stultum non solum existimari, nihil esse medium inter hos duos mundos: imò non coniustum ambobus: imò non remeare quicquam ex hoc in illum atque vicissim ex illo in hunc: quod si est quid aliud sanè esse potest, aut credi, vel imaginari quam humana anima? *Vas.* Inhorruimus hoc audito omnes atque ille interim sequebatur dicens. Quamobrem nihil beatius excogitari potest nostrâ conditione in qua vicissim iungimur optimis atque clarissimis. Hâc mutuâ coniunctione atque consortio nihil dulcius, suauius, iucundius excogitari potest. Asper est hic discessus sed momento absoluitur, ibi deliciæ vt verisimile est bonis sempiternæ. Haud amplector. Illud Homeri inducentis Achillem dicentem.

Rusticus ipse equidem malim seruire per agros.
A quo vel tenui fierem mercede beatus;
Atque humiles habitare casas, & pauperis arua
Vertere, cui semper fructus seges ægra negaret,
Quàm regere hic cunctas animas, vmbrasque silentum
Defunctosque inter regnare potenter Auerno.

Bran. Fabulosa, & de inferis, non de bonis. Cæterum illud demiror quod impulerit tot homines malê sentire de *Animorum* Immortalitate tot euidentibus in contrarium argumentis? *Ad.* habent & qui secus credunt suas coniecturas. Quod cum homo expirat nihil foras prodire videatur. Sed quid mirum cum sit vt dictum est incorporea: imò hoc magis fauet immortalitati, quàm si aliquid corporeum prodire videretur,

tur, vnde Stoici ob id coacti sunt fateri aliquando cum diu superfuerint animæ morientibus interire. Alia quòd cum Mundus sit æternus, si hominum animæ sint immortales atque distinctæ inter se non solum iamdudum infinitas esse necesse est verum etiam hoc ipsum concipi non possit in dies augeri. Tertia quod forent ociosæ & iam æterno tempore, forma autem non esse debet absque operatione. Sed quid prohibet ne velut in homine qui vnus est & infinitas habet partes inter se distinctas toti tamen communicantes, inter quas multæ specie differunt velut nasus oculi aures musculi & viscera singula : ita vnum est principium infinitæ partes potentia, non potentia partes imo actu sed potentia infinitæ aut vt sit palingenesia. Non ergo different specie, nonne tot sydera in octauo orbe? An ergo different specie an non different numero? sed materia numerum efficit animæ materia carent. Non est materia primum in cœlo: Et si non adsit in anima quid prohibet distingui? Nonne si non quantitate non differunt, eædem perfectione non erunt. Perfectio autem quædam est quantitas. Eodē modo tollemus & quartam quod sint infinitæ & ideò ab æterno necessario quædam : nec tamen ab æterno vlla ostendi possit, circuitu enim quodam in vtraque opinione omnes redeunt. Quinta, quoniam Per eadem ferme ad quintam quod esset nobilior separatis substantiis quoniam ille corporibus addictæ sint, nostræ animæ minimè: nam & animæ nostræ vnius addictæ quasi partes essent ac quasi fœtus. De tot autem hominum imperfectione vel quia ad virilem ætatem peruenire non possint mutili claudi cæci ægri serui mendici barbari lurcones. Quid attinet dicere, quot fœda lux cælestis illustret. Hæc & enim & illa perpetuo circuitu reuoluuntur, nec materia coinquinare potest diuinam formam. Ergo hoc ipsum est quod multos torsit Philosophos existimantes se scire imò profitentes omnia: Sed quid insulsius, cum diuinorum nihil sciant. Quomodo enim reuoluantur si orbes indiuiduis se punctis tangant: Et quomodo circumagantur tanta velocitate? aut ascenduntve descendunt. Vnde cometes & infinita alia. Magna infelicitate in diuinis versantur qui mortalia sapiunt. Sicut oculus noctuæ ad lumen Solis, ita intellectus noster ad ea quæ sunt manifestissima naturæ. Illud magis expedit cogitare si nihil à morte superesset quæ vlli spes cum tot regnis: Quid soboles? Si aliquid in eo prorsus est fæcilitas huic intenti erimus. Sed rude vulgus negligit ob desidiam: mali oderunt, timentes pænas dare scelerum: Potentium multi quod quisque vellet fælicitatem summam esse in manibus suis: tum maximè qui impotentes auersantur, & parui pendunt Philosophi quod suis tricis sint inuoluti. Quidam vt fortes videantur, alij quod cupiant videri prudentiores & magis cauti, neque enim defuerunt qui vitium virtute vertunt. Sed nos interim etiam dum hac luce fruimur artes atque disciplinas discere non pigritabimus: Nam quis pater aut mater amantes filiorum, aut vxor fida vel amicus bonus aut seruus obsequens, aut tam cultæ diuitiæ (vt omittam fratres discordes filios contumaces) quæ die noctuque sedendo ambulando dum bene maléque vales in carcere in itinere dum fugis dum sperneris dum odio es Principibus te comitentur tecumque esse velint ac solentur nec vnumque deserere cupiant. Sed ad alia transeamus.

18. Deprehensum est, nec quisque ignorat, eos qui minus corpore vigent, & dum ægri sunt, animo magis valere. Vnde Platonem ferunt cum habitaret loco salubri, elegisse Academiam vt quæ aërem haberet, malum ad debilitandum corpus. Videmus maximè in tabe extremo morbo constare melius mentem cum tamen cordis substantia sit inflammata: Qui fieri ergo posset, vt si anima esset cordis fortuna, quin etiam in tanta imbecillitate non esset facta deterior? Vnde etiam rectè dixit Philosophus animam in ebrietatibus ac morbis minimè affici sed impediri duntaxat. Non disputabo de tribus animabus nimis enim insulsa fuit opinio tametsi Platonis, est enim cerebrum solum instrumentum. Neque verisimile est vitam humanam fuisse adeò perbreuem si animus noster mortalis esset. Sed neglexit æuum nostrum cum carcer sit corpus nostrum non vita: & deformis quædam lammia, præter pueritiæ breuissimum flosculum quid est quod non fugere & abominari debeas? At qualis iste flosculus? Latrina & cloaca immundiciarum? Et si desint etiam vermes quorum copia abundat ea ætas. Itaque quanto breuior hæc ætas tanto à vinculis expedita magis. Sed dices cum se immerserit cur ergo tam mordici retinemus vitam? Vt artes disciplinæque incrementum debitum reciperent. Quanquam referant multo pluribus quosdam annis vixisse velut Richardum cccc. & Ioannem ccclx. Sed redeo ad institutum aliter Auicenna hanc induxit rationem ab ætate: homo cum senescit tum sapere incipit. Et tum fit prudentissimus cum fit decrepitus, vt etiam de Catone Censorino recitat Cicero noster: sed omitto hos pater Samnitis qui Romanorum exercitum intra caudinas furcas inclusit, consilij vtraque parte spreta ostendit quantum illa ætas sapientia tolleret. Transeamus ad aliud nam Aristoteles non senescere mentem apertè fassus est.

19. Dicamus ergo quòd homo hominem tangat toto crure totum crus: & manifestum est quòd sentit: tactus enim quidam est sensus. Sentit ergo tota vel pars animæ: vel ergo sentit vt quanta & tota, vel vt pars? vel vt non quanta & indiuidua? Si non tota, non idem erit qui videbit pratum, & musicam audiet, & lenocinabitur, at clarum est non solum eundem esse, sed neque eundem hominem si diligenter aduertat duo simul percipere. Sed si duo agit vel vnum vsu tantum vt ambulando: vel alternando celeriter. Si indiuidua quod etiam Aristoteles & Theophrastus & Priscianus volunt, erit incoporea: & non vt punctum, esset

enim effœta & nullarum virium, igitur immortalis. Si tota ergo cum toto partes sint infinitæ erit sensus non vnus sed infinitus. Si dicas quòd partes sunt in potentia actus est vnus & est anima, quæ vt homogenea tota sibi communicat velut & de ea qua plantæ viuunt: cum enim tota nutriatur singulæ tamen partes quod est sibi necessarium trahunt alimentum, videtur enim anima sic communicari corpori vt sit indiuidua, dico omnis, vt si corpus dissecetur ei parti communicetur cum qua stare potest vita vel momento, vel tempore notabili, vel semper, vt in homine equo, aut anguilla vel testudine, vel lilio & salice. Sunt enim quatuor genera incorporeorum in nobis vegetatrix quæ solum dignoscit quod appetendum & fugiendum: Sensilis quæ causam eius vt quod asperum bene calidum frigidum, ratio quæ res ipsas à sensu cognitas etiam absentes & connectit eas: Et mens quæ incorporea fingit. Equus ergo diuisus à vtraque parte viuere sed momento potest. Iulis autem & anguilla & testudo notabili tempore vtraque parte, non enim diuisa est anima sed vtranque partem regit. Idem de homine sed mens ne momento quidem si cor à cerebro separetur. Vnde cessat argumentum Iauensium qui sunt ex insula orbis Meridiani: nam caput non potest percipere quia substantia vitæ caret, cor neque quoniam instrumento. Ergo difficultas quæ relinquitur est quoniam cum lumen intellectus agentis perueniat ad nos dubium est an sit substantia: intellectus autem cum sit substantia an se in nos ingerat, quorum alterutrum immortalitatem animi nostri si admittatur concluderet. Sed quoniam Galenus affirmat Tauros exectis cordibus aufugisse & mugisse, oportuit statuere aliam vitæ sedem quam cor. Quod vix credi potest. Vt ergo breuiter ostendam quomodo sensus fiant: dico quod species illa parti corporis quantæ communicatur: Ex illo principio & vitæ quæ est in corde in homine saltem de quo nunc est sermo, & per eam animæ. Et ita anima percipit vt incorporea & indiuidua, in corpore autem apparent partium quædam simulachra. Et ideo ad alia pergamus.

20. Modus præterea sentiendi in homine est valde diuersus ab aliis animalibus: nam si singula discutiamus: homo videndo cognoscit communitatem & delectatur pictura & colorum splendorem deprehendit, multoque pluribus ab aliis animalibus differentiis distingueretur nisi visio ipsa esset adeò intellectui proxima. In auditu verò cognoscit harmoniam & concentum, & varietatem illam vocum, quæ omnibus aliis animalibus incognita prorsus est. Equi magnitudine solam & alacritate soni, vt tubæ incitantur, aues autem canoræ quandam modulationem non autem suauitatem aut symphoniam percipiunt. In odoratu quo homo minus præcellere videtur magis alia animalia antecellit, quæ in vllo alio sensu, nam omnes odores florum & aliorum agnoscit cum reliqua animalia solum cognoscant ciborum odores. Et ex simili simile ac dissimile vt canes odorem leporis, & felis & domini. Præterea homo dignoscit fætidum & suauem, quas differentias nullum aliorum animalium percipit. In gustu homo præter pinguis saporem, quem verè solum dignoscunt animantia cognoscit etiam amarum, acre, acidum sub propria forma, qui non percipiunt ab aliis animalibus, in tactu quoque homo sentit asperum leue & suaue ac triste quæ & si à canibus in pelle felis, ab asinis dum volutantur in puluere sentiantur ob mollitiem tamen non eodem modo sentiuntur, vt ab homine. In sensibus vero interioribus maius est longè discrimen, nam primum dulce, homo à candido dignoscit & ab odore, & calido & sono communi quadam animi vi. Imaginando etiam homo solus res quas nunquàm sensit imaginatur, animalia solum quæ audierunt, & viderunt vt sit vis illa in eis cuiusdam memoriæ pars. Quamobrem non somniant animalia etiam quæ nisi viderint, aut illis similia. In ratione autem quantum differatur, penè quantum in intellectu. Sic etiam in memoria est pars illa tota, quæ reminiscentia, vel melius ἀνάμνησις, qua omnino reliqua vocant animalia. Inde tot vocum ordine se consequentium, quæ in nullo animali est, nam picæ, turdi, corui, psittaci, merulæ, sturni, & si qua est alterius generis loquax auis memoriam vocum non retinent, sed vsum tantum, plurésque voces quasi vnam continent magno naturæ nixu. Hæc igitur omnia declarant alterius generis esse animam nostram, ab animalium cæterorum anima; sensum à sensibus, & vsum ab vsu. Quamobrem quod ille dicebat non absurdè tanquam indiuidua non solum intelligit, sed etiam sentit anima: vt in omnibus eius actionibus eam immortalem esse deprehendas, aut immortali coniunctam. Quod si immortalis est anima vt dixi non solum hominum sed etiam plantarum nedum animalium ipsorum eo quod cupimus potimur. Si immortali iuncta, sicque in nobis mens erit etiam rursus animus noster immortalis, est autem modus hic Archimedicus & Euclidisticus velut & quæsitum ac problema quo solo vt Galenus inquit non ex temporaneis ac solutis rationibus in magnorum quæsitorum inuentionem peruenire solemus cum duorum reliquorum scilicet necessariorum sed non continuatorum, & continuatorum sed probabilium fallax sit atque incerta conclusio.

21. Sed eia alteri accingamur quanquam non rei nouæ: Omnis prima materia immortalium est, & æterna, videmus hoc per singulas discurrentes, Hylen primo quamvis solum mortalium formarum subiectum, immortalis ipsa est. Cælum quoque & Deus huiusmodi sunt; quamvis Deus non materia sit nisi quatenus continet illã, cæterum author est omnium, & eminens auctor, Reliquæ materiæ quæ communes non sunt, sunt certi generis, velut aër, lutum, aqua, & huiusmodi, ideò non sunt æternæ: Potest etiam demonstrari ratione, nam

nam cum nihil recipiat seipsum quod est materia omnium, nihil est eorum quæ suscipit: aut suscipere apta est. Sed si nihil est ex illis, & recipit omnia, ergo vel generabitur vel non: si non generabitur ergo perpetua est; aliter in longo processa temporum quæ circuitu deficeret: si autem generatur ex aliquo generatur, illud verò etiam susciperet; quare dupliciter esset in potentia ad illud vt generaretur ex eo, & vt susciperet, seu vt generaret, & susciperetur, sit ergo vt ex ouo generetur materia prima susceptura formam oui, rursus ergo post actum sequeretur potentia? Et ita daretur resurrectio mortuorum & reditus à priuatione. Et rursus quia ouum habet materiam primam, & suscipitur in materia prima, ergo erunt duæ primæ materiæ, & ita idem suscipiet se ipsum, vel dicemus in ouo non esse materiam, igitur non suscipitur in materia, vel dicemus quod primum ouum fuit sine materia, & secundum cum materia; Ergo erunt illa duo oua distincta specie, igitur omne quod est omnia, potentia aut actu est perpetuum & immortale. Sed anima est omnia in potentia sensilia per sensum & intellecta per intellectum ex Aristotelis sententia, ergo anima est immortalis. Aliter hoc argumentum ab authore libri de Mystica Philosophia inducitur scilicet: sicut aër recipit omnes colores, quia nullum colorem naturâ sua habet, ita anima omnes formas materiarias cum recipiat, omnis formæ materiariæ expers est; Igitur anima est forma materiâ carens, ideóque æterna. Aliter rursus si sol omnes inferiorum formas contineret possetque corrumpi si non generaretur perirent omnia: si generaretur: quorsum cum solus sufficeret natura nihil agente frustra?

22 Rursus anima intelligit vniuersalia, & vitas substantiásque separatas & ideò ipsa non est in magnitudine, nec cum magnitudine, sed incorporea indiuidua, & ante omnem locum quantitatem & tempus. Hoc argumentum vt est vulgatissimum ita multa obscura & præstantia secum trahit: velut quòd omnia vniuersalia seu Mathematica seu naturalia infinita sub se continent. Velut numeros perfectos. Triangula & in his rectangula etiam infinita Equos, boues, Mentes, animas, atque alia huiusmodi. Quid si tempora, & loca, & res ipsas simplices. Immortale quoque duplex aliud vt impatibile ἀπαθὲς ὄν, aliud quod semper viuit vt incorporeum, nam cœlum solum est primo modo immortale: anima verò vtroque modo. Illud ergo per se considerandum quòd duo obscuritatem in hoc lucidissimo inuexerunt: vnum quomodo cum mens & anima vtraque sit vniuersalis & communis, quilibet tamen quisque sibi propriam annexam intelligit. At quia conuertitur, quomodo ergo seipsam talem esse putat quæ sit communis: duo enim essent necessaria & permutatio tam magna, & error de semet longè maior. Alterum quomodo quis à morbo in quo mentem amisit aliquid plus consequatur, quam si intereat? Neque enim priori illi iunctus videtur: nam vt ille prior est, ita non antea fuisse intelligi potest. Quid enim pertinet seu nouus progignatur seu idem maneat? Ergo cum nunquam defuturi sint me mortuo ero Princeps Scytharum: velut nunc Rex Getharum quæ non solum stultitia sed insania, & non solum insania verùm furor? Hæc omnia contigere quòd homines existimarunt non solum affixas & innatas corporibus, sed etiam coniunctas. Itaque ne homo quidem stultus sed etiam insanus fuerit imò furor maximus credere animos nostros esse mortales: ita constare posset quomodo ab obitu reminiscerentur; nam quod ad vitam præsentem attinet nihil est beatum. Id in quo nunc summa fælicitas esse existimatur, est opum possessio at vide qualis olim quam adeò spernebant homines alij ob gloriam, alij ob pertinaciam, alij ob probitatem, alij ob litterarũ cultum vt non esset res admiratione digna opes spernere, sed nouum quasi accepisse aut concupisse. Ita studia hominum diiudicant de fælicitate infælicitatéque, olim quod sibi manus inferebant non minus gloriosè quàm fortiter: nunc apud nos infame est.

23. Aliud alibi desumptum si animus noster vis esset corporea homo astrorum promissis subiiceretur: nam corporea omnia illis sunt obnoxia. Propter hæc & disciplinas ipsas dicebat author libri de Mystica Philosophia.

24. Quod necesse erat ponere etiam si mortales supponerentur animi intellectum quendam deforis agentem, qui nos adiuuaret, & impelleret. Qui si prorsus est extra nos, quomodo voluntas illi imperabit? si intra, vt sit pars; igitur saltem pars aliqua animi nostri immortalis erit. Nam de animalibus primùm quanquam anima omnis, vt dictum est sit immortalis constat quod voluntate carent & astrorum constitutioni subiiciuntur: quia mentem non habent, adeò vt non sufficiat ad habendam liberam voluntatem animi immortalitas. Sed oportet vt sit absoluta voluntas & in deliberatiuo genere, eò quòd vis illorum non transgreditur sensilia. Et sensilia mouent sensum & sensus vim imaginandi, & illa si sint perfecta, memoriam (nam in imperfectis non remanet vestigium, nisi per momentum & eorum φαντασία est coniuncta sensui, ideò muscæ illâ cum careant ob imperfectionem, licèt metu perculsæ reuertuntur statim, & ob id sunt adeò tediosæ). Et cum sensilia sint in potestate astrorum sequitur à primo ad vltimum, quòd si anima nostra esset mortalis voluntas nostra subiiceretur astris, non tamen, vt dixi, ex opposito oppositum: sed vt Dialectici dicunt, si mens est libera, ergo animi sunt immortales, & voluntas non pendet ex astris. Constat autem voluntatem imperare, non solùm sensibus, sed etiam intellectui, cum enim volumus aut nolumus intelligit. Etenim xi. sunt modi cognoscendi. Primus qui verus est & exquisitus ex obiecti vera specie in sensu recepta. Secundus & tertius est cum errore, vt cum videmus hominem in aere

aëre ambulantem, cum non adsit ob speculum aut fumum sicut his diebus quidam acies ex illo instructas obtinebat, vel cum instrumento mutato velut vno oculo depresso vna res videtur quòd sint duæ. Quartus enim est cum imaginamur nec adest: Quintus cum imaginamur & sensu deprehendere videmur, quod peculiare proprium & maximè in oculis videmus: velut cum clausis oculis adeò intentè imaginamur equum, gratia exempli, album, vt ibi verè, & coram oculis adesse videatur, hic modus multum differt ab imaginandi actu puro. Et ideò vis imaginandi parum seruit sensibus præterquam visui. Vnde visus videtur maximè accedere propè cognitionem & contemplationem. Sextus est vt per vim imaginandi videant oculis apertis quod imaginantur. Hic non omnibus contingit, imò paucis. Et est ecstasis perfecta & nobilius genus. Et sunt, quæ vera comperiuntur, plerumque non ita. Septimus cum videre videtur, sed ambiguo iudicio, an sit, vel non sit. Et est idem præcedenti, sed imperfectus. Octauus cum videmur videre, quod non est, audire quod non est, velut mihi contigit Romæ nocte quæ præcessit vj. Idus Augusti anni MDLXXIJ. hora ab occasu inter secundam & tertiam noctis horam in cubiculo, & iuxta ostium Facij nepotis ex filio mei sensi strepitum magnum velut tabularum ex curru euersarum, quem vulgus credit, infaustum esse Omen, & statim vocem viri, sed incogniti dicentis *Te sin casa*, nec possum interpretari quid significet, aderat autem lumen splendidum, vnde commotus tam insolito ostento, si modò ostentum est, ad quintam vsque horam dormire nequiui. Non ergo hic modus quales plerique alij, sed auditui familiaris: post odoratui & gustui rarò admodum in visu rarissimè in tactu. Nonus est inanium somniorum. Decimus verò clarorum, vt vltimus, cum ex causis naturalibus quædam repræsentantur, vt vocibus animalium, præsertim auium ignotarum bombis aquarum mugitibus, terræ cauernis, aëris conglobati & vaporum auxilio, in solitudinibus Africæ & Æthiopiæ, vel etiam Scytharum & Noruegiæ, hæ inter montes etiam illæ in arenosis locis vel Echo resonant, vel nebulis quædam videntur mira, non aberrante sensu. Nam aberrante ab tertium, vt dixi, modum pertinent sapor amarus, sibilus, atque talia. Hæc igitur plerique ad genios referunt: sed multis geniis opus fuisset ad vadium Pollionem, C. Cassium, Neronianum, Agathoclem, Apollodorum, Dionysium, maiorem Phalaridem, C. Caligulam, totque alios. Ecstasis autem veræ, & quæ ad miraculum vsque extenditur non eadem est ratio: sed hæc ad Quintum, prior autem quæ media est inter somnum, & vigiliam ad septimum, de quibus omnibus Tertullianus copiosè egit. Ergo si homines, qui tam natura improbi sunt, non huiusmodi aliquando visis quæ supra naturam à Principio immortali licèt naturalibus, ex causis moto non aliquando excitarentur quòd ad illam Philosophiam sanè frigidam, quam moralem vocant attinet dispersam si ex decem millibus improbis vnum reuocaueris ad frugem, cum omnibus Aristotelis, Platonis, Zenonis, atque Senecæ, quin quòd deteriores malos efficiat bonos iniuriis magis exponas vt sit iure metuenda in exitium proprium euertent prius quibuslibet bonis euersis, partéque sexta quæ innocentium est fœminarum puerorum rusticorum, simpliciúmque afflictorum. Sed vt ad rem redeam postquam eiusmodi, quæ narraui parte eâ, quâ non à voluntate pendent: proueniunt ab aliqua causa, quam verisimile est, cœlum esse.

Quæri meritò potest, an cœlum sensu præditum sit, vt possit cognoscere exempli gratia sonos, colores, calidum, frigidum, graue, leue, durum, molle, acre, dulce, insipidum, & odores bonos, malósque, & vnde proueniant? Ergo primum dicendum non cognoscere patiendo velut nos: quanquam non omnino pati dicamur sentientes. Quinimo tam Latinè quàm Italicè actiuè profertur: velut audire, vidéreque & gustare, sensus enim primum fit cum mouetur, atque patitur aliquid: verùm dupliciter, inquit, 2. De An. cap. 5. Dicitur, vt homo qui est aptus ad Geometriam potentia, vel qui iam eam habet, & nouit: ita qui videt: Hoc igitur actu aut potentia, sed agere. Verùm est sensus qui est vt actus motum esse animæ operâ & commendatiore factum. Quod ergo summum est, & est agere & exercere opera id cælum habet lib. de Somno & vig. cap. 1. Neque enim vilius est animalibus: moueri autem à sensilibus minimè credendum est. Si verò non intelligit quomodo animarum est cum non nutriatur, & tamen mouetur, an ergo nedum homine imperfectius. Est igitur quidam sentiendi modus nostro nobilior, atque longè præstantior. Similiter ergo, & velut in generatione, fœmina passiuè concurrit, postmodum illius semine à masculino perfecto actiuè rursus, vnde similitudo non solum filiarum ad matrem tanta quanta filiorum ad patrem: sed etiam quandoque magis assimilantur filij matribus quàm patribus. Vnde ergo hoc, nisi quòd non solum in cœlo sensus actio quædam est, sed postquam receperit sensus actus, quidam est; diiudicat enim. Iudicium autem actus. Hæc est spes illorum de futuris, vt immortalitate non solum fruantur, sed gaudio sempiterno quam ipsi producendo adaugent, via enim ad bonum certum bona est, & eò melior, quò longior: sæpius enim reuocatur. Id est, etiam dum hic sunt, eò magi lætantur, quantò vita eorum maior diuturniorem efficit expectationem.

25. Sed vt aliquid ab experimentis colligamus plures desperatione acti, cum se suspendissent, & superuenientibus aliis, soluto laqueo, superuixissent, quibusdam laqueus ipse fractus nolentes liberasset omnes vno consensu fassi sunt, vt ante factum ipsum, id est, antequam suspenderentur & in ipso facto, dum penderent vidisse cacodæmonem adhortantem, vt perseuerarent.

Quòd

Quòd etiam verisimile est, cogitantibus nobis vix fieri posse, vt aliquis eò miseriæ se adigat, sine hortatore. Diceris forsan quod solum obiici potest atram bilem hoc effecisse? sed quomodo atra bilis verum Cacodæmonem oculis ostendere possit, non video: præsertim quòd omnia simul consentiant: Causa facti, desperatio, mors tentata, & Cacodæmonem.

26 Aliud mirabile quòd dicant animam non senescere? Quid hoc Aristotelis. Quoniam inquiunt substantia non recipit magis neque minus. Ergo forma substantia Actus non diuidi potest, quoniam non suscipit incrementum, neque decrementum, igitur indiuidua & immortalis. Sed qui saniores sunt, dicunt quòd non vt substantia. Verùm cum ex semine fit embrio an tunc facta est generatio, atque ita erit fœtus, & caro, & substantia hæc antequam sit. Si nondum neque semen erit, varietas formarum infinita. Neque existimandum est corrumpi subitò, Quòd si dicas paulatim accidentia desinere, manere formam, cum planta moritur, bis corrumpitur, cum anima plantæ esse desinit, cumque lignum, si ergo non desinit immortalis est. Si simul corrumpitur, vt caro, nec lignum nec planta dicantur vere, igitur cum sit substantia, non simplex vocetur, σωμα igitur ex carne in momento factum est σωμα, & non per generationem, igitur substantia fit absque generatione & in momento videte quot absurda sequantur. At si rectè rem accipiatis, res est explicata, corpus est corpus per formam, inde additâ animâ fit corpus viuens, corpus non desinit esse sed extinguitur. Aliter deducuntur si ex mistione contingit vna forma corporum sequitur ne ex eadem anima? nam si non incorporea igitur & immortalis: Si sic vel diuersæ interse, & ab vno vt vnum duo diuersa: Si coniunctæ, vna erit alterius pars: Ideóque corrupta corporis forma anima supra erit: velut & vicissim id enim experimento Constat. Relinquitur, vt dicamus animam sequi corporis formam: & ita forma ex forma fiet etiam prima manente: & vna in altera vt in subiecto. Et cur priore adhuc superstite anima ergo corrupta est. Quid ergo voluit Aristoteles per illa verba substantiæ proprium est non suscipere magis nec minus. Ammonius (inquit Branda) clarissimus Aristotelis, interpres ait super verbis illis. *Nulla substantia magis aut minus sibi vendicare.* Neque enim homo non magis seipso aut altero nomen substantiæ sibi vendicabit, quemadmodum alba res, albior dici potest, modò seipsa, modò alia. Scire etiam debemus magis ac minus non in solis dici accidentibus cum speciei commutationem non faciunt, viuit enim magis mens, quàm anima. Neque etiam omnino magis & minus ex contrarij mistione efficiuntur. Etsi enim anima immortalis est minus tamen quàm mens viuit. Et paulò post: Sed cum hæc ad formam redacta sunt potius remissiones formarum vt etiam Luna, quæ cum quintæ essentiæ vltima sit non solum varietate colorum sed luminis forma quorum neutrum ex admistione terræ contingit sed ex luminis quintæ essentiæ contingit. Ac etiam paulò infrà, Atque comparatio hæc lateraliter inter primas substantias aut species inter se intelligi debet: nam si secundũ superiùs & inferius, non ita est quandoquidem prima substantia magis substantia, quàm secunda: Et species primæ substantiæ propior sit quàm genus, subterfugit ergo illud solum de generatione, nam cum forma illa videatur ex contrariis constare elementis non videtur traducenda ad remissionem formarum. Et etiam quia plures essent, vt dixi, formæ. An ergo quippiam dicemus compositum inter hæc: idest vt elementorum formæ ex se vt simplices sunt intendantur ac remittantur in generatione atque corruptione, & ita etiam quæ ad hæc duo sequitur compositi forma, idque propius vero sit. Verùm, vt dixi, cum forma quæ est anima vna sit, & extra id quod viuit, inde accidunt commutationes specierum vt caulis in nauum & permistiones velut Asini & equæ, canis cum lupo & vulpe & tigride.

27. Mouet me præterea argumentum breue & clarum, scilicet quod stirpes æternæ ante finem inuenirent. Nam filius Alexandri fuit germen perpetuæ stirpis: & ita philippus, Alexander, Philippus, Amyntas, nunquam vsque ad æternum circuitum defuturis parentibus, is ergo cum fine prole puer obierit palàm est æternam rem finem habuisse, forsan dicet quis nihil esse huiusmodi stirpem, cum non sit aliud quàm series maiorum Philippi, quæ tota sublata est. At si ita est nihil refert continuitas quoniam dubium non est manere similitudines, partes, ac coniunctionem sicut enim filius qui successurus est potentia est in patre, ita & pater in filio hic non superstes ille nondum genitus. At huiusmodi difficultates omnes tollit immortalitas animorum. Præterea si manente successione aliquid est ab eo cuius non manet, igitur antea progenitorum series cui debet continuari aliquid est, fuitque. Dicimus enim successio Heraclidarum extincta est: Ottomanorum autem manet.

28 Ostendit non intellectus tantum, sed sensus animi nostri immortalitatem, nam incorporeus est, & materia caret, indicio duplici primum quod tactus (de quo minus videtur) & dolor statim toti communicatur, cum tamen si anima sit cerebro vel corde longius absit: Secundò quod partes proximæ non magis aut celerius afficiuntur imò nunquam nisi materiæ concursu: Quare constat animam prorsus esse incorpoream. Affirmat Galenus non tempore vllo spargi vim diuinam illam, & ob id dicebat Philosophus eam esse incorpoream, dum de lumine loquitur. At si incorporeum accidens similiter & substantia: substantia autem incorporea immortalis. Ideò anima eiusmodi. Nam lumen quod ab igne progignitur etiam celeriter, sed non simul spargitur: aut quoniam medium sit, vt dixi.

29. Aliud

29. Aliud mihi non leue argumentum videtur, animi noſtri immortalis: cognoſcere quòd nunc ſum, & non alius antè fui. Nam hoc ipſum quod me eſſe intelligo, quoniam actus intelligendi intellectus eſt, ſemper manet. Et velut quieſcit ita aboletur, cum ergo ſit principium quoddam eſt ſempiternum. Sed interire videtur cum corporeieo modo quo quieſcit: vt voluntati pereat ſcilicet. Aliter qui intelligit ſe eſſe nunc, hoc efficit ratione, vt quilibet in ſe experitur: nam non niſi auxilio comparationis: intelligit autem ſe intelligere: ergo abſque temporis differentia, ergo ante tempus, & non temporis auxilio quicquid autem eſt ante tempus immortale eſt.

30. Plotinus quoque ſic anima noſtra media eſt inter ſubſtantias incorporeas & inanimata, velut lutum: Et rurſus inter ſubſtantias incorporeas & quæ non intelligunt, vt plantæ & belluæ: nam incorporeæ mentes intelligunt perfectè & intus lutum nihil intelligit, nec viuit, Animalia & plantæ viuunt ſed nihil intelligunt: noſtra anima in ſuperficie & ſuperficie tenus intelligit mens verò obſcurè & imperfectè, igitur mens eſt media inter incorporea & viuentia, quæ non intelligunt: anima inter incorporea & corpora non animata, cum ergo incorporea ſint immortalia, ſubſtantiâ & operatione corpora intereant ſubſtantia & operatione, anima cum ſit media interibit operatione non ſubſtantia, igitur immortalis. Et ſimiliter mens incorporea intelligit perfectè & clarè, animalia & plantæ prorſus non intelligunt & ſunt mortalia. ergo noſtra mens immortalis, nec perfectè nec clarè intelligit. Tertio modo deducit quod probare nititur. Duos præſupponit mundos, corporeum qui conſtat ex ſenſibilibus & ſentientibus: incorporeum qui ex intellectis & intelligentibus. Proprium ſenſilis vt partes loco diſtinguantur, intelligibilis vt non ſint in aliquo loco hoc vocant eſſe totum in toto & totum in qualibet parte: nec poſſunt vtraque conuenire, ſed ſunt contraria: nihil enim ſenſile eſt intelligibile nec intelligibile ſenſile cum intelligibilia ſint ante locum, magnitudinem, & incorporea immortalia: ſenſilia corporea habentia partes & magnitudinem ac ſunt in loco: Homo ergo cum ſecundum corpus ſit in mundo ſenſili ſecundum mentem, & animam in intelligibili, tùm quia eſt ex genere intelligentium, & non magis in vno loco quàm alio igitur hominis anima eſt immortalis. Idem dicit quod media ſit inter diuidua & indiuidua.

31. Alia illius ratio animæ noſtræ non ſecus ſe habent ad mundi animam, quam vermes ad plantam in qua degunt & ex qua nati ſunt, viuunt enim per illam & ſunt vnum cum illa, licèt inter ſe diſtincti & ſi planta illa eſſet immortalis, & illi eſſent: nec differunt niſi quod animæ vermium coguntur etiam ſolicitæ de alimento, Anima autem Mundi non; quæ cum ſit æterna, erunt & illæ quatenus in eadem.

32. Alia ſic Anima comprehendit ſenſilia magna & parua, & tamen indiuiſa, vt etiam pupilla oculi colores, itémque ſenſilia diuerſarum qualitatum ſub vna ratione, vt ſonos, odores, colores, & ſapores, igitur eſt indiuiſiua omnino & vnum ac totum quoddam, cumque illa ſic recipiat, vt æquetur eiſdem, ne dicam eandem eſſe, conſtat eam eſſe vt totum, & partem, ac indiuidua omnino neque humidam, difflueret, enim memoria, neque duram, nihil enim facilè conciperet, itaque & per eadem expertem omnis qualitatis, quamobrem conſtat eam eſſe indiuiduam ante corpus ipſum eo vtentem vt inſtrumento, non ab illo prodeuntem, ſed eidem imperantem. Quocirca viſo argumento videamus modò ſingula atque diſcutiamus. Si anima eſſet diuidua pars, partem ſentiret, nam ſpeties ipſæ diuiduæ ſunt. Quamobrem ſenſus ipſe rerum, quod experimento repugnat diuideretur atque ſenſus non eſſet vnus. Quomodo ante Deus, qui non eſt alicuius forma, nec corpori alicui aſſiſtit corpora cœleſtia regat, tùm aliæ mentes nobis vt cognoſcere non licet, ita multo minus dicere poſſumus. Cum veriſimile ſit altiore quodam modo illis eas mentes præeſſe, qui nos lateat, quandoquidem, nec is quo mens humana nobis præeſt. Nam ſi mens homini aſſiſtit, & anima igitur à duobus regetur, & tam parum anima corpori annexa erit atque mens quòd ſi ita eſt non erimus nos, ſicut nos ſumus intellectus agens. Quare dicendum erit nos eſſe animam corpus regentem: aſſiſtereque vt nautam naui, nobis autem intellectum, quare neque nos corpus ſumus neque intellectus agens. Sed vtrumque nobis eſſe extrinſecum. De intellectu quidem cum negantibus animi immortalitatem non eſt altercatio. De corpore autem quis dubitat, cum videamus hominem, non ſentire niſi communicato affectu ipſi animæ.

33. Sed de his ſatis, ad alia transeamus, Platonis argumentum quod ſuperius recitaui mirum in modum exornat, hoc modo. Principium cuiuſcumque rei nunquam tranſire poteſt in contrarium: vt albitudo nunquam poteſt tranſire in nigritiem, & ſi albitudo ipſius eſſet, tam eſſet principium, vt eſt albitudo profectò ſempiterna eſſet, At anima in genere ſuo eſt vitæ principium & finis immortalium, quo mortalia vitam accipiunt. Ea enim mortalia immortalibus proculdubio iungunt? ſi igitur anima immortalis non ſit duplex ſequetur incommodum, primum vt principium ipſius aliquando eſſe deſinat: velut ſi albitudo nigra eſſe poſſet, & vt neceſſarium ſit aliud inuenire immortalium & mortalium vinculum aut nullum: ſi nullum mortalia ipſa vita carebunt? ſi ſic quod erit vita principium aliud quàm anima? vel ſi aliud ſit, & anima viuet tantiſper ab eo principio, ſicut corpus ab ipſa anima. Erit igitur, aliquod principium vitæ animarum, nec animæ vitæ erunt princi-

pium

pium, quod cum iam suppositis repugnet, nec constet quale sit, quoniam si sint superiores vitæ, anima hæc viuet per accidens. Præterea sicut Deus æternus est, & vitæ etiam cœlorum, ita si proponamus mundi animam æternam, de qua est dubitatio, erunt etiam animæ ipsæ propriæ vniuscuiusque æternæ?

34. Subiicit post hæc Plotinus argumentum illud dignum & admirandum de natura animæ, sed verè potiùs de intellectu circa quod immorari non parum meo iudicio decet non solum quod immortalitatem illius ex hoc cognoscamus, sed etiam quia plurimum conducat vitæ vsibus nostris. Est autem huiusmodi. Anima humana suæ naturæ relicta vitam hanc commodè regit & omnia intelligit, atque vitia omnia aspernatur, ac detestatur: itaque cum mentibus diuinis assimiletur, palàm est natura esse diuinam, atque cœlestem. Vides animalia bruta prorsus succumbere voluptatibus omnibus: solus homo non solum resistit sed detestatur. Discurras per singula primùm vitia & flagitia seu peccata, inuenies animas de ea rapi corporis vitiis atque aliorum deprauatis consuetudinibus? quas Principes quidam Cacodæmones induxerunt. Iam primum ad iram deflectis famulum tuum; aut puerum & insontem verberas? Tu-ne ipse dices, ira immodica me impulit: iracundus enim sum natura. Raperis ad amandam alienam vxorem? ibi quæ multa perperàm agis. Sed tumet fateris, ad hoc me impulit cæcus amor, ad huiusmodi amores natura perpensus sum. Indulges genio? Fateris cum Cicerone à betis te superatum, qui non potuerit ab ostreis & toto mari. Lucullianisque delitiis superari; aut Apicianis Luxibus. Deses permisisti villam corruere: Inquis quidam me torpor ac segnities arripuit, vbique corpus accusas sua crimina anima agnoscit, ad superna ni impediatur tendit. Itaque Plotini verba adiecisse sufficiat. Quapropter si vel omnes homines vel ex ipsis plurimi talibus essent præditi animis (id est, innocentibus integris veri & æqui conseruatoribus ac studiosis sapientibusque) nullus adeò foret incredulus vt aliquando diffideret animæ nostræ naturam esse penitùs immortalem. Nunc verò cum homines deprehendant (has scilicet ob causas) animam pluribus vitiis inquinatam, nimirum si neque rem diuinam neque immortalem esse facilè iudicant. Sed si quis externa hæc seipsumque intueatur intimè videbit immortalem se immortalibúsque annexum: dicetque, Valete vos: Ego enim iam Deus effectus ad diuinum diuinæ similitudini totus incumbens propero. Si ergo purificatio efficit, vt animus optima quæque cognoscat nimium scientiæ latentes intus effulgent: quæ & veræ scientiæ sunt, anima enim non extra se effundens temperantiam perspicit & iustitiam sed penes se ipsum in sui ipsius animaduersionem, eiusque quod prius erat agnitione, velut diuinas imagines in se sitas intuetur? Quas antea iam quasi rubigine obsitas ritè deterśit, & si aurum fortè animatum foret? & quia terra obsitum ideóque non se intuens, se ipsum penitus ignoraret? Aliquando aut terram excutiens à se cernensque parum se ipsum admiraretur: cognosceretque haud sibi opus esse extrinseca pulcrhitudine, optimè secum agi putans, si quis in se tantum manere permittat.

35. Aliud Synesij, argumentum quod tam clarum mihi visum fuit, vt totam rem, etsi grauissimam, penitus soluat Anima inquit si ab his corporeis purgetur diuiniora videt & sapit: modò vigilans, modò dormiens: nam quanto quis magis à cibis abstinet modo à bile non præpediatur: quantum ex corporis viribus amittit, tantum prudentiæ ac sapientiæ acquirit, vt etiam vsque ad mortem diuiniora magis cognoscat. Non est hoc superius recitatum argumentum sed longè diuersum: quoniam ibi agitur de animi robore & ex imbecillitate, hic de puritate per abstinentiam & diuinatione.

36. Ratio alia, quod petit dissoluitur aut extinguitur vt ignis: anima non dissoluitur si est res simplex, nec extinguitur, quoniam in eiusmodi materia aliqua remanet: ipsa verò materiæ expers est. Quòd si dicatur corpus illius esse materiam: oporteret, vt vim haberet contrariam illi à qua perimitur. Sed dices si non pereunt erunt vna, quoniam materia est quæ distinguit & separat? An non differunt radij qui in vrceis ex Sole excipiuntur cum alij iridem, alij arcus, alij conos igneos, alij pyramides & cylindros, alij viridaria aut repræsentent, aut exprimant. Differentia præterea claritatis & illustrationis nulli adempta intensio & remissio qualitatis. Sed vt ad principale redeam duo sunt in nobis indicia immortalitatis animi sumpta ex desiderio & amore. Ex amore quidem quòd maximè diligimus teneram ætatem & adeò, vt quidam ad libidinem. Et ex re maximè naturali in rem maximè secundum naturam abominanda adamanda delabimur. De hoc autem quis dubitare potest, nam & puerulos diligimus non ad libidinem aptos ob ætatem & magis sanguine coniunctos, Et vnde tantus amor? Nam si ad corpus respicias nihil fœdius. Et si oculis (vt ferunt) lyncæis respicere concederetur, quòd esset spectaculum fœdius puero formosissimo, in quo sarcina secum adeò tetra aspectu, horrida odore, reliqua præter cuticulam nouo sepulchro simillima. Sed nos decipit affinitas animæ quâ amamus & maximè, vt dixi, in tenera ætate ob simplicitatem & puritatem. Aliud est desiderium temporis futuri & læta expectatio etiam in se-

nibus decrepitis, non solum noctis ex die, & diei, antelucanis horis, sed mensium & annorum cum tamen propior multo fiat mors in tanta penuria temporis vitæ. Quid enim hoc nisi desiderium naturale futuræ melioris vitæ, quanquam interposito duro excessu, qui vt summè asper est ita dulcissima ab eo requies ac longissima: vt in hoc naturali desiderio minimè homines, vt nec in aliis similibus fallantur.

37. Est & Prisciani lydij non contemnenda ratio duplex à sensu sumpta, cuius partem vnam superius attigimus, scilicet quòd sensus sit indiuiduus, alia quod contraria percipiat, vnde etiam sequitur vt actiuus sit de quo rursus supra actum est. Ergo sensus cum cognoscat contraria & diiudicet inter illa, est indiuiduus, aliter non posset: quare & anima, & quoniam diiudicat est agens, & non patiens. Priscianus ergo ostendit quòd indiuidua sit anima, quia cum ad sentiendum concurrant nouem, obiectum, medium, spiritus, & est instrumentum primum, species, motus in instrumento, potentia, anima in qua potentia: vita quæ est vinculum animæ: & corpus cum quo anima alligatur. Anima igitur in sentiendo prima est ordine naturæ, operationis autem posterior, cum non sentiat, nisi quia mouetur ab obiecto prius. Species enim sensilis ab anima non proueniunt: sed à qualitatibus primo quæ ad tactum, quæ verò ad gustum & odoratum, à calido non primo, quæ ad sonum, à motu corporum liquidorum, quæ ad visum scilicet colorum à luce & lumine.

38. Ostendendum est demùm quòd Anima nostra sit immortalis præcipuè tùm aliorum vnaquæque & ad hoc demonstranda sunt duo: quòd nulla anima sit in loco, sed, vt dixi, (mens præcipuè:) Et quod non est in loco immortale fore. Quia enim quæ tam prope quàm procul agunt sunt extra locum, locus enim nihil impedit nec discludit ab operatione, incorporeum autem non excluditur per locum aut distantiam aliquam, sequitur, vt incorporeum sit immortale. Aggrediamur igitur primum hoc declarare, quod in corporea, non solum non discluduntur ab vllo opere suo, sed æqualiter agunt tam procul secundum existimationem (nam verè non est procul neque propè) quam propè vel etiam in ipso loco. Et tam hodie, de his quæ acciderunt, quàm Mille annis futuris aut præteritis. Habet autem per vitam coniuncta sensibus inclinationem ad corpus per amorem & ad diuina per mentem intelligendi desiderium & amorem Dei: hoc mortem cupit, illo timet, & odit: quapropter animalia bruta plus homine pauent mortem, quoniam eorum anima menti non iungitur, licèt minus timeant, quia non cognoscunt. Ergo vt reuertar ad propositum anima non est in loco, neque in tempore sed æqualiter omnia comprehendit.

39. Edocta etiam natura belluarum de tot plantis illis salubribus vt dicebat Poëta:

> ———*Non illa feris incognita capris*
> *Gramina, cum tergo volucres hasère sagittæ.*

Quin etiam cognitio ex solo odore omnium salubrium & noxiarum herbarum: vndenam? nisi ex memoria, æterna animabus eorum indita? adeò vt etiam humanam solertiam superare videatur? Itane natura quæ nil nouit tanta nouit? Sed dirigitur, dicunt à mente illa non errante? Cur ergo non potius dicunt mentem aliquam animabus infundere. Neque enim discrimen videtur equorum Persicorum in hoc ab equis Sarmatarum. Sed hoc ab æterno inditum est cur mortali æternum coniunctum est: nouitque illud? Sed natura non videtur nisi generaliter docere? ita sit: non est hoc generale vt dictamum agnoscat.

40. Recolligamus parumper in vnum multa: Animæ & corpora si nihil interit cui dubium esse potest etiam sperandam compensationem nostrarum operationum. Sin autem intereunt: multo magis & corpora, an ergo cœlum etiam ipsum? cur si non est infinitum, æternum esse potest, cum contenta sint mortalium? nam Primum quis finem præstitit: Et cur pars mortalis cum proportionem ad aliam obtineat? perinde esset ac si dicamus formicas mortales esse non homines: nam cum mortale & immortale differant genere, nedum specie, oportet aut immortale esse incorporeum, aut infinitum, quorum cum neutrum proponatur non potest cœlum esse immortale: & elementa mortalia, nisi cœlum sit infiitum sed si infinitum, non conuenit proportio, si elementa sint mortalia, si ambo immortalia, quanto magis anima? Si verò infinitum totum atque mortale, non poterit regi: oportet enim potentius esse quod regit at infinito nihil potest esse potentius, quocirca inordinatus erit mundus. Videtur ergo Mundus hic infinitus, nec diuisionem habere, sed eiusmodi immortalis est, si ordinem habet atque ideò anima Furor enim est (nostrorum iudicio) mundum hunc qui sit in capaci infinito & à Principe infinito tam modicum dici posse quòd limitibus contineatur.

41. Est etiam illud animaduertendum quòd anima est principium sensus qui est vnus omnium, velut enim timor lupi & maris sunt vnum, licèt causæ sint diuersæ ita sensus vnus omnium licet obiecta sint diuersa. Si ergo potest in contraria simul estque indiuiduum, est necessariò actiuum ergo effundit diuersas potentias in corpus, & erit immortale. Quia, vt dixi, quæ differunt toto genere ab aliis sunt immortalia, hæc planta enim & hoc animal? licèt differant genere conueniunt tamen in aliquo, sed non sic mortalia ab immortalibus: velut assistere, incorporeum indiuidum & eiusmodi.

Vnde

Vnde illud Ariſtotelis diſſoluitur. Si datur aliqua operatio propria animæ coniungit animam ſeparari, ſed non datur quoniam iraſci amare gaudere non fiunt abſque corpore, igitur non contingit animam ſeparari. Non enim adnumerat videre, audire, cogitare, intelligere. Nam videre vt eſt actio oculi, imperfecta eſt, vt motio quædam, animæ propria, & cognitio illius æterna, at amare & odiſſe conturbant non perficiunt animam, illæ vero demulcent.

42. Teſtimonium quoque ad hoc affert mentis in morbis exceſſus, qui cum redit illa prorſus aboletur niſi inſtrumentum ſit vitiatum, & ſtatim ac ſimul, quod nunquam auditum eſt de viribus.

43. Idem dico de ſomno vbi expergiſcimur: cum integri ſenſus redeunt diſcuſſa crapula, vt facilè intelligamus in noſtra anima quoddam eſſe principium in quo omnium memoria inſita eſt: quo liberato ſimus omnium ſenſilium & intelligibilium & cognitionum compotes. Vidimus quoſdam à læthali morbo reuixiſſe quibus eorum quæ ante morbum illis cognita erant, nihil deperit. Et ſtatim reducta ſunt in mentem. Quis dicat hoc in aliquo corporeo poſſe accidere? Pendet autem hoc principium à Deo vnde profluit profluunt & corporea, ſed quaſi in materia, & ideò cum omnia profluant à Deo corporea & incorporea immortalia ſunt: ſed quatenus miſcentur hæc etiam diſſoluuntur. An verò animæ eorum animalium quæ fortuito generantur ſicut humana ab intellectu genere & immortalitate vt dictum eſt differt & ipſa mortalis ſit, deſtituta à ſuo genere certè non, cum neque plantarum, & tamen aliquid deeſt nam nunquam cicurare ea licet. Id certè diſcutiemus ſi genera immortalitatis indagauerimus. Intellectus enim noſter immortalis eſt vt per ſe ſubſiſtat & vnicuique homini propria quadam ratione coniungitur: Anima ſanguineorum animalium generali ſed ſenſibus pleriſque & etiam cognitione integra: Plantarum verò nulla niſi vtilis vt vt trahat inutilis vt non trahat & præſens omittat. Iam ergo facile eſt dignoſcere quod cum anima vna ſit Mundi ac mens quæ ſe penitus homini inſinuat præbet cognitionem aliorum incorporeorum abſtrahit (vt dicunt) & conficit vniuerſale, coniungit & conuenit ſimplicia & ſeparat compoſita, atque præbet vim ratiocinandi atque etiam alteri facultati vt ſeipſam & vnumquodque cognoſcat, hæc igitur ſex propriè facit. Præterea præbet cognitionem confuſam ſui generis & alterius vt hominis vt ab aſino differt hocque commune cum belluis & ſenſili animæ. Præterea cognitionem ſenſilium hanc communem non ſolum animalibus gentis ex propagatione atque item à putredine. Demum cognitionem vtilis atque inutilis quia ſine hac vita eſſe non poſſet. Ergo hoc etiam plantis commune. Igitur anima humana habet novem cognitionum genera vt quòd Mundi mens penitus vitæ illius ſe inſinuet. Anima vero animalium ex ſemine genitorum duntaxat tres quoniam non penitus, ſe inſinuat tres ſpecierum rerum, ſenſilium, vtilis & inutilis. Anima genitorum ex putredine caret cognitione ſpeciei propriæ (quoniam coniunctione ſeu copula ad generationem non indiget) ſola ſenſilium & vtilis ac inutilis prædita eſt. Denique plantarum anima quoniam Mens vix tangit vitam illarum ſolum cognoſcit vtile atque inutile. Et talis coniunctio vita eſt in omnibus & appellatur. Hoc vero idem conſentit cum his quæ dixit noſter Marſilius Ficinus exponens Plotinum: Proponatur mundi anima luce in ſummo illuſtrata, lumine autem in medio, in infimo verò colore prædita illius ergo eſſentia per ſe obſcura eſt antequam luce illuminetur, deformis antequam lumine decoretur, frigida antequam calore foueatur. Ante ergo quàm his ornamentis fulciatur ex ea eſſentia prodit hyle obſcura deformis & frigida. Sed hæc poſtmodum & ipſa ab anima exornatur intellectu, ſenſifera vi, & nutrice, quæ caloris nomine ſignificauimus. Ab intellectu immobilibus formis exornatur à ſenſifera vi mobilibus ſed tamen permanentibus à nutrice mobilibus inſtabilibúſque. Dum verò nixum ſuum foras mundi anima effert, materiam magnitudine primum, inde diuiſione, loco, motu & tempore expoliuit. Ergo hæc de his cæterum vt ad ſomni declarationem redeam & ſpectrorum quæ in illo videntur. Dico vt tantum de notioribus agam quòd.

Tria ſunt quæ videntur nobis & eſſe apparent nec ſunt, & ſunt quæ imaginamur: Quæ cogitantibus nobis obuerſantur ante oculos nec ſunt: Et quæ in ſomnis apparent, quæque videntur aliquid pluſquàm quod imaginamur, adeò vt ſæpè addubitemus, an verè viderimus & audierimus eò, quòd quieſcant alij ſenſus: Et quod contracto calore intus & concoctione perfecta euidentius percipiamus, Et quoniam cogitationes abierint: Demum quod ſpiritus ac ſanguis non moueatur. Indicio ergo eſt cum intenti clauſis oculis aliquid intueri videmur non eſſe id quod appellant imaginari, ſed aliquid plus, quoniam non agitatur mens & ſpecies remanet, viſa autem in ſomnis ſint efficaciora. Sed de his iam actum eſt.

44. Sed quid ſi dicamus in corpora benè temperata & robuſta imbecilles animos in imbecillia generoſos præſtantes validos? Equidem illud dicere auſim, quod mens in ampliſſimo corpore vix vnquam non hebes aut ſtulta eſt. Quomodo ergo Anima ergo corporis forma? Propius ad rem accedo, ſi anima eſt corporis forma benè temperati, benè culta erit, atque robuſta? At id non eſt. Hoc etiam inſinuauit Virgilius, qui cum tres robuſtos & fortiſſimos viros deſcripſiſſet Æneam, Turnum, atque Pandarum, Turnum quidem ac Pandarum penè ſtultos facit,

facit, Æneâ verò Deæ filium quasi docens fieri non posse, vt idem sit præstans corporis atque animi dotibus nisi diuini muneris auxilio. Vide sapientes Demosthenem, & Ciceronem qui fortitudinem verbis prædicabant, in bello quàm fugaces ac timidi fuerint? Vidimus præclari exempli atque vnici virũ Andream Alciatum morbosum & mali habitus: alios sapientes pituitosos & imbecilles. Quin etiam illud ei respondet quod Philosophus ait, & quotidie experimentum docet, *sapientes plerumque esse melancholicos.*

45. Dolor quoque, & animi perturbatio, declarant apertè animam non pendere prorsus à corpore: nam dolor est affectus corporis animam repellens, & ob id inuisus patienti, sicut voluptas est corporis affectus animam alliciens, & ob id iucundus. Quod verò anima dolore non afficiatur, ostendit quoniam ipsa primùm sentit dolorem: sensus autem est cognitio, dolor igitur non est in anima, sicut ergo sensus affert cognitionem albi & dulcis & soni ad animam ita & doloris: cum ergo Anima non sit nec album, nec dulce, nec sonus, ita Anima non dolitat. Anima etiam iudicat dolorem esse in pede, ergo ipsa non dolet aliter totus homo doleret. Dolor igitur tantummodo peruenit ad tactus instrumentum, licèt cognitio vsque ad animam, Sensus ergo tendit ab anima ad corpus cùm per voluptatem alliciens ad ipsum.

46. Præterea anima si est forma corporis & accidens non erit homo substantia, nec anima suppositum operationum. Si substantia & forma vniuscuiusque partis cum operatio faciat cognoscere formam erunt decem formæ & animæ in vno homine. Sin verò totius vt vnum atque indiuiduum: quomodo poterit esse corporea? Omne enim corporeum diuidi potest forma, materia, albedo, sonus, vt in fistula cicutarum. Quod si sit forma vnius partis quæ potestate alias omnes contineat veluti cordis, erit cor potestate omnia, quomodo ergo omnes sensus in illo? Si vt indiuisi ergo principium, indiuisum: si vt diuisi ergo non idem videt & audit. Præterea si anima est forma corporea, omnis forma corporea in formam aliam corpoream mutatur: lignum in cinerem, caro in vermem, vermis in lutum. Si dicis in cadauer, igitur cadauer generatur: Et tunc vel antea erat, ergo genita nuper: aut non, igitur genita est ex anima? ostendunt etiam sensus esse quippiam simile: vtcumque anima non est commutata in aliam formam: nam si præerat cadaueris forma, anima non est commutata manente materia in aliam formam: si non præfuit facta est generatio non corruptio. Adde quod forma cadaueris vel est primæ materiæ, vel secundæ: si huius, ergo anima superflua erit, cuius enim est actus. Si primæ, ergo igitur anima, ex qua facta est transmutatio, erit forma primæ materiæ, & obtinebimus apertè propositum. Demùm quæro, an cadauer lupi differat à cadauere hominis specie? Si sic, igitur non opus fuit animâ ad constituendam speciem: Si non, ergo non est generatio quia ex variis eadem fiunt.

47. Argumentum quoque diuinitatis animi est intelligentia & cognitio maior in somno quàm in vigilia, id quisque experiri sæpiùs in vita potest. Scilicet animam intelligere multa dum dormit homo quorum expers erat in vigilia, nec assequi potuisset. Quis enim se eundem & alium, dum vigilat imaginari potest? aut simul diuersa tempora exacta vtpote triennium, sex menses, aut quindecim dies: cum simul cœpisse totidem cœpisse rerum possessionem existimamus, & simul amisisse. Esse simul prope Lunam & in orbe Solis. Geminum ægrum simul ac sanum, ac multa eiusmodi. *Bran.* Vera dicis: sed hæc ad imperfectionem & mentis errorem potius attinent, quàm quod sint diuinitatis, aut immortalitatis argumentum. *Ad.* Equidem: sed partem horum experimur in vigilia. Et quæcunque perfectionem aliquam continent & labore multo adipiscimur ea declarant esse puritatis argumentum non imperfectionis. Sed est alia ratio à corporis humani fabrica.

48. Quis nunquam vidit architectum plus insumpsisse operis in fabricanda domo quàm illius foret vsus? Nunquid ergo homines existimabunt Deum supremum esse architecto tam humili inferiorem? At vident in locusta adeò contempto animali tantum opificij caput, cornua, oculos, dentes, alas, viscera, crura, macrocelas, & in his digitos tam multos: Quid hoc aliud quàm quod anima Mundi non minus in illius fabrica, quàm generosi animalis delecta est? Ergo animam hanc immortalem esse quis dubitat? in animalibusque brutis eandem esse quæ ad finem, id est, perpetuitatem generationis: in homine viaticum & iter. Quandoque dicunt inspicientibus astra noctu id in mentem venit, non quod cuique plebeio obuersatur lumen magnitudo clarius puritas incredibilis motus velocitas atque æternitas, sed quid supra cœlum hoc, quid supra Sydera: Sed hæc nobis omnino ignota in hac vita velut & motus astrorum quomodo fiat altitudinibus variatis ac retrocessum non causa quam docuimus, sed norma, quam (prorsus indictam) appellare licet. Si igitur anima nostra natura præstat, vt Philosophi omnes dicunt vt omnia cognoscat? At in hac vita, vt dictum est omnia cognoscere ei fas non est vt demonstrauimus nuper non solum de immortalibus atque cœlestibus, sed etiam inferioribus istis (dico rerum differentias, naturam rerum intimam, proprietates, comparationes, nexus) necesse est vt alia melior multo sit nobis expectanda ab illo constituta, in qua derelicta hic (quæ

longè

longè plura sunt quàm concessa) intelligantur. Sanè quæ supra oculos nostros sunt videri tamen nata, sed nimis procul, vt in nono vel decimo vel vlteriore orbe, quæ in terræ visceribus, quæ in imo maris, ad quem scire cognoscerêve pertinebit ô Peripatetici, si Diis hæc indigna existimatis, si Dæmones sustulistis, & naturam nostrâ hac sublatâ immortalitatis spe intra corpusculum hoc coërcuistis? constat igitur puriorem quandam ab obitu vitam expectandam beatam & immortalitate dignam. Quinimò si aliquid concedatur quod à nemine cognoscatur, illud prorsus esse non potest: nam scientia immortalium, mortalium est essentia, seu ipsum esse.


49. At ex vniuersi ordine duæ rationes seliguntur: prima quòd vnum est Principium: & id soli Deo conuenit, Plotinus addit *Bonum*: alia communicantur, vnum, immensum, æternum, comprehensum, indiuisum. Vltima vitarum est indiuisa, collecta, & æterna: sed immensa non est. Hæc igitur generat Mundum non collecta, sed explicata æternitas per tempora æterna. Orbes ergo cœlestes nacti sunt æternitatem, iam dissolutam, & potentiæ mistam. Vnde quasi senescere videntur, cum tamen non senescant, vitæ autem illis præfectæ quâ parte incorporeis annectuntur, non solum æternæ sunt sed collectæ: quâ parte orbibus, vt ita dicam, annectuntur æternitatem fluxilem habent. Vnde ad futurum quasi ac præteritum respiciunt, vt illis omnia non possint dici præsentia. In Deo ergo vita est æternitas prima: in vitis non annexis æternum seu æternitas ipsa. In coniunctis cum orbibus æuum, in orbibus tempus collectum: in mortalibus tempus diuisum. Vltima vitarum, cum nec in æuo nec in æternitate consistat non Bona simpliciter, non immensa, nec comprehensa, sed solum vna, explicatur in plures & generat has animas, quæ cum non possint esse per se diuisè diuiduntur comparatione ad materiam primam. Hæc ergo cum nihil retinere possent ex diuinis muneribus solum retinuerunt tempus collectum seu æternitatem explicatam.

Post nihil cum esset perpetuum inuenit natura medium quoddam scilicet immortale in specie, mortale in numero. Post hæc deuenit ad mortua, iam & cadauera lutum excrementa: Post quæ est materia prima seu hyle priuata omni bono authorque corruptionis. (Hoc autem diximus aliàs eam esse elementa ipsa aut valde illis proximam) vnde patet quòd si volumus ordinem seruare tam certum nec præcipites se dare. Ex ima & æterna mente in mortalia atque diuisa oportere constituere aliquid diuisum, & immortale, quod constat aliud esse non posse quam animas diuisas & immortales. Quòd si per aliud genus absurdi & membrum diuisionis transeas, id erit vnum atque mortale: quemadmodum de Phœnice Veteres fabularentur. Sed quomodo (inquit Branda) immortale quod quantitate caret diuidi poterit, cum diuisio ad quantitatem pertineat? *Ad.* Anteà dixi aliis modis mentem quæ iam adhæsit corpori variari quantitate, licèt non extendatur vt corpus, aut superficies, aut accidens in illis; constat enim & perfectiorem esse, aut si mens sit cum vehiculo, & corpore æterno, res nullam patitur difficultatem. Sunt ergo entium genera hæc Principium, Vitæ separatæ, Anima Mundi, Cœlum, Anima Lunaris Orbis, Mens humana. Quæ viuunt aliquo vitæ genere, Elementa scilicet, homines, animalia è semine, fortuita, plantæ, Zoophita. Inde cadauera horum & fortuita, vt excrementa, cœnum, lutum, at vltimum Hyle, vt sint nouem.

50. Aliud Aristoteles diffinit Animam, quod sit actus (sed melius ἐντελέχεια) corporis Physici organici potentiâ vitam habentis, seu ἐντελέχεια dicatur quòd perpetuò moueatur, & sit, vt ita dicam, actus perpetuus, seu ab ἐντελος quod est perfectum absolutum & ad finem deductum dicatur, constat animam esse actum quendam vtroque modo potentiâ carentem. Si ergo actus intelligatur pro operatione erit accidens, non ergo anima: Etsi vt à potentia distinguitur erit cum motu quodam, & ita rursus accidens non substantia: Igitur erit actus, id est, res actus quidam substantiæ quæ non est per aliud substantia, sed à seipsa pendet, talis ergo (inquit) quod anima senis, nihilo deterior est anima iuuenis, sed solum ob instrumentum, cum ergo formæ mortales omnes lignum, scamnum, gemma, omnes fiant deteriores tanto quanto corpus, igitur Anima non est forma corporis. Alio modo inducitur à nostris etiam sic Anima est actus substantiæ, quia corpus per quod viuit semper actu viuit: sicut planta nutritur perpetuò, quia vita illius est nutritio: ita equus est viuens actu semper per Animam: Verùm quoniam Anima sensilis ac intellectiua non potest semper agere (Declaraui enim ex Philosopho quòd licèt sentire, & intelligere consistat in quodam pari sunt tamen actus animæ, & operationes animæ, quæ est substantia in actu: indicio cuius est & ipsum moueri corpus ab Anima, vt ergo mouet actiuè ita etiam sentit) ideò posuit duplicem actum, vnum quem, secundum, appellauit, & est operatio Animæ, alium, qui est cessante operatione, quæ fit auxilio instrumentorum, id est, spirituum & membrorum. Sed est duntaxat in Anima illa operatio, quæ est eadem actui, Et non perficitur vt corpori communicetur propter illius impedimentum, velut in delyrio, ebrietate, somno, dolore, vel si voluntas nolit instrumentum agere. Ergo videmus hoc experimento sicut in Facio Cardano, qui cum amissis dentibus Octogenarius malè concoqueret: Et in Angelo Cardano, & ipso, qui omnino decrepitum ætate erat enim annorum xciv. riderent vt pueri quoniam instrumentum, id est, oculi, & quæ ad illos valida erant: Et hoc appa-

ret manifestè in illis operationibus, quæ fiunt sine auxilio corporeo, qualis est *Velle.* In nullo enim minus experimur voluntatem ac velle minorem in suprema senectute, quàm in floridissima iuuenta. Reassumamus igitur rationem ex integro, quod seipsum mouet est immortale anima seipsum mouet: igitur anima est immortalis. At hoc secundum sic demonstratur: actus primus præcedit secundum, sed actus primus procedit ab Anima, secundus ab obiecto, Ergo anima seipsam mouet. Demonstro tertiò Propositionem secundam assumptam: nam actus primus præsuponitur à secundo neque enim tonsor, tondere potest quàm artem tondendi norit: nec oculus videre quàm cum poterit hoc facere, quia vt potentia præcedit actum in operatione, & quæ potentia dicitur respectu motionis ab obiecto, est actus primus in anima: igitur actus primus præcedit origine secundum, sed ille est ab anima vt declararum est, & causa operationis animæ & totius illius operationis, igitur anima quælibet, in qualibet operatione seipsam mouet. Quod fuit demonstrandum. Et breuiter in anima viliore, id est, quæ vitam dat ac nutrit cum secundus actus mistus primo adeò apertè liquet, vt in illa totam operationem ab anima ipsa proficisci arbitrentur. Forsan dubitabis de prima propositione, scilicet si seipsam mouet est immortalis? Quod enim seipsum mouet semper mouet: id ergo Principium est, & nunquam desinere potest, tùm quia incorporeum tùm quia contrario caret: Tum etiam quod si mouet seipsum nō potest esse causa vlla cessationis: esset enim duplex principium & contrarium vnum alterius, sicut in igne propter deffectum alimenti: constat autem quòd anima non est ignis, nec igneum quicquam nec ex igne compositum. Nec potest tolli ille motus à causa externa: quia sic ex casu posset natura æternum transire in mortale: quod omnino accidere non potest. Ideò etiam ignis potest ex suffocatione extingui, quia, vt dixi, non est æternus, sui natura, ob alimenti necessitatem: Et ideò potest extingui à causa interiore & propria, ideò nihil mirum si ab externa.

51. Sumitur quoque ratio ex motu ipsius animæ, qui neque est naturalis, neque violentus. Differt enim à naturali in tribus, quod non sit ad quietem: Nec est sursum aut deorsum: nec ob necessitatem corporis, quamvis dubium non sit, quin sit necessarius finis ratione: nam lapis si non descendat ad centrum terræ, nihilominus non corrumpitur nec equus, imò si descenderet corrumperetur: at intercepto pulsu vel anhelitu statim moritur. *Bran.* Putásne, si homo absque impetu descenderet ad terræ centrum vbi propè adesset, continuò interiturum, *Ad.* Quidni. *Bran.* Causa. *Ad.* Quoniam Primùm locus ille frigidissimus est, & humidissimus: Et proportione respondens vitæ serpentum & bufonum in quo si viuerent homines non possent: si non viuerent, multo minus. Præterea condensaretur ibi curis ac spiritus, vnde repentina suffocatio. Et cum ibi astrorum vis in vnum coëat nil durius. Ergo non solum animalia immutari debere existimo, sed corpora aliqua nobis incognita esse puto. Indicio est fodientibus nobis ad duo M. P. quanta diuersitas appareat & quæ corporum, varia, & insperata genera. *Bran.* Sed cur ergo tam anxiè currunt elementa ad locum suum, si alicubi, & diu seruari possunt? Et quid dicent hi, aut quam afferent causam horum motuum, qui negant elementa transmutari? aut multo minus qui diuisæ esse speciei: *Ad.* Non equidem ob metum corruptionis, quæ aut nulla futura est aut longè abest, & cuius nullus esse po-



test apud ea quæ sensu carent tam auidè transferuntur elementa, vt vestri Philosophi fabulantur, sed eo studio feruntur ad loca propria, vt animæ mundi pareant. Estque id non solum simile, sed proportione respondés, motui partium cœli, vt si vera fateri velis,


vides

vides proportionem, vide similitudinem, vides coniunctionem horum inferiorum cum superioribus, & cum propè cælum accedimus medio modo feruntur, & in circulum & in semet ipsas mutatæ partes, velut ex A, in B, & inde ex B, in C, & ex C, in D, ex D, in E, ex quo in F, tantundemque ei naturalis hic motus quantum cælo lunæ quòd imminet ACE, Aeris superficiei circularis & BDF, rectus scilicet corpori infrà posito.

Vide figurã superius fol. 416.

Bran. Valde verisimile est hoc postquam nullam possunt inuenire verisimiliorem suppositis quæ nuper dixisti principiis. *Ad.* Sed adhuc videmus motum inesse animæ sui generis & ex principio æqualem: & perpetuũ vt in anima sensili in corde & arteriis in ea autem quæ alit in nutritione. *Bran.* Credis æquales fore hos motus. *Ad.* Non nisi ex principio: nam vt Geometræ dicunt, si duo numeri vnum multiplicent tantus erit duorum multiplicatorum, quantus multiplicantium, cum ergo anima sit semper sibi æqualis corpus inæquale, motus inæquales futuros esse necesse est. In initio tamen, seu origine æquales erunt. At si non tales essent qualis tumultus nec possent continuari igitur hanc æqualitatem non nisi immortali animæ conuenire posse haud dubium est. Intellectus autem cum nullum motum habeat, est enim incorporeus, non habet motum æqualem, & tamen plus habet quo significet animi immortalitatem quàm quæuis anima. At forsan (inquit Branda) quietes illas quas Pulsus intermedias habet indicium præbere quod anima motu fatigetur: neque æterna sit? Cui Adrianus: Ædepol, id contingit ob angustiam loci non fatigationem. Inditio est si quis ergo sanatus ex morbo graui, omnium oblitus, nouerit tantam felicitatem in Diis esse, aut harmoniam quæ illi satisfaciat, aut communem cum aliis, aut ipse sit auris, vel sit oculus per aurem particeps soni iucundi, iam hoc est vltimum, ibi nullum vlterius desiderium, hæc conditio est in quam mutatur, & manet perpetuo tempore. At ob imperfectionem perferre etiam dolorem potest: is autem à mutatione iucundus, ideò corpori annecti appetit, deterior ea quam possidet, quod non diuturna incerta & dolori mista. Gratior quòd vehementius afficit: quòd propria, vt eorum qui in Repub. tyrannidem affectant: quòd magis corporea & plurium, scilicet sensilium & penè figmentorum. *Bran.* Intelligo: sed de motu nihil adhuc dictum est.

Ad. Morem tibi geramus, ostendamus ergo animam non nisi vnum membrum mouere posse in animalibus sanguine præditis: Aristoteles appellat mouere quatuor notis: vt sint tria declaranda. Vide 7. De Rer Var. cap. 27. Primum quomodo mouendo quatuor notis, sit mouere tantum vnum membrum? secundum quomodo per consuetudinem possimus transire in naturæ repugnãtias? Tertium quid sit quod mouet? Nam cõsuetudo esse non potest: cum sit conditio motori aut moto adiecta, non mouens: cũ nõ sit nec anima, nec spiritus, neque membrum. Ergo per mouere quatuor notis debemus intelligere, diuersis: nam cum equus currit, mouet duos pedes anteriores simul, sed eodem modo & impetu: cum verò posteriores non simul cum anterioribus, sed pòst vel antè: ergo ad hoc vt moueatur quatuor notis, exigitur vt vel quatuor tantum habeat crura, vt equus aut loco duorum anteriorum duo brachia velut homo: aut duas alas vt auis aut nihil horum sed partem tantum, absque alio exteriore auxilio, velut serpentes. Est etiam illud proprium animalibus quod quæ mouentur quatuor notis si vna duntaxat aut duabus priuentur aut cæderentur non possunt perficere motum vt homo qui vix ambulare potest amputato brachio. Quanquam ergo notis quatuor moueantur vnam tamen partem tantum mouent: aut si duas quemadmodum auis cum volat & equus dum currit etiam quatuor: anteriores quidem simul & eodem non solum impetu sed motu agitat scilicet anteriores simul, aut posteriores simul, vt diuerso modo non possit. Ita cum deducit brachia homo dextrum in dextram partem, sinistrum in sinistram distrahit. Quod si posteriores pedes anterioribus comparaueris non simul sed pòst mouebit hos aut illos equus. Homo autem si contrahat brachium dextrum, & sinistrum extendat non natura id facere simul didicit, sed vsu edoctus est paulatim: & non minus ægrè quàm qui cheli pulsat aut cithara mouere tot digitos simul in diuersas partes, impressione illâ factâ tùm in spiritibus vt moueant absque imperio voluntatis: concordibus inclinationibus & vno impetu alteri succedente. Quocirca factum est, vt difficilius sit inchoare sonum quàm continuare & celeriter ac perseuerare quàm abrumpere & meditari. Itaque iam duorum primorum rationes perspicuæ sunt, accipe modo tertium. Tria sunt, vt dictum est, principia motus in animali, anima, vsus seu consuetudo & natura rei, voco naturam impulsum & attractionem, ac si quid eiusmodi est. Est autem naturæ vsus naturæ. Sit ergo animal ABCD, cuius dextra AB, dico quòd moto



A, In F, necesse est magis moueri D, versus, E, quam BC, etiam quod recta mouerentur solum: quanquam constet A, moueri partim recta in F, partim circulari vnde equi ad sinistram partem semper paulatim nisi contineantur inclinant. Quia enim longior est ad quam AB, Quia ABD, si constitueretur rectus esset, ideò maior est distentio AD, quàm AB, vt etiã in hypomochlio & experientia docet, adde quod CD, videtur stabilis & auulsa ab AD, quare: neque ab anima neque à consuetudine contingit vt D, consequatur A, sed à natura, quam

postmodum sequitur, & comitatur consuetudo, Anima ergo cum moueat A, & ad motũ illius necesse sit aliquam partem trahi, consequitur, D, non autem B, Aristoteles verò alias causas affert de posterioribus cũ prioribus monerentur esset motus præceps : & non gressus sed saltus, si quæ ex eodem latere simul non consisterent firmiter sed collaberentur. Attamen Asturcones non cadunt nec consuetudo plus posse debet quam natum, cũ ergo anima sit indiuidua & substantia igitur etiam incorporea quare si substantia incorporea, palã est quod sit immortalis. Omne enim quod perit, ob id perit quòd subiectum interitui est obnoxium, velut accidens: vel quoniam ipsum habet contrarium ex eo quòd corporeum sit. Iulis autem diuisa vtraque parte moueri solet anteriori ad anteriora, posteriore verò non eodem modo nam natura & consuetudine ad anteriora vt Aristoteles dicit: nonnunquã ob læsam partem ne obuiet ad posteriorem, cum viuax fuerit, Porrò velim memineris indiuiduum multifariam, vel vt punctũ, & quod diuisum mutatur vt homo non enim viuit per medium dissectus & atoma : vel quod contrahi potest & extendi, sed non nisi ad metam quandam vt aqua, aer, ignis, & quod non est vnum verè vt homo, qui non potest diuidi à natura, sed sola cogitatione: nullo istorum modorum anima indiuidua est. Sed velut scientia. Hæc habet partes vt scientia vniuersi totidem & easdem quas habet vniuersum Hoc igitur ei contingit, quod sit ante magnitudinem, locum, & tempus. Quod si esset substantia habeamus exquisitum exemplum.

55. Aliud ex eodem, Anima est immobilis & substantia, igitur perpetua. Omne enim quod mouetur ad aliquod primum mouens redigi necesse est vt *Octauo Phisicorum*. Rursus nihil mouet seipsum : igitur primum quod mouet in animali vel ab aliquo exteriore mouetur : Ergo animal per accidens mouetur, aut à seipso : & ita idem mouebit seipsum: & ita agens & patiens, aut erit immobile, & non est nisi anima. Sunt enim quatuor in animali, quod mouet & non mouetur, & est anima: Quod mouet, & non mouet & est corpus, & est cor aut ei proportione respondens. Quod mouet & mouetur vt crura & brachia. Quod duntaxat mouetur vt pedes & manus.

56. Aliud rursus est ab euidentibus homines præcipue qui præstantes fuerunt in senio ad contemplationem se contulerunt quasi naturâ docente, quorsum iter sit. Atque vt bombyces in aurelias transeunt reparandi generis studio ita humanum genus & sub ætate ingrauescente & morte etiam quovis modo appropinquante ad Deorum cultum conuertitur. Quod si quis illud obiiciat.

——*Pariterque senescere mentem?*

Non aliud dicam quam quod asinum qui ad tibiã saltare didicerit, quòd moueat pedes ad harmoniam ex vsu arffirmet musicum euadere. Nam liquet nunquam ad id profecturum, sed mentem videri consenuisse aut animam, quoniam, quodam interiore, aut exteriore instrumento corrupto, ignauus ad eam functionem factus videatur. Omitto exemplum illud peruetustum de Catone Censorino qui Octogenarius didicit literas Græcas Nonne vidit nostra ætas Carolum Quintum tot victoriis illustrem, Regnis auriferis potentem, vt omnibus Romanis etiam Augusto vel si qui eo fuit Imperator magnitudine & multitudine Prouinciarum locupletior, maior fuerit in ergastulum sacerdotum se contulisse, non singulari, sed vulgato exemplo, non temerè, sed vel natura suadente, aut benè subducta humanarum actionum ratione, sed ad euidentius argumentum huic tamen affine transeamus.

57. Dictum est superius homini ademptum finem si immortalis sit animus, idque per hoc demonstratum quòd si infiniti sumus & more animalium cæterorum interimus, non redituri, nec superfuturi, quâ ratione irrita potest dici vniuscuiusque vita fœdè nasci, turpiter educari, stultè iuuenescere, flagitiosè consistere, miserè consenescere, nulla cum spe futurorum, firmitate præsentium, gaudio præsentium, nulla cõstantia nostri nostrorum aut operum : nunc verò id doceamus, quonam pacto necesse sit non ex ordine nostro, sed ad comparationem vniuersi, & suarum partium hominem habere animam immortalem. Quis enim dubitat hominem non esse perfectissimum omnium quæ sub Lunæ cælo continentur mistorum: itaq; vt mistum est finem quendã sortitum est vt viueret: hoc ipsum est perfectio vt vita perpetua esset vt cæterorũ : propagata ex semine non inconstãs & fortuita. At non hoc, sed alium finẽ habuit vt inter viuentia cognosceret : sentiret igitur atque moueretur. Et huius rursus alius finis scilicet vt non solum cognosceret & moueretur (id extra ipsum esse positum est) velut & equi vt saltet, currat, videat: sed & in animãtium genere alius vt suprà cuncta emineat, vt sit finis omnium, vt omnium sit perfectissimus adeptus est (mentem adhibete) est perfectissimus quoniam ratione & intellectu vtitur, est vltimus ipse mortalium finis: quatenus perfectissimus omnium, quatenus finis aliorum, certus debetur ei finis velut & aliis, vt esset in specie perpetuus : vtpote vt esset quod semper cognosceret deos, artes exerceret, veneraretur reges, ciuilis haberetur : At modò qua parte est finis omnium nullum illi adhibes finem? si dicas non adhibito, quia ipsemet finis est omnium non aliunde quærendus est finis? siste gradum & vide quot vno verbo committis errores : Primum ipse non potest esse finis omnium? Dubium non est quoniam hoc soli Deo tribuendum est. Si dicas mortalium, contra id est quoniam sic inconiunctus erit ordini vniuersi? Deinde quod non deceat esse finem huius sublunaris machinæ corpus vnũ aut mistum, Præsertim cum tot imperfectionibus cum tot miseriis casibus & in quo tam pauci sint ad hunc numerum, nec adhuc constet an conducat ad assequendum tum finem diu viuere aut non: diuitem esse aut regem aut non. Et rursus si hoc sit, oportebit

vt

vt sapientum hic finis sit his? at hoc voluit omnino cauere Deus vt intelligeremus,cum tales sint omnium miserrimi vt neque qui admirantur illos; neque ipsimet (omitto modò ineptum vulgus quorum sententia sunt miserabiles & contempti atque omnino abiecti) audeant depromere illud tam auspicatum ac desideratum nomen felicitatis sine (nisi) additione, vnus dicit si non fuissent filij, alius si fuisset aliquanto ditior, alius si non natus fuisset inter barbaros,alius si non periisset in iuuenta, alius nisi podagra adeò vexatus esset, alius si licuisset esse sine tam acerbis inimicis:de alio ei non fuissent calamitates publicæ:de alio si literas nouisset? atque de alio si cognouisset suam sortem? Quis dicat gemmas factas fuisse propter præclarissimas & nulla possit talis videri Cauete ergo vos sapientes ne in hoc stultitiæ genus deueniatis? nam hoc certè felicitas est natura esse insanum. Deinde quàm parum verisimile est tot gentibus denegatum esse hunc finem Indis Occidui orbis, Scythis, Æthiopibus,Patagonibus: & tanto tempore vt cum calamitate publica interreunt libri omnes, quod accidisse constat paulò ante tempora Hippocratis.Quæso dicite in quem hominem aut ad quem traducitis hanc vestram felicitatem Socratis tempore? certè non nisi ad Socratem: quem etiam ob felicium & sapientum inopiam non ob alias nugas Oraculum Apollinis ipsum prætulit, certè quis vestrum est, qui illius conditionem inuideat, nudis pedibus in porticibus disputantem absq; literis, felicitatem absque pecunia: quærentem vt ita dicam ostiatim cum vxore stulta, filiis paruulis, irrisum à plebe: atque hic finis constituetur totius vniuersi? ô beatos vos si talia potestis credere? *Bran.* At caue ô generose, quoniam Auerroës voluit semper aliquem fuisse sapientem,& ideò verè Beatum in hoc orbe vel alicubi. *Ad.* An Auerroes plures mundos esse credit? *Bran.* Non *Ad.* Vbi ergo vult illum viuere sapientem? *Br.* In alia cæli quarta? Ad Dicis seriò, an iocaris. *Bran.* Seriò vt mihi videtur ille ait:Et explicat dicens *Ad.* Nil plus non est locus hic, sed tu dicas Ædepol talia credis?Dicas quæso? *Bran.*Non *Ad.* Infantiles nugæ & fabulæ indignæ tanto viro. *Br.* Et quandoq; bonus dormitat Homerus.Fuit tamen insignis vir præcipuè eâ ætate *Ad.* Vera refers.Sed redeamus ad institutũ Quodnam felicitatis genus quod solum aduenire potest cum homo se miserrimum agnoscit? si carbunculi aliqui possent se felices existimare meritò id condonari posset mensuris decies M. annis, at hominem senem edentulum rugosum omni miseria laborantem si sit pauper, aut cui inuideant contemptores contemnunt qui inuident paucis literulis existimare velit felicem cuius sortem nemo subire velit, nulli vsui,nulli negocio aptum, spretum ab omnibus irrisum ab insolentibus,nec etiam à suis (si cui sint) descendentibus tam stultum est, vt referre non opus sit. Expectanda est contra vide) illa occasio ergo in qua nihil cum perierit velut phænix rediuiua pulcherrimis pẽnis cantu suauis, florens iuuenta, viribus vigens admirationi sis toti orbi. *Vas.* visus est omnibus (ego sanè non sat scio quantum ponderis ratio habuerit neque enim vix scio scribere) satisfecisse ac plurimum ad animi iucunditatem contulisse spei simul ac voluptatis.

58.Est etiam alia ratio satis euidens quod operationes animæ seu nostræ seu animalium sunt perfectiores operationibus animarum, quæ sunt in seminibus seu plantarum seu animalium: sed operatio animarum quæ est in seminibus quibusvis est operatio diuina vt docuimus suprà,& Galenus ipse affirmat. *Primo de Facultatibus naturalibus. Arg.3.c.* Igitur sensus & vita non solum intellectus sunt operationes diuinæ & à forma in corporea diuina & planè æterna, nam nulla mortalis formæ operatio quantumvis perfecta potest esse tam nobilis quàm quæ procedit ab eo agente quod est immortale. Quod autem operationes sensuum vitæ & intellectus sint operationibus generationis perfectiores nemini dubium esse potest,cum operatio generationis sit propter animæ operationes & ideò animæ operationes sunt finis generationis, finis autem est perfectior his omnibus, quæ sunt ad finem. Et etiam quiá operationes animæ in eo quod viuit sunt animæ perfectæ generationis autẽ imperfectæ essentiæ seu constitutionis animæ, neque enim dubium est, quin anima non sit in perfectiori constitutione in viuente perfecto quàm in semine. Præterea operatio animæ maximæ sensilis est absque materia & quodammodo incorporea generationis autem materiaria, igitur prior est magis diuina & immortalis quàm generatio, omitto etiam illud de intellectu tanquam manifestum nimis. Dico etiam quod in generatione vel fit substantia, vel solum copulatur animæ? Si hoc habeo ex concesso intentum?est enim anima ante corpus: si generatur anima, ergo cum sensus operatio sit nobilior animæ generatione erit sensus operatio diuina.Clarius ex opposito sic, si forma hominis quæ est anima generatur à semine,igitur generatio est nobilior sensu,sed non potest esse nobilior sensu,igitur forma non generatur sed præest. Alio modo, si intellectus generat hominem (nam non est absque cognitione agentis aut esse potest vel eius quod dirigit) cum anima intellectiua per te generetur quæ est substantia erit nobilior intellectu generatio,& hoc esse non potest:at ergo si intellectus operatio perfecta est nobilior: ex imperfecta intellectus qualis est generatio non poterit gigni anima intellectiua: igitur anima intellectiua præest. *Bran.*Dixisti preesse hâc animam quasi velis animas distinguere numero quas iam in vnam coegisse visus es vt tibi contradicas. Præterea si sic saluas cum sint incorporeæ quomodo distinguentur, non enim est ibi multitudo in numero conuenit quæ data est mortalibus solum & corporeis ad perpetuitatem stirpis. At talia iam sunt perpetua.Et etiam quia distinguerentur forma cum materia careant:igitur & specie. Necesse etiam erit admittere infinitum quod repugnat numero qui numerari potest.

poteſt. Et forma erit ſine operatione & multa alia. *Ad.* Nihil dixi incongruum, ſunt vnum, vt dixi, in principio diſtinctæ inter ſe, velut lumen ſolis, & non diſtinguntur numero quia ſic diſtinguuntur vt ſeparatæ, hoc autem potentia ſolum non actu. *Bran.* Sed quomodo Principium habebit partes cum careat magnitudine? *Ad.* Quoniam diſtinguuntur perfectione. Ergo erunt accidentia velut lumen animæ? inquit Branda. *Ad.* Quia ſubſtantia à ſubſtantia differt perfectione, & eſt alia, & vnum velut ſi proponas quòd demonſtrationes Mathematicæ eſſent ſubſtantiæ: cum ipſæ proculdubio futuræ eſſent infinitæ, eſſent ergo infinitæ ſubſtantiæ diuerſæ & perfectione & vnum in Principio & haberent partes, & ita poſſent habere vitam & operationes, & eſſe infinitæ, & non tamen numero infinito, ſed vnaquæque habere ſuum proprium eſſe ab alio diſtinctum, nec tamen haberent magnitudinem. Et hæc fuit opinio Platonis iuxta id quod illi tribuunt noſtri ſapientes. *Bran.* Modo intelligo.

59. *Ad.* Sed habeo alia quæ adducam erutinam ſcilicet & examen, reuocabo autem vos ad iam dicta ſuperius Arg. 2. & 6. volens oſtendere quod omnes ſubſtantiæ corporeæ (quanto magis incorporeæ) aut ſemper manent cædem & indiuulſæ vt cælum, aut idem ſed diuulſæ vt hæc inferiora. Et declaro hæc per arcam, argentum, aquam, tuber, gramen, ranas, demùm equos. De arca diſſoluo eam, rurſus compagino illam ex eiſdem tabulis & cum iiſdem clauis & palam eſt quod eſt eadem numero: quia forma artificialis eſt eadem, & materiæ naturali nihil ſuperuenit quod eam mutauerit. Idē de aqua, & argento & aqua denuò, hoc enim ab initio concluſum eſt, venio modò ad aquam genitam totam ex vaporibus præcedentis aquæ: & dico eſſe eandem cum præcedenti haud dubiè: nec video quid mouerit Ariſtotelem ad ſentiendum oppoſitum cum materia prima & forma ſubſtantia vires accidentia. Si dicas quòd agens eſt aliud quanto magis ergo differet ſecundum argētum à primo numero. Si dicas quòd hoc latuit Ariſtotelem quid mea refert? Sed & non potuit latere experimentum de plumbo liquefacto, de aqua in glaciem conuerſa, & denuò ex glacie in aquam redacta. Si dicas quod materiam ſecundam hæc ipſa debet eſſe principium differentiæ at de illa eſt quæſtio. Si dicas quod per diuerſa accidentia multo plus diſtat ſenex à ſemet ipſo puero. Quid denique erit quod facit differre numero ſi quæ poſſunt nullum adeſt, eorum quæ adſunt nullum poteſt facere? *Bran.* Quid ergo compulit illum ad negandum hoc? *Ad.* Quoniam eo admiſſo videbat tolli fermè omnem generationem quam ipſe totis viribus defendere conabatur, tanquam rem famoſam & ſenſibus blandientem. Ergo cum duobus modis poſſit contingere aut aqua ſecundo genita ſit eadem primæ, vel vt quòd prior non corrumpatur velut corrupta redeat: certum eſt vtroque modo eandem eſſe priorem aquam cum ſecunda, ſed forſan recurres ad illud ſufficere quod deſierit prima aqua eſſe ſemel, ſed ſi reſtituatur, non tamen eandem eſſe. Sed ô generoſe ſi anima noſtra eſſet immortalis & diuiſa, & homo vbi mortuus eſſet ſtatim rediret, anima illa corpus velles dicere illum hominem eſſe alium à priore *Brand.* Certè non. *Ad.* Quid ergo habet hoc exemplum de aqua ab hoc, de homine, aut arca differens? ſi obiicias de ſeparatione? Et hic non minus adeſt quàm in aqua? Si dicas eſſe diuerſos homines? Iam nil amplius à te quicquam volo, nam ego contentus ſum hoc genere immortalitatis, de quo nullus eſt tam amens qui ipſum refugiat, imò gloriaretur. Venio modo ad quartum & quintum exemplum de Tubere & gramine, idem dicam de fungo, nam ad idem tendunt aut parum differunt (& concedo tibi elementa permutari aliter vides quod non eſſet dubitatio quamquam deus ſciat an permutentur, ſed vt omnia vobis liberaliter condonem) quæro an tuber à tubere differrat? fungus à fungo? gramen à gramine. *Bran.* In his videtur aliqua difficultas, quia videtur forma formæ ſuperaddita: & ita etiam duplex materia prima & ſecunda. *Ad.* Rectè inquam propterea in hoc ſed duo oportet præponere explicandum, ſcilicet an gleba terræ ſit eadem parti ſuæ an non: Dico ergo quod partim numero, partim ſolum ſpecie, ergo ſi pars ſolum regeneretur idem erit. Alterum quomodo generatio vnius ſit corruptio alterius & viciſſim? Dico ergo quòd omnis corruptio tendit ad inanimatum & ſeparationem elementorum, vnde exutâ formâ priore ad alterius animalis procreationem materia præpatur ideò nunquam ex viuente aliquo in aliud viuens tranſmutatur: ergo ſi non poteſt contingere in eodem genere neque ſpecie. Ergo ſi reuiuiſcat aliquid neceſſariò erit idem numero: quod etiam ſuperius oſtenſum eſt. At corruptio non eſt in poteſtate naturæ magis quàm generatio: ſed cauſæ vtriuſque poſſunt eſſe in noſtra poteſtate vt vrere, calefacere, ſuffocare, ardere, diuidere, & ita adiuuamus ſata & arbores cum tamen nulla generatio ſit in poteſtate natura, ita conterit, calefacit, admouet remouet impedimenta. Ergo elementa fiunt per ſeparationem non tamen cauſa ſeparationis poteſt eſſe in nobis: ſed nos poſſumus admouere aut progignere illam cauſam. Non dicuntur tamen nec elementa generari, quia non fiũt per concretionem ſed diſſolutionem verum etiam quoniam terminus eſt res inanimata id eſt elementum. Venio modò ad rem, tuber ſi nil aliud contineat quàm quod prius genitum erat cum nec totum in toto ſit partim erit numero primo, partim ſpecie: idem dico de aqua hæc enim diuerſitas in numero leuis eſt in his quæ ſimplicibus ſunt proxima leuior in ſimplicibus: & quanto fuerint ab illis remota maior & euidentior, cum igitur non videatur certus terminus, circumſcriptus concludo quòd omnia ad idē participatione redeunt & in longis temporũ periodis magis ac minus. Et hoc eſt quod voluit ſignificare Ariſtoteles XVII. Problematum ex ſententia Alcmeonis: *Non prorſus idem numero nec ſolum ſpecie, ſed forma eadem.*

eadem. Ab his ergo pariter ad ranas, demùm equos deuenio, qui ab anima prorsus erunt inter se distincti, sed corpore magis quàm ranæ & longè plus quàm tubera vel aqua rediuiua, cum ergo mundus sit constitutus & illis duabus partibus quarum vna est prorsus immutabilis, alia vel non mutatur sed diuiditur & sic duntaxat erit vna pars, aut si mutatur homo medius erit anima immortalis corpore mortalis quare vtroque modo propositum assequimur.

60. Succedit hîc alia ratio, quòd Anima non sit in tempore, nam, hoc de sensu, iam declaratum est. Et facilè ostenditur ex declaratis: nam eius actio tempore non indiget, seu sit sentire, seu viuere, multò minus intelligere: vt enim est, mouet statim. Ad perfectionem operationis aliud est, quoniam indiget siccitate & soliditate membrorum. Ergo vt quod sit ante locum ostendit quod ante magnitudinē ita de tempore, sed quod maius, volo ostendere quæ dicant de numero illarum. Hic Branda: Arrige aures Pamphile, nihil est quod magis audire cupiam. *Ad.* Mos tibi geratur, neque enim vnam esse omnibus hominibus arbitror. *Bran.* Vtinam possis ostendere. *Ad.* Conabor: Non est vna vt accidens, vt punctum, vt trabs fateris. *Bran.* Est vna, si est, & ante tempus, locum, magnitudinem, velut si esset Scientia, substantia quædam esset in te, & in me, & in aliis absque dubio vna. Et mirabile quòd vnam audeant statuere, & esse corporis formam & immortalem, nam corporis esse formam vtrique repugnat nedum vni. Si ergo scientia esset forma corporis & substantia pateret propositum. Si non forma corporis sed assisteret, Quæritur quomodo hoc ipsum dicatur substantia? Si dicas per vitam: igitur vita est substantia, aut homo non est substantia. Secunda, quæstio est difficilior, cur magis intellectus assistat mihi nunc quàm nautæ? & maximè cum iam declaratum sit ipsum non esse in tempore? Est ergo triplex difficultas, quomodo mens non sit in tempore? non in loco? Et sit tamen eadem mihi! Et dico quod non est per se: vt tamen anima per vitam alligatur corpori eo modo si mens mea quo illa alligatur corpori. Et hoc modo potest dici in vtroque & non esse. Sicut ergo lux est in oculo meo nunc, & hic, & dicitur esse, non tamen est in loco nec in tempore, nisi quatenus est coniuncta corpori, ita mens iungitur homini vt anima equo: Et quod est anima in equo, Et mens in homine. Et hoc fuit necessarium, vt corpora incorporeis iungerentur & alligarentur. Ergo si mens, & ego ipse, sit lux, reliqua pendebunt ex me, sicut frusta ferri viribus magnetis, finge igitur vires magnetis esse substantiam, aut magnetem rem incorpoream, habebis mentem, & animam, & vitam, & sensum, & corpus. Vt concludam Mens est ipsi nos & est substantia: & illi assistunt anima & corpus per animum, non illa corpori. Et si quis obiiciat, quòd nos ipsi sentimus, & sentimus per animam, & corpus, igitur anima, & corpus, magis sunt partes nostri quam mens? Dico quod non animaduertentibus nobis non sentimus, ideò concludit oppositum. Si rursus obiicias quòd potest esse vt substantia quæ est anima intelligat per lumen mentis æternæ, quod tamen est accidens alicuius substantiæ: sicut oculus, qui videt iridem quæ nulla est deceptus à perspiciliis, quanto magis adiutus? Ad hoc dico quòd non est recta similitudo, quoniam oculus videt cum sit corporeus, at intelligere est res & operatio incorporea, ergo subiecti incorporei, igitur vel anima incorporea, vel lumen est substantia, vtrovis concesso constat propositum.

61. Quod verò me maximè mouet ad credendum *Animi* immortalitatem est commune omnibus bonis & sapientibus: conditorem omnium potuisse ac noluisse, voluisse quia melius potuisse quia non repugnat, constat enim esse honorabilius, dignius atque Vniuersi ordini decentius, vt omnia velut in scena quadam immortali quodam lumine illustrata collucerent. Posse quoque haud dubium: quæ enim contradictio est, vbi nulla esse potest? videmus etiam quæ videri possunt æterna, lucem, & locum, & tempus, & generationem, & scientias, & Mathematicos affectus, & cœlestia corpora. Quòd si dicas hæc non facta esse, sed natura constare, custodiri autem à Mente diuina? Sed quàm absurdum negare causam alterius esse, id quod nil aliud est quàm causa? & quod à causa procedere dicimus? iam, aliam, cum nihil præter id sit, causam quærere? Similiter animam constituere formam compositi, aut aliam quam quæ ab elementis, quomodo ergo duæ erunt, & totidem generationes? aut tandem, sic igitur anima corporea est velut forma ligni. Forsan dices nobilius esse opus, ex colluuie tam sordida mentem genuisse, quam ex cœlesti incorporea substantia? Sic enim etiam artifices gaudent ex integumento nuclei Chrysomeli sculpere Monomachiam, quam ex auro. Quod autem non potuerit: id in causa fuit, ne mortale cum immortali commisceret. Et mortalium quandam nobiliora sunt immortalibus: horologium molari lapide qui circumagitur flumine perpetuo. Ad hæc inquam figuræ illæ in cortice, neque meliores sunt, neque nobiliores, sed magis dignæ admiratione, lapis ille molaris si esset æternus esset nobilior horologio. Sed est duntaxat diuturnior, hoc autem nihil refert. At verò si concedatur intellectum mentem esse immortalem, verùm omnibus communem, quid plus dicam (inquit Branda) quam si mortalem & per singulos distributam, hoc est quod scire cuperem. *Ad.* Hæc Adrianus, in quonam offenderis communi bono? Si soli potiremur gauderemus, at nunc commune est omnibus etiam amicis nostris. Si vitam si incolumitatem, si opes distribueret Princeps singulis in quo offendar aliorum bono? Si mentes cœlestes non vnum sunt quarum est summa fælicitas, quid hoc incommodi aut te indignum? aut si est quomodo illæ fæliciſsimæ? Si quod commune est vnum non est, aut quia commune non fælix: neque Dij: si Dij sunt fælices, seu vnum seu plura,

ergo

ergo & nos tam post quàm ante imò magis. At cuperem inquit Augustinus præter hæc scire quid fuerim, & meipsum cognoscere, nam in reliquis nulla fælicior vita quàm cum veluti dormientes & in omnimodo silentio, atque obscuro loco, aut dubiâ luce, sed clausis oculis contemplamur quod delectat? Et si triangulum deprehendero tres angulos habere duobus rectis æquales, at id de substantia? at id semper tanquam nouum discas velut. Quòd Proportio Sphæræ ad octaedrum sibi inscriptum est velut periferiæ circuli ad suam diametrum. Ex tribus ergo quæ desiderantur, vt nostri mens maneat, vt eius præcipua operatio, vt demum, nos ipsos esse cognoscamus duos prima cum supersint, tertium quasi sub luce dubia relinquatur vt Poëtæ aiunt nil minus habemus quam quod iure optare debemus. Quis enim est qui cum his gaudere possit sensuum illecebras desideret?

Verùm dices quænam differentia à statu viuentis in morte. *Bran.* Hoc quærere volebam sed pudebat. *Ad.* Cur? *Bran.* Propter ea non solum quæ nunc iam docueras, sed quæ memineram suprà dicta. *Ad.* Ergo fingamus vt sæpè contingit aliquem somniantem videre, audire, intelligereque magna & incredibilia, læta, tristia, magno cum terrore, vel etiam sine, repentè expergisci immemorem cunctorum: sed neque tum quicquam videre, aut audire, neque optare vt eum qui alia luce magna impletus cognitione grata, vnde ille de Aurora.

Optaui quoties vt nox tibi cedere vellet
Nec fugerent vultus sydera mota tuos.

Lepidius & clarius:

Poëta Italicus:

Con lei foss' io quando si parte el Sole.
E non si dedeser altri, che le stelle,
Sol vna note, è mai non fosse lalba.

62. Sunt etiam quædam indicia quæ persuadent animi nostri immortalitatem, illius vndequaque titillatio quâ fertur ad maiora viribus suis scilicet quod moueatur à principio sempiterno. Et eius essentia in seipsa, incorporea, in Mundo intelligibi, nihil extra habens, naturæ omnis seu nullius. Ipsius operatio quatenus intelligit ab excellenti obiecto, non corrumpitur sanguis qui fluit præsente interfectore: Hinc etiam sunt quædam ostenta, quæ vix in alia referri quàm in mortuos possunt. *Bran.* Dic quæso audire volupe est: & vt à seriis ad iucunda stylum transferamus. *Ad.* Habitabam aliquando Mediolani iuxta Portam Tonsam, erátque æstas & vt à cœna solet fieri in cortem descendens, sensi odorem maximum, velut cereorum extinctorum quem etiam omnes domestici percipiebant: Media nocte vt acubui grunnitum gregis porcorum paulò pòst anatum voces, inclinante meridie cum mihi timerem tot ostentis cecidit fulgur, & interfecit Ioannem Cremonensem, virum nec integrâ famâ, nec fide satis probatum, ita die sequenti omen lugubre elato funere expleuit. Aliud insigne. Dum essem in Saccensi oppido erat familia quædam quam appellabant Pellizariorum, quatuor fratres è quibus Ioannes Maria (quod ad me attinet amicus & probus: cæterùm non benè audiebat apud rusticos sed credebatur villas exhaurire, vt ille de quo nuper egimus spoliasse) ægrotabat ad mortem demùm à medico vbi primùm proconclamato relictus est, audiebantur in cubiculo varij strepitus in muris, demùm sub lecto ægri: qui illum non solum non latuêre, sed etiam perterruêre. Demùm cum hæc peracta essent circa horam diei x. & vsque ad secundam noctis nouissimè succutere tabulas lecti exaudiebatur ab astantibus, cumque rem diligenter luminibus explorassent, vmbras mortuorum esse crediderunt. Mediâ nocte transacta visus est alloqui patrem, non iam pridem mortuum: quid diceret, percipere non poterant, sequenti die exspirauit. Tam multa sunt in hoc genere maximè cœdibus & morti magnorum virorum cladibus insuper & excidiis ciuitatum velut illud præcipuè apud Iosephum lib. 7. cap. 12. De bello Iudaico, de porta orientali templi: Et de voce illa migremus* hinc quamvis contemptoribus spectrorum similium ob id etiam neglectis. Eadem & diuturniora ac manifestiora apparuêre in seditione illa adeò truculenta de qua agit Appianus, Alexandrinus, De bellis Romanorũ ciuilibus & nefando illo Triumuiratu. Quid de Pausania virgine, de qua Plutarchus nota non solum, sed vulgata. Tacito & Floriano Imperatoribus ante interitum erat enim mater vtrique communis & florianus bimestri post occasus. Narrabat mihi Bartolus, vxor Bernardi Solæ amici nostri quo tempore ægrotabat supremo morbo, nocte dum ferculum Paratum ferrent ægro, auditos strepitus ac diu perdurasse, quasi euoluentium chartas in bibliotheca, tum verò ab ea die tanquam de moriturо statuisse. Similia ferè omnibus his temporibus apparere solent, sed negliguntur, aliis ad superstitionem rem trahentibus, aliis studiosè hæc supprimentibus nescio quo consilio: pluribus ob negotia auersis: quibusdam persuasis à Philosophis superciliosis, non nullis, quòd huiusmodi ostentis postquam apparuerint nil sit reliquum, sed vsque ad euentum delitescere soleant: in quo etiam à naturalibus aut artificio confictis simulachris differunt, cum ab his notæ quædam relinquantur, res ablatæ, loco motæ, confractæ scissura vitiatæ. Sed si non minus tot argumentis fidem veris adhiberemus, quam falsis obuiam meritò imus, quotidie supremo tempore aliqua notatu digna se offerrent: seu ordine causarum naturalium sic postulante seu alia causa: Magnum retulit inter reliqua Ioannes Dondossulanus à pedibus Octauiani Cusani viri Illustris & Iurisconsulti, sed non est locus his præcipuè quòd aduesperascit. Vtcunque sit videntur fuisse vt etiam in hominibus Genij cuique propitij, nam & mali homines suis amicis prodesse solent. Qui enim Bruto, & Cassio, & Dioni apparuêre, fuerunt Dionysij quidem hic senioris aliorum Cæsaris qui sic vltus est illos: at non omnes boni M. Antonio enim malus & Augusto bonus ac superior eo qui fuit M. Antonij,

tonij. Medius & Tullij Ciceronis. Vnum enim aut duo sunt in hac vita adsummum bona Sapientia & probitas: Duo fundamenta tam bonorum quàm malorum bona dicta, quia sine illis bona percipere non contingit vita nostra ac proles: Duo quibus maximè vtamur corporis incolumitas & opes, nam si vincula adsint si seruitus, non es incolumis corpore. Boni Genij seu fortuna sunt qui ad bonum inclinant hominem, qui fundamenta bonorum adiuuant: qui fouent & seruant præsidia qui hæc non seruant, qui alio diuertunt hominem etiam sub specie boni: velut si ad vltionem iuuerint aut medij sunt aut mali, vel ambitiosi, aut molles, vel adulatores iuxta Platonicos, hanc enim vitam verius ad similitudinem illius fingunt, quàm illam huius. Cæterùm quod ad animæ immortalitatem attinet videntur omnes conuenire etiam cum antiquis Academicis: Sed cum diuisi sint Platonici alij eas infinitas numero esse censent, sed in vnum coïre à morte, & ante. Alij cum his conueniunt quod in vnum coëant redeuntibus in corpora hæc certo temporis spatio, non infinitæ sed numero quodam distinctæ, velut si quis lucem Solis aut aquæ portionem vasculis exiguis diuidat partem quidem prioribus communem exhauriet modo magnam modo exiguam: Et ob id homo ille magis vnus erit priori, quàm fratri vel patri, non erit idem numero, seu quoniam secundam sui partem distinctam habeat, seu quod & hanc & nobilioris partem non eandem. Mihi sanè videtur, quòd & Plato insinuat, Aristotelem magis adhæsisse primæ opinioni: scilicet vt animæ non commisceantur, sed certo numero definitæ in diuersa corpora suis temporibus descendant, vt non sint iidem homines: neque tamen prorsus diuersi, sed plusquam specie iuncti, ob idque nec priores aliis, nec posteriores dici possint. Ergo hæc scire præstat cum propiora veritati sint, loco enim per se dignius: sed etiam quòd verisimilius sit, sapientes stultis & imperitis fæliciores esse; qui secus non possunt si conducibilius esset fabulis manium Antiquorum credere aut Epicuro opinionem suam tanquam voluptati commodiorem inducenti quæ ipsis sapientibus. Cætera cum ocium dabitur si desideratis scire dicam: nunc tempus est vt quisque ad propria commeet. *Vas.* Erat autem vespera iam: itaque sic discessimus.



LIBER QVARTVS.

THEONOSTON.

DE CONTEMPLATIONE.

BEATAM hilarémque bonorum vitam, qui solis studiis ac contemplationi cœlestium inhiant, hæc est sola vita fælix quæ alteri fælici vitæ coniuncta est, vt non sit hæc mors, sed transmigratio, nihil enim mirum est, tam fœdum atque horridum esse finem, cuius etiam initium fœdissimũ ac miserabile fuit. Huc huc ventum est quò properabamus. Nam si vera sunt quę Philosophus ait, *vnumquenque suæ artis eximium esse disputatorem,* certè si quid potero hac in parte præstabo. Nulli rei magis addictus fui in tota vita quàm contemplationi illa me aluit, euexit, oblectauit. Quid enim aliud est contemplatio quàm immortalium vita in mortali corpore? Ea est Deorum cognitio, cogitatio, amor ac, veneratio, omnia alia caduca, fragilia, abiecta, sordida, humiliáque sunt (hoc vno duntaxat excepto) hæc est summa perfectionis humanæ imò humano fastigio maior; posse Deum diuinaque contemplari cuius causa in hanc elementorum labem descendimus. Quanto verò securiùs id faciemus admoniti de animorum immortalitate. Quid enim dulcius aut iucundius nobis contingere potest, quàm vt intelligamus nos è Deorum immortalium consortio esse fruiturósque æterna voluptate immortales & beatos perpetuò futuros? Etenim & sine illa spe, & absque ea contemplatione miseri omnes sunt. Quòd si omnes auditâ animorum immortalitate, alij vitam deseruerũt sponte plures occasionem mortis quesiêre, quantum præstat viuentes id consequi quod à morte tanto dispendio alij optauerunt? Laudo consilium illius Eremitæ, qui cum audisset alios esse in asperiore solitudine ad eam statim commigrauit, neque enim existimabat quicquam posse in hac vita tam acerbum esse quod suauitati contemplationis posthaberi non mereretur. Est enim stabile quid bonum fælicitas hominis, similis naturæ Deorum, & ad diuinam tendens substantiã, at quale illud esse potest aut in quo nisi per contemplationem in intellectu? Hoc solum quod auferri nobis nequit seu mortuis & in meliorem vitam migrantibus seu stante sensu & in optimum bonum intento seu ablato vbi nullum est bonum neque malum. Neque enim dubium esse potest quin hominibus natura non concesserit fælicitatem, cũ infælicitatis participes progenuerit. Si ergo fælicitatis compos est humana natura, eaque in re æterna & immobili sita est & operatione præstantissima, palàm est nihil aliud esse humanam fælicitatem quàm Deorum & summi boni cognitionem. Dum enim Deum optimum esse cognoscimus, summâ

summâ Sapientiâ præditũ, potentissimum & cunctorum Authorem, omniáque illius arbitrio regi, nostras animas immortales atque intellectu præditas nihil timere, sed securè sperare ac de nobis polliceri omnia possumus, & in sempiternum eam fælicitatem quam ex hac cognitione capimus producere. Fietque hæc contemplatio habitus, non semper operandi, sed vt possimus semper operari. Ergo lætemur ô amici, atque exultemus postquam nobis tantæ fælicitatis oblata occasio est dicamúsque cum Poëta illo:

Nocte dieque sacros iam nunc meditemur amores,
Nocte dieque hilares summo spatiemur (olympo,
Vt nostras animas cernentes esse beatas
Viuamus læti.

Quid enim huic fælicitati comparari potest, in qua homo iam exuit omnem mortalem miseriam, induitque cælestem amœnitatem. Isque qui eam possidet vale dicit omni vitio, omni perturbationi. Cur enim auarus sit? qui scit diuitias non esse fælicitatis partem vllam, & omnino relinquendas. Cur timeat quicquam, & non potius dicat cum Christo: *Nolite timere illos qui corpus quidem occidere possunt animam autem nequaquam.* Cur iniustas, qui nouerit, nihil Deo gratius esse quàm iustitiam. Cur ambitiosus aut sæuus? cũ omnia hæc summo Bono inuisa sint, neque in huiusmodi, misericordiam vllam meretur qui sic peccauerit. Nam de intemperantia etsi continentissimus etiam esse deberet, qui contemplationi vacat, non tamen semper est necessarium, vt talis sit, deuinci poterit hæc virtus ex commercio corporis ac longe prauâ consuetudine. Sed & hoc vitium tractu temporis minuitur, ita fit vt contemplatio sedem sibi in Anima paret: ex qua etiã genus aliud fælicitatis proueniat, operatio secundum virtutem. Ex quo tertium demùm scilicet gloria apud mortales, cuius maiores nostri, & nunc etiam principes auidi sunt vsque ad insaniam, eunt in bella, periculis se exponunt quæ etiam inuitus subeat quisvis pauper, incommoda maxima subeunt, exhauriunt ærarium: in discrimen vocant regnum, filios amittunt, ipsi sibi vitam breuiorem faciunt, ob huius boni, quod tamen tertio ordine est, nimiam auiditatem. At qui summo potitur & si nequaquam his duobus indigeat habet tamen in sua potestate. Sunt autẽ huius habitus partes quinq; cognoscere Dei dignitatem & beneficiũ, admirari eadẽ, amare, gratias referre & quoad licet imitari.

Ci. Sed quid agam primum, vt Dei dignitatem & beneficia agnoscam?

Er. Immensa est hæc enarratio, sed quid minùs expedire potest, quàm quòd vobis vtilissimum sit, mihi iucundissimum, Deo gratissimum, vos celem? impium sanè factum, quòd eos tantùm excusare potest, qui ignorantiâ peccant, apud me sanè nullo modo veniâ dignum haberi potest, Itaque etiam si prorsus vos, quæ scitu iucundissima sint, edocuero, nullam gratiam promereri volo, sed si quis insidiantes latrones vbi sint peregrinãtem edocuerit, suspicionem criminis tantùm effugit, gratiam haud vllam meretur, quantò minùs, qui seruus est mandata domini referens, admonet subditos eorum quæ peragenda sunt; Igitur dignitas Dei quintuplici ratione distinguitur, prima est, vt sui ipsius, secunda est, in magnificentia operum incorporeorum, tertia in æternorum orbium fabrica, quarta in horum mortalium constitutione, quinta demùm in connexione illa Vniuersi, sub qua etiam, & fatum, & iustitia continentur: sed forsan hæc duo vltima, quæ ad dignitatem transtuli, atque ita se habent vt ad Deum collata magnitudinem illius ostendant dum ad nos referuntur, beneficij locum habent, eâ ratione ad tria capita differentias dignitatis reduximus. Iam ergo primum de Dei immensitate agamus, hæc tanta est, vt ea solus ipse Deus comprehendere possit, infinitus, æternus, omnipotens, sapientissimus, optimus, vnus, clarissimus, omnium auctor, perfectissimus, sed de his melius est silere, quàm vt mortalem de immortali, corporeum de incorporeo, stultum de sapientissimo, despectum & minimæ sortis de infinito loqui. Succedit magnitudo operum in orbe incorporeo, quæ tanta est, vt omnem nostrum sensum, omnem intellectum effugiat, ipse generat sapientiam, amorem inde tot ordines, sed vt de illius natura & immensitate dixi cùm facilè in errorem incidere possim, exilitur & ieiune semper dicturus sum, vt hæc duo hymnis relinquenda sint, ab eorum enarratione supersedeo; sat sit illa contemplari, quæ minùs possunt referri, quàm intelligi, minúsque scribi, quàm referri, nunc sat sit tertium attigisse, neque enim in hoc solum volo vos manere: sed & in primo genere, atque in secundo, quantum vobis adeptâ sapientiâ licebit; doceri enim eiusmodi minimè possunt, cognosci multo plura possunt; itaque non illud à vobis statuendum est, quod si à me non possitis audire, non possitis etiam intelligere. Nec vos expertus sum tam obtusæ cogitationis, quin plura comprehendatis ex verbis istis quamque egò vobis significem. Sed ad rem redeo, quis effari possit orbium ipsorum admirabilem constitutionem, magnitudinem, velocitatem motuum, rationem, concentum illum mirificum, lucẽ adeò illustrem, tam tenuem substantiam, quæ raptu non dissipatur, beatam stationem, fateor ingenuè vbi maxima & admiranda & prædicanda, ibi nostra mens, noster vigor, omnis vis cadit fulgore perculsa; placent tamen mihi verba Synesij. At quando ad absolutissimam æternorum contemplationem vitam patefacit animæ non speranti neque etiam cogitanti hoc quidem munus, est in ordinem rerum eminentissimum naturâ videlicet supergredi atque cum ipso intelligibili, illum denique copulare, qui illinc vsque adeò aberrauerat, vt neque vnde venit animaduerterit: neque vt dubitemus an illa sint stultorum more; An si desidiâ, luxu, stultitiâ, imperitia, non potior opibus existimare, debeo nullos homines esse opulentos? Ergo si in solitudine sum in quam me ipsum voluntariè intrusi: cogitare modo debeo, nullas esse vrbes pagos oppida arcesuè: Dubitare non potest quisquam, alias esse sedes, immortalem mundum, genios, incorporea? certè si hoc potes obesior sis licet alpino mure. Sed in his optimum est atque

necessarium,

necessarium, id agnoscere, quod si mortales noscerent plurimum interesset, nam neque fortunati præter æquum eueherentur, neque infelices opinione vulgi & suâ mœrerent.

Ci. Quid est tam grande hoc ac penè diuinum commodum.

Er. Hoc ipsum quod totam mortalium vitam angit, ac perturbat, si quidem id, quod bonum arbitramur præter virtutem & sapientiam, eaque quæ diis communia sunt, id totum nullo modo bonum est, nam si bonæ essent opes gratiâ exempli, & potentia, & sanitas, & honores & filij essent duo genera bonorum; non coordinata inuicem, nam omne bonum cùm profluat à Deo est coordinatum, ad ipsum ne credatis (ô amici) me nunc paradoxa referre, sed ea dico quæ cum intellexeritis non solùm vera, videbuntur, verùm illustrissima. Dico primum nullum prorsus esse bonum, præterquam contemplationem, & virtutem, & eius actionem dico neque regna, neque principatus esse bona.

Ci. Profectò mirabilia dicis, & quæ Aristoteli videatur aduersari Bonũ (inquit ille est) quod omnia appetunt, omnes appetunt regna & principatus, & longè plures inuenias, qui vellet fieri Reges, & Principes quã Eremitæ.

Er. Quid sit de bono illo ciuili, nunc nõ est quod dicam, vbi demõstratio clara est, quid est, vt quæramus per ambages veritatem ipsam, quam longa opus esset oratione, vt demõstrares etiam ex Aristotelis sententia, regnum & principatũ esse bona, nam & apud Xenophontem in Hierone, cum neque ille esset Christianus neque Philosophus exquisitus concludit tyrannidem esse beatam sed infelicissimam, & regna nostri temporis parum meliora sint tyrannide antiquorum, sunt reges aliqui boni, sed & tyranni boni fuere nonnulli, velut Gelo Syracusanorum & Pysistratus, Athenis, ergo repetamus demonstrationem, si aliquod esset bonum humani seu hominis, præter sapientiam, virtutem, & eius actionem essent duo ordines bonorum; ergo duo summa bona, ergo à Deo non profluerent omnia bona. Sed sunt quædã media bona scilicet ordinata in ipsum bonum, & hæc duorum sunt generum alia quidem per se, & hæc sunt filij, nam filij possunt esse sapientes, & virtute præditi, & exercere opera virtutis, & hoc modo amittere filium, est amittere partem proprij boni: alia sunt bona dicta; quia sine his bonis frui non possumus, & hæc duorum sunt generum; alia enim eiusmodi sunt exactè, id est, tota sua natura velut sanitas, & libertas, & propter hoc ista maximè diligimus: alia non tota natura eiusmodi sunt, velut opes, & potentia & amici: nam hæc vsque ad metam quandam vtilia sunt ad sapientiam acquirendam, & ad virtutem exercendam. Propterea ex his elucescit quæstio illa toties tractata, & tanta cum contentione, & in qua Stoïci non solùm malè audierunt, sed etiã tota Philosophia, cum enim tria essent bona per se in nobis sapientia, virtus, & illius opus vnum tantum statuerunt bonum, virtutem scilicet, quæ nullo alio sanè indiget auxilio, ideò relinquebatur, vt opes, amici, potentia, gloria non essent neque bona per se, neq, secunda bona; vnde facti sunt ridiculi mendicantes nulli, & in fæno iacentes errarunt etiam, quod etsi omnia genera bonorum amplecterentur, non tamen voluerunt auxilia bonorum inter bona numerari neque prima neque secunda. Nos autem cum statuamus omnia bona esse in ordine Diuinorum, nostràque anima corpori hic iuncta sit necessario vinculo, quæcunque necessaria sunt, ad adipiscenda illa bona, aut conseruanda, aut exercenda secunda bona nuncupamus; opes igitur mediocres, pauci amici, potentia rursus, mediocris gloria cum magna bona sunt, hæc tamen si immodicè crescant non solùm non bona sunt, sed etiam mala. Nec tamen ita hæc bona esse censeo, vt bona dici possint, vt neque sanitas, quæ integra esse debet, quia non possunt collocari in ordine bonorum, qui totus constat ex incorporeis; est tamen genus morbi quod malum est per se, & sanitatis quod est bonum per se, vt visus & auditus bona sunt, quia sunt cum cognitione, & omnis cognitio profluit ab eo: ergo sunt in ordine bonorum & cæcitas ac surditas malorum, mala enim & bona absq; dubio è regione posita sunt, tanquam contraria atque aduersa. Illud etiam considerandum quòd non protinus sequitur, bona malis sunt contraria, & bona sunt vnius generis; ergo mala sunt vnius generis, imò malorum nullus penè est numerus, adeò sunt multa numero; & (vt ita dicã) penè infinita, paupertas, morbi, seruitus, cruciatus, luctus, tum alia plura: sed quomodo inter tot mala sola contemplatio sufficiat ad beatam vitam, nunc declarare proposui, est enim quæstio nobilissima & ab omnibus penè Philosophis tractata, qui cum ingressum facilè inuenerint, ad exitum tamen non potuerunt peruenire.

Ci. O perquàm libenter auditurus sum hoc, vt nihil magis. *Er.* Plerique dicerent hoc contingere pro vniuscuiusque natura, ac fide; nam qui sperant animos superfuturos, hi procul dubio longè pluris faciunt contemplationem, quàm omnem vitæ fælicitatem, similiter imbuti præceptis Philosophiæ, & duri agrestique natura contemplationem præferunt, etenim vt de primis dicam, si quis animum immortalem esse credat & bene merentibus præmia æterna improbis pœnas esse expectandas, quis non alacri animo non solùm libenter omnia aduersa sustineat, & in sola contemplatione, ac spe & expectatione futuri sæculi incorporeorúmque fælicitatem sensum, mentem, vitæque dulcedinem, collocet; at contra timidi, tristes, diffidentes futuris bonis, parum Philosophiæ sanctis præceptis initiati, cum omnia, quæ non vident tãquam non sint, æstiment, contemplationem omnem paruifaciunt, aut saltem eam non inter optima collocant, quid enim iucundius esse potest ei, qui de anima atque diuina iustitia rectè sentiat, quam vt perpetuò ea meditetur, quæ non solùm tanquam iucunda meritò expectet, sed in aliis iamdiu videre concupierit, quid ergo his hominibus regna prodesse poterũt, quid opes, quid voluptates, quantuúmve timendum sit ab eis quocunq; genere infortunij afficiatur, quinimo potiùs contemplationi inhærebunt. Aliis verò, qui imbecilles naturâ sunt, legis promissis fidem

non adhibent, Philosophiæ preceptis nō sunt imbuti, contra eueniet. Hæc est sententia communis de contemplatione, cum aduersis casibus fortunæ copulatur, melior sanè, quam illorum, qui omnino nihil ei tribuunt, quanquam ego non probem, nisi eatenus quatenus rationi ad vnguem consentiat. Quamobrem id censuerim faciliori regulâ, nec tot anfractibus indiga illud idem accidere contemplantibus, quòd iis qui per Pontem angustum periculosúmque, domum redeunt fæliciſſimâ expectatione, nam si excutiantur? omnia perierint etsi leuiſſima causa sit qua excidant contra si animo peruicerint contemnántque fortuita omnia superato ponte fæliciſſimi euadunt, cogitat illud sapiens quod dicit Iob *Nudus in hunc mundũ veni*, cum in hunc mundum venisti nullis fruebaris opibus, nulli tibi erant filij, si non ægrotabas certis sanitatis cōmodis non fruebaris nullis amicis, quid ergo est quod queraris amisisse quæ ab initio non habebas nonne satis est, quod nihil amiseris. Hæc tamen si cogitarent Principes quod non suum est quo potiuntur moderatius licentia quam sibi fingunt aut saltem vsurpant, abuterentur, sed iam ad horum inferiorum constitutionem admirandam transeamus, etenim cœlestia magis magnifica sunt, hæc admiranda, non secus ac hominis & Ephemeri comparatione, nam hominis fabrica excelsior est quis dubitat & sublimior at Ephemeri tamen & Iulidis & Cucurbitini vermis manus habentis haud dubie admirabilior est si quis ab initio cogitet mensuram elementorum vides Symetriam deinde tot mista in contermino trium elementorum vt mihi sanè verisimiliora dicere visus sit (mihi ignoscat Aristoteles) H. Cardanus in libris de Subtilitate qui tantum tria elementa posuit, in quorum confinio omnia mistorum genera fiunt neque enim omnibus partieipare possent elementis mista nisi etiam in vnum coïrent & certè generatio à nullo magis quàm ab Hippocrate expressa est, dum inquit, generatio ex elementis fit terra, aqua, aër calidum verò sempiternum, & quod perpetuò mouetur, omnia format, & confingit, aër verò qui intus permeat cauitates facit per quas & spiritus influitur, & calor figurat mēbra, terra verò duritiem & constantiam, & vt ita dicam, substantiam affert aqua verò efficit vt cohæreant partes, & figuram retinere possint. Quid dicam de tot mistis terrenis, aqueis, aëreis, si non longè plura sunt & viliora, quàm quæ in aëre videntur faces, stellæ ignitæ, trabes, incendia, irides, arcus circulorum perfecti, multiplices Soles, nubium phantasmata metallica, seu metalla, lapides, plantæ, zoophita, pisces, insecta, quadrupedia, aues, inde homo miraculum omnium. Sed omittamus hæc, quæ vt grandia magis videtur ita omnibus notiſſima ad illud quod longè admirabilius est, licet paucioribus notum accedamus, ordo scilicet ille, quo omnia sibi inuicem consentiunt statis temporibus eueniunt omnia certâ moderatione, certo concursu, statis denique temporibus, vt impia facta penè acerbè sequantur, non sic pia merita digna, seu quod impia facta nonnisi ab improbo animo proficisci possint, pia verò sæpè ob ambitionem, ostentationem, gratiam, timorem, aliásque causas, ortum habere possunt. Verùm, ô Superi? quid huic voluptati comparari potest, Regnis omnibus, omnibus voluptatibus renuntiasse velim, vt hæc meditarer. Quid enim mortalibus atque caducæ potentiæ tum breui & interruptè tantis permistæ malis atque incommodis sordidam illi voluptati futili temerariè cum diuinorum contemplatione, cum serena illa iucunditate spectaculo illo ampliſſimo splendido immortali? ob ea tam felicem ac fortunatam vitam contemplatiuam, beatos illos dixerim imò beatiſſimos existimauerim qui soli contemplationi incumbunt. Arcana fati mysteria ordinis vniuersi secreta rerum iustitiæ diuinæ in rebus coæquandis exempla, sympathias, antipathias quis mente comprehendere possit, aut si etiam comprehendere liceret satis admirari, sed ne videas turbine verborum, & garrulâ facundiâ rem velle magnifacere singula distinguam, atque id primum dicam, magnum esse quod maximum videri posset, scilicet tot rebus, tot speciebus, ita consuluisse, vt neque agnis lupi deessent neque luporum genus defecerit vnquam atque ita esse commensa omnia, vt æquâ lance perpetuò inuicem contenderent Maius verò hoc est vt certis temporibus cum improba vis hominum sæuit generales accidant calamitates quibus perculsi debitas pœnas luant. Verùm quod maximum est & solum Dei infinitam arguit sapientiam atque potestatem illud est quod ab æterno & in æternum legem meam statuerit, quæ constanti ordine & nunquam interrupto in perpetuum potuerit satisfacere, & neque aquæ Solis ardoribus consumptæ aridam relinquant humum, nec intumescentes omnia in speciem maris vertant, nec pestis omnes pessundet nec terremotus omnia euertat nec bello victrix gens omnia consumat, sed omnia circa medium cuncta semper consistant variantibus formis. Talia multa dum contemplamur benignitatémque Deorum agnoscimus potentiam, sapientiam, amorē, inde res ipsas, nostram denique perpetuitatem, quantamcunque capere potuit sordida hæc, & obiecta materia, cur non exultemus, ac iubilemus cum rege:

Vrbes & agni cantibus
Sonate læta maximo,
Seruite mentem numini,
Lætis adite plausibus
Ad atria eius aurea.
Ipse, ipse verus est Deus
Terræ, polique conditor,
At cæterarum gentium
Non Dij, sed aurum, & marmora
Tu nos pater sanctiſſime
Tuâ benignus dexterâ
Finxisti, ouiculæ nos tuæ
Sumus tuæ scientiæ
Dulciſſimo nos pabulo
O pastor optime nutriens
Æterna donas secula,
Vitam beatam ducere
Ergo Deum canamus, ô

Viri

Viri & pudica fæmina
Adite sancti ianuas
Templi, sonantes dulcia
Carmina sonent latè omnia
Nomen Dei sanctissimum.
Nam dulcis, & rerum omnium
Amabilissimus est Deus
Absumet ignis sydera
Tellus peribit, at Dei
Mirabilis clementia
Et veritas semper manent.

Quæ erat forsan, quis iure merito, cur si hominis finis contemplatio est, cur tam pauci illum adipiscantur, vt vix è mille vnus inde etiam tum millibus, at ego idem quæram, cur tam paucæ perfectissimæ gemmæ, perfectissimi equi, egregij & perfectissimi canes, atque ita de singulis cum tamen dubium non sit perfectissima quæque esse fines in singulis generibus.

Ci. Non mei immemor audebo tibi contradicere non contentionis studio, sed intelligendæ veritatis causa, quod & tu fateberis. Admitto rarissimum esse, semper perfectissimum in vnoquoque genere, vbi materia ad perfectionem concurrat, quoniam tot sint necessaria & saltem illud desit ipsius materiæ optimè multitudo & in tam longo tempore quantum est illud in quo gemma absoluitur quod sanè non est minus multis sæculis ne chiliadibus dicam vix fieri potest, vt non aliqua mutatio accidat per quam vnum è tam multis euertatur, inde fit vt in omnibus his perfectissimorum rarissimus sit prouentus. At in proposito cum hæc summa perfectio non ex materia pendeat, sed ex illo defluxu diuinæ bonitatis, & cathena illa aurea contra excipientem immortali animo vnde tantus lapsus & tam frequens contingere potest.

Er. Iure dubitas si verum causa est satis perspicua vno tantum verbo immutato cum enim in illis materia esset impedimento per se ad essentiam constituendam perfectissimam in hominibus est velut instrumentum, at constat easdem difficultates emergere seu sit essentia ipsa, quam cōstituere oportet, verum dicis, quid prohibet? Diffundi humanam benignitatem combibi (vt ita dicam) perfectissimè in substantia diuina, qualis anima. Respondeo te non debere decipi hac in parte vt existimes sic diffundi diuinam benignitatem animabus vt in vrceo aqua iam pleno, Solis lumen verum cum ipsa efficitur substantia tùm diuina vis se illi immiscet, velut cùm lac gignitur dulce simul efficitur ita anima dum fit à Deo, dum efformatur, dum fit ea ratione facta est, quia eo ordine maiorem non potuit recipere perfectionem, id ei ingenitum est, vt inclinationem habeat ad corpora, & quamdiu in illis est, actiones perficere nequeat sine illorum auxilium, quoniam actiones eiusmodi sunt, vt quanquam corporeæ non sint, sed animæ, tamen animabus ipsis conuenire non possint sine corpore, non dico corporis auxilio, sed neque sine illius præsentia, at participatione quod sanè, vt videtis, plurimum differt ab auxilio, etenim audire totum est animæ, similiter & videre at quis tam est amens, vt credat mentes ac vitas, imò ne mentem quidem ipsam nostram audire aut videre quicquam vbi ergo instrumentum imperfectum fuerit, & eò magis si vitiatum perfecta operatio subsequi non potest.

At statim scio, quid dicturus sis, obiicies enim de intellectu & mentis operatione sola, nam hæc sine corporis auxilio fit, aut saltem participatione atque præsentia; imò dico etiam sine auxilio prorsus præsenti licèt non antecedente, experiamini in vobis, cum dico omne totum suâ parte maius est, primum conor intelligere, quid ipsum sine præsentia alicuius exempli, sed non possum; cogor enim aliquod totum alicui parti comparare atque imaginari totum & partes tanquam præsentia videam, eóque modo statim assentior huic propositioni, omne totum maius est suâ parte, verùm vbi sæpiùs hoc concepero eò perfectionis deueniam, vt etiam absque repræsentatione alicuius totius vel partis cuiuspiam statim huic dicto assentiar. Tum verò intelligo cum prius imaginarer similiter in eo principio de quolibet dicitur esse vel non esse, & de nullo eorum ambo, atque id euidentius in hoc, quàm in priore exemplo, nam cum commune sit omnibus, quæ sunt rebus nullam sibi fingit subiectam materiam penè cum etiam immateriariis & incorporeis conueniat, sed & eodem modo cum intelligo triangulum habere tres angulos, duobus rectis æquales sanè ab initio, non possum id scire, absque vnius trianguli verâ repræsentatione, & ante oculos positâ. Deinde ex illa ad conceptionem formæ trianguli vnius vel alterius sine sensu exterioris auxilio transeo tùm quæ imaginari dicor, sicut prius videre quod intelligo, sed nondum intelligere gloriari possunt, nisi cum non vnius, vel alterius, sed omnium hoc πάθος esse cognouero, at nondum tamen purè intelligere dicor, nisi cum nullo concepto triangulo, intelligo, vt non necesse sit mihi repræsentari tria latera, neque duo, neque vnum, sed simpliciter intelligo triangulum quem sæpè ex tribus lateribus constare videram, postmodum imaginatus fueram habere tres angulos, duobus rectis æquales.

Ci. At quomodo respondebis ei Philosophi dicto. Necesse est intelligentem phantasmata speculari, nulla ergo erit intellectus operatio sine corporis auxilio, nam imaginari etiam si opus sit animæ, nam & canes, & equi imaginantur, non sine tamē corporis auxilio fit vt neque sensuum exteriorū operationes.

Er. Eatenus credendum est Philosopho, quatenus pertingunt demonstrationes atque ita eius dicta interpretanda censeo, videamus ergo quomodo dictum ipsum orationi conueniat, atque mihi opus esset hac in parte eximiâ illâ Dialecticâ, quæ nuper edita fuerat, etenim in illa versatus sum non parum, & mea quid sententia si poterit construi ratio, omnis separatio perfecta eiusmodi est, cuiusmodi cum imperfecta est aut mista ad suam rationem refertur, velut si homo est homo, quatenus rationem participat, homo perfectissimus perfectissi-

mam habebit rationem, & si sanum vt sanum est operationem habet perfectam quod perfectissime sanum est perfectissimam habebit operationem; si ergo intellectus quatenus intellectus est etiam cum mistus corporeæ compræhensioni, nihilominus eius operatio est secreta ab omni operatione corporea, aliter si esset indigus alicuius operationis corporeæ necesse esset, vt indigeret duabus operationibus corporeis & ita fierent tres, quod est contra suppositum, si ergo intellectus mistus vt per se est nullo indiget corporeo auxilio, igitur intellectus perfectus sine phantasmate operabitur.

Ci. Concluderet sanè hoc argumentum apertè, verùm hoc oporteret probare, quòd intellectus perfectus posset esse absque operatione corporis vtpote absque cogitatione, vel absque eo, quòd imaginaretur.

Er. Vera dicis itaque perfectus intellectus hoc solo differt ab imperfecto, quia imperfectus non habet perfectã rationem, qua intellectus est, hæc autem est, vt declaratum est non indigere vllo instrumento corporeo, neque esse admistum corpori, ergo perfectus intellectus, quò maximè semetipsum intelligit aut Deum, nullo indiget auxilio corporeo, habésne, quod dicas?

Ci. Silentium imponere volebam, sed postquam me inuitas, dicam, quid sentiam.

Er. Dic, perlubenter audiam.

Ci. Fateor perfectum esse intellectum in homine eius generis, qui homini conuenire possit, fateor intellectum perfectum simpliciter nullo modo indigere corporis auxilio, fateor etiam intellectum nostrum perfectum non indigere corpore, vt subiecto, neque corporeo vllo, hoc tamen non fateor quod humanus intellectus corporeo non indigeat vt obiecto scilicet, dum imaginatur quæ intelligit, non quod imaginetur ipse, esset enim duplex eius operatio, & esset etiam corporeus, sed dum ipse intelligit necesse est animam imaginari.

Er. Capio rem sed ad argumentum non respondes intellectus perfectus habet rationem eandem quam habet intellectus seiunctus ab omni corporeo quatenus intellectus est sed hic intellectus nullo indiget corporeo supposito, ergo neque perfectus intellectus.

Ci. Respondeo perfectum intellectum nostrum non esse cum separatus est ab omni corporeo: sed dicitur perfectus cum assequitur suum finem vt referatur ad magnitudinem operationis, & non ad modum operandi.

Er. Contrà, quia sic posset esse simul perfectus & imperfectus, quod enim mistum est ex imperfecto imperfectum est.

Ci. Non est mistus, quia sunt duo, quæ cognoscunt, Anima quæ imaginatur corporeum, & Mens quæ intelligit æternum, ergo non fit mistio.

Er. Ergo si non fit mistio sed solùm dependet vna operatio ab alia, ergo non sunt simul, sed operationes hæ non sunt in tempore, ergo nihil refert, quod imaginer, vel quod imaginatus fuerim. Præterea incorporea imaginari non possumus omnium incorporeorum est intellectus, ergo multorum, quorum est intellectus phantasmata non possumus imaginari. Sufficit ergo aliquando imaginatum fuisse aliquid incorporeum ex quo selegerit intellectus per similitudinem illud, quod est incorporeum atque id durat modico tempore in nobis, sed iam si placet tempus sumendi cibum est, à prandio plura & pulchriora ni fallor à me audietis.

Ph. Cum hæc dixisset prandium sumpsimus, sedebamus enim propè ignem & parata erant omnia mel, panis, pisces assati super crate, itaque à prandio sic orsus est.

Er. Audiuistis ô Amici contemplationis Diuinorum modum, qui exiguo tempore durat in nobis, vt Philosophus ait, sed quomodo hoc in tempore fieri potest cum Mens tempori non subiiciatur, neque eius sit particeps.

Ci. Sanè rectè dubitasti, hoc est quod me sæpiùs torsit, si enim Mens in tempore non est, quomodo eius operatio apud nos tempore definiri potest vel etiam quomodo initium aut finem operatio illa sortietur, haud enim dubium est, quæ oriuntur & intereunt subiacere tempori.

Er. Non ea tantum causa id in medium adduxi, sed vt planè intelligeretis quonam pacto etiam immortalia ad temporis mutationem sint comparata, sed & audietis de alia animæ nostræ operatione simili sensibili quæ tamen nullo præsente fit obiecto corporeo ipsi sensui, primùm ergo dicamus quomodo res quæ extra tempus est, nobis tempori suiecta videatur, nam rota, quæ vertitur circa axem mouetur, & ei qui est in rota axis videtur moueri cum tamen non moueatur, sed forsitan dicere possetis, & iure merito quod hoc est exemplum indiuidui, aliud stabilius & clarius doceamus, sit turris in ripa fluuij quam cum quis in naui sedens transierit videat exaduersò, nauim autem non aspiciat nonne ei videbitur turris longius abire atque idcirco moueri, nec tamen mouebitur vsque, sed ipse solus, ergo ad vnguem fermè ita de Mente dicendum erit, nam illa nullo cum tempore operatur nullum tempus exigit nullo modo tempori copulatur perpetuò contemplatur, at eius contemplatio ad nos non perpetuò tamen aduenit, sicut neque radij Solis perpetuò ad nos veniunt, sed modò nubibus retunduntur, modò explicati illustrant nos, idem est de Mente, nam cum impeditur? nobis non communicatur, quoniam imaginandi vis impedita est sine qua, vt dictum est, rarò Mens operatur, propterea & incipere & desinere videtur quod nullum habet principium & simile quidem accidit etiam dormientibus, nam palàm est animam manere dum dormimus, & ipsi nos anima sumus non minus tum, quàm cum vigilamus, manet ergo Mens & pars nostri est, dum nihil intelligere videntur, non minus quam cum dormimus anima manet & ipsa operatur in nobis,

nobis, mouet enim cor & arterias & spiritum purgat, segregat, concoquit, trahit nobis nescientibus & est mirum sanè cognoscimus & operatur & cognoscimus operantem, & tamen quandoque operatur & non cognoscimus, imò fermè dimidio temporis operatur nobis cognoscentibus, & dimidio non cognoscentibus, quid ergo mirum est de mente? Quod cognoscat & cognoscere nos non percipiamus. Si quis dicat discrimen esse, quia sola Mens est quæ intelligit ob id intelligere non possumus quin intelligamus nos intelligere, at videre possumus & memorari & nos non cognoscere, non videre, aut memorari. Verùm id quo nos cognoscimus, nos cognoscere potius pertinet ad rationem quam ad intellectum & ideò minus mirum est nos intelligere & non cognoscere quod intelligamus quàm quod sentiamus, nec percipiamus nos sentire: quod verò attinet ad alias functiones motuum cum sint corporeæ forsan fieri potest, imò necesse est vt sint caloris cœlestis & eius quod necessarium est ad animæ operationem non vt est instrumentum istius animæ, ita videmus in nobis corporis appetitum vt descendat inferius quem nos vnde veniat non percipimus, sed iam dicetis intellectus dum se intelligit se necessariò intelligere, intelligit, ergo non potest latere, cum operatio propria sit. Præterea intellectus diuersa intelligit, ergo non manet idem semper.

Ci. Mihi videris maiorem prætermisisse difficultatem in hac causa, nam dixeras intellectum non indigere opere imaginandi, & ob id esse absolutum, posteà concessisti illum eo indigere, vt euaderes argumentum quare intellectus cum semper intelligat modò videatur intelligere modo non videatur, cùm enim velles persuadere quod verum esse credo Mentem non esse in tempore, dixisti eam semper intelligere, itaque cupio omnium horum habere notitiam & non audire quemadmodum Peripatetici dare solent perplexa responsa.

Er. Ad hæc primum dicemus & satisfaciemus tibi ne obscuritas aliqua anteà relicta nos fatiget in posterum, Mens ergo & Anima nostra cum æterna sint, quatuor habent genera operationum, vnum omnino segregatum quod non communicant corpori, neque illud participāt nisi cum nexus hoc percipit, nexus autem ratio & intuitus quem imaginari dicimus, intellectus autem potest seipsum intelligere & dum intelligit intelligere se, intelligere, nec tamen homo se intelligit intelligere, tertium verò genus actionis est principium vitæ & quatenus principium est, non cognoscit homo, quoniam istud est ante vitæ principium, at vita ipsa principium est eorum per quæ homo intelligit & cognoscit, ergo homo non percipit vitæ operationem, neque percipere potest nisi per coniecturam, quartum verò operationis genus est quod cognosci potest quoniam ad cognitionem ordinatū est velut omnes sensus exteriores quos palàm est esse ordinatos in cogitationem & intuitum, coniunctio ergo animæ cum cognitione est per operationem, & cum homine est per vitam, & ideò per essentiam & substantiam sicut cum operatione per vim & facultatem vt non facile sit dicere quid intelligat, quod viuat, quid sentiat; planum est enim vnum & idem esse quod sentit, intelligit, viuit, sed non facile est dicere, an homo, an Mens, an equus, an anima; anima est ergo quæ non solum principium est omnium, sed etiam primum & verùm subiectum: Homo autem instrumentum quod id percipit. Exemplum clarissimum afferam in re adeò ardua, quid est quod videt? oculus propriè, sed tanquam instrumentum tamen, homo autem seu anima verè videt, & percipit se videre, inhæreatis huic exemplo, si vultis animæ essentiam & mentis intelligere; neque enim in tota vita quæ vt videtis quàm lōgissima fuit accōmodatius inuenire potui, & sicut tabescente oculo contabescit & visus, homo tamen eâ facultate defrandatus non est, nisi vitio instrumenti, alioquin potest memorari & cogitare, ita cum homo senescit Mens ipsa & anima integræ sunt fraudantur tamen opere instrumenti, sed iam ad reliquum accedamus, nam primum meo iudicio dissolui, scilicet quod aliud est intelligere intellectum se intelligere aliud intelligere hominem se intelligere: nam primum semper verum est imò sempiternum, secundum non semper verum est cum dormimus non cogitamus, tria ergo sunt vt ita dicā tempora sed verius status, in intelligendo. Primus est cum imaginamur & cogitamus, & per id ad intellectum peruenimus velut cum intelligimus animal esse sensu præditum. Secundus est cum intellectus se intelligere intelligit. Tertius est cum nos intelligere intelligimus neque enim vnum horum fieri potest altero non præcedente secundum non nisi primo, Tertium non nisi secundo. Quum verò dicis mutantur obiecta intellectus, ergo illius operatio non est sempiterna? Respondeo quod intellectus æternus est & est Dei atque omnium simul vt verò nobis communicatur non ita, sed velut in vitrea ampulla sole illuminata iuxta diuersum intuitum diuersi colores, & imagines repræsentantur, ipsi tamen iidem manent, & imagines eædem, & in vno collectæ sunt perspicuo, ita in hac nostra Mente omnes rerum imagines pellucent, sed modò vna, modò altera nobis repræsentatur, cum enim pura reddita fuerit Mens Deus efficietur non equidem ille primus auctor omnium, sed ex his qui à primo defluxerent genius quidam qui cum nobis perfectè damnabitur cum cupiat homo suo genio adhærere, non amplius peccabit; quinimo ab omni perturbatione immunis erit, & quod medium est, dico homo & cogitatio, & in homine appetitus, & in cogitatione voluntas, licèt ab impetu corporis agitentur, Mens tamen prohibebit aut maxima ex parte retinebit & quod iam agitatum est reuocabit ad sanum statum non secus ac qui in societate est hominis præstantis boni ac sapientis quem uereatur, ac veneretur, itaque anima iam pura totum hominem purum efficiet, est autem pura

anima ea quæ à labe corporea purgata adhæret superiori menti tamquam cognatæ ac semper puræ cumque id efficere potest in homine atque vt dixi, in cogitatione & voluntate atque appetitu virtus appellabitur, dicetur ergo virtus cum homo corpori non consenserit vt si non in voluptatibus erit tamperantia,& si non in metu erit fortitudo, & si non ab ira vel amore erit ipsa anima iustitia in illo & si non cæcutiat sapientia, ideóque anima tum Deo assimilatur qui omnia sine affectu corporeo agit, beata erit, virtus autem animæ est non mentis quoniam est eius quod miscetur, & vt dixi de cognitione & exemplo oculi in anima tanquam in subiecto principali, in homine autem tanquam in instrumento, similitudo tamen virtutis & scientiæ quæ in nobis est ad ea quæ sunt in Deo atque in eo eminent, sunt sicut eorum, quæ scribuntur ad ea quæ proferuntur, & eorum quæ proferuntur, ad ea quæ sunt in anima; hæc enim solum sunt imagines, non solum eorum quæ sunt in Deo, sed etiam eorum quæ sunt in anima, & velut planta fructuum Paradisi in Italiam translata quippiam conatur, nihil tamen potest perspicere sed speciem quandam solam præbet, ita sunt operationes hominum, virtutis, atque scientiæ, est autem anima velut materia indefinita virtutum atque scientiæ & velut materia per formam enti assimilatur, ita anima per virtutem & scientiam Deo fit similis, differunt tamen quanto anima præstantior est materia: Accedit in contemplatione aliud tertium genus de quo forsan mirabimini aut ridebitis, sed cupio magis vos ridere quàm flere vel defraudari aliquo bono vel etiam perexiguo at meo quidem iudicio non adeò perexiguum hoc est si saltem ad cognitionem nostræ excellentiæ animi conferatur vtcumque digna sit tanto honore vt præteriri non possit, Est autem principium sensus in ipsa anima absque sensili quibus enim clarissimus est sensus atque purus & maximè intentus in Deum cupidus iustitiæ quem sitientem verè dicere possumus, neque cibo neque potu obrutus, nec à musis alienus, sed disciplinis imbutus abundè, & arcanis rerum instructus, is non dormiens sed vigilans videt arcana sensuum. Scio ergo hominem ab hac consuetudine non alienum, non dicam qui sit, modò intelligatis, neque illum me voluisse decipere neque me vos, quia aliquando per vigiliam tribus his principalibus sensibus qui non omnino materia obruti sunt, sed incorpoream vim quandam retinent, scilicet visu, auditu, atque olfactu, ita vteretur non omnibus quidem eodem tempore, sed modò vno, modò altero, sæpissimè tamen olfactu, sed & eo diuerso modo, nam olfactu quidem odores sentiebat, ita vt aliquid perciperet, visu verò & auditu, sed auditu etiam magis incredibilem sentiebat voluptatem, non solum sine sono præsenti, aut harmonia vlla verùm sine illius imagine, vt ortus omnis eius voluptatis esset in principio, scilicet in anima eâ ratione quâ vti potest auditus officio dum harmoniam percipit quam singularem & exquisitam & quoniam huius forsan aliquando particeps fui, haud pigebit eam declarare qualis sit, nec despero quamvis difficilem rem posse vos docere qualis sit imaginemini, ergo si vnquam audiuistis harmoniam admodum iucundam atque suauem qualem maximè vt diebus præteritis dixi, esse canentis in lyra, vel etiam si plures vocibus elegantibus ac sonoris sitissimè canant, inde vbi desierint statim in anima remanet quippiam memoria maius, sensu minus, imò quod ad sensum attinet nihil prorsus neque soni neque turbinis illius, qui à sono non secus quàm lux à Sole in oculo remanere solet vel à niue vbi diutiùs illam omnia occupantem circum aspexeritis, nihil ergo tale in aure remansisse volo, sed puram in ipso sensu ac mundam quietem, ipsa verò anima quasi tripudium percipit, sensui imaginem ostentat, ac velut dicunt Pythagorici Cœlos harmoniam sentire aut motu suo parere ita in anima initia sunt sensuum & quasi aliquid receperit aut seruauerit ex pristinis speciebus gliscit & delectatur, nec est exigua hæc delectatio, sed partim concinnitatem, partim miraculo, scio quid dico magis delectat quàm quævis vera harmonia videturque simillima illi cœlesti quam tamen qualis sit nemo dixit, nec ego referre possum, quid plura est perceptio hæc voluptatis soni, neque cum sono tamen non sine illius imagine sentitur mutatio in anima sentitur concentus, sonus nullus auditur, facilè dicas hoc esse imaginari, sed quod per horam aut plus in eodem tenore permanet, itaque cum tamdiu maneat cum adeò delectet cum voluntaria res non sit intuitus aut visionis internæ neque vim neque partem esse dixero tùm verò magis quod vt dixi multis indigeat diuina contemplatione, siti vehementi iustitiæ disciplinarum cultu & labore circa ipsas corpore à cibis atque potu non grauato, demùm anima quadam sensili non dicam perturbationibus vacua quæ enim perturbatio in anima esse potest cum iustus & temperatus homo fuerit ac Deum contempletur, in qua magna pars timoris & si non omnino totus mortis timor aboleatur, nam impudentis esse dixero, si quis velit profiteri, sed Deum amare ac contemplari consuesse, deinde timeat quippiam præter mortem propriam aut suorum præcipuè descendentium; ergo tot & tanta bona sunt in contemplatione quæ Deus permisit, imò dono dedit nobis vt hunc mundum inferiorem hoc ipso diuino munere adeò exornaret vt cœlesti illi, imò etiam incorporeo comparari posset. Quapropter & Reges & Principes omnes Philosophos habent & cupiunt hoc ipso munere exornari. Quod & si qui tyranni etiam sint vbi parum consederint, animo, cupiunt & ipsi scire, quid Deus, qui Diui, quæ vita eorum, adeò vt semper hoc ornamentum inter mortalia effulserit, nec vnquam defuerit vbi collocaretur, ac vigeret, rara dicetis, est hæc auis, imò Phœnix illa Ægiptiorum non, sed vniuersi, non fabulosa, sed vera, non alis corporeis sed Mentis euolat in Cœlum primus in hoc genere

genere fuit Mercurius Trimegistus, qui cum Rex esset contemplationi se dedit cuius etiam extant egregij libri: proximus ab eo fuit Dauid seu Dauid Rex Iudeorum longè fœlicior apud me contemplationem diuinorum siquidem priuatus regno & in fugam conuersus tot quæ anteà passus persecutiones à Saule pulchros illos cantus psallebat pulsans Barbiton, videas in illis mentem in Deum intentam & firmum quendam intuitum diuini amoris beneficiorúmque memorem. Mosen tertium ab hoc numerabo Doctorem populi tametsi non Regem in quo pietatis vestigia summæ quædam videas, solet etiam adnumerari inter hos Antonius Philosophus; Sed hic stoïcus fuit, quorum vitam vt non vituperauerim ita laudare non possum, omnia enim cum in suam illam virtutem admirabilem referant & duri sanè & inculti nimis & parum pij habentur neque nostro proposito satis congruunt absint à nostro sermone Epicurei, Athæi, Cynici, Stulti, Stoïci ambitiosi amplectamur vera Philosophiæ genera non fucata Peripateticos scilicet atque Academicos intra horum cancellos nostra coërceatur oratio, & loco Antonini veniat Alexander Mamea, qui etsi litteras non sciuisse credatur adeò tamen excelluit pietate, vt caruisse diuinorum contemplatione & vera religione existimari non possit & cum plures alij fuerint Principes contemplationi dediti: multo plures tamen fuêre qui Philosophos egregios aluerunt cum quibus amicè versabantur & inter reliquos Ptolomæi, Reges Ægyptiorum, & maximè Philadelphus & Philomesor, sed neque Lagi filius omnium primus à Philosophia abhorruit, verùm quid dicam de Adriano Imperatore, is mihi multis laudibus dignus videtur, sed cum neq; careat vituperatione, non habeo quid dicam, neque enim profecisse tantum videtur, vt se ipsum vicerit, sed omittamus hos, magna fuit seges in summis Pontificibus Romanis præcipuè Cœlestino, Quinto Essernienſi Petro Moroneo dicto, qui ex Eremo ad tantam dignitatem vocatus est, inde etiam ab ea se abdicauit, maluitqne vinctus in carcere corporeis vinculis contemplationi se dedere quàm incorporeis obligatus cum tanta dignitate ne contemplaretur impediri, & à Diuorum consortio separari, & quamvis in carcere obierit, auctor tamen tanti sceleris dolore animi, quo nihil maius est, periit, & temporibus iam profligatis, scilicet anno Domini M.CCC.circiter Benedictus XI. Taruisinus nam quid dicam de antiquis, Clemente, Anacleto, tótque aliis, qui in Eremo habitarunt, ergo vt iam exempla singulorum omittam, ad idque regrediar, quod ab initio dixi hæc ipsa contemplatio nil aliud est quàm decus, quàm summa perfectio humani generis ornamentum omnium rerum mortalium, testimonium diuinæ, substantiæ ipsius animę quę est omnium ærumnarum, miserorum asylus, nexus, ac vinculum cum Diis, splendor mentis, sublimitas conditionis nostræ, hæc sola nos comitatur euntes, stantes, liberos, seruos, vinctos, nostri iuris, ægros, sanos, exules, in Patria, peregrinantes, nauigantes, diuites, spoliatos, cum cæteræ voluptates reliqua lenimenta laborum, ærumnarum, atque dolorum multis plaustris indigeant, aut camelis vt circumferantur, quemadmodum Turcarum Princeps, cæterique Barbari Reges, quibus vt exiguâ fruantur voluptate opus est, vt immensum agmen, & impedimenta maxima, & tædij, atque spurcitiæ secum ferant, quàm quod ex fructu voluptatis colligere possint, vt sit in voluptate dolor potiùs, quàm in tanta turbatione voluptas: puluis, calor, strepitus, fœdi odores, tetra facies, clamores, iurgia, languentes, vt miserrimum sit sic esse fælicem. At contemplationem tecum defers nullo vel vnico libello. Musicus habet instrumenta, quæ deferat, eruditus libros, Commædi, Tragædi scenam totam, Histriones habitus, Præstigiatores sua vascula, Pictores tabellas, quantus labor? quanta cura? & diligentia & cura opus est? vt viridarium exornes, vt domum benè instructam habeas, noster hic contemplator secum omnia, non solum sine labore defert, sed etiam sine vllo corporeo sensu ipse dum contemplatur cum Diuis est, non amplius mortalis & extra se ipsum rapitur, vnde etiam ex diutina consuetudine quasi extra mentem sint, primùm ridentur ab hominibus, verum vbi sapientiæ lumen effluxerit apud omnes Gentes, non omnino Barbaras in maxima sunt veneratione. Quid si cum eruditione & bonis literis contemplatio iungatur? Sunt enim bonæ literæ & studia earum leuamentum miserorum & ornamentum fælicium, potentium Doctores, & humilium defensores: nobilium decor, & plebeiorum tutela, in solitudine fidus ac iucundus solius: in vrbe degenti pulchrum & generosum spectaculum. Diuites docent normam distribuendi opes, pauperes quomodo colligere possint: in aduersis solatium, in secundis frænum, bonis gloriam pariunt, malis fuci loco sunt. Pueris spem incrementi iniiciunt: senibus deficientis ætatis vnicum solamen. Non sentiam cum his qui cæcitatem, surditatem, paupertatem, & cætera mala laudant, sed id audacter tamen proferam melius esse istiusmodi hominibus quàm imperitis. Illa enim sunt naturæ aut fortunæ delicta, hoc vnum tuum est, nam nec de parentibus conqueri debemus & illos accusare negligentiæ, vt nos tueamur, totum tuum crimen est cum adoleueris. Hæ ipsæ te ferunt ad astra grauem mole, in Mundum lucis hic cœcutientem, & à morte vindicant super funus.

Ph. Hæc cum dixisset finem fecit lætus, atque curandis equis, piscationi, parandæque cœnæ, nos dedimus hilares omnes atque diem sequentem tanquam noua audituri expectantes.

Proxima igitur die surgentes & Deo gratias agentes iter dreximus ad montem, erat enim serena dies, tùm inquit Eremita. Heri ô amici audiuistis præconia solitudinis magna certè, sed non maiora veris, hodie hoc vnum erit præconium, vt ostendam nullam aliam vitam meliorem esse aut quietiorem

rem quam contemplatiuam quod facilè impetrare posse spero, initium sumendo ab ea, quæ ab omnibus vel præstantissima existimatur; vel præstantissimæ proxima, scilicet eruditorum, ergo primò Philosophos attingamus, qui vt benè refert Petrarcha, qui & vllum libenter Aristotelem ventilantes, ac noua sensa exquirentes à mane vsque ad vesperam prodigiosis illis concertationibus perpetuò exagitant, nec vllus finis contentionibus, nec fructus tantis laboribus nisi opiniones falsas, & inane nomen sapientiæ, & ambitiosum supercilium, aut stipendia illa ampla, quæ tamen paucis contingunt pro munere duxeris & certè nomen inanis sapientiæ & contentionis & temporis iacturam inanem & ambitionem ex fucata sapientia acquisitam, non inter bona vnquam duxeris si sapias: de præmiis autem quid deterius homini contingere potest quæ scelerata conscientia, vbi enim cogitaueris te vt fallas mortalium genus pecunias accipere tanto grauius dolere debes quanto plus acceperis, deinde quodnam præmium tam ingens esse potest, quod pro ignorantia accipere velis, præsertim cum non desint modi quibus iustè diuitiis potiaris & multò plura pares quam melius lōgè esset fænore ea comparasse quàm dolo. Accedit quod in huiusmodi vita atque aliis, animus noster, qui repletur errorum & qui tam vberē fructum referre poterat inutilibus, & prauis dogmatibus tùm optimor hominum, tùm vulgarium exemplorum, tùm iniquarum consuetudinum & crudelitatis Principum & simulationis sacerdotum, & violentiæ potentium, & audaciæ impudentium, & doli artificum & malè repositæ potentiæ magistratuum & periurij iudicum atque innumerorum aliorum exemplorum pessimorum repletus, quanto miserior euadit se ipso contemplationi Deorum & incorporeorum ac sapientiæ & virtutis dedito? Hinc ocium lætum illinc triste negocium, in hac silentium vtile atque libertas, in illa tristis clamor, & turbulentus, & curæ, & solicitudines, & tristis seruitus dominantur, sed vt diligentius rem exequamur non solum per conditiones hominum sed diei horas, & anni tempora, & ætates hæc distinguentur, surgit mane vir contemplationi deditus, gratias agit Deo, pro tantis beneficiis acceptis illius magnitudinem admiratur plenus spei, vacuus timoris ad honesta studia se accingit, aliquid meditatur noui, non hunc mundum tanquam patriam sed illam cœlestem colit & veneratur, non pridianæ cœnæ reliquiæ, non memoria turbulentorum somniorum illum exagitat, contrà alter vbi primùm surrexit limen obsessum à Clientibus inuenit, salutatur, audit querelas, pascit in forum truditur plenus negociorum ac mœstus & vbi primus in Syluam plenus ocij securus ac gaudens vadit hic superba Palatia ingressus vt ad principum Sedes aut Magistratuum & iudicum tam inuitus quàm coactus manet iustitiam premens insontis modo nocentis pascit audaciam, pro veris mendacia miscens, tandem vel infecta negocio vel aduersa sententia vel nimis territus vel graui reprehensione coërcitus vel blandis verbis, sed falsis in spem allectus domum se recipit, non minus delusus ab aliis, quàm ipse alios fallere concupierit, & vix impetratâ veniâ vt mingere possit, aut quieti se dedere clientum suorum se aspectibus intenti subfuratur ille alius contra & Solis exortus iucundos, & leue murmur parui gurgitis & florentem humum variisq; coloribus respersam & auium dulces concentus contra audit, redit domum, nec mœstus, nec turbatus, nec lassus naturale cibi desiderium simplici cibo atque potu, vitreo vrceolo contentus sedat, nec minus lætus à cibo assumpto quàm antè non grauatus, sed recreatus. At negociosus hic noster vir quantas turbas Superi! patitur, vt rem exiguam leuet, hinc sedes, puluinaria, clamores, strepitus patinarum, vnus vertit putre solum & dum purgat pedum loca, aërem & spiritum puluere conturbat, hinc adulatores, & canes, aurea argenteáque vasa, tapeta omnia, oneri & sumptui atque curæ non leui mancipata vtilitati ac nitori prorsus inutilia, taceo pericula veneni quantum sordium immistum dapibus ex coquis, ministris, pueris, casibus, felibus, canibus, vt si quis recogitare velit nunquam firmo satis stomacho esurus sit quicquam, in prægrandi aula & cœna apparata antequam me conferrem in hanc eremum, quâ etiam re quanquam leui spectaculo, tamen non memoriâ indigno ex capite lactium in mensa apposito, vermis viuens spectabatur quod in religionem ratione quadam conuersum quanquam esset, nihilominus omnes conuiuas & qui persuasi sunt, & qui non persuasi è conuiuio surrexerunt & abierunt abominātes factum. Contingit & aliquando vt inter lactucas mihi appositas vermis ruber credo parua diligentia coquorum, non palmo minor inambulabat in oleo & aceto, cogitate, quale spectaculum esse debuit, quoties illos pro mustellis, quoties araneas, pediculos, scorpiones, pulices, cimices, muscæ in patinis illis argenteis mortem oppetiēre quibus extractis embammata & intinctus referuntur in mensam multis etiam ex his animalibus adhuc sepultis in egregio obsonio lombrici familiares sunt carduis illis suauissimis, quos ex iure condire solent. Quid de vinis illis Phalernis ac Sorrentinis ad Palati delitias paratis: cæterùm non nisi corporis salubritati & mentis inimicissimis inde finis, sudor, malus odor, ructus, screatus, tussis, sputa, lassitudo, grauitas, chaos in ventre, imò in mente quod deterius est, ecce statim strepitus concursus vasorum collisio dicta importuna, scomata, semiebrij & mero percussi, vt illius vtar verbis cubicula pro sepulchris, & conscientia pro inferno redeunt, clientes imò hostes tædium in audiendo, labor in conquirendo consilia, cruciatus in exequendo. Habet enim hoc iniqua Mens vt impatiens sit moræ & quicquid optauerit ægrè ferat vel momento temporis differri. Quid aliud significarunt Poëtæ per Furias illas Tartareas quàm immoderatam libidinem cuiusque rei nefandæ, vel libidinis, vel vltionis, vel

auaritiæ,

auaritiæ, vel ambitionis, vel sæuitiæ, vel cuiuscumque perditæ cogitationis, stimulis semper ardentibus, ac facibus vritur animus & vrgetur, quisquis ad illicita iam proruit, nulli vitio frænum est, & vt honestati grauitas & maturitas amica sunt, ita in honestis cupiditatibus, inconsulta consilia, & præceps celeritas tùm maximè quod quæcunque iniustè facere decreueris, aut obtinere speras ex minima occasione in periculo sunt ne elabantur, superuenit vespera, atque hic rursus laborandum corpore laquei atque nodi ex ingenio sunt explicandi scelera, contentiones, iniusta pleraque, odio plena plurima, multa etiam periculo non vacant, contra ille noster contemplator sedet in ripa, aut solus ad ignem, aut in lecto recubat, culcitrâ tectus, omnia bona secum reuoluens, aut librum quempiam frugi legens Deos veneratur atque precatur quod illi pessimè in mentem venire potest, scilicet vt nihil superſit ab obitu, alteri loco optimæ spei habendum est vt nihil supersit, ne tot scelerum pœnas luat, deuenitur ad cœnam paria in vtroque exempla cum prandio, sed & ei qui sobriè viuit & de diuinis cogitat, longius tempus relinquitur pro somno, namque dubia illa cœna nunquam finem habitura esset, hoc incommodi habet vt famulos cogat expectare ne non incœnati dominum deducant ad cubiculum, ibi discrimen ingens, cum itur ad lectum & nulla in parte magis euidens, sobrius, ac pius plenus spe, leuis corpore, sanus mente clarâ se confert ad cubiculum: contrà cibo onustus, corpore grauis, mente turbatur, incertus futurorum, omnia timens in quo & vigilare graue, & dormire iniucundum, & cogitare triste, at pio illi homini somnus leuis iucundas cogitationes, somnia diuina & plena admirationis, ac suauitatis, non illum vrget memoria deceptorum clientum, oppressorum pauperum, pulsorum finibus, agricolarum stupratarum virginum circumscriptorum pupillorum, spoliatarum viduarum, afflictorum, necatorúmque innoxiorum.

Ci. Sile, Sile iam hos non opponam tibi mallem esse non contemplatorem aut studiosum, quorum vita fælix est, sed per ianuas & ostiatim mendicantem cibum quam talem hominem, qualem mihi descripsisti etiam si Gyge ditior sit, sed multi sunt gradus hominum his longè meliores, neq; enim tibi oppono vitam seruorum, aut rusticorum, aut militum, aut nautarum, quæ semper est, fuitque, atque erit miserrima, sed sunt Reges primum ac Principes aulicos, nunc omitto qui omnis principalis nequitiæ & ærumnarum, atque periculorum participes sunt fælicitatis, atque præstantiæ omnino expertes, sed & mercatores & nobiles præcipuè qui sibi viuunt nemini negocium facessentes studiosos etiam atque sacerdotes, atque huiusmodi viros, qui neque contemplationi se dedunt neque infæliciter tamen vitam degunt, nec ipsi aliis infælicitatis causa sunt. At verò circa hæc multa dubia sunt, fateor enim optimam vitam esse contemplatiuam, sed cur tam pauci in eam descendunt. Deinde si quis huic vitæ operam det, quonam pacto victum sibi parabit, neque enim solum dicam, quod non omnibus hic tuus status conuenire poterit, sed quod vix vlli. Deinde vbi adeptus eum fueris, periculum est ne ex eo deiiciaris tanquam iners & nulli commodo mortalium natus & sub sanctitatis specie præsertim vbi tam commode degere possis, non vitam quidem contemplatione deditam, sed ociosam quæsisse velle videaris demùm quod si omnes huic optimæ vitæ se dederent, nec esset qui sereret agros, nec qui vineas coleret, nec qui nos tueretur ab hostibus, vt dum beati esse cupimus omnium miserrimi fiamus, non sine etiam dedecore, ac iusta reprehensione Hæc si mihi aperueris, vt spero, circa laudem propositi principalis, non multum laboro, nam dubium non est aut saltem non esse reor, quod si homines nullis indigerent quemadmodum, & Dij, quin contemplationis fructus omnium certè esset præstantissimus atque dulcissimus at si dum contemplauero pueri esuriant mei, vxor sine veste sit, ego verberer ab inimico, non sit mihi vnde petam, vel auxilium, vel quadrantem, certè haud ridiculus ero, aut miserandus. Certum est enim quod si vita hæc optima esset toti humano generi conuenire posset, neque enim optimam vitam Deus aliam efficit, quam quæ cuique posset satisfacere, multa sunt eiusmodi, quæ optima sunt, verumtamen in pluribus esse non possunt, velut in regum sapientia summa, Gemmæ perfectæ. Nam si essent gemmæ perfectæ omnes, nulla esset imperfecta, & si nulla esset imperfecta gemma, nulla esset in materia contumacia, nullum vitium quod esse non potest. Tamen concludo quod neque homini, hæc vita vtilis est, quoniam cum appetitur, quod haberi non potest, nec quod haberi non potest habemus, quia haberi non potest, nec quod haberi potest quia non appetitur, nullum autem bonum apud mortales haberi potest nisi appetatur, quandoquidem etiam non solum desideratum sed quæsitum, & diligenter etiam elabatur è manibus nostris.

Er. Rectò dubitas in omnibus & si meminero conabor tibi satisfacere. Verùm primùm docere vos volo, nullam vitam esse quæ sub Principe sit. Quandoquidem neque metus neque seruitutis expers esse potest, durum est nimis alieno nutu atque arbitrio regi, & quid agere oporteat ex aliena fronte condiscere, durior verò Aulicorum conditio, quibus alienum limen, alienum tectum, cibus, somnus, & quod maius est mens, & frons vt abiectis propriis affectibus cogantur alienos induere, & cum mortuus est filius, ridere quod Princeps vxorem duxerit, & cum filium susceperis flere quod clades ab hostibus accepta sit, nonne meminit Suetonius Imperatorem quendam occidisse Ciuem quod in municipio, nescius natalem suum celebrarat, dum iustitium ageretur Romæ, ô? quam malum est aliena tractare, deterius est ex alieno viuere, pessimum cogi cum alio sentire, seruitus summa

summa est ferreis compedibus teneri, non minor est, imo grauior, sed honestior aureis, itaque nullum genus seruitutis huic liberè vitæ dignè comparaueris, cum verò duæ sunt maximè malæ imprecationes mitibus sub verbis, Cretensium vna, qui optant hostibus suis reliquorum hominum, vt iisdem nunquam vacent à negocio & solicitudine, qui aliis seruiunt & præsertim in aula vtriusque imprecationis effectum subeunt. Sed quoniam & principes, & sacerdotes, & sapientes, & nobiles mihi obiecisti id rogo quæso quam fælicitatem in iis, & quem fructum collegisse illos putas (demptis Sacerdotibus, qui si boni sunt è numero nostro sunt, non alieno) ex tota vita si contemplationi non vacauerunt? edere bibere, mingere (fœdiora prætermitto) concumbere, alea ludere, venari, dormire, vigilare, contendere, pulsare, pulsari, acquirere, amittere, suscipere filios, luctu discruciari, laudari, vituperari, demum cum magno cruciatu mori: hæc est hominum vita qui contemplationi non se dedunt proximior morti, quàm vitæ, & quam cum exegeris abundè pœniteat te vixisse. Si falsa dico, rogo, me reprehendite. Stultum solatium ac planè puerile cuiusdam gloriæ inanis mentionem quærere, quæ neque vtilitatis quicquam affert in præsenti vita, spei multo minus in futura, nanque spes esse potest rapinæ alienæ, cædis tot innocentium, stuprorum impietatis nisi velint & ad votum suum Deum fingere Tyrannum, quod illos videatur sinere viuere talia facientes imò adiuuare, quod illorum nefandis votis & amentiæ inexplepilibúsque cupiditatibus nihil transuersum interponat, quasi illi fælices esse possint sic agendo & vt ridiculi quidam homines fingunt in motu celerrimo quiescere quæ mouentur, non est in cadaueribus crede mihi bonus odor, non in turbulentia quies, non minus non esse potest in malis operibus animi tranquillitas, vbi tranquillitas animi non est, etiam si dominus orbis vniuersi fueris non potest esse fælicitas. Obiicis nobiles qui nihil plus sunt nisi quod tempus ipsum preciosissimam rem mortalium otio maximè terunt, cupiunt dilabi vt reditus nouos recipiant, & quod maius est, queruntur non dilabi cuius maximam penuriam habent. O stultitiam inauditam? quid ergo obiicies in horum fauorem, qui hoc solo voto vitam sibi testantur odiosam quænam fælicitas hæc esse potest horum virorum?

Ci. Fateor, iam dixi contemplationis iucunditatem esse omnium rerum mortalium apicem in hoc non labora, vel vnum sufficiat exemplum quod Deorum at immortalium propria sit voluptas: verùm illud in dubio vertitur, quomodo homini conuenire possit quod si ostenderis pro tua etiam te humanitate rogatum velim, vt quemadmodum eâ potiri nos liceat, positáque vti doceas singulare enim erit hoc donum quod abs te habuerimus.

Er. Verum quænam obieceras, dic si placet rursum.

Ci. Omittam id cui scio postremo respondendum esse, dicámque illud primùm quod occurrit, scilicet quod qui contemplantur, cogantur fermè omnium necessariorum, negociorum, & præcipuè domesticorum obliuisci. Vnde omnia his temporibus præcipuè quibus etiam oculati atque soliciti euerti fraude, & solicitudine aliorum solent, pessum eant.

Er. Singillatim ad hæc, dicamus eorum qui contemplantur non vnum genus esse volo. Non omnes volo vt meo exemplo se in solitudinem conferant, vacent à cura familiari, nihil curent præter contemplationem, de Solis diuinis cogitent, sine vxore sint, sine prole, aut si quam habent, vt ego, aliis custodiendam linquant, negotiis omnibus vale dicant, repugnat humano generi omnes, imò plurimos, imò multos in vnaquaque re inueniri perfectos, quemadmodum & vt dixi in cæteris rebus mortalibus. Sed dico omnibus hominibus vitam hanc contemplatiuam conuenire?

Ci. Mira narras. *Er.* Imò quæ sese obiiciant, dic quæso omnibus hominibus post negocia peracta, nonne aliquid superest ocij? quis vel non ludit quotidie alea, vel obstrepit inutilibus sermonibus, vel deses residet absque negotio, vel fabulas legit, aut spatiatur nihil curans. Cum dico omnes fermè nullum excipio, nam non negauerim aliquos esse amentes, qui non possint cogitare aliquos etiam in tanto cruciatu sub terra viuos, defossos, aut morbo requiem nullam habente detentos, qui ægrè vti possint rationis munere, sed neque tamen mediocres morbos, neque asperrimam seruitutem excipio, quandoquidem etiam Turcæ & Afri qui Mahumetem colunt, suis seruis Christianis, quos durissimè laboribus & inædiâ exagitant, tum ob auaritiam, tùm ob naturæ sæuitiam tùm ob consuetudinem, vt ille melius agere videatur, qui grauius atque deterius premat, torquet miseros seruos, tum ob immortale odium nominis Christiani. Illi tamen vacationem à laboribus finunt à media Veneris die vsque ad Sabbati Solis exortum, ergo vbi concesseris omnibus hominibus otij multum esse, quod pessimè terunt, quid si illud totum ad vsum contemplationis conuertant. An eo ipso magis peribit res domestica? quàm si ebrietati se dedant Dic?

Ci. Non. *Er.* An magis quàm si aleæ.

Ci. Non. *Er.* An magis quàm scortis.

Ci. Non. *Er.* An magis quàm iocis & procacibus verbis.

Ci. Non. *Er.* An magis quàm fabulis legendis.

Ci. Nec hoc dico nec dicere ausim.

Er. An magis quàm inerti otio vel deambulationi prorsus sine cogitatione.

Ci. Nec istud. *Er.* Quid si ego dicam ex contemplatione hominem fieri prudentiorem, cautiorem, patientiorem, comem & magis ad conuersationem hominum & ad negotia accommodatum?

Ci. Equidem credo. *Er.* Quid ergo deest aut in quo damnum afferet rebus domesticis contemplatiua vita?

Ci. Omnia

Ci. Omnia rectè, sed vereor ne sit fabula illius qui prandium apud aurificem lucratus est.

Er. Intelligo quid velis dicere, non esse omnes homines aptos huic negotio, non esse instructos, sed tamen id parum obstat, est enim naturæ humanæ quasi ingenitum ferri ad Deum & contemplatione paulatim ad suprema adrepere, nemo est qui non cogitatione aliquid adsequatur incorporeum quodcumque fuerit ad rem nostram facit, vnus de Mathematicis cogitat alter de vitis, aliud de futura vita, de tempore, de futuris, omnes de anima, & de Deo quacumque iter fuerit ad idem dirigitur cogitatio, non nulli de eo quod extra Cœlum est, quod fuit ab initio, de æternitate, itaque nemini, vt reor, deesse modus potest, voluntas potest. Nemo ergo quæratur si voluntas desit, si adsit, cur id non agat sunt libri, sunt Doctores, nil differt Doctor à lumine, lumen vnum, candelæ scilicet millies millia millium vna in die accendere potest quis numerus hominum tantus est, aut vnquam fuit, cui ergo vnus orbis sufficiet?

Ci. Magnus numerus quem protulisti, sed dic quæso. Quomodo ad tantam vna in die multitudinem peruenire poterit.

Er. Præsuppono omnes adesse præsentes: *Ci.* Quidni?

Er. Intelligi etiam volo diem naturalem?

Ci. Admitto. *Er.* His suppositis tantum indigeo ni me fallit animus. Nam vir vnus hora in vna? Nónne poterit docere decem circumstantes homines, seu discipulos dogma aliquod præcellens?

Ci. Quidni? *Er.* Memor esto quid dixeris.

Ci. Sanè. *Er.* Fac ergo vt secunda hora singuli doceant vnusquisque decem alios quot erunt?

Ci. Centum? *Er.* Nónne ergo in duabus horis centum & decem instructi erunt & edocti?

Ci. Certè quid posteà?

Er. Fac ergo vt dicunt Arithmetici, si in duabus horis vnus fit centum, nam priores decem volo quiescere, centum ipsi in duabus aliis horis quot erunt?

Ci. Decem mille. *Er.* Ergo vnus decem mille commodè iam instruxit aut instruere potuit.

Ci. Quid modo? *Er.* Nihil, sed audi si vnus in quatuor horis decem mille instruere potuit decem millia in quatuor horis aliis quot instruent?

Ci. Centies mille millia.

Er. Iam propè sumus, ad terminum in octo enim horis vnus commodè instruxit centies mille millia, adde ergo vnam horam nónne fient millies millia millium?

Ci. Sanè necdum pertigimus ad vigesimam quartam horam, qualis rogo numerus sufficeret postquam à mane ad vesperam etiam commodè prandendo vllus millies mille millia, imò millies centies vndecies millia millium docere potest, ex Archimedis regula de parabola, quomodo ergo cuiquam deesse potest Doctor si discere velit.

Ci. Pauci tamen sunt & doctores & qui vitæ contemplatiuæ studeant.

Er. Est hoc quidem quod primò proposueras?

Ci. Sanè. *Er.* Vtriusque habes facilem exitum neglectus ignorantia inertia cupiditas nimia, illecebræ sensuum stimuli imperitorum, & quorumdam qui se amicos fingunt exempla plebis, cum enim vnus labitur mille cadunt, ita fit vt neque contemplatiuæ vitæ operam dent, neque doceri cupiant.

Ci. Satisfecisti huic dubitationi perbelle, si modò hoc nos doceas cur si animus cœlestis est, si hæc vita tam beata atque facilis, cur tam pauci illi adhæreant numquidne potest homo tam libenter à natura propria recedere, atque discedere.

Er. Causas dixi, non est vt repetam, solum hoc manet indiscussum quod vltimò dixisti scilicet quomodo aliquid maiore sui ex parte possit, in sui naturam contrariam verti: id ergo minus tibi difficili videbitur forsan si te interrogauero, cur sit quod homo cum corporeus sit tantum operis, curæ, studij, temporis incorporeorum intelligentiæ amori venerationique tribuatur? Vis ergo vt breuiter tibi dicam vbi lepus iacet, est dictum illud sane præstans Philosophi quo tibi satisfaciam? Ad construendum (inquit ille) plura sunt necessaria ad destruendum sufficit vnum itaque vt contempleris vt bonus sis multa sunt nrcessaria, vt pessum eas quid opus est.

Ci. Intelligo placet & satisfacit, sed tamen scio esse habere aliquid aliud, dic quæso. *Er.* Ha, ha? est sanè.

Ci. Quid. *Er.* Necessitas cogit cogimur parare cibos, sitimus, cogimur parare potus, propter frigus vestes & domos, propter dolores medicamenta, iam postmodum consuetudine, reliqua vt necessaria habita sunt, inde opes quibus omnia hæc centinerentur, opibus ergo incumbimus tanquam necessariis quoniam pars earum necessaria sit, habes ergo cum necessariis prius sit incumbendum, cur genus hominum potius opibus quàm contemplationi se dedat, solum illud loco vitiis habendum est, quod ea quæ sub genere necessario continentur, nec tamen vlla ex parte sit necessaria magis quàm necessaria hominibus curæ sunt, velut regna & principatus. Sed hæc postmodum vitio moralitatis eueniunt, velut in scabie maior pruritus quàm ex sordibus & fauces gulonum plus longè exposcit supra naturæ necessitatem, quàm ea, quæ humanæ saluti à natura indita est, ita natura transit in vitium.

Ci. In singulas horas disco aliquid à te nec quicquam addi posse, puto quod huic proposito congruat verum quod à me sperari non potest nunquam de te possum desperare,

desperare, est nequicquam aliud? quod in hanc rem faciat?

Eremita. Superest & nescio quid pusillum?

Ci. Quid? *Er.* Quod homines consuetudine aliorum & exemplo plurimum ducuntur, fieri non potest, vt non magna pars sit hominum quæ contemplationi idonea non sit, scilicet ob ætatem, vt pueri puellæque aliquæ mulieres ineptæ ac omninò rudes tùm etiam viri pauci tamen in seruitute & inter montes educati, adeò vt cum æterna sit & necessaria per se cuiusdam partis hominum (dico puerorum & puellarum) imperitorum propagatio necesse est, vt consuetudine homines magis auertantur à contemplatione quàm ad illam alliciantur?

Ci. Hui nimis hæc duo verba, dicas si placet quomodo aliis negotiis commodè incubemus, si contemplationi vacauerimus, sed vt memini, iam huic negotio satisfecisti, quare dic solum quis nos tuebitur.

Eremita. Eadem ratione, quâ tuti sunt qui ociosi degunt qui garriunt inuicem nugas qui legunt fabulas qui alea ludunt.

Ci. At si totum me contemplationi dedere voluero quid fiet?

Er. Propterea dixi tibi solitudinem esse necessariam ad contemplationem sed si volueris etiam inter homines viuere sunt claustra in quibus plures egregij viri fraternâ consuetudine cohabitant eruditioni & contemplationi vacant potes & inter tuos quasi segregatus viuere itaque concludam cum Poëta illo:

Vir sapiens nullo curarum fluctuat æstu
Non hunc fallaci supplantat gloria fuco
Non esca vestisque labor non cura Penatum
Sollicitat: non optati certamina luxus
Stat domus vnde pauor fugiat curaque seniles
Sicque doli fraudisque expers exemptus iniquâ
Ambitione: vacans morsu liuoris amati
* *Viuit iniusto sub iudice tutus*
Cunctaque miratur sapientis facta parentis
Ex nihilo vasti quomodo firmauerit orbis
Molem, spirituumque choros cœliq́ue meatus
Struxerit & primos longa cum prole parentes
Eximiumque iubar cæcis optabile rebus
Solis & ex illo capientem lumina Phœben
Lumina clara Deum rutilantia sydera nocte
Talia dulce Sophos, Superum Cœlique liquores
Infundunt reuehuntque pias super æthera mentes.

Ci. Agnosco cuius sint hæc carmina.

Er. Cuius sanè?

Ci. Vnius è subditis nostris Theophili Brixiensis.

Er. Vera dicis sed postquam domum rediimus præstat curare corpora & prandium parare.

Ph. Vbi mel & panem paucósque pisciculos sumpsisse Eremita nobiscum extra domum sublatis vasis, iuimus de cœna consulturi, quippe quibus nihil esset solidæ alimoniæ: quæsiuimus itaque in piscina piscem aliquem prægrandem, cumque post horas fermè duas fortuna obtulit hamóque implicitum, Mystum quem vocant Barbonum pendebat libras quaternas atque amplius multa. interim confabulati de vita contemplatiua, sed tamen non ita vt vt obliuisceremur cœnæ iocabamur circa pisces aliquando, qui ad offam venientes, erat autem frustum ranæ cui adhæsit, erant & Vermes pulchrum spectaculum fugientes modò, modò escæ inhiantes videre. Ita natura sagax contra hominis fallacias pisces etiam instruxerat, escæ erant adeo temperatæ, vt neque omnes effugere possent, neque omnes capi, sed & inter hæc Eremita cœpit continuare sermonem, dicens, en videtis, amici, quòd non solum beatissimi sunt Philosophiæ dediti & iuxta vnanquamque conditionem humanam sed etiam iuxta ætates. Habet iuuenis quo deuitet pericula, quo contrahat immoderatos affectus quo leniat iram, indignationem, feruorem libidinis, quo errores corrigat iuuentus plena virtutis, plena sapientiæ, & contemplationi dedita, admirabilis est velut senectus tolerabilis in hac omnia ferri possunt nihil est quod despicias in iuuentute omnia optanda atque laudanda, senex studiis & contemplationi vacans fælicitate nulla ex parte inferior est opulentissimo & beatissimo iuuene, iuuenis sapiens, & eruditus, ac pius nihil habet quod sibi dignè possit comparari. Adde quod profuit iuuenibus vita pia & studiis sapientiæ dedita quot ex illis ad vltimam prouexit senectutem, quot exemit à periculis quot ab infamia liberauit quot celebres reddidit multis seruauit opes pluribus stirpem, & filios aliis gloriam peperit, virtutem colit, senex iuuenis exercet, senex contemplatur diuina, iuuenis ex contemplatione alios reprehendit inertes, alios hortatur ad iustitiam alios etiam vrget: sicut Hercules quem non frustrà sustinuisse Cœlum fabulantur, atque Prometheus ignem è Cœlo surripuerit. (Quis enim tam stupidus est qui ignis vsum vnquam inuentum esse putet? Seu mundus æternus sit, seu factus sit) hic quidem Dei amorem & cultum deduxit in terras ob idque à Rege in crucem sublatus est quoniam reges tum imò Tyranni sæuissimi pro Diis se haberi volebant ille alter hominum mentes ad sydera euexit & diuinorum contemplationem. Hæc tria communia solum sunt cum iuuenibus quæ Rex ille canit, *Cœli enarrant gloriam Dei*, ecce primum contemplatio

contemplatio diuinæ potentiæ, sapientiæ atque amoris, ecce secundum *cor mundum crea in me Deus*, scilicet vt ab omni peccato & ab omni labe habeam quod idem seruator Christus ait *beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt.* Heu, Heu? miserum hominum genus ac perditum quod primum non putat posse se sine scelere viuere, atque flagitio, cum tamen etiam virtuti suauius sit ad vitam honestiorem, commodiorem, ac tutiorem, deinde quod putant se sic viuendo posse esse fælices cum eo sint miseriores, demùm quod etsi primi fæliciſſimi essent; quid pro æternitate punctum, quid pro infinito minima particula temporis? Tertium est cum dixit & *spiritum rectum innoua in visceribus meis* en Dei armaturam Loricam iustitiæ munitis puto fidei gladio spiritus & salutis galea, aduersus principes & potestates mundique rectores ac tenebrarum dominos nolo vos iustitiam exercere nec quærere quid illi agant, durum est contra stimulum calcitrare, sit in vobis sitis iustitiæ sed prudentiæ fræno, moderata nolite pugnare importune neque cum potentioribus sapientiam adhibete lima temporis euertit etiam mentes ne dum turres & arces. Sed longo post tempore at potentiam hominum, consilia, iram, amorem, tam celeriter euertit, nec dicas nunquam fuisse cuius ne vestigium quidem superest. Moriuntur homines dissoluuntur coniunctiones, amor oblitteratur, refrigeratur ardor, & impetus retunduntur, consilia diffluunt conspirationes dissipantur, odia languescunt, quàm multa intercedunt impedimenta vt is videatur studiosus rerum humanarum qui scit, atque potest occasionibus vti, malo occasionem, quàm Philosophorum sapientiam, occasio difficillima facit facilia, & ex facillimis impoſſibilia; sufficiet ergo pro occasione consuluisse.

Ci. At equidem ô generose dicam quid mihi sæpè contigerit cum iunior essem delectabar Ludo aleæ, sæpéque mecum ludebam ex variis, fultus consiliis, victor prodibam meipsum tamen duntaxat in locum vbi aleatores erant ibi cum primum de tanta pecunia certandum esset omnium quas excogitaueram domi cautionum obliuiscebar, ita nunc & beati & fælices nobis videmus inter nos in hoc ergastulo solitudinis, at cum vultus illos furentium militum truciumque magistratuum caperatam frontem principis excandescentis qui vno verbo & nulla ex causa centum homines adigit ad laqueum, quibus neque licet tanquam sit dirius aliquid timendum sæuâ & turpi morte atque iniusta quam de sorte sua cumque duo millia hominum aut etiam longè plura ad certam necem impellunt. Nescio quod refugium nobis relinquatur ex hac contemplatione?

Ph. Tum verò discessimus è piscina, capto pisce atque ille cogitabundus videbatur, neque enim iudicio meo per omne tempus, in quo apud illum fuimus, fuerunt autem dies quadraginta tres, ni fallor vnquam illum vidi magis suspensum, atque cogitabundum, quàm in illo reditu; existimo quod verecundus esset, non ausus nobis persuadere ea à quibus ipse non persuaderetur & certè procemium illud quo vsus est cum respondere cœpit, & mora illa omnia præter consuetudinem eius, qui alacriter ad cuncta tanquam præmeditatus ad respondendum venisset illud testabantur vbi ergo piscem in peluim aquâ plenam reposuissemus sedentes ad ignem aliquandiu submisse confabulatus est.





LIBER QVINTVS.

THEONOSTON.

SEV

HYPERBORÆORVM.

De Vita & fœlicitate Animorum post obitum.



Hil. Tenebris discussis ego & Ciuis inuicem læti admodum colloquebamur, submissa tamen admodum voce, cum ecce Eremita nos audiens inquit, gratulor mihi vobisque quod satis tempestiuè surgere obtigit. Quin etiã perpetuas decem horas dormisse me animaduerto. Horologiũ enim ipsum experrexit me. Hora est quintadecima, quarta acubuimus. Nihil tam vtile seni, vt reor, & ad memoriã, somno prolixiore ac quieto: itaque & satis roboris & temporis ad hodiernam disputationem adesse sentio. Propositum fuit vltimo sermone nostro, heri, solitudinem ad sanitatem & innocentiam commodissimam esse. Id quomodo docebimus esse vtile? certè si quæ de animi immortalitate superioribus diebus disputata sunt, sic in vnum finem dirigantur vt omnia sibi consentiant. Propositum, inquam, fuit, animam esse omnium incorporearum specierum materiam, quod & Aristoteles docuit. Neque enim tam impudens sum, vt velim dicere animam esse equi formam, sed similitudinis eius materiam: quæ tamen similitudo non vt in speculo accidens quoddam est, sed substantia & forma velut lux in Sole. Sex sunt quæ concurrunt ad actionem intelligẽdi. Anima quæ est vt materia, species seu idolum rei quæ intelligitur, intellectus mouens, voluntas quę mouet intellectum; dum enim volumus nondum nolumus, intelligimus præcedens idolum ex quo species intellecta fit & transmutatio animæ in idolum ipsum. Palàm enim est quòd dum intelligimus anima fit quod intelligitur. Porrò in hac transmutatione quatuor proponuntur, scilicet quod res quæ intelligitur, fit ipsa intelligentia: hoc autem licèt videatur concedere Aristoteles, & ad animæ immortalitatem facere, tamen absurdum est, & omnino falsum. Nam ipsa intelligẽtia corrũpitur & non est in materia, equi autẽ forma in materia & non corrũpitur, saltem cum ipsa intelligentia. Species ergo, vt dictũ est, & tanquam lux in anima est. Eam formã immortalem esse credit Aristoteles & vniuersalem: & quanquam hæc vt palàm est pro immortalitate animorũ facerent, tamen vera nõ esse fateor. Quinimo illa species hæc vna est, & corrumpitur, & transmutatur in momento: & est similis huic homini, qui hominem generaliter refert quamvis vnum sit species propter vim intellectus: qui dum spoliat ab omnibus conditionibus vnius tanquam vnum non sit, sed generale quoddam relinquat: non tamen spoliat à proprietate vnius. Sunt ergo incorporea singula, vnum, sed vnius corporei conditionibus carent, velut loco, magnitudine, figura, tempore, accidentibus. Est igitur species illa mortalis & vna: vnitur autem animæ magis quàm accidens subiecto, & quàm forma materiæ, & in hoc rectè sentit Aristoteles: nam de subiecto & accidente palàm est cum subiectum maneat sine accidẽte vt accidens & alio genere subiecti, non ita in anima, & re intellectã: præterea numquam vnum conuertitur in aliud, velut in anima, & specie rei intellectæ. Et etiam manifestum videtur discrimen subiecti & accidentis: non ita inter animam & speciem intellectam. Ex materia etiam & forma, licèt fiat verius vnum, quàm ex subiecto & accidente, non tamen adeò vnum fit, vt nullum dignoscatur discrimen, sicut inter intellectum & speciem rei: nam sequitur aliud quod talis species, cum anima ita facit vnum per se, vt homo cum intelligit equum nihil se sentiat esse præter illam speciem. Vnde oritur, quod homo dum intelligit vnũ, non potest intelligere aliquid aliud, nec recordari, nec videre, nec audire, Et neque sentire ignem. Ideò tortores in his quos vident confirmatos in Ectasi dant verba, nec permittunt cogitare: at contra prudentes cogitant. Et ego memini cum paterer dolores accerrimos calculi cogitando intentè de re aliqua leuasse dolorem, sed dolor auocabat me ab intelligentia, & ad illam recurrere non sinebat. Et cum sinebat, fiebam

fiebam expers doloris. Vulgus autem non intelligit hos, & putat esse falsum propter celeritatem incomprehensibilem transitus de vno in alium: vt cum videmus & cogitamus. Hoc igitur verissimum est, quod anima transmutatur in species illas. Et si quis obiiciat species sunt accidentia, & anima est substantia, igitur anima non potest transmutari in species? Respondeo quod species illæ sunt adeò nobiles, vt sint substantiæ, quia sunt formæ quæ erant in potentia in anima, & educuntur ad actum, sicut formæ quæ sunt in materia corporea. Quæret ergo forsan quispiam, vnde illæ species quæ antecedunt intellectum? Has Græci φαντάσματα vocant. Et clarum est quòd non sunt in corpore: neque enim talia in corpore esse possunt: sunt igitur in anima & non in actu, sed in potentia, cum iam anima intelligente alia sit ibi in actu: igitur dum species est in anima in pura potentia nihil homo intelligit: post per intellectum agentem reducitur ad cognitionem confusam & vocatur memoria: post ex memoria magis perficitur, cognoscitúrque cum suis conditionibus, & tunc imaginamur: demùm perpurgatur ab illis conditionibus & reducitur ad actum perfectissimum, vocatúrque tunc intelligentia, & fit idem cum anima. Sed tamen ita vt forma fit idem composito. Compositum est anima intelligens, intelligentia forma, anima materia. Quamdiu autem homo intelligit anima videt res ipsas cum accidentibus suis. Et ita duplex fit cognitio, imò triplex simul memorari, imaginari, intelligere, nec inconueniens est tres fieri simul operationes in idem ordinatas, cum perfectio sit vna. Et in his, non est antecessio temporis, cum sint res materiâ corporeâ carentes. Sicut enim in corporeis primò fit generatio, inde incrementum, vltimò perfectio; sed diuersis in temporibus: ita hic ordo idem seruatur non temporis, sed naturæ. Sic Sol producit lucem, & lux lumen, & lumen calorem in eodem instanti. Cum verò dicimus intellectum intelligere sine magnitudine, quoniam sine magnitudine quadrupliciter intelligit, vel vt punctum, & sic non debet intelligi: non enim essent species intellectæ alicuius nobilitatis, dignitatis, aut potestatis quod est absurdissimum. Eadem ratione, nec linea esse potest aut superficies vnde nugantur qui Deum in extima cœli superficie collocant. Vel vt materia prima quæ potest contrahi & extendi: sub auri enim forma contracta est in vnum, sub paleæ extensa, & sub aëre magis. Et sub hoc sensu multi crediderunt species in anima, animam mentes sine quantitate esse: quo nihil est absurdius, cum species in anima non possint extendi quanto minus mentes, quæ à quantitate sunt remotiores: nam sic carere quantitate est habere quantitatem. Sed indeterminatam. At hoc de vocatis vniuersalibus credere stultum, de mensibus impium etiam est: vel quod nullam quantitatem sibi decernit: hoc autem modo se habent species in anima. Quæ licet rerum sint quantitatem habentium, ab ea tamen vt non necessaria spoliantur. Mentes verò cum sint nobiliores omnino ad quantitatem nullum habent respectum. Sed sunt puræ & ante quantitatem; sunt enim ex mundo & ordine incorporeorum. His cognitis demonstremus animam primò humanam esse immortalem, cum enim suscipiat omnes formas, vt dixi, adeò vt in illas conuertatur, est in potentia ad illas, sed potentia in substantia numquam extingui potest nisi per actum, igitur cum substantia non nisi in substantiam conuertatur & potentia nisi per actum cessare non possit cum substantia hæc potentia sit, fieri non potest, vt intereat anima. Dices forsan, at quomodo anima erit actus corporis naturalis, membra, seu instrumenta habentis, si est potentia? Dico quod loquimur de humana, quæ est alterum genus animæ: ideò illa diffinitio non erit huius partis animæ, aliter dic quod in anima est vna pars in actu, altera potentia. Certum est enim agentem intellectum, actu esse, qui moueat omnia. Et vel esse partem animæ cum intelligamus cum volumus: aut saltem mouere semper ex se, sed impediri: cum volumus autem remoueri quid prohibet. Itaque constat cum volumus nos semper intelligere, modò instrumentum sit aptum, id autem est anima ipsa quæ patitur. At anima non potest prohiberi, nisi vt lux Solis à corpore, non quod corpore indigeat. Sed fac vt indigeat, vel quoniam anima perfecta non erit, & ita infinita sequentur absurda. Forma substantiæ quæ augebitur & minuetur: & nunquam intelligit, neque alia intellecta. Si verò quoniam corpus sit animæ instrumentum, igitur cum corpus sit imperfectum, & anima perfecta, non est anima forma corporis. Relinquitur vt confugias ad hoc quod instrumentum est corpus vi animæ imbutum, hoc est, per multas ambages absurdissimum dicere: corpus malè affectum ab anima, quæ malè affecta est à corpore, cum sit forma eius. Tandem confugit huc, anima perfecta, corpus instrumentum inhabile, quia non benè recipit ab anima perfecta potentiam perfectam propter corporis impuritatem, vt corruptio gustus in febre biliosa cum anima sit perfecta. Sed si ita esset omnes aliquando barbari, & Thraces intelligerent Archimedis inuenta. Sed causa est alia, sicut enim Sol in aliquibus regionibus semper lucet, in aliquibus nunquam, ita anima est per se clara in omnibus & æqualis, corpora autem valde diuersa inter se quoniam forma corporea, non est anima.

Phil. His dictis paululum quieuit, ac cogitans, vt videbatur quædam secum reuoluebat, inde rursus inquit. Audistis amici, qualiter anima potentia quædam sit dicetis, quomodo ergo semper mouet corpus nutriendo, & venas pulsatiles attollendo! Deinde quomodo cum à somno expergiscimur ad intelligendum mouetur? Deinde cum voluntas sit rei cognitæ, igitur cognitio præcedit volunta

voluntatem, non voluntas cognitionem? Demùm animi perturbationem & reliqua huiusmodi hominis sunt potius quàm animæ: Non ergo anima immortalis est magis quàm homo? Respondeo quòd vno inconuenienti & absurdo dato multa sequuntur. Neque enim verum est quod anima sit potentia solum sed pars eius, est enim vt videbitur compositum cuius agens intellectus est in actu & est in nobis quia voluntati nostræ paret. Cum verò à somno expergiscimur obiiciuntur somniorum memoria, vel sensilia, atque ita ad voluntatem irritatur. Sentimus enim memoriam moueri, cum aliquid concupiscimus, au præsens obiectum: Hæc dico vt vera fateat etiamsi ad immortalitatem animorum non sint vtilia. Dico ergo quod voluntas est cognitioni imperfectæ coniuncta quando homo intelligere desiderat, & cum intelligit est perfecta, imperfecta enim est vel quia cognitio est per sensum, vel quia imaginamur vel recordamur, cum dicis perturbationes vt irasci, aut tristari esse hominis, non animæ? Respondeo quod voluntas quatenus est voluntas, est animæ, quatenus perturbata & irritata est totius hominis, neque enim negare possumus, quod tametsi calefacere fiat sensim, ipsum tamen sentire non fit in instanti consensus autem partis ad totum etiam est in instanti, neque enim visus est homo qui prius senserit vnquam punctionem in pede inde ipse vel momento post, neque hoc auditum à seculo, cum omnibus in rebus miracula apparuerint: igitur clarum est, animam omnino esse incorpoream, & sensum esse animæ proprium. Corporea enim nihil habent quod sine tempore fiat, hoc enim luculenter declaratū est ab Aristotele, quòd corpus non potest esse absque magnitudine nec magnitudo absque locò & tempore. Si ergo sensus non est hominis, quanto minus velle, vel intelligere, vel recordari, communicantur tamen corpori quæ sunt cum affectu, & perturbatione. Quòd si dicat aliquis argumentum illud de potentia non sufficere ad declarandum animi immortalitatem, quoniam corrupto homine illa potentia manet, sed est remota: ita vt etiam in monte sit hæc potentia quod quoties fuerit sub humana forma poterit esse species equi aut bouis: dico quod est absurdum responsum: quia primum subiectum posse est anima: sed primum subiectum posse ad omnia est perpetuum, igitur anima est perpetua. Forsan dices quod anima non est in potentia ad omnes formas incorporeas, sicut hyle: quia hyle est in potentia ad omnes formas corporeas, quæ specie differunt, non sic species rerum incorporeæ, quæ licet referant differentia specie tamen ipsæ sunt vnius rationis & speciei. Velut speculum refert diuersa specie, tamen est idem non solum specie sed numero. Verum hoc non sufficit: speculum enim non videt nec immutatur anima autem immutatur, & fit idem cum specie. Quòd autē species illæ differant specie inter se demonstro (quamvis secundū Aristotelem non indigeremus hoc labore: ipse enim vult quod sint res ipsa, ideò dixit animam esse omnia sensilia per sensum, & omnia intellecta per intellectum,) cum enim species illæ sint eædem animæ & anima sit substantia, si non differunt non indigerent transmutatione: at transmutatio non fit inter ea quæ differunt numero solum non enim ex formica fit formica: neque ex boue bos, sed transmutatio est inter differentia specie, igitur forma equi in anima differt specie à forma asini. Præterea hoc ipso anima cognoscit differentiam in specie, ergo differunt specie: nam & si vna re possumus duas cognoscere, non tamē vna re possumus duas res cognoscere quod specie differant. Quòd si quis dicat formas materiarias diu manere vt aurum, adamantem, ideò hoc indicare subiectum quod manet esse perpetuum: in anima autem species illæ vel momento manent, inde plerumque mutantur statim ex vna in aliam, quod videtur inditium interitus. Respondeo quòd mutatio hæc repentina non facit differentiam in æternitate sed in coniectura, quanquam cœlum multò velocius moueatur aquâ tamen cœlum est æternum, aqua marcescit; quin potius mutatio momentanea & sine tempore immortalitatis indicium erit. Animam ergo esse immortalem haud dubium est: & rectè demonstratum. Verùm dices quod agit dum nec sentit, nec intelligit: Et vtrùm possit intelligere absque voluntate? ac rursus an possit velle sine corporeo auxilio? & demùm an intelligere absque illo?

Ci. At Ego mallem duo alia scire.

Er. Quæ? *Ci.* Primum an intellectus agens sit pars nostri? nam duo proposuisti aut quid sit aut quid ipse semper agat, homo verò voluntate tollat impedimentum. Alterum est quod si animam esse immortalem vt credo demonstrasse te cur adeò serò scitum est & à paucis creditum.

Er. Rectè dubitas de vtroque & primo dissoluam hoc secundum addamque quæ alias non intelligebam de vnitate intellectus Auerroïs quæque didici in libello Hieronymi Cardani de Vno. Itaque res optimas & maximè necessarias diu latuisse, nihil mirūm, sic ars Typographica Nautica, pyxis Algebratica scientia, Motus astrorum ratio aut nuper inuenta aut non multo antè. Nempe Algebratica & Typographica nouum sunt inuentum Nautica pyxis ducentorum annorum aut paulo plus, Astrologia aliquanto vetustior: sed tamē non ante Ptolomæum. Adderem & machinas igneas nouum inuentum & tanto exitialius quanto admirabilius, Sed quid dicam, plura inuenientur & præclariora his, quæ iam inuenta sunt. At quod pauci credant sciantve exemplum ducito ab hoc (accepitque sphœrulam de qua dixi ante crystallinam, forsitan non tam ad vsum accendendi ignem quam ad hoc exemplum paratam) dixitque nónne vides hanc sphœrulam?

Ci. Video. *Er.* Putásne exactè eam esse rotundam.

Ci. Non satis scio. *Er.* Sed supponamus: nam nec ego credo?

Ci. Sit

Ci. Sit vt vis: quidtum? *Er.* Imaginaris circulum per illius centrum transeuntem quàm amplissimum?

Ci. Imaginor. *Er.* Scisne plus vltra?

Ci. Scio multa de circulo demonstrari à Geometris.

Er. Non hoc dico: sed quid habeas in coparatione ad Sphæram?

Ci. Non: nisi quod existimo secare illam per medium.

Er. Rectè dicis, sed scisne quid vltra? scis quam ad superficiem exteriorem proportionem obtineat?

Ci. Nequaquam. *Er.* Quam modo arbitraris?

Ci. Circiter triplam aut quadruplam.

Er. Ad Vnguem quadruplam?

Ci. Itane? *Er.* Certè hoc demonstrat Archimedes & in quam serò hoc notum fuit? Et ab vno homine introductum, qui si anteà quam hoc demonstrasset, periisset, aut monumenta illius quod etiam facilè fuit, interceptâ vetustate, nihil de hoc sciremus, imò existimaremus fieri non posse, vt hoc sciatur. Quot existimas periisse inuenta, quæ nunc, nemo putat inueniri posse, imo nec vera esse? Et tamen cum sit demonstratum apertè tamen paucissimi hoc norunt quod in oculis omnium est. Eadem dico de proportione Sphœræ ad conum Cylindrúmve eiusdem altitudinis.

Ci. Quomodo potuit hoc demonstrare vir ille adeò acutus & solers dignus qui faciat fidem nobis animorum immortalium?

Er. Certè si inscriptorum superficies minorem obtinet circumscriptorum maiorem proportionem Sphœræ quadrupla erit.

Ciuis. Concedo. *Eremita.* Coni superficies æquam habent ad suam basim proportionem quam latus ad basis semidiametrum. Rhombi corpus æquale est coni illius corporis cuius basis æqualis est alterius coni superficiei: altitudo verò lineæ à vertice coni alterius ductæ ad perpendiculum lateris prioris. Hæc tanta tam diu latuêre, nec nisi paucissimi credunt multo etiam pauciores sciunt.

Ci. Sed illa ad rem nostram non pertinebant, sunt ingeniosa satis, sed figmentis similia tamen: hæc autem ignorare, nos ipsos suspicionem præbent ne non mortalis si animus noster, aut saltem quod magis credo, ne res aliter longè quàm existimetur se habeat.

Er. Frustrà hoc suspicaris cum omnium par sit ratio, propositæ sunt leges Philosophi, qui si non omnino docent, quomodo anima nostra sit immortalis tamen propè ad rem accedunt. Existimandum est expedire ordini vniuersi, hæc nesciri: & eis qui docent fidem non haberi. Sed quid ille egregius Auerroës, qui vnam posuit animam in omnibus hominibus, immortalem esse tamen dixit. At errauit in hoc? Meliorem modum dum non inuenit deterrimo adhæsit?

Ci. Adeò putas absurdam fore illius opinionem?

Er. Vt nihil magis: nam si vna est anima, vt dixit ille, vna tamen est in hoc homine, seclusis vnius proprietatibus: scilicet quantitate, figura, loco, tempore, qualitate: at huiusmodi est anima eritque tota omnium hominum: at multoties vnum assumptum plura efficit, non ergo erit vna. Et si obiiciat, animam Cœli esse vnam, & cuiuslibet partis: Respondemus partes actu non esse, nec diuidi cœlum posse nisi cogitatione: at homines inter se actu differunt. Quod si dicas differre eos per corpora & materiam: iam tamen differunt verè inter se & non sunt vnum. Et breuiter qui sic opinatur credat necesse est homines inter se non differre nisi accidentibus. Propterea multi dixerunt animam assistere corporibus, non esse illius formã. Sed nos experimur non minus intelligere quàm sentire, nec minus sentire, quàm esse. Magnam habebat res ipsa per se difficultatem quam pauci attigerunt: atque hi non satis explicati quod Aristoteles magis studuerit contradicendo Platoni quàm veritati. Ipsi præterea mortales assiduis curis corporearum rerum impliciti & agitati parum cogitant de alia vita, adeò vt in contemptum venerit, ita etiam spernunt Deos: an dubium est Deos tamen esse?

Ci. Certum est esse sed dubium illis, an ad nos hoc esse pertineat quod quidem tot malis benè sit, tot bonis malè. Hier. Syracusius cum occupare vellet tyrannidem patriæ milites veteranos & peregrinos, patriæ fidos hostibus trucidandos obiecit, quo facto nihil atrocius aut scelestius excogitari potest. Immeritos fidos nullâ suâ causâ occidendos hostibus exponere, inde nouo delectu habito patriam occupauit, quod adeò benè illi cessit vt non solum diu eam tenuerit, sed etiam in ea consenuerit: ac non modo fælix, sed etiam probus habitus sit, hæc exempla cum vident homines iudicant non esse Deos. Hoc enim stupidi est, ac intellectu carentis, non minus quàm cœci, si neget lucem esse, sed non curare mortalia.

Er. Vana sunt omnia hæc & persimilia nouo mercatori cum magistro Artem supputandi docente, supputat mercator ex vsu, ille compendiosa via: ridet magistrum stultus mercator qui quæ ille nouit nescit: Vix nouit quod agat: ille & hoc & illud nouit, sed multo melius esse scit ac compendiosius sic supputare. Sed res tamen in idem redit. Sed venio ad intellectum agentem quem cum sit in nostro arbitrio intelligere ipsum necesse est, aut in nobis esse, aut opinionem ipsam perpetuam, adiuuari tamen aut admitti. Admitti nequaquam: sic enim sine labore esset: cognoscimus autem esse laborem in intelligendo: quare quod in nobis est adiuuat intellectus opinionem sensit in nobis ille intelligens seu opinio sola. At si esset in nobis & perpetuo operaretur, esset proculdubio immortalis: reliquum est vt sit in nobis, & non semper operetur vel extra nos & immortalis sed hoc nihil ad nos. Absurdum rursus est existimare ipsum in nobis esse & semper operari, auxilio tamẽ indigere specierum mouentium sic enim frustra esset in nobis, aut frustra semper operaretur.

Reliquum est tandem, vt sit alterum duorum aut in nobis nec semper operatur sed indigeat excitante, aut extra nos & semper operatur, sed auxilio indigeat. Verùm si intellectus extra nos est & immortalis ac perpetuò agens cum aliquando vnus fiat cum nostro erit & noster immortalis. Sentimus etiam in nobis quod actiuum:at sic solū patientē esse necesse esset. Propterea melius est existimare in anima esse vtramque vim quæ à perpetuo lumine aliquo exteriore vt hæc inferiora à Sole illustretur, atque id & verisimillimū & rationi & experimentis omnibus est maximè consentaneū. Non ergo semper intelligit, sed indiget excitante, excitatur autem & à sensilibus & sensibus & imaginibus seruatis iam in anima & à cœlo ipso, vt in diuinis somniis, cū verò in profundo somno nihil intelligant morientes, palàm est etiam nihil intelligere. Post mortem autem id quæri oportet, an sit anima, vt in profundissimo somno, an vt in somniis ante? videtur autem in profundissimo somno potius impedita quam destituta: nam si solum esset destituta non respiraret nec pulsarent arteriæ. Porrò respirationis sensus & reliqui obruti, non sublati esse videntur, cum ad integritatem statim redeant. Liquet ergo in anima aliquid esse per se & à corpore, nō solum adiuuari, sed obrui. Si igitur in somno obruitur cum à morte corporis fit expers aliquid illi relinquitur qualecunque illud sit satis est ad intellectum post mortem. Videmus etiam & in sensu motum & in vita principium inesse quæ communicantur corpori: quare etiam in intellectu aliquid erit quod proprium est ipsi animæ. Forsan dices animam nullam tamen retinere speciem quòd omnes in morte euanescant, ideóque nihil à morte hominem intelligere quod etiam sensisse videtur Aristoteles, cum dixit passiuum intellectum corrumpi sine quo nihil intelligit anima. Verùm hæc non satisfaciunt: nam species sunt in anima & anima est proprium subiectum specierum, ergo ipsa etiam post mortem retinebit eas, omnia enim seruantur in propriis subiectis. Respondetur forsan quod anima recipit illas species medio corporis & conseruat eas: nam & in morbis cerebri perit memoria ob frigus. Sed ista responsio non satisfacit: Supposito enim quod verum non est omnino, quòd species illæ producantur nouè in anima adhuc homo seruare potest illas species absque auxilio corporis, neque enim inuentus est quisquam cui sensus remanserit, qui oblitus sit prorsus omnium: tametsi aliqui legantur obliti proprij nominis in peste belli Peloponesiaci. Ideò clarum est quod memoria est actus quidam specierum in anima contentarum in potentia, neque enim si non ibi essent in potentia possent deduci ad actum enim modo lapis recordari potest: sed anima recordatur, igitur species illæ fuerunt in anima in potentia, cum verò didicit, sed actu non recordatur, vt in dormiente, tunc sunt in actu primo: cum recordatur actu, in actu secundo. Si igitur post mortem remanet actus primus aut saltem potentia, igitur poterit reduci ad actum per intellectum & per mentes. Si dicas non posse deduci ad actum nisi per species in actu primo seruatas in anima: & hoc est vltimum refugium: Dico quod hic actus non indiget auxilio corporis sed solum vt remoueatur prohibens, quod videmus, dum recordamur eorum quæ iam multis annis obliuioni mandauimus, apparet enim actum primum per te seruatum. Sed si seruatus est, absque corporis auxilio seruatus est, quoniam iam supponimus demonstratum esse animam immortalem: sufficit ergo ne impediatur actus primus à corpore: post mortem ergo remanet actus primus quia non indiget corpore ad conseruationem, & non impeditur à corpore quia corpore caremus igitur remanet memoria in secundo actu.

Ph. Post hæc pransi sumus poma, panemque: & statim ad disputationem reuersus inquit?

Er. Volebam prosequi historiam eorum quæ nobis post mortem eueniunt. Sed destiti ob duas causas. Prima, quoniam quasdam proposueram quæstiones ex quarum dissolutione semper aliquid accedit negotio nostro, quòd ex notis nobis proficiscantur: Deinde quod arbitrarer peruerti ordinem. Quæsitum ergo primò fuit quid agat anima dum non intelligit, vt in somno, ebrietate, stupore: & videtur nihil prorsus agere verum actum primum habere nemo dubitare potest, dico etiam secundi esse participem, quandoquidem, vt dixi, remaneant primùm omnes facultates naturalis virtutis, tamen etiam motus pulsantis, respiratio, & respirationis sensus, aliqua & semina, auditus, & tactus. Verùm omnia hæc passiua non actiua: Præterea vis videndi somnia. Sed fac vt ex toto conquiescat, actum primum retinet: ergo vel impeditur in his temporibus & ita non indiget auxilio sed remouente quod prohibet: vel indiget auxilio, sed in non habente actum primum nihil plus requiritur: igitur actus primus nihil prodesset, apparet ergo quod veluti somnus est impedimentum tamen proprium operationis animæ tam sentientis quàm intelligentis: ita est aliud impedimentum generale quod factum est vtilitatis animalis causa propter quod nec sentit, nec intelligit, alioquin semper esset in actu. Indicio est quod anima videtur in omnibus aliis operationibus esse in actu; est enim actus indeficiens, igitur & his in operationibus in actu semper erit, nisi à corpore prohibeatur. Finge tonsorem semper operantem, non tamen operatur absque nouacula: & si nouacula non sit apta non operatur: idem est ergo auxilium & impedimentum. Ita dico de anima: corpus est illius instrumentum & auxilium, & vt non præparatum est impedimentum. Sunt igitur quatuor opera animæ: primum cum operatur adiuta à corporeis auxiliis: Secundum cum non potest operari, quia instrumentum ineptum est: tertium cum impeditur ab operatione perfecta, vt cum vigilans non operatur: Quartum cum ex toto impeditur vt in somno profundo, voluntas igitur non est necessaria ad

ad operationem, sed sufficit vt non nolit, sponte enim semper agit: si verò etiam adiuuet melius & celerius operatur. Sic & in somno, discussâ crapulâ, anima statim operatur quantum potest intelligendo, memorando, imaginando, ratiocinando, & sensuum operationes imitando, quamvis sine obiecto. Quodnam ergo certius potest esse argumentum quòd ista proueniant ab anima non ab obiectis: Et quod velut nutrix ac motrix semper sunt in opere, ita & mens ac anima quæ principium est sensus sed præpediuntur, otiatur ergo non deserta sed impedita, ipsa naturalem habente instinctum ad omnia, velut enim lapis si sit extra centrum, semper appetit ibi esse, quamvis irritum sit opus ita videmus & de omnibus naturalibus rebus, & de pluribus animæ partibus & de omnibus est credendum: Vtrùm verò possit intelligere absque voluntate apparet, quod sic; sufficit enim vt voluntas non reluctetur. Et etiam cum, vt dixi, sit hic instinctus naturalis animæ etiam reluctante voluntate aliquando intelliget, voluntas tamen potest per accidens & ex transuerso impedire hanc actionem, vt obstruendo aures diuertendo cogitationem ad aliud: conturpando corpus. Vnde illud mirum videri potest quomodo voluntas illum actum naturalem ad certam rationem dirigere possit. Sed de hoc non agam nunc. An verò velle liceat absque corporeo auxilio, præsenti, certè sic, quandoquidem velle est electio rerum per animam cognitarum: vt etiam cum volo nunc contemplari animam, alias cupiam numero aut medicinam: Sed de præterito generaliter non specialiter autem sic nam est appetitus naturalis in omnibus rebus, ergo etiam in anima quæ nobilior est multis aliis rebus, appetunt elementa, cœli, lapides plantæ, animalia, cur non animæ humanæ? vltimum quæsitũ fuit an intellectus intelligat absque corporeo auxilio: ita quod ex solis speciebus in anima seruatis: nam antea non videtur deduci ad actum posse nisi auxilio corporis: tametsi anima facultatem habeat videndi, non tamen potest vti eâ, nisi corporis auxilio. Quædam verò per corpus introducuntur in hominem quæ non pertinent ad animam, nec ad operationem animæ prorsus, velut lumen in oculum, vt instrumentum visus inducitur: secumque calorem ducit qui cum lumine diffunditur & ingreditur sed non peruenit ad sensum sed ad sensus instrumentum. Videtur ergo anima non intelligere absque corporis auxilio. Frustra etiam data essent auxilia corporea, si sine illis anima intelligere posset, Concluditur tandem animam non intelligere, nisi cum corporeo auxilio atque eo sensuum. Verùm hic ita se habent quoniam intellectus non potest educere eas species ex anima connexa corpori, nisi per similitudinem ipsarum specierum: sed ab obitu cum adsit agens & potentia in anima tanquam materia ista sufficiunt ad actum producendum. Rursus manet appetitus & appetitus animæ intelligentis sine intelligentia esse non potest, aliter non maneret prius appetitus, sed communis, igitur anima à supremo die intelligit. Ibi verò constituere actum primum sine secundo non licet, igitur semper intelligit. Intelligit autem quod appetit: appetit Deum quia summum bonum, intelligit ergo Deum, & in eo reliqua, omnia enim in illo continentur, nõ autẽ cum ratio: ratione enim fit resiliendo ibi simplex actio, nec vllum aliud, declaratum est enim in morte periisse omnia, solum ergo Deum appetit & intelligit absque ratione, & eo intellecto reliqua intelligit, appetitque ipsum, & reliqua, quæ cum eo conueniunt bona, atque hic est status animæ à suprema die. Si enim terra proprium quoquo modo agnoscit locum, qualis impietas est negare animam, suum non cognoscere locum finemque in Mundo incorporeo? Hic autem Deus.

Ci. Præclarè ita mihi statum post obitum animarum ostendisti, vt omnino deliberauerim, si non omnino tibi displicet, tecum vitam meam agere. Quid enim etiam si patriæ meæ Dominus essem illa ad hanc beatitudinem atque sempiternam fælicitatem. Quare te oro, rogo, obsecro vt quæ de illius statu post obitum habes mihi aperias, nihil tam suaue, plura sum sanè talia expertus, in vita percepisse memini me. Modo nunc primum viuo. O felicem & diuinum Errorem? Sed age si placet exhilara animam meam. Video omnia congruere, nihil absurdum, nihil absonum, nihil ab experimentis à ratione, à dictis dissidere?

Ph. Lætatus, est vt visum est mihi Eremita his verbis: adeò à φιλαυτία nec tuti sumus in extrema solitudine, sed certè magna etiam mihi visa sunt illa. Et maximum illud omnia in vnum congessisse & ita aptasse vt omnia omnibus congruerent, neque enim tale quicquam apud Philosophum quemque vidisse me memini. Itaque tamen ad hæc Eremita, sic respondit.

Er. Gaudeo quod mundum confusionis relinquere decreueris, vt tranquillitati non solum, sed innocentiæ sanctitatique pro arbitrio studeres. Dicam autem quæ postulas de anim æstatu.

Vbi illa corporeas has tenebras liquerit tanquam è somno quopiam euigilata, statim in Deum conuertitur: quòd si eo momento aliquid maximè optet, vt filiũ inuisere aut patrem tum mouet animam illius & noua se illi specie offert: quæ tamen visio momentanea est: imò, quod ad animam morientis attinet solo instanti perdurat. Verùm quoniam anima eius qui viuit hoc quodcunque est corpori communicat momento manere potest. Cæterùm vbi Deum appetere cœpit (hoc autem maximè fit cum morientes idem cupiunt: ob id præstat confirmata in Deum voluntate ex hoc mundo discedere quod etiam Theologi nostri consulunt) intelligit etiam quæ beata sit potiturque voto, cumque hæc intelligentia sibi sufficiat alia præclara etiam secum adiungitur, scilicet cognitio omnium, quæ sunt, fiúntque vbique quantum tamen deprehendere licet: est enim ordo in his velut in lumine

lumine syderũ: quodam enim maiore quodã minore participant, quæ verò miseræ sunt cupiunt quidem, sed non intelligunt, vt autem summa voluptas est in intelligendo, ita summa miseria velle intelligere nec posse. Etenim contrariorum eadem est ratio quanto maior voluptas est in intelligendo tanto maior miseria intelligere non posse. Necleue est aut mediocre hoc supplicium, sed maius longè omni supplicio mortali. Tantalea, vt aliàs dictum est, pœna: nam omnis felicitas & miseria consistit in existimando se beatum aut miserum etiam hic vbi tot sunt quæ impediunt, & aduersantur velut voluptates, dolores, commoda, incommoda, gloria, infamia, consolationes amicorum, inimicorum iurgia. Vidimus plures omni ex parte beatos qui quod paucula deesse sibi existimarent mœrore interierunt. Quanto magis ergo ibi, vbi nihil aliud est quod distrahat in contrarium: & vbi cõsuetudo non minuit molestiã. Tùm verò magis vbi tua causa intelligis te nec adductum: culpam in te residere, eos patere exitus vllam spem nec superesse, vel timere ne tãta fælicitas peruertatur, at sensuum cognitiones quòd desint multo minus est quã nobis quod desint pueriles ludi: vbi ergo anima in Mundo illo incorporeo constiterit statim hæc patitur, & hæc habet. Cæterùm vt hic cœlum, Terra aliáque elementa, ita ibi quatuordecim ordinibus res completur. Animæ enim Elementorum subsident omnibus tamquam prima materia. Post Terræ in hoc orbe loco sunt animæ plantarum ac stirpium, quæ motu atque sensu carent, loco aquæ hic sunt animæ omniũ animaliũ ratione carentiũ atque per lunam quippiam diuinum adipiscuntur: velut etiam aquæ à luna agitantur. Aëris autem loco sunt humanæ quæ Soli ac Mercurio iunguntur, Soli quidem semper, Mercurio autem per contemplationem. Nobilitas quidem à Sole habetur: ita animalium amor per venerem ad diuina respicit, Ætheris loco dæmones sunt qui aspectus coniuncti sunt, eatenus corpore carent. Post sunt mentes septem errantium syderum: in lunæ orbe incorporeo diuinitatis Mercurij: contemplationis veneris: dilectionis Solis: Iustitiæ Martis: Securitatis Iouis: virtutum Saturni: perpetuitatis Fixarum diuersarum proprietatum & regni mundi huius in quartodecimo orbe coniunctionis cum Deo. Multa & alia sunt de quibus non est præsentis instituti, hoc vnum est caput eius Mundi, imò Mundum ipsum esse Deum trinum & ineffabilẽ. Atque hæc certa, verum quæ præter id adesse possunt, & de quibus erit disputandum hæc sunt: An scilicet animæ istæ vbi corpus exuerint in alios homines statim transmigrentur? Hoc autem contingere non posse superius diximus. Secundò an postquam seiunctæ manserint? id non omnino absurdum, & à multis creditum: sed hoc dubium, quomodo post tempus? cum ipse in tempore non sint constitutæ. Tertiò an in dæmones assumpto elemẽtari corpore quo velut numero intelligant: aut diuino quale cœleste forsan cuiusdam orbis cometas ferentis. Aut omnino nullo? sicque in Mundo incorporeo, constituantur. Et si corpus & vehiculum habent an nouum, an forsan ex hoc carcere secum illud deferant? Ergo si seiunctæ omnino à corpore manent, dæmones non fiunt, sed aliquid nobilius erunt: si dæmones non sint corpore sunt, atque sic nihil mirum est, verum esse illud sacræ paginæ: *Spiritus vadens nec reuertens*. Cæterùm de eo quod certum est agamus scilicet prout in Mundo incoporeo anima nostra constituitur. Ibi enim fælix quæ Deum intelligit quæque omnia illius opera comprehendit, fabulosa primũ, deinde inanis illa conuersatio à Socrate aut Platone introducta, licèt tamen pia & bona quando nil illis melius succurrebat cum Homero, Orpheo, Musæo quorum scientia nulla aut admodum exigua fuit: vt prorsus nulla dici mereatur: nam de rebus ipsis nihil prorsus norant quandoquidẽ hoc vitium fuerit ætatis cum nondũ Philosophia inuẽta esset non hominum. De moribus hominum ac consuetudinibus aliquid, sed quid hoc ad animas iam corpore nudatas? quod etiam nobis graue est & bene institutis hominibus. Quam pulchrum fuerit scire arma, prælia, pericula, dolos, iniurias hominum, stultitiam, quâ omnia plena sunt cõtumelias, libidinem, de qua etiã cogitare beatas animas nefas esse puto? Tot proditiones principum, nefaria consilia & conspirationes administrantium iniustas iudicũ sententias? Quid boni est in vita humana quod scire digneris nedum quod cupias? At verte (vt dici solet) folium quid pulchrius esse potest. (Dicam autem solum de hisque noui quæ minima pars sunt & obscurissima, eorum quæ ignoro) quam scire quid extra Cœlum fit? quid in singulis? quomodo tanta celeritate tam immensa machina tenuissimi corporis ferri possit, nec dissipari? Quænam sit illa materia? quomodo cum superficie vna iuncti sint in diuersa ferantur: Cur tot in vno cœlo astra, & maxima in singulis aliis vnum tantum, & persæpe etiam exiguum. Quonam pacto ascendere & descendere non collisâ mole videri possint ac progredi & retrocedere cum ad eãdem partem singuli orbes ferantur? Quid ille lacteus circulus sit? Quid cometes & vnde? Quomodo cum æternum sit sapientissimi conditoris manifestissima vestigia referat? Cur tanta diuersitas & maculæ tot in purissimo corpore? Cur phenomena tam multa appareant, cur tres soles aliquando videantur, cur prodigia & monstra in aëre cernantur, hæc & plura alibi ostendendum quantâ potui diligentia, & sedulitate curaui, quamobrem Theonostõ seu hyperboræorum libris finem imponamus de immortalitate Animorum modò dicturi: nunc etiam tempus cogit, vt ad cœnam parandam eamus, itaque sic discessimus.

HIERONYMI CARDANI DE IMMORTALITATE ANIMORVM LIBER.



IACOBO PHILIPPO SACCO, GALLIÆ CISALPINÆ PRÆSIDI S. P. D.



QVEMADMODVM nullo alio argumento veteres Philosophi Deum esse cognouerunt, nisi eo ipso, quòd cœlum splendidissimum, atque pulcherrimum intuerentur: Sic nunquam rationibus naturalibus intellectus nostri immortalitatẽ ostendere me posse confisus sum, nisi cùm mentem aliquam penè diuinam, cœlestisque originis intuerer. Ergo iandiu huc, illucque oculos intendens, tu mihi inter alios vnus, atque præcipuus visus es, qui tot virtutibus ornatus, tam singulari prudentia, tanta publicorum negotiorum peritia, tam præclara eruditione, mansuetudine, fide, religionéque exemplum diuinitatis animi nostri exhibere posses. Nam velut antiquo tempore artifices absolutum aliquod inchoandi operis exemplar quærebant, vt Olympij Iouis Phidiæ, vel eiusdem Mineruæ Athenis, aut si pingendum esset, Apellis Venus vel Diana inter sacrificantes virgines proponebatur: Sic nobis ad operis argumentum humanæ mentis insigne aliquod exemplum inuenire oportuit. Itaque tuam cùm vitam, mores, ætatem, animique excellentiam inspicio, vnus mihi in omnibus quæ ad mentis demonstrandam immortalitatem necessaria sunt, satisfacere posse videris. Prætermittam etenim quantis in periculis Francisco Sfortiæ Duci præsens affueris, quòd fide ille tua adiutus primò, atque seruatus, consilióque demum etiam regno restitutus, quòd Antonius Læua vir acerrimus, Marinus Caraciolus Cardinalis probitate, & pietate singulari, Alphonsus Aualus Princeps optimus, ac splendidissimus huius Prouinciæ omnes Proconsules tam dispari inter se, & si probatissimo quisque ingenio firma continuatione amicissimum habuerint, ac in gerendis rebus consilio tuo semper vsi fuerint. Illud sanè his omnibus maius esse existimo, quòd Cæsar ipse regnum hæreditarium adeptus adeò facta tua, tuam integritatem probauerit, fidémque sit admiratus, vt te, senatúmque tuum, cuius iam princeps eras, ne vno quidem ex ordine illo amoto, integra cum authoritate seruauerit. Quod sanè argumentum esse debet & summæ omnium illorum innocentiæ, & ingentis tuæ sapientiæ. Possumne ego non admirari eum, qui cum Francisco Sfortia ob fidem aliquando in arce Iouis annuam obsidionem aduersus Cæsarem sustinuerit, per ipsum Cæsarem deinde redacta in eius potestatem Prouincia ob singularem iustitiam, ac pietatem conseruatus, & in summo honore confirmatus sit? At neque id immeritò: cùm simul diuini propè animi sui profundum consilium, religiosissimámque mentem Cæsar nobis omnibus patefecerit. Intellexerat enim ille, optimos viros,

ac prudentiſſimos, afflictis populis quanto eſſent futuri ſolatio, vt iuſtitia animos retinere, manſuetudine lenire mala, ſapientia periclitantibus occurrere poſſent. Quamobrem non ſolùm id tibi glorioſum, ſed Prouinciæ etiam ſalutare fuit, Cæſarique argumentum optimi illius, non tantùm conſilij, quo cuncta moderatur, ſed grati etiam animi, cùm officia erga illum tua ac ſtudia, dum quaſi ſub interregno ob Sfortiæ mortem eſſemus, agnouiſſe viſus ſit. Deerat tamen vnum ad propoſitum noſtrum confirmandum, quod immortalitatis hoſtes, quaſi Herculeum argumentũ nobis opponunt: id ſcilicet, Quòd mens noſtra ſenio confici, atque ægreſcere videtur, id tu vnus inter multos tam egregiè protuliſti, vt verè in te Plutarchi ſapiens illud dictum conueniat, καὶ μάλιστα σώζεται πόλις, ἔνθα βουλαὶ γερόντων ἀριστεύουσι. Propterea nec malè ab Homero de ſene dictum eſt, παλαιά τε πολλά τε εἰδώς. Neque id mirum, cùm naturæ, & exercitationi, ætas acceſſerit. Nam ſenilis ſapientiæ teſtimonium locuples eſt Decretum ſapientiſſimi olim populi Athenienſis, quo cauebatur, vt qui quinquagêſimum annum exceſſiſſent, ſoli per præconem in conſilium vocarentur. Itaque quod ab exemplo inclytæ virtutis tuæ ſum conſequutus, ſcilicet vt animi norſti immortalitatem naturalibus rationibus probare me poſſe intelligam: ſi tibi hoc operis non dedicaretur, nonne merito, & ſi exiguo te præmio fraudarem, ingratus viderer? Neque verò te adulandi ſtudio teneri me perſuadeas, vt vnius hominis admiratione commotus tantam rem oſtendere aggrediar. Verùm cùm primum animi tui magnitudinem animaduerti, ad alios conuerſus, quicquid in illis ſapientiæ, ſanctitatis, ac diuinitatis inerat, diligenter indagare, demum etiam obſeruare cœpi: atque ea de cauſa & initium, & argumentum operis huius tu mihi vnus præſtas, quòd inter multos dux, & anteſignanus propoſitus, animum meum ad tantam capeſſendam prouinciam erexeris. Ergò cùm nondum libros de Sapientia, quos Franciſco Sfondrato Sarnenſi Epiſcopo, viro prudentia, & integritate ſingulari, dedicaueram, abſoluiſſem: libellum hunc conſcribere adortus ſum, in quo, ne (quod ego ſemper euitaui) Græcam inquam loquacitatem, aut inania nugamenta requiras velim, ſed ſenſus, ac rationum vim, interpretationiſque ſubtilitatem. Quæ & ſi non ſumus aſſecuti in tanta ſcribendi, profitendi, medendique aſſiduitate, ac negotiorum multitudine, quid mirum? cùm neque per tempora liceat. Ea igitur de cauſa non te, qui omnia pro ſolita manſuetudine accipis, ſed acres iſtos cenſores oratos volo, vt ſi quid erroris ſeſe inueniſſe putent, tot rebus impedito aut parcere velint, aut ipſi meliora proferre. Verùm ſi quiſpiam forſan de operis propoſito nos interroget. Reſpondemus: Cùm vniuerſæ ſapientiæ præcepta ab antiquis tradita his tribus contineantur, γνῶθι σεαυτὸν σοῦ ἄλλως, καιρόν. Horum difficillimum erat, Seipſum agnoſcere, vt Thales inquit: reliqua duo in libris de Sapientia docueramus: hoc igitur vnum reſtabat demonſtrandum. At quonam pacto nos, inquam, agnoſcemus vel melius, quàm ſi propriam animi noſtri ſubſtantiam, originémque cognouerimus, quàm diuina & nobilis ſit, vnde profecta, & quò migratura? Hæc igitur omnia docere volens ex naturalium Philoſophornm principiis, ne diutius occupationes tuas morer, Iacobe Philippe Sacce, optime, ac ſapientiſſime hinc exordior.





LIBER
DE ANIMI IMMORTALITATE.

SÆPE, ac diu dubitatum est, An
animus hic noster immortalis, at-
que incorruptibilis sit, velut diui-
num aliquod numen: an potius,
vt reliquorum omnium animantium, morti
obnoxius cum ipso corpore simul intereat.
Atque si supersit, & illud etiam dubium est,
an omnibus hominibus vnus atque idem
existimat, velut vno sole cuncta collucent:
an potius distributus pro vniuscuiusque mor-
talis corpore, vt totidem animi sint, quot
etiam homines? Deinde, si vnus sit, an sub-
stantia ipsa etiam vna sit, qua animi con-
stant: an verò animorum diuersa sit ratio,
principium verò vnum? Cùm verò prin-
cipium vnum sit, atque immortale, quod in
nobis etiàm est, an & ipsum perpetuum si-
mul, an verò quòd separari potest æternum?
Ideóque non semper contingit intelligere
principio extrinsecus existente, quod verò in
nobis corrumpitur, nec manet, quoniam na-
tura sua, & si sit sempiterna, non tamen se-
cus ac lumen solis in aëre diffluit subiecti
varietate, quamvis causa ipsa immobilis, ac
diuturna existat. Quod & si hoc in nobis sit
immortale, vtrumne vnum tantùm, an plura
sint, quæ mortis expertia dici debeant. Ne-
que enim vlla quæstio aut difficilior est, aut
magis in hominum opinione, vel vtilior, aut
maiore contentione tractata. Habent singu-
li verisimilia suarum sectarum argumenta:
Verùm quæ animum mortalem astruit, vt
simplicissima existens, omnibus cæteris è di-
recto opponitur. Quamobrem nil mirum, si
hæc vna plures reliquis rationes possideat.
1 Quid enim, illi dicunt, opus est tot rationi-
bus ad intellectus naturam dignoscendam?
cùm illum, vt reliqua omnia, ex infantia au-
geri, & in senectute adeò, vt ad nihilum re-
2 digatur, minui videamus. Tum verò, cùm
omnium cœlestium corporum anima tantùm
sit vna, paruúsque tam immensæ molis im-
mortalium numerus, hæc ipsa inferiora in-
numerabili deorum copia abundabunt, diui-
num censeri debet quod immortale est, &
semper intelligit: erit enim immortalis etiam
3 illorum vna voluptas. Atque si supersit
quorsum hoc? an vt ociosa substantia sine
opere, aut aliud opus denuò habebit, nec
sensibus prorsus vtetur, aut vita, aut forsan
(vt Stoici dicebant) viuet quidem, sed donec
mundus ad conflagrationem futuram, quam
ipsi credunt, peruenerit: tunc verò vnà & illa
cum orbis mole destruetur. Sed quid vos po- 4
tissimum mortales ad hanc tantam, ac incre-
dibilem accendit spem? cùm videatis tot ho-
mines belluarum vestigia imitari, tam pau-
cos virtutem, atque eruditionem colere. At
ex iis paucissimi ad insignem perueniunt ta-
men doctrinam, quorum etiam vitæ minima
pars huic contemplationi adiicitur: reli-
quum totum somno, crapulæ, aliisque neces-
sariis rebus, quas cum animalibus reliquis
communes habemus, impendi solet: atque si
vel eruditissimi viri scientiam vniuersam di-
ligenter æstimaueris, quamvis vel totam vi-
tam in studiis exigat, nihil tamen ibi im-
mortalitate dignum inuenies, sed pauca con-
fusa, obscura, incerta, ex infinita rerum, ac
clarissima serie, vt doctus certè ab indocto
parum differat, imò nec à bellua, & sit quan-
tumcunque hoc interuallum, nunquam in-
finitum illud esse fateberis: quod tamen ne-
cessarium est eum confiteri, qui animum ve-
lit nostrum esse immortalem. Adde verò
quàm violenter, quanta difficultate, vt pror-
sus obnitente natura, quanto vitæ dispendio,
ad eam exiguam doctrinæ portiunculam tra-
himur, vt iam cùm mori incipit homo, vix
scire quicquam se putet: & tamen illud infi-
nitorum hominum arte, & studio per multa
secula, maximisque laboribus conquisitum
est. Inde si hominum animi supersunt, mi- 5
rum admodum illorum nullum ad nos vn-
quam tanto tempore peruenisse. Nam quæ
de his narrantur, non obscurè ad fabulas re-
ferri debent. Neque enim tam audacter Ari-
stoteles, cùm animo quandam immortalita-
tis speciem tribuisset, illum tamen à morte
meminisse eorum, quæ in vita hac egerit, ne-
gasset: sed vel in dubia re saltem, vt facere so-
let, & quæ negatiua constat, silentio rem
transigere poterat. Sed sint iam immortales,
cur tantùm non solùm totus homo in crucia-
tibus affligitur, sed diuina constans natura
ad malum fertur? Nam & si exiguum sit,
quod diuinum est, toti tamen moli præest,
illudque corpus elementare gubernat. Cum-
que quælibet anima in diuersum trahere
possit, nam & arborum crescere facit in su-
blime quod graue est, & belluarum volare,
ac saltare, quod suapte natura deorsum fer-
tur: quantò verisimilius, si noster hic diui-
nus est, illum nos, etiam obnitente mole
sensuum,

sensuum, ad diuina tamen machinam suam
7 trahere debere? Deinde, cur adeò gloriæ,
cur famæ cupidi, quæ vmbra quædam est,
ac satis tenuis vitæ nostræ, si adeò solida vi-
8 ta à morte superstes est? Cur verò Achil-
lem, Homerúmque celebramus, ac Cice-
ronem, tanquam viros rarissimos, si animo
immortali existente omnes longè maiores
futuri sunt, imò ne illi pro gregariis digni
9 habebuntur. Vel, cur mortem non minus
feris, imò magis formidamus, si in aliam
10 clariorem vitam est transeundum? Denique
si hic intellectus diuinus est, quid illum
11 prorsus detinet, ne semper intelligat? Cum-
que tot sint illius opiniones de immortali-
tate diuersæ, cùm vna tantum sit veritas,
non aliunde prouenit, nisi quòd nulla illa-
rum vera sit, atque ideo illud accidat, quod
feræ retibus circumscriptæ, quæ cùm nul-
lum exitus locum habeat, pluribus in locis
12 tanquam fugitura immoratur? Quòd si im-
mortalis omnino sit existimandus animus,
hoc nulla magis ratione credendum esset,
quàm vt bonorum, ac malorum ratio ha-
beatur. At quàm dignum sit ob breuis tem-
poris labem perpetuò quenquam torqueri,
nec tyrannorum leges iubent: sed nemo
adeò excors ex Philosophis habitus est, qui
tam stolidam opinionem inuehere ausus sit,
cùm expertem omnis affectus, nedum cru-
ciatus, substantiam illam purissimam esse
deceat: nisi solus Plato, qui tamen cùm aliò
tenderet, ob hoc solùm nihilominus malè
audiuit, vnde in illum Carmina hæc Græca
iactantur:

Ἂν μνήμης ἄνθρωπε λάβῃς ὁ πατήρ σε τί ποίων
Ἔσπειρεν, παύσῃ τ̃ μεγαλοφροσύνης
Ἀλλ' ὁ Πλάτων σοι τῦφον ὀνειρώσσων ἐνέφυσεν
Ἀθάνατόν σε λέγων, καὶ φυτὸν οὐράνιον.
Ἐκ πηλοῦ γέγονας, τί φρονεῖς μέγα, τοῦτο μὲν οὕτως
Εἶπ' ἄν τις κοσμῶν πλάσματι σεμνοτέρῳ.
Εἰ δὲ λόγον ζητεῖς τ̃ ἀληθινὸν, ἐξ ἀκολάστου
Λαγνείας γέγονας, καὶ μιαρᾶς ῥανίδος.

Quæ sic nos reddimus: *(olim,*
Si memor humanæ es fœdæque propaginis,
Quodque pater gutta te genuit misera:
Hunc pones fastum, quo te Plato adornat inanem,
Æternum dicens semen, & æthereum.
Somnia sunt hominis, nugæque meræ, omnia cœno
In nobis constant, interitura breui.

13 Porrò quid illum attinet accusare? qui
cùm videret nihil in homine præter reliqua
animantia fore præcipuum, tatam belluarum
cateruam, modò perfecti essent generis, ani-
mam dixit habere immortalem: & bos ille,
qui sub claua concidit, & gallina, quæ nobis
singulis diebus oua parit, Deus quidam est.
Quid rogo, nùm omnino hæc puerilia non
sunt? aut ego hac in re quicquam mentior?
14 Sed subterfugias, Hominis solus animus est
immortalis. Quo argumento? Quòd ratione
vtitur. Nempè aliud nec fingere contingit.
At Ratio ipsa differentia est hominis, qua ab
aliis disiungitur animantibus: neque enim
aliud habet, quo ab illis distinguatur. Sed
vide, quidnam sit hæc, imò quàm parua res:
nam nihil aliud est ratio, quàm vis quædam
resiliendi ex vna imaginatione in aliam, tum
ex cogitatione in cogitationem: verùm mul-
tiplicata non secus, quàm ex simplici nodo
retia constituuntur: omnia hæc consurgunt
admirabilia, ars, consilium, scientia, pruden-
tia, sapientiáque. Argumento est, quòd in vi-
ris, quibus non facilè illa reperitur, quos in-
genio tardos dicimus, nihil horum fermè vi-
detur. Verùm ad omnia, quia omnia ex tenui
illo principio ortum habent, transcendit, igi-
tur velocitate magna semper idem repetens
ac velut (vt dixi) retia nectens, exigua illa vi
sæpenumero repetita, aliquid admiratione
dignum emergit, his præsertim, qui huius rei
non intelligunt originem. Enimuerò vis vi- 15
dere in nobis nihil prorsus adesse, præter sen-
sum? cùm dormiturus quasi es, remitte om-
nem cogitationem, ac denuò cùm excitaris,
intelliges te animo omni caruisse, an putas, si
tam leuiter ille diffluit, in tanta perturbatio-
ne, qualis morte accidit, eum manere posse?
Sed maneat, nunquid mundo existente æter- 16
no, numerus ille infinitus adhuc superest?
omniáque animis plena erunt? nec tamen
sufficiet: quoniam infinito capiendo nulla
certè capacitas sufficit. Verùm hoc tolerabi-
le: illud planè absurdissimum, quòd cùm in-
finitus sit hic numerus, attamen in dies sin-
gulos semper augeatur. At verò ne istud 17
etiam stultum est, nos tandiu vixisse, nec
quenquam huius vitæ recordari, solúmque
hoc animal sapientissimum (vt ferunt) seip-
sum ignorare. Nam si & hoc credamus,
quòd animus ipse sit immortalis, tamen qua-
liter hoc contingat, nemini hucúsque com-
pertum est: quin potius voluntate quadam
inepta, qua etiam regna, & imperia solemus
optare, quam vlla ratione ad tantam, ac adeò
inaccessam rem spe ferimur. Quod si ita est, 18
quàm iniqua est hæc partitio? cùm tot homi-
nes in insulis nouiter repertis hoc nesciant,
nesciuerintque: tum verò antiquo tempore
gentes ferè omnes hoc ignorabant. Tantum
igitur præmium etiam sorte ipsa distribuitur?
atque etiam, vt apud Homerum, sors quæ-
dam diis imperabit, vt cùm Vulcanus dicit?

Τότ' ἂν πάθον ἄλγεα θυμῷ
Εἰ μή μ' Εὐρυνόμη τε Θέτις θ' ὑπεδέξατο κόλπῳ.

Sicne sinemus nobis illudi, ac quasi præsti-
giis mentem inuolui?
Attamen scimus, an hoc ipsum est quod 19
æternum putas, quodque tam labile est, at-
que in memoria repositum est: vnde Plato
Memoriam in Theæteto, Musarum matrem
appellauit, & Cicero diuinum quoddam esse
illam existimat, cùm sit sapientiæ vniuersæ
thesaurus. Quo fit, vt qui ea carent, etsi velo-
cissimè nectant, nunquam tamen egregium
quicquam conficere poterunt, corruentibus
tam cito nexibus aliis, quàm celeriter fiunt.
Igiturne eiusdem rei sedes altera mortalis
erit, altera æterna? aut aliud sapimus, aliud est
quod memoria tenemus? autne dicendum erit
cum Platone, Nostrum hoc scire esse recor-
dari? Vides quanta hìc absurda contingunt, vt
hanc opinionem tuearis. Quinetiam Plinius
mortalem censet. Alexander verò Aphrodi-
seus, & Ioannes Scotus de Aristotele affir-
mant,

mant, quòd idem de illo statuerit. Sed hos tanquam notissimos prætereo, vnius Galeni viri grauissimi sententia requiratur, dicentis:

Ἀνδρόνικον δὲ τὸν περιπατητικὸν ὅτι ὅλως ἐτόλμησεν ἀποφήνασθαι τὴν οὐσίαν τῆς ψυχῆς ὡς ἐλεύθερως ἀνὴρ ἄνευ τοῦ περιπλέκειν ἀσαφῶς, ἐπαινῶ τε πάνυ καὶ ἀποδέχομαι τὴν φράσιν τοῦ ἀνδρὸς, εὑρίσκω γὰρ αὐτὸν καὶ κατ' ἄλλα πολλὰ τοιοῦτον.

Quod est: Andronicum Peripateticum, quòd omnino audacter animæ substantiam declarauerit, vt virum decet liberum, ac absque obscuris inuolucris, valde lando, & viri sententiam recipio: talem enim enim & in pluribus aliis inuenio.

Quid hoc est, Audacter protulisse, nisi quod legibus omnibus interdicitur, quódque plebi inuisum est? At hoc ipsum planè Galenus affirmat: est autem nihil aliud, quàm quòd mortalis sit ânimus. Tum rursus:

Εἰ δ' ἀθάνατός ἐστιν, ὡς Πλάτων βούλεται, διὰ τί χωρίζεται ψυχθέντος σφοδρῶς, ἢ ὑπερθερμανθέντος, ἢ ὑπερξηρανθέντος ἢ ὑπερυγρανθέντος τοῦ ἐγκεφάλου, καλῶς ἂν ἐπεποιήκει γράψας αὐτὸς, ὥσπερ καὶ τ' ἄλλα τὰ κατ' αὐτὴν ἔγραψε.

20 *Hoc est? Si autem immortalis est, vt Plato affirmat, curnam separatur, valde refrigerato, vel excalefacto, vel exsiccato, aut humectato cerebro? Pulchrè fecisset Plato, si causam huius, quemadmodum & reliqua conscripsisset.*

Sed mittamus ambigua, illum potius clarè loquentem audiamus hoc modo:

Τοῦτον μὲν οὖν ἤδη καὶ ὑποψίαν τινὰ ἀφαιρεῖ μεγάλην ὅλῃ τῇ τῆς ψυχῆς οὐσίᾳ μὴ οὐκ ἀσώματον ᾖ, πῶς γὰρ ἂν ὑπὸ τῆς τοῦ σώματος κοινωνίας εἰς τὴν ἐναντίαν ἑαυτῆς φύσιν ἀχθείη, μήτε ποιότης τις οὖσα τοῦ σώματος; μήτ' εἶδος, μήτε πάθος, μήτε δύναμις.

Hoc est: Hoc quidem magnam quandam de anima totius substantia aufert suspicionem, ne non incorporea sit. Quomodo enim à corporis societate in contrariam suæ naturam traduci posset, si nec qualitas aliqua est corporis, nec forma, nec affectus, nec potentia est?

Græcam voluimus addere lectionem, non quòd immutata plura sint: sed ne cùm verborum ambiguitate in arcto res collocata fuerit, quispiam alterutri parti nos
21 fauere dicat. Sed nec minoris ratio Galeni authoritate eius facienda mihi videtur, qua animæ interitum astruit, ea autem est, Fateor annexam illam, vt meritò instrumenti propria vi: quanquam & hoc arduum sit, illa existente incorporea, actione sua frustrari, at in diuersum ac contrarium trahi neutiquam naturæ propriè, nisi etiam illius fuerit aut vis quædam, vel affectus, aut forma concesserim. At verò vt ad institutum denuò reuertar: Cùm in nono de dogmate Platonis, & Hippocratis libro, ad sermonem de Platonis opinione iuxta finem, quam de anima haberet, deuenisset, illud subiunxit: Summæ quidem esse diuinæ sapientiæ indicium, fabricam nostri corporis his rationibus, quas superius attuli, abundè ostensum est. Quæ verò de Animæ, & Deorum, qui nos finxerunt, substantia proferuntur, probabilitatem, & verisimilitudinem non excedunt. Cùm verò paulo pòst rationalem partem animæ diuinam esse dixisset, ne vel hoc verbo dubij essemus, quòd diuina soleant etiam esse immortalia: protestatur illico, se nihil de animæ substantia: aut immortalitate prorsus locutum fuisse: quinetiam, vt intelligeremus, diuinitatem illam ad officium, non ad substantiam, aut diuturnitatem rationalis animæ pertinere, quodque vnicum videbatur huius opinionis Platonicæ fundamentum, imò Aristotelicæ, Animum siquidem ob id æternum esse, quòd vniuersale (vt dicunt) concipiat, quod æternum est, ac materia caret, ille ex toto subruit. Nam in secundo Artis curatiuæ, belluas etiam affirmat vniuersale ipsum agnoscere aliud à singulari, exemplo ni fallor ab asino, & camelo sumpto: nam & Leonem fugit, nec fugit camelum, hunc etiam sibi agnitum libenter admittit. Hic etiam in duobus libris, quorum alteri titulus est De affectuum animi, alteri De peccatorum dignotione, ac medela: moralem cùm tractaret institutionem, hominémque cuncti aliis præferret animantibus, non alio eum præposuit priuilegia, quàm rationis. Expediebat autem maximè ibi, non solùm immortalitatis afferre rationem, sed & quemadmodum Aristoteles facit, ad rectam vitam instituendam, eam & si non credere confingere. Sed ad pristinum propositum denuò reuertor. Si immortalis est animus, non alia magis ratione censendus, quàm vt flagitiorum luat pœnas: at verò si æterna, ac diuina est substantia, quid nam pati poterit? an in ignem, aut in aquam, glaciémve, Poëtarum more coniicietur? aut ipsa seipsam desiderio perpetuo torquebit? & quæ etiam nihil admisit, nam solùm mortales animæ affectibus subiiciuntur, vt Plato vult, nihil minus insons plectetur: tum verò, cùm non agnoscat, nisi vniuersalia, quomodo iustè propter singularia pœnas dabit? Sed est & aliud mirum, quòd cùm omnes animi virtutes continuo quodam ordine disponantur, vt sensus, imaginatio, memoria, ratio, intellectus: nec vel modico plus ratio ab intellectu vincatur, quàm ipsa memoriam superet, vt non solus Plato, sed penè antiqui omnes cum illo memoriam aut principem animæ partem, aut cum intellectu ac ratione eandem constituerint: cæteris omnibus manifestè mortalibus, ac corporeis existentibus, solus intellectus incorporeus, immortalisque habeatur? Illud verò validissimum interitus animi argumentum est, quod ipse in loco sit, quandoquidem forma corporis per consequentiam saltem necessariò sit in loco. Etenim corpus, & homo in loco non obscurè esse dici debent, quare & eorum formæ illorum causa: At Deus ipse, & cœlestes

22 23 24

lestes intellectus, atque substantiæ, saltem operatione in loco esse dicuntur, octauo Physicæ auscultationis, & primo cœli. At verò post obitum vbi erit, aut quonam pacto tendit ad eum locum? num per motum aut mutationem? Nequaquam: nam quod diuidi nequit, moueri, neque mutari non potest per se, nec alterius causa: cum corpus iam reliquerit: non igitur subito mutari, vel ad illum tempore, ac motu deferri sponte, vel alterius causa potest. Præterea si transmutatur, illico id fiet: nam tum primùm anima illic esse incipit, cùm corpus cadauer efficitur. Cuius igitur motus hæc transmutatio terminus est? Non alterius certè, quàm eius, quæ in qualitate: qualitas igitur, non locus acquiritur: alterius igitur causa, non per se locus per id mutationis genus habetur. At quod per se qualitate mutatur, per aliud in loco est: cadauer non anima terminus est proprius huius motus, qui secundum qualitatem fit: per hanc igitur cadaueri non animæ locus
25 per consequentiam acquiritur. At qui animam superesse testantur, alicubi eam esse affirmant, sed neque separata quid agat quicquam habet, nec à Deo recipere potest intelligendi vim, cùm ille nihil sine motu æterno cœli, ex Peripateticorum sententia, cuiquam tribuat: hoc autem, imò nec ipsa anima, cœlo subiici non po-
26 test. Manebunt, inquam, ne fortè morales virtutes? Certè non: nam præter id, quod demonstrauimus, iam animam humanam separatam à corpore nihil intelligere, vnde nec moribus ornari, qui sine cognitione esse nequeunt, aliud est, quod impedit: nam illis vti non potest, tum quia organo corporis caret, tum quòd ad vnam partem voluntas eius necessariò ab obitu ex omnium, qui immortalitatem animi tuentur, inclinatur: at verò electio non est illorum, quæ necesse possunt, nec
27 eligi queunt. Est etiam illud vero simile, Animam, si superstit, animas reliquas omnes cognoscere, vel saltem aliquas. Si quidem omnes, infinitas igitur, atque ideo infinita virtus erit, quæ cognoscit: Sin aliquas tantùm, maximè eas, quas in vita
Cap. 5. cognouit, quare memoria vtetur: Ostendit autem Philosophus tertio de anima, illas non meminisse post mortem. Tum verò cognitio ea, eritne per cognoscentis essentiam? quid igitur prohibet, vt quemadmodum Deus, ne omnes futuras, præsentésque cognoscat, atque ideo denuò infinitas? Sin autem per illarum essentiam, esset forma dum intelligitur ab aliis, & informata (vt dicunt) dum intelligit: hoc autem est absurdissimum, & intellectu perdifficile, sin per speciem, seu similitudinem ab alio vtpote obiecto profluentem, aut à Deo, vel vna omnes intelligit animas, vel omnibus omnes, vt vnicuique intelligendæ animæ species sua correspondeat? Ergo altero horum efficitur, vt confusè eas agnoscat, si vna similitudine omnes comprehendit: altero, vt infinitam habeat cognitionem. Multò verò minus consentaneum, atque eò magis ridiculosum, existimare, vt simul loquantur: cùm enim natura similes sint, & æquales, auditus ac sermones vndequaque mutuò erunt infiniti: atque id ridiculosius sanè angelo Mahumethi, quem tot ora habentem singulis capitibus, atque in singulo ore tot linguas
finxerunt. Nunquid etiam si à corporis meminit, vel etiam ad illud natura sua inclinatur, tandiu frustrabitur, atque innoxia in posterum perpetuo desiderio illius discruciabitur? An verò naturaliter resurgent mortui? an violenter res diuina, æternáque huius corporis carceri mancipabitur? Porrò illud etiam necessarium fiet, vt scilicet libera natura in immutabilem euadat: & si regressus concedatur, denuo immutabilis fiat libera, aut si impedimento anima aliquo à libertate reuocatur, erit hæc violentia ipsi animæ perpetua: concessum videtur ab omnibus, affirmátque Philosophus, nullum violentum esse perpetuum. Est etiam 29
illud consequens ad hos, qui animum immortalem prædicant, vt hominem nec verè generari, nec verè fateantur interire: quandoquidem potior pars manet, aut ante ipsum hominem est: atque ideo Plato transmigrationem quandam vocat, & qui cum eo consenserunt: totus enim homo, si anima est immortalis, anima est: & Theologi somnum ob id mortem vocant: an verò Peripateticos sic appellare, ac credere mortem talem esse expediat, aliis diiudicandum relinquo. Forma etiam cordis senescit, senescunt enim operationes, atque vt in adagio, Bis pueri senes: operatio docet formam qualis sit cognoscere: nam non ex alio oculi formam consenuisse agnoscimus, quàm quòd senio malè videt. Senescit igitur anima, quæ cordis vt potioris partis forma est, seu totum corpus sedem
illius esse mauelis. Nec credendum est, reges 31
ac tyrannos tam paruam in hominum cæde habere dubitationem, si illorum animos existimarent esse superstes: quandoquidem, exuti & ipsi regno simul ac vita, tot hostes meritò
sint habituri. Esset præterea mirum, si ani- 32
mus esset intellectus quidam à corpore secundum naturam separatus, quod vel in primæ Philosophiæ libris de ipso, vel in libris de anima de reliquis separatis substan-
tiis Philosophus non pertractasset. Quini- 33
mo tota hæc consideratio naturalis potius esse videtur: nam cùm secundum rem intellectus moueatur, materia sensibilis est de illius ratione: nam si à materia pendet res, in dubio posita non est: sin vt cœlestes intellectus absolutus, cur non velut & in eis nulla à materia pro illius differentia ratio sumitur. Quare non obscurè Auerroïs sententiam amplectimur, quæ cùm multò sit absurdior quàm vtilior, meritò relin-
quenda est. Illum etiam duabus naturis præ- 34
ditum concedere cogeremur: vt enim à sensibus pendet illius operatio, naturali subiicitur, vt absoluitur ab illis, primo Philosopho, neque enim vt separata à naturali considerari potest: nam reliqui intellectus principia sunt orbium, iste verò vt forma

solùm iam fuit: quare absurdissimum, & inauditum est, vt eadem forma, sub eodem operandi genere à duobus tam diuersis arti-
35 ficibus consideretur. Adde, quanta sit, ac quàm ambigua pugna inter sensus impulsum, ac rationem, quámque vicissim constet victoria. Qui fieri igitur potest, vt immortali rei mortalis non pareat? imò pax debet esse inter illa perpetua: diuina enim gaudent, imperántque mortalibus: atque eò magis, quòd in vna anima ambo sedem
36 habent. Animus etiam si in partes diuidatur, nec patiente, nec agente nobis intellectu quicquam prodest, etiam si vterque sit immortalis: nam sine patiente agentem, sine sensu patientem Philosophus negat quicquam intelligere. Extincto igitur sensu, etiam si supersit vterque, neuter tamen intelliget: prædicat enim ille, oportere intelligentem rerum imagines per sensum interiorem formatas contemplari. At verò vt & in sensu semper præuium est pati, ipsi sen-
37 sus iudicio, quod verè sentire est. Videtur etiam Aristoteles secundo de generatione
Cap. 3. animalium, omnes animas potentia in semine sitas affirmare: vbi verò potentia, ibi
38 & suus actus. Quòd si omnino extrinsecus, quasi verè exterius prius existens, accedat, vbi propria illius operatio? nanque omnis forma operationem habet sibi propriam, quare & illam corpori coniuncta seruabit.
39 Neque etiam illud facile est ostendere, quónam pacto æternæ existenti, postea corpori contingere possit? apud Aristotelem enim æterno nihil contingit: perpetua igitur inclinatione ad corpus vrgetur: quare re-
40 diuiuam facimus Auerroïs opinionem. Nec satis intelligere possum, quonam pacto existentibus duobus actu iam animo & cor-
41 pore, vnum verè ex his fiat? Aut quomodo immortalis existens, & materia carens, forma ac principium possit esse nutritionis? Namque cœlestia generandi, alendique, mortalibus vim exhibent, sed non formæ,
42 vel similitudinis ratione. Apertè etiam fatetur intellectum Aristoteles, primo de anima, quodam interius corrupto euanescere: an verò propria sublata operatione forma manebit, an potius aliam nanciscetur operationem propriam non mutata forma, aut quod extremum est, formam simul cum ip-
43 sa facultate mutabit? Ipse etiam Philosophus dum animam diffiniret, nec corpus naturale, atque organicum, nec quòd illius esset actus omnino præteriit, nec intellectiuam ab hac tam generali animæ diffinitione seiunxit. Neque igitur non talis vnquam poterit esse intellectiua anima, nisi diffinitionis partes à diffinito separari queant, vel tempore, vel alia causa, vt non sit res
44 vna perpetua diffinitio. Illud quoque non minore dignum admiratione, quòd animus perpetuum tempus solitarius consumpserit, consumpturúsque sit, tam breui curriculo moram hic ducens in corpore. Nam quid de abortiuis dicam, ac tot aliis, qui protinus vt nati sunt moriuntur? Quid quòd tam leuibus causis hæc coniunctio subiiciatur? cùm quantacunque vitæ prolixitas antecedenti spatio, vel subsequenti temporis comparata, puncti vicem, vt rectè Auerroïs inquit, referat. Quorsum igitur tot animæ fœtuum, ac nuper, vt prodierunt ex vtero, vita excedentium? Quàm indigna, quàm futilis, quàm ambigua copula huius immortalis Dei cum mortali, ac fœda com-
45 page? Rursus denuò, tanquam infecta re, causam hanc nouis argumentationibus aggrediamur. Si animus immortalis est, forma proculdubio humani corporis erit: irridet enim Philosophus primo de anima di-
Cap. 3. centes Pythagoricos, animam corpore vti tanquam instrumento, atque ideo diuersorum animalium subire corpora: nanque cùm annexa sit, vt forma, non cuique corpori quælibet anima conueniet. Non enim, vt ille inquit, vt in fistula fabrilis ars, sic animus in corpore: ars enim non à fistula pendet, verùm illius est tantùm principium. Id si de anima fateamur, dicebat Aristoteles, nihil prohibet, quin Pythagoricorum fabulosam diuersarum animarum vicissim in corporea etiam hominum, atque belluarum transmigrationem admittamus. Ergo si corporis, vt & nos fatemur, anima est forma, nónne subiecto corpori melius, quam substantiæ accidens inhærebit? nam ex animo & corpore vnum verius fit, quàm ex substantia, qualitatéque: quare cùm sine substantia accidens manere nequeat, multò minus sine corpore animus. Sed si genus al-
46 terum animæ est intellectiua atque sensitiuæ superaddita, cur homo à belluis non genere, sed sola specie differt? Nanque cùm animalia sensitiuam animam vltra plantas possideant, meritò ab illis etiam genere differunt: quæ enim sola specie differunt, easdem habent animas, sed differentiis diuisas, quæ genere aliquid plus, minúsve. Homo igitur quoddam genus est, atque à belluis aliud: huius itaque generis diuersæ species denuò, vt belluarum erunt, differentiæque hominum, velut & illarum secundum formam plures: quod nemo, vel immortalitatis animi cupidissimus vnquem concedere ausus est. Si etiam in homine vna est, vel
47 sensitiua intelligit, atque sic corporea est vis intellectiua: vel intellectiua sentit, quia afficitur, & patitur: vtroque igitur modo illarum quælibet morti obnoxia est. Si autem duæ, aut plures animæ sunt, homo duo erit, duorúmque animalium, ac trium viuentium personam subibit. Neque illud præ-
48 tereundum est, quòd quemadmodum auribus audientes, oculisque cernentes, nihilominus nos totos audire, cernereque sentimus, atque idem de tactu, nec magis hoc quàm oculis, aut auribus, quamvis illius instrumentum longè latius toto corpore sparsum sit, generaliter vtimur, quoniam quilibet sensus ad totam animam, quæ vbique diffusa est, refertur, ac pertinet: sic cùm non secundum propriam vllam partem intelligere videamus, sed toti, necesse est, vt intellectus & ipse velut & anima per totum corpus distribuatur: quare, vt corpus sit, aut vis corporea quædam. Sed huic meritò quisquam forsan occurrat, & dicente

Philoso

Philoſopho initio libri de Iuuentute, & ſenectute:

Ἐπεὶ δὲ περὶ ψυχῆς ἐν ἑτέροις διώρισται, καὶ δῆλον ὅτι οὐκ οἷόν τε εἶναι σῶμα τὴν οὐσίαν αὐτῆς, ἀλλ' ὅμως ὅτι γε ἔν τινι τοῦ σώματος ὑπάρχει μορίῳ φανερὸν καὶ ἐν τούτῳ τινὶ τῶν ἐχόντων δύναμιν ἐν τοῖς μορίοις.

Id eſt: Cùm iam de anima in aliis diſſeruerimus, manifeſtúmque fuerit, eius ſubſtantiam non eſſe corpus: attamen eam in aliqua corporis parte ſuſiſtere clarum eſt, atque ea, quæ inter cæteras partes principatum obtineat.

Itaque ſi ita eſt, multo magis hoc de ipſo intellectu ſtatuendum eſt: totus autem homo ſentire videtur, ac intelligere, quia facultas eius animæ toti corpori communis ſit, velut quidem nutrimur toto corpore, anima tamen nutrix in vna tantum parte reſidet, ſic de cæteris dicendum erit. Sed hoc vt indiſcuſſo relicto, ad alia tranſeamus, cùm intentum probandi per alia & promptiora, & clariora, haud facultas de-
49 ſit. Itaque quodcunque vigilantibus adeſt, dormientibúſque ſubtrahitur, vis eſt, non ſubſtantia: abſurdum enim eſt dicere, ſubſtantiam recedere per ſomnum, neque enim oculis, aut auribus priuamur, ſed viuendi, audiendique facultate. Intellectum per ſomnum amittimus, non eſt igitur intellectus ſubſtantia. Omnes enim qui intellectum aliquid eſſe dicunt, illum cum operatione ſua vnum, eundémque faciunt. Abeſt hic in ſomno, in ebrietatibus: quamobrem aduentitiam rem, non ſubſtantiam aliquam eſſe
50 putandum eſt. Conſiderandum eſt etiam, quòd ſi animi plures ſunt, vel numero tantùm, vel etiam ſpecie differunt: ſi ſpecie, tot homines, tot hominum ſpecies: ſi numero ſolùm, vel ob formam, atque ſic denuo etiam differre homines ſpecie neceſſarium eſt: ſi verò materia tantùm, aut differentes corruptioni propter illam obnoxij erunt, vel incorruptibiles, ab illa non pendent: atque ideo omnium hominum non ni-
51 ſi animus vnus. Cæterùm animo etiam ſuperſtite nihil iuuamur: nam ſi quicquam manet, illud eſt, quo intelligimus ſiquidem ipſe intellectus: at hic nec ſentit, nec vlla prorſus afficitur voluptate, non dolet, non meminit: hoc enim commune eſt præceptum eorum Philoſophorum, qui illius immortalitatem tuentur. Nam Plato ipſe alias animas iræ aſcribit, & voluptati, de memoria ſolùm diffidens: at cùm non intelligimus, nihilominus imminuti nulla ex parte videmur eſſe: quoniam intellectus eorum, quæ homo agit, extrinſecus adueniens particeps non eſt: eſt enim illorum, qui ſic credunt, quaſi additamentum quoddam, & homini iam perfecto adueniens. Perfectum dico, quòd iam ſine illo iuuat, ſentiat, recordetur, voluptatem, & dolorem percipiat. Reliquo igitur toto, præter intellectum, iam corrupto, & ſi ille ſit ſuperſtes, quid ad nos? cùm multa alia præter eum extrinſecus exiſtentia poſt obitum maneant: an ideo oculum ſupereſſe dicemus, quòd eo corrupto Solis lux, qua ille videt, ſuperſit? Æqualia igitur prope ſunt, ſeu maneat intellectus ex Peripateticorum ſententia, ſeu non. Quamobrem illud vulgatum eſt, quod Auerroïs dicit omnes Philoſophos, qui Ariſtotelem ſecuti ſunt, animam humanam vel mortalem cenſere, vel vnam. Eſt etiam non leue 52
mortalitatis argumentum, quòd ea ipſa, propter quæ maximè aſſerimus illum immortalem, figmenta ſunt, vniuerſalia ſiquidem: nam vniuerſale, vt Philoſophorum vocabulo vtar, aut nihil eſt, aut poſterius eſt ſcilicet ipſo intellectu, vt Philoſophus dicit: ac rurſus, intellectus eſt, qui in rebus ipſis facit vniuerſale. Ex quo colligitur interitus animorum, magnum argumentum, nanque non eadem eſt ſcientia noſtra, nec intelligendi modus, diuinis, & immortalibus: ſtultum enim eſt credere, ſuperos figmenta moliri, ac per illa intelligere. Non plus igitur affinitatis eſt nobis cum ſuperis, aut plus ſimilitudinis in intelligendi actione, quàm igni cum ſole: aut luci, & lumini ſolis, cum ignis luce, ac lumine. Erit igitur noſtrum hoc intelligere cum ſubſtantiarum ſeparatarum intellectu ſolo nomine vnum, re autem ipſa differens ab illo omnino, & alienum.
Iam verò & illud animaduertendum duco, 53
quòd cum homines integra vita, delitiis, ac potentia fruuntur, nulla immortalitatis huius animorum cura teneri ſolent, imò nec quærunt: verùm ſenes facti, vel pauperes, aut cùm aliquo diſcrimine laborant, tunc ad malorum ſolatium illius recordantur: quærunt etiam, etſi non inueniant, fingunt. Vnde Cato cùm mori deſtinaſſet, bis ea nocte librum Platonis de Animorum immortalitate perlegit, quem forſan vel tota reliqua vita, cùm iam ſenex eſſet, nunquam inſpexerat, vt non obſcurum ſit, potius ad leniendam miſeriam, quàm propter rationem, mortalium genus in hanc tantam ſpem inclinaſſe. At decebat, ſi immortalis eſt animus, proculdubio cùm nemo tam craſſa ſit minerua, qui non intelligat, quota pars æternitatis ſit hæc vita, non in miſeriis tantùm, nec priuatæ ſortis homines, ſed reges ipſos perpetuò illam præ oculis habere. Verùm haud difficile fuerit huic reſpondere rationi. Prætermitto, quæ reges, ac principes, tum magiſtratus, multa ſingulis diebus difficilia, ac propriis impulſibus contraria huius gratia perpetiantur: tum verò quod etiam optima, ac ſingularis exempli opera faciant, quodque ſub mortis hora totos ſe huic contemplationi, ac fidei dedant: quòd ſi ad calculum redigatur diſputatio populorum, Rhethorum, Philoſophorum, Poëtarum, Hiſtoricorum, immortalitatis opinio pluribus ſuffragiis proculdubio ſuperior futura eſt, cùm eam nulla gens non credat, ſempérque crediderit, nulli penè neglexerint ſapientes. Illud pro reſponſo nobis nunc tãtùm ſufficiat, (quando quidem non redarguere, ſed reſpondere tantum propoſitum ſit) quòd & in vita dum valemus, ſi modò nihil à morte ſupereſſe creditur, tota humana conſtante fælicitate, nulla tamen ipſius vitæ cura habeatur, nullus medicum de propaganda vita conſulit, nemo manifeſta pericula ſatis ſtudioſè deuitat, non eſt qui voluptatem

vitæ diuturnitati poſthabeat, quinetiam morbis detenti, ac cùm ſumma rei in diſcrimine poſita eſt manifeſtò, nihil minus diligenter quæritur, quàm optimus medicus, id eſt qui fide, eruditione, ac bona medendi fortuna ſit præditus, ſed ditiorem, vel ambitioſiorem, vel affinem, aut maledicentiſſimum, aut comptiorem, quaſi de mollitie certamen ſit, eligunt: quidam verò adeò neglectim, vt etiam primum qui occurrat vocari iubeant. Ergo cùm in tam præſenti periculo adeo ſegnes ſint de negligentia eorum, quæ poſt mortem ſubeunda ſint, cum illam quiſque quàm poteſt longiſſimè abeſſe ſibi fingat, admiramur? Itaque mortalium errores pertinet, tam paucos inueniri de animi immortalitate ſollicitos: ſed cur deterior pars meliorem numero vincit? nam & hoc plerunque in cæteris apud homines accidit? Quoniam non ſecus humana adminiſtratio à diuina ſecernitur, cùm in illa potiora ſemper præponantur, velut in dæmonum (vt exiſtimant) peſſima quæque. Verumtamen & mortis negligentiam parit plerunque animi prudentia: vt enim ille inquit, Dum mortem metuis, quod viuis, perdis id ipſum. Immortalitatis autem memoriam mortis recordatio neceſſariò præit.
54 Sed eſt & alia difficultas: Nam ſi memoria in mente ſita eſt, cùm homo obliuiſcatur, diuinum aliquod eſſe mentem penitus dicere non poſſumus: ſi enim non memoratur à morte homo, quod & fatetur Ariſtoteles, quorſum ſupplicia, aut gratia erunt reddita?

ARGVMENTA PRO Animi immortalitate.

1 HÆc eſt illorum ſumma rationum vis. Sed ad præſentes obiectiones ſic reſpondere ſolent: Nam cùm præcantationes, miracula, ſpectra, atque ſomnia narrantur, ea omnia in naturales cauſas, in dolos, in timorem, ac animi noſtri parentem vim referre ſolent. In naturales cauſas referuntur, quæcunque in aëre propter vapores videri contingit: nam procul, vt etiam in nubibus, miras ſpecies rerum referre conſueuerunt, vel exercitus, aut alterius rei nouitate admirationem ac fidem in hominibus augente: tum verò & id in nubibus cùm frequenter appareat, negligimus. Similiter & quæ iuxta ſepulchra, maximè illorum qui ferro periere, ad eandem cauſam reducuntur, vt in tertio de Varietate rerum libro docuimus: ſic & quæ ad præcantationes pertinent, ad idem genus referuntur. Cùm enim Celſus dicat, quòd vulnera recentia ſpongia ex aqua frigida impoſita aſſiduè ſanat: lineis alij, alij aqua fingunt ſe præcantare, ſic etiam alij oleo, & nigra lana vulnera curant. Nam vt Galenus in tertio, & quarto artis curandi docet, nullum medicamentum carnem creat, ſed ſolum vel emendat malam membri temperaturam, vel vulnus eluit: quo fit, vt ſi quis optimè hoc curet tantùm cùm in vulneribus exigua ſit mala temperies, voti compos ſit, ſiquidem vulnerum cura exſiccatio eſt: addunt autem verba, & ſuperſtitiones, ne inartificioſa cura videatur: quis enim medicum ſycophantæ gratia relinqueret, ſi nihil plus virium auxiliis, quàm vel aquæ, vel oleo ineſſe putaret? Non multo iam tempore quidam detectus eſt impoſtor, qui & pœnas dedit, cùm iam maximam pecuniam dolo congregaſſet, exercitui perſuadens, plumbeas ſe pilas corporibus vi tormentorum impactas verborum diuinorum vi extrahere, cùm rem ipſam manibus oſtenderet, ſed tamen non illam, quæ in corpore eſſet, educebat, verùm ſuppoſititiam manuum celeritate vulneri ſuperinductam oſtentabat. Quòd ſi quis mira eius viri præſtigiatoris, qui nuper cum Cæſare venit, inſpiciat, nihil non calliditate humana fieri poſſe perſuadebit, quandoquidem plures quomodo hæc fiant ſponte edocuerit. Argumento autem his præcantationibus nihil diuinum ineſſe: palàm eſt, quòd vlcera non poſſunt curare, ſed vulnera: quòd aqua, aut oleo vtantur, quòd aliquos etiam perdant leuiſſimis ex vulneribus. Quòd ſi prorſus vis diuina eſt, nec humana indigebit ope vllâ, nec minus vlcera, quàm vulnera curare poterit, nec vnquam falletur: adde quòd ſi horum vitam ſpectes, minimè cum profeſſione conſentiet. Sic etiam tumores frigidos cùm aqua cineris iuuet, quidam ſe è ſtirpe beati Ambroſij iactantes, virum illum egregium, ac alioqui clariſſimum infamant, non ſuccedente plerunque effectu: nam ſi materia adhuc ex internis fluat, aut ex nigro humore ſit, non ſanantur: quemadmodum nec lineis vlcera, quòd vel mala temperatura illis iunganttur, quæ lineis haud curam admittunt. Et ego præſenti anno mulierem, quæ tignoſos experta fruſtra fuerat, aquaque cineris diu ſe lauerat, quatriduo fermè curaui, dato medicamento, quod pituitam viſcidam copioſè poſſet educere: vt intelligeret illa, quamuis mulier, his viris nullum numen ineſſe, quos nec vllus ſanæ mentis ex ſtirpe tanti viri, qui etiam abſque filiis mortuus eſt, fuiſſe credat. Sed quod ad dolos ſpectat, ſatis in ruſtici exemplo, qui pœnas dedit, nuper demonſtrauimus. Eiuſcemodi plerunque ſunt miracula quædam prauorum ſacerdotum auaritia conficta, qualia & apud Romanos innumera circunferebantur. At verò quæ timor, vt in pueris, ac mulieribus nocte ambulantibus: quæ verò ad phitones, ac homines dæmonio laborantes, tum ſomnia pertinent, partim dolo conficta ſunt, partim ad excellentem animæ noſtræ vim referri debent. Nempe Ariſtoteles hoc pulchrè in libro de Diuinatione per ſomnum de ſomnio, quomodo fiat oſtendit: verùm hoc aliàs plenè docuimus. Sed quid de Platone, qui cùm tot ſpectra, laruas, figmenta, miraculáque confinxiſſet, demum huius tam egregij commenti vnum tantùm exemplum adducit, atque illud adeò fabuloſum, ac ridiculum, vt palàm ſit, illum ioci cauſa ipſum tantùm ſcripſiſſe.

Nunc demum videamus, an forſan ad benè, beatéque viuendum hoc credere plurimum conferat? atque, vt video, nec in hoc

vtilis

vtilis est hæc opinio: quinimo vt apud Ciceronem, Laërtiúmque Diogenem multò sanctius iura, fidem, ac pietatem colebant Epicurei inter homines, quàm Stoici, vel Platonici. Atque huius causam fuisse reor, quòd vt Galenus docebat, homo fit consuetudine bonus, vel malus. At verò his, qui sanctitatem vitæ minimè profitentur, nemo fidit: quamobrem fide maiore vti coguntur, talésque se apud homines præstare, vt non videantur ea professione deteriores: vnde etiam euenit, vt his temporibus pauci fœneratorum fidem æquiparent, cùm tamen illi reliquo vitæ genere sint perditissimi. Quinetiam apud Iudæos, cum Pharisæorum secta resurrectionem, nedum, animorum fateretur immortalitatem, perpetuò Christum insectabatur: Saducæi, qui animi interitum fatebantur, vix semel, aut bis illum, nec molestè admodum tentauerunt. Inde si Plinij, & Senecæ vitam, non verba comparaueris, inuenias Plinium cum sua animorum mortalitate, tanto superare Senecam probitate morum, quantum verbis Seneca religiosissimus Plinium vincit. Colebant Epicurei honestam, pupillorum hæreditates officiosè tractabant, filios defunctorum amicorum propriis pecuniis fouebant: apud omnes optimi viri, præter deorum cultum, quos esse fermè negabant, habebantur: ad hanc etiam spem mali occasionem arripiunt, boni multa perperam patiuntur, leges mitiores statuuntur: sic fit, vt hæc opinio etiam iacturam rebus humanis afferat. Sed nec ad fortitudinem conducere videtur: nam non Cassio Brutus fortior fuit, & si vera fateri volumus, crudeliora etiam fuere facta Bruti quàm Cassij: nam ille Rhodios infensissimos longè melius habuit, quàm Brutus amicas, quibus præerat, ciuitates. Quid tandem? Brutus Stoïcus patriam ab Epicurreo Cassio seruatam, Antonio præter leges incolumi præstito, euertit.

Ergóne tanta aduersus hanc opinionem moliri licet? aut ne plura adhuc supersunt? Verùm nos omnia ex fide retulimus, nec quantum in nobis fuit quicquam deesse voluimus: Philosophum agimus, veritas brauium est. Pudeat nos dicere cuiquam parti magis fauisse, integra omnia voluimus. Plura possunt addi, sed quæ plurimum offendant, minimè. Nos autem non quod cupimus quærere, sed quod in re est, debemus diligenter: nam in iis, quæ in nostra sunt potestate, optimi viri officium est, meliora, ac sanctiora voluisse: in cæteris autem verissima. Nec tamen illud hîc verum esse decernimus, quod rationibus conuincitur: sed hoc dicimus verum, Philosophos istos, quos nunc in medium adducemus, ita sensisse. Nec nunc laborabo, vt ostendam, quàm reipublicæ vtile sit: hoc credere satis est, quòd non de reipublicæ vtilitate suscepta contentio est: quamuis non obscurum sit, nihil melius esse ad reipub. institutionem ac morum, immortalitatis animæ spe: & si fieri possit, vt in optima institutione vir pessimus, & in pessima optimus contraria vice existat. Ergo & rationes ipsæ, & Philosophorum sententiæ à me diligenter excutiendæ primò erant. Sed postquam in vnius Galeni verbis diutius sumus immorati, quàm fortè par erat, breuitati semper studentibus, operæ pretium esse duxi, vt prius opinionem illius, quæ in hac causa deplorata habetur, diligentius inspiciamus. Fieri enim forsan posset, nolim dicere, vt contrariam de animi mortalitate opinionem inueniam, sed longè plura prædictis addamus: quicquid sit, experiendum cùm sit, hinc initium ducam.

Dixi sanè Galenus, non incorpoream esse 11
animam nostram, quæ mentis ac rationis est capax: an verò dixerit eam esse mortalem, nondum certè comperi vsquam, sed forsitan sequitur, verùm non planè: nam & cœlestia corpora omnino morti obnoxia erunt. Elementarem igitur animam voluit, atque sic mortalem: equidem hoc suadet ratio, sed nunquid elementarem vspiam dixerit, ignoro: illud recordor tamen, quod in septimo de Platonis & Hippocratis dogmate scripsit: est autem:

Εἰ δὲ καὶ περὶ ψυχῆς οὐσίας ἀποφήνασθαι χρὴ δυοῖν θάτερον ἀναγκαῖον εἰπεῖν, ἢ τοῦτ' εἶναι τὸ οἷον αὐγοειδές τε καὶ αἰθερῶδες σῶμα λεκτέον αὐτήν, εἰς ὃ κἂν μὴ βούλεται κατ' ἀκολουθίαν ἀφικνοῦνται Στωικοί τε καὶ Ἀριστοτέλης, ἢ αὐτὴν μὲν ἀσώματον ὑπάρχειν οὐσίαν, ὄχημά τε τὸ πρῶτον αὐτῶν εἶναι τουτὶ τὸ σῶμα, δι' οὗ μέσου τὴν πρὸς τ' ἄλλα σώματα κοινωνίαν λαμβάνει. τοῦτο μὲν οὖν αὐτὸ δι' ὅλου λεκτέον ἡμῖν ἐκτετάσθαι τοῦ ἐγκεφάλου, τῇ δέ τε πρὸς αὐτὸ κοινωνίᾳ τὸ κατὰ τὰς ὄψεις αὐτοῦ πνεῦμα φωτοειδὲς γίνεται.

Liceat in tam seria re verbum reddere verbo: Si autem & de animæ substantia dicere sententiam oportet, duorum alterum necessarium est dicere, vel hoc esse quale fulgens hoc, & æthereum corpus: ad quod dicendum, & si nolint, secundum consequentiam coguntur Stoici, & Aristoteles, vel ipsam quidem incorpoream substantiam existere, vehiculum autem primum illius esse hoc corpus, cuius medio ad reliqua corpora communicationem assumit. Hoc igitur ipsum per totum dicendum nobis extendi cerebrum: eius autem ad ipsum communicatione spiritus visibilis lucidus efficitur.

Hæc cùm dicat Galenus, imò constanter affirmet, Paulo altius propositum repetendum erit: est autem vt ostendat spiritum visibilem lumine cœlesti participare, quòd ille radios immittat rebus quæ videntur, non autem ab illis recipiat, quod Aristoteles fatetur: siquidem apud Philosophum, omnes sensus patiendo sentiunt, auris sonum recipit, olfactus halitum cum odore, lingua gustum habet recipiendo sapores, tactus primas qualitates, tum durum, molle, asperum, & leue, eadem & in visu ratio. Hoc tamen Galenus Platonem sequens negat, vt etiam decimo de vsu partium declarauit. Sitne vera hæc illius opinio, an potius Aristotelis, non est præsentis instituti inquirere. Attamen videmus, per radios solis, vitreis, ac depictis fenestris transeuntes in subiectam terram, qualescúnque fuerint colores deferri, idque ad oculum delatis accidere, verisimile est, vt huius rei clarum experi-

mentum

mentum habeamus. Est etiam hoc difficilius, quod & Philosophus pro se adducit, quod fieri necesse esset, vt virtus quidem tam minima vsque ad astra, quæ tam longè absunt, deferatur, vt quæ quadragies millies mille passuum millia à terra, atque amplius distent, cœlestisque illa substantia non dubiè mortali lumini peruia foret. At contrà pro Galeno est, quòd si oculus patiendo solùm concurreret, causa nulla esset, propter quid ex iis, qui acutè propè vident, longius non possint: nam in patiendo quælibet virtus sufficit, modò instrumentum non sit corruptum: at acutissimè videre propè, instrumentum quidem arguit opportunum, verùm spiritum exilem, & imbecillem. Cur igitur non hic à quacunque causa ad sentiendum non mouebitur, quandoquidem pati omnia, agere autem minimè apta sint? nam nec anguli strictura huius causa esse potest, cùm res longè subtiliore sub coni angulo, propè existentes, quàm ciuitatem, vel montem procul videat: nec ex debilitate radij solis id accidat, quandoquidem multi minus clarissima luce etiam videant, vt quantò magis si ad radij fortitudinem res hæc pertineat, illam luce vberiore auxeris, eò minus videat. Hoc igitur non ex alio accidit, quàm quòd ex oculo virtus ad rem visibilem diffundatur, quæ si à tenui, ac subtili substantia prodierit, longo spatio dissipatur: si à crassa, conseruatur: ob idque senes nec procul valde, nec propè benè vident: sed cum mediocri distantia à re, quam inspicere volunt, elongantur. Quinimò perspiciliorum auxilium, haud tam euidens posset apparere, si videremus radiis ad oculum intus delatis: nam iam facti debiles tam breui interuallo non possent fortiores effici, sed potius iuxta rem ipsam apponi deberet perspicilia, quippè quæ radium ex initio à re prodeuntem, validiorem efficerent: cùm tamẽ contrà eueniat, nam proximi oculis validos suscipientes radios ob propinquitatem quadam ratione adaugent, vt virtus illorum diu possit perdurare. Sed nec argumentum vitreæ fenestræ quicquam prodesse Aristotelis opinioni debet, sed obesse potius: cum tota terra, quæ radiis obiicitur, omnibus coloribus debeat esse permixta, nullo colore alium superante, cùm ad visionem hoc modo causandam, omnes colores ad singula puncta deferri necessarium esset. Sed hæc præter intentum: illud sufficiat intellexisse, Galenum, Platonem secutum, voluisse visionem ab oculis per radios supra res visas immissos fieri, atque ob id animam quæ in cerebro est, statuisse vel æthereum corpus, vel incorpoream, æthereo tamen vtentem corpore illo. Quid igitur admirabilius est, animam esse corpus, an incorpoream existentem mortalem esse? At verò cùm concesserimus, illam esse incorpoream, atque æthereo corpore alligari corruptibili corpori, nónne hoc planè est immortalem illam fateri? Melius igitur est, ac ad mentem illius dicere, eam corpoream, sed lucidissimo corpore constantem, quale æthereum est: nam si hoc quintum corpus est, omnino vel sic immortalis est anima. Nunc igitur inter elementa aliquid adeo lucidum est, & clarum, vt ad hæc sufficiat? Certè non: aut quid attinebat æthereum dicere corpus, si elementare voluerat intelligi? an ei viro verba deerant? Quod si elementare corpus existimauit, haud dubiè cerebro erat coëxtensum. quorsum igitur attinuit addere, quòd toti cerebro hoc corpus coëxtenderetur? sed & inter elementa, quódnam adeo validarum virium est, ut ex terra lucem vsque in cœlum emittere possit? namque nec ignis, nec aqua hoc facere queunt, præsertim tam minima existentia, neque in plurifariam mixto, tam sincerum vsquam inuenies elementum. quare necesse est cœlestem eam esse animæ substantiam, nisi & præter cœlum & elementa aliud corpus diuersum, naturáque simplex statuatur. Sed & si corporea erit anima, quis inquam illam mouebit, cùm nihil seipsum mouere possit? nec etiam illud οἷον, ad negationem referri debet, sed vt partem exprimat: namque vel sic non fulgidum corpus esset anima, cùm proculdubio apud Galenum nephas sit, negare animam talem non esse: palam igitur quòd, οἷον, expressionis gratiam, non ad similitudinem dictum est: Quare ætherea est anima apud Galenum, vt vel non fidendum sit Galeno, cùm animam corpus dixerit esse: vel omnino si ei credamus, vel corpoream esse dicamus, immortalem tamen fateri cogamur. Est etiam il- III
lud in homine mirum, qui cùm decimo de Vsu partium fateatur se à Deo monitum, vt de oculis conscriberet: tum aliàs etiam ad medicinæ studium impulsum, ac sanitati restitutum, oraculo per somnium accepto, cur non apertè protulerit animi immortalitatem? siquidem turpe Deo est, cum mortali habere commercium, si nihil commune vtrisque sit. At verò existimandum est illum proculdubio immortalem, sed non incorpoream existimasse illam: nam cùm in prima illius autoritate dubitare visus sit, nihil difficile videtur, si quintum est corpus, illud potius à reliquis deseri, quàm deserere. Verùm nititur, vt ex sequentibus apparet, verbis ostendere, illam minimè esse incorpoream: quod an faciat, illis relinquo: Sed tamen & hoc subiicit,

Τολμῶ λέγειν αὐτὸς, ὡς οὐ πᾶν εἶδος σώματος ἐπιτήδειόν ἐστιν ὑποδέξασθαι τὴν λογιστικὴν ψυχήν.

Hoc est: Audeo dicere hoc, quòd non omnis corporis species apta est suscipere rationalem animam.

Sed cùm etiam contra illam iterum inuehatur, hoc tamen seruat, vt illam non incorpoream esse ostendat. In v. etiam super sextum Epidemiorum Hippocratis comm. v. dicebat: Neque animæ substantiam me firmiter scire persuadeo. At postmodum, quasi sibi inconstans, paucis verbis interpositis, ait: Illud præterea persuasum habeo, spiritum in cerebri cauis positum primum esse animæ instrumentum, quem etiam vt animæ potius substantiam esse dicerem, mihi erat animus. Siue autem tota cerebri natura ex quatuor elementorum temperamento ad eam substantiam, vel proprietatem redacta sit, per quam sensus, motúsque

tusque voluntarij in animali primus opifex habeatur, & memoriæ scilicet, & intelligentiæ: siue alia quædam incorporea vis cerebro indita fuerit, & morientibus animalibus recedat, nullam hac de re firmam rationem habeo. Hæc ille, non minus perplexè, quàm callidè. Cæterùm illud etiam haud magnifaciendum puto, quod Galenus in hoc statuat, cùm proprium opus, cui titulus erat, de Animæ partibus, ac potentiis, quod ad hanc rem pertineret, interierit. Ipse etiam Epicureus erat: indicant illius Philosophiæ Galenum fuisse studiosum libri multiplices, tum tres maximè, in quibus placita illorum comprobat. Mirum igitur est, cur vel in hoc solo proposito non adeò constanter illum sequutus sit, sed æthereum pronuntiarit animam: verùm absurdiora, dum illum sectatur, ac Philosopho indigna profert, cùm in libro eodem, ex quo penè omnia hæc sumpsimus, cui titulus est, Animi mores corporis temperaturam sequi, dicat, stellas ob id esse prudentes, quòd sint siccissimæ: talésque etiam esse homines, qui ea constent temperatura. Quis vnquam audiuit stellas esse siccas? inde, quis illas esse prudentes, vel deliras, quæ nihil intelligant, sed cœli, in quo sunt, motu circunferantur? Deinde, quis dicat hominis animam, cuius corpus sit humidissimum, siccam fore, atque ob id esse prudentem? Piget hæc narrare: sed quis non videt, immensum amorem artis illum in hanc traxisse opinionem, vt non solùm valetudo, vires, & vita, sed & mores medicinæ subiicerentur: & nisi veritas, quæ omnium validissima res est, vel inuito extorsisset, quòd animam æthereum fateretur, iam in illius interitum apertè inclinasset. Verùm & hoc modo cum Epicuro cœlestem existentem, interituram tamen sentit. Nam Epicurus cùm omnia corpusculis constare affirmet, etiam sydera, & stellas ad interitum vocat: nobis sat sit, animam fore cœlestem, si modò cum hoc etiam interitura sit, aliàs videbimus. Seu igitur Galenum relinquamus, siue amplectamur, negotium de animi interitu satis explicatum est. Nam vel omnino illi nullam adhibebimus merito fidem, vel nolentibus adhibere, ea confiteri illum ostensum est, per quæ proculdubio, ni omnis Philosophia Peripatetica, vel Academica corruat, immortalem animam rationalem fateri necesse sit: quamobrem eo relicto ad Platonem veniamus.

RATIONES PLATONIS pro Animi immortalitate.

IV Hic quidem, cùm multa multis in locis pro animi immortalitate cóscripsisset, hæc argumenta existimauit ad propositum ostendendum validissima. Primùm ratio ipsa, qua vnum ab altero differt, & si vnum in reliquum transmutari possit, inuariabilis permanet: nam si paries candore albus sit, & si paries possit denigrari, candor tamen in nigredinem minimè potest transire. At verò vitæ ratio in homine est anima: viuimus enim propter animam, anima igitur in mortem transire nequit, etsi quod per illam viuit, mori possit: Immortalis igitur est anima. Vt igitur trini ratio in quaterni rationem nunquam transire potest, neque par esse, etsi tria in quatuor possint euadere: sic anima, quæ author est vitæ, morti subiici nunquam poterit. Ex quo patet, Proclum atque alios expositores, qui Platonem de anima tantum perfectorum animalium, non muscarum & vermium illum intelligere putant, longè falli: cùm hæc ratio non solum ad imperfecta animalia, verùm ad plantarum omne genus & generaliter ad quodcunque, quod viuit, extendatur. Constat autem ratio ipsa ex transitu contrariæ causæ in contrariam: nam mors vitæ contraria est.

Secunda eius ratio. Digniora, & vndequaque magis absoluta, sunt etiam diuturniora, namque talia videmus esse cœlestia: at verò anima dignior est corpore, nanque primo illi imperat, nec in perpetuo est fluxu, vt corpus: proxima etiam immortalibus, & inuariabilis est: igitur corpore diuturnior. At cadauer à morte etiam per aliquot superest dies, & si seruetur Ægyptiorum more, ad multos perdurat annos: Anima igitur cœlestibus similior corporibus, splendore, cognitione, firmitate, substantia, à morte diuturnius viuet: ipsique cadaueri meritò erit superstes. Palàm autem est, rationem de omni anima concludere, etsi præcipuè de rationali. V.

Tertia in hoc consistit: si quis rectè interrogatus de iis, quæ iam nouerit, sed oblitus fuerit, etiam rectè respondet ad ea: quoniam quæ obliuioni mãdauerat, ad memoriam reuocat. Nam si quis de cane te roget tuo, quem aliàs amiseris, nónne proculdubio illi enarrare poteris & formam, & mores, & magnitudinem: at de alio cane, quem non noueris, hoc efficere non queas: at rerum quæ discuntur, per solam rectam interrogationem assensus fit: vt quòd totum maius parte sit, & quòd quæ æqualia vni sint, & inter se etiam sint æqualia: non sic sensibilium, & nouorum hominum, nisi sensu eas perceperis, habetur cognitio. Quamobrem Scire ipsum est reminisci: est autem Reminiscentia eorum, quæ aliàs didicerimus. Anima igitur antequam in corpus ingressa sit, multa perdidicit, quare ante ingressum fuit, ex mortuisque venit in vitam: rursus autem necessarium est, vt ex vita in mortuos demigret, aliter numerus ille animorum deficeret. Apparet autem hanc rationem de anima tenere eorum duntaxat animalium, quæ memoria prædita sunt: quinetiam defendi posset, solis hominibus conuenire. VI

Alia etiam ratio illius talis est: Circuitus in rebus cunctis apparet: & quæ solùm rectà feruntur, nec regredi solent, finem inueniunt: at ex vita mors fit, ac vitæ interitus succedit: igitur & vicissim contrà, morti denuò vita succedet: vtque ex viuis ad mortuos transitus per mortem fiet, sic ex mortuis ad viuos per generationem transitus erit: mortui igitur sunt, & inferri: nam duarum mutationum vnus est saltem terminus, ex quo: vt igitur in morientibus viuentes iam præfuerunt, VII

præfuerunt, sic in nascentibns mortuos præcessisse necessarium erit. Palàm verò & hanc ad vniuersa quæ viuunt corpora extendi rationem, contrariis autem terminis innititur.

VIII. Rursus, sempiterna est veritas, & scientia: vtrúmque autem in anima est: immortalis igitur anima: nam secus cum illa corrumpetur vtrumque horum: nec vllo modo probabile est, res natura æternas in corruptibili subiecto sedem habere. Hæc ratio aut homini soli, vel perfectis tantum competit animantibus: nam & apud Platonem, quamuis obscuriorem, belluæ tamen absolutæ naturæ scientiam habent. Sic etiam argumentatur:

IX. Quod mouet seipsum, est immortale: anima seipsam mouet, immortalis igitur est: nam animam seipsam mouere palàm est: at verò quod seipsum mouet, quia nunquam se deserit, nunquam cessat moueri: hoc igitur principium est, non solum sibi, sed cæteris, quæ ab ipso mouentur, motus: quare anima principium est. At principium sine ortu est, cùm potius aliorum sit initium, & origo, anima igitur non oritur, quare nec interire potest: nam si interiret, & non oriretur, necesse tandem esset illarum numerum ad finem peruenire: exemplo etiam immortalium rerum Solis, & Lunæ ac stellarum patet, quod semper mouetur nullam interitus metam subire, hæc omnibus ratio viuentibus conuenit. Quam quidem Cicero in Tusculanis quæstionibns tanquam subtilem & acutam admiratur, laudat, extollitque.

X. Habet & argumentum ex moralibus, si anima deficere possit, vitium vtile, & prodesse poterit, & virtus damnosa erit, nocerèque posset: Hoc autem cùm esse non queat, quòd alterum per se bonum, reliquum per se malum, atque ideo in contrariam naturam transire non possit, candor enim denigrare, & lux tenebras offundere minimè potest: Relinquitur, animam immortalem esse: nam si anima non supersit, palàm est hæc omnia in promptu esse: hæcque ratio, vt reliquæ, ad animalia sensibus omnibus absoluta pertinere potest, quanquam iuxta Aristotelem ad homine, solos contrahatur.

XI. Est etiam illud planè apud illum immortalitatis animæ argumentum, quòd operationem habeat seorsum à corpore: ipsa verò quas cum corpore communes habet, proprias magis sibi habeat, velut angere, nutrire, sentire: at si ita est, corpore tanquam vehiculo, atque instrumento vtitur: quo pereunte, ipsa non solùm manebit, sed tanquam vinculis & carcere liberata illustrius intelligit, atque cognoscit: atque idem videtur etiam belluis commune: ex quo patet animam ab initio ortus nobis assistere, imò illius causam esse: quare debuit Alexander Aphrodiseus, illam post nobis accedere intelligendi potestatem, iam natis nec simul cum ortu, quemadmodum ambulandi facultatem, & si tunc ambulare non possimus, aduersus Platonem ostendere, tum præsertim cùm harum duarum potestatum nec originem demonstrauerit, nec differentiæ rationem: nam sic planè ostendisset, nostrûm nihil à morte superesse.

Sed iam Platonis rationes excutiamus: Viuere corpori est propter animam, igitur anima mori non potest. Dico illam, quòd à corpore profluat, non interire, nisi illius interitu: non tamen potest anima mori per se, nec corpus propter animam. De trini ratione ratio similitudinis claudicat, quia trini ratio hæc potest desinere, quamuis non possit permutari in quaterni rationem: at anima in mortem transmutari non potest, sed benè desinere: at verò cum dicimus, quòd vita morti est contraria, fatemur, vna ergo alteri succedet, nónne etiam trini rationi quaterni ratio succedere potest, priore corrupta? at trini ratio nunquam paris subibit rationem: fateor, verùm anima non à morte corrumpitur, sed à mortis causis, quæ causis vitæ aduersantur. Quòd verò digniora sint diuturniora vilioribus, non est verum in his, quæ diuersa sunt specie, nec quæ se habent, vt materia, & forma: aliter formæ artificum manerent corruptis subiectis, cùm tamen accidat oppositum: item materia prima æterna, corruptibiles autem simplicium, & mistorum formæ nobiliores.

Ad tertium, Scire non est reminisci: nam aliqui Solis & Lunæ reminiscerentur, quoniam & illa aliquando vidissent, cùm æterna sint: at ex cæcis dignoscimus, quòd nunquam aliàs solem cognouerint: vt igitur in oculo aliquod lumen est ingenitum, vt videre possit, sic assensus ad principia animo inditus naturæ priuilegio, aliter intelligere non posset reliqua.

Ad quartum, Eadem ratio doceret ex cæcitate in visum fieri regressum. alia igitur succedunt, non per regressum: & non est necesse eosdem esse terminos in numero mo, tuum contrariorum in specie: nam sufficit quòd vnus sit à forma ad priuationem, alter à priuatione ad formam: aliter sequeretur, quòd idem lapis etiam numero rediret, & daretur etiam lapidis anima post ipsius corruptionem.

Ad quintum, Radij solis æterni sunt natura sua: nam in cœlo non corrumpuntur, desinunt in aëre, corrupti corruptione subiecti: nec est inconueniens quòd res natura sua æterna sit in subiecto corruptibili, sicut species solis in oculo equi: nec valet, cognoscit rem æternam: igitur cognoscens æternum est: nisi comprehenderet perfectè, vt in exemplo solis docuimus.

Ad sextum, Anima non mouet seipsam motu locali, nisi ad motum corporis: motu autem sensus, vs Aristoteles docet, & intelligendi, mouetur ab obiecto, non à se: motu verò nutritionis mouet medio primarum qualitatum, & in omnibus corporeis variationibus à sole, & astris adiuuatur.

Ad id de moribus dicimus, quòd bonum per se potest malum per accidens producere, & ita contraria vice: virtus autem est quæ habentem perficit, & opus bonum reddit, virtute igitur ipsa anima perficitur, velut color luce: vitio autem corrumpitur: & si etiam omnis species immortalitatis tollatur, virtus animum erigit: vitium, & sceleris conscientia exagitat: nam & præter

metum

metum post mortem, multa sunt quæ hominem ab indecoro prohibent: conscientia; legum metus, sociorum reuerentia, tum maximè bonorum, populi infamia, ingenita quædam nobis verecundia, recta ratio, consuetudo à pueritia inducta, difficultas patrandi, & metus illorum, in quorum iacturam flagitium peruenerit, neque enim virum peccare licet grauiter sine alterius detrimento: tum, quod maximum est, ne paulatim in deteriora illabaris, suspicio, vt tandem legibus obnoxius fias.

At verò quantum ad exitium pertinet, opinio de immortalitate animi, aliquando plura mala exsuscitat, quàm bona: vt cùm nostris temporibus totus mundus religionis contentione pessundatur: Lutherani Catholicos oppugnant, cùm Christum vtrique tamen colant: & Persæ cum Turcis ob id grauissima bella gessêre, cùm vtraque gens Mahumethem adoret: quid postmodum Christianis cum iis qui Mahumethem colunt, res non mitius, quam cum pantheris ac tigribus agitur, incendio, cæde, ruina, stupris, ac miserabili direptione, non homines, non oppida, non ciuitates, sed integræ prouinciæ hac peste iam desolatæ sunt: quæ mala nusquam essent, si omnes animorum interitum credunt. Igitur bonum hoc per se, si bonum est veritati insistere: & veritas, vt Plato vult, est animum nostrum immortalem esse, ingens tamen malum per consequentiam parere potest: non igitur hæc probant, quæ in vtranque partem quasi ex æquilibrio possunt inclinare.

Ad vltimum dicendum est, animum nostrum habere operationes aliquas seiunctas à corpore, vt prima operatio secundæ est causa, & secunda tertiæ: quia tamen omnes à prima pendent, suntque in subiecto corruptioni obnoxio, ideo corrumpuntur, vt de Solis lumine in elementa diffuso dictum est. Quòd autem anima organo vtatur, probandum iam erat: homo enim vtroque vtitur, anima, & organo. Pro his autem Alexandri explicanda positio est, qui solus inter Philosophos magni nominis, intellectum censuit corruptioni obnoxium.

Anima igitur est substantia, quæ est actus corporis naturalis potentia vitam habentis: est autem in semine in potentia, antequam fiat animal, vt in ouis, & arborum, ac herbarum seminibus manifestè apparet: est etiam diffusa per totum corpus, velut & lumen, sed radix eius vt ignis in corde sedem habet: indicio est, quòd arteriæ per se mouentur, & tamen ligatæ motum amittunt: instrumenta duo habet, cerebrum, iecúrque, singularia: sed generalia duo, calorem, & spiritum: hæc in hominibus lucidissima est respectu cæterorum animantium, & in ea nihil ab initio impressum est, sed tanquam tabula munda, & clara, omnibus imaginibus recipiendis apta est: habet tamen assensum ad prima principia natura inditum, non vt illa sciat, sed vt repræsentata per sensus, vel imaginationem, aut memoriam, illorum veritati subitò consentiat.

Materialis itaque intellectus est præparatio illa in anima, qua species intelligibilium anima recipere apta est, palàm enim eam aliquid esse, postquam anima culicis, vel aranei has non potest formas propter imperfectionem suscipere: eorum autem quæ suscipiuntur formæ nomen intellectus habent.

In habitu igitur intellectus dicitur, qui formas ipsas continet, scilicet cùm quis intelligit: non omnis autem homo intelligit: nam etsi facultatem intelligendi ab initio, id est præparationem illam à natura susceperit, non tamen à natura actum assequitur, sed exercitatione, & labore, ac magistro opus habet: non enim vt ambulandi facultas: & gignendi semen, cum ab initio potestate à natura tradita nobis sint, ab eadem suo tempore sine industria reducuntur, sic est de intellectu: imò potius hic natandi refert similitudinem: nam omnes homines cum hac facultate produxit natura, quæ tamen ab illa sine exercitatione non reducitur ad actum, vt etiam de loquendi potestate: palàm autem est, hunc duplicem esse, Practicum, ac Speculatiuum, itémque qui secundum actum, vel habitum dicitur. Secundum actum intellectus est, quando species rerum iam intellectarum intellectui offeruntur, estque in ipso actu intelligendi anima. Secundum habitum verò est, coaceruatio intellectarum specierum intellectu eas non considerante: palàm autem est, quòd vnum poterit considerare reliquis non intellectis, erúntque alia secundum habitum, alia secundum actum in anima: seu alius intellectus secundum habitum, ab eo, qui secundum actum est Potest autem intellectus hoc modo seipsum intelligere, & tunc fiet verè intellectus in actu: quantò autem magis ab his in hæc procedit à sensibilibus se elongando, eò magis à materia omni remouetur, atque perficitur. Vltima igitur, ac perfectissima operatio, atque separatio fit, dum primam causam intelligit: cùm verò necessarium sit, intellectum, & id quod intelligitur, vnum atque idem esse, nam iuncta ambo sunt, amboque materia carent: nec est quod intelligitur, nisi quia intelligitur, si à singularibus sumptum sit: nec intellectus, nisi quia intelligit, imò: vt diximus ille ipse species, est, quæ in anima sunt dum intelliguntur. Propterea cùm primam causam, aut separatam aliam intelligit, aut seipsum, idem fit, & vtitur illi: quare vltima perfectio eius, quæ etiam postrema est, cùm primam causam intellexerit. At verò prima causa ipsa æterna est origo aliorum, quæ intelliguntur, & si non intelligatur ab alio, tamen est: quamobrem incorruptibilis est hic intellectus adeptus, atque æternus in se. Manifestum est autem, quòd intellectus agens est prima causa. Intellectus agens est, qui sua natura intellectus est, cùm alia propter ipsum intelligantur: sicut Sol per se lucidissimus cùm sit astra omnia lucida magis, aut minus reddit: nam si agens intellectus non esset, nihil intelligi posset. Intelliguntur autem alia, quia sic sunt, & per se intelligibilia, quia formæ à materia separatæ, vt prima causa,

& quæ ex eodem sunt genere: & hæc antequam intelligantur sunt, manéntque postquam fuerit intellecta: alia sunt non natura consistentia, sed intellectus opere fiunt: fundamentum tamen ex sensibilibus singularibus sumente, hæc igitur intellectu non considerante decedunt, vt cùm ab illo solo pendeant.

Speculatiuus igitur intellectus dicitur horum omnium, quorum scientia haberi potest, seu in æternis, ac in materialibus fundamentum habeat, seu in singularibus, ac corruptibilibus.

Practicus autem intellectus est de iis, quæ opinione constant, ad actúsque dirigitur, tum artis, tum prudentiæ, tum eorum, quæ opinionem admistam secum habent, vel quia naturalia si sint, vel saltem, quia sensuum beneficio: quanquam à scientia ortum suscipiant, perficiuntur, vt medicina, & agros metiendi peritia.

Omnibus igitur sic existentibus, humana anima cùm & sensu prædita sit, & intellectu, sensus autem quoquomodo ipsa sit, sensibilia cum materia spoliantur: & intellectus ea, quæ intelliguntur: erit anima similitudine omnia, ac potestate, seorsum tamen: namque simul forsan esse non potest: suprema igitur rationalis anima est, atque potentia, post quam materialis intellectus, qui etiam animalibus quibusdam valde perfectis, præter hominem: communis esse videtur, post quem memoria, pòst impulsus, quem vocare solent appetitum, post quem imaginatio, inde sensitiua anima, vltimo loco nutritiua. Porrò rationalis etiam animæ nobilissima pars intellectus est speculatiuus: huius etiam nobilior pars intellectus in actu, cuius suprema perfectio est, quód causæ primæ coniungatur.

Nunc igitur videndum est, quonam pacto secunda ratio Galeni prohibet, quia cum in contrarium affectum dirigitur anima, ideo incorpoream esse fatetur: At Alexander, qui maximè animi interitum astruit, & morbis animam concuti affirmat, nec tamen illam esse corpoream, nec intellectum ob id materiæ esse participem: nam dum aberrat morbo intellectus, non in contrariam vertitur naturam, imò nec intelligit, quòd si imaginatione memoriáque labatur, aut materialis ille intellectus, cùm omnia hæc belluis etiam sint communia, non arguunt rationem, seu mentem pati: sed fac vt patiatur, non dubium est, animam ex eorum immortalium genere esse, quæ vitiis quibusdam obnoxia sunt: velut enim Luna, quæ in contermino cœlestium est, atque elementarium corporum, quamvis sit ab omni corporea alteratione libera, atque vt reliqua astra incorruptibilis, attamen multiformis & maculosa, & deliquiis subdita manifestè apparet: sic non dubium est, intellectum nostrum ex genere sempiternorum in confinio tamen mortalium, diuersimode quidem, quoad nos, affici: substantia tamen illius minimè corporeæ obnoxia alterationi: namque si calesceret intellectus, aut refrigeraretur, proculdubio etiam morti obnoxius esset: sed quòd nunc quidem illustris, aliàs obscurus habeatur, etiam absque instrumenti proprij permutatione, hoc non solùm mortalium ex genere esse ipsum ostendit, verùm potius immortalium: quandoquidem vis eius, atque perfectio, aliunde quàm à corpore ducit originem.

Sed nec tamen illud argumentum, quod Alexander quasi ex Aristotele sumpsit, ad differentiam sensus, & intellectus ostendendam, multùm valere videtur: nam sensus non in validis sensibilibus obtunditur, nisi organum lædatur, quod etiam accidit valdè laborantibus, vt intelligant: nonne multi, vt eruditi euaderent, insanierunt? at si per valida sensibilia difficilia intelligamus ad assequendum, profectò idem accidere videtur quod in intellectu, scilicet vt leuiora etiam facilius apprehendant: nisi, vt diximus, instrumentum labore corruperint: indicio est, quòd qui semidiapente percipit aure, longè facilius diatessaron, ac multò plus diapente cognoscat, atque facillimè diapason: & qui assueti sunt per noctem ambulare, in crepusculo si iter agant, longè melius vident cæteris: & qui gemmas scalpunt dum iuuenes sunt, melius singula quæque minima percipiunt. XII

Porrò primam causam intelligere, & Solem videre, non similiter se habent: tum primùm, quòd Solem quidem totum videmus, organúmque à Solis radiis corrumpitur: at Deum non perfectè intelligimus, sed vix illius vmbram, nec nos vlla qualitate peregrina offendit ille, cùm omnis talis expers sit.

At verò nec Platonis sententia stare potest, vt scilicet belluarum animæ etiam sint immortales: nam omnes illarum actiones corpori communes sunt: ideóque omnis illarum vis corpori communis, atque interitui parata. Cessat etiam finis: nam cùm natura, non ratione agant, peccare minimè possunt: & si peccent, cùm ratione careant, etiam quòd puniantur, nescient se ob id luere pœnas: est autem hoc proprium vltionis iustæ, vt intelligat, propter quid pœnæ illi sit addictus. Illud verò maximum, cùm tam proxima inuicem adeò natura sint, nec vllum sit euidens interuallum, nisi ad hominem, necesse prorsus erit, vsque ad plantas ipsas descendere, quod belluarum naturam ordinatam, ac sensim descendentem contemplanti, apertum nimis est: hoc autem quàm absurdum sit, vt ne ipse Plato concedere ausit, si viuat, satis vnicuique perspicuum est.

Veruntamen vltra immortalitatis spem, si quis aliam in homine perfectionem statuere velit, iuxta Galeni, vel Alexandri opinionem, in intellectu quidem duas habebit: alteram contemplationem primarum causarum, alteram artis alicuius, vel prudentiæ exquisitam rationem: in homine autem vitæ longitudinem, robur, & incolumitatem cum formæ elegantia: exteriora autem gloriam, libertatem, filios, diuitias, atque eiusmodi, quæ in libris de Sapientia docuimus.

Verùm

Verùm quod ad opificis industriam attinet, nihil omissum est diligentiæ: adeò enim excellenti arte fabricatum est nostrum corpus, vt totum harmonia quadam constet: vnde infantes non alio magis demulcentur: quàm nutricum cantu, atque adeò vehementer, vt meminerim nullam ei, quam dum in cunis essem, postmodum grandæuus sensisse voluptatem, & si adolescentiæ illecebræ, & venereorum vsus, tum luxus maximus esse videatur. Hac etiam causa homines, quos musicæ moduli non delectant, agrestes sunt, & feri: vnde natum etiam adagium, vt *ἄμουσοι* vocarentur: qui musis non delectantur, atque ideo ingrati, ac planè rustici: vnde apud Aristophanem, cùm pessimè moratus vir introducatur, fingitur respondere:

Ἀλλ' ὦ 'γαθ' οὐδὲ μουσικὴν ἐπίσταμαι.

Imò nec ipsam musicam noui ô bone.

Agreste nimium est, musicam non nouisse: verùm ferinum prorsus, illa non delectari: quandoquidem veteres non solùm qui non delectarentur, sed & qui ignorarent, illa contumelia notauerint. Cúmque hoc ita sit, nec maius quicquam diligentiæ, vel sapientiæ in opifice testimonium requiras ad humani corporis constructionem, (quod Galenus admirans, hymnum, seu laudem Deo præcinit) Cur tamen est, quòd tam pauci eam compositionis absolutionem assequantur, exactámque symmetriam? nam vix inter multa millia hominum vnus talis inuenitur: an non hoc materia ipsa reluctante euenit? Quid igitur mirum, si hæc tantum potest, vt sapientiam illam primam, illam omnimodam potestatem vincat contumacia sua etiam animum nostrum, qui etsi sit immortalis, multò tamen à prima causa degenerat, possit deflectere, ac superare? Eam verò felicitatem Alexandri (ne quid intactum ex illo relinquam) quòd extra limites exeat rationis, nemo vel obolo, qui sapiat, æstimet: quandoquidem quid hoc ad perfectionem vniuersi pertineat, non ostendit. Nulla autem prorsus res naturalis suo fine maxima ex parte frustratur, quod cùm videamus tam paucos ex innumeris illam assequi felicitatem animi, quod & ipse fatetur, non erit illa finis humanæ generationis: quorsum igitur hæc moles mortalium? hic hominum perpetuus cœtus? an vt tantùm nascatur, doleat, fruges consumat, & moriatur? Indigna hæc maximi Philosophi sententia prorsus, sed multo diuina sapientia indigniora. Quamobrem cùm aduentitia hæc omnia potius immortalitatem attestentur, illa prætermittamus, & ad solidam Philosophorum sententiam, tum ad rationes validissimas veniamus, atque in altero consensum, & differentiam, tum etiam cùm legibus ipsis in altero pondus argumentorum vtriusque partis pensitemus. Quod ad inconuenientium rationem pertinet, quæ ex vtraque sequuntur opinione, illud vnum dictum sit, ad religionem, immortalitatisque plurima in reipublicæ administratione inconuenientia necessariò sequi: at immortalitate non supposita, omnique diuino abrogato cultu, nullo modo mortales viuere posse, nec vllum societatis genus inire, sed velut Horatius de prima illa hominum origine fabulatur:

Cum prorepserunt primis animalia terris,
Mutum, & turpe pecus, glandem atque cubilia propter,
Vnguibus, & pugnis, dein fustibus, atque ita porro
Pugnabant armis, quæ post fabricauerat vsus.

Sic fiet in neglecto religionis cultu: nam testis ipse est Thucydides, vir grauis, ante coactam à Theseo gentem in Athenarum ciuitatum, homines latrociniis vixisse: at cùm primum in vnum conuenerunt, religionis prima cura fuit. Non igitur sine religione vrbes, nec sine vrbibus quies vlla humano generi, vel sine opinione immortalitatis animorum religio esse potest. Sed hæc cùm extra propositum sint, satis duxi, ne à quoquam mihi obiici possent: nunc ad reliqua transeundum est, quæ ex rationibus firmissimis colliguntur.

Sententiæ Antiquorum de Anima.

Ergò immortalem fuisse animum, ab initio fermè rerum humanarum, magno, ac perpetuo consensu, ac mira omnium concordia ad nos vsque peruenit. Nam Themistius post longam de intellectu disceptationem scripsit: XIII

Ὅτι δὲ μάλιστα αὐτοῖς ἐξ ὧν συνηγάγομεν ῥήσεων, λάβοι τις περὶ τούτων γνῶσιν Ἀριστοτέλους καὶ Θεοφράστου, μᾶλλον δὲ ἴσως καὶ αὐτοῦ Πλάτωνος, τοῦτο οὖν πρόχειρον ἴστω διηχευξέσθαι.

Quod autem præcipuè ex his colligendo dicta, sententiam Aristotelis ac Theophrasti, magis autem fortassis & Platonis licet intelligere, per ea quæ adduximus, asseueramus.

Quasi horum trium vna foret sententia, quod & alibi manifestum est, dum Platonis opinionem Aristotelis sententiæ comparat: nam de Theophrasto, quòd à magistro dissentire noluerit, haud dubitandum est: igitur subiicit Themistius:

Ἢ ὁ μὲν πρῶτος ἐλλάμπων εἷς, οἱ δὲ ἐλλαμπόμενοι καὶ ἐλλάμποντες πλείους, ὥσπερ τὸ φῶς· ὁ μὲν γὰρ ἥλιος εἷς, τὸ δὲ φῶς εἴποις ἂν θρώπον τινὰ μερίζεσθαι εἰς τὰς ὄψεις, διὰ τοῦτο γὰρ οὐ τὸν ἥλιον παραβέβληκεν, ἀλλὰ τὸ φῶς Πλάτων δὲ τὸν ἥλιον.

Id est: Vel primum quidem illuminans vnum, illuminati verò, atque illuminantes multi, quemadmodum & lux: nam Sol vnus est, lux autem quodammodo sua per partes in diuersos hominum obtutus dispartitur: propter hoc non Soli, sed luci (supple intellectus) comparandus est, Plato autem Soli.

Ecce quàm parum putat interesse inter opinionem Platonis atque Aristotelis Themistius. Sed iam hoc est præludium, namque sensim ad id, quod proposueramus, demonstrandum descendere in animo est, cùm Simplicium prius audierimus: is enim hæc habet:

Ἐπιστῆσαι ἄξιον τῷ παντὶ λόγῳ, θαῤῥῶν τὴν οὐσιώδη τῆς ψυχῆς νοῦν, ἀθάνατον καὶ ἀΐδιον ἀποφαίνεται, ἵνα καὶ ταύτῃ τὴν πρὸς Πλάτωνα αὐτοῦ συμφωνίαν ἅμα θαυμάσωμεν.

Quod est: Dignum scitu est, hoc toto in sermone de substantia ipsius animæ haud dubiè, quòd mens incorruptibilis sit, atque immortalis declarari, velut & apud Platonem miro consensu etiam videmus.

Sed ne in incertum pro vocibus Græcis euagemur, habet Aristoteles, cuius auctoritati penè quantum rationibus deferimus, hæc nomina Δυνάμειν, intellectum potentiæ quasi ποιητικὸς, seu αἴτιος qui & agens, Alexander adeptum etiam hunc putat, κοινὸς ἢ φθαρτὸς ἢ παθητικός qui patiens, inuolucrum, quo quasi cingitur intellectus. Διάνοιαν autem cogitationem esse, haud dubium est: νοῦν mentem vocat, νόησιν intelligentiam, δόξαν autem opinionem, πίστιν quæ fidem: νοινός tamen etiam comunis dicitur. Itaque vt de nominibus satis constat, quibus tamen variè Aristoteles vtitur, ad Philosophorum historiam redeo: est enim sub Pythagoræ nomine versiculus, hic:

Ἀλλὰ σὺ θάρσει, ἐπεὶ θεῖον γένος ἐστὶ βροτοῖσιν.

Confidere nos iubet, quòd moralibus genus diuinum inditum sit: sed non hominibus solùm eam tradidit mentem, quòd crederet etiam belluis eam esse communem: nam à morte ex his in illa transire animas existimauit, quoniam persuasum esset antiquis, belluas etiam ipsas ratione pollere: vnde referuntur ex Menandro carmina:

Ἃ πάντα τὰ ζῶα, ἐστὶ μακαριώτατα
Καὶ νοῦν ἔχοντα, μᾶλλον ἀνθρώπου πολύ

Omnia animalia beatissima sunt, & mentem habentia, hominibus multo magis.

Vnde etiam Plutarchus Dialogum instituit, in quo Vlysses ille facundissimus, cum exiguo colloquitur animali, quasi mentem etiam ei inesse præsentiret. Sed & Trimegistus, quasi ter magnus, seu quod Rex, Sacerdos esset, ac Philosophus: seu quòd eo numero, quem Aristoteles perfectum nuncupat, sapientiæ absolutæ esse decerneretur: seu ante Pythagoram, seu post floruerit, dicebat:

Ὁ νοῦς οὖν οὐκ ἐστιν ἀποτετμημένος οὐσιότητος τοῦ θεοῦ, ἀλλ' ὥσπερ ἡπλωμένος καθάπερ τὸ τοῦ ἡλίου φῶς.

Mens igitur (dicit) non est pars diuinæ substantiæ, sed velut lux solis ab illa explicata.

Sunt qui credant, Pherecydem illum Syrum, Pythagoræ discipulum, Philosophum admirandum, primum extitisse, qui ausus sit de animi immortalitate disputare, cùm antea cæteri potius assentirentur, aut affirmarent, quàm defendere rem auderent: ob hoc fuisse publicè interdictum, ne quis de animorum immortalitate verba facere. Verùm cùm is diuinus propè haberetur, primò ei permissum: inde licentia peruagata. Itaque vt ad ordinem reuertar, idem Trimegistus ante illum denuò dicebat:

Ἄνθρωπος διπλοῦς διὰ τὸ σῶμα θνητὸς, ἀθάνατος δὲ διὰ ψυχὴν, τοῦ οὐσιώδη ἀνθρώπων

Id est, Homo duplex, nam parte corporea mortalis, animo immortalis, qui hominis ipsius substantia est.

Ergo post ipsum & Anaxagoras (hic Pherecydis ætate fuit) cùm ille Pittaci esset auditor, qui vnus fuit è septem sapientibus: at Anaxagoras Anaximenis, qui Pythagoræ coætaneus erat. At Pythagoras septem sapientibus paulò fuit posterior, & ipse quasi ab illorum ætate originem ducens, Aristotele referente dicebat:

Πολλακοῦ μὲν γὰρ αἴτιον τὸ τοῦ καλῶς καὶ ὀρθῶς τὸν νοῦν λέγει, ἑτέρωθι δὲ τὸν νοῦν εἶναι τὸν αὐτὸν τῇ ψυχῇ ἐν ἅπασι γὰρ ὑπάρχειν αὐτὸν τοῖς ζώοις.

Id est: Sæpius enim mentem boni, atque recti causam esse dixit, alibi verò animam ipsam esse mentem, nam animalibus omnibus illam inesse ait.

Inde inferius de mente sic habet, de anima primo:

Μόνον τοῦν φησὶν αὐτὸ τῶν ὄντων ἁπλοῦν εἶναι καὶ ἀμιγῆ καὶ καθαρὸν, ἀποδίδωσι δ' ἄμφω τῇ αὐτῇ ἀρχῇ, τὸ, τε γινώσκειν καὶ τὸ κινεῖν, λέγων νοῦν κινῆσαι τὸ πᾶν.

Quasi dicat: Solam nanque omnium rerum existentium dicit simplicem & immixtam, ac puram esse, illi ambo hæc tribuens principio, cognitionem scilicet, atque motum, dicens vniuersum hoc à mente ipsa moueri.

Ergo Anaxagoras hæc: post illum illico & Democritus, nam paulò iunior hic extitit Anaxagora, in eadem sententia fuisse videtur, cùm dixit:

Ἐκεῖνος μὲν γὰρ ἁπλῶς ταυτὸν τὴν ψυχὴν καὶ τὸν νοῦν, τὸ γὰρ ἀληθῶς εἶναι τὲ φαινόμενον, διὸ καλῶς ποιῆσαι τὸν Ὅμηρον ὡς Ἕκτωρ κεῖτ' ἀλλοφρονέων.

Quod est: Ille enim simpliciter eandem mentem, atque animam: nam verum esse existimauit, quod apparet: Propterea Homerum pulchrè dixisse inquit, iacere Hectora alia sapientem.

Ergo non in sepulchris habitauit, vt ostenderet extinctos fuisse animos, sed quòd crederet cum Pythagora ex hoc in illud eos commigrare animal. Successit his Alcmeon, & hic dicens explicatius.

Φησὶ γὰρ αὐτὴν ἀθάνατον εἶναι διὰ τὸ ἐοικέναι τοῖς ἀθανάτοις, τοῦτο δὲ ὑπάρχειν αὐτῇ, ὡς ἀεὶ κινουμένη, κινεῖσθαι δὲ καὶ τὰ θεῖα ἅπαντα συνεχῶς ἀεὶ, σελήνην, ἥλιον, ἀστέρας, καὶ τὸν οὐρανὸν ὅλον.

Est autem hoc: Dicit enim eam immortalem esse, quòd immortalibus similis sit: hoc autem ipsi competere, quoniam semper mouetur: mouentur enim omnia diuina continuò, semperque Luna, Sol, astra, & cœlum totum.

Sed vix hæc sententia exactè Latinè transferri potest, vt integrum sensum retineat. Manifestum est igitur, hos Philosophos sensim ad immortalitatis non solùm opinionem, sed & ad modum, quonam pacto tueri posset, descendisse: donec Plato clarius, inde Aristoteles rem tractauerunt. Sed antequam ad illos accedamus, meritò quis forsan dubitabit, quorsum hæc tractatio tendat? aut quam nam vtilitatem præstet: nam iis, qui fide immortalitatem credunt, prorsus superflua est, ac etiam damnosa, fidei scilicet meritum auferens: aliis verò, qui hanc non sunt consecuti gratiam, præstat sic tamen credere, Ciceronis argumento. Nam si à morte nihil superest, argui tamen

non

non potes: nec qui animum mortalem dicit, laudari. Sed si supersit, credenti quidem non exigua laus est, præuidisse: neganti verò dedecus maximum imminet: tutò igitur quisque hoc debet affirmare.

Verùm non aliter mihi videntur hi nobis consulere, quàm viatoribus latrones, qui vt in eos inciderint, iubent arma deponere, ex equo descendere, atque sic non arma solùm, & equum, ac pecunias, sed vitam etiam eripiunt. Mentis oculus nobis datus est, vt cognoscere, atque intelligere possimus, ac hæsitantes in fide confirmare, retrahereque periclitantes. Dulcis res est veritas, etiam si nostro desiderio aduersaretur. Nonne matres nuntios sciscitantur ex bello reuertentes de filiorum fortuna, etiam si existiment illos cecidisse? at cur non illis dicas, viuos emisistis, cur quærere vultis? Sed nemo horum, qui vel anxiè quærunt rationes naturalium rerum, malus est, verùm qui credere simulat: etenim & illud simile his euenit, qui terriculamentis, vmbris, ac spectris detinentur, horum enim miserrima vita est, timere quod nescias: alij supra modum audaces, tanquam nullibi pœnas daturi scelera admittunt. Ergò dulcissima res veritas, atque iocundissima, quam si forsan tenerent multi, pauci mala admitterent. Quem tu sensum immortalitatis animorum his esse putas, qui sponte, & aduersus etiam maiorum instituta, tot hominum insontium capita inferis deuouerunt? Non parui est momenti intellexisse, quid nobis à morte futurum sit, cùm religioni semper locus suus relinquatur.

XIV
1. ad Corint. 15. Plures argumento beati Pauli mouentur, est autem tale: Quòd indignum hoc videretur diuinæ iustitiæ: cùm homo, si animus mortalis ponatur, omni bellua esset infelicior: nascitur, alitúrque per annum in immundo stercore, cùm cætera animalia pura degant: inde quot conatus, quot labores, vt ambulare discat, cùm cætera animantia sponte eant: puer traditur magistro, ibi illius conditio miserrima, timere, discere, vapulare ab eo, qui insanit, ob studium, ob iram, ob laborem: Adolescens efficitur, quàm breuis est illa ætas, quæ si effrænis duriores nanciscitur parentes, traditur exercitationi, vel militiæ, vel arti, vel studiis: quàm immensi ibi labores? quam dura conditio? adde quot in ea pericula à coætaneis? nulla enim ætas incontinentior. Subit Iuuentus, eam exercent curæ, labores, certamina, pericula vicissim: inde Senectus homini tristissima, soli illi dentes penè cadunt, incuruatur, vix potest se sustinere, quòd duos tantùm habens pedes, alis careat, rugæ, & cani, & oris fœtor: omnia hæc soli homini senescenti priuilegia, ob quæ despicitur, irridetur, reiicitur: solus inermis nascitur, solus natandi expers, ad frigora, & calorem omnium animantium impatiens maximè, ad omne discrimen inualidum, cùm reliqua corium, aut etiam cum illo pili tueantur: ille solus cùm senex est, mortem propè adesse nouit: cùm iuuenis, quocunque momento imminere. Quænam igitur cœlestium diuorum inuidia, hominem creasse, si propter hoc æuum tantùm gignitur? Ad hæc quid dicet Alexander? Neminem, ille inquiet, vel sic tamen velle cum boue, vel asino, vices commutare, tanta est dulcedo sapientiæ: tum verò in vno quoque genere omnia ob perfectissima esse: nam tales sunt reges, ac diuites, qui sapientia pollent: quis enim adeò excors est, vt malit se belluam, quàm regem, præcipuè eruditum? nam eorum vita, dum viuunt, Deorum beatitati parùm videtur absimilis. Superaddidisse verò in omnibus etiam naturam homini maiores voluptates, solus harmoniam sentit, solus varietatem picturæ cognoscit, solus odores, ac sapores iucundos rerum, quæ minimè esui parantur percipit: in venere maiore fruitur voluptate, vita longiore potitur: periculo opponat oblinionem, vel fortitudinem: qualicunque fato pereat, satis est hominem fuisse, non belluam: imitetur Thaletem, hic gratias agebat Deo, quòd hominem, non belluam eum fecisset. Quid etiam, & si deterior sit hominis conditio, habet homo, quod quæratur? nam ipso vel Paulo teste, non iure conqueri potest aduersus figulum vas, etsi ad turpes vsus illud effinxerit. At verò illud planè certum est, vel regibus ipsis Elephantes, ceruos, ac cornices, aquilásque esse fæliciores, si animi tollatur immortalitas: nam & diutius viuunt, & minore cum periculo longè, & nulla cum suspicione multis in regionibus vagantur. Illud tantùm me torquet, quòd eadem ratio etiam querelæ leporibus relinquitur, ac pecudibus: insontia enim, & immortalitatis animi expertia, parum viuunt, cùm aquilæ omnibus infestæ, longiore vita multò fruantur: ob hoc existimo Platonem etiam belluis animorum immortalitatem concessisse. At homo ratione ac deliberatione hæc facit, cùm cætera animalia natura ferantur. Quomodo igitur fieri potest, dicebat Paulus, vt si Deus habeat prouidentiam, qui iustè, sanctè, piéque inter ærumnas vixerunt Dei contemplatione, cùm aliàs beatam, ac iucundam vitam agere potuissent, vt hac spe, hoc merito munere frustrentur? Nam quantum ad hanc pertinet vitam, tantùm qui optimè viuunt, ac religiosissimè, miserrimi omnium sunt mortalium. Hæc ratio Dei prouidentiam docet, quam Alexander & si neget, nos tamen longè certiorem animi immortalitatem esse ducimus, etiam dico de singularibus: quare Pauli ratio ex nobis notioribus deducitur. Quòd & si cum Aristotele aliqui longè facilius animorum immortalitatem, quàm huiuscemodi prouidentiam tueri se posse sperent, non tamen hoc illis concedendum: quod à nobis tamen aliàs cùm sit ostensum, hîc iam prætermittetur. Sed nec magis animi immortalitatem ostendit diuinatio, quam diximus per somnium, nam si animus natura diuinus est, nobis dormientibus melius intelliget, externo sensibili quiescente: nec enim turbabitur, vel impedietur. Quiescunt autem sensus non toti, sed magna ex parte (vt

(vt Galenus dicebat) in libello de Odoratus instrumento: huius indicium est, quòd vocati expergiscimur: nam si nihil audiremus dormientes, vocibus exclamantium non excitaremur: solus oculus ex toto functione priuatur, non per se quidem, sed obducta palpebra, quæ illi ad munimen, quòd expositus esset, fuit necessaria. Ergo cur non intelligit multò melius per somnum animus? quoniam etiam interiores sensus sunt hebetiores, ipse verò dum corpori immiscetur, ab illo excitatur. Porrò per somnum alligata est omnium ratio: nam imaginari contingit dormientibus, discurrere, & vti intellectu multo minus: non igitur diuinatio per somnum ab animo procedit collimante, seu mortalis sit, seu immortalis, sed quoddam accedere extrinsecus est necessarium, quod ideo per somnum facilius sentitur, quia animus exterioribus causis minus est impeditus.

At longe difficilius esse videtur, quod in oppositum adduci potest: Si enim nulla est operatio propria animæ, non contingit eam separari: at manifestum est, eam non dari: quæcunque enim sit illa, cùm animus supponatur immortalis, postquam ea potiri contigerit, non fatigabitur, laboris enim expertia sunt æterna: non igitur animus noster in ea fatigatur. At verò compertum cuique est, in omni intellectione, ac cognitione nos fatigari, imò non secus, ac in visione: ex fixo enim intuitu magis oculus patitur, quàm in varietate, quæ ob voluptatem laborem minuit. Sic intellectus plus laborat in adepta iam cognitione, si diutius ei institerit, quàm in permutatione: quanquam permutatio ipsa auxilij corporei expers non sit. Quid igitur voluit Philosophus, cum dixit:

Ὅτι δ' οὐκ ὁμοία ἡ ἀπάθεια τοῦ αἰσθητικοῦ, καὶ τοῦ νοητικοῦ, φανερὸν ἐπὶ τῶν αἰσθητηρίων, καὶ τῆς αἰσθήσεως ἡ μὲν γὰρ αἴσθησις οὐ δύναται αἰσθάνεσθαι ἐκ τοῦ σφόδρα αἰσθητοῦ οἷον ψόφον ἐκ τῶν μεγάλων ψόφων, οὐδ' ἐκ τῶν ἰσχυρῶν χρωμάτων καὶ ὀσμῶν, οὔτε ὁρᾶν οὔτε ὀσμᾶσθαι, ἀλλ' ὁ νοῦς ὅταν τι νοήσῃ σφόδρα νοητὸν, οὐχ ἧττον νοεῖ τὰ ὑποδεέστερα, ἀλλὰ καὶ μᾶλλον, τὸ μὲν γὰρ αἰσθητικὸν οὐκ ἄνευ σώματος, ὁ δὲ νοῦς χωριστός.

Hoc autem est Latinè:

Quòd autem non similis est non patiendi facultas sensui, ac intellectui, patet in sensuum instrumentis, atque in ipso sensu: nanque sensus non potest sentire post vehementia sensibilia: nam nec à vehementi sono sonum, nec ex colore, aut odore forti videre, aut odorari potest. Sed mens quando vehemens intellexerit ens, ac diuinum, non minus inferiora intelligit, sed magis, nam sensitiuum sine corpore non est, mens autem separabilis. Hæc ille.

Sed nunquid omnium sensus animalium ab excellenti corrumpuntur sensibili? nam oculi aquilarum in Sole non conueniunt, & carniuoræ aues pleræque tum etiam aliæ Solem absque offensa intuentur, num illorum animi ob hoc erunt separabiles? Sed an sensus ipse corrumpitur, quem etiam negat senescere? an potius instrumentum? vel, cur ratio hæc illi erit absimilis? tactus ex toto corrumpitur à vehementi sensibili, oculus autem solum fit debilior, ergò oculi virtus ab instrumento separari potest? Si igitur hoc solùm concluditur, quòd minus sit immixtus: fatebor, inquam, & intellectum sensu minus immistum fore. An forsan hoc concludit solùm, quæ sensus & corpori sit immistus, & ex eo ortum habeat: intellectus autem & si à corpore exoriatur, operatione separari potest, quoniam ex iis, quæ iam separata sunt, procedit? nam imagines rerum imaginatione à sensibilibus abstractas, atque seiunctas contemplatur: at non idem de imaginatione & intellectu practico concludit. Itaque si ob hoc tantùm intellectus immortalis censeatur, quòd à vehementi obiecto perficitur, non alius immortalitatis modus tribuendus illi erit, quàm vniuersalibus formis, quæ solùm per intellectum consistunt, intellectus autem in habitu non solùm perfici non videtur, sed ad reliqua redditur occupatus, ac segnis. Ergo quod ad laborem, XV
aut senectutem pertinet, nihil dignum vera habemus immortalitate: quòd enim dicat Philosophus in primo de anima:

Ὁ δὲ νοῦς ἔοικεν ἐγγίνεσθαι οὐσία τις οὖσα καὶ οὐ φθείρεσθαι μάλιστα γὰρ ἐφθείρετ' ἂν ὑπὸ τῆς ἐν τῷ γήρᾳ ἀμαυρώσεως νυνὶ δ' ὥσπερ ἐπὶ τῶν αἰσθητηρίων συμβαίνει γὰρ εἰ λάβοι ὁ πρεσβύτης ὄμμα τιοντὶ, βλέποι ἂν ὥσπερ καὶ ὁ νέος ὥστε τὸ γῆρας, οὐ τῷ τὴν ψυχὴν πεπονθέναι τὶ ἀλλ' ἐν ᾧ καθαπέρ ἐν μέθαις καὶ νόσοις καὶ τὸ νοεῖν δὴ καὶ τὸ θεωρεῖν μαραίνεται, ἄλλου τινὸς ἔσω φθειρομένου αὐτὸ δὲ ἀπαθὴς ἐστί.

Hoc est: Intellectus autem videtur aduenire substantia quadam existens & non corrumpi: præcipuè enim corrumperetur in ea quæ fit in senectute obfuscatione: nunc autem quemadmodum in sensitiuo accidit, si enim accipiat senex oculum talem, videbit velut & iuuenis, vnde senectus non ex eo quòd anima quicquam passa sit, sed quia id, in quo est, quemadmodum in ebrietatibus, & in morbis, & ipsum intelligere quidem, ac contemplari marcescit, alio quodam interius corrupto, ipsum autem detrimenti expers.

His locis Aristoteles voluit argumentis respondere formosissimis, quorum vnum erat, vt dictum est, Epicureorum, Senescit intellectus, prout & reliqua omnia nostra. A maiori redarguit Philosophus hoc, nam quantum est hac ratione, ne sensus quidem ipse marcescit, nedum intellectus. Quamobrem si ob eam causam interire intellectus credatur, non solùm hic, sed etiam sensus interitus expers erit. Sed per hanc rationem animi immortalitatem non tamen nititur astruere: clarum est enim, non solùm quia hic locus non est, sed quia de omni anima sensitiua concluderet. Sufficit igitur Philosopho declarasse rationem, non ostendere. At quoniam facillimè quisquam propter hoc existimare poterat, etiam intellectum interire, velut & animam, inter sensum & intellectum differentiam postmodum adiecit: similiter quia hoc nouum erat, sensum ab intellectu differre, cùm ambo comprehendant,

dant,

dant, ambo quoquo modo à materia sint separati, vt omnes ante eum, etiam Plato, aut ambos dixerint esse corruptioni obnoxios, aut immortales: subiecit differentiam vt ex animæ sensitiuæ interitu intellectiuam mori non credamus necessarium: nam sensus adeò est corpori immersus vt à maxime sensibili lædatur: non sic intellectus, quia ex vno in reliquum transire non licet: quamquam hoc non sit argumentum immortalitatis animorum, neque enim ratio ipsa (ut diximus) ostendebat de agente intellectu, sed de patiente tantùm, qui non verè est immortalis, cùm sit actus ipse intelligendi. Sed nec argumentum pro Alexandri opinione probat: nam sensus vt duplex est, sic & intellectus, vt ipse Alexander fatetur: dum enim recipit, patiens est: dum sentit, agens: sic & intellectus. At verò dum agit, recipit: dum recipit, formas rerum contemplatur, actióque sua ab omni corporis vi absoluitur: at patientem præsupponit intellectum, hic autem corruptibilis est, vt etiam Simplicius ait, ea exponens verba Philosophi) οὐ μνημονεύομεν δὲ, ὅτι τοῦτο μὲν ἀπαθές) seu non reminiscitur autem: quod interpretatur rectè, non verè corrumpi, sed agenti iterum vniri: velut si in sensibilibus nauta moueatur à naui, desinat autem mouere etiam nauim, simul desinet & nauta esse, & motu nauis moueri, hoc autem nulla facta iactura in nauta: igitur ad patientem intellectum necessariæ sunt imagines, hæ verò à corpore prodeunt, sensui autem accedunt exterius: quare & si intellectus minimè patiatur, & sensus corruptioni obnoxius sit, longè tamen plus corpus in intelligendo, quàm in sentiendo debilitatur, quoniam mouens causa in corpore est dum intelligit, actiuéque vis corporea concurrit: sentiendi principium ab extra est, & sensus passiuè concurrens minus affligit: quòd verò actiuè operatur, sine motu omnino agit: ob id plus intelligendo, quàm sentiendo patimur. Forsan & illud dubitatione dignum est: An, quod sentire Galenus videtur, animus ex æthere sit? vtque æter purior sit ignis, qui Lunæ ad intra cœlo tangitur, & continetur, vt tertio Pronosticorum de æthere loquens, ac mundi ornatu, iuxta initium sentire videtur, sit ita: nunquid respondendum est ad Philosophos illos antiquos, qui aquam vel ignem ponebant animam. Deinde, quid habet æther vt sit splendidus, cùm sit tantùm lumini peruius? & si ignis est, quorsum ætherem appellauit? si non est, nunquid datur quintum elementum? deinde, cur tam leue existens hic manet? & quis illum huc aduocat? & si hic manet, cur non ignis potius, vt reliqua tota ignis materia, quàm æther est appellandus? Mitto omnia Aristotelis fundamenta primò de Anima scripta: Sed audentior fuit in his, quid mirum? cùm in eis etiã, quæ sensui subiacent, multa mentitus sit, cùm liceret ea videre, vel saltem silentio prætermittere: vir sanè ingeniosus, & eruditus, ac qui maximam vtilitatem Medicinæ adiecerit: sed tamen adeò gloriæ cupidus, vt multa conscripserit, quæ cum illi explorata non essent, refelli tamen non posse sperabat: & tamen hîc nouo commento gloriam spernere gloriatus est, vt nec hoc cumulo deesset: quandoquidem etiam sine titulo libros omnes edidisse sui nominis affirmat: & tamen librum, in quo & omnia, quæ conscripsit, nulla alia vtilitate seorsum commemorat, edidit, ac forsan etiam quædam est ementitus. Doleo occasionem datam mihi de principe Medicorum maledicendi, cùm in cæteris sim illius non parum studiosus: sed tamen ille nos impulit, qui suos fines transgressus, in quibusdam ridiculum se præbuit. Quis non rideat iactantem Geometriam, atque Arithmeticam? deinde pusillis quæstionibus adeò implicitum, vt fermè nec illarum elementa satis benè tenere videatur. Quis hæc in Aristotele, vel Auerroë, vel Auicena arguat? Quamuis Aristoteles maximus fuerit geometra, Auicena maximus Philosophus, Auerroës Medicus non vulgaris: omnes tamen ab aliarum disciplinarum professione abstinuerunt: & quanquam gloriæ essent studiosissimi, nihilominus iactantiam effugerunt. Galenum amamus, colimus, vitam illius adeò diligenter scribendo studiosè sumus prosequuti, vt nullum mortalem ei, illum fermè cunctis eruditis prætulerimus: & quamuis hac in parte ob veritatem, quæ nobis magis etiam quàm ille amica est, ab eo dissentiamus, nullus tamen ardentiore voluntate illum, quantum per vires licuit, extulit. Sed cùm adeò cupidum illum gloriæ, ambitionis inanísque auræ properantem aliqua perperam scribere videmus quæ multis ob authoritatem iacturæ esse possunt, necessarium duximus, omnes admonendos, vt tantum cuique credant, quantum ratio ipsa coëgerit: nec sufficiat illis dixisse, Aristoteles dixit, vel Plato, aut Archimedes, vel Ptolomæus, aut Galenus: sed vires argumentorum pensitent: quod & in nostris placitis, si aliqua vnquam futura est nobis autoritas, non solum libenter permittimus, sed requirimus. Quis non illius inconstantiam, aut nugacitatem admiretur? cùm toties de eadem re, nec vnquam aut clarè, aut plenè, aut saltem constanter scripserit. Quoties in eundem lapidem impegit? Nam & in libro de Tremore & rigore inquit, Ex Hippocratis placitis est, calidum innatum primum esse animalis, & generis principium: atque nihil aliud esse naturam ipsam aut animam, vt essentiam semper mouentem, sempérque mobilem existimans, non erres. Priuatim autem hæc omnia sunt examinata, & alibi disci possunt. At quantum nunc intersit propter sermonis seriem quæruntur. Qua enim mobilis semper est innatus calor, non intra tantum, extráue mouetur sed alius alium excipit motum semper: nam intra firmus, immobilis ocyus euadat, extrorsum dissiparetur. ac periret: modicè verò auctus ac succensus perpetuò mouetur. Succenditur autem ad ima lapsus, quo alatur appetens: at expansus & auctus affatim fermè extinguitur. Quòd autem extrorsum exeat, & vt sic dicam explicetur, à principio proprio, quia calidum erat obtinuit. Interiorem autem, & infirmum locum possidet, quia frigoris sit particeps. Quandoquidem

 dem

dem ex calido ac frigido mixtum existit. Hæc inquam Galeni anima est, qua ille maximè dignus extitit. Rursus verò in secundo de Locis affectis prope finem: Si quidem anima est forma in corpore existens, velut nos in domo aliqua, forsan nullam ei noxam inferri meritò illi posse putaremus: at si à corpore inseparabilis est, eam lædi non inficiabimur, ob corporis noxam suscipientis. Porrò quòd lædatur, ab ipsa experientia discere licet. Etenim vbi fracto capitis ossi, terebra adacta est, si quis vehementius comprimat, protinus sensum omnem amittit laborans. Sed audi iterum illum in tertio de Locis hæc scribentem, super verba illa Hippocratis sexto de Morbis vulgaribus (Si enim morbus in corpus repit, Epileptici fiunt: si in mentem, melancholici) Altera verò Hippocratici sermonis pars non exiguum contemplandi locum desiderat: quippe cùm anima sit temperamentum primarum qualitatum, aut ab ipsarum temperamento permutetur. In secundo verò de Symptomatum causis non procul à fine inquit: Ipsius namque animæ substantiam vel alio quouis opere definisse fortasse sit audacia: in eo verò quod nunc proponitur, non audacia solùm, sed etiam superuacuum. Videtur tamen quæcunque ea fuerit duorum alterum, vel primis ad omnem actionem instrumentis sanguine, calore, ac spiritu vti, vel in his ipsis esse. Licet autem ipsius motus contemplari, tam in aliis multis, sed præcipuè in ipsis perturbationibus. Hic porrò indiscussum relinquit profectò quòd sæpius iam determinauerat. Sed & in quinto de Simplicium medicamentorum facultate, vbi de pus mouentibus tractat, inquit: At Stoici nunc ipsum spiritum animæ substantiam existimant esse. Nos autem non admo-
111 dum quippiam de animæ substantia nunc pronuntiare audemus, & ad præsens supernacuum arbitramur. Quamquam nos ante iam spiritum innatum, etiam si non sit animæ substantia, saltem illius instrumentum primum, in commentariis de Hippocratis & Platonis placitis ostendimus. At inde Formatione fœtus, longè fermè secus, cùm in fine dixit, sentire visus est: Sed de his peculiariter in quodam libro à nobis scriptũ est, vbi ea quæ à Chrysippo in libris de Anima dicuntur consideramus: atque in altero, in quo ea referimus, in quibus Plato, dum de anima agit, sibi videtur contradicere. Cæterum vt iam dixi, cùm nullam inueniam opinionem, scientiam efficiente demonstratione confirmatam, fateor me de animæ substantia dubitare: nec habere probabile aliquid quod asseram: fateor & nihilominus de formatrice causa fœtuum ambigere. Iam ergo quoties demonstrauit quod demonstrare omnino iam se posse negat. Simile fermè est quod scribitur in libello de motibus manifestis, & si non pauci illum Galeni esse negent, cùm dixit: Inquirere autem de animæ substantia an sit corporea, neque cesset quando corpori aliquid accidit, quin animalis virtus afficiatur: aut sit potius coniunctum aliquid corpori adueniens, aut vis aliqua seminis, cui cùm corpus gignitur, qualitates eius conueniant: illis relinquo, qui se demonstrare posse hoc persuadent. Num forsan imitatur Hippocratem? ille enim, seu qualiscunque fuit author, in initio libri de Carnibus: prolapsam è cœlo refert. At in alio libro de Nutritione, qui vigesimus septimus habetur, igne & aqua immixtum corpus ingredi animam affirmat: consumpto autem humido, non secus, atque ignem fomentis exhaustis euanescere. O quàm rectè dixit Auerroës, locum consequentis Galenum decepisse: cùm enim omnis ratio homini propria sit, ac rursus intellectus: rationem ideo credidit eandem esse cum intellectu. Quid igitur mirum est hallucinari Galenum? qui cùm sibiipsi non constet, etiam in primis principiis, in ipsorum nominum interpretatione decipitur. Nónne dum præceps in huiusmodi rebus rapitur, egregium illum, ac admirandum Platonem, quem sequi profitetur, longè magis arguit, quàm æmulus ob gloriam illi Aristoteles? Quid, arguit? imò vituperat: illi imponens, quòd tres in homine animas locis distinctas esse senserit, atque triplex hoc erit animal, & abscisso etiam capite, quemadmodum anguillæ, viuet: non hoc ei Aristoteles, qui in minimis quibuscunque illum arguit, insectatur, multáque imponit, ausus est adscribere, cùm palàm foret, Platonem non animam, sed illius virtutes per membra segregasse, vt Rationalem in cerebro, Irascibilem in corde, at Voluptatis vim, atque impetum in iecore: illam verò quasi nucem tribus constare putat inuolucris, vt extimus cortex nutritionem & voluptatem habeat, interior autem sensum atque iræ vim, ipsa medulla rationem: qua in re non solùm ab eo Aristoteles non dissentit, vel illum nõ oppugnat, verùm si Themistio credimus, iisque quæ in primum de Anima Aristotelis scripsit, cum illo planè consentit. Quinetiam Trapezuntius, qui Platonis quæque minima vsque ad insaniam, qua tunc iam manifestè laborabat, cùm librum conderet, obseruabat: hoc illi quod maximum fuisset, non ausus est imponere, vir acutus, eruditus, Græcus, cuius nullum aliud erat propositum, quàm criminari Platonem, seu verè, seu falsò, sed tamen apparenti flagitio, vel errore: nam cùm (vt diximus) Plato non hominum tantùm, sed & belluarum animam statuisset immortalem, mutuóque vel ex hominibus in illas, vel inter ipsas vicissim commigrare statuisset: inter hæc animalia etiam orbata reposuit Trapezuntius, velut muscas, vermes, crabrones, cùm tamen alij Platonem de perfectis tantùm animalibus sensisse velint: vnde Proclus Platonis expositor; qui penè singula eius opera commentariis illustrauit, super his Timei verbis, Μὴ παυόμενός τε ἐν τούτοις ἔτι κακίας τρόπων ὧν κακύνοιτο κατὰ τὴν ὁμοιότητα τῆς τοῦ τρόπου γενέσεως, εἰς τίνα τοιαύτης ἀεὶ μεταβάλλοι θηρείον φύσιν: hæc habet.

Τὴν εἰς τὰ ἄλογα ζῶα κάθοδον τῶν ψυχῶν ὅπως λέγεται, ζητεῖν εἰώθασι, καὶ οἱ μὲν ἀνθρώπων ὁμοιώσεις πρὸς θηρία νομίζουσιν εἶναι, τοὺς λεγομένους θηριώδεις βίους· οὐ γὰρ εἶναι δυνατὸν θηρίου γενέσθαι ψυχὴν, οὐσίαν λογικήν. οἱ δὲ αὐτόθεν καὶ ταύτην εἰς

τὰ

τὰ ἄλογα συγχωροῦσιν εἰσκρίνεσθαι, καὶ γὰρ εἶναι πάσας ὁμοειδεῖς τὰς ψυχάς· ὥστε καὶ λύκους καὶ παρδάλεις καὶ πνεύμονας γίνεσθαι ταύτας, ὁ δὲ ἀληθὴς λόγος, εἰσκρίνεσθαι μὲν, εἰς θηρία φησὶ τὴν ἀνθρωπίνην ψυχήν, ἔχουσαν δὲ τὴν οἰκείαν ζωὴν καὶ ἐπὶ ταύτῃ τὴν εἰσκριθεῖσαν ψυχήν, οἷον ἐποχουμένην, καὶ τῇ πρὸς αὐτὴν συμπαθείᾳ δεδεμένην, καὶ τοῦτο δέδεικται μὲν ἡμῖν ἐν ταῖς εἰς Φαῖδρον συνουσίαις διὰ πολλῶν λόγων, καὶ ὅτι μόνος ὁ τρόπος οὗτος ἐστὶ τῆς εἰσκρίσεως.

Hæc in quinto libro, quasi dicat: Inrationis expertia animalia transmigratio animorum quomodo fieri dicatur, quæri consueuit: & quidam similitudines ad feras putant esse eas vitas, quæ ferinæ appellantur: non enim fieri potest, vt substantia rationalis anima fera fiat. Alij verò & illinc ipsam in rationis expertia ingredi volunt, vt quòd omnes animas eiusdem spei esse credant, atque ita eadem animæ modò lupi, modo pardi, vel alterius spirantis animalis fiunt. Verissima autem sententia est, quòd dicat, animam quidem humanam feras ingredi, sed nihilominus quæ propriam vitam habeant, & post ingressum non secus, ac si veheretur, ac ea de causa victa foret, quod cum illa eisdem affectibus reddatur obnoxia. Et hoc quidem à nobis in Phædri expositione longo sermone declaratum est, nec id tantum, sed quòd hic solus modus ingressus esse possit.

Igitur non hic mihi præcisè de hac re agendum erit, aut breuiter, sed clarè, ac copiosè: quandoquidem Platonis opinio celebris hac in causa semper fuerit, nec possimus in tam obscura dubitatione, vel sine Philosophis pertractare quicquam dilucidè: aut si Philosophorum placita enumerare velimus, diuini Platonis posthabere sententiam. Itaque Platonis mentem libet prius declarare, inde ex propriis illam confirmare libris. Nunquam ille de animi immortalitate dubitare visus est, sed quòd perennis existens, vni agglutinaretur à morte, vel ex bellua in belluam, aut hominem transiret, donec annus ille maximus finiretur, censuit: verùm resectam ex vno, ac denuo redituram in idem, quidam ex opinione eius fuisse putant. Vnde Auerroës in disputationibus Platoni adscribit vnitatem intellectus: & Plotinus ipse dum Puteolis esset, laboraretq; in extremis, Eustochio interroganti, quid ageret: respondit:

Ἐγὼ δὲ νῦν σὲ προσδοκῶ, καὶ δὴ τὸ ἐν ἐμοὶ θεῖον, πρὸς τὸ, ἐν τῷ καθόλου θεῖον ἀναγάγειν ἐπιχειρῶ.

Ego autem nunc te expecto, & quod in me diuinum est, ad id quod in vniuerso diuinum est, redigere adnitor.

Hæc ille. Sed aliàs plura, cùm sententiam illius tractabimus, nunc ad Platonis verba venio. Is decimo de Republica immortalitatem animorum, & post obitum iusti, ac iniusti non solùm memoriam, sed & retributionem, facinorúmque conscientiam, tum tartari, ac cœli sedes his verbis fermè declarauit: Equidem tibi non Alcyni apologum, sed præstantissimi viri Eri Armenij, genere Pamphylij, reserabo: qui cùm occubuisset in prælio, sublatis decimo die cadaueribus iam corruptis, integer, ac incorrupto corpore repertus fuit, domúmque vt sepeliretur relatus: duodecima iam ab obitu die, dum pyræ impositus esset, reuixit, & quæ interim viderat retulit: inquit igitur: Postquam anima fuisset à corpore separata, vnà cum pluribus quendam in locum dæmonum peruenisse, in quo terræ duos proximos vidit hiatus, duos etiam alios è directo in cœli regione suprà conspexit: inter hos autem hiatus iudices sedere, qui postquam animos iudicarunt, iustos quidem ad dextram per cœlum ascendere iubent, in aduersa eorum parte signa quæ iudicauerint suspendentes: iniustos contrà ad sinistram infrà, omnium quæ in vita peregerant signa post tergum ferentes. Cùm verò ad iudices ipse quoque accessisset, illos aiebat respondisse, redire eum nuntium ad homines eorum, quæ illic viderat oportere: iussisséque illum intueri, ac audire omnia, quæ in illis locis gererentur. Viderat igitur illic per vtranque cœli, terræque portam animas lata sententia abeuntes: per alias item duas, ex terra quidem ascendentes, animas puluere, macie, squaloréque confectas, è cœlo autem alias nitidas descendentes: viderique, inquit, animas vndique venientes, tanquam longa peregrinatione fatigatas, libenter in prato, quod ibi est, tanquam celebri in conuentu recumbere, ac se inuicem, quæ mutuò se cognouerint, salutare: eásque omnes, tam quæ è cœlo, quàm quæ è terra conuenissent, sese vltrò, citróque de his, quæ in his locis viderint, percunctari, sibique vicissim ad singula respondere: has quidem dolentes, ac flentes memoria malorum quæ in præterito sub terris itinere, & perpessæ sunt, & viderunt: esse autem iter illud mille annorum. Illas verò, quæ de cœlo descenderant, narrare delicias, pulchritudinisque ingentis spectacula: inde paulopòst, quoscunque aliis iniurias intulisse constaret, pœnas sigillatim pro quolibet decies reddidisse: id est, spatio annorum centum: quasi hæc vitæ humanæ meta foret, ut animæ decuplam iniuriæ darent pœnam. Itaque si qui cædis multorum causa fuerint, ciuitatésque & exercitus prodiderint, vel homines in seruitutem egerint, vel alicuius alterius flagitij, vel sceleris conscij fuerint, in his omnibus pro quolibet facinore pœnas decuplas pendere: atque iterum, si qui beneficia quædam contulerint, iustitiámque ac pietatem coluerint, eadem ratione præmia reportare. De iis verò, qui statim vt nati sunt decessere, aut breue tẽpus vixere, quædam parum memoria digna recensebat. Erga Deos autem & parentes pios vel impios, & homicidas, qui cæde manus proprias polluerunt, maioribus & præmiis, & pœnis affectos esse, narrabat. Inquit enim se interfuisse, cùm alium interrogaret quispiam, vbinam Ardieus magnus esset: hic autem in quadam Pamphiliæ ciuitate tyrannus fuerat, annis iam mille ab hoc tempore exactis, qui senem patrem, & maiorem natu fratrem occiderat: aliáque plura impia scelera perpetrauerat: interrogatúmque illum respondisse: non venit Ardieus, neque veniet. O dirum spectaculum! dum enim egres-

suri

ſuri hiatum poteremus, cætera omnia perpeſſi illum protinus vidimus, alióſque cum eo, omnes fermè tyrannos, inter quos & priuatos nonnullos, qui magna ſcelera perpetrauerant, quos aſcendere iam propemodum auſos, hiatus ille minimè permittebat: ſed horridè mugiebat, quoties aliquis eorum, qui vel inſanabiles eſſent, vel nondum purgati, egredi niterentur. Aderant igitur illic viri quidam feroces aſpectu, ignei, qui cùm mugitum ſubitò perpendiſſent, hos ſeorſum rapiebant, Ardieum ſcilicet, atque ſui perſimiles, manibúſque, ac pedibus, & ceruice deuinctis, proſternebant eos, excarnificabántque, & ſecus viam ad exteriorem partem raptatos, tribulis lacerabant, prætereuntibus indicantes, quam illi ob cauſam talia paterentur, quodve in tartarum proiiciendi agitarentur: vbi cùm multa alia eos terrerent, hic pauor vehementiſſimè vexabat, cùm in aſcenſu mugitus excitabatur, quo ſilente, quiſque libentiſſimè aſcendere videbatur. Hæc ille. Cæterùm quonam pacto reuiuiſcerent, atque in belluam tranſirent corpora, obliuiſcerentúrque præteritorum, poſt pauca his penè docuit verbis. Enimverò qui tunc rediit illinc nuntius oſtendebat, hoc pacto Prophetam in edicto adieciſſe, ſi quis poſtremus etiam accedit, eligat modò prudenter, conſtanter viuat, vita occurret expetenda non mala. Primus ne oſcitanter eligat, vltimus ne deſperet: cùm hæc dixiſſet, cum, cui primò ſors obuenerat, tyrannidem illico, inquit, properantem elegiſſe, ac propter inſcitiam, auiditatémque haud ſatis ſingula prius examinaſſe, & idcirco etiam illud ignorauiſſe, quòd in ea vita fato decretum erat, vt filios ſuos voraret, aliáque plurima mala ſuſtineret: poſtea verò, vbi per ocium electam vitam conſideraſſet, eiulaſſe, noxiam electionem deplorantem, quòd non cauiſſet, quæ Propheta prædixerat: neque ſeipſum, tanquam malorum cauſam damnantem, ſed fortunam, dæmones, reliquáque omnia potius, quàm ſeipſum. Deinde paulò poſt ſubiungit: Hoc quoque conſideratione dignum ſpectaculum eſſe dicebat, quomodo ſingulæ animæ ſingulas vitas eligebant. Miſerabile quippe iſtud, ridiculum, viſúque mirum, electionem ſecundùm vitæ prioris conſuetudinem ſiquidem vt plurimùm facientes. Animam, inquit, quæ olim Orphei fuerat, vidiſſe cygni vitam odio muliebris generis eligentem, nolentem videlicet ex mulieribus, a quibus occiſus fuerat, naſci: Thamiris verò Philomenæ: cygnum etiam conſpexiſſe ad humanæ vitæ electionem conuerſum, aliáque muſica animalia, vt conſentaneum eſt, ſimiliter: quandam etiam, cùm oblatæ ſortes eſſent, Leonis elegiſſe vitam, & hanc fuiſſe olim Telamonj Aiacis deteſtantem homines, quoties iudicij illius in mentem veniſſet, quo pro armis cum Vlyſſe contenderat. Poſt hunc Agamemnonis animam propter ærumnas odio humani generis vitam aquilæ elegiſſe: Atalantes autem animam, cui media quædam ſors contigerat, inuitam dixit, quàm maximis honoribus Atlheta afficiatur, athleticam vitam quin eligeret minimè ſe continere potuiſſe. Animam deinde Epei Panopenſis ad artificioſæ protinus mulieris naturam migraſſe. Longè verò inter nouiſſimas animam ridiculoſi Therſitis ſimiam induiſſe: caſu verò Vlyſſis animæ ſortem vltimam contigiſſe, quocirca & ad eligendum vltimam adueniſſe dicebat. Præteritorum autem Iacobum memoria ab ambitione ceſſantem, diuque priuſquam eligeret circumuentem, quæſiſſe priuati hominis, miniméque curioſi vitam, eámque vix tandem alicubi iacentem, & ab aliis neglectam reperiſſe, dixiſſéque, non aliam ſe vitam electuram fuiſſe, etiam ſi ſortem primam nacta eſſet, quare vitam illam libenter fuiſſe complexam. Ex feris item aliis in homines tranſire animas aſſerebat, & inuicem commutari: iniuſtas quidem in feras agreſtes, iuſtas autem manſuetorum animalium vitam capeſſere: atque omnes hunc in modum confici mixtiones. Cùm vitas omnes animæ gradatim, vt ſors dederat, elegiſſent, longo ordine ad Lacheſim eas acceſſiſſe narrabat. Lacheſim verò cuique dæmonem quem cœperat quæque ipſius vitæ cuſtodem præſcripſiſſe: electorúmque operum executorem: hunc in primis ad Cloto animam ducere, & ſub illius manu, reuolutionéque, ac vertigine fuſi approbare quam ſortitus fortunam elegerat. Hanc vbi tetigit, mox ad Atroponnentem, quæ immutabilia ſtamina reddat. Illinc poſtea properè Neceſſitatis thronum adire, per quem cum tranſierint, omnes ſub vehementi æſtu in Letheum campum proficiſci, arboribus, & omnibus, quæcunque terra naſcuntur, deſtitutum. Recumbere igitur ipſas aduentante nocte iuxta Amelitam flumen dicebat, cuius aquam vas nullum contineat, atque ipſius aquæ bibere aliquantum cuique neceſſarium. Eos autem qui Prudentiam ducem non habent, vltra quàm deceat bibere, ſemper verò bibentem omnium obliuiſci: vbi verò ad mediam noctem dormiuerint, ſubito motu, & terræ motu excitos, repente alium aliò ſurſum ad generationem conſurgere, ſtellarum inſtar proſilientes. Ergo tam longa fabula exemplum opinionis ſuæ nobis explicuit. Sed iam non alia ſeriò tractat: nam & in Timeo dixit, Tria adhuc mortalium genera nobis generanda reſtant, abſque horum generatione cœlum imperfectum erit, omnia enim animantium genera ambitu ſuo non continebit: contineat autem oportet, ſi eſt mundus omnino perfectus futurus. Hæc verò ſi à me ſolo fiant, vitáque donentur, Diis adæquabuntur. Quapropter accedite vos ad animalium generationem ſecundùm naturam, vt vim imitemini meam, qua in ortu veſtro ſum vſus, atque eius quidem animalis quod in ipſis tale futurum eſt, vt cum immortalibus appellatione conueniat, diuinúmque vocetur, ac teneat principatum, & iuſtitiam, ſimul ac vos vltrò colat: ego vobis ſemen, & initium tradam, cætera vos exequimini, vt immortali naturæ mortalem attexentes faciatis, generetiſque animalia, ſubminiſtrantéſque alimenta augeatis, & conſumpta rurſum recipiatis. Hæc fans in eodem rurſus cratere, in quo

mundi

mundi animam temperauerat, ſuperioris mixtionis reliquias perfudit, eodem modo miſcens: non tamen ſimiliter, ſed ſecundo modo, & tertio gradu à primis deficientes. Ergo hic non tam clarè ea docuit, quinimo quemadmodum videbitur animorum quidem immortalitatem non ſolùm hominum, ſed & belluarum hac lege, quæ fermè Ariſtotelis ſententiæ fauet, docere viſus eſt: vt tamen cùm omnes ab anima mundi decidantur, quæ proculdubio æterna eſt, gradus tamen diuerſos aſſequi poſſint. Sed de hoc clarius, dum Ariſtotelis ſententiam proſequemur. Forſan illud Plato voluit, ſi ſibi conſentiens eſt, vt anima quidem dum in belluis eſt, immortalis ſit, atque in homines tranſire poſt obitum poſſit, ſed alium temperamenti modum accipiat: quod in Phædone etiam his quaſi verbis explicare videtur: Ponderoſum, ô amice, id putandum eſt, & graue, terrenúmque, ac viſibile, quod anima ſecum trahit, ideóque ab eo grauatur, & ad viſibilem trahitur locum, metu inuiſibilis, atque occulti, & quemadmodum fertur circa monumenta, ſepulchráque verſatur, circáque nonnulla apparuerunt animarum iam vmbroſa phantaſmata, qualia præferunt ſimulachra tales animæ, quæ videlicet non purè à corpore deceſſerunt, ſed viſibile trahentes aliquando, ſic vt videri poſſint. Ceb. Conſentaneum eſt, ô Socrates. Soc. Conſentaneum eſt, ô Cebes tamen, ne hæ animæ ſint bonorum, ſed malorum, quæ circa hæc oberrare coguntur, pœnas improbæ actæ vitæ dantes: itaque tandiu circunuagantur, donec cupiditate naturæ corporeæ comitante, rurſus induant corpus: induunt autem, vt decens eſt, tales mores, quales in vita exercuerunt. Ceb. Quales dicis mores, ô Socrates? Soc. Eiuſmodi: eos quidem, qui ventri dediti, per inertiam atque laſciuiam vitam egerunt, nec penſi quicquam aut pudoris habuere, decens eſt in aſinos, ac ſimilia, ingredi. An non putas? Ceb. Conſentanea loqueris. Soc. Qui verò iniurias, tyrannides, rapinas ſecuti ſunt, in luporum, accipitrum, ac miluorum genera pertranſire par eſt. Num aliò has migrare dicendum eſt? Ita potiſſimùm, Cebes inquit. Similiter & in cæteris: abeunt enim in genera illa quibus in vita mores ſimiles contraxerunt. Ceb. Manifeſtum id quidem. Soc. Nonne horum feliciſſimi ſunt & in optimum proficiſcuntur locum, quicunque popularem, ciuilémque virtutem, quam Temperantiam vocant, ac Iuſtitiam exercere, abſque Philoſophia quidem, atque mente, ſed ex conſuetudine, exercitationéque acquiſitam? Ceb. Quonam pacto hi feliciſſimi ſunt? Soc, Quoniam decens eſt, hos in tale quoddam genus iterum ciuile, mitéque demigrare, quale apum, veſparum, ac formicarum, atque deinde in idem rurſus genus humanum, atque modeſtos ex his fieri homines. Ceb. Ita decet. Soc. In Deorum verò genus nulli fas eſt peruenire, præter eos, qui diſcendi cupiditate flagrantes, & philoſophati ſunt, & puri penitus deceſſerunt. Horum quidem gratia, ô amici Cebes, atque Simmia, qui rectè philoſophantur, ab omnibus corporis cupiditatibus abſtinent, atque ita perſeuerant, nec ſe vnquam illis tradunt, neque familiæ iacturam, paupertatémque formidant, quemadmodum multi pecuniarum cupidi: neque rurſus contemptum, atque ignominiam, quemadmodum qui magiſtratus, & honores ambiunt. Hæc ille diffuſè ſatis, ſed tamen clarè, vt non iam de Platonis opinione dubitare fas ſit: ille enim immortales animos ſtatuit, communéſque cum belluis, atque ab vna mundi totius anima ſegregatos, forſitan etiam aliquando, cùm mundus totus ad perfectam reuolutionem redierit, in eandem reuerſuras, vt ſic etiam cum Stoïcis conſentiret. Quicquid de hoc ſit, à morte illas meminiſſe putat, numeróque ſeiunctas, vnamquanque malorum, ac bonorum retributionem ſentire. Ille etiam idem in Alcibiade ſic Socratem cum illo loquentem inducit. Soc. Num reperire poſſumus aliquid in anima diuinius illo, circa quod intelligentia, ſapientiáque verſatur? Alc. Nequaquam. Soc. Id igitur animæ diuini ſimile eſt, in quo ſanè quis intuens, & omne diuinum, Deum ſcilicet, & ſapientiam cernens, ita & ſeipſum agnoſcet. Alibi autem de reditu hæc habet:

Ε῎ις τὸ ὅμοιον αὐτῇ τὸ θεῖον ἀπέρχεται τὸ θεῖον τε καὶ ἀθάνατον καὶ φρόνιμον.

Id eſt: In ſui ſimile, quod diuinum eſt, abit, immortale, ac ſapiens exiſtens: dum ſcilicet recedit animus.

Plutarchum igitur ne auſcultemus in libro de Placitis Philoſophorum, quem pauci immutatis, etiam Galeno tribuunt, adeò corruptis mortalium iudiciis, dicentem Platonem ſenſiſſe, animam qua parte rationis particeps eſt, haud interituram: namque & ſi Deus non ſit, æterni tamen Dei illam opus eſſe: rationis autem expertem morti obnoxiam, ipſam tamen ſemper mouentem eſſe. Apud illum credi debere putat, rationalem etiam immobilem, motu qui ex loco ad locum eſt: ſubſtantiam autem intellectilem ſponte moueri, ac ad numerum harmonicum modulatam in toto cerebro ſedem habere. Quid eſt, quòd expertem rationis morti obnoxium putet? cùm omne genus animæ apud illum ſit immortale? quoniam omne id perpetuò mouetur, & principium quoddam eſt, viciſſimque modò in vnum animal, modò aliud, ſeu rationis capax, ſeu non, tranſmigret. Tria etiam genera immortalium animorum cùm conſtituerit, omnia tamen & ſi in aliis diſſideant, in immortalitatis natura conuenientia. Sed quanquam diuerſa genera animorum ſint, belluas tam animam putat habere rationalem, ſubſtantiámq; cum hominibus eandem, verùm velo quodam obſitam, opere, ac moribus tantùm, non vi, aut dignitate ab humana differre. At iqſe Plutarchus potius in hoc ſuam, quàm Platonis ſententiam expreſſit, dicens:

Φὸς τῇ ὀυσίαν νομίζουσιν, *& alibi.* Ο῍ νοῦς γὰρ ἡμῶν ὁ θεός.

Mens quidem noſtra Deus, & ſubſtantia animæ lux.

Ac

Ac talia quidem de illa prædicat. Diogenes autem Laërtius, qui Philoſophorum vitam ſcripſit, hæc de Platone habet, Immortalem eſſe animam, & de corporibus ad corpora perpetuis vicibus migrare, eiúſque initium numeris conſtare, quemadmodum corporis principium Geometrica ratione. Diffiniebat autem eam eſſe idem penitus differentis ſpiritus, ſe ipſam mouentem, & motum corpori præſtantem: & eſſe tripartitam, rationalem ipſius partem in capite conſtitutam, iraſcibilem in corde, concupiſcibilem in iecore, ac vmbilico contineri: corpus verò ipſum per gyrum circumambiens, velut ex medio diſtinctis per harmoniæ interualla duobus orbibus, atque inuicem coniunctis, mundi animam elementis ipſis conſtantem continere. Hæc etſi perperam de mundi, ac mortalium anima ab ipſo Diogene ſcripta ſint ex Platonis ſententia, cùm nec mundi animam elementis conſtare affirmet, nec humanam ſedibus diuidat, ſed humanæ tantum facultates: in reliquis tamen ab his, quæ nuper diximus, non diſſentit. Pſellus verò & ipſe Platonicus Philoſophus, hæc habet:

Ἐπειδὴ οὐκ ἀπὸ σπερμάτων ἡ ψυχὴ τὴν ὑπόστασιν ἔλαβεν, οὐδ᾽ ἐν σωματικαῖς ὑφέστηκε κράσεσι, ἀλλὰ ἄνωθεν ἀπὸ θεοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχει πρὸς ἐκεῖνον καὶ ἐπιστρέφθω.

Poſteaquàm, dicit, non ex ſeminibus ſubſtantiam anima ipſa accepit, neque corporeis ſubſiſtit temperamentis, ſed à Deo ſupernè habuit eſſe, ad illum etiam conuertatur.

Hic igitur animum diuinum, ac diuinæ originis eſſe dûxit: in qua ſententia hæc etiam à Plethone Gemiſtone, Platonico viro, ſcripta ſunt:

Οἷς καὶ συγγενῆ πως τὰ ἔργα ἀποδιδῶσι τῶν αὐτῶν, ὧν περ καὶ ἐκεῖναι ἐφαπτομένη καὶ αὐτὴ τῆς τῶν ὄντων δὴ γνώσεως, καὶ θεωρίας, ἄχρι καὶ αὐτοῦ τοῦ ἀνωτάτου θεοῦ, καὶ διὰ τοῦτο, ἀνώλεθρον.

Id eſt: *Quibus ſimiles operationes efficit attingens ad eadem atque ipſe, nempe rerum notiones, & contemplationes vſque ad ipſum ſupremum Deum, eoque incorruptibilis.*

Omnes igitur Platonicos huius opinionis fuiſſe perſpicuum eſt, vt animus diuinus ſit, atque immortalis: quanquam non omnium verba recitare liceat, aut etiam in reliquis, quæ ad immortalitatem animi pertinent, quod etiam ab initio præfati ſumus, concordare videantur. Quamobrem Epicteti clariſſimi Philoſophi, ac Plotini opinionem declaraſſe nunc ſufficiat: nam reliquos, ob inutilem longitudinem, præterire decet: neque enim aliquid ad rem ipſam addunt, & lectorem iamdiu longa Platonis narratione defeſſum, tædio afficient. Igitur Epictetus ſic inquit:

Ἀλλ᾽ αἱ ψυχαὶ μὲν οὕτως εἰσὶν ἐνδεδεμέναι, καὶ συναφεῖς τῷ θεῷ, ἅτε αὐτοῦ μόρια οὖσαι, καὶ ἀποσπάσματα, οὐ παντὸς δὲ αὐτοῦ κινήματος, ἅτε οἰκείου καὶ συμφυοῦς ὁ θεὸς αἰσθάνεται.

At animorum dicit, qui eo vſque connexi ſunt, ac copulati Deo, ceu ſint particulæ eius, & abſciſſiones, nonne motum ceu proprium, & coniunctum Deus ipſe ſentiet?

Vnum igitur amplius hac ex ſententia ſuperlucrati ſumus, quàm quod per aliorum dicta patuiſſet: ſiquidem, animum noſtrum à Deo profluere, ac quaſi illius partem eſſe. Plotinus verò etiam argumentatione vtitur, verba eius ſubiungere libet, cùm de animo loqueretur: Credétque ſe immortalem, cùm ſeipſum viderit in natura intellectuali, ac pura. Videbit enim mentem aſpicere, noſſéque nihil ſenſibile, neque rem mortalem vllam, ſed cum re ſempiterna ſempiternam rem intelligentem, omniáque in natura intellectuali, ipſúmque mundum intellectualem ac lumi- XVI
noſum eſſe: verùm hæc tamen à diſceſſu. Aliam ſubiungit ante diſceſſum, dicens, dum de animo loquitur: Quomodo non naturæ illius erit, qualem eſſe rei diuinæ, ac ſempi- XVII
ternæ omnis, dicimus? nam ſapientia, & vera virtus, quæ diuina ſunt, haudquaquàm rei vili, atque mortali inſunt, ſed neceſſe eſt diuinum eſſe eiuſmodi, vt cui ſoli ſit cum diuinis ſocietas, propter affinitatem generis, atque ſubſtantiæ. In eandem fermè vim redit Ciceronis argumentum, dicentis in oratione XVIII
pro C. Rabirio: Itaque cùm multis aliis de cauſis, virorum bonorum mentes mihi diuinæ, atque æternę videntur eſſe: tum maximè, quòd optimi cuiuſque atque ſapientiſſimi animus, ita præſentit in poſterum, vt nihil, niſi ſempiternum ſpectare videatur. Sed hic tamen nihil, tamen etſi piè omnia, præter autoritatem concludit intentam ab illis propoſitionem, namque quod ad pietatem attinet, adeò religioſè ſcripſiſſe Phocylidem, atque Epicharmum antiquiſſimos poëtas refert Clemens Alexandrinus, vt etiam hæc illos quamquam præſtitiſſet numeroſa oratione, ſi modò illi hæc ſcripſerant, vſum fuiſſe, memoriæ monumentis mandauerit:

Εὐσεβὴς νῷ πεφυκὼς οὐ πάθοις οὐδὲν κακὸν κατθανών, ἄνω τὸ πνεῦμα διαμενεῖ κατ᾽ οὐρανόν, ψυχαὶ δὲ ἀσεβῶν ὑπουράνιον ἐπὶ γαῖα πετῶνται ἄλεσι φονίοισι, ὑπὸ ζεύγλαις ἀφύκτοις κακῶν· εὐσεβῶν δ᾽ ἐπουράνιοι νεῦσι καλποῖς μακάρων, μέγαν ἀείδουσιν ἐν ὕμνοις.

Quæ ille etiam ſic vertit: Si pietatem animo coluiſti, defunctus mali nihil patieris. Surſum in cœlo permanet ſpiritus. At impiorum animæ ſub cœlo vagæ, doloribus ſæuis, cruciatibúſque æternis exagitantur. Animi piorum cœleſtes, ſinui beatorum recepti, iubilant hymnis.

Cæterùm vt ad rationes redeam, nihil ad rombum: nam prima ab obitu initium ſumit, atque ideo ex ignotis proficiſcitur: lux autem non omnis perpetua, ſed Solis quidē, ac ſtellarum: lucet enim & ipſæ lumine quodam proprio, & ſi forſan ex Sole illuſtriores reddantur, velut in Lunæ deliquiis videre licet: at ignis lux, quanquam ſplendidiſſima, extinguitur. Quare non ex luce, ſed ex re, quæ lucem habet, argumentum immortalitatis ſumendum erit. Quòd verò in animo ſit ſapientia, eadem etiam in homine eſt: homo igitur immortalis. Sed quænam ſapientia? quæ virtus? an vmbra potius horum, etiamſi in anima illas eſſe conſtanter affirmes? videtur enim non ſecus, ac de luce iam

iam dictum est, puram quidem in æternis substantiis esse, seu lucem, seu virtutem, & sapientiam spectes: impuram autem mortalibus commmnnicatam. Quo fit, vt verear, ne hoc argumentum potius obsit immortalitati probandæ, quàm conducat. Quid autem Cicero in hac causa habet auctoritatis, qui inferos, & diuinationem deridet? Sed habet ratio sua auctoritatem. Quam? Quòd animus præsentiat? Nimirum si hanc ob causam Prætermitto nunc temporum mutationes, quas fermè nullum animal aliud non melius homine ipso præsentit: Palma immortalitis animi equis debetur: nam hi, vt qui historias bellorum, aut equorum scripserunt, victoriam, aut cladem præuidere creduntur: atque inter auspicia etiam cædis C. Cæsaris numeratum est ab historicis, equos illius sacros fleuisse, cùm nihil horum homo præuidere queat. Sed hic tamen præsentit animi immortalitatem. Quonam argumento id licet coniectari, cùm adeò stupidus in manifestis rebus deprehendatur, vt multis etiam belluis sit inferior?

XIX Ergóne nulla ratione Platonis opinio nobis ostendi potest? Certè sic, atque adeò valida, vt omnem conatum Philosophorum ad se trahat: ea autem est: Quoniam non obscurum est, omne, quod nullo corporis vitio, non morbo, aut senectute languescit, ac debilitatur, à vi corporea, atque ideo ab omni corruptione fore immune: namque omnem generationem, corruptionémque mutatio quædam præcedit, nec esse potest, vt quicquam statim corrumpatur: accedit, quòd tale cœleste esse oportet, quod nulla prorsus corporis iniuria afficiatur: tum verò quòd in omnibus experimur, facultates, virtutes, partésque, ac corporum accidentia illis vitiatis, quamquam per se ipsa non corrumpantur, per accidens tamen, vt dici iam solet, deficere. Quare quod nullo modo vitiatur corporis interitu, atque langore, id nullo modo pars est corporis, aut facultas, aut ab ipso pendet. Anima autem nulla prorsus corporis contagione afficitur, non senio, non langore, quanquam extremis: quare prorsus anima ipsa immortalis erit. Vt autem intelligamus, animam neque senescere, nec vllo morbo aut temporis vlla diuturnitate vitiari, illud primò non ignorare nos decet, quod non solùm ab Aristotele cuius etiam hæc tota ratio est, sed à populo etiam dicitur, & quilibet in seipso quotidie experitur, siquidem, hominem esse qui audiat, qui videat, qui sentiat, nec magis tactu certi sumus, quàm visu, vel auditu, imò minus, etsi tactus instrumentum per totum corpus diffusum sit, auditus verò, ac visus in vna tantùm parte, atque ea perexigua, constet. Huius ratio manifesta est, quòd oculus, auris, & nerui non sentiunt, sed simul homo ipse per aurem, oculum, atque neruum, tanquàm organa, seu instrumenta: non verius dicimus, tonsor tondet, quàm nouacula tondet? at verissimè, vt nihil iam possit euidentius explicari, vel significantius dici, Tonsor nouacula tondet, & fullo aqua abluit, & homo oculo videt, aure audit, neruo sentit, vt iam non in recto, sed obliquo casu instrumentum ipsum ponatur. Cæterùm siquis roget, quanam principalius parte, an animo, an corpore sentiat? Quis dubitabit respondere, quòd animo? cùm non solùm mortua, & inanimata, & plantæ etiam, verùm & ipsa animalia dum dormiunt sensu careant: quòd anima somno sit obuoluta, ac planè impedita. Igitur homo anima ipsa, tanquam principe, per aures audit, vidétque per oculum. Hæc igitur cùm ita sint, senes primò animaduertamus, qui curam aliquam partis cuiuspiam habuerunt, in ipsa extrema ætate optimè vti: velut cùm pater meus Fatius Cardanus ab ineunte ætate summam curam oculis, ob illorum imbecillitatem adhibuisset, octogenarius minutissimas literas non secus, ac puer legere solebat. Ergò cum reliquæ omnes facultates ad summam, confecta iam ætate, imbecillitatem redactæ essent, sola videndi virtus manserat illæsa: videbat igitur vt iuuenis, cætera agebat, vt hi solent, qui in decrepita ætate sunt constituti, quoniam reliquarum functionum instrumenta vitiata erant, nec spiritus præsto illis erat, ob caloris innati paucitatem. Concessum verò est, visionem homini secundum animam competere: anima igitur tunc, cùm in vltimo senio esset, æquè perfecta erat, vt in iuuentute: sed solo videndi munere exactè, atque incorruptè fungebatur, quoniam id solum organum illæsum manserat, atque ob consuetudinem magna solùm ad id spirituum copia deferebatur. Quamobrem & membra, quibus magis vtimur, modò moderatè illis, ac citra noxam vtamur, tardius senescunt. Atque ideo in eruditis memoria tardissimè, ac mentis robur, vires verò corporis celerrimè: at in stupidis contrà accidit. Quare si cui vitam diutius seruare in animo est, omnia corporis membra, omnésque partes æqualiter exerceat: si vnum tantùm membrum, illud curet, assiduáque exercitatione foueat: sic salaces quidam etiam circa noxam in senectute venere vtuntur, quanquam ei ætati nihil possit esse infensius. Et nos, cùm iam quadragesimum tertium agentes annum, aliquo modo vires corporis debilitari sentiamus, memoriam tamen augeri percipimus: id fieri minime posset, si anima ipsa cum corpore ipso vires amitteret. Sed nec dicendum erit, in patre meo omnia membra exteriora consenuisse, præter oculos, animam autem cum corde adhuc fuisse in ætate constituta: nec illud negandum experimentum ob id, quòd non ad vnguem æquè benè tunc videret, vt puer iam facere solebat: nam ariditas totius corporis, quæ siccitatem cordis consequitur, iam aduenerat, etsi paruo interuallo à videndi viribus, quas in iuuenta habuerat deficeret, nihil nos impedit: quandoquidem constet, cor celerius consenuisse, atque plus quàm oculos. Quamobrem si anima, quæ in illo sita erat, cordis est vel temperamentum, vel pars, vel vis, aut facultas: necesse prorsus fuit, vt fermè æqualiter in omnium membrorum operationibus læsus esset: quod cùm non ita foret, nec contingat, manifestum est, animam

animam quid diuinum esse, ab omni corporea vi, quo ad substantiam immune, atque ideo perpetuum, atque incorruptibile. Similiter & in morbis, cùm plures iam ad mortem proximè accesserint, laborátque iam cor extrema lassitudine, nec vlla ibi temperies est, audiunt tamen, & vident, ac intelligunt. Quare si anima cordis est temperamentum, vel ex eius temperamento procedit, esse non potest, vt eo iam corrumpi incipiente, quicquam sanum existat? quinimo eos, qui ob vitium cordis laborabunt, sentiendi omnes functiones magis deserent, quàm qui cerebri? At contrà res se habet: quoniam cerebrum, cùm sit harum functionum instrumentum, sui vitio eas corrumpit. Quare necessarium fuit, vel animæ sensibilis sedem in cerebro, tanquam vnius tantùm constituere, quod nemo adhuc ausus est: vel, vt Galenus facit, imponitque Platoni, tripartita anima, illam quæ sensu, & ratione pollet, in cerebro collocare.

Ergò ad hoc aliter, atque aliter alij respondebunt. Galenus enim animam, cùm corpus cerebro toto sparsum credat, diuersis partibus diuerso modo affici non negabit, igitur iam senescente anima, quæ in corde est, ob caloris, ac siccitatis magnitudinem ea quæ in cerebro manet, nondum senescit: atque id ad finem optimum constitutum videtur, scilicet, ne animal mancum, atque mutilum maneat, sed prius vita priuetur, quàm reddatur inutile. Verùm cùm iam ostenderimus, tres esse animas in homine non magis posse, quàm ipsum tria animalia: nec animam corpus vnquam credere sani fuisse hominis: erat hæc responsio, etiam si nihil aliud obstaret, relinquenda. Sed cùm nec his admissis satisfaciat, non obscurum est, nihil ad rem illam pertinere. Namque si anima ipsa cerebri non senescit, aut tota quidem videt, aut per partem, sic vt singulis sensibus sua portio adscribatur: si secundum, alius audiet alius videbit, alius tanget. Hæc siquis mihi sponte fateatur, iam & ego, ne cum homine tam absurdo contendam, animorum potius obitum libenter concesserim. Sin autem dicat, totam illam animam videre, atque vt in neruo absque spiritu, illicò per totum diffundi dolorem, aut voluptatem: quæro ego, postquam anima ipsa, ac cumulla cerebrum benè se habet, nec consenuit, cur reliquæ omnes vires interiores illæsæ non manent? quare eum, qui iam vel senio, vel morbo confectus delirat, visu, & auditu carere necesse est: atque eo modo non iam tres homines, vt Platoni imponit, sed vel plusquàm decem, si secundæ innitatur responsioni, imò penè innumeros in vno collocabij. Hac igitur prætermissa responsione, alia excutienda erit.

Sentire quidem, vt iam ex Alexandro dictum est, patiendo primum, inde in actione quadam constat, actio in anima, quæ sentit: pati autem organo conuenit, eo rectè disposito sentiendi facultas benè habet: sed non tamen quod actione perficitur, illæsum est: ergo & subtiliter, & procul videre, vel audire, senibus est concessum: at benè videre, aut audire nequaquam: verùm sentiendi actus ipse obtusus est, ac inualidus. Subtilis planè hæc est responsio, verùm difficultatem non euadit, namque tam agere, quàm pati in anima fit: sed tamen ad hoc dicetur, pati quidem posse etiam oblæsa anima, actiones perficere minime. Verùm si quis rectè animaduertat, senum diffidentia potius in causa esse videtur imperfectarum actionum, quàm animi læsio: nam cùm aliqui delirarent, audaciores facti sunt: indicio igitur est, conscientiam imbecillitatis potius in causa esse, vt actionum videantur imperfectarum, quàm debilitationem Quin etiam in morientibus ob cordis intemperiem rectrices facultates meliores, nedum sanis æquales esse videntur, quod etiam pro A Cluentio Cicero orans cõfirmare videtur his verbis, Longius prospexisse morientem. Atque id clarius in libris de diuinatione, dum etiam Possidonij exemplum enarraret: quanquam id non eò nunc tendat, vt sensus sint vegetiores, sed ad animi potius explicandam diuinitatem, vt ex hoc aliud argumentum immortalitatis animorum sumere liceat, Sed tamen nihil ad rhombum diuinatio hæc, aut subtilitas ingenij, ac inposterum acuta præsensio, cùm diuinationem perficiat rationis interitus: nam belluas, & stultos, ac pueros melius diuinare, cùm etiam ex his aliqua non dubiè cernimus, prospicere autem in futurum melius morientibus concessum, quoniam intentius animum figunt ob maximam solicitudinem: & quoniam tunc ad pauca respiciunt, de iis, quæ solùm maxima esse ducunt, cogitantes. Alij magis ad Philosophi mentem, neminem cordis senio interire fatentur, sed iam calore euanescente, morbi ex cruditatibus consurgunt interimentes: ob hoc in senio, nemo ex senio, sed ex morbo mori videtur: fiúntque in his lethales hi morbi, qui in iuuenta leues extiterant. Ob id cùm senectutem quis ingreditur, cruditatibus coaceruatis, caloréque inclinante, facilè cuiuis morbo exponitur, prout natura in illum paratus est, facileque ab eo extinguitur: tum maximè id euadunt diutius discrimen qui corporis exercitio plurimo, mentis minimo vtuntur, paucisque vtuntur cibis. Ob hæc igitur studiosi ad longam nunquàm euadunt senectam, nisi victu vtantur exquisito: quicunque autem morbos omnes effugerint, siccitate tamen pulmonis, vt Aristoteles censet in libro de Respiratione ac inspiratione, non ob senium cordis moriuntur. Quare non animam senescere dicendum est in his, in quibus nondum cor consenuit. Sed cur senes tamẽ iuuenibus minus ægrotant, vt Hippocrates inquit: decebat enim filios facilius morbis corripi, ob caloris, imbecillitatem. Galenus intelligit hoc in iis, qui moderato victu vtuntur: non ergò senectutis hoc est beneficium, sed moderationis. Aliud autem sensit Hippocrates, etiam præter victus & laborum moderationem in senibus: namque calor minor, & humidum minus est, ad febres itaque, & putridos morbos, naturali temperamento resistente, minus sunt parati:

parati: namque experimentum nos hoc docet, iuuenes epidemiæ tempore facilius corripi senioribus, & plerunque propter solam aëris æstiui qualitatem febres incurrere, quòd iuuenes & si fortiorem habeant calorem, rariorem tamen habeant cutim senioribus: nec inferior calor omnibus causis cùm ab intemperie ortum habuerint, debili fortius resistit. Adde, quòd senis membra duriora sunt, & solidiora. Ergò si his omnibus exquisitiorem victus rationem, & moderatiores addideris labores, sermo Hippocratis clarus, ac completus euadet. Sed vt ad rem redeam, responsio hæc non satisfacit, cùm anima si senescat cordis senio, quamquam non ad vltimum cor senescat, inualidum tamen efficitur, ac longè debilius multis sensibus: quin etiam Alexander, qui animum etiam humanum interire putat, fatetur tamen in suo libro de Intellectu, senes iuuenibus melius intelligere, & ad eruditionem aptiores esse. Cùm igitur palàm sit, animam si cum corde afficitur, in senio decrescere viribus, at sensus, & intellectum augeri, non erit anima sensus, & intellectus fundamentum. Sed interim in mentem venit, vt quod Angelo Cardano affini meo accidit, enarrem: is annos agebat sexaginta, amisitque totam penè videndi facultatem, atque sic, absque tamen morbo, vt videbatur, vsque ad septuagesimum annum vixit: postmodum cùm ad eam vsque diem cum vxore sterili vixisset, atque ideo Andream in familiam adoptasset, mortua ea vxore, aliam superduxit, suscepitque tres filios, quorum vltimus, iam illo agente septuagesimum septimum annum natus est, quanquàm Aristoteles septuagesimum annum vltimum generandæ prolis terminum in masculis statuerit: à nouis autem nuptiis, visus aciem sensim adeò benè recuperauit, vt ad nonagesimum quartum prouectus annum literulas absque conspiciis legere consueuerit: sed nec responsio ista in morbis satisfaciet, cùm palàm ibi necesse sit animam corrumpi spiritu, vt vocant, complantato iam corruptioni obnoxio: attamen nullo melius tempore, aut subtilius audiunt ægrotantes, quàm sub extremo vitæ tempore.

Aliter Galenus etiam responderet, siccitatem dicens sensibus non obesse, quinimo stellas sapientissimas affirmat, quod sint siccissimæ. Si de siccitate loquitur, erubesco certè illius causa, cùm nec stellæ sint sapientes, nec siccæ, quin potius omnis extraneæ qualitatis expertes. Verùm vtcunque sit, in senio non tantùm siccitas, sed etiam frigiditas dominatur, quam palàm est, etiam ex illius decretis omni functioni animi animali obesse: nam & obliuiosos senes ob frigiditatem esse dicit. Forsan quispiam negabit, senes sensibus æquè perfectis vti posse: verùm de intellectu alia ratio, quæ etiam de prudentia assignari in senibus solet, præferri poterit: non sentire autem illos, detrimentum temporis longitudini, & diminutioni, quæ adeò sensim fit, tribui queat: verùm hoc in ægris defendi non potest. Vidimus etiam quosdam, qui leues cibos in iuuenta concoquere non poterāt, extrema etiam senectute durissimos subegisse. Alexandrum Cardanum vidi annum septuagesimum superantem probè curatum ab oculario medico per acum à suffusione, in posterum tam benè vidisse, cùm paucis superuixerit annis, vt longius agnosceret venientes, quàm ego, qui tum eram adolescens: sed id tamen beneficio ille adiutus perspiciliorum, namque sine illis parum ritè videbat.

Ergóne hoc argumentum tam parui momenti esse duxerim? cùm Aristoteles fermè videatur affirmare, omnem animam esse immortalem: nam neque dicendum est, ad extremum vsque manentem velut flammam omni non solum oleo, verùm & licinio absumpto protinus extingui: nam dum flamma ad extremum deducitur, minus etiam illuminat: cùm verò licinium depascitur, collucet: quod etiam exemplum ad morientes, qui paulò antè reuiuiscunt, quidam transferre solent. Igitur verba Philosophi secundo de Generatione animalium Cap. 3.
abscribenda mihi erunt: ea autem sunt, Græcè enim prius adiiciam quæcunque ex Aristotele sumuntur, quoniam multi illius authoritatem, nec immeritò, pro ratione habent:

Ἔχει δ᾽ ἀπορίαν πλείστην, καὶ δεῖ προθυμεῖσθαι κατὰ δύναμιν λαβεῖν, καὶ καθ᾽ ὅσον ἐνδέχεται, τὴν μὲν οὖν θρεπτικὴν ψυχὴν, τὰ σπέρματα καὶ τὰ κυήματα τὰ χωριστὰ δηλονότι, δυνάμει μὲν ἔχοντα θετέον, ἐνεργείᾳ δὲ οὐκ ἔχοντα, πρὶν ἢ καθάπερ τὰ χωριζόμενα τῶν κυημάτων ἕλκει τὴν τροφὴν, καὶ ποιεῖ τὸ τῆς τοιαύτης ψυχῆς ἔργον πρῶτον μὲν γὰρ ἅπαντ᾽ ἔοικε ζῆν τὰ τοιαῦτα φυτοῦ βίον, ἑπομένως δὲ δηλονότι καὶ περὶ τῆς αἰσθητικῆς λεκτέον ψυχῆς, καὶ περὶ τῆς νοητικῆς. Πάσας γὰρ ἀναγκαῖον δυνάμει πρότερον ἔχειν ἢ ἐνεργείᾳ ἀναγκαῖον δὲ ἤτοι μὴ οὔσας πρότερον ἐγγίνεσθαι πάσας, ἢ πάσας προϋπαρχούσας, ἢ τὰς μὲν, τὰς δὲ μὴ καὶ ἐγγίνεσθαι ἢ ἐν τῇ ὕλῃ μὴ εἰσελθούσας ἐν τῷ τοῦ ἄρρενος σπέρματι, ἢ ἐνταῦθα μὲν, ἐκεῖθεν ἐλθούσας, ἐν δὲ τῷ ἄρρενι, ἢ θύραθεν ἐγγινομένας ἁπάσας, ἢ μηδεμίαν, ἢ τὰς μὲν, τὰς δὲ μὴ ὅτι μὲν τοίνυν οὐχ οἷόν τε πάσας προϋπάρχειν, φανερόν ἐστιν ἐκ τῶν τοιούτων, ὅσων γὰρ ἐστιν ἀρχῶν ἡ ἐνέργεια σωματικὴ, δῆλον ὅτι ταύτας ἄνευ σώματος ἀδύνατον ὑπάρχειν, οἷον βαδίζειν ἄνευ ποδῶν ὥστε καὶ θύραθεν εἰσιέναι ἀδύνατον, οὔτε γὰρ αὐτὰς καθ᾽ ἑαυτὰς εἰσιέναι οἷόν τε ἀχωρίστους οὔσας, οὔτ᾽ ἐν σώματι εἰσιέναι, τὸ γὰρ σπέρμα περίττωμα μεταβαλλούσης τῆς τροφῆς ἐστι, λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι, καὶ θεῖον εἶναι μόνον, οὐδὲ γὰρ αὐτοῦ τῇ ἐνεργείᾳ κοινωνεῖ σωματικὴ ἐνέργεια πάσης μὲν ψυχῆς οὖν δύναμις ἑτέρου σώματος ἔοικε κεκοινωνηκέναι, καὶ θειοτέρου τῶν καλουμένων στοιχείων, ὡς δὲ διαφέρουσι τιμιότητι αἱ ψυχαὶ καὶ ἀτιμίᾳ ἀλλήλων, οὕτω καὶ τοιαύτη διαφέρει φύσις, πάντων μὲν γὰρ ἐν ὑπάρχει τῷ σπέρματι, ὅπερ ποιεῖ γόνιμα εἶναι τὰ σπέρματα, τὸ καλούμενον θέρμον τοῦτο δ᾽ οὐ πῦρ, οὐδὲ τοιαύτη δύναμίς ἐστιν, ἀλλὰ τὸ ἐμπεριλαμβανόμενον ἐν τῷ σπέρματι, καὶ ἐν τῷ ἀφρώδει πνεῦμα, καὶ ἐν τῷ πνεύματι φύσις, ἀνάλογος οὖσα τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ, διὸ πῦρ μὲν οὐδὲν γεννᾷ ζῶον, οὐδὲ φαίνεται σιγυστάμενον, πυρουμένοις, οὔτ᾽ ἐν ὑγροῖς οὔτ᾽ ἐν ξηροῖς οὐδὲν, ἡ δὲ τοῦ ἡλίου θερμότης καὶ ἡ τῶν ζώων, οὐ μόνον διὰ

τοῦ σπέρματος, ἀλλὰ κἄντι περίττωμα τύχῃ τῆς φύσεως ὂν ἕτερον, ὅμως ἔχει καὶ τοῦτο ζωτικὴν ἀρχήν. ὅτι μὲν οὖν ἡ ἐν τοῖς ζώοις θερμότης οὔτε πῦρ, οὔτ᾽ ἀπὸ πυρὸς ἔχει τὴν ἀρχήν, ἐκ τῶν τοιούτων ἐστὶ φανερόν. τὸ δὲ τῆς γονῆς σῶμα ἐν ᾧ συναπέρχεται τὸ σπέρμα τὸ τῆς ψυχικῆς ἀρχῆς, τὸ μὲν χωριστὸν ὂν σώματος, ὅσοις ἐμπεριλαμβάνεται τὸ θεῖον, τοιοῦτος δ' ἐστὶν ὁ καλούμενος νοῦς, τὸ δ' ἀχώριστον, τοῦτο σπέρμα τῆς γονῆς διαλύεται καὶ πνευματοῦται φύσιν ἔχον ὑγρὰν καὶ ὑδατώδη, διόπερ οὐδὲ δεῖ ζητεῖν ἀεὶ θύραζε αὐτὸ ἐξιέναι, οὐδὲ μόριον οὐδὲν εἶναι τῆς συστάσης μορφῆς, ὥσπερ οὐδὲ τὸν ὀπὸν τὸν τὸ γάλα συνιστῶντα, καὶ γὰρ οὗτος μεταβάλλει, καὶ μόριον οὐδέν ἐστι τῶν συνισταμένων ὄγκων, περὶ μὲν οὖν ψυχῆς πῶς ἔχει τὰ κυήματα καὶ ἡ γονή, καὶ πῶς οὐκ ἔχει, διώρισται, δυνάμει μὲν γὰρ ἔχει, ἐνεργείᾳ δ' οὐκ ἔχει.

Tam longa verborum ſerie hic vtimur, quoniam diſputatio noſtra ex hac famoſiſſima authoritate quidnam Ariſtoteles cenſuerit, exordium ſumet: Latina igitur prius conuertemus quaſi ad verbum, ne vel fidelius aut melius, ſed vt facilius, quàm Gaza eruditiſſimus tranſtulerit, legentibus euadat. Ergo ſic habet:

Eſt autem dubitatio magna, & quam pro viribus tractare, animóque ad eam intento oportet, & omnibus rationibus perquirenda.

Dixerat autem eam eſſe hanc, διὸ καὶ περὶ νοῦ πότε, καὶ πῶς μεταλαμβάνει, καὶ πόθεν τὰ μετέχοντα ταύτης τῆς ἀρχῆς. Id eſt: Propter hoc, & de mente quando, & quomodo, & vnde eam recipiant quæ hoc participant principio. Ergo reſpondens dubitationi, ſubiungit quæ Græcè ſequuntur, ſcripſimúſque ſuperius in hunc modum:

Animam igitur nutrientem ſemina quidem, ac conceptus ſeorſum accepta manifeſtum eſt potentia quidem habere, actu autem non priuſquam eo modo quo conceptus, qui iam ſeparantur, cibum trahant, & officio eius animæ fungantur: principio enim hæc omnia vitam ſtirpis viuere videntur: pari modo de ſenſitiua anima ac rationali dicendum eſt: manifeſtum enim eſt, neceſſarium omnes potentia prius haberi, quàm actu. Neceſſarium eſt autem omnes prius non exiſtentes innaſci, vel omnes prius exiſtentes accedere, vel aliquas, ſic aliquas non. Et ſi innaſcuntur, aut in materia ipſa, non ex maris ſemine venientes: aut ex illo quidem venientes. Si autem ex maris ſemine veniant, vel extrinſecus omnes adueniunt, vel nulla, aut aliqua ſic, aliqua non. Quòd autem omnes præcedant, his rationibus oſtenditur eſſe non poſſe. Quorum enim principiorum actio cum corpore eſt, eorum etiam exiſtere abſque corpore eſſe non poſſe, manifeſtum eſt: velut ambulare ſine pedibus: itaque extrinſecus ea aduenire non poſſunt, nec enim ipſa per ſe accedere poſſunt, cùm inſeparabilia ſint: neque cum corpore, eſt enim ſemen excrementum alimenti mutati. Reſtat igitur, vt mens ſola extrinſecus accedat, eaque ſola diuina ſit, nihil enim cum illius actione communicat actio corporalis. Igitur omnis quidem animæ virtus alterius corporis particeps eſſe videtur, atque eius diuinioris, quàm eorum, quæ vocantur elementa: verùm vt nobilitate, ignobilitatéque animæ differunt inter ſe, ſic & natura illius corporis differt: omnium enim ſeminibus exiſtit, quod facit, vt fœcunda ſint illa vocatus calor. Hic verò non ignis, non talis facultas aliqua, ſed qui continetur in ſemine ac ſpuma ſpiritus, & eius ſpiritus natura proportionalis exiſtens elemento ſtellarum. Quamobrem ignis nullum animal generat, neque calidis, aut humidis, ſiccisve vlla res conſtat. At verò Solis calor, atque animalium, non ſolùm qui in ſemine continetur, verùm qui in excremento, quanquam natura diuerſo, ſimiliter habet vitale principium. Quod igitur calor, qui in animalibus eſt, neque ſit ignis, nec ab igne ducat originem, apertum ex his eſt: corpus autem genituræ, in quo ſemen animalis principij contentum vnà prouenit, ſeparabile quidem à corpore in iis, in quibus diuinum comprehenditur, tale autem eſt, quod mens appellatur: hoc autem inſeparabile, taléque eſt genituræ ſemen, diſſoluitúrque, ac in ſpiritum vertitur, cùm naturam humidam, & aquoſam habeat. Quapropter cùm id ſemper foras exeat, quærendum non eſt, neque an pars vlla ſit formæ conſtitutæ, quemadmodum nec de ſucco, à quo lac cogitur: nam & is mutat, & nulla pars conſtitutæ magnitudinis eſt. De anima igitur quemadmodum eam habeant conceptus, ac genitura, & quomodo non habeant definitum eſt potentia enim habent, actu non habent.

Ergo Philoſophus animam omnem diuinum aliquid eſſe putat, ac vt breuiter dicam, ſubſtantiam elementarem cœleſti virtute formatam, atque impreſſam: non ſolùm ob id, quòd neque ſeneſcat, nec morbis vitietur: ſed quòd vim illam generandi, ac formandi in ſe contineat. Non igitur tantùm abeſt à Platonis opinione Ariſtotelis de belluarum anima ſententia: ſed tamen quòd immortalitatem illi deneget, ex multis, quæ adducemus inferius clarum erit. Quamobrem nec elemento ſtellarum, id eſt ſubſtantia illarum conſtare, ſed proportionali, neque corpus aliud, ſed alterius corporis virtutem dixit, manifeſtéque corruptibilem pronuntiauit, cùm inſeparabilem vllam præter mẽtem affirmat. Manifeſtum verò eſt, cur non ſeneſcit, aut morbo vitietur: nam virtus illa diuina eſt, quæ nec imminuitur, nec augetur, dum corpus manet: & tamen illo ſoluto ipſa per accidens interit, velut & Solis lumen, quod in aëre eſt: perpetuum quidem natura ſua eſt, verùmtamen ſubiecti corruptione deſtruitur: ex ſe igitur inuiolabile, ſubiecti autem natura ſingulis momentis interit, alio ſuccreſcente. Anima igitur corpus non eſt: nam vbique, & omni ineſſe non poſſet, alióque indigeret mouente: nec accidens, poſterior enim eſſet corpore ipſo, nec dignum eſſet, vt viuentis principium foret, eſſétque viuens ipſum vnum per accidens, vt album, quia ſubſtantia eſt incorporea, nec elementaris eſſe potuit, ſolum, nec alio corpore conſtare cœleſti, quoniam tota vis in ſemine eſt, nec vllam habet propriam functionem, quia cœleſti tantùm virtute cõplectitur, qua duce opera ſenſuum, ac nutritionis exercet. Atque hoc modo quæſtionem, quam in initio capituli Ariſtoteles propoſuerat, quámque nos prætermiſimus, abſoluit.

Vnum

Vnum verò habet argumentum contra Platonis opinionem, non esse separabiles, quia sensitiuæ animæ, ac nutritiæ corpore indigent ad operationes. Docuit verò nos, quòd maximè desiderandum erat, animam scilicet in spiritu ipso contineri: ergo membra vasa sunt animæ non solùm, sed eius, qui animam continet, nec membra nisi propter spiritum creata, non solùm vt illum custodiant, sed etiam vt operationes illius perficiant. Ergo opinione Platonis copiosè, ac clarè demonstrata, ad Aristotelis sententiam descendamus.

ARISTOTELIS DE ANIMI immortalitate sententia.

XXI Seclusa omnis animæ à Philosopho de immortalitate sententia, opportunum videtur, quidnam ille de intellectu senserit, declarare: ergo ne longius discedamus, in præcedentibus verbis tres mouit de anima quæstiones. Primam, An omnes animæ prius essent, quàm in corpus ipsum illaberentur, an simul ex ipso prodirent corpore, an reliquæ sic, aliquæ non: vt non obscurum sit, illum velle, quod innascitur, etiam simul gigni: quod accedit, prius esse. Altera quæstio est: Si innascantur omnes, vel plures, an ex semine maris, an in materia, scilicet sanguine menstruo. Tertia: An si prodeant ex maris semine, in ipso gignantur, vel extrinsecus accedãt. In omnibus his tria illa intelligit, scilicet, An omnis, an nulla, an aliqua. Nec tertia quæstio membrum est diuisæ, secundæ sed primam, atque secundã amplectitur, aliter sibi contradiceret: ergo quæ extrinsecus accedunt præcedunt. Tertiam igitur soluens quæstionem, dicit, non omnes extrinsecus posse accedere: nam vel cum corpore, vel sine, de quibus nunc nulla cura est. Mentem verò solam extrinsecus affirmat nobis accedere: ex quo fit, vt etiam præcedat corpus. Et ne mentem existimaremus virtutem quandam cœlestem, sed substantiam, declarauit post, omnem animam virtute cœlesti participare, nec tamen vllum genus extrinsecus aliud accedere dixit, quare mens ipsa substantia erit quædam corpore prior, diuina, extrinsecúsque accedens. Rationem etiam huius docet: quoniam eius operatio
Cap. I. cum corpore non communicat. Vnde solutio argumenti, quod vltimo ex Aristotelis auctoritate primo de Anima induxeramus, manifesta est: aliquam enim intellectus operationem à corpore omnino seiunctam habet.
Cap. 7. Quæris, quam? Illam, quam duodecimo primæ Philosophiæ descripsit his verbis: Degentia autem nobis qualis paruo tempore optima illi est, de Deo loquens. Subiungit autem post: Seipsum autem intelligit intellectus assumptione intelligibilis: intelligibilis fit namque attingens, & intelligens, ita vt idem intellectus & intelligibile sit: susceptiuum autem intelligibilis & substantiæ intellectus est, operatur autem habens. Tunc verò propria est operatio, quæ & delectabilissima est, & sine labore, corporisque auxilio. Quòd verò substantiam appellauerit intellectum, nemini dubium esse puto, tum in primo de Anima, vbi argumentum hoc superius dissoluimus, dum dixit, ὁ δὲ νοῦς ἔοικεν ἐγγίνεσθαι οὐσία τις οὖσα. Id est, Intellectus quidem aduenire videtur, substantia quædam existens. Et in tertio de Anima etiam:

Ἀλλὰ μὴν οὐδὲ τὸ λογικὸν, καὶ ὁ καλούμενος νοῦς ἐστιν ὁ κινῶν ὁ μὲν γὰρ θεωρητικὸς, οὐδὲν νοεῖ πρακτὸν, οὐδὲ λέγει περὶ φευκτοῦ καὶ διωκτοῦ οὐθὲν, ἀεὶ δὲ ἡ κίνησις ἢ φεύγοντός τι, ἢ διώκοντός ἐστιν, ἀλλ' οὐδ' ὅταν θεωρῇ τι τοιοῦτον, ἤδη κελεύει φεύγειν, ἢ διώκειν, οἷον πολλάκις διανοεῖ τι φοβερὸν, ἢ ἡδὺ οὐ κελεύει δὲ φοβεῖσθαι, ἡ καρδία δὲ κινεῖται, ἂν δὲ, ἡδὺ, ἕτερόν τι μόριον, ἔτι καὶ ἐπιτάττοντος τοῦ νοῦ καὶ λεγούσης τῆς διανοίας, φεύγειν τι, ἢ διώκειν, οὐ κινεῖται, ἀλλὰ κατὰ τὴν ἐπιθυμίαν πράττει, οἷον οἱ ἀκρατεῖς.

Id est: *At verò neque ratiocinandi vis, nec quod intellectus vocatur, motuum est principium: contemplatiuus enim nihil eorum, quæ ad actiones contemplatur, neque de fuga aut persequutione quicquam dicit: motus autem semper est, vel persequentis, vel fugientis: sed neque quando speculatur aliquid, iubet fugere, aut persequi, vt cùm sæpenumero agnoscit terribile, vel iocundum, non tamen fugegere iubet, cor autem mouetur, si autem iocundum alia pars. Præterea intellectus nonnunquam iubet, & ratio appellata, aliquid fugere, aut persequi: sed non mouetur homo verùm secundum cupiditatem agit, vt incontinentes facere solent.*

Inde paulò pòst:

Νῦν δὲ ὁ μὲν νοῦς οὐ φαίνεται κινῶν ἄνευ ὀρέξεως ἡ γὰρ βούλησις ὄρεξις ὅταν δὲ κατὰ τὸν λογισμὸν κινῆται, καὶ κατὰ βούλησιν κινεῖται.

Quod est: *Hunc autem intellectus quidem non videtur, sine impulsu mouere, voluntas enim impulsus quidam: cúmque secundum rationem mouemur, & etiam secundum voluntatem mouemur.*

Ergo intellectus ipse substantia est: nam mentis est, in qua voluntas etiam. Aut dicendum est, voluntatem in intellectu esse, quare intellectus, cùm voluntas principium sit actiuum, & ipse substantia est. Quamobrem fabulosa est opinio Alexandri, atque Pomponatij, qui intellectum nihil aliud tandem statuunt, secundum Aristotelis opinionem, quàm ipsum intelligendi actum, qui quidem cùm sit consimilis actui diuinorum, atque æternorum, idcircò ab Aristotele æternus, ac diuinus meritò nuncupetur, talisque etiam natura propria sit, quanquam in animi interitu intereat. Sed non animaduertunt, præter reliqua, intellectum ab Aristotele substantiam vocari. Sed infrà hæc responsio, atque opinio declarabitur quantum valeat? nam nunc cùm tractemus solum Philosophi mentem, atque verba, à quibus est remotissima, prætereunda videtur. Nec verò minus responsiones, quas qui oppositum tuentur partem afferunt Alexander, & Pomponatius, ostendunt, hanc de animi immortalitate auctoritatem Philosophi sententiam clarissimè ostendere. Alexander enim in libro de Intellectu, mentem extrinsecus aduenientem Deum interpretatur, cùm perfectissimo iam facto intellectu intelligi

intelligitur: ille enim mens est, atque immortalis: cúmque intellectus, & quod intelligit vnum fiant, tunc mens ipsa pars nostri fit, atque intellectus noster immortalis. Sed hæc responsio adeò absurda est, vt claritatem immortalitatis ostendat, atque ideò recte à Themistio reprobatur: nam præter reliqua non vna mens, sed plures essent: quandoquidem XII. primæ Philosophiæ, substantiæ illæ cœlestes, atque diuinæ, numero orbium numerentur: ad omnem igitur illarum intellectum mens accedit, cùm semper ex Alexandri supposito quod intelligitur intellectus fiat. Præterea vel prima causa verè sit intellectus noster, euadétque corruptioni obnoxia, quod nefas est vel cogitare: vel intellectus noster fit prima causa, atque sic erit verè immortalis, non autem per accidens: eritque hæc operatio ligno vitæ Mosis admirabilior, cùm mortalis existens, esu illius immortalis efficeretur. Vel dicendum, quòd vt Proteus quidam intellectus iste noster modò mortalis, modò immortalis euadat: quare nunquàm immortalis factus est, si mori potest: nec rursus mortalis, si non mori potest: vel vnum fiunt vtroque seruato, idémque simul mortale ac immortale, atque hoc admirabilius longè sacrificio Eucharistiæ, nos enim in Cœlo, ac in terra CHRISTVM esse credimus, ac sub accidentibus panis contineri: hi verò mortale atque immortale vnum esse dicunt. Est etiam illud aduertendum, intellectum nostrum secundum Alexandri mentem esse accidens quoddam: non enim aliud est, quàm operatio animæ, fundatúrque in anima ipsa, nec potest dici substantia corporea, nec incorporea: sed Deus vndequaque est substantia, vt nullo modo admittat accidens: quomodo igitur intellectus Deus efficietur? Sed illud postmodum etiam admirabilius est, quòd Deum ponat nos intelligere, morales omnino existentes: namque si de intellectu confuso, & per nomen interpretamur omnes, in hac sumus vnione: si autem de perfecto, quis Deum intelligit, nisi Deus ipse: nam qui immortalem, ac diuinum nostrum animum esse credunt, fabulosam cognitionem illam de Deo exquisitam existimant. Vellem equidem, si viueret ipse Alexander, paululum ab illo percunctari, an ipse vnquam ad hanc tantam sapientiam accessisset, vt Deum agnosceret? Ego sanè cùm multa difficilia ferè in omnibus disciplinis inuenerim, nec quicquam frustra quæsierim quantumvis arduum, atque abditum, de Deo tamen me tantum scire fateor, quantum ex fide, atque religione accepi, præter quàm quòd sit. Quid igitur impulit hos Philosophos, vt talia dicerent, atque mentirentur? Nil nisi gloriæ cuiusdam inanis immensa cupido, vt viderentur omnibus mortalibus ingeniosiores, cùm ea dicerent, quæ alij intelligere nunquàm possent. At verò quàm futilis sit in multis, quæ clara sunt, causámque habent manifestam, velut cùm de herculeo lapide nugatur, meum nunc non est dicere: mores enim cum nostro tempore communes prosequor odio, non homines: euexerat illum Antoninus Imperator, vir certè dignus: sed (vt nunc fieri solet) principum aut clementia, aut imperitia, praui homines abutuntur. Ergò cùm hanc responsionem Pomponatius rubore dignam vidisset, cùm aliàs in omnibus illum sequatur, aliter respondet, dicens primò, intellectum, qua intellectus est, extrinsecus venire. Secunda responsio est, quod intellectus etiam, qua humanus est, extrinsecus adueniat, quandoquidem vt secundo de Anima, & tertio eiusdem habetur, anima sensitiua ab Auerroë censeatur fieri ab intelligentia agente: & ad hoc etiam adducit verba, quæ nos addidimus ex secundo de Generatione animalium, dum de illa loquitur. Non conuenit igitur, & multo minus, quàm sensitiuam, quæ palàm apud Peripateticos mortalis est, & tamen extrinsecus venit, intellectiuam extrinsecus venire, & tamen morti obnoxiam esse. Tertia responsio, quòd mens extrinsecus venit, quoniam cæteris animæ partibus diuinior est, indiget enim corpore vt obiecto in sui operatione, non vt subiecto, non enim organo vllo vtitur. Quis non videt, has omnes responsiones voluntarias, inanes, & sensus Aristotelis corruptiuas, cuius etiam causa in earum nulla perstat: namque quòd intellectus, quo intellectus est, de foris venit, non est verum, cùm præcedere illum velit seminis generationem: nam Alexander hunc diuinum solùm perfecto iam homine affirmat aduenire. Deinde iam & virtutem illam cœlestem, quæ nusquam ex mistione prouenit, non extrinsecus accedere dicit, quanquàm & ipsa diuina sit: nam non mentem, sed solam mentem verè diuinam, & extrinsecus accedere vult. Item, vt diximus, hanc mentem substantiam vocat, primo de Anima: hic intellectus nequaquam est substantia: quare nec corpus, aut semen potest antecedere. Altera responsio prima deterior est: nam cùm Aristoteles omnem animam originem cœlestem ducere affirmet, sensitiuam dico, ac negatiuam, nullam tamen de foris, vt ille vertit, aduenire, aut diuinam esse, sed solam mentem dixit. Manifestum est igitur, mentem substantiam diuinam, & æternam, secundum Aristotelem esse, atque extrinsecus accedentem. Vltima responsio verum supponit, sed nihil ad rem: si enim anima intellectiua diuinior est, quia in sui operatione non indigeat instrumento, non tamen necesse est, vt extrinsecus veniat: quandoquidem illud extrinsecus venire dicitur, quod non educitur ex maris semine: tota autem anima, secundum Pomponatium, ex semine educitur, nec quicquam illi aduenit, nisi accidens: hoc autem non potest dici extrinsecus aduenire: nec etiam dicendum est, quæ cognitio æternorũ diuinitatẽ, aut æternitatem arguat, vel ostendat: nam & oculus Solis lucem videt, ac Solem, & stellas nec ob id simpliciter, aut per similitudinem diuinus, aut immortalis à Philosopho appellatur: nec est, quòd intellectum agentem, mentem exponas, nam Alexander adeptum, & non agentem interpretatur, Pomponatius intellectum ipsum: hoc autem, quia nimis absurdum erat, nullus illorum ausus est dicere, Deum siquidem in semen humanum ingredi: quòd si per intellectum

Cap. 60.
Col. 5.

intellectum agentem aliquid à Deo tanquam radium fluens exponas, cum id intelligat, & sit sempiternum, manifestum est, immortalem animum nostrum apud Aristotelem censeri. Secunda autoritas habetur primo de partibus animalium cap. 1. in qua cùm adducat tres has rationes, si ad naturalem spectaret considerare de omni anima, igitur & de mente, quare etiam de omni intelligibili: referuntur enim inuicem quare cæteræ sciétiæ à naturali Philosophia essent superuacuæ. Item de abstractis non considerat naturalis Philosophus, quoniam in ordine ad materiam omnia considerat, à qua illa sunt abiuncta, quare non de intellectu. Tertio naturalis considerat de motus principio: nam omnis animæ pars est principium motus: nam qua viuunt stirpes, augendi principium est: qua sentiunt belluæ, sentiendi, ac mouendi: Sed qua intelligunt homines, nullius autor est motus: ideò subdit,

Δῆλον οὖν ὡς οὐ περὶ πάσης ψυχῆς λεκτέον. οὐδὲ γὰρ πᾶσα ψυχὴ φύσις, ἀλλά τι μόριον αὐτῆς ἓν ἢ καὶ πλείω.

Id est, *Manifestum est igitur, non de omni anima dicendum esse, neque enim omnis anima natura est, sed aliqua eius pars, vna vel etiam plures.*

Manifestum est igitur, hic non intelligentias vocatas eum intelligere, quandoquidem animas illas nondum constet esse: quæ etiam ratio vni conuenit, omnis ratio illi eidem conuenit: at primam palam est humanę menti conuenire: de illa igitur & reliquæ, & conclusio dictæ sint. Ad hæc non habet, quid respondeat Pomponatius: fingit autem Aristotelem loqui de intelligentiis, quare non obscurum est, illum nihil habere quicquàm veri, vel apparentis, quod adducat, cùm aperto mendacio insistat: multa tamen arguit contra illam, more quorundam Philosophorum nostri temporis, qui cum paruo studio videri volunt multa scire. Sed aliud est respondere, aliud arguere dicta Philosophi: sed de argumentis suo loco dicetur. Multa etiam toties reperit, vt longissimus euadat, inde Suessano, quòd verbosus sit, obijcit: sed nec sibi omnino constat, cùm quæstionem de animi immortalitate problema neutrum statuat. Inde vult, oblitus sui, quòd animam intellectiuam immortalem esse, de humana loquendo, repugnet principiis naturalibus: verumtamen hoc dixit iratus, quoniam de hæresi accusabatur. Mirum tamen est, cur dicta manifesta Aristotelis, argumentis ex autoritatibus suis sumptis, conetur oppugnare: nam si fides habenda est dictis Philosophi, cur non credendum adeò claris autoritatibus illius, quas cùm multis modis eludat, peruertat, non tamen omnes effugere potest? Si verò fide sunt indignæ, quanto minus est fidei tribuendum argumentis ex autoritatibus illius, longè etiam à sensu, in quo scriptæ sunt, abstractis, fundamentum vimque recipientibus? Sed hæc senex scripsit, & diuturno legendi labore mente nutans, cuius indicium est, quòd miracula non solùm admittit, sed aniles etiam fabulas, deinde naturalibus causis omnia tribuere conatur, vt in altero leuis, in altero impius habeatur. Nos autem dicimus, quanquàm etiam animi immortalitatem tueremur, miracula quidem ad Deum pertinere, sed non esse Philosophi, qui secundum naturam loquitur, ea admittere: de reliquis autem licere historicis, tum maximè, quòd Philosophi non sint, multa admiranda voluptatis gratia scriptis suis inserere. Quamobrem Pomponatius, alioqui præclarus vir, ac nostri æui non leue decus, in hanc opinionem voluntate magis, quàm iudicio, & ob nouitatem gloriæ studio delatus esse videtur. In eandem sententiam 1.Co. 26.
adduci solet autoritas secundo Physicorum, quæ cùm ad idem tendat, & obscurior multò sit hac, ne morem hominum sequar horum temporum, qui nugis libros replent, cùm contendisse diu sat videatur illis, eam prætereo. Tertia autoritas habetur primo Cap. 11.
Ethicorum, vbi quærens Philosophus, an calamitosa, & prospera ad mortuos pertineant, sic vt ex his beatiores illi, vel calamitosiores euadant? Respondet tandem post disputationem in hæc verba ex propria sententia:

Συμβάλλεσθαι μὲν οὖν τι φαίνονται τοῖς κεκμηκόσιν αἱ εὐπραξίαι τῶν φίλων ὁμοίως δὲ καὶ αἱ δυσπραξίαι. τοιαῦτα δὲ καὶ τηλικαῦτα, ὥς τε μήτε τοὺς εὐδαίμονας, μὴ εὐδαίμονας ποιεῖν, μήτ᾽ ἄλλο τῶν τοιούτων μηδέν.

Id est: *Afferre quidem igitur videntur mortuis felicitates amicorum, similiter autem & calamitates: talia autem, ac tanta, vt neque felices, nec infelices faciant, neque aliud horum talium quicquàm.*

Respondet ad hoc Pomponatius ex expositione Eustrathij, Burlæi, & Thomæ, illam autoritatem loqui de hominum opinione, & secundum esse, quod habent in mente viuentium, sic vt calamitates viuentium amicorum & pronepotum gloriam, & opinionem, quæ de felicitate defunctorum manet, infringant, & minuant, velut Cambysis filij Cyri. Sed non videt, hanc responsionem, etiam cùm sit impudentissima, extorquens omnem sensum Philosophi verborum, nihil satisfacere: nam hoc non de pronepotibus tantum quærit, sed de amicis magis, vt etiam de illis concludat: deinde non vitia illorum, sed calamitates adducere: cùm tamen constet, vitia longè plus ad gloriam prædecessorum lædendam facere, quàm calamitates ut de Tiberio, ac Augusto, Commodo, & Antonino Philosopho. Sed benè illud non videt, quod ante dubitat, an hæ calamitates ad defunctos perueniant: inquit enim paulò ante,

Ἔοικε γὰρ ἐκ τούτων εἰ καὶ διικνεῖται πρὸς αὐτοὺς ὁτιοῦν εἴτε ἀγαθὸν, εἴτε τοὐναντίον.

Id est: *Videtur igitur etiam si quidpiam ad ipsos perueniat, seu bonum, seu contrarium.*

Non igitur de fama & gloria, vel opinione dubitat, nec si non erant omnino defuncti, dubitare decebat, sed ob id, quod recordabatur dixisse tertio de Anima, mortuos non reminisci: videbatur igitur difficile, quónam pacto mortui possent viuorum amicorum miseria affici. Quare Pomponatius cùm nihil habeat, nec opinionem Aristotelis intelligat, conuertitur ad argumentan-

dum: nos autem ostendemus, quoniam vt
Cap. 71. primo Physicorum dicitur, sermo demonstratiuus omnem ambiguitatem ac difficultatem tollere aptus est, Aristotelem vndequaque sibi esse concordem: de Eustrathio, & Burlæo, sibi similes adduxit auctores: Thomam verò miror, quòd inducat, quem non modò quatuor interpositis verbis damnat, quoniam non in suam sententiam in aliis exponendis locis venit, sed ambiguum etiam textum tertij Ethicorum ad immortalitatis sensum de Anima traducat. Alij respondent, auctoritates Philosophi in libris Moralium, esse ad institutionem rectè viuendi, atque ob id minus habere ponderis, nam & Platonem hac causa multa ementitum esse, apologósque illos potius vtiles, quàm veros esse. Sed hæc responsio nulla omnino est, nisi apud illos, apud quos aliquid dicere, est bene dicere: & qui honestam taciturnitatem, atque verecundam, impudicis postponunt responsionibus: namque vt reliqua prætercam, nullibi locus minus aptus videbatur, quàm hîc, vbi de fælicitate loquitur: sed ad locum potius de fortitudine, aut temperantia transferenda erat hæc tractatio: nec dici potest, hoc callidiore consilio factum, vt dolus lateret magis: nam ad imperitos si scribatur, nihil hac techna opus est: doctos autem nec hic latebit. Deinde hoc adeò ex contextu claret, vt etiam nihil ad rem talis immortalis pertinere videatur: nam Plato vltra immortalitatem præmia addit, & pœnas: hic verò Philosophus illud dubitat, nec admodum apertè fatetur, illos incommodis aut commodis nostris affici, superesse tamen pro comperto
Cap. 6. supponit: at tertio eiusdem negat mortuos pœna, vel præmio tristari, aut lætari: vnde sic inquit, Et nihil post mortem homini bonum, aut malum esse videtur: quare etiam hic auget mortis timorem, cùm hæc præterire potuisset. Manifestum est igitur ex his, hoc dixisse de animi immortalitate, quoniam ita sentiret.

Cap. 2. Quarta auctoritas habetur secundo de Anima, cuius contextus talis est:

Περὶ δὲ τοῦ νοῦ καὶ τῆς θεωρητικῆς δυνάμεως, οὐδέπω φανερὸν ἀλλ᾽ ἔοικε γένος ἕτερον ψυχῆς εἶναι, καὶ τοῦτο μόνον ἐνδέχεται χωρίζεσθαι, καθάπερ τὸ ἀΐδιον τοῦ φθαρτοῦ. τὰ δὲ λοιπὰ τῆς ψυχῆς μόρια, φανερὸν ἐκ τούτων, ὅτι οὐκ ἔστι χωριστὰ καθάπερ φασί τινές.

Hoc est: *De intellectu autem & contemplatiua potentia nihil adhuc manifestum, sed videtur alterum genus animæ esse, & hoc solum separari potest, tanquam perpetuum à corruptibili: reliquæ autem animæ partes, manifestum est ex his, quoniam non vt quidam dixerunt, sunt separabiles.*

Hæc cùm dixisset Philosophus, Pomponatius ad intelligentiarum intellectum suis rationibus ea transtulit, non animaduertens sermonis proprietatem repugnare: nam dixit, ἐνδέχεται χωρίζεσθαι. Quod est, licet, vel contingit, aut potest separari: at diuini intellectus nequaquam possunt separari, sed si vel vt intellectus considerentur, separati iam sunt: si vt motores, omnino inseparabiles: quare hæc separatio, quam contingere dicit, de humano tantùm vera esse dici potest. At verò ne quis duorum alterum existimaret, scilicet vel intelligentias ipsas ratione tamen separari posse ob diuersam considerationem, aut hanc separationem intellectus humani, solùm esse ratione, non re subiicit statim, τῷ δὲ λόγῳ ὅτι ἕτερα, φανερόν. Id est, ratione autem alias esse, manifestum: de partibus reliquis animæ loquens. Igitur si partes omnes animæ differre possunt ratione, atque ita, vt subiungit illico, vt etiam quædam animalia alias habeant, aliis careant, nec tamen vocat separabiles illas, manifestum est, illum de humano intellectu, quòd verè separetur, intelligere: atque adeò manifestum est, hoc de vera separatione, vt Pomponatius pro effugienda auctoritate, non de illo suo intellectu chimerico, audet Aristotelem interpretari, sed ad intelligentias protinus confugit, quas nisi omnem sermonis Græci vim conuellamus, intelligere nemo potest, sed quod verisimilius dici potuit, dicatur dubitanter dictum. Verùm quòd perpetuum sit, quod separatur, affirmare, ac tueri potest: quòd autem non separetur, nequaquam. Quare cùm ad separationem consequatur immortalitas, in eadem retia incidere videtur. Illud etiam in rem facit, quod dixit, cæteras animæ partes non licet separari à corpore, vt quidam crediderunt, Platonem digito indicans, qui sensitiuam etiam ponebat separabilem, atque immortalem, hoc autem dicit soli competere intellectiuæ: quare cùm non in modo separationis, sed in re tantum illum arguat quæ separari potest, manifestum, quod ad immortalitatem & separationem intellectus pertinet, Aristotelem eadem, quæ Plato senserit, etiam sensisse.

Quinta auctoritas habetur in tertio eiusdem: Cap. 5.

Τὸ μὲν γὰρ αἰσθητικὸν οὐκ ἄνευ σώματος, ὁ δὲ νοῦς χωριστός.

Hoc est: *Sensitiuum quidem sine corpore non est, intellectus autem separabilis.*

Hoc dictum sua opinione eludit Pomponatius, differentiam dicens inter sensum, & intellectum haud obscuram esse in separationis potentia: nam intellectus sui natura separabilis est, quia omnes præter humanum verè sunt separati, vt etiam cœlestium intelligentiarum. Humano autem accidit, & si natura sua sit separabilis, vt tamen ob subiectum eius, quod ab anima pendet, ac deinceps à corpore, vt separari non possit: at sensus omnino est inseparabilis natura, cùm nullus absque instrumento, & corpore esse possit: quare ad alias ibidem auctoritates existentes veniamus: etenim dicit Philosophus:

Καὶ αὐτὸς δὲ νοητός ἐστιν ὥσπερ τὰ νοητά, ἐπὶ μὲν γὰρ τῶν ἄνευ ὕλης, τὸ αὐτό ἐστι τὸ νοῦν, καὶ τὸ νούμενον

Quod est: *Et ipse autem intelligibilis est, velut & intelligibilia: in his enim quæ sine materia sunt idem est intelligens, & quod intelligitur.*

Quare iam ipse est substantia aliqua antequam intelligatur, aliter ratio nulla illius est, cur sibi ipsi sit idem, cùm per alia manifestissimum

nifestissimum sit, intellectum intellectui idem esse: omne enim quod est, sibi ipsi idem est: voluit igitur, vt intelligeremus ipsum esse, sed materia omni carere: verùm nec hoc aduersus Pomponatium concludit, cùm esse possit, vt sine materia existat, sed tamen nihil aliud sit, quàm ipsum intelligere, quod etiam ex præcedentibus verbis apertum est: propter hoc optime Simplicius, ac longè melius Aristotelem interpretatur de intellectu passiuo, quòd corruptioni sit obnoxius, quàm Themistius, & Auerroës, qui duos æternos in homine intellectus statuunt, agentem alterum, alterum autem patientem. Sed nec auctoritas hæc aduersus nos est, postquam in hos sermones indicimus, qui agentem intellectum tantum, quam etiam mentem dicere solemus, verè æternum secundum Philosophum ponimus: quare de illo Philosophus sic scribit

Cap. 5. paulò pòst:

Χωρισθεὶς δ' ἐστὶν μόνον, τοῦθ' ὅπερ ἐστὶ, καὶ τοῦτο μόνον ἀθάνατον καὶ ἀΐδιον.

Quod est: *Separatus autem est hic solus, hoc quod est, atque id solum immortale ac perpetuum.*

Impudens sit, hoc exponere de ficta illa immortalitate: neque enim intellectus ipse, qui in homine est, si talis est, qualem Pomponatius prædicat, separatus est, sed separabilis tantùm: nec oportuit vltra immortalitatem addere perpetuum, si natura tantum, ac imaginatione, non re immortalis erat. Sed si hæc verba ad immortalitatem explicandam non sufficiunt, quæso quibúsnam verbis aut melius, clariúsve ipsi explicabunt, vt non modò videantur hi contendere Aristotelem hoc non dixisse, sed etiam adimant illi facultatem, vt nullis verbis hoc dicere potuerit: quandoquidem ego non sciam, quonam pacto vera immortalitatis clarioribus, aut significatioribus verbis possit explicari. Sed si hæc non sufficiunt, clariora etiam, si fieri potest, anterius adiecta verba interpretemur.

Ὁ δὲ τῷ πάντα ποιεῖν, ὡς ἕξις τις, οἷον τὸ φῶς τρόπον γάρ τινα καὶ τὸ φῶς ποιεῖ τὰ ὄντα δυνάμει χρώματα ἐνεργείᾳ χρώματα καὶ οὗτος ὁ νοῦς χωριστὸς καὶ ἀμιγὴς καὶ ἀπαθὴς τῇ οὐσίᾳ ὢν ἐνέργεια ἀεὶ γὰρ τιμιώτερον τὸ ποιοῦν τοῦ πάσχοντος καὶ ἀρχὴ τῆς ὕλης, τὸ αὐτὸ δέ ἐστιν, ἡ κατ' ἐνέργειαν ἐπιστήμη τῷ πράγματι, ἡ δὲ κατὰ δύναμιν χρόνῳ προτέρα ἐν τῷ ἑνί, ὅλως δὲ οὐδὲ χρόνῳ, ἀλλ' οὐχ ὁτὲ μὲν νοεῖ, ὁτὲ δ' οὐ νοεῖ,

Hic autem omnia facit, vt habitus quidam, vt ,lumen: nam quodammodo lumen existentes postea colores, actu colores facit, & is intellectus separabilis est, & immixtus patique non potest, substantia cum sit actus, semper enim honorabilius est quod agit, patiente, & principium, materia: hoc autem est ipsum scientia actu existens, quod res: quæ autem potentia tempore, prior in vno: absolutè verò neque tempore, sed non nunc quidem intelligit, nunc autem non intelligit.

Argumentum est clarum, intellectus passiuus, seu patiens, separabilis est, & immixtus: igitur multò magis agens, quod est nobilius patiente. Non tamen sequitur, separabilis est, & immixtus: igitur separatus & immortalis: nam per patientem intellectum intelligit ipsum lumen, quod quamvis natura sua sit immixtum & separabile, subiecti tamen interitu corrumpitur, sic patiens intellectus: ergo cùm idem de agente intelligi posset subiecit verba illa, quæ anterius exposuimus, scilicet declarantia, ipsum esse separatum actu: non separabilem tantùm, & immortalem: quo fit, vt illum inesse nobis manifestè declaret, cùm separabilem dicat: nam si in nobis non esset, non iam separabilis dici posset, sed separatus: velut Sol oculi comparatione. Cùm verò vltra id, quod est separabile, & immixtum, addit quòd separatus, & immortalis, ac perpetuus, declarat veram separationem, verámque substantiam, ac perpetuitatem: nam nullum accidens separatum dici potest, vix autem ratione ipsa separabile: ergo per patientem intellectum, qui corruptibilis est, intellectum, ac animam rationalem Pomponatij intelligit, in qua ille decipitur: nam agentem vult esse rationalem animam. Melius tamen Pomponatius Auerroë, Themistio, & Simplicio, Aristotelem interpretatur: qui ambos immortales verè, ac separabiles, quasi separatos posuere: cùm patiens apud Philosophum corruptioni obnoxius sit, & si secundum quid, vt dicunt, separabilis sit, atque immixtus. Verùm Simplicius propinquius accedit ad veritatem, cùm etsi corrumpi illum non fateatur desinere, tamen eum non neget. Hoc autem cùm sit nimis superstitiosum, inferius quomodo intelligi debeat clarissimè declarabitur. Verùm si hæc adhuc non sufficiunt, vltima tandem illius verba consideremus, ea autem sunt hæc:

Οὐ μνημονεύομεν δέ, ὅτι τοῦτο μὲν ἀπαθές, ὁ δὲ παθητικὸς νοῦς φθαρτὸς, καὶ ἄνευ τούτου οὐθὲν νοεῖ

Quod est: *Non recordamur autem quia hoc expers est affectus, patiens autem intellectus corruptibilis, & sine hoc nihil intelligit.*

Quasi dicat, agens intellectus est affectus expers omnis, patiens autem corrumpitur in morte, ideo agens recordari non potest: nec merito sui, quia pati, aut recipere quicquam, non est aptus: nec patientis ratione, quia ille corruptus est. Ex his verbis plura debent intelligi, quæ nunc partim dicam, partim suo loco reseruabo, inferius tamen dicenda. Primùm quidem, constare nostrum intellectum agentem verè esse immortalem: absurdissimum enim, & cerdone, non principe Philosophorum dignum, quærere, an recordemur post mortem, si à morte nihil verè superest. Deinde in responsione patientem intellectum mori affirmat, ac corrumpi: qui tamen, si de corruptione, vt intellectus est, loquamur, illi non obnoxius, nec secundum Pomponatium, nec secundum Alexandrum. Agens igitur intellectus est, sed verè superest. Deinde quid hoc est, quod nihil intelligit? cur aliena est quærenda causa, si ipse non est? Meminit Augustinus Eugubiensis vidisse codices, quibus annexa erant hæc verba, POST MORTEM: vt legatur

legatur sic, Non recordatur autem post mortem: atque id iure legi debet, cùm Simplicius etiam sic interpretetur, & ratio ipsa suadeat: namque quomodo patiens intellectus corruptus esse potest, nisi in morte? quare non multùm refert, addantúrne illa verba, cùm ex ipso sensu necessaria appareant, Alterum quod sequitur, est: Intellectum agentem nostri esse partem: nam cùm dixisset, nos non recordari: respondit, quia agens nihil intelligit: quare nostri reliquum putat esse agentem intellectum, tanquàm partem principaliorem. Adducit etiam causam, ipsum per se nihil intelligere, nec adiuuari à patiente: quæ quæstio prorsus nulla, si intellectus agens nostri pars non esset: namque vitiosum est, causam assignare deficientem, vt in Analyticis habetur: quæ tamen si adsit, nihilominus adhuc quæstionis veritas non varietur. Igitur etsi patiens maneret, & agens per se intelligeret, non tamen recordaremur vbi agens intellectus non esset nostri pars: aut si id fieret patientis merito, quorsum attinet dicere, agentem sine illo nihil intelligere? sufficiebat enim dicere, patiens corruptus est, quare non reminiscimur. Neque verò de belluis hoc quærit, quarum tamen anima solùm per accidens corrumpitur: nec de luce solis, corrupto oculo, & si per illam oculus videat, an animal videat, quia lux solis videat, vel non videat oculo eruto, quia lux solis ipsa non videt. Tertium est, quòd passiuus, seu patiens intellectus non verè est immortalis, sed vt intellectus est: vnde mala interpretatio Auerroëm fefellit, si namque solus agens immistus est, atque separabilis, vt secundo de Anima habetur, patiens etsi sit immistus, & separabilis, corruptioni tamen est obnoxius. Quartum est, cùm dixit, agentem esse separabilem, ab homine intellige: cùm autem separatum, à materia, non ab homine. Hæ sunt auctoritates firmissimæ, immortalitatem animi ex verbis Aristotelis ostendentes: quæ subsequuntur, non adeò clarè id ostendunt, neque duæ illæ primi libri de Anima, quæ responsiones potius sunt, quàm determinationes, nihil enim ibi tanquàm determinatum sumi debet, nisi quantum ad antiquorum pertinet opiniones. Cæterùm cùm rationes eius ibi ambas superius tractauerimus, non adeò fauentes parti immortalitatis tantùm Pomponatius immortalitati, qui ex vna auctoritate obiter ibi dicta, tanquàm diuino quodam oraculo innumera erigit fundamenta, quæ tamen, admisso etiam illius intellectu, secundum Pomponatij interpretationem immortalitatem concludunt, vt inferius in declaratione opinionis Aristotelis ostendam. Verùm nunc satis sit dixisse, Pomponatij fundamenta de patiente intellectu esse: imò nos, quod nititur probare, libenter admittimus: agentem autem intellectum nullo modo per se corpore, vel vt subiecto, vel vt obiecto indigere, sed patiente tantùm, ad hoc vt intelligat: hic verò corpore vt obiecto tantùm opus habet.

Cap. 3. Sexta auctoritas habetur XII. primæ Philosophiæ, vbi Philosophus declarans formas non præcedere composita, quærit etiam, an manere possint post illa? & ostendit ad hoc his verbis, ἐπ' ἐνίων γὰρ οὐδὲν κωλύει, οἷον εἰ ἡ, ψυχὴ τοιοῦτον, μὴ πᾶσα, ἀλλ' ὁ νοῦς πᾶσαν γὰρ ἀδύνατον ἴσως. Id est: In quibusdam enim nihil prohibet, veluti si anima tale sit, non omnis, sed mens, omnem namque fortassis impossibile. Huius textus difficultates callidè extulit Pomponatius, vt qui videret pro sua opinione illos esse: nam si mens non antecedit hominem, nec verè subsequi potest: quod enim ingenitum est corrumpi nequit, atque versa vice incorruptibia etiam omnia apud Aristotelem æterna. Si igitur mens cum homine exoritur, solum post mortem manet ea ratione, qua intellectus est, quare sic concluditur propositum. Sed nunc planè verum est, quod Galenus dixit, eos, qui sectis addicti sunt, constantiores esse discipulis CHRISTI, ac Mosis: anne adeò cæcus est Pomponatius, vt non videat, eam auctoritatem, quanquam pro nobis non sit, nulli tamen opinioni magis, quàm suæ aduersari? nam si de intellectu loquitur, & sua ficta immortalitate Philosophus, quid attinebat aduerbium ἴσως, quod est fortassis, addere? an non declarauerat, omnem animam ea ratione superesse corpori, ac immortalem fore: tum verò quid hoc vti dicendi modo οὐδὲν κωλύει. Nam apertè dicere poterat illam manere, nisi & illud in dubio vertatur, an intellectus ipse, qua intellectus est, corruptionis expers sit, quod tamen nec Alexander, nec Pomponatius negat. Deinde quomodo talis intellectus, cùm sit accidens, forma substantiæ dici potest meritò ad Aristotele? nam qui talem ponunt intellectum, non eum debent hominis formam vocare: imò si Alexandro credimus, talis intellectus, vt etiam patet experimento, si nihil aliud est, quàm operatio, non nisi iam perfecto homini accidit, quonam pacto illius forma esse potest? nunquam enim ab Aristotele conceditur, formam posteriorem esse composito, sed natura præcedere, tempore autem simul esse. Illud verò inexcusabile est, quod si de intellectu intelligit, vt huius hominis, non antecedit sanè ipsum hominem, sed nec subsequitur: si autem vt intellectus est, incorruptibilem illum esse fateor, sed etiam eadem ratione æternum, atque ideò corpus præcedere: quare dubiè loquutus est, illud tamen volens, quòd mens, seu agens intellectus vt forma est, non præcedit, sed tamen præcedit. Fit autem hominis forma, & manet non amplius forma existens: Sed tamen hæc propositio vera est, Forma hæc (mentem demonstrando) manebit: non tamen est completa forma: nihil autem interest inter hoc, quod subsequatur, & quod præcedat, nisi quia nondum nomen, aut relatio acquisita sunt, antequàm homo generetur, post autem ambo acquirit. Quæstio igitur Logica est, nec multi ponderis: quæ etsi multis argumentis tentari possit, quia tamen & Philosophus eam leuiter, ac dubiè attingit, ideo nobis hæc sufficiant: tam maximè, cùm nulli magis opinioni, quàm Alexandri, & Pomponatij, hæc auctoritas aduersetur.

Septimum

Cap. 6. Septimam auctoritatem quidam ex secundo de generatione & corruptione afferre solent, vbi Aristoteles contra Empedoclem de anima disputans hæc habet, volens illam docere nec elementum esse, nec ex elementis: Porrò absurdum est, animam ex elementis constare, aut elementorum aliquod vnum esse: quomodo enim animæ alterationes, vt musicum esse, & rursus non musicum, aut memoria, vel obliuio erunt? Perspicuum enim est, quòd si anima ignis sit, eædem illi quæ igni, vt ignis est, affectiones competunt: si verò ex elementorum mistura corporeæ, at harum nulla corporea existit. Liceat admirari hîc Suessani leuitatem, qui hanc auctoritatem pro intellectus immortalitate adducat, adeò impertinentem, vt risum Pomponatio moueat: nam ratio hæc (vt reliqua prætermittam) non de intellectu tantùm, sed de omni concludit anima: at nec de illa immortalitatem vllam, sed solùm, quòd nec elementum, nec ex elementis. At nos iam declarauimus, virtutem esse mistam, nec tamen ob id sequitur eam esse immortalem, imò etiam cum illud ostenderimus hanc temperaturam seu actum cœlestem iam recepisse impressionem, vt in prima auctoritate docuimus: quare inanes has nugas horum profitentium prætermittamus, qui vt velint scire videri, adeò impertinentes in medium auctoritates adducunt, vt non solùm non probent, verùm aliarum fidem infirment: quis enim iure putet, in tanta copia manifestè probantium auctoritatum, his omnino ad rem ipsam nihil facientibus opus fuisse? Similis auctoritas, sed tamen magis ad rem, habetur XXIX. Particula problematum: quærit enim, Cur iustius habeatur apud homines, defunctis opem adferre, quàm viuentibus? Respondet: quoniam viuentes sibi ipsis præsidio esse possunt, defuncti nequaquam. Igitur & per præsidium afferre, & non posse mortuos, videtur mortuos superesse Philosophus affirmare: verùm hic quia seu mortui sint, seu non, pietatis tamen ratio constat, atque ideo problematis solutio nihil concludere videtur. Attamen si mortuos esse non existimabat, dicere potuisset in responsione, quoniam viuentes retribuere benefacientibus possunt, mortui nequeunt. Verùm quia problemata potius à discipulis, quàm ipso collecta Aristotele videntur, nil mirandum, si minus diligenter scripta habeantur: quo fit vt nec in illis enarrandis Græco sermone vti voluerimus, satis ducentes, emendatam esse interpretationem: quod verò in rem facit ex XXX. particula hic subiiciam.

Probl. 9. (margin, beside "opus fuisse? Similis auctoritas")

Probl. 4. Octaua igitur auctoritas ex problematibus, Alexandri & Pomponatij figmentum oppugnat. Quærens enim Philosophus, cur senes sint mente validiores, iuniores autem promptius, ac celerius discant? Respondet hoc ideo esse, quia natura duo nobis dedit instumenta, manus, & mentem: & ne obliuisci nos sineret, iterum repetit his quasi verbis: Est enim mens rebus à natura nobis datis annumeranda, vicem sanè instrumenti gerens: cæteræ omnes scientiæ, atque artes, nostra opera sunt, mentem ipsam naturæ opus esse fatendum est. Et paulò infrà adhuc: Est enim mentis instrumentum scientia, menti namque vtilis scientia est, vt tibicini tibia. Vltimo quæ subiungât in rem addere his conueniens esse puto, dicit enim, Mens igitur ea de causa nobis senioribus potius contingit: discimus autem ocyus iuniores, quia rem fermè nullam tenemus: cùm enim res plerasque scimus, non æquè præterea res alias capere possumus: quomodo etiam meminisse melius ea valemus, quæ mane primum percepimus, deinde procedente die memoria hebetamur, quia multa iam perreptauimus. Vult autem nos melius valere seniores mente, quoniam scientia, quæ mentis est instrumentum, senibus iam melius accessit. Igitur intellectus noster, quem in Græco, codice νοῦν, vt etiam alibi dicit, opus naturæ est, non ipsa operatio, & operatione prior, nec nobis senescentibus senescit. Et qui hunc Aristotelis textum considerat, planè mentem rem naturalem, & instrumentum, atque substantiam, non intelligendi actum, aut animam forma intelligendi iam absolutam esse videt: tum verò maximè, cùm dicat, naturam didisse σώματι μὲν χεῖρα, ψυχῇ δὲ νοῦν. Vel igitur animam, vel imperfectionem intelligere necesse est: animam quidam non: nam illi dari mentem dicit, igitur perfectionem: hæc autem scientia esse non potest, tum quia scientia non est opus naturæ, sed hominis, tum quia dicit mentis instrumentum esse animam.

Nona auctoritas habetur septimo Ethicorum ad Eudemum: quærens enim, quonam pacto fortuna aliquibus suffragetur, principiumque docens esse ex anima, sic inquit: Iuxta finem

Τὸ δὲ ζητούμενον, τοῦτ' ἐστὶ τίς ἡ τῆς κινήσεως ἀρχὴ ἐν τῇ ψυχῇ. Δῆλον δὴ ὥσπερ ἐν τῷ ὅλῳ Θεὸς, καὶ πᾶν ἐκείνῳ, κινεῖ γάρ πως πάντα τὸ ἐν ὑμῖν θεῖον, λόγου δ' ἀρχὴ οὐ λόγος, ἀλλά τι κρεῖττον. Τί οὖν ἂν κρεῖττον καὶ ἐπιστήμης εἴποι, πλὴν Θεός.

Est autem sic Latinè: Hoc autem quæsitum tale, quale de motus animæ principio. Manifestum est autem, quemadmodum in vniuerso Deus, & omnia in illo, mouet etenim omnia, quod in nobis diuinum est: rationis autem principium non ratio, sed præstantius aliquid. Quid igitur scientia præstantius dicitur, præter Deum?

Non obscurum est ex his, aliud rationem, & scientiam, aliud principium quod in nobis est omnium existimare. Hoc autem principium diuinum esse vult: namque qui dicunt, intellectum sic vocatum diuinum esse, ad id agunt Aristotelem, vt nihil doceat: aliud enim intellectum, & mentem, aliud scientiam & intellectum, quo intelligimus, facit. Stultum enim est diuinum toties appellare, quod corruptioni obnoxium sit, cùm nemo tam absurdus sit rusticus, qui non intelligat intellectum ipsum in homine diuinitati cuidam esse simile, vel hoc saltem, quòd omnes mortalium, animamtiúmque facultates, atque cognitiones superet: quonam igitur euadet tanti Philosophi ratio? Simile penè habetur Ethicorum

Cap. 7. rum decimo, cùm dixit: Perfecta felicitas hominis sumpta si fuerit, profectò etiam à longitudine vitæ perfecta, nihil enim felicitatis imperfectum est: talis autem vita naturam hominis superat. Non enim hoc ipso, quo homo est, ita viuet: sed quo in ipso quid diuinum est. Quantum igitur hoc ab ipso composito differt, tantum & huius operatio ab ea distat, quæ à virtute alia proficiscitur. Quòd si mens diuinum ad ipsum hominem est, & vita quæ ab ipsa maneat, diuina est, ipsius humanæ vitæ comparatione. Ego cùm hæc cogito, tum aduersantium huic opinioni pertinaciam, nihil aliud intueri videor, quàm illos, qui paupertatem plusquam diuitias laudant, stultitiam supra prudentiam, & morbos super bonam valetudinem extollunt: quanquam enim ingeniosi videantur, nemo tamen est, qui non apertè intelligat, illos mentiri: & si facilius sit, eas causas defendere, quàm Aristotelem in sententiam mortalitatis animi trahere posse. Nemo igitur Parisiensem synodum, aut Scotum, vel Britonem, Gregorium Nicenum, vel Augustinum, aut Gregorium Nazianzenum, Alexandrumve Aphrodiseum obiiciat: quinetiam Conciliatorem huius opinionis fuisse puto: nam quòd dixerit animum humanum esse mortalem, accusatum ipse se refert: sed & Galenus, sed & Plinius hoc existimant, quamvis de Aristotele quòd hoc senserit, nihil prorsus dicant. Sed audi quæso, vnde hi viri in lapidem impegerint, quantáque fides his circa Aristotelis interpretationem sit adhibenda. Namque Augustinus putat, Aristotelem credere animam humanam esse corpus, facilè est ex hoc intelligere, illum ne Aristotelis membranas vidisse. Nec magis oculati duo Gregorij, quamvis sancti alioqui: quid enim cum vitæ sanctitate doctrinæ peripateticæ? Porrò quis hos homines tueatur, aut ferat? qui tot existentibus difficultatibus in tanta causa, qualis de immortalitate animi habetur, tam inconsultè iudicium ferant? vt homines illos Aristotelem totum euoluisse existimarent. Parcendum est Alexandro, parcendum est Scoto, ac Pomponatio, qui etsi aberrauerint, plurimum tamen laboris insumpsisse in exquirenda veritate visi sunt: sed Alexandrum gloriæ cupiditas impulit, vt cùm Plato immortalem dixisset animum, Theophrastus quoque idem ex Aristotolis sententia affirmasset, melius Aristotelem discipulo suo Theophrasto intelligere videri voluit, ac simul Platonicos in certamen cum Peripateticis committere, vt fora singulis diebus in re tam magni momenti resonarent, Alexander dixit, Argumentatur Aphrodiseus. Verùm Ioannem Scotum nihil magis adegit ad immortalitatem negandam, studio contradicendi beato Thomæ, ac & si nunquam illum legissem, vt primum scirem Thomam immortalem illam pronunciasse, illico quid Scotus dicturus esset, diuinarem: maluit etiam hac in re Auerroi contradicere, tum fermè nouæ opinionis inuentor esse, cùm Albertus & ipse immortalem asserat, & Aphrodiseus, qui vix nunc in lucem exesus, ac paucis cum membris euasit, tunc nullius pretij haberetur. Verùm decebat tamen, vt Alexandrum & Pomponatium rem hanc dilucidius explicare: sed confisus ingenij sui perspicuitati, cùm longè melius propria moliretur, quàm interpretaretur aliena, sententiam verisimilem prætermisit, absurdam amplexatus est: erat autem verisimilis sententia Scoti, hoc modò si probata fuisset: Si principia Aristotelis sequamur, animam potius cogimur humanam mortalem dicere, quàm immortalem. Veruntamen si ex verbis illius sententiam venamur, proculdubio credendum est Philosophum animam intellectiuam immortalem existimasse: sed non sic protulit sententiam, verùm his verbis penè. Non omnia verba, etiam assertiuè prolata à Philosophis, sunt probata per rationem naturalem, sed frequenter non habebant, nisi probabiles persuasiones, vel vulgarem opinionem præcedentium Philosophorum. Iam enim dixerat antè, rationes illas apud Philosophum pro mortalitate concludere, vnde mortalitatem demonstrationibus tribuit, immortalitatem illi, tanquam ex præcedentium Philosophorum sententia, non propria loquenti: cùm tamen, vt ostendimus, manifestè pateat, & clarè, Aristotelem hoc dixisse, & sæpius, nec ex vllius Philosophi præcedentis opinione, cùm illis aduersaretur. Causa tanti erroris fuit, quòd hæc duo quæsita confuderunt, quid senserit Philosophus? quid ex ratione naturali sit manifestum? Peccauerunt autem in vtroque, timentes dicere, Philosophum aliquid aduersum rationes naturales sensisse: nam & de Philosopho aliena existimauerunt, cùm alij in opinionem mortalitatis illum traxerint, alij ambiguum eum fecerint, dubiæque sententiæ: cùm tamen, vt sæpius etiam diximus, ne vel vnum locum possint ostendere, in quo vel intellectus mortalitatem agentis, vel obscurè innuerit, vel illum esse animæ nostræ opus, aut ab animæ nostræ substantia alienum. Herueum autem Britonem, & Conciliatorem ne mihi commemores, nam si de auctoritate certandum est, Ioannem Chrysostomum longè plus his omnibus magnifacio. De Synodo Parisiensi nihil mirum: Pontifices hoc videant, qui dum per impulsum homines ad summos euehunt honores, non ex virtutibus, Synodos etiam constituunt ex his, qui vt diuitiis, & gratia, ac magistratu pollent, sic etiam in eruditione primas sibi vendicant partes, inde grauissimi errores exoriuntur. Sed iam penè suo malo plectuntur. Hæc enim quanquam (vt Philosophus rectè dicebat) parua in principio sint, maxima tamen euadunt in fine: sic minimo errore legati tota Germania à religione abalienata est: sic supra Synodos Synodus, & super Concilia Concilia, quare ne illud etiam nobis periculum adiicitur, vt pro fidei articulo credendum constanter sit, Aristotelem voluisse animum humanum, vel vnum in omnibus hominibus tantùm esse, vel esse mortalem. Plinium relinquo, qui Solem & astra putat ignes à terra eleuatos. Dij boni, ne huic homuncioni naturalium rerum iudicium crediderim? cùm etiam Aristotelem legisset, adeò obesæ Mineruæ

Mineruæ fuit. Pomponatius de gloria decertat. Sed ne his meritò contuleris Theophrastum, Themistium, Simplicium, Ioannem Grammaticum, Auerroëm, Auicennam, Algazelem, Thomam D.D. Albertum, Michaëlem Ephesium, omnes denique Peripateticos alios: ac vt Platonicos, de quibus iam satis dictum est, nunc præteream, philosophiæ principes, qui omnes vnà lensêrunt, animam intellectiuam non solùm apud Aristotelem, quod manifestissimum est, immortalem censeri, sed etiam secundùm Peripateticorum principia dici debere.

Ergo Theophrastus ex Themistij relatione ἐόικε δ᾽ οὖν ὡς ἀγένητος, εἴπερ ἄφθαρτος. ἐν ὑπάρχων δ᾽ οὖν διὰ τὶ οὐκ ἀεὶ ἢ διὰ τὶ λήτη καὶ ἀπάτη ἢ διὰ τὴν μίξιν, Nimis superstitiosum existimo Græca ex his referre, quos non obscurum est, quid dicant, sed potius repetentes claram de hac re sententiam proferunt tum maximè, cum præter id etiam diligentissimè Latinis reddita sint. Sufficiat igitur nunc hæc interpretari, reliqua Latinè addantur. Dicit igitur Theophrastus, Videtur igitur tanquam ingenitus, si incorruptus assistens verò cur non semper mouet, aut vnde obliuio, & deceptio, an ob permixtionem? Et rursus ex eodem: Cùm intellectus homini extrinsecus accedat, cumque tanquã appositus, inuectusque sit, quæritur, quemadmodum congenitus nobis dicatur, demum quænam confirmatio, naturáve illius sit? Certè id quod dicitur, nihil esse actu intellectum, ad potestatem si referatur, omnia rectè hactenus dicuntur, quatenus & in sensu. Non tamen eò vsque ad viuum res est resecanda, neque tam nihil actu probandus, vt neque ipsius sit: calumnia hæc esset, & oratio cauillo proxima. Sed intelligendum, vt in animo talis sui generis potentia sit pro formarum gremio, qualis in rebus materia constantibus facultas illa est, quæ constitutioni earum innitur. Porrò quod dicitur, mentem extrinsecus accedere: non ita statuendum est, vt verè appositus, inuectusque habeatur: sed qui statim ab ortu comprehendere nos soleat. Item, quonam pacto res efficiuntur intellectæ? & qualis passio ea videtur? necesse est enim, vt afficiatur animus, ac quasi patiatur, si prodire debet ad gestionem, quemadmodum sensus: sed cùm incorporeus sit, quî fieri potest, vt patiatur, vel immutetur à corpore? vtrum etiam ab illo, an ab ipso principium esse putandum est? Planè cùm nihil à se ipso patiatur, ipsum pati à corpore videri potest ortum habere. At verò causam præstare omnium actionum, id est vt res intelligatur, vel non intelligatur, quemadmodum & in sensu perspicitur, ab ipso intellectu vtique proficisci videtur. Illud Hercules perabsurdum fortè sit, intellectum, qui naturam materiæ refert, nihil ipsum esse, sed tantùm potentia omnia continere. Hæc cùm Theophrastus dicat, qui tamdiu Aristotelem audiuit, quem ferunt etiam à pedibus illius cubare solitum, cui scholam ille reliquit: nunquid etiam ad hæc habet Pomponatius quid respondeat, intellectus ille agens de foris venit & nobiscum connascitur: non igitur anima est intellectiua actibus formata intelligendi, cùm ea non nisi tempore perficiatur, nec tamen sit agens intellectus, hunc tamen solùm mentem Aristoteles vocat, hunc de foris, vt ille vertebat, venire affirmat: non passiuum intellectum de foris venire dicit Theophrastus. Sed in re adeò clara longiusculi facti sumus ob hominum stultitiam, qui magnis nominibus, non rebus ipsis fidem habent.

Sequuntur autem Themistij & Simplicij authoritates, quæ de agente non discrepant, patientem verò etiam faciunt immortalem. Sed cùm nemo neget, illos cum nouis de agente concordare in immortalitate, exténtque eorum libri apud omnes, tam clarè hoc affirmantes, superfluum duxi ex his quicquam adiicere. Michaëlis Ephesij verba tantùm subiungere libet: ea autem x. Ethicorum super illud Philosophi, βέλτιον μόριον ὁ νοῦς ἡ μῶν. Sic Latinè translata se habent: Particulam inquit meliorem, & hominem dicit mentem nostram. Siquidem verum, & maximè hominem in rationali vita constituit, eumque duplicem: alterum ex rationali anima, & corpore, cuius beatitudinem definiuit in magnis Moralibus, & in primo huius operis libro, viuere secundùm virtutes. Alterum autem qui primò, & verè homo sit, mens nostra, de qua prosequens disseret: quicquid autem hoc est, à corpore segregatum est. Et ex his item sit perspicuum, Eos, qui dicunt, Aristotelem opinari animam mortalem, nihil verè loqui. Sed tamen hic forsitan & Philoponus, ac Thomas, tum Albertus parum nobis fauent, quoniam nimis apertè tum etiam, quòd ne religionis amore moueantur, suspicari quisquam posset: nam Thomam, & Albertum, vt qui in diuos referantur, nemo est qui ambigat, illos fuisse religiosissimos: Ioannes Philoponus Alexandrinus contra Proclum, & Seuerum multa pro christiana fide scripsit, ausus etiam mundi ortum asserere, quod quàm piè, nemo dubitat: quàm peripateticè, omnes intelligunt: mihi vnus Theophrastus sufficiet pro omnibus in Aristotelis sententia declaranda, alios authores ad pertinacium virorum retundendam petulantiam adiecimus, quanquam adeò clara sint in hac disputatione verba philosophi, vt nullo (vt diximus) iam interprete indigeant: quin & ipse Aphrodiseus quasi veritate ipsa rei conuictus, in hunc modum problema conscripsit, volens rationem reddere, cur temperatura corporis ad animæ operationes sit necessaria. Animam rationalem per se quidem immutabilem, facultate manentem, assequutam actum propter immortalitatem, nactamque rursum organum aptè dispositum, facultatem ad actum probè deducere. Hoc autem, vt visum est, de omni concludit anima, dissolutumque prius: sed tamen non id verum est, Alexandri pace: nisi hoc intelligatur, quòd anima ipsa rationalis habeat impressionem illam cœlestem, per quam semper manet, nec vitietur organi intemperatura. Hoc autem ex animæ substãtia pendet, & (vt declaratum est) commune omni animæ: quare non ad vim rationis, aut

immortalitatem referri debet, quæ ex opinione Alexandri soli intellectui competit, atque ei, vt actioni, vel affectui cuidam, non substantiæ, nec verè, sed secundùm similitudinem: quamobrem plus ad Alexandri inconstantiam ostendendam, quàm ad declarandam Philosophi mentem, hæc auctoritas facit. Sed iam tempus videtur, vt rationes, quibus ad tantam rem asserendam Philosophus deductus, imò compulsus est, in medium proferam.

RATIONES ARISTOTELIS pro Animi immortalitate

XXII Etenim quid eum coëgerit, cùm tot, tantásque vidisset difficultates, neque enim quicquam eorum, quæ diximus, aduersus animi immortalitatem Aristotelem præteriit, confiteri tam apertè animi immortalitatem, non enim leue aliquid existimandum est, dicendum nunc puto. Namque plurimos, imò omnes expositores hac in re, non solùm inter se discordes, sed etiam indigna tanto Philosopho sentire video: illorum autem neminem, Proh superi, illius mentem intellexisse. Alius mortalem eum credidisse affirmat, alius inconstantem, cùm nemo firmior, nullus cautior extiterit in scribendo. Mortalitatem verò adeò semper in hac causa exhorruit, vt ne vnquam in scriptis suis vestigium reliquerit. Quid igitur mirum, etiam nunc Philosophos nostri æui supercilio intolerabili nihil scire, sed perstrepere, nullisque conuinci rationibus, etiam si demonstratiuæ sint. Sufficit enim ne quis in hominum turba, aut coram adolescentulis posterior dicat, aut vt nugetur copiosius: quinetiam, vt admirabiliores videantur, ea dicunt, quæ nec intelligunt ipsi: namque alios quis credat intelligere, quæ illi, qui dicunt, haud percipiunt, consultéque nullo consensu proferunt, vt docti videantur, imitantes obscuritate verborum meliores, sed non inanitate sententiarum. Alij ex his, prauos semper, ambitiosósque ac nugaces appello, non putant se Philosophos, ni primùm hæreticos, ac flagitiosos se ostentent, adinuenêre etiam verba insustitata, vt postquam nihil sani, nihil veri proferunt, barbarie incondita ab eruditis se tueantur. Qua de causa non purum dicendi genus nos seruare voluimus, ne illorum socordiam atque ignauiam imitari, non tam eorum imperitiam arguere, quàm reprehendi ab illis posse velle videremur. Ergo vt ad tractationem veniam, cùm non tantùm flagitiosa horum ignauia, atque superbia à proposito, quantum me fatum quoddam, quo adigi me sentio, reuocauerit, non secus Aristotelem in animæ rationalis enucleanda immortalitate, quàm Archimedem in Sphæræ, atque Cylindri hemiolia ratione demonstranda processisse video. Hic enim admirandum Theorema, ac basim multarum contemplationum omnibus neruis, multisque problematibus ac rationibus construxit: ille omnium naturalium considerationum finem, ac perfectionem, cùm videret esse rationis participem animam, ad illam declarandam omni studio, & multis demonstrationibus conuersus est: neque enim diuina, nisi tenuiter nobis patent, neque in humani nostri intellectus substantia quicquam nobilius est, aut scitu iucundius. Quamobrem nil mirum, non solùm diligenter, atque studiosè de illo, sed etiam longa præter suum morem oratione tractasse. Quid enim, vt quidam fabulantur, illum adegit, vt tam admirabilis rei inuentor diceretur? an timor legum? an populi verecundia? an ambitio nouitatis? Cùm Plato ante ipsum iam animum dixisset esse immortalem: ipse verò nec Deorum, nec originis mundi, quæ ad pietatem tunc pertinere videbantur, vllam rationem habuerit. Secundo etiam primæ Philosophiæ leges irridet, puerilia, & fabulosa illas continere dicens: quódque maius est, referunt, sacra Cereris illum pellici mortuæ factitasse, ob quod etiam crimen in exilium actum in Eubœam ex Athenis: sed certum videtur, ob religionem spretam Academia pulsum. Itaque quod sensit, scripsit, neque in gratiam cuiusquam, aut ob spem, vel metum: quandoquidem nec felicitatis, nisi tenuiter, aut miseriæ post mortem meminerit: & palàm secundo primæ Philosophiæ atque audacter in omnes leges inuectus sit, fabulas eas appellando. Cap. 14.

Quæ autem in rem faciunt hæc sunt: Inspexit quòd haud dubium est in homine plurimas esse facultates, viuendi, sentiendi, imaginandi, memoriæ, rationis, impulsus, voluntatis, intellectus: atque hæc omnia quidem homini inesse propter animam, cùm inanima omnia prorsus his careant: cernebat etiam, quæ viuebant, principium habere quoddam in se, quo alerentur: at contrà, quæ anima ipsa carerent: ob id igitur, libro de Animalium motu, Inanimata exteriore principio moueri dixit, animata interiore: mouentur etiam quæ animam habent ad omnes differentias, atque in ambitum quasi circulari motu, seu cùm augentur, seu cùm nutriuntur: quò fit, vt vel ex omnium elementorum viribus constent, vel etiam cœlestem aliquam habeant facultatem. Sed postmodum cùm in vnoquoque virtus sibi simile generandi indita sit, vbi tot instrumenta, tot functiones necessariæ erant, diuinam quandam, ac cœlestem in omnibus virtutem affirmauit, vt in secundo de generatione Animalium ostendimus, quam etiam in secundo Naturalis auscultationis asserere videtur. Itaque haud dubium est, cùm cœlestia omnia natura sua sint immortalia, hanc virtutem alicuius immortalitatis esse participem. Sed quia non secus, ac in aëre Solis lumen cœlestis illa vis est in corpore nostro, cùm quoddam sit accidens, nec per se subsistat, subiecta re corrupta corrumpitur: sic lumen aëre permistato, vel corrupto, vel obice interiecto: sic vis illa diuina corpori quadam solùm similitudine inhærens, eo corrupto dissipatur, atque dispergitur. Hoc igitur primum est eorum, quæ Aristoteles non dubiè animaduertit. Cap. 1.

Post

Post sensus ipsos exteriores contemplatus aliquid etiam dignius, quàm quòd viuerent, habere cognouit: nam sensum à materia seiunctas formas comprehendere pronuntiauit,
Cap. 12. secundo de Anima, atque ob id non sentire plantas, nihil enim habent illæ, quod à materia vel separari queat, aut sit separatum, nec tamen ab omni materia illi separant, sensus dico, sed ab ea tantùm, quæ corruptioni subiacet: nam longitudinem, latitudinem, ac cætera accidentia, quæ etiam cum materia coniunguntur, sensus apprehendunt: diuinius igitur aliquod habent sensus, quàm animæ viuentium: quam ob causam non solùm Plato belluis animorum concessit immortalitatem, seu Philosophus ipse illis meliorem immortalitatis rationem tribuit, quàm eam, quæ vegetatrici est ab illo concessa. Dicit igitur, (nec enim repetere piget) primo de Anima: Si oculum iuuenis senex accipiat, non secus ac iuuenis videbit. Quasi dicat, anima nihilo ob senectutem deterior eo, quod prius erat, facta est: eandem enim rationem cum intellectu subit sensus, neque in vllo differre videntur, si ad animam tantùm referantur: vterque enim violari per se nequit, vel imminui, sed illi vel ob instrumentum deficiunt ab operatione, vel anima sublata corrumpuntur. Ob hoc igitur non solùm sensus corruptionis expers est, quòd nec in morbis, nec in senectute anima languescat, id enim posterius est eo, quod demonstrari debet, quamvis apertius: sed quoniam & ipse sensus à materia abiunctas res apprehendit, quod & Alexander ipse non semel declarat. Atque huius forsitan locus esset demonstrationis, sed cùm omnes id fateantur, ille verò inter cæteros pulchrè hoc docuerit, multáque alia sint iam declaranda, cùm quilibet in se hoc experiri possit, prætermittam: atque docebo iam, quid sit inter sensum, atque intellectum similitudinis, nempe maxima, atque multiplex: primùm quòd vterque (vt dictum est) res à materia separatas agnoscat, vterque etiam ab alio mouetur, ab obiecto siquidem: sensibilia enim sensus, & quæ intellectus intelligit ideo vterque apprehendit, quoniam ab illis mouentur: quòd etsi agentem constitueres in hoc sensum atque intellectum, facilius esset animi immortalitatem ostendere: sed tertium est, in quo consentiunt, non solùm sensus, & intellectus, sed imaginatio: omnes enim, vt in libro de animalium motu dictum est) eandem habent sedem, siquidem animam: atque hoc ea ratione (vt ibi docet) demonstratur, quòd omnes hi, de his quæ agnoscunt diiudicant: nam quod magnum sit vel paruum, idem an aliud, agnoscit imaginatio & sensus, ac multò melius inter hæc rerum differentias intellectus agnoscit: non sic autem memoria, neque enim illa diiudicat. Porrò quòd ibi rationem per mentem, quam etiam νοῦν solet sæpe appellare, intelligat, nemo est qui dubitet. Rationem autem dico cogitationem ab Auerroë dictam: sed siue hanc, siue intellectum patientem, vel materialem intellexerit, nihil hoc nos torquet, quandoquidem hoc solùm ad demonstrationem Aristotelis pertineat, quòd intellectum, ac sensum plurima intercedat similitudo, quæ tamen ad immortalitatem nos nihil iuuat docendam, sed ad sensum tamen Aristotelis interpretandum est necessaria.

Vnum verò adiecisse operæpretium est, animæ sedem omnis in ea parte cordis esse, vt ibi ille subtili demonstratione ostendit, quæ quiescit: quod enim mouet immobile esse decet, & eo in loco, in quo omnis motus origo esse cernitur: tale inquam est cor, atque eius pars, maximè quæ in se quiescit: anima igitur illic est in magnitudine, non tamen magnitudinem habens. Sic inquam Philosophus eleganti, atque admiranda disputationis serie nos edocens etiam quomodo per conatum moueat spiritum, & quomodo membra assuetudine etiam sine spiritu pareant voluntati, non secus ac in bene ordinata ciuitate. Sed & illud animaduertendum, reliquas corporis partes animatas dici debere, non quoniam in his sit anima, namque in solo corde sita est, vel etiam maximè in eo, quod ibi continetur: videntur enim propter contenta esse vasa, non propter vasa quæ in eis continentur: nobilius enim est, cuius causa alia sunt, quàm quod alterius causa est: igitur in cordis meditullio ad complantatum spiritum, non solùm in hominibus, verùm etiam in belluis, quæ corde non carent, anima ipsa sita est. Manifestum est autem, quod iuxta Hippocratis sententiam, in sinistro illius ventre mens ipsa habitat, inquit enim in libro περὶ καρδίης, seu de corde:

Γνώμη γὰρ ἡ τοῦ ἀνθρώπου πέφυκεν ἐν δὲ λαιῇ κοιλίν, καὶ ἄρχει τῆς ἄτης ψυχῆς.

Id est: *Cognitio enim hominis genita est in sinistro ventre, & principium reliquæ animæ.*

Sed ad sensus rationem denuò reuertor, is sua natura medio modo se habet: mortalis enim est, quoniam non sine corpore, nec quòd sentiat vllum, mortis expers inuenitur: qua autem ratione à materia res seiunctas sentit, & qua in anima est, immortalis quasi est, atque nobilior, cùm sit proculdubio sensitiua anima ipsa, qua viuimus: liceat tamen, vt inferius docebimus, eam sub eodem gradu nobilitatis, seu actus collocare, atque cum his etiam imaginationem, memoriam, & rationem: sed de illis vt humana sunt, inferius dicemus.

Meritò igitur patiens intellectus huic sensitiuæ facultati succedebat: atque cùm similes illi esse viderentur, Philosophus in secundo de Anima inuicem eos distinxit, ne tandiu in hoc errore moraremur: nam plerique ex antiquis, tum Epicurei omnes, & Pyrrho, intellectum sensum esse credebant: itaque illud subiunxit, De intellectu autem, & contemplatiua potentia nihil adhuc dictum est. Ratione autem differentiæ subiungit dicens, aliud nos opinari, ac sentire non obscurè esse, quòd vtriusque ratio principij sit diuersa intelligere, verum posterius hoc (nam locus admonendi non demonstrandi erat) edoctorum. Igitur cùm ad initium tertij libri peruenisset, nil amplius docere se cupere ostendit, quàm sensus atque intellectus differentiam:

capite enim tertio inquit, Cùm autem duabus Prisci differentiis animam, motione scilicet accommodata, intelligendóque ac discernendo, & sentiendo diffinierint, considerandum est, quid inter intelligere, sentiréque intersit. Vnde etiam alij iuxta id initium tertij libri statuunt: sed hoc nihil ad rem: Illud potissimùm ostendere nititur, patientem intellectum sua ac propria natura esse talem, vt pati non possit, & ideò immortalis etiam, atque similis cæteris diuinis substantiis. Hoc autem maximè nititur fundamento, quòd cùm sensus à forti sensibili lædatur, dico autem excellens sensibile, etiam si organum sensus nulla ex parte lædat, intellectus a nobili intelligibili perficitur: nam cùm intellectus nequaquàm in materia ipsa fundamentum tanquàm in subiecto habeat, imò nihil si eorum, quæ ante ipsum intelligere: haud dubiè patet, illum à materia esse sua, ac propria natura seiunctum, atque ideo diuinis persimilem. Et hæc ratio minimè cùm possit infringi, nihilominus Alexandrum, atque Pomponatium auxiliatores habet: nam & ipsi fatentur, intellectum hunc patientem materia subiecta carere, ac sua natura immarcessibilem, tum denique diuinis persimilem: atque nos hoc voluisse Aristotelem concedimus, tum & omnia, quæ insuper addunt, scilicet, quòd verè tamen corrumpatur in morte, & quòd forma sit hominis, & quód à corpore, vt obiecto pendeat, & quòd nihil sit eorum quæ sunt ante intelligere, Aristotelem proculdubio sensisse fatemur: quare nec in his, nec in differentia, quam cum sensu habet, eam autem nunc dicemus, nullo modò aut de rationibus, aut de sententia Aristotelis aut dubitamus, aut inter nos vlla est dissensio. Est autem multiplex differentia inter sensum & intellectum: Prima igitur, quòd sensus semper est in materia, tanquàm in subiecto: intellectus semper ab illa remouetur. Altera, quòd sensus ab excellenti sensibili corrumpitur, etiam si organum non lædatur, intellectus ab excellenti intelligibili perficitur. Tertia, quòd sensus instrumento indiget, intellectus autem nullum habet proprium instrumentum. Quarta, quòd sensus est aliquid antequàm sentiat, intellectus autem nihil est eorum quæ sunt antequàm intelligat, si illius auferas præparationem. Quinta, quòd intellectus ab omni materia res seiungit, non in illis magnitudinem, aut motum, aut situm considerans: sensus quanquam absque materia comprehendat, non tamen absque his materiæ conditionibus. Sexta, quòd intellectus vniuersale ipsum intuetur, at contrà sensus singulare, quibus aliæ non paucæ conditiones, ac differentiæ succedunt: nam intellectus infinitus quodammodo est, sensus terminum habet, tum maximè qui in belluis, aut etiam in homine, si sit exterior. Est etiam intellectus successione quadam perpetuus: namque scientia, qua Conchoydes ego noui lineas semper approximari rectis, ac nunquàm cum illis tamen concurrere, eadem illa est, qua etiam Nicomedes earum inuentor illas nouit: namque medium est idem, angulo oppositos inuicem æquales esse, & duas rectas nullam posse concludere superficiem: at sensus, quo vidit has in tabella depictas alius fuit, quàm is, quo ego illas descripsi: nam nec necesse est, easdam lineas, aut eiusdem speciei, vel magnitudinis conchoydes ab illo, & à me in tabella esse depictas. Quare cognitio quidem per intellectum vna est in omnibus hominibus, manente obiecto eodem, ac modo intelligendi. At sensus operationes quonam pacto omnibus possunt esse eadem, cùm alter altero melius videat, audiatve, nec sint eædem, quæ videntur, aut audiuntur, numero, imò neque similia: quò fit, vt sensum in alium transferre nemo possit, intellectum certè possit. Atque id si intellectus patiens immortalitatem, ac vnitatem appellassent Auerroës, & Themistius, certè parum à verò aberrare poterant: Sed cùm substantiam quandam, nec formam, (vt multi putant) nec patientem, sed materialem intellexissent, ne vel Cicero orationibus, vel Chrysippus illos defenderit syllogismis, atque fallaciis. Accedit vltimò, quod intellectus hæc ex illis struit, atque continuò à materia magis recedit: velut siquis in altum extruat molem, sensus nihil horum efficere potest: sed vt primùm à materia recessit, eadem semper in distantia manet, nec ab illa plus solito recedere potest: quò fit, vt nec augeri alia aliis superstruendo valeat ipsum ad modum intellectus, qui ex prioribus alia semper inuenit, nullum sibi statuens talis functionis limitem, nisi vel morbum, aut debilitatem, aut mortem, aut obliuionem, vel impedimentum: quare etiam super se ipsum retorquetur, ac semet comprehendit, cùm nullus sensus hoc efficere valeat: ad diuina etiam penetrat, omni sensuum generi abdita. Quæ omnia, cùm ab omnibus, etiam qui animum volunt apud Philosophum esse mortalem, ex quo concessa sint, atque demostrata, nullum mihi nec in ostendendo negotium exhibent, aut controuersiam excitant aduersus quemquam, omnia igitur hæc tanquam non solùm ab Aristotele demonstrata, sed ab illis etiam confirmata admittimus: cùm certum sit, intellectum, quatenus intellectus est, patientem natura immortalem, verè mortalem esse, ad amussim medium diuinorum, & corruptibilium. Nec his contentus, nam illis morem gerere cupio, quantum possum, qui mortalitatem animi testantur: homines enim clari sunt, atque eruditi. Fateor igitur, hominem etiam mortalium rerum esse medium, ac diuinarum: nam intellectus, qui suprema illius pars esse videtur patiens, vt visum est, eiuscemodi est: neque verò, si materiam velis, hunc esse non patientem digladiabor tecum: quamvis ex his statue, nam naturalis est antequàm recipiat, cùm recepit patiens: qualemcunque igitur ex his talem statueris, qualem nuper diximus, nostra nihil refert: nam de ipso contentio non est: quæ si esset, diligentius hoc discuteremus: nunc satis sit, quendam esse intellectum præter agentem, quem quilibet esse intelligit, ac videt, qui natura quidem materia caret: quoniam tamē ab obiecto pendet, non verò potest separi, sic vt mortuo homine per se maneat: at verò

de

de intellectu agente, quanquàm quòd sit, concordes simus: quia tamen imperitorum more disputantium, cùm ex hoc sequi aliud præter opinionem cernerent, negare possent: tum quia non ex verbis nunc deducendæ rationes sunt, sed illud demonstrandum, quid Philosophum ad immortalitatem credendam impulerit: ideo quomodo hoc Philosophus ipse ostendat, paulò altius est repetendum. Igitur cùm in omni natura agens & passum inueniatur, tum verò actus, atque potentia: nam actus, quo Deus est purus, eiusdem generis, tùm potentia materiæ, quæ actu caret, cùm aliorum actibus atque potentiis non est: ergo in sensu non solùm est quod patitur, verùm & quod agit, primáque impressio patiendo fit: nam formas rerum recipit sensus, atque eas, vt dictum est, absque materia: neque enim oculus, dum album cernit, candidus: aut auris, dum concentum audit, sonora, & harmonica: Communis autem sensus, qui diiucat, quique verè sentit (vt Philosophus censet in libro de Somno & vigilia) actiuè concurrit, & cum illo anima: organum igitur verius, quàm sensus patiendo concurrit: tum verò quæ potentia sensibilia sunt ad actum per aliquid aliud reducuntur: nam colores per lumen ex potentia in actum prodeunt: similiter & in generationibus omnia quæ in potentia materiæ sunt, ad actum saltem per calorem cœlestem deducuntur: & generaliter, quæcunque imperfectionem sortita sunt, vt passa potentiæque, ad hoc vt perficiantur, mouente, agentéque indigent: nec æqualis est necessitas imperfectorum ad perfecta, vt perfectorum ad imperfecta: similiter & in intellectu accidit. Quapropter tertio de Anima c.v. rectè inquit. Cùm autem in omni natura sint quædam, quorum alterum quidem vnicuique generi materies est, ac id etiam patere potest, cum potentia cuncta sit: alterum verò causa est & efficiens, omnia nimirum agendo, atque efficiendo, talem subiens rationem, qualem ad materiam conditionem ars subit: necesse est in anima has differentias easdem inesse. Atque quidam est intellectus talis, vt omnia fiat, quidam talis vt omnia agat, efficiatque: qui quidem vt habitus est quidam, ac perinde, vt lumen: nam & lumen colores qui sunt potentia, actu colores quodammodo facit. Nisi anima haberet actiuum aliquid, imperfecta omnino esset, & multis aliis deterior rebus, quæ tamen illa genere sunt inferiores. Hæc ratio est prima atque clarissima. Altera, Sensibilia quæ solum potentia sunt intelligibilia quomodo intelligentur, nisi ab aliquo efficiente, seu agente intelligibilia actu efficiantur? velut colores, cùm non sint actu colores, nisi à lumine illustrentur, si videri debeant, lumine proculdubio indigent: igitur intellectum aliquem agentem esse necesse est: huiúsque cùm nulla sit cum aliis discordia, qui animum censent esse mortalem, negligentius paulò egimus, tum maximè cùm argumentum id ostendat, quod quilibet in se manifestè agnoscit, esse scilicet in nobis actiuam quandam vim seu Cap. 37. in sentiendo, seu in intelligendo. Omitto & 49. quòd Auerroës, maximus Aristotelis interpres, hoc in expositione secundi libri de anima concesserit, tum Alexander in paraphrasi, & cæteri expositores, è quibus vnum Magnus Albertus, quis hoc iure negare possit in sensu? cùm aliud sit iudicium sensus, aliud sentire: sentimus: nec nisi sensu nos sentire, atque cùm hoc adeò in sensu sit manifestum, in intellectu etiam clarius est, vt Auerroës affirmat: quare vt sensum agentem, sic intellectum ponere nobis necesse est. Sed cùm (vt diximus) hoc nemo neget, ad alia transeamus, ostendentes quod superest, Intellectum agentem hunc in nobis esse: sed prius obicem quendam discutiamus, ne more Philosophãtium nostro tempore in facilibus nũgantes, in difficillimis conniueamus. Itaque iam dictum à nobis est, animam esse in spiritu, atque id ratione confirmatum, quæ illi membris sint nobiliores. XXIII. At verò & id rationi consentaneum: sunt enim spiritus, vt actus, & artifices ab anima ad membra ipsa delegati: at contrà membra instrumenta, atque ad animæ facultates in potentia se habentia: quare animam in spiritibus cordis, firmioréque parte habitare consentaneum esset, nisi illud obstaret, quòd cùm spiritus perpetuò generentur, corrumpantúrque, anima autem non solùm in illis resideat, sed etiam eorum sit forma, atque actus, necesse erit animam singulis momentis permutari, nec vllum hominem eundem esse, qui pridie fuerit. Hanc verò difficultatem Galenus monisse videtur in Cap. 2. libro, cui titulus est, de vtilitate respirationis: respondétque in hanc ferme sententiam Asclepiadi, qui hoc (vt puto) argumento ductus, singulis momentis alium hominẽ fieri affirmabat, anima (vt dixi) permutata. Ostendimus autem animam, & si non vna per totam vitam permaneat, longo tamen tempore eandem esse. Itaque hoc argumento (ni fallor, nam aliud fortius ad hoc demonstrandum inuenire non queo) adductus est Galenus, vt fateretur, vel hominem eundem permanere nõ posse, aut animam corpore ipso non secus ac nautam naui vti, vnde in v. digestorum Iurisconsultus Alphenus, sub titulo de Iudiciis, lege proponebatur: sanxit, Hominem quamvis tempore secundum omnem partem transmutetur, velut & senatum, qui perpetuo successu reparatur, etiam post aliquot secula eundem dici debere. Quare & ex exemplo, quòd totus homo immutetur, clarum & quòd sententia ea sit Iurisconsulti verba declarant, & quòd hæc opinio olim celebris fuerit auctoritas, ostendit cùm inter leges ab Imperatore relata sit: quæ tamen omnia quis non videt ex hoc vno pendere fundamento, quòd animus ipse mortis legi obnoxius sit. Quare ne adeò neglecta ratio pro Platonis opinione, atque pro communi omnium animorum immortalitate fuerit hæc, quòd necesse sit, si anima mortalis sit, etiam idẽ animal per totã vitam non idem numero esse: nec turpe mihi duco, si ambitiosus Galenus argumentũ hoc, quod, aduersus opinionẽ suam apertè militat, diluere nõ est ausus, quod ego & ipse nunc ad ingeniorum experientiam prætermittam illud: tum præsertim, quòd in libro Floridorum dissoluere aggressus sim. Id tamen nunc non silebo, esse aliquid medium in corde inter spiritus

spiritus ac membri substantiam, quo corrupto, vel minimum vitiato exhalat anima, substantia quidem spiritu durior, ac perennior, facultate non illi absimilis: namque quisquàm animam membris, aut cordis substantiæ infigat, non est, cùm & ipsa vt reliqua motum recipiat, non det, virtus verò per eam partem vniuerso corpori distribuitur, per quam totum dicitur corpus animatū, arteriæque sponte velut & cor mouentur?

Ergò vt ad intellectus agentis rationem accedam, duas de nobis mouet quæstiones Philosophus admirabiles, ac quasi inuicem pugnantes: Alteram, Cur cùm volumus intelligimus: alteram, Cur non semper intelligimus? Videntur autem inuicem pugnare: nam si agens intellectus intra nos est, cur non semper, vt reliquæ intelligentiæ intelligimus? nam proprium munus est intellectus intelligere, velut animæ, vt viuat: nec verò anima sine vita esse potest. At si extra nos est, cur voluntatis arbitrio subiicitur? experimento enim deprehenditur, nos longè melius cum volumus intelligere, quàm sentire. Itaque hanc tanquàm clarissimam silentio prætermisit, contentus docere, agentem intellectum eandem rationem subire cum sensu, quòd in nobis sit, & quòd non alius sit à patiente: nam patiens imago est quædam agentis. Soluit autem primam, docens, agentem intellectum non esse eum, qui intelligat, cùm iam patientem præsupponat: sed facere, vt patiens ipse intelligat. Propterea lumini illum comparat. Itaque postmodum quærit, Cur non reminiscitur hic intellectus post mortem? hunc igitur, vt declaratum est, manere vult, & nostri esse partem: nam si alteram istarum conditionum sustuleris, quæstio nulla est: Nam si non verè manet, quomodo recordatur: si non est nostri pars, quî potuit scire? Sed hæc per transennam, neque enim nunc necessaria ad probandum intentum rationis Aristotelis sunt. Nec duo solùm animaduertere decet, illum docere, agentem intellectum non semper intelligere, quia nec patiens semper intelligit: at patiens non semper intelligit, quia non semper est, pendet enim à corpore, nec vllam habet substantiam, nisi semetipsum: vt igitur in morte cessat, sic & cùm non operatur. Reliquum quòd intellectus noster agens in nobis est, quia cùm volumus intelligimus. Propterea etiam quærit, qui prior sit: & manifestum est, quòd quomodo patiens prior est, natura autem agens: nam intellectus agens non intelligit, nisi iam patiente existente: patiens autem mouetur à sensibus, sensus ab obiecto, inter quos etiam memoria adnumeratur: nam vt habetur in libro de Animalium motu, memoria mouet mentem spe media, iocundo, ac tristi simulachro proposito: nam bona, & sperata (dicit) appetimus, & ad ea accingimur, fugimus mala, si adesse crediderimus: sed hæc, vt dicunt, potius in practico intellectu. Verùm memoriæ (vt in libro de Memoria docetur) sensus suggerunt similitudines, atque inter sensus imaginatio annumeratur, est enim sensus interior: quare agens intellectus non semper interlligit, quia patiens non semper. Ridiculi igitur sunt, qui agentem intellectum Deum esse statuunt: nam nec ille in nobis est, nec nunquàm non intelligit, nec patiente indiget, & si ille sit, iam nos non actiuè intelligimus, sed passiuè tantùm. Quamobrem benè dixit Auerroës, de agente sensu siluisse Aristotelem, non de intellectu, quòd hic obscurus non esset. Nunc igitur quid intersit inter nos, & Alexandrum, facile est intelligere: nam agentem hunc nos declarabimus immortalem, aliúmque à patiente intellectu, non quidem, vt duo omnino sint, sed quoniam patiens separabilis inquam est, sed agens separatus, hunc etiam esse substantiam aliquam, neque ipsummet tantùm. Est verò XXIV illud apud Alexandrum difficillimum, quod si agens intellectus nulla natura est: sed actus tantum eius qui intelligit, quonam pacto primam formabit intelligendi actionem, nullus iam actu existens. Verùm fortasse Deum agentem constituit, qui illuminet: alium verò facit agentem, qui in nobis sit, & qui diiudicet: quare melius sic defendi poterit, quanquam hoc non ipse dixerit. Sed si Deum facimus agentem intellectum, aut semper faciet vniuersalia hæc, aut non: si sic, iam ad ideas Platonis necessario confugimus, nec ex singularibus vniuersalia colligentur: si non semper, quonam pacto intellectus cùm volet, intelliget? hanc ob causam agentem intellectum Deum noluit (vt existimo) ponere Alexander His tandem declaratis, videtur argumentum ipsius Philosophi demonstrandum, si prius tamen quædam quæ in nobis sunt, edocuerimus: ea autem sunt hæc: Cùm nobis, ac belluis communes sint sensus exteriores, interioresque, maxima tamen in interioribus hominum, & belluarum differentia intercedit: nam imaginatio, & ratio ipsa ad infinitum se extendunt, cùm nullis limitibus in homine circunscribantur: at belluæ solùm ea imaginantur, quæ viderint, aut senserint, nec infinitam vim habent illorum virtutes: existimant & belluæ, sed in paucis illarum hæc vis apparet, & obscurissima est: maximam enim creduntur habere Elephantes, & simiæ, post quas canes: nam & dum hæc emendaremus, quidam simiam circunferebat equos regentem, multáque alia visu atque auditu mira faciebat: hæc tamen animalia velut implumes aues à nido, sic ipsa à præsenti sensu discedere non queunt: verùm memoria adiuuantur, quæ in illis adeò eminet, vt non secus, ac sensus exteriores communis, ac sine discrimine vllo hominibus, & belluis impartita videatur, atque id ratione: nam reminiscentiam solis hominibus natura dedit, quæ memoriæ vice in nobis fungitur, & huic quemadmodum imaginationi, & rationi sine termino vim, ac potentiam largita est: nimirum igitur homines nulla in parte facilius lædi facultatum animæ interiorum, quàm in memoria, quòd ea maximè corpori annexa sit: est enim memoria quasi etiam in membris ob consuetudinem sita: nam nulla cogitatione citharam pulsamus, & rectè, vt digiti absque memoria moueantur: nam memorantes etiam aliquando nihil comprehendimus, velut pueris accidit, cùm longas orationes

recitant

recitant velociter, vbi nec intelligunt quicquam, & ſi illos moreris obliuiſcuntur. Igitur nihil mirum, memoria pollere belluas, & pueros, quòd ea vis rationi nullo pacto miſceatur: quinimò ſi mentem exhibeamus, obliuiſcimur multorum: at contrà reminiſcentia viris melior eſt optimáque mente magna præditis, cùm etiam ab illa iuuetur, quare quòd homo aliis in partibus internis vim quandam diuinitatis præferat, ſi memoriam excipias, abunde oſtenſum eſt, cùm videatur memoria non ſolùm cerebro, ſed omnibus corporis partibus manifeſtè ineſſe. At exteriores ſenſus nihilo ſecius alij longè ſunt in homine, ac belluis. Nam vt ab auditu incipiam, Homo ſolus harmoniam, & concentum percipit, nulla bellua huius eſt capax, quamquam vocibus ſui generis aut conſuetis, vel etiam clarioribus delectetur, velut equus tuba, & ceruus fiſtula: ſimiliter & in pictura, nec enim varietatem colorum, ac pulchritudinem, nec cœli ſereni venuſtatem, nec pratorum florentium amœnitatem ſentiunt aues, vel belluæ vllæ: ſic & in odoribus, nam præter odores ciborum, nullos, quamquam ſuauiſſimos, ſic percipiunt, vt vllam ex eis capiant voluptatem, & ſi incertum ſit, an eos, qui ad cibum non pertinent, ſentire poſſint: nihil tamen in rem facit, cùm manifeſtè conſtet, atque hoc certè magnum eſt, nullum genus auium, vel piſcium, aut quadrupedum harmoniam, vel colorum varietatem, vel odoris ſuauitatem, quæ præter ciborum vſum eſt, ſic percipere, vt illa delectentur. Poſſem & hoc ad guſtum, tactumque extendere, ſed cùm difficillimum ſit, ac magis curioſum, quàm vtile, nunc id prætermittam, ad argumentum Ariſtotelis properans, contentus ſolùm id oſtendiſſe, homini cum belluis & ſi multum ſimilitudinis, parùm, aut nihil veræ affinitatis naturæ intercedere. Quamobrem rectè dixit Auerroës in fine libri de Senſu ac ſenſibili, homines medullam ſenſibilium comprehendere, belluas autem quaſi illorum tantùm cortices, atque omnia hæc & ipſe iuxta ea, quæ diximus, edocet. Igitur his ſuppoſitis, declaratiſque, ad Philoſophi argumentum deuenio. Intellectus agens perfectio eſt patientis, atque omnium eorum, quæ ſunt in homine, imò perfectior ipſo patiente: cùm igitur patiens iam ſit ſeparabilis, agens inquam ipſe erit ſeparatus. In vnoquoque enim entium genere, in quo multa ſecundum ordinem conſtituuntur, propter aliud, & ad conſequentiam talia ſunt, neceſſarium eſt ad vnum, quod ſit per ſe tale, deuenire. Oſtenſum eſt autem, omnia in homine, quæ cognoſcunt, quodam immortalitatis: ac diuinitatis genere participare: igitur oportet illud eſſe, quod per ſe tale ſit. Neque verò eſt vlla perfectio maior patientis intellectus dignitate, quæ non ſit abſolutè immortalis: ille enim iam ſeparabilis eſſe conceditur, nec quicquam obſtare, quin ſeparetur: vtitur toto corpore, vt organo, quia nullam partem habet illius præcipuam, eſt enim abſolutus: quia tamen nec ſubſtantia quædam eſt, nec ſine corpore, tanquàm obiecto intelligit, & ſi natura propria ſit immortalis, non poteſt à corpore ſeparari: quamnam igitur maiorem agenti perfectionem dabimus, vt intellectus hîc non ſit verè immortalis: manifeſtum eſt etiam, omnia illa ex hoc pendere, igitur hic ipſe per ſe talis erit, vel ex alio rurſus pendet: at ſi pendet & ſubſtantia eſt, nihilominus æternus eſt, quod enim ab æterno profluit, ſi ſubſtantia ſit, æternum eſt: nam ſi lumen ſolis eſſet ſubſtantia, ſicut eſt accidens, indubiè æternum eſſet, perit tantùm quia ſubſtantia non eſt. At verò intellectum eſſe ſubſtantiam declarat hoc quòd mouet, & agit non tanquam inſtrumentum: ſi enim calor per ſe ageret, vtique eſſet ſubſtantia: ſed non calor agit, verum calidum. Eſt etiam homo abſolutum animal, nec vllius exterioris indigens, quare intellectus ſuus per ſe talis eſt, & non alterius cauſa: hic autem agens quonam pacto, etiam ſi ab alio pendet intellectus agens, in noſtra hic erit poteſtate? quare relinquitur, vt hæc ſubſtantia in nobis ſit & immortalis.

Hanc ob rationem, quæ certè ſi non eſt demonſtratiua, attamen omnibus argumentis, quæ in contrarium ſunt adducta, validior, etiam ſimul ſumptis, longè eſt, ac pluſquam probabilis. Philoſophus quaſi gloriabundus toties repetit, vbique tanti inuenti memor, mentem ſolam verè immortalem eſſe, ſolam immarceſſibilem, extrinſecus venire, nec vnquàm mori. Inde Auerroës, Theophraſtus, Themiſtius, Simplicius, omniſque Peripateticorum turba cum hoc vnum ſcirent, illum animum cenſuiſſe immortalem, nec ſatis qua ratione inductus hoc ille dixerit perciperent, ſed pro vno tantum argumento multa ſubiicientes, quodque ſic erat validiſſimum, in plura diſſecantes, infirma ſingula reddidere: ſed iam de modo quo illum tueri poſſent, maximè ſoliciti, in diuerſas abiere ſententias: attamen omnes fermè, quæ in illius vnitatem deſcenderent. Quamobrem nunc de illa propoſitum eſſet tractare, ni prius reliquas rationes, quæ ab aliis adduci ſolent, annectere propoſitum eſſet: non quòd cum hac vna Philoſophi illæ ſint conferendæ, ſed quod, vt in cæteris plerumque homines ineruditi, vel ingenij hebetioris his magis rationibus perſuaſiuis, quam demonſtrationibus moueantur, quod & confirmat Auerroës. Verum non tam propoſitum eſt, illos perſuadere debilioribus, rationibus quàm docere, ne multitudini rationum confidant, ſed ponderi: ergo vna ex his argumentatio eſt.

RATIONES RELIQVÆ
Pro animi immortalitate.

SI homo medius eſſe debet inter mortalia, ac immortalia, neceſſe eſt cùm corpus verè corruptioni obnoxium ſit, vt animus verè ſit immortalis: nanq; cum Deus purus ſit actus, Materia prima pura potentia il- XXV.

DEVS.
HOMO. { Intelligentiæ cum ſuis ordinibus.
Intellectus agens.
Intellectus patiens
Senſitiua & vegetatrix.
Elementum vel miſtum. }
Materia prima.

le diuinus, & immutabilis: materia prima corruptionis subiectum, ac mortis, proximæ Deo intelligentiæ. Materiæ verò elementa, & mista inanimata, vt æterna corruptibilibus, materialia immaterialibus compularentur, homo factus est ab vtroque æqualiter distans: nam perfectissimam mortalium, imperfectissimam immortalium adeptus est: vt verò etiam hæc iungerentur, intellectum patientem quasi illorum medium sortitus est natura immortalem, & immaterialem, at verò dispositione morti obnoxium, & qui alicui tanquam fundamento inniteretur: animæ quidem dico, ac formis, & simulachris sensibilium rerum. Ergo hunc hominem, qui sic constat, quis non videt medium esse, atque participem diuinorum atque humanorum, qui si agente intellectu careret, vel non omninò medius esset, vel non particeps, essetque quærẽdus alius quispiam medius ab hoc, qui vtriusque particeps naturæ esset, quem cùm inuenire non queamus, longè melius ipsum hominem talem esse fatebimur, qui ab vtroque extremo æqualiter distat, quique eorundem æqualiter etiam sit particeps.

XXVI. Est etiam illud magnifaciendum, quòd si animus noster non esset immortalis, nulla est à morte pœna, vel gratia, quare nec hîc verè bonum, aut malum: nam omnia inania erunt, & ad nihilum redigentur. Quid enim proderit fuisse, vel non fuisse: aut in quo homo mortuus à figmento distat? viuens etiam quid habet, cùm verè sit nihil?

XXVII. Tum verò illud ad rem facit, quòd nunc sum, & esse me intelligo, cur nunquàm aliàs fui, aut futurus sum? & modò nunc sum hoc intelligens? nam intellectus cum sit res necessaria, non potest contingenter esse, quis distulit? quis seruauit? At verò idem, dicent, de lapide & boue obiici potest. Nequaquam: nihil enim horum se intelligit, nihil verè actu est, sed omnia sunt partes suarum specierum. Propterea & qui intellectum vnum esse dicunt, nihilominus huic argumento satisfaciunt: ob id igitur nunc sum, quoniam materiæ huic contingit, vt huic perenni substantiæ copuletur.

XXVIII. Considerandum est etiam, hanc nostram animam vndequaque infiniti argumenta prodere, tempus æternum non solùm intelligimus, sed imaginamur, magnitudinem quoque infinitam, ac numerum: ipse intellectus perpetuò progreditur, & si vitæ breuitas non impediret, nihil non aggrederetur, omnia illi peruia, ac patentia, sine limite, sine meta, omnis expers concussionis: sensu vtimur, qualis datus est nobis, intellectu verò etiam aliorum adiuuamur, quod in sensibus efficere non possumus.

XXIX. Illud quoque nos admonet, quòd diuina intelligit, nec mortalia nisi sub diuinitatis forma quadam: quod esse non posset, si ipse diuinus non foret: nam quòd promiscuus: & sine differentia, vitiorumque capax esset, defendi potest: quòd verò mortalia concipere non queat, nisi sub immortalitatis effigie, ipse mortalis existens, omni rationi, omnique experimento repugnat.

XXX. Cessaret etiam ratio omnium horum inferiorum: nam elementa quorsum facta sunt? ob mixta nempe, hæc ob animata, hæc autem propter illa, quæ sensu prædita sunt, animantia propter hominem. At vero hic, si mortalis est animus, cuius causa esse potest, nisi sui ipsius? En præclaram responsionem: nam qui animum fatentur esse mortalem, diuiniorem hominem faciunt, quàm qui immortalem: nempè illum suiipsius causa tantùm esse fateri coguntur, quamuis propter se esse soli Deo competat. Euertunt igitur, qui sic dicunt, vniuersi ordinem.

Adde quod à Cicerone inducitur, Frustra ne tot sacra, ceremoniæ, obseruationesque Deorum, religio, pietas: omniáne hæc, in quibus tandiu vniuersum genus consentit, quamquam ob ignotas causas diuerso ritu, pessum eunt? XXXI.

Est ne etiam quicquam aut menti nostræ cum Deo dissimile? aut cum mortalibus simile? Cur tanta celeritate mens mouetur? cur cœlestia penetrat? cur fundamentum tot virtutibus exhibet? cur adeò sapientiæ auida? cur tot disciplinas nouit? cur sine mediu vllo ab animalibus cæteris recedit, si potest esse mortalis? Denique cur solus super seipsum flectitur? non vt oculus, qui cùm reliqua videat, seipsum non cernit. XXXII.

Dubitabat etiam, & meritò, Petrus Manna Cremonensis, nam si animus noster mortalis est, velut & belluæ, cœlo subiicimur, nec liberum est velle, quæ nolumus Respondet ad hoc Pomponatius, Ideò non subiici, quia natura sit æternus, quamuis per consequentiam alterius corrumpatur. Hæc responsio est voluntaria: nam illud ego quæro, Vnde hoc nanciscatur, vnde illam naturam immortalem, cùm vndequaque mortalibus circunsepiatur, adeptus est? At dicit, ab intellectu agente, qui exterius est, abstrahitque hic intellectus ducit originem. Quomodo iam abstracta ista recipit, ac intelligit, & quando vult? Respondet, Illis se applicat. Iam verò istud declarauimus, quòd si diuinus aliquis intellectus vniuersale colligit ex singularibus, nec nobis sensibiles formæ, ac idola erunt necessaria, eruntque vel ideæ cum Platone sanciendæ, aut concedendum intellectum diuinum singularia intelligere. Sed quid opus est verbis, cùm vnusquisque hoc in se percipiat, quòd propria mentis vi vniuersale colligit ex singularibus. XXXIII.

Simile fermè est, quod dicitur à Suessano: Si animus noster mortalis est, ex potentia materiæ educitur, quare esse à corpore habet igitur & vt operetur, ac generaliter, non secus, ac belluæ, à sensibus dominabitur, nec suis actionibus præerit. Est etiam aliud, sed quasi iam dictum, illius argumentum: Vniuersalia quæ ex indiuiduis sumuntur æterna sunt, non autem per essentiam: nam ideæ essent Platonis, participatione igitur tales sunt intellectus humani, qui per essentiam æternus est. XXXIV.

Verum sunt & qui existiment has rationes aliquid momenti habere, Anima inquam est impartibilis, forma igitur etiam immarcescibilis erit: nam quod impartibile, non pendet à materia, omne enim materiale est quantum. Si dicas quòd corrumpitur ad corruptionm corporis, non quia ipsius XXXV.

pars,

pars, sed quia terminus, vt etiam punctus, contra quia punctus est solùm in potentia, & posterior natura corpore anima prior illo, & actu.

XXXVI. Similiter, qnod separata iungere potest, separatum est: anima iungit separata, nam & in materialibus ex pluribus hominibus vnum facit hominem specie, ex pluribus animalibus vnum genere animal: sic etiam separata quæcunque coniuncta sunt, vt in lacte dulcedinem ab albedine distinguit: agnoscitque perinde differentia, ac si in duobus essent corporibus. Anima etiam se separatis substantiis intelligendo assimilat primò, deinde iungit, quod (vt dictum est) Aristoteles XII. primæ philosophiæ fatetur, vt superius docuimus, & Aphrodiseus cõcedit, quia anima separata est. Nemo autem est, qui non intelligat harum duarum Plotini rationum primam etiam belluarum animis conuenire.

XXXVII. Auicenna etiam sexto Naturalium sic pro animi immortalitate argumentatur: Anima non corrumpitur per se cùm per se contrario careat: nec ad consequentiam alterius, cùm opus habeat extra illud, cuius corruptione corrumpi deberet, ipsa numquam corrumpi non potest, nisi ad corporis consequentiam extra quod operatur: nam intelligere, vt sæpius dictum est, nullo modo fundatur in corpore, tamquam in subiecto, sed in anima tantùm, vt ab illo separata intelligitur.

XXXVIII. Sunt etiam morales rationes Girardi de Odonis, quarum prima est: Si animus humanus mortalis est, nulla est felicitas: quia non post mortem, toto homine dissoluto: nec in vita, nam sic in virtute maximè esset. At virtutes vel propter se, vel propter spem sunt desiderandæ, ac exercendæ: spe igitur sublata, relinquitur, vt sint propter se expetendæ: hoc autem esse non potest, cùm virtutes sensibus repugnent, vt temperantia, liberalitas, sed omnibus magis fortitudo. Quis mente sanus, si omnia simul intereunt, sponte morti se obiiciet? Ergo quis iure præsentia fugiat bona, si nulla est spes futuri præmij melioris, atque maioris? Reliquas autem illius rationes, quòd ex Aristotelis dictis originem sumunt, non absque causa prætermisimus: superuacuum enim esset ambiguis, ac detortis sententiis eadem ostendere, quæ iam clarissimis verbis expressimus.

XXXIX. Solet etiam argumentum fieri de circulari animæ operatione, reddit enim intellectus supra se, ac perfecto quasi in circulo reuoluitur in operando: hoc autem non est facultatis, quæ prodierit ex elementis, sed vt videmus, diuinorum proprium, & ab omni animalium potestate valde remotum. Et quamquam fateatur Pomponatius, hoc etiam vegetatrici accidere, nam nutriendo corpus seipsam alit: peccat tamen apertè, nam anima ipsa nusquam alitur, nec inconueniens adducere est soluere: sed hoc illi adeò familiare est, vt non obscurum sit, illum minimè potuisse satis commodè tueri positionem suam de animorum interitu: verùm in illam vel gloriæ studio, vel vi rationum aduersus immortalitatem recitatarum declinasse. Sed ad rem redeamus: Intellectus si reuoluitur supra se, non potest esse corporea virtus: nam vt habetur ab Auicenna sexto Naturalium, instrumentum medium est inter virtutem, & obiectum: at si obiectum idem est quod virtus, quomodo poterit esse medium aliquod: si etiam est reflexiuus supra se, est indiuisibilis, quoniam quod habet quantitatem, si reflectatur, non poterit subiipsi vniri: constat etiam organo illum non vti, cum sit determinati generis ea virtus, quæ organo vtitur, vt visiua ad colores, & audiendi vis ad sonos.

Alij sic arguunt: Intellectus omnia comprehendit materialia, igitur ipse est immaterialis: nam recipiens debet esse denudatum à natura recepti. Quòd si quis dicat, per hoc idem probari, quòd cum omnia immaterialia cognoscat, non erit etiam immaterialis: quare nec materialis, nec immaterialis erit. Respondemus, quòd propositio illa assumpta generalis, scilicet quòd oportet recipiens esse denudatum à natura recepti, in materialibus tantùm vera est: quia ratio ab Aristotele adducta, & sensus docet hoc: ratio inquam, quia intus existens aliquid materiale ex eo genere impediet, & obstruet, vt color in oculo, & sonus in aure: vnde experimento patet, quòd si splendidum colorem fixè intueamur, inde conuersi nihil rectè videmus: idem de ingenti sono, at immaterialia non obstruunt. XL.

Cùm etiam intelligat vniuersale, intelligit quod separatum à loco ac tempore: quare non solùm hic, sed in omni cognitione intellectus liber est, & in iis, quæ recipit, & in sua natura, non tantùm omni materia, sed omni eo quod ad illam consequitur: nam simulachra colorum non sunt materiæ partes, neque tempus, aut locus, & tamen impediunt alter sensum etiam, alter intellectum: manifestum est igitur ex his, intellectum penitus esse absque omni materia, ac conditione, quæ ad illam pertineat. XLI.

Duas etiam ex voluntate rationes non vulgares Albertus princeps Carpi, nam titulum libro non ascripsit, addidit. Docet autem quemadmodum in intellectu duplex est cognitio, altera principiorum, circa quæ nec decipitur, nec laborat, aut hæsitat: altera circa orationes, ac rationes, in quibus non adeò firmiter hæret, nisi videat illarum cum primis principiis necessariam connexionem: sic & de voluntate, nam primus eius actus erga finem est, secundus erga illa, quæ ad finem sunt: in horum vtroque immortalitatis ratio apparet: nam in finis desiderio, cùm summum bonum appetat, atque desideret, hic verò nullum tale sit: nam scientia nos non satiat, sed quantò plura scimus, multò plura adhuc scire cupimus: veram igitur beatitatem, ac summum bonum consequi naturaliter appetit: appetitus naturalis frustra esse non debet, ideò cùm illum hic consequi nequeat, oportet alium post mortem esse statum, in quo, quod desiderat, assequatur. XLII.

Eadem ratione in iis, quæ ad finem sunt, vestigium immortalitatis apparet: nam cùm triplex sit appetitus. Naturalis, qui sine cognitione, & directione, est: Sensitiuus, qui sine XLIII.

sine directione, sed tamen cum cognitione est: & Rationalis, qui cognitionem, & directionem habet: Naturalis cum simpliciter corporeus sit, Sensitiuus verò medius, ac mixtus, Rationalis omnino incorporeus, ac immaterialis erit: nam Sensitiuus vt cognitione vtitur immaterialis est, vt sine directione similis Naturali atque materialis: purissimus igitur appetitus est, seu voluntatis opus, quo ad ea quæ sunt ad finem dirigitur. Hæ rationes satis probabiles sunt, ac aliquid vt Græci dicunt ἐνέργειας in se continent.

Quòd si quis ad primam dicat, Cætera animalia quiescere absque illo fine. Respondemus, quòd verum est, quia nec alium habent, nec homini datum agnoscunt, atque ideo non frustrantur, nec inquieta fiunt ob id, aut manca: homo verò cùm cognoscat, & naturaliter appetat, nec quiescere sine illo potest, nec frustrari naturali fine debet. Et hæc ratio est, quòd belluarum plures quietè viuunt: & sua sorte contentæ: solus homo sua conditione non contentus existit, nec ab orbe condito historiis mandatum vllis est, quemquam fuisse, nisi stupidum, aut læsa mente, qui nil amplius cuperet: quod ex hac causa apertè ducit originem. Est autem roboris huius argumenti indicium, quòd Pomponatius cùm innumera verba effundat, tandem per interemptionem (vt dicunt) arguendo, respondet suo more: tandem cùm nihil sani habeat, quod dicat, concludit, Quòd voluntatis finis non est, qui omnia bona contineat, sed qui conuenientia tantum. Inde redit ad conuitia, quod tunc solet facere, maximè, cùm pro rationibus verba danda sunt: vtitur igitur non parua arte in re difficili illam verbis obruens: quare (vt dixi) magis studio, quàm iudicio videtur in eam adductus sententiam. Verùm quòd responsio non satisfaciat, apparet: nam dictum est, voluntatem summum bonum naturaliter quærere, in quo nihil mali sit: hoc autem non potest esse, nisi Deus: quòd verò à sensibus illecta, ac quasi illaqueata, modò id, modò in illud inclinet, numquam ea deserente primum institutum: id non facit: vt propterea voluntatis alius finis à summo bono censeri possit.

XLIV. Est etiam illud mirum in hoc viro, quod de intellectu asserit: nam vel per illum animam intellectiuam informatam intellectu intelligit, vel antè quàm intellectu vtatur, vel intellectum ipsum vult formam esse corporis humani. Si intellectum tantùm, erit modò corpus humanum sine forma, modò cum illa: si compositum ex vtroque, id est animam intellectiuam informatam, erit, dum puer est, corpus illud absque forma: si verò animam intellectiuam formam facit, intellectum autem perficientem rē, vel ille erit animæ intellectiuæ pars, vel non, si non sed separatum aliquid, nos ipsi nō intelligimus, sed est aliud quoddam separatum, si est perfectio quædam ipsius animæ intellectiuæ, & eius opus: igitur in prima operatione nondum est formata illa perfectio: igitur in re omninò materiali recipitur immateriale: præterea tale nullo modo poterit dici immateriale, cùm sit ipsamet anima quæ operatur, & quæ intelligit: & si quis rectè consideret, hæc opinio difficillimè potest sustineri, & multò minus intelligi. Sequitur etiam, quòd ante operationem talis sit potentia: quare etiam tunc immortalis, in eodem enim genere sunt actus & potentia: non igitur intellectus tantùm.

Experimentum etiam Auicennæ sexto Naturalium ad hoc facit: dicit enim ille, Si quis seipsum consideret facilè intelliget, se non esse oculos, aut cerebrum, vel cor, aut manus, neque hoc totum, sed aliud quoddam, quod omnia hæc agitat, mouet, regit, atque gubernat. XLV.

Est etiam argumentum Scoti secundum ab alio sumptum, quod ab eo recitatur tale: Simplex forma in diuersa distrahi non potest, nec à sua natura separari, per quam consistit: anima est forma simplex, quoniam non ex elementorum consurgit mixtione, non enim sic supra seipsam, ac supra mixtum ipsum corpus dominaretur: igitur anima à sua natura, per quam consistit non potest separari, atque ideo nec interire: formæ enim mixtorum compositæ sunt, ideoque soluuntur: ipsum etiam mixtum à forma sua derelictum corrumpitur. Non obscurum est autem, hoc argumentum pro Platonis opinione facere, cùm de omni concludat anima secus quàm primum, quod ab illo inducitur, quod nos iam cùm esset Auicennæ sub illius nomine recitauimus, nam id de hominis anima tantùm concludit. Hoc verò non vt Scotus recitat, sed locupletius declarauimus, atque ad mentem (vt existimo) autoris, quicunque ille fuit: nam mirum, quàm oscitanter has duas rationes tradiderit vir ille alioqui tam egregius, & quàm frigidè totam quæstionis partem, quæ pro immortalitate facit, cùm vix præter eas duas rationes, vnam, atque eam vulgatissimam, ex tanta copia superaddiderit: quid causæ fuerit in hoc, præter sancti doctoris inuidiam, inuenire (vt dixi) nequeo. XLVI.

Est etiam famosissima ratio illa à miraculis, præcantationibus, ostentis, futurorum prouidentia, somniorum prædictione, necromantia, vmbris, prodigiis sumpta: quæ omnia ad hoc tendere videntur, vt Dei de inferioribus curam ac animi comprobent nostri immortalitatem: quæ omnia cùm in libris de Arcanis luculenter tractauerimus, hic tantùm quæ necessaria sunt, atque ibi prætermissa loco suo subiiciemus. XLVII.

Extremum est, vt duas etiam Leonici rationes ex dialogo suo sumptas adiiciam, quas ille suo modo Platoni adscribit: est autem prima, Animus vel à meliore se, vel à deteriore vel ab ęquali, si corrumpi potest, corrumpetur: à deteriore quonā pacto vincetur? ab ęquali etiam vinci nequit: imò quis ei æqualis, nisi ipse sibi, aut sui similis? an ergo ab alio animo, vel sibimet infensus exitium sortietur? omnia autem ex illius genere, contrarietate, & noxa carent vitæ, cùm sint causæ: à meliori etiam corrumpi nequit: nam etiam eorum qui illum interire affirmant, opinione, quæ animo meliora sunt, æterna, ac innoxia sunt, illique fauent. XLVIII.

Altera: Quod à seipso mouetur, immortale est: animus eiusmodi est, quare animus αὐτοκίνητος existens, perennis est. Declarauimus enim in Platonicis rationibus, animum XLIX.

ſeipſum mouere, atque ideo ſic à Græcis vocatum: quare & ipſe à ſeipſo mouebitur: ſed non ea ratione immortalis eſt, qua ſeipſum mouet, & qua à ſeipſo mouetur, quamuis hæc viciſſim haud dubiè ſe inferant: namque quòd ſeipſum moueat, oſtenſum eſt, illum eſſe principium, atque ideo deſinere non poſſe: quòd verò à ſeipſo moueatur, facit vt perpetuò moueatur, abeſſe enim cauſa ſui motus non poteſt, tale igitur æternum eſt, atque immortale: quod autem à ſe moueatur, id magis ex nutricis animæ vi patet clariſſimè, quæ ſponte trahit, non impulſu aliquo alieno, cùm ſenſu careat: vnica enim fuga à Peripateticis inuenta eſt, dicentibus, animum à ſenſibilibus moueri. Porrò hîc non exiſtente vllo ſenſu, nonne ipſa à ſeipſa mouebitur, impelleturque? hoc autem æternum eſſe decet, non ſecus ac cœleſtia, quæ & ipſa ſponte, & à ſeipſis mouentur.

Nec me præterit duas alias rationes pro animorum immortalitate adieciſſe, alteram quidem in libro de Conſolatione, à principij interni, & externi comparatione ſumptam, quòd in homine quidem intrinſecus, in belluis extrinſecus videatur: alteram à diuina iuſtitia, in libris de Arcanis, cui plures alias, etiam probabiles adieci argumentationes, quas huc transferre nolui, non tantùm ne quis repetitum quicquam in noſtris libris arguere queat, ſed quòd ratio à iuſtitia Dei ſumpta prouidentiam illius de ſingularibus præſupponat, quam Auerroës negat. Ariſtoteles non adeò apertè docet, vt illius autoritate, tanquam clara, hîc vti poſſimus: ibi verò cùm longa oratione pertractetur, inconſulti hîc eſſet illam præterire, & addere quid ſequatur ex ea: multo verò magis nugacis integram libri, ac magnam partem huc transferre, tum præſertim, quòd hæc non pauca ſint ad oſtendendum propoſitum, neque debilia ſi cum iis, quæ ſubiiciemus, adiungantur, vnum tamen ſubieciſſe velim, Pomponatium in ſuo libro, de Fato, non alia magis cauſa, quàm prouidentiæ diuinæ laborare. Porrò cùm hæ rationes maxima ex parte nihil concludant, ſolutionem his adiiciam, nec tamen quiſquam operam in illis, tum in reſponſionibus perlegendis luſiſſe ſe putet: nam ex vtriſque tandem vera omnium natura deprehenditur animorum, & humani intellectus immortalitas quantum ad agentem ſolùm extenditur, clarè eluceſcet: ex quibus coniectari, quid Philoſophus de animo noſtro, ac cæteris, tum de intellectu ſtatuerit, quidve ſecundùm naturalia principia credendum eſſet, facilè licebit. Nec verò in his quicquam ſtatuimus, cùm veritatem ipſam ſolus Deus ad vnguem teneat, impartiens quibus vult per legem, ac prophetas. Nos verò naturales ſumus, non Theologi: æquéque perabſurdum eſt, in naturalibus Theologum agere, vt in Theologia philoſophum. Quòd ſi per hæc non ad exquiſitam rei huius ſcientiam perueneerimus, cum Galeno dicemus illud, περὶ χρείας ἀναπνοῆς, ſatis eſſe in difficillimis quæſtionibus propius acceſſiſſe.

RESPONSIONES ad argumenta præcedentia.

Itaque animum humanum qua parte agens non eſt intellectus, corrumpi iam, ac deſinere, Philoſophorum Peripateticorum ſententia docuimus, atque id verè: nam quod ſupereſt, reliquarum intelligentiarum munere fungi debet, quare pati non poteſt: deſunt etiam ſimulachra rerum, quæ ab imaginatione, ratione, ac memoria ſuppeditantur: quare ne propria careat functione interire illum neceſſe eſt: hoc autem pati mortalibus commune eſt, agere immortalibus: quare prætermiſſo argumento de ordine, in quo nihil diſſentiens à Philoſophi ſententia concluditur, ad ſequens reſpondeo, bonum eſſe in ordine vniuerſi, quando omnia in finem ordinis mundi ſunt conſtituta: illa tamen portio infinitæ paruitatis eſt, ſi ad totum comparetur: idem autem de partibus terræ dicendum erit, quæ in toto non per ſe ad curam diuinam pertinent, idem de belluis, atque aliis mixtis ſuccedens argumentum pro immortalitate agentis intellectus rectè concludit. Cùm verò dicimus in ſequente noſtra, habere infiniti veſtigium, quanquam nihil aduerſus nos concludat argumentum, ſitque pars argumenti Philoſophi, animaduertendum tamen, hæc omnia eſſe potentia infinita, atque ob id ſolùm de agente probare, à quo ortus eſt. Quod ſuccedit, etiam in rem noſtram facit, nec tamen ſequitur, vt patiens ſit immortalis, quia ratio illa, qua nō poteſt intelligere ſingulare, vt ſingulare eſt, pendet ex agēte intellectu, ſine quo nihil intelligit. Sequens etiā, & ſi nihil probet à noſtra opinione alienum, attamen non videtur concludere, cùm multa animalia ſint, quibus homo non indiget: non igitur homo eſt finis omnium, ſed perfectio vniuerſi: homo autem apud illos eſt propter intellectum, vt Deum intelligat, qui hæc fecit: & hæc eſt neceſſitas in ſpecie, & non in indiuiduo, velut quòd generet: propter hoc autem velut ad generationem calcar voluptatis additum eſt: ſic ad hanc contemplationem ſciendi inextinguibilis cupiditas quæ per totum genus ſparſa humanum facit, vt nunquam fruſtretur hoc fine, ad quem productus eſt. Ad id Ciceronis reſpondemus, in via Philoſophorum eſſe eam rationem imperfectam præcedentis contemplationis propter rudes inductam, qui via Philoſophorum Deum non poſſunt, nec eius opera admirari, quibus per hæc auxilia etiam vltimi finis perfectio impartitur: nec quantum ad hoc eſt neceſſarium ponere animi immortalitatem, cùm nec nos, etſi illam admittamus, poſſimus confiteri mulctam, & pœnas ſeparatis animis incumbere, quamquam de hoc dubium ſit hîc, nec locus dicendi videatur. Sequens etiam innititur probabilibus vſque eò, quòd ſupra ſe reflectatur: hoc autem ei per ſe non contingit, ſed velut oculus ſe videt in ſpeculo, ſic intellectus ſimulachrorum aliorum auxilio: ideo potius concludit oppoſitum, cùm intelligentiæ

telligentiæ ſemet per ſeipſas intelligant. Quod verò à Petro Manna adducitur, difficile eſt, non ratione cœli, ſed obiecti potius: nam ſenſitiua neceſſariò ab obiecto mouetur: quia tamen eſt pro opinione noſtra, nam actiuus ſolus eſt qui deliberat, ideo non laborabo, ſic & ad ſequens, vt dictum eſt, illud tamen de vniuerſalibus falſum eſt: nam ſi intelligit per vniuerſalia ſpecies immateriales, provt veræ ſunt, corrumpuntur, & decidunt intellectu non conſiderante: ſed dicuntur æterna propter propriam naturam, ſicut & patiens intellectus: eadem enim eſt ratio vtriuſque in ambobus. Ad aliud cùm de omni anima concludat antecedens primò eſt dubium, vt patet de anguillis, quæ diuiſæ habent partes viuentes & ſentientes etiam, & de omnibus arboribus: nec tamen valet argumentum, quia impartibile, quod à materia non pendet tale eſt per ſe, & etiam ad conſequentiam omnium aliorum, nec cauſa, quòd materia careat, eſt quod diuidi non poſſit, ſed quòd prior ſit corpore: quid enim vetat, vt ſit tanquam punctus, & tamen in actu? hoc autem inferius melius declarabitur. Quòd ſi quis dicat, virtus in non quanto eſt infinita, vt facilè demonſtrari poteſt: ſed anima gubernat corpus exiſtens non quanta, igitur infinita. Breuiter dico, quòd oportet fateri illam ad conſequentiam corporis eſſe diuiſibilem, licet per ſe non talis ſit: ad id de ſeparatione dico, quòd in materialibus ſenſus, & maximè ratio hoc facit, nec ideo eſt ſeparata: de coniunctione cum ſeparatis ſubſtantiis dico, vt docui in argumentis ad oppoſitum, quòd quantum ad huius vitæ actus pertinet, quòd eſt coniunctio valde abuſiua: ſicut non valet, oculus videt Solem & ſtellas, illæ ſunt æternæ, igitur & oculus: ſed oporteret vt videret tanquam æterna, & intellectus intelligeret Deum, vt Deus eſt: at hoc eſſe non poteſt, aliter fieret Deus, & hoc ſuperius etiam declarauimus. Ad id Auicennæ dicimus, quòd non habet illam operationem, quæ à corpore, vt obiecto non pendeat, nam de hoc eſt tota lis. Cùm verò ſubiicitur in argumento Girardi, quòd non aſſequemur virtutem: dicimus ad id de fortitudine, tamquam homini mors neceſſariò aduenit, maxima felicitas eſt in maxima voluptate, etſi ſit breuiſſimi temporis, hæc autem eſt in opere perfectiſſimo ſecundùm virtutem: nemo eſt enim qui non dicat, Hectorem & Achillem fuiſſe Iro feliciores, etſi illi iuuenes mortui ſunt: nec videtur felicitas vitæ longitudine conſtare: nam Alexander Magnus trigeſimumquartum agens annum mortuus eſt, quem tamen feliciſſimum fuiſſe conſtat apud omnes. Idem videtur in amantibus, qui vt potiantur ea incredibili voluptate, manifeſtiſſimis ſe exponunt vitæ periculis, & fortis vir non certè morti ſe obiicit, ſed ingenti periculo. Et quamquam Martius ille, qui ſe in hiatum præcipitem dedit, manifeſtæ morti ſe obtulerit, nihilominus forſan erat aliqua à Diis ſpes, quemadmodum de Iphigenia fabulatur Euripides, nam pro ſacrificio à Diis poſtulata à Diana viua in Tauris tranſlata eſt, ſacerdote qui illam mactabat eluſo. Ariſtoteles autem diceret, quòd ille non fuit actus fortitudinis, ſed amentiæ potius, quandoquidem fundabatur in reſponſo Deorum, quos ille eſſe negabat, nec poteſt caſus vllus fingi Diis ſublatis, in quo certa mors patriæ ſalutem ſit allatura, ſicut aliter ſeruari nequeat quamquam innumeri de manifeſto diſcrimine nec etiam Diis poſitis, vt patet de Iſaac cum ſacrificaretur à patre: poſtquam enim leges ſequimur, incertum eſt, an talia reſponſa ſint tentandi gratia, quia multò minus certum erit de illis, quàm de iis, qui ob naturalem rationem periculo ſe exponere, cùm etiam Lacedæmonij tam pauci innumeram Perſarum multitudinem expectarent, ſolus Leonidas Dux periculum maximum intelligebat, & cùm nec illi omnino ſpes ſublata foret ſalutis, nam & poterat Xerſem pœnitere itineris ad Thermopylas, tum etiam poterat ille prohiberi, quod & ſignificauit, cùm dixit, Virtutem, non multitudinem in bello ſpectandam: quare omnes fuere fortes, & in omnibus ſpes aliqua, in multis etiam multa, ſalutis erat, nec tamen vlla in hiſtoria euidentioris periculi exemplum liceat inuenire: at ex his liquet fortes viros vel eſſe ſtupidos, vel ſapientiſſimos, medij namque timidi ſunt. Sequenti autem argumento iam reſpondimus, ad aliud reſpondetur, quod illud arguit, verùm non tamen ſequitur immortalitas: nam vltra hoc, quòd ſit immaterialis, requiritur etiam quod ſit ſubſtantia quædam, vel quòd nullo modo dependeat ab obiecto, quorum neutrum verum eſt, de patiente loquendo: vnde miror, quod tales concedant, intellectum eſſe ſubſtantiam, nam ſic eſſet magna difficultas, niſi per intellectum intelligant animam intellectiuam, eſt enim ſic vocatus intellectus accidens quoddam immateriale, & talia etiam ſunt vniuerſalia, quæ vocantur ſecundæ ſubſtantiæ, intelligendo ſubſtantiam verè, ſola prima ſubſtantia talis eſt per idem: ad ſequens argumentum ad id de voluntate, quia voluntas ſecundum Philoſophum non eſt intellectus agentis, ſed practici, vt dicunt, vel patientis, ſed verius ex ſententia Philoſophi, rationis. Ideo reſpondemus, quòd voluntas vel capitur pro naturali deſiderio abſque electione, etenim nihil eſt abſque illo: nam & belluæ, & elementa videntur quadam voluntate prædita, quanquam elementa videantur ab anima mundi contineri in ſuo loco, & ferri ad illum, ſi ſint extra ipſum: & hoc modo voluntas naturalis eſt ad bonum, non ad ſummum bonum. Si verò loquamur de ea voluntate, quæ fit præuio diſcurſu, illa non eſt naturalis, provt naturale à rationali diſtinguitur: non eſt autem inconueniens rationale deſiderium fruſtrari: quòd ſi contendas illum impulſum naturalem eſſe ad ſummum bonum, quanquam vix hoc verum eſſe poſſit, dico intellectus agentis tanquam principalis hunc eſſe: namque vt diximus, & intellectus agens, vt ſubſtantia quædam aliquo impulſu mouetur, adeo autem hoc eſt generale, vt materiam primam, quæ ſolum potentia eſt, dicant appetere aliquid,

scilicet formam : quid igitur mirum est de agente intellectu ? Argumentum sequens est valde probabile, stat enim sensitiuam facultatem, imò (vt dixi) Aristoteles concedit habere duos impulsus : & quamuis non concedat solam esse sensitiuam in homine, rationi tamen voluntatem, non contemplatiuo intellectui, qui solus verè est intellectus, tribuit. Ad sequens non respondemus, concludit enim supposito, quòd intellectus agens sit corruptioni obnoxius, aliter dicimus animam totam esse formam, sed pars immortalis perfectio est mortalis : nec est verè forma intellectus agens, nam non maneret : post compositum aduenit extrinsecus vnitur tamen homini sic, vt fiat vnum per se : & quia hoc requirit longam declarationem, ideo suo loco reseruabitur. Experimentum Auicennæ concludere videtur, quòd non sit virtus in corpore, tanquàm in subiecto. Attamen Galenus diceret, quòd videtur esse in cerebro : illud etiam omnino non excludit, quia virtus, qua hoc experimur, est ratio, non intellectus, cùm sit de singulari: bellua etiam si hoc posset considerare, non secus diiudicaret, cuius anima mortalis est. Argumentum ex Scoto factum æquiuocatione peccat, nam forma est simplex, non tamen ita simplex, vt non sit aliud quàm esse, suum autem esse corrumpitur cum ipsa: illud clarum est etiam in elementorum formis, quæ corrumpuntur, vt partes compositi, idest materiæ, & formæ, non autem in partes, vnde duplex corruptio. Ad sequentem suo loco dicemus, tum de causis horum: ad aliam, anima corrumpitur per alterius consequentiam quod corrumpitur à fortiore, aliter non corrumperetur, si quod corrumpit esset debilius : vnde ensis, & venenum, & regula fortiora sunt corpore, in eo quòd illud corrumpunt, non autem anima. Ad illud quod sequitur responderi potest dupliciter, vel vt Albertus tenet, quòd anima vegetatrix habet sensum conuenientis, & contrarij, vnde trahit humorem radice, & expellit lachrymam, non tamen habet sensum delectantem, vel contristantem, sicut canes sentiunt odores florum, non tamen vt delectabiles, aut ingratos, & sic trahet anima mota ab obiecto, & est responsio magis ad rem : vel dic, quòd mouetur ab anima mundi, vt elementa. Quòd si quis argumentaretur, Intellectus est in corpore secundum esse, non quantum, & indiuisibile, nec vllo modo mouetur, vt alteretur : igitur esse illius est ex toto abstractus, & immaterialis : dico, quòd vt intellectus est, talis est, verùm vt est in anima, & dependet ab obiecto materiali, corruptibilis est : & hoc est clarum, quia concludit de patiente : neganda igitur est sequela, cum sit à non absoluto, nec per se tali ad per se tale, est enim non absolutè immobilis, nec absolutè in non quanto sed vt intellectus est: cùm igitur concluditur, ergo absolutè est immortalis : plus assumitur in conclusione, quàm sit præmissum in antecedentibus propositionibus.

OPINIO VNITATIS Intellectus cum suis fundamentis.

His tot difficultatibus Philosophi coacti, cùm neque intellectum mortalem fateri possent, nec si immortalem ad corporum multitudinem numerarent, facile erat tot obiectis respondere, ad illius vnitatem confugerunt : Fundamenta autem erant hæc:

Primùm, quòd cùm mundus esset æternus, hominum multitudo erat infinita, atque ideo etiam animorum numerus: ostensum est autem in tertio Physicorum, quòd ad infinitum in multitudine sequitur, multa etiam esse infinita, & vnum altero maius : sequebatur etiam alterum duorum, vel sine facultate substantia, vel sine opere facultas, si numerus ille infinitus admittatur : tum verò, vt omnino non cognoscentes animæ, & ociosæ essent, vel vt infinitæ cognitiones, infinitæque alterius ad alteram orationes, ac significationes, auditionésve, manebat & difficultas de illarum ad corpora inclinatione : relinquebatur etiam ambiguum, cur Philosophus nec in libro de Anima scripserit de intelligentiis, nec dum de prima Philosophia tractat loquatur de intellectu : supererat & causa distinctionis illorũ toties quæsita, an à corporibus ipsis sumenda esset: erat & illud difficile, quonam pacto ad corpus esset in potentia, edocere : nam in omnibus, quæ fiunt, actum potentia præcedit: & quomodo ad illud veniat, an per motum, subitamve mutationem : & si prius est, quàm corpori iungatur, quonam pacto homo fit vnus : inæqualitas etiam comparato tempore, quo solus manet ad id, quo corpori iungitur, obstabat : namque ratio ea est, quæ infiniti ad finitum, ac magnitudinis ad punctum. Erant & argumenta verisimilitudinis, vt quoniam eadem videatur scientia discipuli & præceptoris, ex vno in alium migrante, quod vnum est : quod non contingit in sensibus, namque in illis alio modo videt vnus, ac alter, nec ex vno in alium transit imago illa : omnes etiam homines, vt in adagio est, omnia sciunt: quò fit, vt omnes simul intellectum vnum habere videantur : vniuersum etiam genus humanum procedit, perpetuò artibus ac disciplinis proficiens, homo singularis nequaquam, sed vt effloruerit, intercidit. Est autem perfectio formæ vltimum, tum maximè eiusque materia caret: Sic etiam tuemur, hominum speciem non esse intelligentiis locupletiorem, vel digniorem, quandoquidem & homines omnes simul tantùm vnum habeant intellectum, atque illum vltima intelligentia imperfectiorem, qui vniuersis præteritis, præsentibus, & futuris satisfaciat. Itaque multorum opinione Theophrastus primus, inde Themistius, ac Simplicius, tum Auerroës in hanc sententiam descenderunt: sed non vnanimes. Platonem etiam in eorum sententiam trahere conati sunt, vel inuitum: indicio quoque magno fuisse putant, quod

Aristoteles, tam acer antiquorum insectator, Anaxagoræ mentem omnia miscentem non prosequitur oppugnando, sed, quòd non admodum explicitè locutus sit, illum arguit. Accedit, quòd Mentem ipse Philosophus singulari numero semper, plurali autem nunquàm appellat, νοῦν eam vocans, vt eam non plures, quemadmodũ intelligentias, sed vnam tantùm esse intelligamus. Maximum autem argumentum pro intellectus vnitate est, quod Auerroës adducit tertio de Anima, Si intellectus essent numero plures, & specie vnus essent, & formæ intellectæ numero plures, specie autem vna, igitur ab his denuo per intellectum alia forma vniuersalis excipi posset: at verò formæ exceptæ pariter numero differrent, conuenirent autem in specie, quare sic in formis intelligibilibus eiusdem rei processus in infinitum esset. Verùm inter hos vnitatis intellectus defensores non satis benè conuenit: nam quidam vnum, quidam duos esse volunt æternos, atque vniuersis mortalibus communes. Nam & Theophrastus ex Themistij recitatione, vt suprà retulimus, & ipse Themistius, & Simplicius, ac Auerroës agentem & patientem immortales, ac communes omnibus hominibus statuunt. Sed nec inter ipsos satis conuenit: quidam patientem tantum nostri partem faciunt, vt videtur innuere Theophrastus: quidam neutrum, vt Auerroës sentire videtur: quidam ambos, vt satis apertè Themistius. Auerroës namque primo de Anima, & ex verbis etiam Philosophi tertio Cœli, quòd omnis forma naturalis cum composito initium & finem habeat, inquit, animam in quibusdam partibus nullo modo moueri nec per se, nec per alterius consequentiam, quamuis cùm nulla in parte per se moueatur, alterius tamen causa moueri possit: formas autem omnes aliorum causa, idest subiectorum moueri, haud obscurum est. Quamobrem animam, quæ est intellectus, assistere potius, quàm hominis esse formam iuxta illum existimandum est. Quòd verò Themistius patientem, aut potius (vt dicunt) possibilem etiam pronunciauerit immortalem, atque ideò vnum, patet ex illis verbis, dum declarasset ea Philosophi verba,

Cap. 5. in fine. · Cap. 66. T. Cap. 1. · Cap. 6.

Ὅτι δὲ οὐκ ὁμοία ἡ ἀπάθεια τοῦ αἰσθητικοῦ καὶ νοητικοῦ inquit ἀλλὰ μὲν περὶ γε τοῦ δυνάμει νοῦ, διαῤῥήσεν φησὶν ἀπαθῆ δεῖν αὐτὸν εἶναι καὶ χωριστὸν καὶ δεκτικὸν τοῦ εἴδους, καὶ δυνάμει τοιοῦτον ἀλλὰ μὴ τοῦτο, καὶ μὴ μεμέθαι αὐτὸν τῷ σώματι, μὴ δὲ ὄργανον ἔχειν σωματικόν, μὴ δὲ ὁμοίαν τὴν ἀπάθειαν εἶναι τούτον τε καὶ τῆς αἰσθήσεως.

Dixerat Philosophus tertio de Anima,

Quoniam autem non similis est patiendi immunitas sensitiui, atque intellectiui.

Themistius ex his colligit patientis, aut potius potentia existentis intellectus perpetuitatem illis verbis hoc fermè significantibus.

Sed de potentiæ intellectu quidem disputans, pati illum dixit non oportere, esseque separabilem, & formarum capacem, & talem esse potentia intellectum, sed non hunc, & non mistum corpori neque corporeo instrumento vtentem, neque huius ac sensitiui similem patiendi immunitatem.

Nullibi verò clarius quid sentiret Auerroës, quàm in disputationibus quas senex, ac quasi maturus composuerat nulli interpretationi alligatus, de ipso intellectu intellectiuaque anima declarauit: disputatione enim prima, inquit, aduersus Algazelem disserens, Ideo anima Petri, & anima Guilielmi, quodam modo vna, atque eadem anima dici possunt, si considerentur ex parte formæ: & sunt multæ alio modo, scilicet ratione subiectorum. Inde paulò post subiungit, Ideo dicimus, quòd anima verè est similis luci, quia sicut lux diuiditur diuisione corporum lucentium, postea vnitur lux remotis corporibus lucentibus: sic ad vnguem est de anima cum corporibus. Simplicius autem agentem mentem vocat, seu illum ex quo, vel à quo procedit, potentiæ autem procedentem, vt duo sint tantum quasi ratione, vnde ille ἅπερ καὶ αὐτὸ πρόεισι τοῦ προϊόντος. Themistius verò vnum fermè alteri immisceri putat: nanque (vt dixi) ambos homini inesse credidit, & illos simul mentem constituere: vnde ait, Dub. 4.

Μικτὸν γὰρ πως ὁ νοῦς, ἔκ τε τοῦ ποιητικοῦ, καὶ τοῦ δυνάμει.

Idest, *Mistum quidem quomodo intellectum? ex agente & illo, qui potentia est.*

Satis dictum esse de his iam puto, quandoquidem non satis dicere quid sentirent ausi sint: sed per ambages, vt admirabiles viderentur, multa & inuicem sibi contradicentia iunxerint. Quid mirum igitur, nullum in his finem ad hanc vsque diem inuentum? sed ex ambage in ambagem, ex vortice in vorticem profundiorem descendimus. Vnitatem certè intellectus, si de natura, origine, & essentia loquimur, illis concedimus: nam non plus homines inter se differunt, quàm equi, vel canes: videtur etiam vna omnium origo, quoniam omnes indita ab ineunte ætate eadem habent principia, velut & hirundinibus nidum construendi ratio omnibus eadem. At verò si per intellectum scientiam intelligamus, quæ intellectus potentia dicitur apud aliquos, quamquam nos patientem à natura, & rei proprietate potius appellemus, hunc, vt iam diximus, eundem in omnibus esse fatemur hominibus: nanque scientia Pergei Apollonij, quod hyperbole quamuis perpetuò continentibus trigoni lateribus approximetur, numquam tamen coniungatur, eadem est cum nostra: nam res scita, atque cognita vna est, atque iisdem mediis intellecta, veluti quod quadratum aggregati ex dimidio lineæ, & addita superat rectangulum ex addita in aggregatum eiusdem & lineæ diuisæ: sed hæc scientia est accidens quoddam sui natura perpetuum, atq; sic vnũ, vt autem in singulis hominibus diuersa, nec perpetua, cùm in dies accipiat incrementum: nam quod ex illa post hæc nos inuenimus nemo intellexit: nec est dubium, quin ante Archimedem latuerit quod ad secandam sphæram in partes, quæ sub ratione data essent,

essent, necessarium esset scire cubi, & numeri dati ad latus ipsius proportionem. Ergò manifestum est, scientias rerum non esse verè perpetuas, nisi extra nostram ponantur mentem, sed augeri, minui, ac deleri, subireque vicissitudines, velut & mortalia omnia reliqua: nam & subiecto numero differunt, quod & ipse Auerroës, dum de dissectione loquitur, confessus est. Ergo vnitatem hanc in intellectu potentiæ ponere superuacaneum est, cùm non ob aliud vnus intellectus censeatur, quàm ob vitandam multitudinem formarum, quæ post mortem manent: illo igitur corruptibili existente, quorsum attinet vnum facere? nam formas materia exortas pro subiectis compositis numerare nullum est inconueniens. Relinquitur igitur, vt de agente denuo altercatio supersit: itaque cùm multa à beato Thoma rectè, & à Pomponatio aduersus hanc opinionem, tum à recentioribus omnibus dicta sint, & nos illam in secundo de Consolatione oppugnauerimus, hoc vnum tantum dixisse ante illius declarationem sufficiat quod neque Scotus vir tanti ingenij(, neque nos, quibus nihil ex arduis quæstionibus Philosophiæ, aut medicinæ vel Archimedis, aut Ptolomæi, vel etiam difficillimis aliis inuentionibus negatum fuit, nec vllus alius ingenuus vir ex ipsius Auerrois expositoribus intelligere, vel multò minus explicare potuit: sed inuoluentes verba sententiis, ac sententias verbis, in idem semper, vt mulierculæ, cùm de religione ac fide interrogantur, redeunt: nunquàm verò vel explicare, vel docere hanc suam vnitatem ausi sunt. Nam si per intellectum lucem quandam intelligunt, diuersum hoc est à lucis similitudine: nam cùm similitudinem intelligi volunt, vt lucis imago Solis, quæ in pluribus est oculis, duo sequuntur inconuenientia, imò tria: Primum, quòd intellectus hic substantia non erit, nam similitudo substantiæ, substantia non est: intellectus verò substantia quædam, vt docuimus, existit: & imagines illæ, etiam quòd lux vna sit, diuersæ tamen sunt: non enim imago, quæ est in meo oculo, est imago quæ est in tuo, quamuis lux, quam videmus, eadem sit: illa etiam lux non erit in nobis, neque scientia in nobis erit, sed in re exteriore, velut si lucis imago, quæ à nobis videtur, seu videndi medium est, si ipsa videret aliud, non tamen nos per illam videremus. Quòd si lucis imago & ipsa substantia est, nihil amplius quærimus: nam quòd omnes animæ intellectiuæ ex vna principali substantia exoriantur, pendeant, nec reprobamus, nec volumus reprobare: at si vna est, eademque lux in omnibus, si ponatur forma hominum & indiuisibilis, profectò erunt omnes homines vnus homo, nec esse potest, vt quod vnus sciat, alter ignoret: sin autem non est forma, quomodo nos per illam intelligimus, non autem magis sentire, quàm intelligere, nosmet percipimus. Porrò hoc ipsum quòd esse non possit, infrà ostendemus: quia vnus est verè homo, ac ita vnus, vt indiuisibilis sit, nec nisi per instrumenta successionem admittat. Hæc autem παράδοξα sunt, & incredibilia, dignáque his Philosophis, qui solo fastu, ac nomine Philosophiam exercent: nec enim esse potest, vt eiusdem speciei accidentia in vno sint subiecto, quomodo ergo plures erunt Geometræ, aut Architecti? Sed quorsum hæc iis, qui nihil sibi impudens fateri arbitrantur. Porrò quomodo intelligentiæ cœlum moueant, & quomodo in illo sint, non est presentis negocij explicare, quanquam frustra quæ tam longè absunt quæramus, cùm nos ipsi ignoremus, neque enim gloriosum, & laude dignum est, maximas aggredi quæstiones: sed longè laudabilius est, quas præ manibus habemus soluere, etiam si tenuiores non parum illis fuerint. Vnum tamen constat, ibi vnicam esse intelligendi operationem, atque eam omnino indiuisibilem, & inuariabilem: vis autem, an natura quædam toto cœlo sparsa sit, quæ illud ad intelligentiæ contemplationem moueat, velut ad boream magnetem, nondum liquidò constat, & si constat, non est præsentis negocij, tum maximè sine ratione demonstrare.

DECLARATIO QVOrundam præmissorum ad demonstrationem intellectus humani.

IGitur tanquàm ab initio rem tractaturi, illam non leuibus argumentis tentemus, Galeni methodo, ac dialectica vtentes: nemo enim vbi animum intendit acrior, aut subtilior, vel intentior fuit: vbi contemptim, eò periculosior, quò audacior: quare hinc à manifestissimis exordiamur. Principio illud supponimus, Hominem esse vnum, namque specie homo vnus est, singularia igitur vnum sunt numero: est etiam homo vnus, quia omnia voluntati subiiciuntur, ac parent: & est illius vna forma, vnáque diffinitio? & si homo non esset, vnus, esset hoc ob animam rationis participem, nam illa in belluis non adest; igitur nec belluæ vnum erunt, cùm ad plantas comparabuntur: omnes etiam operationes in eum referuntur, idem est qui videt, intelligit memoratur, audit tristatur, desiderat, dolet, ratione vtitur. Est autem adeo vnum illud, ad quod omnia referuntur, vt si sentiat, non duo simul percipere possit: atque primò de his, quæ vno sensu sentiuntur, docet Philosophus libro de Sensu, ac sensibili, tum de pluribus dicens.

Οὐκ ἄρα ἐνδέχεται δυοῖν ἅμα αἰσθάνεσθαι τῇ μιᾷ αἰσθήσει. Ἀλλὰ μὴν εἰ τὰ ὑπὸ τὴν αὐτὴν αἴσθησιν ἅμα ἀδύνατον ἐὰν ᾖ δύο δηλονότι ἧττον τὰ κατὰ δύο αἰσθήσεις ἐνδέχεται ἅμα αἰσθάνεσθαι, οἷον λευκὸν καὶ γλυκύ.

Idest: Non igitur contingit duo simul sentire vno sensu. At verò si quæ sub vno sensu cadunt simul duo sentire non queat? manifestum minus quæ sub duobus sensibus sunt simul sentire eam posse, velut album, & dulce.

Forsan quis obiiciat, illum inferius senti-re contrarium, fuisséque hanc argumentationem, non sententiam. Verùm inferius de coniunctis agit sensibilibus: simul autem illa sentire, quæ iam in vnum conuenerunt, nullum est inconueniens: itaque illud ipsimet experimur, aut succedente altero alteri non per insensibilia tempora, vel simul in vnum pluribus coëuntibus plura nos sentire, atque ea de causa longè difficilius per plures sensus id agere, quàm per vnum: nam album nigro coniungitur facilius, quàm dulci, aut quàm consonantiæ. Quòd si duo simul aliquando sentire videris diuersa, nec mista celeritas temporis teipsum fallit non animaduertentem, velut cùm trisulcam linguam viperæ videre arbitramur, aut rotundam ignis imaginem, cùm lignum ardens circunuoluitur: nec hoc negat Auerroës, nam & in aqua celeriter currente duas solis imagines spectare nos posse affirmat, cùm antequam prioris sensus exciderit, alia aqua subterfluente, secunda excitetur: atque ideo, quod vnum est, duo sensus esse diiudicat. Idem etiam in imaginatione, & sensu, & ratione contingit, nam nemo simul videt, & imaginatur, aut audit, ac intelligit: imò cùm lego, scriboque, ac intelligo, magna hoc, ac celerrima cum spirituum fit permutatione, ac vicissitudine: vnde hæc si ab insuetis fiant, corpus, & robur non parum exhauriunt. Quòd siquis intentus videat, aut cogitet etiam, vehementibus sonis aut doloribus non commouebitur: felicémque arbitror tum alias ob causas, sed ob has præcipuè Archimedem, quòd patriæ miseriam morte præuentus non viderit, & quòd mortis sensum contemplatione fermè totum effugerit: namque magna ex parte iam vita considerat, cùm ad sensum doloris ex contemplatione animus est reuocatus: ob id etiam, qui noxios in equuleo examinant, non permittunt, vt sileant, sed verbis illos perpetuis stimulant: qui verò consuetudinem secuti sunt, existimant, ob id tantum illos verbis detineri, ne tempus sumere possint ad compositam responsionem moliendam. Plurimum igitur facit ad dolorum remissionem intenta cogitatio: sed plures non sciunt, pauci nouerunt. Verùm in tormentis publicis plus obest miseria, & circumambiens calamitas, tum verò vel grauissima iniuria, vel conscientia sceleris, quàm dolor: at in morbis non difficile est, quod nunc dicimus cuicunque experiri. Causam habet hoc, quòd anima (nam & id Aristotelem confiteri palàm est, etiam si in aliis dissentire illum contendas) vna est, atque omnino indiuisibilis. Est etiam huius rei, quam diximus, argumentum, quòd quæ videmus imaginari nequimus dum ea videmus, sed cùm absentia fuerint, imò si protinus mentem adhibere velimus, cùm oculos subtraxerimus non succedit imago. Quod verò nos fallit, est iam constituta impressio quædam, quæ omnibus membris, omnibusque virtutibus concessa videtur: oculo enim inspectante, imago non illico, etiam si oculum claudas, excidit: hoc in medio tempore si audiendo animum admoueris, simul videberis videre, ac audire, cùm tamen solùm audias. Hanc ob causam qui initio cytharam pulsare discentes tentant, multum fatigantur, coguntur etiam in multa, ac diuersa animum partiri: cùm verò iam didicerint, impressio illa in digitis ad motum aptum retenta relinquit aures liberas. Facillimæ igitur operationis argumentum est, dum scribis, aut cytharam pulsas, posse loqui: vnde etiam multi cytharistæ, & choraules, pauci cytharœdi. Horum omnium causa est, animæ indiuisibilis vnitas, quæ quidem celerrimè spiritus distribuit ad omnia munia: illa, cùm vna sit, pluribus simul sufficere non potest: sed tamen dum imaginatur, intelligit: dum per sensus operatur, communi sensu inter sensibilia diiudicat. Porrò videtur intellectus ad imaginationem quasi se habere, vt communis sensus ad singulares: nihil autem prohibet, quæ sunt vt imperfectum, & perfectum simul in anima esse, vel quæ sunt vt actus ac potentia.

Ordo autem in rebus octo gradibus finitur. Primus quidem est, quo res ipsæ sunt materiæ, ac magnitudini coniunctæ, existentes pro naturæ cuiuslibet qualitate. Secundus, quo in medio sunt, neque prorsus materiæ iunctæ, nec prorsus seiunctæ, sed medio quodam modo se habentes. Tertius, quo sunt in sensu iam à propria materia, & magnitudine separatæ: neque enim, vt inquit Auerroës, si colores cum materia ác magnitudine essent, simul candidum, ac nigrum, oculus per idem medium videret: nam vnus alterum impediret, vel alter alteri tum in oculo misceretur, nec oculus tam paruus turrim posset intueri, si turris imago cum illius magnitudine oculum ingredi deberet. Quartus est, quo sunt in sensu communi, & sic etiam magis à materia separantur: nam inter vnum sensibile, & reliquum diiudicat, necesse est etiam vt res sensibilis sit ibi sub puriore modo, quàm vlla quæ in sensu vllo exteriore, id est puriore, quàm in oculo. Quintus est in imaginatiua: nam hæc concipit sensibile, postquam recesserit, quod facere nequit communis sensus: & propterea hæc virtus est verè media inter intellectum, & sensum exteriorem, ideóque quodammodo comprehendit infinitum, & quodam modo non: & quodam modo vniuersale, & quodam modo non: & quodam modo infinita, & quodam modo non: & idem dico de immaterialibus. Et hæc fuit causa, quòd Galenus secundo. De arte medendi, credidit, belluas cognoscere vniuersale: nam belluæ habent imaginationem. Sed errauit: quia, vt iam diximus, sola hominis imaginatio, intellectus beneficio adiuta, hoc facere potest: experimentum autem suum docuimus qua de causa illum fefellerit. Verùm tãta est imaginationis ad intellectum similitudo, vt qui in mathematicis solũ exercentur, ambo ea in vnũ confundant, idẽ esse existimantes. Sextus est, quo res sunt in ratione: hæc verò resiliat, ac componit, quod imaginatio facere nequit. Cap. 7.

Est

Est autem tanta inter intellectum, & rationem affinitas, vt non rarò Philosophus nomina illarum in vnum miscuerit, tum maximè, cùm non ex proposito de eis agit: atque ob id etiam multi antiqui rationem crediderint esse intellectum: debemusque hoc primo beneficium Aristoteli, qui vnus ante alios illa distinxit, sed & nunc nisi maximè exercitati differentiam inter eas facultates agnoscunt: nam ratio de singularibus agit, cùm intellectus de vniuersalibus. Est tamen multiplex inter hos similitudo: nam vterque componit, ac diuidit, resilitque ex vno in alterum necessaria connexione: nam sine ea etiam imaginationi, & sensibus ipsis exterioribus hoc facere concessum est: vtraque etiam virtus imagines, quas Græci φαντάσματα, præsupponit. Septimus est in patiente intellectu, seu materiali, seu qui potentiæ est: quomodo hic purior sit præcedente, iam satis dictum puto: ad perfectionem tamen deest, quòd ipse ille non est qui hanc efficiat puritatem, quòd recipiat, quòd ab altero moueatur. Igitur Octauus modus solus perfectus erit, quo in agente est, sed non ibi est quicquam præter seipsum: esset enim patiens, dum reciperet, & materialis postquam recepisset: igitur tunc ille ipse suo modo in rem conuertitur, & intelligit. An par est his tot functionibus, cùm per vnam administrentur animam, totidem substantias an potius vnam tantum substernere, cuique diiudicandum relinquo: verùm si illa vna tantum, est negocium peractum: sin plures, aut coniunctæ sunt, vel vna alteram assumpsit: nam vnum hominem, vnamque illius animam, atque indiuisibilem esse docuimus. Porrò quid ex his sequatur, inferius demonstrabimus.

Post hæc videndum, quænam sint animæ, quotque illius genera, hoc vnum supponentes, quòd omne quod mouetur, ab aliquo mouetur: at nunc de motu, qui è loco ad locum est, locor, veluti manifestissimo, quippè quem solum ex omnibus belluæ cognoscant: in reliquis autem potius quod per motum fit, quàm ipsum motum agnoscunt. Ergo elementa ipsa mouentur, atque ea à forma sua cùm extra locum suum fuerint: & quamuis motorem in illis extrinsecus assignent, illum tamen medium esse volunt: & est dupliciter medium, & in quo mouetur, & quod motum à forma mouet ipsum elementum, velut lapis in aëre sua forma aërem diuidit, hic ne vacuum detur lapidem inferius trahit: quare si in vacuo esset lapis, nec moueret, nec moueretur: hanc tamen vim formæ elementi tribuit cœlum, vt primo Metheororũ apparet. Clarum etiam est illud in aqua maris, quæ astrorum cursum sequi videtur, & ignis in sua sphæra circumagitur: omnia etiam hac virtute contineri est existimandum, vt etiam Auerroës fatetur in disputationibus: atque hæc virtus non materialis est, sed à Deo benedicto in intelligentias, & cœlum, deinde in hæc mortalia diffusa est: itaque verè dicimus, elementa ipsa à mundi anima agi, tendunt enim omnia ad ordinis vniuersi conseruationem per se, quamquam per consequentiam vel impediantur, vel secus agant. Verùm post hæc in quibus primò appareat hæc virtus clarior, viuentia sunt, quæ solùm nutriuntur, in eis verò, cùm artificiosè ac eodem modo semper natura procedere videatur, non casu, sed ratione quadam ipsa gubernari necesse est: nam non videmus quòd ex lapidum proiectione domus erigatur: sed & si semel hoc accidat, nemo tam duræ ceruicis est, qui hoc semper accidere fateri velit. Trium igitur vnum concedere necesse est, vel quòd virtus hæc in ipso viuente latitet, alioqui excellentior sed non nisi ad hanc perfectionem possit educi vi materiæ obumbrantis: vel quòd extrinsecus hoc principium sit, vel quòd sola consuetudo, seu iam facta ab initio impressio hoc agat: nam & quidam scripserunt, columbos in insulis nouis repertos, desertis tamen, homines non timere: quòd si verum est, apparet non ob aliud nostros fugere, nisi quod à parentibus vestigium traxerint, quo illi homines formidare soliti erant, neque id rationi admodum repugnat. Sed quocunque modo statuatur, indignum est, eam virtutem, quæ longè excellentior sapientia humana videtur, in vermis, aut plantæ corpore collocare: neque enim vllus homo tam sapiens est, qui vermem absolutum vndequaque effingere sciret. Quamobrem Aristoteles duodecimo primæ Philosophiæ, & secundo Physicæ auscultationis, & secundo de Generatione animalium, cœlesti impressioni meritò illas tribuit: neque enim quicquam est in istis inferioribus, quod si ab omni intellectu, ac illius operatione, auxilioue secludatur, quod talia efficere possit. Hanc virtutem passim disseminatam esse ait, quæ cum corporibus natura mixtis temperatè iuncta anima vocatur, vnde ille omnia animarum plena dixit, περὶ ζώων γενέσεως τὸ Γ. his verbis:

Ἐν δὲ τούτῳ παντὶ θερμότητα ψυχικὴν ὥστε τρόπον τινὰ πάντα ψυχῆς εἶναι πλήρη.

Quod est: *In hoc autem omni calor animalis, vt quodammodo omnia animæ plena sint.*

Ergo & in generatione, & in sensu principium cognitionis extra esse videtur, sed non eodem modo, nam semen generat nihil prorsus cognoscens, animalia sentiunt atque cognoscunt. Non igitur ex consuetudine tantùm ad hoc mouentur, quæ tamen agunt, cùm non cognoscant se agere, impetu ferantur, à ratione quadam dirigi necesse est, nec tamen illam eis inesse: vt enim puer, qui iehnographiam pingit, ex architecti ichnographia similitudinem ducens rectè quidem, ac quasi melius exemplum exemplo refert, cognitione carens, quàm ille exemplo rem: sic in artifice artem, ac scientiam, in puero vestigium rectè operandi sine ratione esse dicemus. Animalia igitur hæc cũ nidum in orbem, aut speciem multiplicem faciant, cùm paleas & puluerem aqua madefaciant, non lutum, quoniam per se hæreat, proculdubio à sapientissimo agente gubernan

3. cœli. c. 28. — *dist. 3. dub. 18.* — *T cap. 18.* — *T. cap. 16.* — *Cap. 3.*

gubernantur, cuius origine contractum est vestigium rectè operandi: neque verò in illis rationem esse putes, cùm viliora ex ipsis artes tamen calleant pulcherrimas, velut apes, ac bombices, quinimo si picam, aut psitacum loqui edoceas, nihil tamen eorum quæ agit vnquam verbis ad hoc etiam edoctis applicare sciet. Est igitur in omnibus vis quædam cœlestis, per quam ad operationes sibi vtiles, ac necessarias diriguntur: verùm quia extrinsecus est principium ideo ipsa quæ ratione carent, quid agant non intelligunt, finem tamen ipsum desiderio prosequuntur: nam ereptis filiis, vel diruto nido eiulant, ac conqueruntur. Quid ergo est? Aliud longè principium talium operationum, aliud cognitio ipsa, nam hæc sensuum beneficio perficiunt: quare anima illorum & ipsa huiuscemodi impressionis capax est, sed tamen nullum illorum ratione vel mente participat, nullum mouet se, sed ab obiecto mouetur. Si igitur pars animæ mundi, si qua talis est substantia hominibus ac belluis communis esset, quamquam in cæteris cognitione belluæ carerent, nihilominus quid agerent, intelligerent: adde quòd (vt dixi) anima hæc tam nobilis abdita lateret vilissimis rebus. Cur igitur Philosophus primo de Anima, animam dignissimam appellauit? quia illa tanquam intrinsecus existens, principium moueret, & agnosceret. Sed cur non sponte mouet, sed ab obiecto titillationem sentiens? Quoniam ex se non est perfecta: quicquid enim actu & actione participat magis, apud Philosophum diuinis etiam magis assimilatur: quod verò patitur, & in potentia est, imperfectissimæ materiæ. Porrò tamen materia æterna est: quia potentiam æternam esse necessarium erat, vt actus etiam æternus foret. At ab ipsa potentia, materia in nullo differt, quid est hoc igitur, materiam esse æternam? Potentiam rerum generabilium semper esse: hæc si tolleretur, etiam generatio ipsa periret. Porrò vt ad rem ipsam reuertar, subiunxit Aristoteles, diuiniorem etiam animа esse intellectum: sed iam illud ostenderat superius, longè melius esse intellectui vt à materia ipsa separaretur: at animam necesse est corpori iunctam: quonam pacto igitur hæc esse simul possunt, considerandum erit: nam sic vnum esse intellectus, & anima nequeunt: nec verò posterius accedere quisquam illum nobis iam adultis dicat, quemadmodum enim & in aliis sensim ad intelligendum procedimus, nec vlla est dies, in qua primò dixisse liceat, hodie cœpi intellectu vti: quare cum sensim prorepat, ab initio illum nobis inditum esse necesse est. At mortalis anima, immortalis intellectus: necessarium igitur est, vt quemadmodum Auerroës inquit secundo Collectaneorum, anima nutritiua loco materiæ sit sensitiuæ, illa quoque menti denuò: at verò istæ permutato ordine eis formæ erunt modum tamen coniunctionis singularem habere necesse est, cùm & ipse homo in sua compositione talis sit, hoc est, quod dixit Aristoteles, animas imperfectiores inesse perfectioribus, tanquam trigonum in tetragono, non tamen eodem modo sensitiua in potentia est ad intellectiuam, velut nutritiua ad sensitiuam, si per animam intellectiuam intellectus intelligatur: nam non ille, sed intellectiua anima, id est sensibilis iam intellectu illustrata, in potentia est in ipsa sensitiua, antequam intellectus adueniat: nam si talis potentia esset, non posset vnquam euadere intellectiua: nam si intellectus humanus animæ equi aduenire posset, non tamen efficeretur equi anima intellectiua, quia non talis potentia natura prius erat: nam de tempore, an vna alteram præcedat, incertum est. Igitur vt translucida corpora, velut cristallus, & vitrum, radios Solis intra se possunt recipere, ac sola ipsa etiam iridis formam in adiacentia emittere, sic fiet de humana anima cum intellectu: quare animæ huius ad intellectum vnio, assumptio quędam est, & ipsius ad illam quædã illustratio: nimis verò absurdum fuerit, tantã vim elementorum mixtioni soli tribuere, cùm vix immortali parte addita, quantam homo habet tueri valeamus, præsertim cùm nullius horum, quæ homini insunt tam multiplicia, vestigium in vlla bellua, vel volucre, aut alia mortali re deprehendamus. Ergo intellectus noster, quòd anima mundi non sit, quodque nec accidens diuinæ substantiæ, quòd non ex vi elementorum, quòd non in potentia animæ intellectiuæ iam præfuerit, quodque anima non eadem sit qua parte intelligit, ac sentit, iam abundè declaratum est: tum quomodo animæ nostræ vniatur, atque quòd multas facultates habeat sibi quidem proprias, animæ autem partibus communicatas, etiam apertè ostendimus, vt non mirum sit, philosophum nec simpliciter plures appellasse animas, nec facultates vires eas, quæ in anima hominis essent, sed semper animæ partes. Huius autem communis virtutis, quam Deus in mundum influit, nullum familiarius exemplum sumere me posse credo, quàm ex Herculeo lapide, ex hoc enim in ferrum, quod illo oblitum sic, ac etiam ei superpositum, virtus profluit, qua ferrum ipsum ad septentriones dirigat: igitur quid mirum est, eam ex Deo in vniuersum eadem ratione posse emanare: nulla tamen subiecta alia substantia, quæ virtutem eam deferat. Sed tamen ex hoc oritur dubitatio, curnam lapis dirigat ferrum? nam si ea virtus in ferro est & tamen agit, esse potest etiam, vt animus noster sit virtus sola sine substantia, & tamen intelligat. Respondemus causam esse cur nihil seipsum moueat, quod idem actu erit, vt mouens, & potentia vt mouetur. Quamobrem aliud mouere nihil prohibet formas substantiis proprias, verùm seipsas per se est impossibile, igitur intellectus æterni mouent, sed immoti sunt: at corpora mouentur, & non mouent: intellectus igitur noster seipsum mouet consequentia obiecti: nam obiectum illuminat, ab ipso intellectus mouetur, atque sic intelligit: Herculeus autem lapis impressionem in ferrum facit, à qua ferrum mouetur, non à lapide, sed à cœlo, vel parte cœli terminata, ita quòd hic lapis ferrum præparat ad motum, sed

T.cap.82.

Cap.3.

ſed non mouet: nunc non loquor de motu, quo illud attrahit, & hæc eſt vna ex rebus, quam ſi quis quæſiuiſſet ab Alexandro Aphrodiſeo, vel Galeno, reſpondiſſent, eſſe planè impoſſibilem, & ſuper hoc ſuas, quas vocant, demonſtrationes attuliſſent, & non paucas. Experimentum autem docet ita eſſe, cùm multa alia in eo lapide mirabiliora etiã lateant, quæ omnia ſimul cum motu, quo ferrum impellit ad ſeptemtriones, illos Philoſophos latuerunt, & nunc etiam pauci, vixque nulli omnes illius vires agnoſcunt. Sed ad reliqua transeamus: Forſan aliquis poſſet (vt Platonici exiſtimant) credere, intellectus noſtros particulas eſſe animæ mundi, ſic tamen vt illa non vbique diffuſa ſit, nec ſubſtantia ſua mortalibus communis, hoc enim demonſtrauimus eſſe non poſſe: ſed nec ſic, nam deciduæ illæ partes aut comminuent animam illam, fietque quanta, ac etiam comminuta ſimul: vtrumque autem inconueniens: ſi enim intellectus eſſet cum quantitate, vnius eiuſdémque rei eſſent infinitæ intellectiones, vt rectè inquit Ariſtoteles: multò autem turpius, atque abſurdius eſt, illum comminutum facere, cùm præter quantitatem ſuperaddamus, quod etiam in belluis, & lapidibus damnamus: at ſi non comminuitur, quod defluit ſi tantum virtus eſt, non ſubſtantia, in eoſdem incidimus laqueos, omni enim rationi repugnat, accidens eſſe quod intelligat, & nos ipſos eſſe id accidens: quilibet enim, vel quantumcunque ſtupidus, agnoſcit ſemet quandam eſſe ſubſtantiam, non accidens, ſed qualis ſit ignorat: cauſam huius inferius aſſignabimus. Sed neque anima hoc lumine illuſtrata ſic poteſt intelligere: nam quæ actu intelligit, cùm ſemet agnoſcat, lumen illud erit, vel non erit: ſi quidem lumen, in idem reuertimur: ſi non eſt ex re materiali, & diuiſibili, res immaterialis, & indiuiſibilis efficietur. Oſtenſum eſt autem, quando non neceſſarium ſit, tunc animam eandem eſſe cum lumine idem belluis accidere: nec tamen intelligere: reuertimur etiam ad eam difficultatem, quonam pacto abſtrahimus, quando volumus, ſi anima tantùm illuminatur, & non eſt ipſum lumen? at ſi ſubſtantia quædam deciditur, nec comminuitur, quaſi iuxta Auicennæ ſententiam manifeſtum eſt, quod creationem, & nouitatem, & infinitatem admittere cogimur, quæ omnia non ſolùm Philoſophis, ſed magna ex parte etiam legibus repugnant, cùm ſubſtantiarum creatorem Deum ſolum, & meritò ſtatuant: neque tamen ob hoc, quin omnes ex vna pendeant, credere prohibemur, at magis cogimur: nam & quæcunque plura numero ſunt, atque ea mortalia, aut ab vno omnia originem ducunt, vel inuicem ordine quodam diſpoſita referũtur. Igitur hæc de animorum ſubſtantia dicta ſint, nunc de affectibus illorum dicere iam tempus eſt? ſunt animi etenim affectus plurimi, Iracundia, Dolor, Amor: ſed qui pertinaciter hæreant illi, eúmque tranſmutent tres, Cupiditas, Spes, ac Fides: quæ enim deſideramus, partim ſub manibus noſtris ſunt, eaque cupiditate proſequimur: nam amor inſperatæ rei, amentiæ potius pars eſt, quàm vllius animi affectus, quæ aut ſub manibus noſtris non ſunt: ſi præſentia, vel præterita fuerint, fidei ſubiacent: quæ futura ſunt, ſpei: in omnibus autem incertum eſt, ac minimè firmum quod ſubiicitur, præterquam in cupiditate. Cupiditatis igitur fortiſſima eſſet vis, ſi paria eſſent quæ affectibus ſubiiciuntur: verùm fidei, ac ſpei plerumque nobiliſſima ac παράδοξα præmia ſunt, ob id homines maximè his tribus ducuntur affectibus: horum fortior ſpes autem firmior: cùm verò in vnũ (vt plerumque accidit) iunguntur, animum ipſum ſic in ſe transferunt, vt totus in illis eſſe videatur: vacuas autem mentes ſpes, & fides, totas occupant: & ob id maior in ſtupidis idiotis, ac plebe, quàm in eruditis, nobilibus, ac ingenioſis: cùm verò velut habitus quidam confirmatæ paululum hæ opiniones fuerint, adeò in immenſum euadunt, vt primò hominem ipſum totum arripiant, inde etiam alios ſecum trahant, tum demum in hominum corpora, atque in res ipſas etiam inanimatas, tum in corpora animalium prodigioſos effectus pariunt. In hominum quidem corpora quomodo agant, non difficile eſt intelligere, immunitatis prius illorum animis: conceſſum eſt enim, animam forti fide, ac ſpe, tanquam propriis quibuſdam inſtrumentis corpus immutare: nam in vehementi terribilium imaginatione multi mortui ſunt, alij ex toto permutati, velut Laurentius Sannutus Patritius Venetus, qui captus à Gallis cum claſſe, inuolutúſque velis cum aliis pluribus vt mergeretur, dum diuturna mortis expectatione torquetur, horarum quatuor ſpatio canus euaſit, inde periculo ſolutus, ab adoleſcentia talis ſemper permanſit. Alij ob vehemens gaudium à morbis liberati, alij autem ob triſtitiam inſani facti ſunt. Porrò ad fortem imaginationem dilecti ſcorti in venerem incitamur, plurimis etiam, ſi firma manſerit, ſemen ſponte effluit. Mouent ſpiritus fortes affectus animi iam illi parere diu aſſuetos, vnde ex parte in partem trahuntur ſpiritus, humor, ac ſanguis concomitatur. Verùm de Fide, quòd neceſſaria ſit huic negotio, in aliis quid mirum eſt, cùm apud Lucam in Euangelio legatur, Chriſtum pauca ſigna in patria ſua edidiſſe ob illorum incredulitatem: ob id igitur, ſi mente mens immutatur, imaginatione imaginatio: nam hæc virtus (vt docuimus) intellectui maximè inſeruit, nil mirum eſt, ex eodem principio corpus illud immutari. At in belluis cùm animus noſter diuina natura ſit prædítus, inferiores animas mouet, atque ideo in equos maximè operatur, quoniam ſenſibilis illorum anima plurimùm excellit, & corpori etiam dominatur: non ſic in capras, aut oues: inde præcantationum ratio, quanquam plurimis illarum doli, vel medicamenta immiſceantur. Ergo vt ad initium reuertar, hinc ſumma patientia ad tormenta, ſumma conſtantia ad pericula exoritur, quòd animus his affectibus immutatus, à corpore totus ſeparetur, & abſcedat, aliúſque fiat. Sunt porrò & in belluis hæ affectuum differentiæ, ſed minimè adeò euidentes, cùm in caduco,

Primo de Anima. Cap. 3.

caduco, & subiecto mortali sitæ sint: nam canibus erga dominos fides, ac spes, verùm non affectus ipsi, sed potius illius effectus, amant enim eximiè, & nil amplius cogitant, quoniam hoc ei natura negatum est: at inanimata, & arbores difficilius fide moueri possunt. Attamen si in nobili anima fides, ac spes fortis extiterit, etiam illa immutare potest: vnde apud Romanos lex erat, Fruges ne excantato: sed de his tertio de Varietate rerum libro diximus: nunc solùm id attigimus, vt intelligant omnes, hominem fide, ac spe ingenti munitum, corpus quasi seponere, & diuinum, aut dæmoniacum effici: at de his seorsum etiam dicemus: inde veneficarum malefica origo ortum habuit. Neque verò mortuos resurrecturos, aut montes transferendos hac fide, & spe credas hoc enim leges naturæ transgreditur: sed ea efficit hæc animi vis, quæ magna arte etiam ac plurimis auxiliis indigent, effici tamen possunt. Verùm Cupiditas mentes, vt creditur, prudentiorum agit: nam diuitias primùm, pòst honores, ac magistratus, & voluptates adeò ingenti desiderio tractant, & amplectuntur, vt miseriam humanam hoc errore subterfugiant, namque ad mortis vsque ianuas tutò accedunt, velut qui per montium periculosos calles iter habent, securius progrediuntur, si faciem ad montis summum cacumen vertant, quàm si ad profundam, & confragrosam conuallem. Ergo de affectibus animæ principalibus hæc dixisse sufficiat: nunc verò de totius hominis communi opere, seu affectu (nam quodnam illorum Somnus dici debeat, Galenus in libro de Odoratus instrumento satis dubitat) iam dicendum arbitror.

Cap. 4. 6. 7. & 9.

Est igitur Somnus, vt Aristoteles inquit, affectio quædam sensoriæ partis, qua communis sensus immobilis redditur, ac vincitur, quam diuaporatio committit alimenti: etenim in animi defectu, & syncopa, & morbo comitiali, magisque in attonito, sensus ipsi vinciuntur, sed non ab alimento, verùm à morbosis causis. Rursus, cùm omnes sensus simul concidant in somno, & tamen maneat imaginatio, & memoria, necesse est, vt non singuli vinciantur, sed omnes propter vnius vinculum reddantur immobiles: at illud vinculum anima non est, neque enim imaginatio, & memoria nobis in somno relinquerentur: igitur vinculum hoc est communis sensorij. At verò Sensus, vt ille inquit, est motio animæ facta interuentu corporis: nam ad idem pertinere actum, ac potentiam, satis clarum est. Sensus autem communis nil aliud est, quàm vis sensibilis in anima existens, quæ à sensibus exterioribus mouetur: in hanc autem, velut in centrum, concurrunt ex circumferentia lineæ, sic ex quinque sensibus formæ omnes: cùm verò indiuisibilis sit hic sensus: plura tamen comprendere potest, non quidem vna actione, sed si debet inter sensibilia iudicare iam illum oportet seruatis præcedentium sensibilium formis componere inter illas tanquam præsentes, diuidereque. Sic & intellectus per hunc modum facit, sed tamen indiuisibilis est, cùm illas comprehendit, aliter nulla complexorum scientia, vel cognitio, nihilominus vt vnum quæ plura sunt in illo sunt. Quare autem sensui communi nullum instrumentum, cùm imaginationi pars cerebri concaua anterior, memoriæ postrema, rationi media inseruiat: hoc ideo est, quia vltima perfectio cuiusque in anima est: anima autem organo (vt docuimus) per se non indiget, imaginatio enim, & ratio non in anima, sed ab anima fiunt, quare organo indigent, & parte cerebri singulari: sensuum enim vltima perfectio est anima, ac sentire: imaginationis verò, & memoriæ ac rationis, quæ in homine est intellectus, ac intelligere. Verùm hæ virtutes etiam in belluis sunt, sed (vt docuimus) ab anima in illis proficiscuntur, in homine ab intellectu, ob idque nomine solo, non re ipsa conueniunt: sed velut ab igne, & à Sole lux prodit, ac lumen, nomine, & etiam quadam imagine rei similia, altero mortali, ac elementari, altero diuino ac immortali: sic etiam de his virtutibus dicendum erit. Porrò quod belluis imaginari contingat per somnum, manifestum est, cùm canes adlatrent. Duo igitur motus sunt in anima, Ab anima & Ad animam: in somno, qui ad animam est, motus spirituum impeditur, non qui ab anima: necesse enim erat illum motum seruari, ob multas necessarias causas, & ob pericula non leuia spirituum, etiam qui naturali inseruiunt facultati, nec sensibiles sunt: eandem ob causam motus reciprocus relictus est, ob id media parte somni exteriora calidiora redduntur. In initio igitur somni animæ sensibili inseruientes spiritus ad cor ipsum contrahuntur, motus verò ab anima non cessant, nisi grauior etiam ingruat somnus: vnde fit, vt benè poti rarò somnia videant, & similiter in prima somni parte: at cùm crapula deferbuerit, tunc primò ab anima spiritus mouentur, & imagines vident, inde cùm multiplicati fuerint in extremis partibus, ac exuberantes, motum contrarium ad animam faciunt, & tunc euigilantur. Ob id debiles, & humidi, & in hyeme longiores habent somnos, quoniam tardius exteriora replentur spiritibus, hicque etiam sunt pacatiores. Aristoteles igitur duo videtur prætermisisse: Primum, quia non dixit, quomodo sensus communis alligetur, anima non alligata: Secundum, quia causam ipsius somni in humiditatem, ac frigiditatem, tum maximè ab alimento refert. Hoc autem non sic se habet, nam somnus fit ob quietem spiritus à motu ad exteriora: hic autem vel ab anima, vel à cibo, vel à corpore accidit: ab anima, cùm aliquid iocundum imaginamur, nam spiritus intenti quiescunt, somnusque illico superuenit. Fortior est hæc causa, etiam ipso papauere: nam cùm Principium quiescit, spiritus & ipsi quiescunt: non igitur ab humido, & frigido tantùm fiet. Erunt autem talium imagines luci, prata florida, colles, flumina, herbidi campi, aura suauis: atque ideo etiam horum imagines pictæ somnum conciliant. Opposita ratione, vehementes animi motus vt ira, dolor, timor, curæ, illum impediunt, velut & spes. Altera verò à corpore sumitur

resolutio

resolutio spiritus : quamobrem post fortes labores, post tristitiam longam, post diuturnam vigiliam, post opij potum, somnus non leuis irrepit, quoniam spiritus deest, qui ad animam feratur: ex his solus, qui ex tristitia fit, perturbatus plerumque est, & plenus imaginibus, nam anima mouere non desinit, paucitas spirituum prohibet, ne redeant. Pugnantibus igitur causis, vt primùm magna ex parte restaurari cœperint, soluitur somnus. Tertia verò causa ex humido, & alimento proficiscitur : hanc solam attulit Aristoteles, nam laborem ad colliquationem refert, atque si hic esset potius ante lassitudinem in laboris initio, quàm iam exsiccato per laborem corpore somnus oboriretur. His igitur causis coëuntibus in vnum placidissimi, profundissimi, ac longissimi fiunt somni: dissidentibus perturbati, leues, atque breues. In causa etiam, quòd humiditas, & frigiditas somnum pariant, non satis conuenimus cum expositoribus: nam quòd vapor ille obstruat, sicut nubes prohibens radios solis, sic ille transitum spirituum, est omnino falsum : esset enim aliquando somnus in aliqua parte corporis, & vigilia in alia: nos autem videmus, quòd semper simul, & sine sensu aliquo ingruit, ac repente: ex quo patet, quòd necesse sit, vt motus, seu causa illius sit ab vno principio, ipsoque indiuisibili, scilicet anima. Quòd verò maximè superueniat hora concoctionis cibi, hoc verum est, quia anima vtitur spiritu sensibili ad concoctionem, quare prohibet motum illius ad extra, & hæc prohibitio est somnus: & ideo contemplari, dum quis cibum concoquit, cruditates affert, quia prohibet, ne quid spiritus sensibus concoctioni auxilietur. Et si dicas, quod hæc obstructio fit in via cordis, vel cerebri, & ideo potest simul esse communis toti corpori: tunc sequeretur, quòd quilibet in somno incurreret magnum periculum obstructo loco principali, cùm tamen nemo dormiens moriatur, imò si maxima causa superueniat, vt casus domus, vel vulnus cordis, vel morbus attonitus expergiscitur antequàm moriatur. Esset etiam hæc prohibitio necessario causa deterioris concoctionis, saltem in aliquo membro, cùm tamen nunquam melius concoquamus, quàm in somno. Humor igitur, & frigiditas somnum conciliant, si spiritum non extinguant, quia motum illum spirituum sedant, & mulcent animam, vt spiritus tranquilliores efficiantur: oppleto enim vaporibus cerebro, spiritus illi conquiescunt, fitque quædam veluti tranquillitas (quam Græci melius exprimunt per hoc nomen γαλήνη) in ipso principio, inde omnes alij spiritus à motibus suis supersedent: nec enim omnes ad principium redeunt, vt iam aliàs declarauimus. Hac igitur etiam ex causa soni leues, vt aquæ murmur, & fabularum narratio, somnum prouocant sedato impetu spiritus animati. Ergò in corpore animalis motus omnes ab indiuisibili anima proficiscuntur, sedato verò illi propiore spiritu vna omnes, aut incitato, tanquàm ad vexillum respicientes milites sedantur, vel incitantur : quò fit, vt in grauibus illius affectibus nulla pars corporis, velut in ira, timore, verecundia, dolore, amore, conquiescat, & eius symptomatis, quod ex illo affectu exoriri solet, immunis sit. Insomnia verò existimat esse sensoriæ partis, quantenus imaginaria est. Conatur autem horum rationem reddere per specierum in sensibus conseruationem : vnde quæ viderimus in vigilia, per somnum etiam nos videri existimamus. At verò hoc difficillimum est, & ab omni experientia remotum: namque conseruari in sensu, puta oculi lucem, momento temporis, verum est, & ita de tonitru in aure: quòd autem per plures horas, nimis hoc est à fide remotum. Impedirentur etiam omnes illius sensus operationes, quæ inter veram sensationem, & imaginem somnij caderent. Sensus etiam tactus non videtur esse absque præsentia rei quæ tangitur. Homines etiam non quæ pridie viderint, sed illos quos amant, vel oderint vehementer, vel à quibus plurimum vexantur, frequentius per somnium videre se existimant. Præterea si conseruata imago in sensu hoc agit, vt videamus imaginem per somnium, cur homines, & alia videmus, quorum vix memoriam retinemus? homines etiam semper somniarent, & tum maximè in prima somni parte, cuius oppositum è directo contingit. Galenus autem videtur velle, imaginem hanc potius in spiritu seruari : nam & cæci, qui non tales sunt, à natiuitate videre se somniant, cùm tamen tunc facultate videndi sint omnino priuati : igitur neque sensus exteriores, nec communis, quicquam cum insomnio commune habent, cùm & hic obiectum præsens requirat. Si igitur in spiritu sunt, & in vigilia latent imagines ob fortem motum, quibus igitur interior sensus fortis est, nec spiritus multo humore obtutus, sensibilisque impressio vehemens, his multa, & clara apparebunt insomnia, tales melancholicos, & atra bile laborantes esse verisimile est : sensum, nunc imaginationem debilem habent, ac impressiones leues recipiunt, hi tum precipuè si humidioris cerebri extiterint, pauca leuia, & incerta videbunt insomnia, vt ebrij, ac pueri. Verùm cur iam tot annis imagines visas somnus reuocet, si in spiritibus sitæ sint, difficile est intelligere. Denuo igitur ad Aristotelem reuertor : is particula trigesima Problematum insomnia ad mentem refert. *Proble. 13.* Hoc autem optimè dictum est : illud verò ambiguum, quod qui suauissimè dormiunt, ob id non videant insomnia, quòd in illis maxime concitus sit motus animæ ac spirituum ob caloris motum : neque enim hoc verum ex toto esse videtur: sed (vt iam diximus) vbi somnus profundissimus, ibi non solùm spiritus à motu versus cor quiescunt, hoc enim omni somno commune est : sed etiam à motu à corde, quem necessarium est adesse his, qui imagines per somnium videre debent: Quamobrem etsi forsan paucula propter impressiones in spiritibus factas videantur, maximam tamen illorum partem à mente, seu anima ipsa prodire necesse est : seruato enim leui motu spirituum comprehensas imagines ex anima in imaginationem

nationem referunt : ab humoribus etiam excitantur, cùm halitus formam aliquam indiſcretam pro diſcreta & perfecta retulerint, velut in nubibus videmus, in quibus oculus ſerpentes, & equos fingit, cùm imaginatione adiuuatur, quanquàm in eis nihil horum diſtinctum appareat. In inſtrumento igitur imaginationis, vt in tranquillitate maris ſpiritus leuiter mouentur, ſunt enim ex aëria, ingeneáque ſubſtantia, vel etiam ſiqua melior eſt, vnde animæ repræſentant rerum imagines. Sed cur videre nos per ſomnum, non imaginari arbitramur, ſic & audire? nam quod imaginamur non adeo clarè nos videre putamus, velut quod per ſomnum apparet. Ratio autem huius ſatis eſt manifeſta: nam in ſomno imaginationis functio ſpiritibus iam ſenſibus delegatis perficitur, in eo etiam anima magis libera eſt, quò fit, vt perfectè operari ſe credat, atque id indicium eſt, animam per ſe omnium ſenſuum perfectionem continere. Sed cur magis nos videre, quàm audire, minimè verò tangere arbitramur? Hoc ideo eſt, quòd loco inſtrumenti imaginationis propinquiſſimi ſint oculi, tactus verò remotiſſimus, ob id plures ſpiritus ad imaginationis locum ex oculis reuocantur, quàm ex vllo alio ſenſu: plus etiam anima in videndo oblectatur, puàm in audiendo, vel odorando, tangendóve.

Illud verò ſciendum eſt, ſpiritus ſenſibus delegatos impreſſionem ex ſuis inſtrumentis recipere, qua ad munia illius ſenſus obeunda potius, quàm alterius ſint promptiores: ob id etiam ſpiritus viſioni apti decidunt his ſeruatis, qui ad audiendum ſunt opportuni. De ſomni verò fine illud quærendum eſt, quoniam vita eſt propter operationem in animali, ſomnus autem propter vitam: nam in vigilia, vt ſecundo Cœli habetur, animam ob corporis reſiſtentiam fatigari neceſſe eſt: ſomnus autem eſt quidam retroceſſus, nam belluis homines, plantis belluæ, inanimatis plantæ per ſomnum efficiuntur ſimiles, vt hyeme apparet. Sed iam non paruæ exoriuntur difficultates, an formæ rerum in ſpiritibus, an in membrorum ſubſtantia, an in anima ipſa reſeruentur: ſimiliter & de anima, an in vno, vel pluribus ſpiritibus ſit: tum verò, quid cogat, vt hoc magis, quàm aliud per ſomnium videamus? Deinde quomodo ſi imagines in anima ſunt, cur contingat obliuiſci, vel decipi? tum etiam quomodo memoria antiquas res reuocemus, præſentium penè obliuiſcamur? cur etiam, & quando, & quomodo, vndéque, & an vera inſomnia ſint? Ergo ad harum primam dicimus, formas rerum in via Ariſtetelis in anima conſeruari: nam illis reponi illas conſentaneum eſt, vbi locus vltimus eſt earum, ac ſumma perfectio, & ad quem locum tandem perueniunt. Anima autem talis proculdubio eſt, erit & Intellectus patiens aliquo modo vniuerſalium ſubiectum. Sed duo videntur obſtare: primum, quòd cerebri poſteriore parte affecta memoria patitur, vt inquit Galenus tertio de Locis affectis, igitur formæ illæ in anima non eſſe videntur: item quomodo

Cap. 3. (margin, beside "pter vitam")

Cap. 3. & 4. (margin, beside "affecta memoria")

obliuio accidit, & deceptio in intellectu. Reſpondemus, quòd (vt Theophraſtus inquit) ex permiſtione deceptio oritur, obliuio verò quia organo indiget ad hoc vt poſſit repræſentare, patiens enim intellectus corruptibilis eſt, & lumen illud in anima ab agente profectum, ſeu lucis ſimilitudo, quia quædam perire, quædam ſeruari neceſſe eſt. At verò cur accidit, quòd memoria per medicamenta reuocata multorum reminiſcimur, quæ ante illius amiſſionem cognoueramus: nam ſi ob id illorum obliti ſumus, quòd ſubiectum corpus corruptum ſit, neceſſe eſt poſt reparationem illius ea quæ exciderant, niſi denuo diſcantur, ex toto euanuiſſe. Quòd ſi dicat, ſeruari quidem hæc in parte illæſa, verùm ad actum exire propter impedimentum: quid igitur obſtat, ne idem de anima dicatur? veriſimilius autem eſt in anima hæc ſita eſſe, vt diximus, quoniam actu nulla penè exiſtant, potentia autem quaſi infinita. Hoc autem in loco ſcientes dtfferentiam memoriæ & reminiſcentiæ, ob breuitatem prætermittimus: ſatis hoc vnum rei argumentum ducentes, quòd qui caſu aliquo repente deciderint, vt quaſi mortui iaceant, reuiuiſcentes quomodo ceciderint non recordantur, nondum enim in anima impreſſio eius facta fuerat: eorum verò quæ iamdiu didicerint, memoriam illico recipiunt, quoniam anima morbo non læditur. Sed cur ſcalpentes cerebri poſteriorem partem recordamur celerius? hoc in cauſa eſt, quòd (quemadmodum inquit Philoſophus) memoria per conſimilia reuocatur: ex illo autem motu multa, ac magna fit ſpirituum commotio, vnde ex multis imaginibus aliqua perſimilis excitatur, cuius ſimilitudine ad quæſitæ recordationem peruenimus: inde etiam contingit, vt nimis celeri ſpirituum motu tranſeat res ipſa, cùm iam apprehendiſſe illam putauerimus. Ex quo dignoſcitur quonam pacto in memoriam reuocemus: nam neceſſe eſt ſiſti ſpiritum coram anima, ex illa verò conceptam formam eluceſcere: igitur ſi tranſeat ſpiritus concitato motu, reminiſcitur, ſimul ac obliuiſcitur, quod frequentius in eadem re contingit ob multos ſpiritus: atque ea de cauſa fit, vt qui celeriter diſcunt, celeriter obliuiſcantur. Senes autem obliuioſi ſunt, quoniam frigus tarditatem motus ſpiritibus ingerit: & hoc eſt quod optimè Galenus dixit, non ſiccitatem memoriæ ſenum obſtare, ſed frigiditatem. Melius igitur eſt dicere, animam eſſe, formam ſuſcipientem penè infinitas ſimilitudines rerum, ſed non ad actum reducuntur, niſi cùm lux illius ea ad hoc conuerſa quod in omnibus illius operibus commune eſt, ac ſæpius dictum, in ſpiritibus refulſerit. Velocis igitur memoriæ, quorum ſpiritus celeres: tardæ, quorum lenti. Non igitur hoc ex animæ ratione, quanquam nil prohibeat, animam eſſe meliorem: hoc autem tribus modis, vel quia anima ipſa ex temperatiore corpore prodeat, vel quia nobiliore intellectu illuminetur, hoc autem ſolum erit demonſtrandum: vel quia melius illuminetur. Dicere autem, animam in ſpiritibus eſſe, omnino eſt impoſſibile: nam in pluribus plures habebit

partes,

partes, & corrumpetur etiam secundum illas: in vno autem tantùm multo minus est verisimile. Est igitur, velut Sol in mundo, in vna parte: radij verò illius per totum corpus extenduntur, vt solis radij per orbem. Anima autem plantarum ex toto est diuersi generis: nam substantia illius & ipsa in vna parte est, & virtus propter imperfectionem per totam disseminata anima est potentia, quæ cum à toto diuellitur anima actu fit: insectilium autem anima non diuiditur, neque enim vnquàm duæ partes insectilis simul viuunt, sed potentia animæ remanet in vna parte, & in alia substantia, aliter pari ratione innumeras constituere oporteret in eodem insectili animas: non est autem anima nisi possit in debitas operationes exire: nam & boum linguæ, & partes circa caput diu mouentur post bouem occisum, corque illius immobile redactum. Verùm inter animam, & solem, vel saltem inter intellectum & solem differentia est, quia sol habet esse cum quantitate, intellectus autem non: est igitur intellectus indiuisibilis: indiuisibile autẽ duplex, vel vt punctus vel vt intelligentia: quod autẽ vt punctus est, pars est, ac terminus corporis: tale autem omitto, quòd corporeum dici debeat, nequaquam corpori posset imperare: est igitur intellectus indiuisibilis, velut intelligentia: at verò qui talis est, etiam vt punctus est indiuisibilis, ad hunc sensum quod caret quantitate, non autem quod sit terminus alicuius lineæ, sicut dicit Euclides de puncto: igitur existentia intellectus in corpore est, secundum modum magis indiuisibilem, quàm puncti in linea: nec propter hoc inconuenit, quòd sit magis in corde, quàm in alia parte: nam & Deus (iuxta Philosophi sententiam, si illum secundum Auerroem interpretemur) est in extima cœli parte vltimi, cum tamen Deum constet longè magis nostro intellectu esse à materia separatum. Vt autem hoc magis, quàm illud per somnium videamus, duplex quidem responsio est: nam si credamus somnia tantum casu euenire, respondebimus, vt de memoria dictum est, quonam pacto obliuiscamur præsentium, & recordemur iamdiu præteritorum, ob spirituum ad animam conuersionem ea parte, qua imaginem similem continet. Sed dubitabit meritò aliquis, quia in vigilia hoc causam manifestam habet, scilicet voluntatem, quæ iam imaginem vniuersalem animæ subiicit, velut volo recordari carminum Vergilij illorum, in quibus loquitur de Didonis morte, iam subiicitur animæ, quod ex Vergilio sumenda est hæc res, non ex alio poëta: secundò, quòd mors Didonis tractatur in quarto libro Æneidos: non ergo ex aliis quærenda libris erunt: memini etiam, quòd ante mortem cœpit conqueri de Fortuna sua: igitur his tribus imaginibus à voluntate rationis medio ab anima spiritibus propositis illi mouentur, atque adeò aliquando celeriter, vt etiam hæc ipsa generalia excidant. Porrò spiritus in quibus relucent iam hæ tres imagines quiescunt, & si aliorum spirituum motu perturbentur, etiam hoc ipsum excidit vniuersale quod subiiciebatur: huius quietis causa forsan etiam aqua illa ventriculis cerebri indita est, nam reticularem plexum adesse negat Vesalius in hominibus: & si adesset, potius nutritionis cerebri, quàm memoriæ causa factus videretur. Ex hoc quoque manifestum est, cur verum sit, quod dixit Philosophus, Anima sedendo, & quiescendo fit prudens. Verùm in somno & si voluntas nulla sit, est tamen animæ affectus quidam, atque ob id non magis aliud, quàm de quo per vigiliam impensè sumus soliciti, in somno videmus: alias autem rerum formas vapores suggerunt, seu à cibis seu ab humoribus eleuentur: vnde cepas, & caules, mala ac terribilia somnia parere passim creditum est, & qui illarum assiduo vsu tenentur, in veneficij opinionem ob frequentia in somnis spectra transeunt. Sed cur nam atra bilis, aut talia formas potius horribiles, quàm iucundas excitent, in libro Floridarum disputationum declarauimus, quæstio enim hæc non tantum naturalis est, sed etiam ad medicum spectat de illa pertractare. At verò qui somnia à superis immitti putant, etiam longè facilius quæstioni huic satisfaciunt: Quamobrem huic & vltimæ propositæ quæstioni respondere non ab re esse puto. Igitur Auerroës illud primo existimat non solùm aliqua, sed partem maiorem somniorum veram esse, eáque quæ vera sint, hoc signum relinquere, quòd cùm experrecti à somno fuerint, anima quasi timet, & admiratur, cùm id etiam in ipso somnio contigerit. Addunt reliqui somniorum interpretes quòd sub diluculo videatur, & iam discussa crapula, & ab homine cui euentus frequentes visis simillimi succedere soleant. Cùm igitur intelligentias solũ vniuersalia cognoscere crederet, multis verbis, quorum tamen sententia clarior paucis subiicietur, id tentat ostendere: est autem horum hic sensus, Generales formæ cùm plures fuerint simul iunctæ impressionem in anima singularis efficere possunt. Id exemplo satis claro est manifestum, nam tres superficies planè omnes vel etiam regulares vbi se dispescant simul solùm in puncto coëunt, vt ab Euclide in vndecimo libro demonstratum est. Est autem superficies ad lineam, velut vniuersale ad singulare, & linea ad punctum vt vniuersale etiam, siquidem in superficie infinitæ lineæ, in linea infinita puncta esse possunt. Similiter & in numeris proportionis consimilis tres infinito inuenire licet, licet & inuenire infinito, quorum secundus in se ductus tertium producat, atque rursus infinito tres numeros, quorum producta ex primo in se, ac secundo in se simul iuncta producto tertij in se sint æqualia: tres autem numeros inuenire, quorum secundi ad primum eadem sit ratio, quæ tertij ad secundum, quorumque secundus in se ductus tertium producat, & rursus quòd tertio in se ducto tantum fiat, quantum coniunctis productis primi, ac secundi cuiuslibet scilicet in se, non nisi vno modo licet, atque in his tantum tribus numeris vnitate scilicet tum dimidio vnitatis, latere quadrato illi vnitatis, ac quartæ partis eius adiecto, vt sic maximus constituatur seu tertius, hic numerus, cuius quadratum latus, secundus seu medius numerus erit: manifestum est

igitur

igitur quàm paucis vniuersalibus in vnum iunctis, quorum singulum infinita sub se continet, in vnum singulare perueniant: hæc autem infinita fermè esse, seu potius innumerabilia declarat: additur insuper cœli varietas, quam ex motu singulis refert momentis, nam sine cœlo nihil intelligentias in hæc inferiora influere putat. Manifestum est igitur, & quomodo sine motu, & quanto magis cum illo generales causæ futurorum in singulare ipsum tanquàm superficies tres illæ in indiuiduum punctum reducantur, atque hoc modo futura per somnum præuidere licet iuxta Auerrois sententiam, cùm simulachra illa per cœli motum tanquàm per causam vniuersalem ab intelligentiis in humanam animam immittuntur. Ego verò hanc causam valde dubiam esse existimo: nam oportebit, vt vel vniuersalia imprimantur in anima, & hoc nemo videt, aut si videt, intelligere non potest: si autem singulare quærendum est, à quo agente illæ formæ vniuersales in vnum redactæ sunt? nam in rebus ipsis materia est illa, quæ ea in vnum cogit, ita quòd si illa sentiret, & intelligeret, & loqui posset, diceret, recipi formam huius pomi, quia in hoc loco, in hoc tempore, ab his causis talia, & talia passa sunt. Anima igitur necessariò prius vniuersalia ipsa sentiret. In somniis etiam intelligimus nouas demonstrationes, vt nobis accidit quandoque, dum libros nouæ Geometriæ scribemus. Abstracta autem cœlo non subiiciuntur. Sed forsan ad hoc dici posset, quòd simulachra tantum imaginatiuè repræsentata sunt, intellectus autem vt etiam in vigilia ex opportunis formis demonstrationem collegit, sicut accidit etiam ex figura oculis proposita, quòd si in ea nulla desit linea ad perfectionem demonstrationis, facilius inuestigamus quæsitum: vnde multùm solemus laborare in erigenda figura apta, antequam inueniamus demonstrationem. Sed dimittamus hoc, Cur est, si somnia à cœlo & intelligentia immittuntur, quod per flumina cogamur iudices intelligere? quoniam libera sunt, nec cuiquam subiiciantur: & per montes, saltus, ac valles, tristitias, timores, ac perturbationes? quòd viæ vitæ assimilentur: anfractuosæ, & asperæ, vt circa prædicta esse solent, vitam infelicem, ac duram. Quomodo igitur, si cœlum causas habet difficultatis, parit imaginem montis: aut si iudicium sim subiturus, flumen mihi ostendit? an ab eisdem causis iudices in mundum, & flumina prodeunt? & paupertas cum labore, & montes? si igitur solum ex operatione nostra hæc sortiuntur similitudinem hanc, quonam pacto simile pro simili cœlum subiicit? nam si natura similia subiiceret, verisimile hoc forsan esset, sed hæc casu potius subiiciuntur: nam esse difficilem nobis montem, accidit, quia crura æqualia habemus, ideo capreæ, & quæcunque longiores posteriores anterioribus habent pedes, facilius per montes, quàm per plana currunt: hoc igitur nobis contingit casu, seu per alterius rei consequentiam, non natura ipsa. Præterea quid agunt cœli, cùm nondum res ipsa sit, nam cuiusmodi prouidentia est de futuris: an igitur iam causæ ipsæ sunt, an non? Si non, quomodo imprimunt in animam? si sunt, vel in materiam imprimunt, quia igitur effectus nondum exactæ sunt in materiam? cur igitur in animam, quæ est remotius subiectum, celerius quàm in materiam ipsam agere possunt? omitto quòd præteritorum nulla ratio poterit assignari, tum eorum, quæ vt erunt, ad vnguem videntur, velut de Calpurnia cum confodi Cæsarem in gremio suo vidit nocte, quam illius cædes secuta est. Sed non in gremio dices, at in senatu confossus est. Illud respondeas quæso, quonam pacto cædes cæde ostendi potuerit? & quamquam, sed tamen ægrè, hæc opinio, vt pleraque talia, quæ falsis innittuntur principiis, defendi possit, clariorem tamen, nec tam longè expetitam huius rei causam nunc subiiciam. Primùm, in omni re, quæ fortunæ subjicitur aut naturæ, homines circa ingentia pericula, atque ingentes spes soliciti admodum esse consueuerunt: illa quidem, vt si possint deuitent, hæc vt celerius, ac tutius consequantur. Ergo tunc minimis quibuscunque rebus mentem adhibere solent, atque ideo multa quæ casu contingunt, seu auguria, seu somnia tanquàm illorum demonstratiua interpretantur, cùm in cæteris temporibus innumera talia non animaduertentes, præterire soleant: hanc ob causam cùm pestis sæuit ob multitudinem animos adhibentium ac morientium, & terroris magnitudinem, tum in cladibus magnis, aliquibus vera somnia, & auguria contingunt non secus diuinantibus, quàm in frequenti talorum iactu sed si modò aliquid in his diuinum inest, id etiam ab animi nostri diuinitate proficiscitur: ille enim diuino coniunctus (nec enim talia bobus, aut asinis insomnia futuri præsaga superueniunt, quòd non per somnum, vt homines, terreantur: aut si terreantur, fortuitò, & sine euentu id contingere solet) ab eo illustratur, quod diuinum est, tum maximè, cùm incipit à corpore separari: habet autem aliam quamdam vim separatus ab ea, quàm dum coniunctus est possidet: verùm de his in fine dicendum erit, dum problemata soluemus, quæ ex hac pendent quæstione: nunc illud satis sit adiecisse, memoriam in vacuas mentes rerum, ac verborum melius ingredi ob hoc, quòd spiritus non sint imaginibus aliis occupati, sed quieti, animáque ad hoc vnum sit intenta, velut nuper à somno excitatis. Verùm aliud ex dictis emergit dubium, quomodo esse potest, vt anima in corde collocata, principalior illius operatio, scilicet memoria, ratio, sensusque in cerebro sit? Peripatetici negant hoc: sed cùm cor pro vita calidissimum esse oporteret, minimè poterat spiritus animatos efficere, qui sensibili virtuti inseruirent: ob id igitur creatum cerebrum est, atque in eo diuersæ partes. Quamobrem necessarium est dicere, spiritus qui imaginationi inseruiunt, memoriæ vel rationi aptos non esse, aliter læsa parte cerebri posteriore, non magis memoria cæteris partibus læderetur. Illud verò argumento esse debet,

debet, quòd sensus omnes in corde fiant: quoniam inartificiosum est cerebrum, ac in homine magis, quàm in belluis, vt optimè Vesalius animaduertit, & quòd per somnum homo nec tam benè imaginatur, intelligit, memoratur, vt in vigilia, nullo autem modo sentit quoniam non transferuntur è cerebro ad cor spiritus: hoc autem falsum est, neque enim iugulares venæ constrictæ somnū prouocant, sed nerui reuertentes qui sub illis positi sunt, & quoniam corde male affecto omnes operationes sensibiles perturbantur, tum etiam, quod aqua quæ in ventriculis est, magis apta ad spiritum temperandum, quàm ad operationes perficiendas videtur. Qui verò Galenum sequi voluerit, dicat. Operationis principium fieri quidem in cerebro, ob causam necessariam dictam à spiritibus, verùm ipsam animam in corde habitare, quæ sentit, memoratur, ac intelligit: nec distantia obstat: nam & apud Galenum sensus tactus in cerebro est, illius autem instrumentum ad pedes vsque extenditur, qui à cerebro plus distant, quàm cerebrum à corde: igitur hoc modo, vel illo anima & intellectus se habent. Sed de anima quòd patiatur, cùm materialis existat, nemo dubitare debet: intellectum autem incorruptibilem existentem quomodo quis illum pati posse dicat? namque vt docebimus agens ipse intellectus non eodem modo in hac vita, & post mortem se habet. Verùm & in æternis mutationes sunt, & quædam imperfectiones: nam Luna ipsa tenebras in ecclipsi patitur, & maculam in se non obscuram visu continet: videntur etiam in lacteo circulo partes cœli inæquales, quanquam optici ad multitudinem stellarum ibi existentium hoc referant: sunt etiam stellæ nebulosæ, & obscuræ, vt ea inæqualitas in partibus eiusdem cœli manifesta sit. Igitur æterna, si modo hæc æterna sunt, varietatem suscipiunt, patique possunt. Verùm non sic alterari, vt ad corruptionem via sit hæc alteratio: talis ergo generis est, illuminari, vel non illuminari in corporibus: in incorporeis intelligere, ac non intelligere. Ex his manifestum etiam est, cur nulla planta actu calida sit, animalia autem, maximè sanguinea, calida sint: nam in plantis sensus non est, ideóque non motus vllus, nec calor: omnis enim calor actu, qui ab internis procedit, à motu est, quoniam dissolueretur sic mixtum, animalia motum in se continent, ideóque calida sunt: & quæ calidiora, sensus acutioris: frigidiora, hæbetioris. Hunc autem calorem, hoc motus principiū, cœlesti virtute contineri necesse erat, quòd anima dicitur sensibilis. At quæ ex his sanguine carent, cùm à nobis tanguntur, propter paucitatem caloris, frigida iudicantur. Simile quoddam in plantis accidit omnibus, arboribus, fruticibus, herbis vt viridia habeant folia, flores autem, & fructus, ac cortices non sic: nam folia mediocri calore gignuntur, humida materia, ac terrea æqualiter mixtis. Sol insuper in ea agit. Quamobrem quod inter album & nigrum aqualiter est positum, viride est: at rubeum maiori indiget calore: nam quæ viridia sunt, vbi magis inaruerint, sanguinei coloris fiunt: foliorum autem substantia, vt dixi, aquea, ac terrea: tale autem cùm soli exponitur, nigrum primò, inde viride efficitur, quod in aquarum putrescentium exemplo patet, primò enim nigræ, vt Aristoteles inquit, post virides euadunt in summa superficie. Virent autem semper folia, quoniam omne indeficiens humidum cùm à perpetuo corrumpitur calore viride seruatur, nec sanguineæ videri queunt, nisi vel terra perturbatâ, vel humido deficiente. Arborum autem flores plerumque albi: nam tenuissima substantia, & concocto iam succo prodeunt: ab aëre igitur dealbantur, nisi proprium ex concoctione colorem susceperint. Fructus autem ante maturitatem virides & ipsi existentes, indicant colorem concoctione acquiri, nec verò corrumpi, aut degenerare tam facile in alienos colores possunt, quòd eorum humidum copiosum sit, ac iam in arboris stolonibus truncóque concoctum, horum vtrunque foliis deest, concoctio verò ab animæ instrumento. Folia quasi superfluitates palntarum sunt Corticibus autem terrea magis substantia ac densior inest, ob id ferruginei interius, exterius ob Solis & aëris vim quasi cinerei. Hæc igitur de anima: animatisque dubitasse sufficiat.

ARISTOTELIS DE ANIMORVM immortalitate opinio.

Aristoteles autem in his, vt in cæteris, multa adinuenit pulchra: at de animæ successu addubitasse plerique putant, cùm nec mortalem, nec vnam, nec infinitas admittere iuxta sua principia posset. Mihi verò haud dubium est, illum hac causa numerum finitum animorum statuisse in corpora redeuntium, iuxta Poetæ sententiam dicentis:

Rursus & incipiant in corpora velle reuerti.

Atque quòd hoc necessarium sit existimare, argumento à diuisione sumpto, satis manifestum est. Quinetiam cùm Pythagoram & Platonem hoc dixisse videret, belluas hominibus commiscentes, illos tantùm de belluis coarguit, fabulas ob id Pythagoricas dicens: animam enim eandem ceu fabrilem artem in his, quæ tractat aliam, atque aliam operationem pro belluarum natura subire impossibile existimat: inde ortus error non leuis, quasi transmigrationem fabulosam arguerit, non autem animarum humanarum ac belluinarum vnitatem: inquit enim: *Primo de Anima.c.3.*

Γεεὶ δὲ τοῦ δεξομένου σώματος, οὐθὲν ἐπὶ πρὸς διοείζουσιν, ὥσπερ ἐνδεχόμενον κατὰ τοὺς πυθαγοεικοὺς μύθους τὴν τυχοῦσαν ψυχὴν εἰς τὸ τυχὸν ἐνδύεσθαι σῶμα, δοκεῖ γὰρ ἕκαστον ἴδιον ἔχειν εἶδος καὶ μορφήν, παραπλήσιον δὲ λέγουσιν ὥσπερ εἴ τις φαίη τὴν τεκτονικὴν εἰς αὐλοὺς ἐνδύεσθαι, δεῖ γὰρ τὴν μὲν τέχνην χρῆσθαι τοῖς ὀργάνοις, τὴν δὲ ψυχὴν τῷ σώματι.

Quod est: *De susceptino autem corpore nihil omnino determinat, quemadmodum fieri possit*

possit iuxta Pythagoricas fabulas, vt qualibet anima in quolibet corpus ingredi possit: videtur enim proprium vnum quodque habere speciesac formam: simile enim dicunt, veluti si quis in tibias artem fabrilem ingredi dicat, oportet enim artem instrumentis vti, animam verò corpore.

Haud dubium opinor, hanc illum transmutationem non reprehendere, verùm corporum dissimilitudinem: atque ideo etiam Auerroës nobiscum sentit, quòd multò magis, si aliter interpretemur, cum illius, quàm cùm nostra opinione repugnet. Ergo quid Aristotelem retinuit, qui minima quæque antiquorum errata redarguendo prosequebatur, ne & alteram opinionis partem à Pythagora, & Platone adeò celebratam, & in omnium ore existentem reprehenderet: nisi quòd & ipse idem ratione superius adducta sentiret? Illud verò tam apertè significat tertio de Anima illis verbis, Non autem recordamur, quia hoc quidem expers est affectus, intellectus verò patiens extinguitur, & sine hoc nihil intelligit. Si enim (vt diximus) perit, cur quærit, an reminiscamur? si autem manet, cur de agente non quærit, cùm expertem affectus pronunciet, nos verò recordari negat? An non ad idem refertur, non recordari, & affectus esse expertem? Nos igitur censet intellectum agentem esse, aut ex agente, & patiente mixtum quoddam. Si verò vnum intellectum censuit, cur non potius, quod in promptu erat, addubitauit scilicet, cur vnus alterius non habet scientiam: neque enim hoc alibi qeæsiuit, qui sciam. At si non reuertitur in corpora, manet tamen intellectus, quis nouit, an reminiscatur post mortem? neque enim ratio illa demonstratio est: nam tanquam notum hoc supponit: interrogat enim velut in problematibus, cur non reminiscitur seu recordatur? nunc enim parùm ad negotium refert, vno vel altero verbo vtamur, quasi id manifest ū supponens, nos post mortem non recordari. At confugiunt, quoniam nemo affines, vel amicos inuisit, inuiserent autem si recordarentur. Sed cur hoc? aut enim per vigiliam aliquid agentes, hoc autem intellectui puro non licet, omni enim substantia corporea caret: aut per somnia, & spectra, hoc autem cùm multis contingat, quamvis non ob mortuos, tanquam falsum Aristoteles præsupponere iure non potuit. Illud autem optimè congruit, cùm in corpus denuò reuertamur, præcedentis vitæ haud recordamur tamen, quod & multi aduersus Pythagoricos dubitare consueuerunt. Respondet pulchrè, neque propter agentem, quia huic pati non conuenit, memoria autem in patiendo constat: neque propter patientem, quia ille corruptus est: quare nec merito sui, nec merito agentis, quia sine patiente nihil agens intelligit, non recordatur. Sed dicere potes, an non adest post nouum ortum alter patiens intellectus? Certè sic: sed agens (dicit) nihil intelligit sine patiente: illa autem: quæ in alia peregimus vita, à patiente intellectu illo cognoscebatur, non ab hoc, ideóque illorum obliuiscitur: voluit tamen & per hæc verba, vt intelligeremus, posse etiam non denuò ingredi in corpora, sed in vnum coire, & ad vnum, vt opinio Plotini erat: sic tamen vt essent diuersa in numero, & vnum in pricipio, & essentia sicut partes lucis in Sole, quæ numero diuersæ sunt, ita quòd vna non est alia: habent tamen idem principium, & eandem essentiam. Quia ergo solæ hæ duæ opiniones veræ esse poterant, per hæc verba vtranque declarauit, esse posse, sed tamen ei quæ diceret, denuò animas in corpora reuerti, magis assentiri.

Cap. 5.

Accedit, quòd ille huius fuit opinionis, vt in Politicis apparet, quòd ciuilis ratio ciuitatum in idem post multa secula rediret: idem de opinionibus censet in Metaphysicis, hoc non alio magis fundamento credendum est, quàm quòd iidem homines reuertantur. Inde etiam Pomponatius in secundo, & in prooemio quinto, de Fato confitetur hanc opinionem solam immortalitatem animi tueri posse apud Philosophos. Sed hæc satis de hoc nunc, reliquum est, vt rationem dubitationis superioris exponamus.

Ergo propter hoc dubitauit meritò Philosophus. Omnia quæ in anima sunt hominis, aut in intellectu, aut in mortali anima sunt: hoc nemo negare potest. Horum verò, vt iam dictum est, accidentium & formæ substantiæ solum subiectum esse possunt: agat materialis intellectus, seu præparatio ipsa animæ, agat patiens, seu qui recipit formas, agat memoria, agat intellectus potentiæ, tandem omnia ad intellectum agentem, vel animam reduci necessarium erat. At non consentaneum videtur, cùm omnia ad alterum duorum reducantur, maximè autem sensibilia ad mortalem animam, intelligibilia ad intellectum, vt mortali sublata anima, omnia funditus interirent: maximè autem remanere duo verisimile erat, memoriam quod in substantia maneat, vnumquodque enim videtur viuens, ac sentiens quodam memoriæ genere pollere: nam vix in herbis memoriam quandam, seu consuetudinem sustuleris, cùm multa illarum genera & tempore constituto, & eodem filiorum numero, & totidem neruis, atque venulis germinent, intellectum quod propria videretur illius operatio. At contrà videbatur in rerum successibus: apparebat enim illum tanquam tabulam nudam esse dum homo nascitur, nec recordari præteritorum, vt aiebat Plato. Hac igitur causa subiecit, vtriusque rationem simul, vt dixi, declarans, alterum illorum duorum fore necessarium, & cui magis ex illis duabus opinionibus esset adhærendum: sublato enim infinito, non aliter certo numero animorum perpetuæ, ac sempiternæ hominum successioni, infinitóque illorum numero satisfaciemus, quàm si eundem animum infinitis reciprocationibus in corpora reuerti concesserimus: atque id etiam exemplo orbium cœlestium, nam & hi cùm cursum suum peregerint paucis annis, vel diebus, denuò ad initium reuertuntur, æternitati æui breuibus temporum spatiis satisfacientes, nec tamen idem in diuiduum reuerti vult, vt ille dicebat:

At que

Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.

Sed additione corporis noua, alium, atque alium fieri: sicque diuinus hic Philosophus, ac admirabilis, ex omnibus de animi natura sententiis optimam, vt Philosophus nobilissimam, ac verisimillimam elegit, ab vlterioribus abstinens, non solùm quòd incerta essent, sed quoniam fabulis anilibus similia forent, grauitatem suam, ac iudicij proprij dignitatem vndequaque imitatur, cùm meliorem non haberet. Sed iam protinus non paucæ emergunt difficultates, vt primùm rei veritas patuit. Dicet quispiam iam, quid mea refert, si intellectus sine intellectu sui oblitus maneat, nonne idem est, ac si interiret. Respondeo, non de desiderio nostro nunc est disputatio: sed quænam mens Philosophi fuerit, quidve rationi naturali innitendo tenendum sit. At verò & istud maximum est sic manere: namque si magno morbo correptus memoriam totam præteritorum amittas, vt in Thucydidis pestilentia accidisse affirmant, annon tamen magnifaceres sanari, ac superuiuere, dummodo denuò iterum discere posses, quod animo contingit, cùm ad corpus iterum accesserit, neque verò tam omnia illum ignorasse existimes, vt etiam seipsum, namque hoc vt demonstrari non potest, sic neque firmiter improbari: vnum sufficit, eorum quæ hic illi contigerint, à morte non meminisse. Sed quónam pacto plures, cùm in eadem sint specie, numero differentes esse possunt? At ego te interrogabo, quónam pacto tot sydera vno in cœlo, vix enim pauciora animis nostris esse credam: neque enim assentior Astrologis, qui ea M.XXII. affirmant esse, sed cum sacra pagina potius, Multiplicabo semen tuum (dicebat Abrahæ Angelus in Dei persona) sicut stellas cœli, & velut arenam maris, at nisi infinitum stellarum numerum constituas, abusiua comparatio est. At nec hoc à ratione naturali absonum est, cùm notabilium minimæ centies terram contineant, paruas igitur, ac pusillas absque numero, (quod & lacteus edocet circu-
Cap. 63. c. lus) credendum est. At hæ materia non dif-
79. T. cap. 10. ferunt: nam materiam non continet cœ-
cap. 4. & 12. lum, vt primo & octauo Physicorum, & pri-
T. cap. 10. mo Cœli, ac octauo, & duodecimo primæ Philosophiæ, & in libro de Substantia orbis ab Auerroë colligitur. Sed dices materiam quæ est actu continere: illi verò negant potentiam. At ego dico, intellectus perfectione per se differre, quæ tamen sub eadem forma contineatur: nam & hoc Philosophus concedit, quòd stella à stella perfectione differt, quia forma à forma: & Auerroës
Cap. 49. in secundo Cœli apertè bis confitetur, stel-
& 59. las sub vna specie contineri, reprehenditque Auicennam, qui illas sub eodem genere tantùm collocabat. Sic dico intellectus esse: & distinctio formarum materialium facit semper diuersitatem in specie, quia est aliquid sub illis, & est prima materia, à qua fit compositum. Et ex hoc apparet, cur tam pauci homines sint eruditi, & magni ingenij: nam requiritur intellectus præstans, & corpus benè præparatum: nam ex quatuor coniunctiones, scilicet intellectus nobilis cum corpore nobili aut ignobili, item intellectus ignobilis cum corpore ignobili vel nobili, solùm est vna, in qua contingant Philosophi clari, & in ea etiam requiritur regio, educatio, valitudo, vitæ longitudo, facultates. Esse autem sic, ostendit Æsopi fabulatum auctoris historia, cuius animus excellens in corpore vili non solùm fortuna, sed etiam natura habitauit: alij cùm ingenio, memoria, & commodis polleant, non tamen in magnos viros euadunt: nam illorum agens intellectus ignobilis est, licet præparatio optima sit.

Sed iam multa occurrunt difficillima: Cap. 4.
Primùm quòd Philosophus tertio de Anima inquit, Is igitur intellectus, qui animæ nuncupatur (dico autem eum, quo ratiocinatur anima, & existimat) nihil est eorum prorsus actu, quæ sunt antequam ipse intelligat. Subiicit rationem: quoniam qualiscunque natura ponatur, impediet, ne quicquam intelligat. Concludit igitur, quòd nulla sit illius natura: nos autem lumen quoddam agentis intellectus illum esse posuimus. Rursus infrà, intellectus potentia quodammodo est intelligibilia ipsa, actio verò nihil est eorum antequam ipsa intelligat: oportet autem in ipso nihil esse, perinde atque in tabula nihil est actu scriptum, antequam scribatur. Deinde affirmat hunc eum esse intelligibilem, vt reliqua: quod verò intelligitur, si sine materia sit, idem est ei, quod intelligit: at verò iam dictum est, illum qui intelligit, nihil esse, nisi postquam intelligit, id est purum actum: igitur omnino etiam intellectus agens talis erit: nam & vniuersalia, quæ per intellectum tantùm sunt, nihil sunt extra intellectum.

Tertium, quod difficilius videtur est in capite quinto, dum dixit:

Ἡ δὲ κατὰ δύναμιν χρόνῳ προτέρα ἐν τῷ ἑνὶ ὅλως δὲ οὐδὲ χρόνῳ· ἀλλ' οὐχ ὁτὲ μὲν νοεῖ, ὁτὲ δ' οὐ νοεῖ.

Id est: *Quæ autem potentia tempore prior in vno, omnino autem neque tempore, sed non quandoque quidem intelligit, quandoque autem non intelligit.*

Igitur agentem intellectum cùm semper intelligere velit, vel vnus erit in omnibus hominibus, vt Auerroës cum aliis censet, vel extra nos: nam nobis constat ipso experimento, nos ipsos haud semper intelligere.

Quartum, quod subiungit in eodem tertio, Cap. 7.
hæc verba:

Ὅλως δ' ὁ νοῦς ἐστιν ὁ κατ' ἐνέργειαν τὰ πράγματα νοῶν, ἆρα δ' ἐνδέχεται τῶν κεχωρισμένων τὶ νοεῖν ὄντα αὐτὸν μὴ κεχωρισμένον μεγέθους, ἢ οὔ, σκεπτέον ὕστερον

Quod est: *Generaliter autem, Intellectus est secundum actum, ipsæ res intellectæ. An verò esse possit, vt separatorum aliquid intelligat existentem ipsum non separatum à magnitudine, posterius considerandum.*

Quæ hic duplex ratio, difficillima etiam vtraque emergit, & quòd intellectus nil sit, Cap. 1.
nisi res illa intellecta, & quod non separetur, octauo etiam de Natura animalium dicit: vt enim in homine ars, sapientia, prudentia,

dentia, sic in nonnullis belluis inest vis quædam eiusmodi altera naturalis: constat hoc esse planè argumento puerilis ætatis, in qua futurorum habitum, & quasi semina videris. Et tamen per id tempus animam hominis nihil differre à bellunarum anima propè dixerim. Ad horum primum, negat Theophrastus adeò absolutè hoc debere intelligi, vt nihil omninò sit, imò nec ipse idem: verùm nulla iam est substantia: nam nec materialis, obstrueret enim: nec materia carens, essent enim duæ substantiæ immateriales in homine, quod neque verum est, nec verisimile: & hic fuit Themistij error, quem quasi secutus est Auerroës: hunc tamen intellectum postmodum scientiam rerum Philosophus infra esse docet, velut Philosophiam, Geometriam, ac Theologiam. Sed de his paulò post clarius in terminorum interpretatione dicemus, quanquam & superius iuxta Alexandri principia non pauca ostenderimus. Esse autem lumen intellectu agentis potentiæ intellectum, si propriè loqui velimus, non negamus: nec hunc, sed qui postmodum perficitur, nihil esse affirmat Philosophus: clarum autem est, nihil nec hanc, nec sequentem cum dictis pugnare auctoritatem: nam in secunda auctoritate docemur, intellectum potentiæ seu patientem, seu materialem (differunt enim plus nomine, quàm re ipsa) esse etiam intelligibilem, vt idem in seipso recipiatur: atque hoc ad propositum perinde maximè est, quòd scientia de anima intellectiua ea ipsa est: nam & intellectus est, & trahitur in libro tertio de Anima: prout tamen est in ipsa mente, non vt scripta, quia intellectum patientem sui ipsius receptiuum nemo negare potest, neque repugnat dictis quinimo auctoritates hæ adeò illis, quæ iam demonstrata sunt, nulla ex parte repugnant, vt etiam non minimum fundamentum eis præstent. Verùm tertia longè difficilior est, vt qua nullum aduersus opinionem nostram argumentum efficacius inueniri possit, vt nisi omnibus parem afferret difficultatem, seu qui vnum seu qui mortalem censuerint intellectum, aut duos, ambósque immortales, aut formas hominum, aut principia tantùm, voluntariam nostram interpretationem in Aristotelis verbis quis posset suspicari. Verùm cùm nullis aliis ea auctoritas minus exhibeat negotium, nobis etiam penè solis nullo contorto Philosophi sensu, aut verbo responsio clara patet. Liceat igitur, quod in singulis penè argumentis Pomponatius sibi vsurpauit, nobis tantùm in hoc vno difficillimo argumento facere, vt scilicet contra argumentantes argumentemur, ita tamen ne argumentatio hæc pro responsione satisfaciat. Ergo tria proponit Philosophus, intellectum agentem sine patiente nihil intelligere: intellectum agentem semper eodem modo ad ipsum intelligendi actũ se habere: intellectum patientem corruptioni obnoxium, atque ideo non semper intelligere, atque hæc omnia intra parui spatij metam. Dicat igitur, quónam pacto finis hic tractationis de animæ immortalitate secum non dissidebat. Auerroï certè non licet etiam vltra suum commentum id tueri: nam patiens intellectus corruptibilis, & sine hoc nihil intelligit agens, at verò si dicat, semper aliquẽ intelligere patiẽte intellectu, vel igitur agens non verè est immortalis, vel patiens est corruptionis expers: quorum vtrumque tam contradicit illius opinioni, quàm etiam Philosopho repugnat. Addit autem præter hæc Auerroïs opinio illud absurdissimum, quòd intellectum agentem facit Deum. Ergo Deus sine nobis nihil intelliget, quia verba hæc extrema ad potentiæ intellectum conuertit: sed par hic labor, & maior absurditas: nam & hunc præter agentem facit immortalem. At sine patiente hic nihil intelligit, hoc autem iam falsum, quòd prior illo sit. Sed prætermittatur hoc inconueniens: hic autem vel in vno, vel in vniuersis considerandus est hominibus: si in vniuersis, igitur & hic immortalis, eruntque iam tres in homine intellectus immortales, aut si hoc non sufficit, nec erit qui potentiæ est immortalis, cùm & ille solus respectu omnium hominum, non vnius semper vigeat: si verò ad vnum referatur hominem, planè vterque erit mortalis: nam non semper intelligit, vel non intelligit, hæc autem ratio præcipua animi immortalitatis, seu agentis intellectus. Deteriora verò, ac absurdiora, cùm reliquas sequantur opiniones, ad responsionem me conuerto: nam de Alexandro, vel Pomponatio quid dicam? qui non solùm nihil habent verisimile quod respondeant, sed neque quod fingant. Ergo Philosophi sententia inconcussa, & nulla ex parte sibi absimilis manet: intellectus hic immaterialis agens ex vno fonte proficiscitur in plures distributus, sua natura illuminat semper, & semper habet primas secum notiones, quas quidam communes animi sententias, aut prima principia appellant: ipse verò nec nunc modò intelligit, nec modò non: sed ad suam quidem intellectionem eodem modo semper, ad humanam autem non semper se habet, sed cùm immiscetur, tunc intelligit, cùm patiens ipse intelligit. At hoc neque arguit, vt in vnũ omnes intellectus conueniant, sed potius, vt differant. Quòd verò nihil sine patiente intelligat, clarum est, de acquisita scientia illum loqui, non de primis notionibus: nam has illi naturaliter inditas esse fatentur: hoc verò tantùm dum corpori iungitur dicit: nam (vt diximus) si de separato intelligat: quis illi hoc retulit? manifestum est igitur quàm clarè, quid vellet, quasi ænigmate nobis expressit. Succedenti authoritati respondeo, proprietatẽ sermonis Græci ostendere, si per κατ᾽ ἐνέργειαν, ἐνέργεια intelligamus schema esse. Ergo propriè loquendo, quod secundùm actum est, actu est, & ad actum exit, non quòd antea solùm potentia, vt prima materia, vel præparatio sit: sed quoniam actu existens non exibat ad actum: igitur antea substantia erat, quare hîc de intellectu speculatiuo loquitur, hîc proculdubio res est intellecta, quare istud contra Alexandrum, & Pomponatiũ est, qui agentem, & patientem nihil esse putant, sed solam præparationem: præparatio autem ἐν ἐνέργεια esse potest, κατ᾽ ἐνέργειαν esse nõ potest: extrema pars vtramq; amplectitur dubitationem. An in magnitudine existens intelligat? an intelligẽs possit esse in magnitudine. Alia auctoritas

auctoritas ordinem, quem diximus docet: nam extrema perfectio intellectus humani proxima est intelligentiis, minima verò materialibus formis perfectissimis, sic intellectus humanus per gradus hos distributus mortalia diuinis continuat, habétque in altero extremorum diuinos penè homines, in reliquo, ac ex toto sibi contrario extremo belluinos. Porrò adhuc magis in imperfectis, vt pueris, ac mulieribus hoc apparet, vt non absurdè quidam seu fingant, seu doceant, Mahumethem lege sua statuisse, dixerint, Mulieres carere humana anima immortali: nam ad operationem fermè rectè dictum, cùm non sit sexus, vt puerorum ætas, permutabilis. Porrò non minus difficilis (vt diximus) auctoritas duodecimi primæ Philosophiæ, quam multi pro immortalitate adducunt ad euadendum: sed cùm illam etiam superius interpretati simus, nunc eam præterire decet: vnum tantùm adiicientes, hominis formam esse intellectiuam animam, corporis autem materialem, vtramque corruptioni obnoxiam: animæ intellectiuæ formam, actum, principium, quo omnia agimus, intellectum hunc esse agentem, atque verè immortalem, & incorruptibilem.

SOLVTIO ARGVMENTORVM contra Animi immortalitatem.

VErùm cùm multa aduersus hæc pro Alexandri opinione ab initio dicta sint, alia verò pro Themistij, & Simplicij, ac Auerroïs vnitate, nam de Theophrasto cùm eius libri, qui de anima inscripti erant, exciderint, incertum est, quam ille de animi substantia sententiam habuerit: operæ pretium nunc esse duco, ad singula obiecto respondere. Cùm itaque primo dicitur, illum in senectute deficere negamus secus, quàm in morbis: at verò in morbis restituto instrumento redit, in senectute non redit, quia instrumentum non fas est restituere, igitur instrumenti causa perit: at hoc manifestum est immortalitatis argumentum, cùm inualidus non fiat viribus decrescentibus, sed ad multam augeatur senectam: non fic vlla vis corporea, quid igitur? maius habent negocium, qui sequuntur Aphrodiseum ex hoc argumento, quàm nos: nam ex superstructis iam imaginibus hoc accidere dicunt: Sed tamen memoria adhuc pereunte manet mens in senibus, atque prudentia: indicio sunt acta Tiberij, & Augusti sub extrema senectute, atque Seueri Pertinacis, qui Getæ pater fuit. De Intelligentiis non est quod nunc dicam: non enim ignoro mouentes orbes quàm paucas esse docuerit Philosophus duodecimo primæ Philosophiæ. At verò quispiam me doceat, quid hæc verba significent primo Cœli, cùm dixit:

Cap. 9. Διόπερ οὔτ' ἐν τόπῳ τἀκεῖ πέφυκεν, οὔτε χρόνος αὐτὰ ποιεῖ γηράσκειν, οὐδ' ἐστιν οὐδενὸς οὐδεμία μεταβολὴ τῶν ὑπὲρ τὴν ἐξωτάτω τεταγμένων φοράν, ἀλλ' ἀναλλοίωτα καὶ ἀπαθῆ τὴν ἀρίστην ἔχοντα ζωὴν, καὶ τὴν αὐταρκεστάτην διατελεῖ τὸν ἅπαντα αἰῶνα. καὶ γὰρ τοῦτο τοὔνομα θείως ἔφθεκται παρὰ τῶν ἀρχαίων, τὸ γὰρ τέλος τὸ περιέχον τὸν τῆς ἑκάστου ζωῆς χρόνον, οὗ μηδὲν ἔξω κατὰ φύσιν, αἰὼν ἑκάστου κέκληται.

Hoc est: *Quapropter neque in loco esse nata sunt, neque tempus ea facit senescere, neque est vlla vllius mutatio eorum, quæ super extimam lationem (cœli) posita sunt: sed nec pati, nec qualitate vlla permutari optimam habentia vitam, & sufficientissimam omnibus indesinenter seculis. Etenim hoc nomen diuinè pronuntiatum est ab antiquis. Quod enim finis est vniuscuiusque vitæ continens tempus, cuius nihil secundum naturam extra est, sempiternitas vniuscuiusque nuncupatur.*

Hæc cùm ille dicat, pluráque extra cœlum faciat sempiterna, non est quod de Deo tantum interpretari ea verba possimus, sed neque de reliquis intelligentiis, cùm illæ non possint extra suum orbem esse. Itaque Auerroës confusus, quid exponeret non habebat, tum maximè, quòd non tam clarè in sua versione mentem Philosophi hæc verba reddebant. Sed hoc mittamus: nam suspicionem adducit, voluisse Philosophum, quod & fides nostra sanxit, non mouentium intelligentiarum numerum esse maximum: aut forsan de animis ipsis intellexit. Quicquid sit, ego longè facilius argumentum diluero, quàm his verbis verisimilis adhibeatur interpretatio illorum sententiæ, qui solum mouentes intelligentias iuxta Philosophi opinionem statuunt. At verò animalia quantò viliora, tantò numerosiora, vt pisciculi, ac formicæ: Deus vnus est, quia perfectissimus: nostri animi, quia medium inter æterna, & mortalia possident, illis conuenienter numerosiores, his pauciores erunt, denique stellas (vt iam diximus) non pauciores animis esse crediderim, etiam si octo tantum orbes statuantur: at plures esse necesse est, quinimo si vera fateri volumus, illorum incertus erit numerus: nouem Alphonsus statuit, Purbachius decem, Vernerius vndecim: omnes rationibus verisimilibus numerum auxerunt. Quòd si animi etiam ex vno prodeant principio, quid absurdi continet opinio nostra? nonne aquæ partes sunt innumeræ, nec vnius substantiæ, cum alia eadem numero existit? quòd si per se etiam stare credantur, nullum inconueniens sequitur. Ego tamen nulli intellectus nostros assimilari rei magis, quàm stellis ipsis posse crediderim, seu numerum, seu naturam spectemus, seu reuolutionem, quam vnaquæque in suo orbe perficit. Sequenti argumento dicimus propriam habere operationem intelligere, sed non huius generis, quanquam nihil obstet cùm rediturus sit animus, velut etiam in corpore torpere per somnum. Succedenti verò rationi occurrimus, dum Aristotelis dicta octauo de Natura animalium interpretaremur: omnis tamen scientia quantumcumque exigua diuinæ naturæ particeps est. Neminem ad nos venire nondum tam certum est, nisi Philosopho credamus, qui negat illos recordari: esset etiam labor, ostendere, si recordentur, quomodo nostris sensibus se ingerere possint. Ferimur ad malum, quia portio diuina non ad mores, sed intellectum instituta videtur. Mores compositi sunt, triplex enim operatio homini,

homini, Intellectus, & est sapientia, Corporis edere, bibere, hominis totius audere, iustum esse, decuit quæ communia essent & in quibus homo probaretur, vnam partem tantum sibi adscribere, gloriæ cupiditatem habemus, quia præsentia etsi minora sint iis quæ absunt, quanquàm validioribus plus mouent. Celebramus autem Homerum, & Achillem, quia comparatio inter homines est, non inter iam exutos corpore animos: nam & pueri pueros obseruant, magis de illis curantes, quàm de magistratibus, plúsque aliquos coæquales, quàm reges admirantur, an ideo diminutionis regiæ Maiestatis hoc argumentum? an potius illorum imperfectionis ob ætatem? nobis autem ob mistionem? Mortem formidamus, quia vel dissolutio, vel interitus, vtrunque per se malum, & est sensitiuæ hoc priuilegium: plantæ non timent, & nos timere non deberemus: belluæ timent solæ sic, vt meritò timeant: cur verò non semper intelligat, & quomodo etiam semper, iam declarauimus. Porrò diuersitas opinionum difficultatem parit, de pœna lex nostra tradit causam esse diuinam offensionem, Philosophi aut non concedunt, aut illam reuertente animo in corpora finiunt tempore: an non reges morte sontes puniunt, & est hæc pœna ad temporis rationem collata infinita: alij ad carceres perpetuos, qui sententiæ causa, licet non vitæ humanæ conditione, perpetui sunt. De Philosophis autem, Poëtis ac, historicis, non est, vt contendant illi, qui mortalem animum statuunt, cum iis, qui eum asserunt immortalem, neque enim est comparatio vlla, nec quisquàm qui sapiat, velitque, Aphrodisei sententiam tueri, ad calculum eruditorum hanc deducet controuersiam. Ostendimus autem hæc in libris de Archanis æternitatis. Esse autem aliquem Poëtam leuem, qui de bonis maledicat, quid mirum? multò minus mirum in Platone, qui eos è republica censuerit explodendos. De belluis satis diximus, tueri illam sententiam posse, sed non adeò, vt de sola hominis intellectiua consentaneam, tum rationibus, tum Peripateticorum dictis. Fatemur, hoc vnum tantum esse in homine à belluis distinctum, rationem siquidem, id est intellectus substantiam: sed ex hoc vno plura pendent, propter quæ & necessarium est, eam dicere, & esse immortalem: dormientibus autem, sicut & morientibus, spirituum operatio, non intellectus substantia tollitur, quanquàm nec id perpetuò, sed in morte, vinculo, & carcere liberatur. Infinitum numerum nostra opinio non admittit, cùm certis legibus constitutus illorum numerus satisfaciat. Plura verò indicia cùm immortalitatis animorum sint, nobis scire modum non est concessum, forsitan finis ratione: non enim liberi essemus, sed metu coërciti. Illud tamen constat manifestis prodigiis aduersus inualescentem hominum petulantiam, ac petinaciam singulis æuis declaratum: vnde fabulosas inuentiones pro his dissoluendis, ac commentationes ridiculas Pomponatius sæpe molitus est, quæ adeò absurdæ sunt, vt si modo historia constaret, fidem immortalitatis non parum augere possent, sed qui callidiores sunt, negant ea fuisse vera, vt referuntur: machinas verò responsionis irrident: eadem ob causam prohibemur nos ipsos, qui simus, agnoscere: vi enim, non voluntate boni essemus, hic autem finis. Cæterùm efficiens huius causa est, quòd sensus intellectum apprehendere nequit: intellectus autem sentire non potest: at vt in corpore est, sensus vi potius, quàm intelligendi indiget, v sciat vbi sit. De partitione dictum est, nullo tempore defuisse, qui animos dicerent immortales: nam & qui colunt simulachra, credunt tartara, & animos superesse: fateor plurimum interesse ob fidem, cùm quis mitius mortem ingruentem, & æquiore fert animo: sed seu credas, seu non credas, superest tamen, argumentum verò ex memoria sumptum non inualidum fuit apud Academicos, qui omnia nos recordari putabant, eandémque esse memoriam, & scientiam: belluas vero ob id animum, & intellectum habere, quæ si ita essent, dilucidius quàm ab vllis aliis animi immortalitatis ostenderetur: sed non, dicit Philosophus, hæc æterna memoria: at nec nouam hanc pro argumento Plato commemorat, non nescius, eam aut non esse, aut vim esse corpoream: at cùm videret nobis naturaliter indita principia, atque inter ea hoc vnum magis, quàm aliud, illud etiam edocuit nos vt spectaremus: an & idem in reliquis, quæ à nobis cognoscuntur, contingeret. Aristoteli autem visum est omnem doctrinam, & omnem disciplinam ex præexistenti esse cognitione, quare si aliæ propositiones, aut sensitiuæ cognitiones necessariò procedunt, non est memoria hoc nostrum scire: nam illos videmus, qui aliquid memoriæ mandauerint, non alienis, sed eo ipso quod didicerint, vt recordentur, indigere. Galeni fundamenta satis iam, & ex abundanti sustulimus, Plinij ignorantiam, & Aphrodisei ambitionem declarantes. Quod de pœnis subiicitur, tribus modis, sed tamen difficulter, apud Philosophos defendi potest: primus, vt mergi corporibus pœna sit, diu abesse voluptas: inde qui fœtibus imperfectis excedunt. aut forsan qui diu hic versantur, miseri sunt: hoc enim declarauimus in libris de Consolatione. Alius modus est, vt intellectus hi plenius, abundantiúsque perficiantur, aut tenuius, ac exilius. Tertius, vt redeundo fiant puriores, retardetúrque vltima, ac extrema perfectio, qua vni tantùm copulentur. Sed Philosophis non ob pœnam, vel gratiam exorta immortalitatis intellectus opinio, sed ob illius potius substantiam. Itaque secundum illos nondum decretum est singulariter de anima. In vniuersum autem videtur omnis æterna substantia cruciatus, imò affectus cuiuslibet expers. Continuitatis, & affinitatis in homine omnem virtutum causam declarauimus, quoniam medius ille sit, & participatione & mistione substantiæ inter æterna, ac mortalia: & si talis non esset, sed magno discrimine virtutes disiungerentur, non posset esse homo perennis. At verò vt ad belluas confertur, differentia maxima, ac tanta apparet, vt quæ in homine sint, quia intellectu

tellectu afficiuntur, parum differre potius ab intellectu existimes, quàm à sensu intellectum. Quomodo autem in loco sit, & quomodo adueniat, dubitationem non paruam habet, quam etiam Auerroës non subterfugit: habet autem tot longè hoc vno difficiliora opinio illa, vt ad hanc dubitationem nemo aduertat: si enim in semine mens est, nec diuiditur, quomodo est immaterialis? & si non est, quomodo nobis aduenit? Parem autem habet difficultatem seu ex India, seu ex corpore matris in filium, qui in vtero est, transmigret. Esse autem in loco, parem habet difficultatem, etiamsi mortalis existat. Ergo & vt adueniat, & vt sit, commune aliquid habet cum contrariis opinionibus: qua enim ratione intellectum in nobis esse dixeris, eumque mortalem, eadem ratione ego, si immortalem dixero, tuebor in nobis esse: nam quod ad immaterialis substantiæ modum pertinet, vnde difficultas consistendi in loco exoritur, par, atque vna eadem causa, atque conditio est. Stultum verò est credere, vt in loco actu sit, atque ei coæquali, nam nec quantitas est, nec vlla quantitatis ratio: non est punctus in loco, quia indiuiduus est, multominus intellectus: neque verò quærendum est, an sit in puncto, an in loco, an in magnitudine: est enim hæc dubitatio prorsus eorum, in quibus imaginatio abundat, & deficit intellectus: siue enim Deum, aut intelligentiam, aut intellectum, in loco posueris, seu in vniuerso, seu in puncto, inaudita sequentur inconuenientia. Quare Aristoteles dixit, Deum non esse potentiam in magnitudine? nisi quia non est nec in indiuiduo, vt punctus, nec diuiduo, vt corpus, linea, vel superficies. Sed tamen opus hîc, vel ibi manifestum est. Fateor, sicque determinatum locum habere videtur, hoc autem vt mouet, non vt intelligit: nam quod mouetur, corpus est, & omne corpus est in loco: neque verò vt intelligit, est in ambitu totius, seu in loco, vt quarto Physicæ auscultationis

Cap. 41. describitur locus. At verò hoc durum quibusdam videtur, qui nil nisi corporea cogitant: an vides, cùm intelligis cœlum, te in cœlo esse secundum intellectum? cùm mare, in mari? nullibi igitur est, cùm terminos concipit vniuersi aut Deum. Rectè, inquam, seruator dixit, Vbi thesaurus tuus, ibi cor tuum: quæ enim intellectui patienti eadem fiunt: & si duo simul concipere posset, duobus in locis esse videretur. Verùm nec in aliquo, vt diximus, loco est, nec duo intelligere potest: intelligit complexa, sed vnum facit: quæ autem omnino libera sunt à materia, multa quidem intelligunt, sed omnia tamen vt vnum, eóque vt nobiliora, sic simplicius ea intelligunt. Deus igitur seipsum intelligit tantùm, nam ipso nihil est nobilius, nobilius autem intelligit ex omnibus vnum si tantum intelligit: at verò in hoc vno cuncta. Intellectus noster ab hac vnitate est remotissimus, vt qui solus successiones habeat: ergo tamē à natura generali intellectus non discedit, ea est, vt vnū tantùm intelligat: complexa autem quasi duo facit, quia duobus simulachris indiget, vt id intelligat: vt si hominem lapidem non esse intelligo, & hominis, & lapidis simulachro indigeo. Concesso autem, quòd intellectus media voluntate moueret nostrum corpus, solet quæri, quomodo hic incipiat mouere, anne transitus aliquis sit, aut quomodo contingat: neque verò illud, vt indiscussum, prætereundum, quod Philosophus iuxta quorundam sententiam supponere videtur, Indiuiduum scilicet moueri per se non posse, imò nullo modo, vt quidam putant: non est enim indiuiduum, quia omnis forma aut corruptioni obnoxia est, atque ideo & in materia, & in corpore, aut cœlestis, & ea corporea, aut materia caret: hanc autem declarauimus non esse quantitate diuiduam, aut indiuiduam: differentiæ enim rerum præsupponunt genera, quare non erit intellectus, cùm nec quantitas sit, nec quantitatis principium, nec diuiduus, nec indiuiduus. Hoc autem non absimile est, de intellectu quærere, an sit indiuiduus, ac si quærat, an albedo sit calida, frigidave: remota enim est natura calidi, ac frigidi ab vniuerso genere albedinis, & colorum: at longè magis abest intellectus à quantitate, cùm omnis quantitas quandam materiam præsupponat: intellectus autem materia prorsus caret. Igitur albedini calor non conuenit, neque frigus: at intellectui diuiduū esse vel indiuiduum etiam repugnat. Ergo vt ad primam reuertar dubitationem, quod mouetur successionem habet, & mobilis, & spacij ratione: hæ ambæ insunt his, quæ perfectam habent successionē: nihilominus indiuiduum, & punctus continuo motu procedere possunt, nec tamen linea, aut continuum ex indiuiduis componetur: hoc enim planè impossibile est, sed in qualibet temporis parte punctus lineam perficit, esse autem punctum, & lineam, haud dubium est. Nam radij solis cum stellam, vel lunam tangunt, ex Euclide in tertio libro, si radij solis omnino recti sunt, & lunæ corpus, aut syderis exactè rotundum in superficie tangunt obliqua, ac exactè rotunda, cuius terminus circulus minor est: at verò duobus radiis concurrentibus linea perficitur, tribus autem punctus, quod nos ostendimus præter cæteros in libris Elementorum, vbi de solidis loquuti sumus: quare & punctus est, & punctus mouetur, verùm successionem à spacio habet, ac continuitatem: non autem ex se, ipsum etiam per se moueri nequit, quia per se esse non potest: nam omnis punctus est alicuius lineæ extremum, omnis linea superficiei, omnis superficies corporis, corpus nunc & naturale, & Mathematicum intelligo, huius autem propriè, illius autem verè idest corporis naturalis. Sed iam ad propositam dubitationem reuertor: est autem difficillima, quomodo nobis adueniat? & cur? an sibi imperet? dicere enim, quòd in nobis est, quia operatione incipit se manifestum facere, nihil aliud est, quàm Axaxagoræ assentiri: neque enim quod ad substantiam attinet, magis in nobis est, quàm in vermibus, vel in cœno: hoc autem falsum esse ostensum est: ergo intellectus mouet corpus, non ad corpus mouetur, neque enim indiget illo, nec ab eo prouocatur: sic in-

tellectus cœlestes subiectum suum mouent, at hos, quia diuersi sunt, ab vno profluere verisimile est: & sicut sol hoc quidem lumine domum meam, alio autem tuam illustrat: sic est de intellectu, vnum hominem hic, alium alius illuminat: quod Auerroës fermè tertio de anima fateri videtur, inquit enim, vt materia prima omnium sensibilium formarum subiectum existit, sic intellectus materialis vniuersalium: palàm enim est, materiam primam vnam esse, sed tamen diuersis partibus, diuersisque temporibus formas successiuè recipere, non simul omnes, nec secundum eandem partem, quare hæc opinio Auerroïs opinioni quasi similis est, nam nec ille indiuisibilem dixit, sed dicit, non aliter se habet materia ad suas formas, quàm intellectus ad suas, nisi quòd materia illas non cognoscit, intellectus autem cognoscit. Sed hinc plures prioribus, nec minus difficiles oriuntur dubitationes. Quid enim impedit intellectum, ne alium illuminet? nam in Solis lumine manifestus est obex, corpus non peruium: at in intellectu nihil non est peruium. Declaratum est etiam, intellectum esse in anima, hanc autem in parte cordis, quæ quiescit, in spiritu siquidem substantiæ illius, intellectus igitur hoc modo & in loco est, & ad locum venit. Veruntamen nobis magis arduum est explicare, quàm docere solutiones: est autem ratio intellectus mei ad me, & tui ad te vnio: ergo neque tuus me, nec meus te illuminabit vnquàm: vnitur autem, quia hoc placet ei, qui est illius origo secundum naturam: neque enim minus est verisimile, intellectus distribui hominibus, quàm solis lumen, ac virtutem illam generationis, & tutelæ horum inferiorum fontem elementis: at de illis satis constat, & quòd distribuantur, & quòd diuersis partibus ipsis assistant, quare huius intellectus eadem fermè ratio est: est autem in corde, quatenus in anima est: motor enim illius, & principium assumit eam, nec tamen illius legibus circunscribitur, nec in hoc lumini potest assimilari, non luci: nam lumen est vbi corpus est, intellectus autem non est vbi corpus est, cùm nullibi sit: neque verò est secundum imaginem vt lux: nam Solis lux in Sole est, imago inter mortalia volitat: at oculi vident luce solis, non lux ipsa est quæ videt. Porrò intellectus ipse est qui intelligit, non aliud quicquàm ob intellectum, igitur huius omnis differentiæ causa est, quòd prorsus materia vacat, atque ideo solus intellectus pro exemplo intellectus nostri assumendus erit, solúsque conuenit: itaque vt intellectus, qui orbem Lunæ mouet, sic noster, nam ille nec in superficie est, non enim mouere posset: nec in parte vlla, reliquum enim vi quadam moueretur: nec in toto, esset enim diuiduus ad diuisionem cœli partium: ipse igitur per se est, virtus illius æqualiter per totum diffusa, aut forsan non æqualiter: nanque quæ iuxta polos aut non mouentur omnino, aut tardius mouentur cæteris partibus, si concentrici sint omnes orbes, vt Peripatetici sentire videntur. An verò in tempore aduentus hic accidat, an in instanti? quo ad ipsum quidem neutro modo, diuina enim & prorsus æterna nec in tempore sunt, nec subiiciuntur illius terminis, aut parentibus: intellectus autem vt noster talis est, ad nos verò comparata ratione non in tempore fit, habet rationem potius formæ inducendæ, quàm motus: verùm & quietis primus est terminus, motus autem nullum est initium, formæ autem perfectio instanti completur: sed nunquid in discessu, ac morte? videtur enim non dari primum hoc instans, quo aliquid esse desinit: verùm vt in motu diximus, quietis hic primus est terminus. Difficilia hæc sunt, & ob id etiam hanc tractationem difficillimam Aristoteles appellauit ob tria: primùm, quòd singularis: in nullo enim alio mortale cum immortali iungitur, præter quàm in homine, ideo exemplo caret, & comparatione: secundò, quia immaterialium essentiam tractat, quæ à nostris sensibus est remotissima: tertio, propter nouitatem, quæ in elementaribus claram causam habet, in æternis deest: oportet autem & hanc, & materialia simul & immaterialia intelligere: non est autem obscurum, difficilius esse tria tractare quàm vnum: ergo vt ad primam redeam rationem, causa cur motus esse in instanti nequeat, est, quoniam quod mouetur in loco diuerso, etsi in instanti esset motus, esset idem simul diuersis in locis: at formæ aduentus non talis est, antea non erat, & nunc est, vt etiam quies: quietem verò in instanti incipere ex hoc clarum est, quòd non mouetur in eo, etsi post desinat moueri, nec amplius moueatur, quis dubitat tum primum quiescere cœpisse? Ergo neque id dubitandum, an nobis motis moueatur intellectus, an etiã per media illum deferri necesse sit: nam cùm non moueatur vllo modo loci motu, vt qui in loco non sit, nec mouetur in nobis, nec à nobis dum mouemur, nec spatia vlla cogitur pertransire. Itaque vt tandem colligam rationem, homo, & corpus in loco sunt, intellectus operatione ipsa in loco est, diffinitione etiam est in hoc homine, non in illo, nam & hoc terminum habet, nec tamen mouetur. Diuidit autem ac enumerat mutationes formarum materialium, cùm hæc vna sit immaterialis, nec plane forma nec tamen vt vector, sed forma quidem patiens intellectus, & anima, in qua ille est, hic verò totius animæ pars, & eam partem, quæ extra ipsum est sibi assumpsit, ob id solus sibi imperat. Miramur cur tam difficile hoc intelligitur? at non miramur quæ prorsus esse nota deberent, & non sunt, quale est, quónam pacto ignis pabulo perpetuo indiget, si elementum est? & vbinam illud habet, dum in sphæra sua est? ob hoc alterius rationis hic inferior esse creditur ab Auerroë, sed hoc adhuc difficilius: nam nec calidior hic illo esse potest, aut siccior. Diffundi autem illicò intellectus vim ostendit Solis lumen, & reliqua diuina: & non lucis sola imago lumen est, vt quidam aiunt: neque enim calefaceret, nec clarius medium redderet, sed est aliquid maius pura ea imagine. Porrò ex subtilioribus rationibus veritatem intellectus substantiæ quærere non debemus, difficillima enim

Cap. 5. in pri.

enim omni ex parte, & quæ vix conciliare possis, occurrent: sed ex sensatis, ex experimentis, ex his quæ quotie oculis subiiciuntur, ex ipsa denique intellectus substantia: nam difficilia difficilioribus quærere, nihil prorsus aliud est, quàm seipsum seducere, aliósque fallere volentis ob ambitionem, atque temeritatem: neque enim obscurum est, cùm tot quæ sub oculis iacent, ignota nobis sint, diuina aliis modis ferri, intelligere, gubernari, quam noster hic animus corporis vinculo alligatus, & sensuum lege arctatus credat, aut existimet: & forsan hæc dubia, aut voluntaria dici possent, nisi eadem difficultas, quo ad hoc argumentum attinet, vrgere Alexandrum: nam inter nos & illum hoc tantum interest, quòd ille accidens putat esse intellectum, nos substantiam: esse autem immortalem ex substantia, mortalem ex accidente protinus sequitur: separatus autem intellectus, intelligit vt separatus est, sed non perfectè, defertur autem vt ens naturale in hoc magis quàm illud, impulsum hab.t, nam nihil hoc prorsus caret, igitur non sine cognitione omnino, esset enim vt elementum, nec cum perfecta cognitione, non enim immiscetur corpori, nec minor esset natura atque perfectione intellectibus cœlestibus. Morales virtutes manere Theologi concedunt, negant Peripatetici: quid enim eis tunc opus est? cognoscit tamen intellectus reliquos, sed non exactè, quando nihil perfectè præter Deum quicquam intelligat: atque ob id adeò voluptate ingenti afficimur, cum perperfectionis similitudinem fuerimus assecuti, quod enim in nobis diuinum est, mens quidem opifici assimilari nititur, quod & cæteris substantiis separatis accidit, sed non vt intellectui: non sunt autem infiniti, vt declaratum est, sed numero plures, origine verò vnus tantùm: inde illo intellecto, reliqui omnes in eo intelliguntur: intelligit autem propria natura, neque enim quicquam intercedit inter id quod intelligit, & quod intelligitur: loqui verò & audire fabulosum, cùm nec id sine corpore fieri posse Theologi affirment. Ad sequentem rationem nulla opinio melius nostra satisfaciet, neque enim meminit, etsi recordetur: non perpetuò discruciatur, etiam si optet: nos autem sic existentes mori verè contingit, quoniam patiens intellectus moritur: neque enim imaginatur discurritque per singula, non sentit, non recordatur, vereor potius, ne hoc sit nimis interire: est enim præparatio sola in anima patiens intellectus, vt rectè inquit Alexander. Sed cur immortalem pronuntiat Philosophus hanc solam præparationem: nam omni conuenit hoc deberet præparationi Auerroës inquit, quòd Aristoteles soli patienti tribuit intellectui: nobis, non Alexandro respondere licet, quia sola ab immortali causa procedit, scilicet agente intellectu: ergo Auerroës nos conuincit, Alexandrum. Operatio autem, quæ non dependet ab alio, formam arguit: senes bis pueri sunt, non ob iudicium, quod plerisque integerri mum manet, sed ob impotentiam, quam ægrè ferunt, vt natura mortalium est, velle vitæ incommoda voluptatibus aut sopire, aut obnubilare. Sed quid Pontij pater ille, senex, quid Appius Claudius, qui cæcus etiam rempublicam consilio, tòtque benè oculatos solus seruauit? De principum autem consilio quid loquar? quando nihil magis oderint, quàm seipsos, atque eo magis, meliores fuerint, ac generosiores. Cæterùm à morte nec amicitia est, nec inimicitia. De Philosopho autem cur in libris primæ Philosophię non locutus sit de intellectu, satis perspicuum est, cùm vt corpori iunctus est, in libris de Anima docuerit: vt separatus, hoc vnum habeat, quòd intelligat, atque ideo aliis subiiciatur: vt verò diuiditur, neque huius, nec illius planè est considerationis, verùm forsan aliis in libris locutus de eo est, qui interierunt, vt in libro de anima ad Eudemum, vel in quæstionibus. Moueri autem intellectum motu quidem à sensibilibus vero ne concesserim, habere autem quod re ipsa testante negare non possumus, quo seipsum ex ipsis perficiat, non inconuenit, quandoquidem & terra Lunę tenebras, quod ad ipsam attinet offundat. Non differt autem ob materiam, vt declaratum est, intellectus ab intellectu, sed ob perfectionem: & quia duo vnum nunquam esse possunt, subiici verò rem aliquam duobus artificibus adeò frequens, vt nihil mirum, intellectus cœlestes vt mouentes ad naturalem pertinent Philosophum, vt intelligunt ad diuinum: pugnæ verò nullum miraculum: nam & monstra gignuntur ob materiæ peruicaciam: parent autem omnia volenti vti ratione, sed vsus & educatio hoc facit belluarum, hos virorum vestigia imitantes, inde hi sensum, illi intellectus vim, quæ ratio dicitur, sequuntur. Post discessum autem patiens extinguitur, agens nihil sine hoc intelligit horum quæ in hac vita: est enim ordo, quo sublato nihil in postremis est, mediorum aliquo intercepto: quomodo tamen intelligat, declaratum est: quomodo etiam hoc vtile esset, etiam si non intelligeret, ostensum est: vult autem memoriam esse rerum præsentium, vt qui fueris, talium autem nihil sine patiente intelligit: nam reliquorum intellectus similis diuinis efficitur: ante verò quàm mens ingrediatur intellectiua in semine est, non enim vt diximus mens belluæ iuncta intelligeret, ad mentem autem non est in potentia illa, qua materiæ partes ad suas formas, verùm intellectiua non semen iam actu existens, vt dictum est, ad mentem in potentia est: propria verò operatio antequam immergatur, intelligere est, nec per se, sed vt in aliquo vno est: quare non eodem modo hic, & tum intelligit. Quòd verò mens nullo modo ad corpus in potentia sit, declaratum est: sed, vt diximus, anima ad mentem, corpus ad animam, vtrumque autem potentia est in semine: vbi autem animam mens ingreditur, illa ei potentia fit: nec inconueniens reor, mortalia immortalibus mixta vnum facere, vt ex mouente & moto, ex aëre & lumine: at lumen non est ante, actum tamen per se habet: esse autem antè, nihil impedit, sed potius actu hoc vnum esse per se, anima verò intellectiua mente seiuncta non talis est: cæteris

cæteris autem animalibus quod nobis intrinsecus est, eis est extrinsecus: neque enim ex materiæ elementaris commixtione sensus, & imaginatio exoriri possunt: propterea non omnino malè existimauit Plato, vt sæpius diximus, belluarum animas etiam immortalitatis esse participes: cùm igitur corpori mens adiuncta fuerit, nutriendi non est principium, hoc enim omnino elementare quasi est, ab aliis virtutibus adiuuatur, nec prohibet tamen quicquam, vt non vna ratione, sed diuersa, imperet etiam nutritioni: nam Sol & homo hominem generant, secundo Physicorum, at in sensu manifestum prebet auxilium: ob id ostensum est, in singulis humanis sensibus aliquid omnino inesse diuersum, ac excellentioris cognitionis, quàm in vniuerso cæterorum animantium genere: corrupto autem interiore quodam, id est spiritus temperamento, qui in corde, non in cerebro est, corrumpitur intellectus actio: nam corrumpi dicitur, quod non reuertitur: aliter in somno diceremus corrumpi intellectum, & videndi potentiam: abrupto autem cerebri temperamento, si restitui contingat, reuertitur: igitur internum illud est in corde, quo sublato homo dum viuit, paululum autem superest, non amplius quicquam intelligit, operatio autem illa propria manet, sed ad actum non deducitur: eadem est autem huic, ergo idem est, ac diuersum, velut Luna, dum tenebras interposita terra patitur, menti dum nobis inest assimilatur, lucens tantum proprio lumine, dum separatur clarius lucet: nec tamen duo sunt modi in mente, sed cùm comparatur quod vnum est duo videtur: velut caliditas ignis dum cæram liquefacit, & lutum cogit, vna est, & duæ videntur, & Sol dum crystallum illuminat, Iridémque spargit, Iris aliud videtur à lumine Solis, nec tamen est vnum lumen, sed aliud dum purum est, aliud esse videtur dum corpori immergitur: animam autem quam diffiniuit mentem non comprehendere, palàm declarant verba illa Philosophi, de parte autem animæ qua cognoscit, & sapit, nihil adhuc dictum est: separabile igitur, imò verò separatum, nullo modo diffiniuit: manet autem non semper vt dixi separatum, sed corporibus denuò mergitur intellectus: at qui in me est, infinito etiam aliàs fuit in aliis, eritque, iuxta Peripateticorum sententiam: abrumpitur autem leuissima causa, quia non difficilius frangitur vitrum, quod Solis radiis illustratur, quàm quod in tenebris est: nec facilius conturbatur aqua, quæ in vmbra est, quàm illa, quæ illuminatur à Sole, igitur hi materiæ casus sunt. Aut igitur mens in separatione nihil patitur, iuxta Peripateticorum sententiam, vel si patitur, iuxta Academicos, sæpius reuerti, exiréque pro pœna illis scelerum erit: verùm hoc, vt dixi, nondum Peripateticis exploratum est, sed nec repugnat. Quod verò ex anima & corpore, imò ex mente & anima, vnum verius fiat, quàm ex substantia & accidente, verum est: sed tamen diuersa ratio militat, in vtroque accidens à subiecto, at contrà anima à mente pendet. Irridet Philosophus de animis Pythagoricorum sententiam, vt inanem, qui diuersis corporibus specie illas tribuerent, quamobrem nos eisdem in specie diuersis in numero solum mentem eandem tribuimus: sic autem vnitur, mens animo, vt eundem semper in omnibus effectum pariat: ostendit autem educatio homines hominibus, mentem menti esse simillimam: hominem igitur à bellnis genere differre, haud dubium est, id est magis, quàm specie: neque tamen ob id homo genus est, sicut lapis ab homine differt genere, nec tamen sequitur, vt homo sit aliquod genus: eius igitur anima sensitiua intelligit, dum formas recipit agente, atque actiuo adiuta intellectu: duo verò non sunt anima & mens, quoniam mens animam subiungit, & copulat, illa verò nobis dormientibus non operatur, nec semper dum vigilamus. Quòd autem intellectus aliud non sit, quàm intelligendi actus, in actiuo quidem falsum: est enim substantia aliqua, quæ intelligit, & tamen hæc operatio potest impediri, ac mergi, sed non diu: at patiens secundùm actum primum manet nobis quiescentibus, & impeditis, & hic est illuminatio: nam agens adest, & præsens est animæ: intellectus autem verè patiens actum secundum propriè comitatur, dum est in eo: atque sic nec substantia est, nec post mortem manet. Propterea Theophrastus, optimè seiunxerunt materialem (vt vocant) intellectum à patiente, cùm materialis concomitetur agentem, patiens simulachra. Est autem apud Auerroëm, tertio de Anima, patiens intellectus ipsa imaginatio, tum ratio, quam cogitationem vocat: materialis autem, qui recipere omnes formas potest, is cùm recipit actu, speculatiuus efficitur: sed agens est, qui potentia intellecta actu intellecta facit, hic prior est patiente: nam intelligere solùm ad passionem refert. Sequenti autem argumento abundè satisfactum puto: nam numero differunt, & formæ perfectione, non forma. Quod autem nec irascamur, nec voluptatem, quæ corporis est assecla, post mortem capiamus, illud sanè nobis nihil detrahit, sed potius vtile est liberari ab his cupiditatibus, ab his tyrannis, neque enim diuinorum aliquod hæc habet, & tamen ea solùm sunt beatissima: quinimo & Aristoteles in primo magnorum moralium, Cæterum (inquit) benè viuere, & benè agere, nihil aliud dicimus, quàm felicem esse: ergò & felicitas in benè viuendo est: verùm benè viuere est in viuendo ex virtutibus, hoc igitur finis est, & felicitas, & optimum. Et hæc quidem ille de nobis, dum in corpore sumus, existimat: quid igitur liberis iam existentibus continget? Verùm non absimile est desiderare à morte voluptatem, quàm si quis scabiem ob delectationem in scalpendo desideret: vel, si velit esse puer, vt puerilibus illis ludis possit oblectari, & astragalis fallere. Homo autem sine mente imperfectus est: & potius mens totus, quàm sine illa homo, non igitur iam perfecto aduenit. Sed vis vnum ab altero seiungere? mentem intelligendo confirma, inde partem aliquam corporis vellica, qui intelligit tu es, pars ea quæ dolet, pars est

quæ

Cap. 16. (margin, at "secundo Physicorum")

Cap. 5. & 10. (margin, at "tertio de Anima")

Cap. 4. (margin, at "primo magnorum moralium")

quæ ante mentem inerat: manifestum est autem, modò supersit quod intelligit, nihil ad rem pertinere, vel ad hominem quod sentit: contristat autem dolor, quia anima corpori, & mens animæ iungitur: cùm autem separata fuerint, nulla pars tui est corpus. Ergo quod vtile est totum separatur in morte, dico sentiendi vis exterior, & interior: nam omnia hæc vt à mente prodierunt in animam, sic in mente denuò colliguntur, nec sunt tamen mentis facultates, quia non ex illa sola pendent, sicut nec Iris ex Solis radiis. Propterea etsi nunquam Iris fiat, Soli tamen nihil perit, quoniam à nube pendet: sic sensitiua facultas in mente est, sed non vt sensitiua: fit autem sensitiua cum in corpore est. Ergo vt paucis colligam, totum quod perfectum est, cum mente discedit: quod imperfectum, ac cognitionis expers, cum corpore corrumpitur. Quid autem sit, quod perfectum est, intelligere ex hoc licet, quòd in hominibus solis est, & non in belluis, nec secundùm speciem tale, nec simile: hoc verò & si non simile sit prorsus diuinis: nam nec vniuersale quicquam est in re, nec diuina ex singularibus, aut ex sensibus intelligendi originem ducunt: attamen à mortalibus differt, estque ipsis omnino aliquid præstantius. Nec verò intelligere aliud in nobis est, aliud in diuinis, cùm illud sit nihilominus longè præstantius, quàm nostrum hoc, sed in modo planè differunt: nam intellectus noster à simulachris sensuum ducit originem: habet autem se intellectus noster ad cœlestes, velut sensus belluarum ad hominis sensum: medullam enim rerum diuinus quisque intellectus intelligit noster corticem: medius est, qui separatus est: longè tamen maius discrimen est inter nostram, & cœlestium mentem, quàm inter belluarum sensum, ac nostrum. Igitur tripliciter hic noster intellectus à cœlesti differt, modo, perfectione, & magnitudine: certus enim est, nec hæsitat, aut hæret. Quemadmodum igitur qui scit, quoniam omnis figura duabus rectis lineis, & circumferentiæ partibus æqualibus contenta, æqualis est alicui superficiei à duabus rectis, & parte circunferentiæ eiusdem circuli contenta, quoniam in eodem circulo æquales lineæ æquas periferiæ partes resecant, & si æqualibus æqualia addas, auferásve quæ fiunt æqualia sunt, generaliter hoc nouit, & à prioribus causis: ille verò qui eandem figuram sectori quandoque facit coæqualem: quoniam vtraque portio fit ex diametro in dimidium circunferentiæ portionis, dempta proportionali linea ad residuum sagittæ, velut dimetientis ad maiorem: & quod contingit hanc differentiam portionis dimidio alicuius partis periferiæ coæquari, in singulariter nouit: & à posteriori signo, & tamen scientia singularis eadem est in ipso singulari, sed coartata, & imperfecta. Duplex igitur scientia, generalis, & propria: singularis & à posteriori, & quæ ex his postmodum componitur finis ratione imperfecta: talis igitur animi nostri, & mentis ad cœlestes intellectus comparatio: aut enim vt sensus ad intellectum, aut vt sensus belluarum ad humanos sensus, aut vt posterioris demonstrationis quæ aliquem neaniscum sectori, is autem à centro est, ostendit posse esse coæqualem ad eam, quæ docet vnicuique neanisco figuram conoidalem æqualem dare. Ad vltimam verò rationem non arduum est respondere: nam nec memoria in mente sita est, nec suppliciis, aut gratia Philosophi mentem teneri putant, quòd quiddam diuinum sit, nec si omnino plectatur, aut gratiam recipiat, hoc superuacuum est: namque & ad exteriores intellectus, & ad perfectionem primæ causæ hoc attinere posset: bonum etiam, ac malum, talia sunt natura, & si quis cuius causa ea recipiat, ignoret. Ergo ad Auerrois argumenta, quæ non in his, quibus iam responsum est, continentur, nunc iam transeamus. Obiicitur, vt vero simile scientiam migrare ex hoc in illum, omni ratione æqualitatis ac vnitatis seruata, in sensibus autem non eodem modo: at si intelligis genus intelligendi, & modum, verum est: nam & nos substantiam intellectus vnam in omnibus esse fatemur, si eius perfectionem, experimentum contrarium esse declarat: nam non æquè perfectè, nec absolutè vnus atque alius etiam iisdem mediis nouit: quod tamen magis ex simulachrorum, quàm intellectuum differentia procedit. Quod verò humanum genus semper proficiat, falsum est, si Philosophi opinionem de æternitate mundi prosequamur: nam necesse esset nos longè plura scire, quàm sciamus, scientiam etenim nostra est tenuis, variatúrque pro æuis: nam ab Aristotele ad Cæsarem maior notitia linguarum, & mathematicarum habebatur, quàm post Seuerum imperatorem. Denuò verò iam abhinc centum fermè annis reuixêre linguæ, & Philosophiæ Peripateticæ magna pars, mathematicæ adhuc torpent, præterquam quòd Ioannes Monteregius Ephemeridum vsum, rem memoria dignam, adinuenit: cætera potius ad ostentationem, & captandam gratiam principum, ac populorum, qui talibus fauent, superaddita sunt: nam orbis totius cognitionem Auo Cæsaris, & Cæsari, ac fortunæ illorum, non mathematicis debemus. Itaque hoc disciplinarum argumentum casu potius, quàm ratione fit, vnde à pace, & dignitate principum originem ducit. Quid Platonem Philosophari adhortatur? Dionysij iunioris liberalitas. Quid animalium historiam mortalibus dedit? Alexandri magnificentia. Quis Archimedem dignum posteris reddidit? Syracusanus Hieron. Nunc iis, qui tabellas, ac tabellulas, & labores menstruos in publicum edant, fauent principes: res æterni nominis immensique laboris non agnoscunt. Optimi igitur deterioribus cedunt: quia ab ignaris, qui in vnum aduersus eruditos conspirarunt, principes persuadentur, vixque historicis ipsis locus relictus est: en videas cui principi onus nuncupatum sit, quod eius nomen in pronepotes nostros possit perducere, & tamen liberales multi sunt principes, atque bonorum amatores. Facilius igitur peccatur inscitia, quàm prauitate. Itaque vt ingenia, vt pax, vt magno iudicio prædditi principes effloruerint, sic literæ, & artes augentur,

contrariis

contrariis horum decidunt. Antoninus euexit Alexandrum Aphrodiseum, & Galenum, duo lumina, alterum Philosophiæ peripateticæ, alterum medicinæ. Plutarchum euexit Traianus: en vides, quod maximi iudicio maximos etiam adiuuerunt: Virgilium Augustus, Horatium illi Mœcenas præripuit: illud sanè in Auerroë absurdissimum, quòd scientiam eandem, eorundémque apud homines perpetuò manere putet: stultum verò, quòd homine scientiam omnium absolutam consecuto agens intellectus illi copuletur,
Cap. 36. vt tertio de Anima inquit, nunquam enim hæc fiet copulatio. An Aristoteles ille fuit, qui omnia sciuit? cur igitur tam dubiè locutus est? an non hæc omnino somnia? neque omnes homines solius Philosophiæ eam partem tenent, qualis est arenæ granum littoris mediterranei maris: nec ante Archimedem quisquam partium sphæræ proportionem agnouit, quòd esset vt vicissim coniunctarum rectarum quæ ad sectionem terminantur sub composita ratione partium dimetientis. Ergo aniles hæ fabulæ, Alexandróque, & Auerroë indignæ, ad quas falsis iactis fundamentis fugere coguntur. Quanquam verò literæ vnum quasi corpus efficiant, non tamen id ab intellectus vnitate procedit, sed ab imitatione: quinimo potius contrarium hoc argumentum opinionis suæ probat, cùm nulla de re, præterquàm in mathematicis, omnes eandem habeant sententiam. Igitur vt hoc non contrarietatis naturæ est argumentum in animis nostris, sic nec superstructio vnitatis, tum præsertim quòd quæ ab aliis tradita sunt, vix qui succedit vnus in eodem sensu interpretatur: hic verò etiam si sit vnus, nihil cum intelligentia commune habet superiore, dico autem intellectum, quia non distinguntur: declaratum est autem quot modis ab illo deficiat, verùm vt distinctus est tanto imperfectior: nec tamen negamus, quin ad vnum omnes colligentur, sed tamen quisque seorsum est, ac manet: plures autem Philosophos in vnum consensisse, eosque minimè contemnendos fateor, si tamen Platonem & Theophrastum excipias: ille enim plures posuit manifestè, hic non negauit esse, si solùm his quæ supersunt ex illius monumentis fides verbis habenda sit: id verò nec illum, nec Aristotelem somniasse putandum est, tum maximè, cùm à Themistio, qui huic causæ fauebat, in medium non adducatur, quanquam reliquis in rebus eum non prætereat. Quòd verò mentem singulari numero semper protulerit, cùm id etiam in ratione, ac memoria obseruet, tum in homine, num ob homines, & rationes, ac memorias plures non esse putabimus? Sed non reprehendit argutus homo Anaxagoram hoc dicentem: sed nec Anaxagoras indiuisam illam affirmabat, imò vbique mixtam: quamobrem vna sit hoc modo mens, seu plures, nihil refert, & sic iuuaret Anaxagoram non
T. cap. 39. reprehendisse: sed sed reprehendit tamen in primo Physicorum, an non reprehensione dignus, qui dixerit, mentem perpetuò laborare, vt separet, nec ad finem vnquam peruenire? ergo multis etiam aliis locis meritò coarguitur: liceat igitur omnia potius credere, quàm quòd illius opinionem Philosophus secutus sit. Ad Auerroïs autem rationem dicimus, formas secundas rerum in infinitum extendi posse, sed nulla ex necessitate.

DIGRESSIO DE ANIMI *Immortalitate secundùm naturaliter loquentes.*

ERgo Philosophorum opinio Peripateticorum de Intellectu, quodque præter lumen legis consentaneum est rationi paucis perstringatur. Anima quidem quòd forma sit corporis omnis mortalis est, quæ infra Lunam posita est: de hac quæsiuit Philosophus, an posset vt Plato inquit, esse perennis: respondet, si nullum opus habet à corpore omnino abiunctum, necesse est illam interire. De Intellectu autem hoc non dixit: quoniam animam, si debuit esse immortalis, oportuit neutro, vel saltem vno modo à corpore non dependere, vt quæ iam esset corporis forma, Intellectum, qui separatus erat natura non necessarium erat: hic igitur intellectus semper manet, atque id Philosophos sensisse omnes, qui ratione aliquid dignum dixerunt, haud obscurum est, vno excepto Alexandro. At quorsum aut scribere, aut laborare, si nihil nostri iam superest? at nobis certò existentibus cùm dubium sit an hæc sciamus, imò etiam si non omnino quicquam ad nos de his perueniat, vtile est optima, & digna gloria peregisse: nunc verò, vt video, quidam solùm eam gloriam quærunt, atque etiam admodum auidè quæ viuentes comitatur religionem præferentes: at si religiosè viuendum est, potius gloria, quæ post mortem manet, admittenda erit, vt minus efficax, & magis laudabilis: indicio est Hieronymum, Augustinum, Chrysostomum, Ambrosium illam omnino, quæ post mortem habetur, non contempsisse, quòd tam diligenter multa, totque laboribus posteris legenda reliquerint, cùm pompam omnem, & vitæ præsentis laudem refugerint: alius latitauit in ædicula, alius se abscondit in eremo: nunc verò gloriam contemnentes nec gloriam nec religionis exemplum sequuntur: quid enim aliud mente sua testantur, quàm animorum interitum, cùm tam anxiè præsentes honores, adeò neglectim in posterum superfuturam gloriam amplectantur? & nunc hic mos est, vt nomine quidem solo censeamur esse Christicolæ, re verò ipsa Epicurei habeamur: nam & Epicurus tale quiddam docet, præsentibus fruendum solùm, delitiosam agendo vitam, nihil posterum cogitantibus: quanquam nec ipse tamen talis fuerit, vt qui multa conscriberet: at malo certè, ac insulso instituto, non solùm quòd exemplo suo doctrinam propriam reprobaret: sed quòd nihil etiam proficiat felicitas vitæ, si animus intereat, nedum gloria post mortem. Quid ergo laborandum, cur scribendum? & ob id quia nec labor

malum

malum est, ideóque nec euitandum: Pyrrhonica hæc sunt deliramenta, aut solus sapiens Pyrrho, & tamen nihil sciens, si animus ipse mortalis est: ergo quid agendum? nullus finis, nullum initium rerum humanarum, imò nec vniuersi, animi immortalitate sublata. Ratio igitur ipsa, & in nobis diuinitas quædam mentis docet, illum esse mortis expertem. Non ego me ad spectra conuerto, cùm naturalis ratio, & cuique de seipso experimentum sufficiat. Quæret enim sedulus aliquis, ac curiosus, quisnam hortorum custodes inquietauit noctibus occiso Caligula, si cum corpore vnà extinctus est animus? Sed hi superstitiosi sunt, non Philosophi. Neque verò vnum omnibus conueniebat esse, nec infinitos, sed numero certo constitutos, aut ex vno prodire innumerabiles existentes, & reuertentes: intelligentes verò non vt hic, sed quasi ex vno principio omnes: velut Solis radij diuersi cùm sint, ab vno tamen Sole, & in vne lucent, & ipse in illis. Plato verò etiam post mortem pœnas addidit, & voluptatem: sed hoc pusillum est, & quasi vestigium habens tantum veritatis apud Peripateticos: neque verò nobis aduenit hic intellectus, nisi cùm formatur homo, sensim enim (vt dictum est) eius operatio augetur, non vt videatur semel incœpisse, aut perfecta ætate iam accessisse: nec est perpetua, vt materia, non enim extrinsecus accederet: nec vt vis formatiua: nam & illa quoquomodo æterna est, sed tamen in nobis est, quia substantia nulla est, sed virtus: nec est quòd cogatur ætate quasi dens, nihil enim horum conuenit ei, quod solùm extrinsecus accedere dicitur, quare sedem habet aliò, quod accedit, vniuersam in vniuerso, singulæ autem mentes propriam: nec verò semper inesse hominibus possunt: nam semper certus, ac constitutus esset hominum numerus, quod perabsurdum est. Longis verò an paruis interuallis temporum absque corpore maneant, nondum est declaratum: est autem necessaria ad perfectam cognitionem horum, scientia eorum quæ in libris de Archanis æternitatis sunt demonstrata: tum verò reliqua dicere, fato, ac monitis nunc prohibemur, cùm tamen nihil præter religionis instituta sentiamus, sed tractatio tota Physica est. Existimandum est autem vt lucem quandam esse hanc mentem, & si reuertatur in corpora, non ideo illi duo vnus erunt magis, quàm in vnitate intellectus Auerrois, sed tamen valde similes, & coæquales: verùm nihil prohibet, maius, ac minus decidi, ac quasi illas promisceri, sed tamen verisimilius est immixtas esse: sed & hoc apparentia tuenda necessarium est, hæc verò cùm animæ copulatur, materialem spargit intellectum, quasi lumen à luce, vnde lucem Deum, vt homini se immiscuit, beatus Ioannes dixit, vt non multum ab eo aberrent Peripatetici, quorum placita si videas imaginem etiam resurrectionis videbis, quanquam non sit propositum nunc hæc illis immiscere, sed solùm docere, quàm sint consentanea, quanquàm prope ad religionem nostram illi solo adiuti lumine naturali accesserint. Esse verò operationem tantùm ac manere, vt eam, quid absurdius, cùm substantiam quidem illius manere potius Aristoteles primo de anima censeat, operatione corrupta, non secus ac in Iride deficiente nube corrumpitur Solis operatio illa, quæ Irim facere poterat. Hoc igitur modo nil mirum est Paulum dixisse. Nos genus esse Dei, nam vel à Deo sumus, atque is est, in quo cogimur, vel ob nostram impuritatem secundum naturam verisimilius est, nos in vnam cogi mentem quæ & in alia sit, atque eodem modo secundum ordinem tandem ad Deum per multa media referatur: hæc vero vnitas, & infinitum tollit, & numerorum discrimen: nam nos seiungimur, sicut reliqua, quæ in vnum nullo modo coëunt. Igitur quinque sunt capita in quibus Peripatetici omnes fermè concordant, & quæ ratio ipsa nos docet, Mentem esse lucem quandam, & æternam, & impatibilem, & ab vno principio proficiscentem in corpora nostra, & illorum numero distributam: ex quibus cogimur etiam confiteri, quòd denuo eadem mens in alia corpora reuertatur. Est autem eius multiplex pars, Agens, qui totam substantiam continet: materialis lumen eius, patiens cùm simulachra rerum recipit. Est autem lumen reflexum post modum illius in ratione, imaginatione, & reminiscentia: Porrò mens voluntate caret: est enim illa rationis non alicuius intellectus, vt voluntas est quæ eligit: aliam habet voluntatem mens, quæ illi propria est, ac naturalis, appetitque intelligendo perfici: nam nec materia prima adeò vilis hac tamen caret facultate: cùm autem separatur à corpore fit vna mens in principio vt lux, sed lux diuersas habet partes: hæc autem non habet neque principium ipsum, sed est quasi hæc vnitas media inter absolutam, & veram vnitatem, ac lucis: cùm in illa nihil desit, & in hac superabundet quantitas. Nec verò dicendum est quomodo, cùm astra, quæ perpetuò subiiciuntur oculis, nesciamus quomodo moueantur, etsi ad vnguem fermè velocitatem, & experientiam loci illorum simus assecuti. Ergo Philosophi ad rectum fidei nostræ tramitem proximè accessisse videntur, neque enim, nisi sicut qui prope, & acutè videt, ab eo qui procul, & obtusè, ab illis differunt: qui enim procul abest, non alia videt, sed non distinctè videt, vmbrásque quasdam fingit, & in quibusdam dubitat. Vna igitur Philosophorum, ac religionis nostræ de anima fermè sententia est, differens solum velut imperfectum à perfecto: velut puer à viro: sic delineatio à pictura. Concordant in lucis exemplo, in originis diuinitate, in immortalitate, in cognitione beata, qua cuncta post mortem nouit, in resurrectionis genere quodam, nam reuiuiscere videtur quodcunque eandem animam ab obitu retinet: & quamvis non meminerint, intelligunt tamen: non patiuntur autem nisi meritò corporis annexi: hoc autem hæretici Fræticelli existimabant: itaque paruum hoc est, in quo à lege nostra diffident. Est autem id tale, nam singularia agnoscit intellectus,

& post mortem reminiscitur, & verè resurgit homo, non in aliud corpus intellectu transeunte, & initium habet, finem non habiturus, & patitur etiam nondum corpori adiunctus. Quis hæc omnia non videt potius esse conditiones necessarias eius, qui arbitratur mundum non esse æternum, & mortuos posse resurgere, quàm illius, qui sponte à nobis discrepet: estque potius hoc acutius videre, quàm alia sentire. Est autem triplex differentia intellectus nostri, ac animæ quæ in belluis est: Prima, quoniam intellectus intrinsecus est homini, belluis extrinsecus collucet: vnus etiam satisfacere omnibus, quæ in vna specie sunt potest, hominibus plures sunt necessarij: tertia est, quòd hominis anima tanquàm speculum est leuigata, splendida, solida, clara: belluarum autem tenebrosa, nec leuis: atque ideo in nostra anima lux mentis refulget multipliciter confracta, inde ipse Intellectus intelligit. Cæteris autem potentiis, vt diximus, nullus limes præscriptus est: at belluarum internis facultatibus tantum licet agnoscere, quantum per exteriores sensus accesserit: ab obitu verò mentis est vna tantum operatio, ac simplicissima: sed tamen his omnibus hic simul collectis melior, & honorabilior, qua omnia intelligit. Negant Philosophi tamen singularia mentem cognoscere, Theologi volunt, sed beatis solum omnia licere: contrà Philosophi omnibus omnia: non semper autem hic intelligit, quia agens non est, nisi cùm à materia liberatur, subtrahitur enim hoc quod à communi agente proficiscitur, sicut lumen Solis semper lucet, & qualiter lucet, est enim illius substantia semper æqualis, in nebula non lucet: sic intellectus in seipso semper est in actu, & semper intelligit, sed in homine non intelligit, nisi cùm adiuuatur à simulachris, hæc autem fiunt cùm nebula illa aliquo modo loco cedit: ob id nec ebrij, nec dormientes, nec cibo pleni facile intelligimus, & qui obeso sunt corpore minus intelligunt: contrà in aliquibus adeò clara est mens, & corpus sincerum, vt etiam per somnum ratione vtantur, imaginentur, reminiscantur, intelligant denique. Quare clara est differentia, curnam in somno non intelligamus, post mortem autem intelligamus, cùm ad vtrumque peruenіamus nihil sentientes, aut intelligentes: nam in somno vincitur, in morte liberatur mens: sed si somnus morti simillimus euadat, & aliquo modo vinculis soluatur animus multa videt, vt etiam per vigiliam, & quandoque melius: igitar accessus ille ad mortem, cùm similis sit ei, qui ad somnum, non declarat mentem euanuisse, sed septam tenebris, ac vinculis fore. Sic igitur animi natura Philosophis innotuit, sensim initio, vt diximus, facto à Trimegisto, inde per Pythagoram, Anaxagoram, Pherecidem Alcmæonem, Socratem, Platonem, Aristotelem, Theophrastum, Plotinum, Iamblicum, Synesium, Michaëlem Ephesium, Themistium, Amoniũ, Simplicium, Ioãnem Grammaticum, Auicenam, Auerroëm, Albertum, & Thomam, adeò res hæc proximè ad veritatem accessit, vt in naturali lumine iam nil amplius desiderare possimus, cùm ad scopum fermè peruenerint. Exemplum autem diuersitatis animorum si habere vis, non melius, quàm ex operatione ipsa percipies animi: nam cùm calorem intelligit, & frigus, contraria quidem intelligit: aut cùm nigrediñe & candorem, & candoris imago fermè nigredinis imagini est contraria, cùm tamen qualibet intellectui eadem sit: sic & mens menti penè contraria est, cùm tamen vnum sint in communi intellectu: nec quis dicat lucis speciem eandem esse cum tenebræ specie, nec tamen vlla materia differunt, at specie differunt, & si sic differre specie est, minus est, quàm solo numero differre: hoc autem quid animos impediret? cùm quæ duo numero sunt, vni nunquam eodem numero esse possint, at idola hæc in intellectu eadem cum illo sunt: vt igitur Sol ipse non potest parientem, nisi exterius, illuminare, aquam autem intrinsecus ingreditur, & illustrat: sic mens belluarum animam, nisi exterius, illuminare non potest, at cùm in peruiam, ac specularem humani animi substantiam ingreditur, sapientiam, intellectum, scientias, artes, prudentiam, industriam, virtutes, sales, lepores, versutias innumeráque alia, quorum omne belluarum genus expers est, homini impartitur. Porrò varietatem substantiæ nihil impedit diuinitas, nam & in cœlestibus rara, densa, obscura, nubilosa, lucida, illuminata, æqualia, inæqualiáque apparent: eadem igitur & in mentibus diuersitas est, sed maior etiam, cùm ad hominum animas comparantur. Forsitan autem quis puras animas principio suo, indiuiduas in posterum fieri credat, nam certum est, quæ illi hærent beatissimas esse: alij existimarunt tenuiuscula corpora hos intellectus secum habere, sed id minimè Philosophus affirmat: finceri igitur, sunt, & omnis corporeæ qualitatis, corruptioni obnoxiæ, expertes: qui autem corpori immerguntur, non afficiuntur: deterior tamen est longissima vita quæ cum scelere coniũcta est, sed neque felix optima est, si careat contemplatione: verùm reliquis tamen, maximè iis, qui pecuniariæ rei totos dies incumbunt, infelicissima: si enim cogitarent, Cuinam tantos hos labores paro? quàm breui gauisurus sum partis? quanta pro his miseris opibus flagitia patraui? quàm cito nomen meum è viuentibus excidet? quàm intoleranda pro his sceleribus me manent? nam & omnes leges supplicia, & delicias statuunt: Idolorum cultores Tartara, & Elisios campos, quosdam etiam in cœlo locabant: Iudæi: inferna, ac paradisum, nam Saducei minima pars illorum erant, nec populus eis assentiebatur: qui Mahumethem colunt, & ipsi baratrum ingens habent, ac contrà, hortos amœnos, & voluptates ingentes. Quid hoc? nisi quædam scenographia veræ miseriæ, aut beatitatis, quam nostra religio, quam Philosophorum dogmata clarissimè docent: sed vulgus iners incitas magis fugit, maxima pars procerum voluptates sequitur, sic à nostrarum calamitatum ac miseriarum intelligentia soli amor, & insania, tãquàm inebriata mente nos liberant, felicibus tantùm

tantùm his relictis, qui per virtutem, ac sapientiam, qualis tu vnus es Iacobe Philippe Sacce optime, diuinam & immortalem vitam futuram agnoscunt, & sperant.

ARGVMENTVM PRO supradictorum fundamento.

DEmonstrandum est autem fundamentum omnium supradictorum hoc modo, & constat hæc ratio in duabus propositionibus, quarum vna est & minor. Quòd anima intellectiua est omnium formarum capax: & hoc declarat Philosophus tertio de Anima: nam vt intellectiua est omnium formarum materia carentium, ita sensitiua omnium sensibilium & cum materia coniunctarum: igitur ipsa est capax omnis formæ: nam forma omnis vel materiam habet iunctam, vel illa caret: & formæ materia carentes intellectui subiiciuntur, quæ autem materiæ sunt coniunctæ sensui: item quæ sunt vniuersales ab intellectu recipiuntur, singulares autem à sensu. Omnis autem forma cùm necessariò sit vel materiæ coniuncta, vel ab illa separata, singularis, vel vniuersalis, erit etiam sensus, vel intellectus obiectum: omnes igitur formæ sunt in anima, ideo dixit, quòd anima intellectiua est quodammodo omnia sensibilia per sensum, intelligibilia per intellectum. Secunda, & maior propositio est, Quòd omnis forma, quæ est potentiæ receptiua, vel productiua omnium formarum, est immaterialis, & incorruptibilis, vt patet de cœli virtute respectu productionis, & materia prima respectu materialium formarum, & de diuino intellectu respectu omnium formarum simpliciter: hæc enim omnia apud Philosophos Peripateticos sunt incorruptibilia, ideo probatio hæc est inductiua, & Philosophus pleraque sic demonstrat, vt quòd sensus visus patiendo sentiat, quia alios sensus sentiendo pati sit manifestum, & quòd tactus habeat medium, indigeátque illo, quia reliqui sensus, & quòd caro sit instrumentum tactus, quia omnes formæ in determinatis subiectis recipiuntur, & quòd Stellæ lumen à Sole recipiant, quia Luna recipit. Et ad hoc adducitur ratio per contrarium, quia omnis forma ex materia ad vnum genus determinatur, igitur quæ non determinatur, non est forma ex materia habens originem.

Cap. 8.

Ad hoc argumentum dantur plurimæ responsiones: Prima, quòd inductio non probat: nam aut assumit illud, de quo probandum est, & ita præsupponit quod probari debet: aut non assumit, & sic nihil concludit. Aliter non daretur propositio vtilis habens exceptiuam singularem tantum, at tales dantur, velut, Nullum animal intelligit præter hominem: nullus lapis trahit ferrum, vel mouet ad partem cœli determinatam, præter herculeum: nullum astrum per se lucet, præter Solem: nulla intelligentia per se est, præter primam: si igitur arguatur, nec asinus, nec bos, nec lupus intelligit, & ita reliqua connumerando omnia præter hominem, igitur homo cùm sit animal non intelligit: manifestum est, argumentum non tenere.

Secunda responsio est, quòd idem argumentum ostenderet imaginationem, & rationem, & memoriam esse incorruptibiles: nam vtraque propositio de his verificatur. Et si dicatur, quod non, quia suscipiunt solùm materiales formas: dicitur, quæ hoc non prohibet, si inductio probat, nam in inductione assumitur, quòd materia prima, quæ solùm formas materiales suscipit, est incorruptibilis: ideo concluderet etiam de his facultatibus.

Tertia responsio constat in hoc, quòd anima intellectiua non verè ipsas formas suscipit, sed similitudinem. Probatur hoc ex ratione, & Philosophi dicto: nam Philosophus dicit ibidem, Quare anima est vt manus, manus enim instrumentorum est instrumentum: sic & intellectus formarum est forma, & sensus sensibilium est forma. Itaque Philosophus, vt ibi dicebat, non sentit rem in anima esse, sed intellectum esse formam formarum: quare potius erit intellectus, & anima vt speculum quoddam intellectus vniuersalium, sensus singularium, anima autem vtrorumque. Id etiam ratione demonstrari potest: nam si forma equi est subiectum hinnitus, erit & anima intellectiua: & si forma ignis à calido expoliari non potest, anima etiam talis erit, quod absurdissimum est. Si igitur anima talis est, secundum similitudinem tantùm, maior autem propositio de veris receptiuis, & causis intelligitur, manifestum est, quòd argumentum nihil concludit: aliter etiam forma speculi esset incorruptibilis, imò sensus communis clarè, quia si argumentum concludit, vt dictum est, sufficit, vt recipiat omnes formas materiales, hoc enim sufficit in materia prima: at sensus communis omnes formas materiales recipit, igitur & ipse erit corruptionis expers. Contra primam responsionem sufficiat mihi pro nunc auctoritas Aristotelis: nam & in libro Posteriorum in initio, vbi maximè regulas demonstrandi obseruare nititur, hoc argumentandi genere vtitur, quare illud probat, responsio igitur est dialetica. Ad instantes autem exemplorum contradictiones respondeo, hominem, vt dixi, à cæteris animalibus genere differre: & ita dico de Sole, & astris cæteris, & de Deo, & aliis intelligentiis, & de hoc non est dubium: si autem inductio sumeretur, vt hic in genere etiam differentibus, vt Aristoteles solet facere, concluderet, quod nos hîc facimus: nam Deus, cœlum, & materia prima genere etiam generalissimo differunt, quare demonstratio est manifesta. Est etiam ratio adducta negatiua, deducendo ad contradictionem, quæ facit semper inductionem demonstratiuam. De lapide Herculeo dico, quòd alia trahunt, vt electrum festucas, de alia virtute, vbi antecedens esset verum, quod nulli alij lapidi similis virtus conueniret, diceremus quòd non specie, sed genere ab aliis differret, & ita credo: vtcumque sit illa inductio, non potest firmari ex negatiua opposita, vt hic, nec constat ex

propoſitionibus vniuerſalibus, quibus communiores non ſint, vt hæc, nec ex affirmatiuis, ſed negatiuis, nec habet rationem, vt ſit per ſe, vt hæc, ideo reſponſio eſt nulla in via Ariſtotelis.

Contra ſecundam quæro, an de imaginatiua belluarum loquaris, an hominis: ſi ſecundum, vel accipis pro facultate, & tunc argumentum eſt nullum, quia facultas non neceſſario eſt æterna: vel pro ſubiecto, & ſic confitemur, de facultate etiam potentiæ verum eſſe, quòd ſit, & quomodo iam dictum eſt: ſi autem de belluarum imaginatione loquimur, falſa eſt propoſitio, quæ aſſumitur: nam belluarum imaginatio, vt dictum eſt, formas tantum, quæ ſub ſenſu fuerunt, comprehendit: & quod plus eſt, etiam tantum ſub forma, qua in ſenſu fuerunt, atque ideo non omnia neque imaginantur, quod totum eſt duplum dimidio, cùm in illa diuiditur, nec quòd quadratum lineæ, quæ eſt diameter quadrati, ſit duplum illi quadrato, cuius eſt dimetiens, ideo his duabus cauſis in illis propoſitio non verificatur. Videmus autem, quod forma quælibet, vt aëris, vel aquæ, non eſt ſuſceptiua niſi quorundam obiectorum, nam homo, vel lepus ex aqua, vel aëre conſtare non poteſt, & ita de aliis: ſed quia propoſitio etiam extenditur ad ea, quæ ſolo nomine cauſæ dicuntur, licet diuerſa ratione, videtur difficultas de lumine ſyderum: nam hoc potentia producit omnes formas, & tamen eſt generabile, & corruptibile. Reſpondeo ad hoc, quòd non per ſe hoc facere poteſt, ſed alterius virtute: nos autem loquimur de principali, nec conſtat, quòd lumine omnia hæc agat, nedum quòd eodem lumine, anima autem eſt principale: ſed videtur difficultas, quia ſic patiens intellectus concluditur immortalis, & hoc iam nos negauimus: dico, quod (vt diximus) patiens recipit agentis virtute, & habet rationem facultatis, non ſubſtantiæ: nos autem diximus prius, quòd facultatem non eſt neceſſe eſſe perpetuam, ſed ſubſtantiam, quæ eſt fundamentum facultatis, ſicut eſt neceſſe cœlum eſſe æternum, quia productiuum omnium formarum, non tamen hoc lumen, vel hunc motum, & ſi hæc ſint ſuſceptiua infinitarum formarum, quantum merito ſui, nos autem agentem ſubſtantiam conſtituimus, materialem autem facultatem, at in via Auerroës concludit argumentum immortalitatem, etiam materialis, quia ipſe eum intellectum ſubſtantiam per ſe ab agente penitus ſeparatam facit, & non facultatem tantùm.

Sed in tertia reſponſione eſt longè maior difficultas: ſed vt ad auctoritatem Philoſophi veniam, & ad Alexandri interpretationem, videtur auctoritas concludere de vera forma: nam forma trigoni, vt trigonus habet exteriorem angulum duobus oppoſitis coæqualem, eſt anima tantùm, & forma equi eſt in anima, quia intellectus intelligendo, eſt illa forma, & in eam vertitur, & cœlum non continet formas inferiorum, nec verè, nec perfectè: non verè, nam ſic eſſet cœlum corruptibile, quia formæ hæ ſunt tales: nec perfectè, quia ex limo poſſet homo generari, quod eſt falſum: in perfectis enim formis requiruntur materiæ propriæ, & tamen cœlum eſt incorruptibile: cauſa igitur quòd corrumpi nequeat, eſt continentia omnium formarum cum indifferentia ad illas: nam quod indifferenter ad omnia ſe habet, à nullo patitur: igitur anima cùm talis ſit, eſt incorruptibilis. Alexander opponit præparationem, ſed præparatio non eſt ſubiectum horum, ſed anima: igitur præparatio cùm ſit ſola ratio, non eſt incorruptibilis, ſed anima ipſa: aut igitur anima nihil eſt, aut incorruptibilis eſt. Ad id de ſenſu communi, illud fuit forſitan quod impulit illos, velut Proclum, ad credendum, Platonem omnia animalia, & ſola perfecti generis, velle animam habere immortalem: ſed veritas eſt, quòd ſenſus communis recipit formas omnium ſenſibilium, ſed tamen, vt ſolùm comprehenſas ſub quinque generibus, ideo non comprehendit ſubſtantiam alicuius indiuidui, ſed exteriora quædam tantum, tum maximè, quòd (vt diximus) nec medullam, ſed ſolus hominis ſenſus, atque ideo etiam illius fundamentum eſt incorruptibile, & eſt anima intellectiua, non vt intellectiua, ſed, vt declaratum eſt, corpori communicata, atque coniuncta. Et ſi dicat Alexander, quòd intellectus eſt recipiens ſeipſum, hoc eſt omnino falſum: nam equi forma eſſet forma aſini, vt igitur materia prima eſt aliquid præter formam, & priuationem, ſic materialis intellectus exiſtens ſolum potentia, antequam intelligat, & eſt vnus in omnibus eo modo fermè quo materia prima: nam per partes diuiditur, & cùm moritur homo coniungitur actui ſuo, retinens omnes virtutes, per quas potuit recipere formas, ſenſibilium, vel intelligibilium, licet remaneant virtutes illæ maxima ex parte tantùm ſecundum rationem principij, vt virtus Iridis in Sole.

Ex quo facilè intelligimus, quòd is, qui nuper ſcripſit de Anima, ſumens hiſtoriam à corpore, & viribus eius, ob nimiam ambitionem voluit vt intelligeremus, illum credere, eam eſſe mortalem: nec minus deuius à Philoſophis, quàm à Romana Eccleſia.

SOLVTIO QVORVNDAM problematum in hac Philoſophorum via.

SEd, vt omnibus plenè ſatisfaciamus, oſtẽdamúſque, quàm veriſimilis ſit hæc opinio, & quàm propè ipſam accedat veritatem, tum vt quæ dicta ſunt, clarius eluceſcant, experimentorum quorundam, quæ ſenſui ſubiiciuntur, ratio à nobis reddenda eſt. Primò igitur quæri ſolet, cur iamdiu mortuorum nec ſpectris mouemur, imaginéſve videmus, aut per ſomnium, quales nunc ſunt Alexander, aut Cæſar, aut Ariſtoteles: an quoniam iam vniti ſunt primæ menti, vel, vt huic opinioni magis eſt conſentaneum, alia ingreſſæ corpora, illorum mentes ſub ea ſpecie nos turbare amplius

non

non possunt: videmus etenim profectò sic accidere, vt iandiu mortui spectrum nemo se vidisse referat, dudum autem plures, aut vigilantes, aut per somnia.

2 Cur verò quidam mutuò se amant, alij se oderunt, etiam minima causa? quoniam parentum, & filiorum, aut fratrum corpora aliàs inhabitarunt, aut inimicorum & hostium, vel à quibus pœnas, ac supplicia sumpsêre: verisimile est enim valde hoc cum ab aliquibus vehementer irritati non irascamur, alios etiam gratuito oderimus: nam quæ mistio esse potest, si ex tam minimis homo constat, quæ hoc possit efficere? Porrò remanet affectus ille naturalis, illa dissensio, seu consensus, etiam si memoria ex toto aboleatur, velut olea, quæ myrtum diligit, vitem odit, teste Theophrasto: extingui autem eas facultates in morte diximus, quantum ad animæ rationem attinet, non in ipso principio iuxta Aristotelis sententiam.

3 Cur pueri in vtero à matre desideratarum rerum vestigia in corpore contrahunt? Lib.10.c.15. Vidit hoc & Rhodiginus Cælius, quem nos audiuimus, sed causam non adiecit, hæc autem sic se habet: dum fœtus est in vtero prægnantis imaginationi subiicitur, indicio est tales concipi pueros, qualis fuerit imago parentum hora congressus, quod tamen nos non admittimus, quamvis Iacob historia de ouibus reluctetur: aliquid tamen facere imaginationem non negamus, verùm animula fœtu contenta mouetur imagine animæ matris: indicio est, quòd solis fœtibus grandioribus hoc accidat, & quod illusionibus animæ mulierum, quæ absolutum infantem vtero gerunt, velut vt pueri ipsi eorum, quæ in vrceis videre se existimant haud dubiè patent: horum omnium causa vna est, quoniam menti, & imaginatio imaginationi annexa est, propterea quoniam animus corpori in homine dominatur, & in fœtu iam perfecto similitudo alimenti iam imaginatione matris violenta defertur cum ipso alimento, ac spiritu in fœtus corpus, effingitque rem similem ei, quam imaginatione conceperat, additque plerumque membris exterioribus: quoniam quæ format infantem virtus, inutile existimat, ac extra ordinem membrorum intus illud retinere: ergo si propellere nequeat, abortitur infans. Quam ob causam, & cur non semper talia fiunt signa, manifestum est: & cur magno desiderio rerum fœtus quandoque abortiantur, quandoque non, satis ex his patet, nam in tenui appetentia nihil horum efficitur, in valida autem abortitur, aut vestigium manet, si iam fœtus animum conceperit.

4 Cur homo solus rideat? quoniam solus admirationem habet, hoc enim mentis opus inquam est, ob hoc solus ridere potest: est enim risus eorum, quæ cum voluptate admiramur, ob id repentina risum ciere solent, quæ iam præuisa sunt non adeò, aut minus.

5 Cap.24. Cur belluarum etiam senectus maiorem præ se fert sapientiam, cùm tamen mente omnino careant? sic enim inquit Aristoteles sexto de Natura animalium, de mulis loquens, Vita mulis ad annos multos, iam quidam vel octogesimum potuit agere: vt Athenis cùm templum ædificaretur, qui quamvis demissus munere per senectam, commeans tamen, ac obiens, iumenta exhortabatur ad opus: quamobrem decretum est, à nemine eum arceri frumentorum aceruis. Inest ergò sapientiæ vestigium belluis: sed illud vel consuetudine faciebat, idque nil mirum, vel consilio, hoc autem prodigiosum, atque ex causa exteriore pendebat. In vniuersum igitur mens, quæ belluis exterius adest, adeò fortiter imprimere potest, vt vestigium in opere sapientiæ possit præferre, sapientiam nunquàm: neque enim aliud præter id munus consuetum obire nouerat. Porrò Græcis insitum, noua semper, quasi è re sua id esse putarent, in immensum extollere: gloriam, & diuinitatis opinionem, ex leuitate, & fabula etiam quærentes.

Sed cur ante clades, & cum ipsis, si ingentes fuerint, monstra, prodigiáque apparent, quale illud (neque enim maius autoritate, vel testimonio hominis proferre possum) Cæsaris, verba eius subiungere libet, ea autem sunt: Eodémque die Antiochiæ in Syria bis tantus exercitus clamor & signorum sonus exauditus est, vt in muris armata ciuitas discurreret: hoc idem Ptolemaide accidit. Hæc ille. Quæ neque conficta esse poterant, teste tota vna vrbe, imò duabus, nec Cæsari deerat calumniator, etiam vsque ad contumeliam, nec quicquam fuit dignum, vt pro his mentiretur, qualia ea sunt, quæ accidisse iuxta Rubiconem referuntur. Ergo signa ante clades quædam à causis iisdem fiunt, à quibus & clades, vt monstra, ignes in cœlo, fulmináque. Alia verò ab agente intellectu, qui mentibus multorum præsagia magnorum malorum iniicit, sic vt animam moueant multorum imaginatione commota: nam non omnes audiunt, mentes etiam illas dum separantur, vt infrà ostendemus, affines sibi commouent: vnde in cladibus multæ à multis euocantur, sed mens illa communis, ac sempiterna, maiorem causam præbet, quoniam & ante cladem hoc accidit. Cur verò magis Antiochiæ, quàm Romæ? ex sequenti ratione declarabitur. 6

Cur Prophetæ dentur, & qui de futuris apertè verissima doceant? qualis admirabilis fuit Esaias. Mens ipsa, cùm nullo modo corpori immiscetur, belluas facit: cùm mediocriter, homines, cùm autem copiosus effunditur spiritus, non repugnante vi corporea, Propheta euadit. Propterea nemo eruditus Propheta est, quoniam mens illa pura doctrina non indiget: nec in omnibus regionibus Prophetæ apparent: nam iuxta polos impossibile est vt nascantur, corpus enim eorum, qui illic habitant, densum est, ideóque repugnat tantæ mentis sinceritati: at verò imbelle, & tenue corpus factum esse homini ob excellentiam animæ, declarat Plato in Timeo, dicens: Potuerat Deus tamen solidum hominis corpus concinnare, 7

nare, vt nocumento forinsecus occursanti minus foret obnoxium, sed mollius efficere præoptauit, quo esset contemplationi paratius. Ergo in Palæstina tantùm floruêre Prophetæ: ea enim regio perquàm temperata est, atque omnium cœli regionum amœnissima. Hi verò tales nec timedi sunt, nec iracundi: affectus enim hi necessariò corporis validioris sunt: vnde & iracundos natura longius æuum protrahere videmus. Sed & hi in cibo moderati sunt, namque plenior victus corpus obesum reddit: plures autem illorum propter id etiam in desertis locis inhabitarunt, ob id etiam expertes sunt veneris, ea enim corpus & mentem concutit. Declaratum est autem tales ab omni mentis concussione vacare oportere: progenitores verò non impios illorum esse necesse est: talibus enim humores praui insunt, vnde tam synceri vasculi generatio impeditur: mentem autem illam, quæ sic mouet, palàm est ex vniuersalium cognitione, non singularium precedere, quibus postmodum simul iunctis, efficitur singularis cuiusdam notitia, cui hæc omnia insunt: vnde accidit, vt non, nisi post euentum, oraculum illorum intelligatur, tunc verò ad vnguem omnia expleta cernere fas est. Velut enim in somniis dictum iam est ex Auerroïs sententia generales apparent futurorum conditiones, quibus ad singularium coniecturam peruenimus, sic vigilantibus in prophetis: fortius enim mentem mens communis mouet, quàm per somnum cœlum imaginationem, præsertim cùm corpus, vt dixi, paratum habeat: plurimos autem, imò populos ab his moueri necessarium est, quia mens communis multorum commouet mentem, ob id assentiuntur plebi maximè homines: necesse est enim vt pars toti, & productum producenti pareat, vt lumen Soli, aut lux ipsa. Propterea nec cur illis pareant satis nouerunt, sed naturali impetu ad hoc mouentur. Ergo tantum à bellua homo, quantum ab homine Propheta distat: hic autem quasi medius est inter separatam mentem, & hominem: mens separata vniuersalis mentis & Prophetæ rursus medium est, media etiam mens illa communis inter vltimam cælestium intelligentiam, & singularem. Cap. 2. Auicenna verò decimo suæ primæ Philosophiæ arbitratur, quòd talis vis habeat virtutem admirabiles res agendi, vt ob hoc à populo consensu omnium aliquid maius cæteris hominibus obtinere credatur: ostendunt autem dicta Prophetarum in vniuersali mentem illam nostrum originem singularia sub generali modo intelligere, atque hoc idem animus noster habet postquam fuerit separatus.

8 Cur multis contingat, vt mortem amicorum, aut affinium absentium sentiant? Hoc ideo euenit, quia lux illa vtrisque coniuncta est. Propterea non nisi in coniunctissimis animis accidit, tum maximè in matre, ac filiis, & fratribus, si nobis valde chari sint: atque ideò illis contingit, quod crystallo si Solis radiis exponatur, namque dum amouetur crystallus, motum quemdam efficere videtur in radiis, etsi non faciat: hora igitur illa cùm lucem corpus relinquit, si proxima valde sensibilis fuerit, & corporeis vinculis explicata, sentiet mutationem illam, quæ cùm leuissima sit, facilius per somnum percipitur: nam & reliqua leuia, vt etiam exigui dolores in somno grauissima esse videntur, quoniam virtus animę omnibus exterioribus explicita negotiis, totam sentit alterationem: non igitur omnibus, sed multis hoc contingit, atque etiam ob hoc non nisi ipso temporis momento, quo obeunt: sic autem commota mens simulachrum ex imaginatione suscitat vel videntis, aut audientis vocem, aut in somno etiam speciem eius, qui moritur, videre se existimantis: ob id igitur in magnis cladibus sic multos affici necesse est, vnde concursus & diuinatio. Cur autem hoc hîc magis, quàm alibi contingat, in præcedenti dubitatione ostensum est. Palàm etiam fit, non omnes eiusdem loci accolas hoc præsentire: non enim omnes mentem habent à corpore sic liberam, nec omnes propinquos: quare non ex cœlo hæ præstigiæ fieri possunt, verèque esse, nam omnes eas sentirent: videtur autem communis illa mens, ac nobis coniuncta, huic causæ non parum conferre. Ex his non obscurum est.

Cur maximè per somnum diuinemus: nam (vt diximus) mens minus à corporis sensibilibus functionibus detinetur. Ergo si mens 9 valida fuerit, corpus autem inane, & languidum, animus optimè expolitus, sensus interiores puri, tunc maximè etiam simulachra ipsarum rerum intueri potest: nam mens quæ nos illuminat, aut singularia agnoscit, quod Auicenna fatetur decimo suæ primæ Philosophiæ, Cap. 1. aut omnibus vniuersalibus cognitis hoc ipsum singulare agnoscere, quanquam nequeat ostendere, tamen potest. Ex quo etiam maximè apertum est,

Cur morituri magis discessum suum præuideant, quàm cæteri: nam tunc iam intel- 10 lectus separari incipit à corpore, atque à residuo animæ: ideóque anima & corpus hanc sentiunt separationem, non vt aliquam rem, sed vt oculus tenebras, ac cæcitatem, aut vt quercus robur, ad quod radices dirigit: ipsa etiam mens principio suo hærere incipit, ob idque simulachra futurorum excitat: inde morientium animus diuinior habitus, vt ex Cicerone retulimus, mandatúmque legibus, vt supremæ voluntates seruentur.

Quinam sunt homines maximè diuini, aut praui? Diuini qui veritatem amant, assi- 11 milantur enim suo principio: nam mens ipsa omnem in se rerum veritatem continet: quod & religiosè dictum, Christus enim veritatem se dixit: est autem Veritas summa sapientia: nam falsa sciri non possunt. Alter gradus perfectionis est, vt eam agnoscas: nescire ergo, malum: odisse illam, flagitiosissimum, & diuinæ naturæ maximè contrarium.

Cur tantùm musicis commouemur, vt ea nos animum immutare cogant? Mens ad 12 mensuram est numerorum, & anima, & corpus: ideo his proportionibus, quæ numeris omnes integris continentur, maximè

commo

commouemur. Qui verò non commouentur, ab hac proportione multum abscedunt, vnde tardiore ingenio sunt. In homine autem minima est terræ pars, si ad belluas comparetur, indicio sunt cadauera resoluta. Plato autem nos ob id cõmoueri putat musicis, quoniam animus ante ingressum similibus quibusdam voluptatibus assueuerit. Verùm non videntur infantes demulceri harmonia, sed simplici nutricum cantione, vt belluæ: Melius igitur dicere, animum oblectare ea, quæ ille intelligat: intelligit autem maximè discreta, & parua: in numeris autem infra decẽ omnis humanus concentus constitutus est.

13 Cur heroës, ac maximi quidam homines? Quibus plus de luce, seu perfectiore contigit in corporis temperamento optimo, his ingenium à natura est corpusque firmum, non solùm ob temperamentum, sed quòd animus validus, vt nauta fortis nauim, corpus optimè gubernat, & continet, vt inquit, Plato. His igitur sponte ab hominibus, velut ab apibus suis regibus, honor, atque obedientia exhibetur, tum verò & qui cum his habitant. Fortunati tales fuere Hercules, Theseus, Romulus.

14 Cur senes aliqui adeò sapientes? nam Isocrates annos iam nonaginta superans Panathenaicum scribere se refert, in ipsius orationis initio, quam constat pulcherrimam esse: Socrates septuagenarius optimè philosophatur: M. Varro octogenarius libros de Re rustica scribere cœpit, vt ipse testis est. Causa horum est, optimè instituta vita: sic enim consuluit Aristoteles illi, qui senectam inculpatam ducere iuuenis cupiebat, scilicet vt assuetudini potius confideret: nam mens valida manet, sed corpus debile redditur: at verò inualidum eius opus efficitur sublatis spiritibus, & calore. Quamobrem imagines falsæ vt in atra bile laborantibus apparent, quas consuetudine opprimas necesse est. Non solùm igitur calidiores corpore tardius senescunt, sed & mentis opere. Argumento verò est, mentem in senio repurgari, nec solùm esse immortalem, quòd nisi corporis intemperies præter senectam aliqua accedat, senes sint omnium sapientissimi.

15 Cur tantus immortalitatis appetitus? Quoniam optimam conditionem naturaliter desideramus: est autem mentis optima conditio, quoniam æterna est: atque ideo nemo fermè tam improbus vir, qui non optet immortalitatem: belluæ verò cùm hac parte meliore destitutæ sint, nullam eius curam gerunt: ratio verò etsi in mortali animæ parte sit, quia tamen illuminatur ab immortali, colligitúrque lumen illud, & virtus ad suum principium, ideo desiderare potest.

16 Cur qui literis pollent hac conditione in actionibus minus valere, ac quasi stupidi creduntur esse? Causa est, quòd intellectus à vehementibus obiectis perficitur, sensus autem obtunditur: eadem igitur causa, quæ intellectum auget, vires animæ destruit. Sapientes ergo cùm intellectum habeant perfectum, rationem plerunque habent. Nec tamen ignoro, quantum ab ineruditis falsò huic sententiæ adiiciatur, cùm in propriis exercitationibus hoc verum minimè sit.

Quare quidam stulti, & expertes intelligentiæ? Vanum est credere, illis deesse mentem, cùm illa à mente vniuersali, ac æterna procedat: namque nec in minimo deformando articulo, nisi propter materiam peccat: nec verò intellectus ille singularis contumax esse potest, cùm & ipse expers materiæ sit: alterum igitur duorum abest, vel leuitas, ac soliditas animæ, qua & lumen recipit, & repercutit, atque sic mentis impotes perpetuò sunt: vel spirituum puritas, vnde ad tempus insania illa manet, vt in atra bile laborantibus. Idola igitur vel non creantur, si desit specularis illa leuitas, vnde nec in pueris, sed his solùm humor impedimento est, vel confusa, vt in atra bile, vel debilia & tarda, vt in extrema senectute. 17

Sed cur Dæmoniaci quidam esse videntur? Accidit hoc diuisa luce, velut in striatis subtiliter columnis, ac fractis speculis: nam in columnis lux diuisa, & in speculis plures repræsentat imagines, quæ cùm diuersæ videantur, accidit eis quod & oculo altero depresso: nam vna res duæ esse videntur: quoniam oculus eandem rem & altam & depressam simul esse non posse rectè diiudicat, ob id duo existimat, quæ vnum sunt, nec plura, quia plures esse oculi non possunt: at in anima lux illa cùm innumeras patiatur diuisiones, ob id mens multiplicata, & spiritus immundi etiam innumeri inesse creduntur, vt non negauerim fucum subesse multis, aliquibus etiam Dæmonem adesse, sed quod frequentius contingit, expono: ob id igitur exorcismis potius, quàm medicinis sanantur: nam anima fide (vt diximus) & imaginatione regitur, ac permutatur. Palàm enim est, plurimos ex eis verbis, non sacris, sed prophanis liberari. Dum verò sic mouentur, ex halitu fœdo caput tentatur, simile quid patientibus comitiali morbo, ob id in mulieribus frequentes, ob vteri corruptiones. 18

Cur lamiæ infantes extenuent? partim spiritu fœdo pulmones vitiant, partim oculis vt in speculis menstruatarum apparet: partim imaginatione, de cuius vi, etiam in aliena corpora, aliquid diximus, ea enim infantium corpora & tenera sunt, ideóque iniuriæ parata, nec à mente valida reguntur aduersus fascinationem. 19

Cur prophetæ mundo necessarij? Vt ea, quæ sapientes eruditione intelligunt, plebs fide, & simplici auditu agnoscat: ne vel cuiquàm quod rectum sit, ac pium, in obscuro sit, vel omnes ob sapientiam adipiscendam, artes, & reliqua vitæ munia deserere cogantur. 20

Cur homo tantùm polleat ingenio, ac memoria, tantumque vnus alteri præstet, vt rectè dixerit Philosophus, doctum ab indocto, vt hominem à bellua differre? Quoniam in his, quæ ad infinitum terminum extenduntur, accessus etiam differentiæ sunt infinitæ, ac sine magnitudinis termino differentia: tale autem est mentis sincerum opus, cui homines vt mente meliori præditi sunt, propius accedere conantur. 21

An quæ ex belluis & homine nascuntur, humanam animam, & mentem habeant, incertum 22

certum est: nam Plutarchus in parallelis refert, Fuluium quemdam odio mulierum equam iniisse, progenuisseque formosam puellam nomine. Hippo, & ex asina Onoscelin Aristonem Ephesium: ego librum illum indignum Plutarchi grauitate, non ob hæc tantùm, sed ob multiplicem falsam historiam credo. Cæterùm mirum est nunquam hoc accidisse, sed si accidat, ex fœmina nunquàm nisi bellua enascetur, si masculus expers sit rationis: à viro verò & bellua euentum oporteret obseruare, verùm nec in his mentem inesse verisimile sit.

23 Sed quid de aliis statuendum erit monstris, quæ ex viro, & muliere nata sunt? Primum indicium ex ploratu sumendum erit: nam etsi aliqua animalia iam grandæua plorare videantur, vt equus, & phasianus cùm accipitrem sibi imminentem cernit, nulla tamen bellua, vt nata est, plorat: Quod igitur monstrum plorat, id & ridere sua ætate aptum est, idest quadragesimum iuxta diem, quare & ratione vtitur. Manifestum est igitur, non tam serò infantes ratione incipere vti, quando risus ab admiratione exoriatur.

24 Cur demoniaci videntur aliqua, quæ antea nesciebant, cognoscere? Facta diuisione, si non colluceant partes, demoniaci fiunt stupidi, & amentes: si verò quasi animus inflectatur, vt de columna striata diximus, in cæteris sunt prudentes, ob imaginum apparentia illud idem accidit, quod in nebularum varietate, & plumbi colliquatione, cùm in aquam postmodum proiicitur: namque figuræ diuersæ, atque admirabiles animalium plantarum, hominum, instrumentorúmque emergunt, aliarumque rerum, visu quidem delectabilium, sed incognitarum: vnde cùm motus & iam illis quasi in circulo accedat, varietates penè infinitæ exurgunt: ab hac igitur formarum multitudine, & mentis communis auxilio futurorum, & aliorum incognitorum accedit notitia: verùm si mens non coadiuuet, vt plerumque fit, multa dicunt, sed falsa pleraque necesse est enim, vt in frequenti talorum iactu, etiam casu diuinare. Esse autem hunc motum, & hanc simulachrorum multitudinem, declarat inquietudo illorum, sermonisque abrupta series, & fine sensu, ac ratione edita. Porrò qui fractam habent illam animi specularem leuitatem, tum lumen, nunquam pristinæ sanitati restituuntur: qui autem inflexam, plenè sanantur. Conquiescunt autem motiones hę, cum motus spirituum sedatur: nam opinio quidem manet, sed affectus vexatio tollitur.

25 Cur cùm volumus, intelligimus? Hoc verò suprà declarauimus: illuminatio, & idola sunt nobis necessaria ad intelligendum: illuminatio deesse non potest: est in nobis, est causa æterna & pura, est absque materia, absque contrarietate, ideò cùm volumus, non subseruientibus simulachris.

Cur idem de eodem multi sentiunt, etiam 26
si non inuicem conferant, quæ conceperint, antequàm iudicium ferant, multò verò facilius adhæreant docentium opinioni, alij verò falluntur vt in sensibus, cùm tamen mens ipsa diuina sit. Quicunque igitur sana habent instrumenta interiora, vt imaginationem, & memoriam ac rationem, idem de eodem necessariò sentiunt, quoniam mens idem de iisdem semper iudicat: at si quid deficiat, aut corruptum sit, mens aberrare facit, non tamen ipsa aberrat: nam ex suppositis iudicium facit: ob id enim Solem magnum, & oblongum aliquando spectamus, aut pusillum, quia radius vitiato medio occurrit.

Cur astra tam lucida, & mundus tam pul- 27
cher? An vt solis oculis videatur animalium æternáque res propter mortalem constituta erit? an nullus immortalium hanc voluptatem capiet, sed quasi frustra erit? an cognitio intellectus voluptati sensus in hoc æquiparari poterit? Certè non, contradicente experimento. Quid igitur mens corpore soluta? Quicquid sensui, dum in corpore esset, impartita erat, rursus assumens, omnem quam cum corpore delectationem sensu capere poterat, nequid ei iucunditatis pereat, retinet.

Hæc igitur iuxta naturalium sententiam de animæ, ac mentis partibus dixisse sufficiat: altiores quæstiones prætermittere coactus, aut alio transferre, non obscuris admonitionibus: verum hæc ipsa multi in contradictionem non intelligentes trahent: turpe verò fit, si ab aliis nisi coacti nolumus à nobis ipsis dissidere: quamobrem nec clarius, nec breuius scribere potui. Hæc autem etsi non ad pietatem perfectam accedunt, non tamen ab ea, quantum reliquæ Philosophorum opiniones, discrepant: in fine verò maximè conueniunt: nam cùm lucem habeamus à Deo, atque potiorem nostri partem mentem, illius, non corporis actionibus inuigilare decet, plus Deum nostri authorem, qui nobis tam ingens donum dedit, amantes, quàm nos ipsos, idest corpus, filios, diuitias, potentiam, honores: nam verè nosmet diligere, est Deum diligere, si mentem nostram diligimus & qui Deum diliget, semetipsum necessariò diligit: lucem verò nobis affinem, vt nosmet tanquàm indissolubili vinculo, & sempiterno æuo coniunctam, ab eodemque fonte splendoris, & bonitatis nobiscum proficiscentem, atque hoc verò proximum diligere est, ac vt semetipsum. Quare hic finis est beatitatis nostræ in hac vita, diuinis frui, diuinisque coniungi, & post mortem perfectissima quiete gaudere.



LIBER PRIMVS, DE SECRETIS.

CAPVT PRIMVM.

Quid ſit ſecretum.



MAXIMA pars eorum quæ ſcimus, minima eſt eorum quæ ignoramus: vt inquit Philoſophus. Quapropter, ſi tam multis quæ ſciuntur libris ſcripta ſunt, quot & quantis indigent quæ neſciuntur? Ob id, ſi ſecretorum nomine quæcunque ignota ſunt, intelligerētur, haud dubiè infinitus numerus librorum ad tractanda ea quæ latent, neceſſarius eſſet. Verùm cum ſecretorum nomine quæ ſciri non poſſunt, haud intelligantur hîc, nec etiam quæ confeſtim methodo & ratione ſcire licet, amputata magna parte ab his quæ neſciuntur, eorum quæ ad ſecretorum tractationem haud pertinet: nihilominus adhuc ampliſſima ſeges huius materiæ relinquitur. Vt multo plures libri ſunt neceſſarij in vnaquaque arte ac diſciplina, his quos conſcriptos videmus, ab vniuerſis hominibus qui poſterorum vtilitati conſulere voluerunt. Quapropter nec defuturum nobis ampliſſimum argumentum ſcribendi vereri poſſum: ſed tot tantâque ſe offerunt, vt Mathuſalem anni (velut dicunt) haud eſſent ſuffecturi.

Quid ergo hac in ætate opus hoc aggredior, quod nec multi continuata ſerie abſoluere poſſint? Irritum hoc, & vanum. An potiùs methodum quandam generalem poſteris relinquam, quæ deſunt maxima ex parte inueniendi ac conſcribendi? Eſt autem vbi plurimum de potentia, de actu minimum: & vbi actus plurimus eſt, hi ad potentiam minus apti cenſentur. Quò fit, vt nos qui methodum aliis tradimus, parum inuentis vtamur: qui verò haud inuenire poterunt, inuentis à nobis atque aliis magis feliciter vtantur. Eſt enim vt in inuentis, ita in ſecretorum inuentione duplex vtilitas, & ſciendi & vſus: hanc magis optant imperiti, & viles & pauperes: illa egregio viro magis digna, vt quæ ad altiora & plura ſe extendat.

Præſtiterit autem ſcire, primùm quid ſit ſecretum, ne omnia eo nomine quæ tradita ſunt, comprehendantur. Ea ergo ſecreta dicimus, quæ non euidentem ob rationem inuenta ſunt: atque ob id etiam pauciſſimis natura nota ſunt. Velut machinarum ignearum conſtructio, tametſi pluribus nota ſit: tamen cùm abditam quandam rationem in ſe contineat, ſecreti nomine continetur. Habet autem hoc, quòd etſi nota ſit pluribus, longè plura tamen continet abdita in ſe, quæ nulli mortalium nota ſunt. Idem dico de lapide Herculeo. Quòd enim ferrum trahat, illudque ad Septentriones dirigat, omnibus fermè ex æquo notum eſt: at quia cauſa ignota eſt tot adhuc tantaque in hoc arcano latent, vt quod notum eſt, præter vſum eorum comparatione contemni poſſit.

Quapropter & Fracaſtoreus & Fortunius Affaitatus, & nos antea de his ſcripſimus, cùm nondum Dialecticæ regulas abditas inueniſſem, atque in ordinem redegiſſem. Luſimus & operam ob id omnes, infinita inter pauca nota ignota relinquentes. Ea de cauſa hunc librum conſcripſimus, vt patêret ratio inueſtigandi quæcunque abdita ſunt. Eritque forſan illud pro exemplo, ob vberem copioſamque materiam ac miracula quamplurima quæ in ea continentur.

Alia vtilitas erit, vt tres libros à me conſcriptos in ordinem redigam. Neque enim quicquam perperàm ac (vt ita dicam) ſolitariè à me conſcriptum eſt, ſed omnia neceſſitate quadam. Dicitur autem Secretum Græcè ἀναγνὸς vel ἀπόῤῥητον: Latinè ſeu occultum dicat, ſeu ſecretum, aut arcanum, vel abditum, aut ineffabile. Sed hoc aliquid maius eſt, nihil moror: nam non nomen, vt dixi de Subtilitate, quæritur, ſed res ipſa quæritur: nec res vna tam aptè expreſſa eſt à Latinis aut Græcis, vt propoſito noſtro ad vnguem ſatisfaciat. Quapropter & ampliare & contrahere ſignificata licet: modò admoniti ſint lectores, ne propter verbulum vnum multa vtilia & ſimul connexa pereant. Dicemus ergo ſecreta eſſe & cognita, quorum ratio non adeò perſpicua eſt vt pluribus nota eſſe debeant: tametſi vſus docuerit plurimos, & occulta, necdum inuenta, quorum extant ſeminaria quædam inueniendi: aut quoniam neceſſe ſit caſu detegi, ob rei in qua ſita eſt illa vis copiam, & frequentem vſum. Quæ verò nunquam detegentur, & quæ manifeſtis innituntur rationibus, licet nondum inuenta, Secreta dici non merentur.

CAPVT II.

De ſecretorum primis generibus.

SVnt ergo ſecretorum tria prima genera: incognitum, quod tandem in lucem veniet: Cognitum paucis, quod maximè in precio eſt: & multis, quod euidentem cauſam

ſam non habent, atque ob id neceſſe eſt vt longè plura ea in re lateant quàm quæ comperta ſunt. Id neceſſarium autem eſt in omnibus. Cùm enim proprium aliquid ineſt, & abditas habet cauſas, neceſſe eſt cauſas illas latêre, & ab occultis illis cauſis alios produci effectus, qui naturaliter occulti & ipſi erunt: quanquam & ipſi, vt primus caſus, forſan detegentur.

Alia diuiſio rurſus elegans. Secretorum quædam in contemplatione ſola conſiſtunt, ac ſola ſcientia delectant, vt quæ de Deo & ſubſtantia cœlorum abditæ, aliquibus tamen comperta ſunt. Quædam in contemplatione poſita ſunt, ſed quæ ad opus deduci vtile poſſunt: vt magnetis, lapidum & plantarum vires. Quædam verò in ipſo opere tantum conſtituta ſunt: vt ſcientia ſeparationis metallorum, diſtillationum, conficiendi colores, atque huiuſmodi.

Sunt & ſecreta magna, mediocria, & leuia: magna de nobilibus rebus, aut magnæ vtilitatis, aut lucroſa: eadem ratione mediocria de mediocribus, aut cum mediocri vtilitate, aut lucro: & parua, eadem ratione. Secretum ergo ad curandum peſtem, magnum erit: ad curandam quartanam, mediocre: ad delendas ſcabrities, leue erit. Sunt etiam ſecreta quædam perfecta, quæ ſemper effectum conſequuntur: alia vt in pluribus, alia quæ rarò: vt quæ lapidem veſicæ comminuunt, propter multa impedimenta rarò quod pollicentur, præſtant. Sunt etiam quædam magni laboris atque ſumptus, alia mediocris, alia verò propè nullius: ac prima quidem tametſi vtilia, rarius in vſum veniunt cæteris, niſi omnino vtilitas maxima ſit: vt bellicarum machinarum, & imprimendi libros. Alia etiam ſunt de rebus quæ paſſim inueniuntur, alia de rebus raris: quamobrem difficilè inueniuntur, & inuenta facilè abeunt in conſuetudinem: cum propter facilius inueniantur, & inuenta diutiùs ſeruentur.

Sunt & ſecreta circa actiones, alia circa ea quæ fiunt, alia ad præſtigias: imò ipſa præſtigiatrix ars tota ſecreta eſſe videtur, & admirabilis. Circa ea quæ fiunt, vt cementum, & ſtrues æterna: circa actiones, vt pennis digitis inunctis pulſare: atque ea quæ ad robur & agilitatem pertinent. Sunt rurſus ſecreta quædam quæ cauſam nullam habent manifeſtam: alia, quorum principia ſunt non per ſe manifeſta: alia, à principiis adeò remota, vt ſine maxima negociatione ſciri non poſſint.

CAPVT III.

De ſecretorum natura.

VTrum verò, quod ſecretum eſt, verti poſſit in vulgatam rem, cauſa inuenta: & an cauſæ, cognitione oblita atque amiſſa, vulgata in ſecreti naturam tranſire poſſint, conſiderandum. Aſſumo autem vltimam diuiſionem ſecretorum, atque illud: quod iam ſuppoſuimus ſecreta ſcilicet quædam nota eſſe, alia prorſus adhuc incognita: nec hanc differentiam ſecretorum naturam variare. Quia ergo ſecreta, quorum cauſa ignota eſt, ſi ſciri deſinant, non facilè reſtitui poſſunt: & maximè cùm de rebus inuentu difficilioribus fuerint: palàm eſt, illa nomine ſecreta eſſe, cùm ſciri deſierint: cùm ſciuntur autem, verè ita dici debere. Quorum verò cauſæ ac principia non facilè primis cogitationibus occurrunt, vt quæ ab Archimede & ab Apollonio Pergeo tradita ſunt (innituntur enim principiis non per ſe notis) ea naturam ſuam retinent, nec inuenta nec oblita naturam mutant. Sed quæ procul abſunt à principiis per ſe notis, vt quæ ab Euclide vltimis in libris demonſtratur, & à nobis in primis quinque, cùm verè ſecreta non ſint, deſinere non poſſunt, tametſi ab homine nullo cognoſcantur. Sunt enim in cauſis ſuis & hominum labore repoſita. Dicuntur autem ſecreta ob inuentionis difficultatem, & quoniam inuenta quandam retinent pulchritudinem, vel euidentem vtilitatem. Et quamuis hæc propriè ſecreta non ſint, ſic tamen appellantur: quoniam de his etiam hîc tractatio à nobis eſt inſtituta. Circa vſum verò, cùm quæ à paucis cognoſcuntur, diuulgantur) velut machinarum bellicarum ignearum vſus, & typographica) non tamen deſinunt eſſe ſecreta: ſed ſecreti vſum, quod ad compendium lucri attinet, amittunt. Sed etiam neque illud prorſus, cùm (vt dictum eſt) non planè nota cauſa, aut omnino ignota, neceſſe ſit multa latêre: quæ ſi in vſum venirent, lucrum non leue afferrent inuentoribus. Quod etiam indies accidit & in his dictis, & in ὑαλουργείᾳ & μεταλλικοῖς, atque aliis pluribus. In vniuerſum ergo non videtur mutatio naturæ hæc, niſi cùm quæ nota erant, difficili quadam inuentione aut ratione ad facilem tranſeunt: tunc enim ſecreta eſſe deſinunt. Et in artificioſis vel chryſocollæ faciendæ è terra ars ſecretum eſt, ſi ad quantitatem referatur: ſi ſimpliciter, cùm cuique leui negocio pateat, ſecretum non eſt.

CAPVT IV.

De modis ſecretorum.

SEcreta quidem alia, vt dixi, in cognitione conſiſtunt: alia in cognitione quæ vſui vtilis eſt, atque hæc indiuiſa: Alia autem circa ea quæ fieri poſſunt, vel in operibus, vel actionibus aut repræſentationibus: horum trium, & maximè quæ circa opera verſantur, quæ etiam magis lucroſa ſunt: quædam ex genere ipſo Secreta appellantur: vt quæ circa Alchymicam, & Magiam, & colores. Scripſit autem de duobus primis Auicenna: an verò extet chymica, incertum eſt. Necromantiam vidit Sueſſanus: an etiam alia ſit à Magia, in propria tractatione, ſed non à nobis definietur. In omnibus autem his, tum etiam rebus quæ ſecretæ non ſunt, contingunt ſecretæ artes atque inuentiones quadruplici modo: multitudine, perfectione ſeu decore, facilitate, breuitate temporis. Facilitas triplex: in paucorum aſſumptione, in paruo ſumptu, & in operatione

tione ipsa. Huius verò rei causa vnum subiiciatur exemplum.

CAPVT V.

De exemplo Herculei lapidis.


ASsumamus notissimum & multiplex exemplum, in lapide Herculeo, quo nil vulgatius, adeò vt etiam vili precio distrahi soleat: quanquam optimus etiam non adeò sit frequens. Optimus est, qui trahit ferri partem sextam, ponderis habita ratione. Hic ergo primùm trahit ferrum. Illito autem ferro, idipsum ferrum trahit, atque hæc duo tantum nota fuêre Antiquis. Nisi velis id pro tertio constituere quod appensum ferrum rursus aliud trahit, atque illud aliud: nam & hoc nouêre quidam, tametsi non omnes ex Antiquis. Quartum id proponatur, quod tam primùm Antiquis ignotum fuit (appello antiquos non solùm Aristotelem & Galenum, sed etiam vsque ad Auicennæ, sed Hasen verius & Auerrois tempora) quòd ferrum, si ferrum trahere debet oportet vt ad eandem partem lapidis trahatur, dum affricatur: aliter, si in contrarium, irrita fit prior vis, vt nec trahat, nec dirigat. Dirigit enim hic lapis ferrum ad Boream, inflectens apicem quinque, vel (vt Fracastoreus, qui diligenter rem hanc considerauit) partibus nouem, ad dextram, scilicet ad Orientem. Hoc palàm est haud nouisse Antiquos, quòd classes non ita infaustè reges ob imperitiam huius amisissent. Hoc inter æstuantia maria, inter ventos & turbines sæuientibus tempestatibus concussâ naui, seruatur illibatum: mirum certè liberalis naturæ donum. Quin etiam, quod sexto loco additur, delata vltra æquinoctij circulum nihilo secius ad eundem boream, non ad Antarcticum polum vertitur. Frustula quoque magnetis trahuntur à magno fieri frusto: & eo magis, si inuicem fuerint affricata. Octauum est, quòd is lapis altera parte ferrum ad boream impellit, altera ad Austrum: non ergo semper ad boream, vt vulgus putat. Sunt autem partes illæ lapidis oppositæ, sed non ad vnguem semper. Nonum, lapis qua parte ad boream dirigit ferrum, ab eadem parte contactum vehementius celerrimè trahit ad se: ferrum autem contactum à parte quæ ad Austrum dirigit, à se manifestè repellit, & cum impetu: ferrum autem intactum mediocriter trahit ad se. Sic pars quæ ad Austrum dirigit, trahit ferrum vehementer: quòd eam partem tetigit, repellit: quòd tetigit oppositam mediocriter, purum ad se trahit. Decimum, lapidi ad boreæ partem dirigenti, si ferrum vtraque cuspide contactum à lapide ad Austrum dirigente approximetur, pellit illud. Et ob id quibusdam visus est lapis hic abigere ferrum: sed opposita pars ferrum tactum similiter à contraria parte abigit, à simili seu eadem trahit. Vndecimum, magnes, magnetis frustula contacta ferro, aut si ipse ferro contactus sit, & ferrum trahit, & abigit, iuxta principia iam proposita. Ex hoc sequitur duodecimum, quòd magnes ab vna parte trahit ferrum, & repellit magnetem: ab alia trahit magnetem, & repellit ferrum, & quandoque trahit vtrunque. Tertium decimum est, quòd aliquis lapis ex his trahit argentum, & ferrum quod vt huius trahit argẽtum est perfectissimum. Quartumdecimum est, quòd argentum aliquando argentum trahit, licet sit hoc rarum, tamen eandem habet causam. Quintumdecimum est, quòd magnes aliquis repellit ferrum, dum trahit partem oppositam, licet remotiorem: quia illam iam tetigit, & ab ea imbutum est ferrum. Sextumdecimum non est adeò firmum apud me, licet Fracastoreus referat: scilicet quod vltra æquinoctij circulum magnes dirigit ferrum ad læuam & ad occidentem, respectu poli borealis. Sed istud est necessarium, non quia vltra æquinoctij circulum, verùm potiùs quia Antichthones nostri vel Antipodes sunt. Sit igitur circulus a b c, cuius polus b, & oriens habitatio in, d, linea magnetis: ergo erit d c. si igitur circumuertat ad oppositum, vt perueniat ad alteram partem sub pedibus nostris, linea d c, perueniet ad d a. igitur erit à parte læua respectu poli, orientalior tamen & ipsa polo, sicut d c. Apparet



igitur, hominem illum nec prima elementa attigisse Mathematicarum, vt nesciam quantum illi tribuendum sit de Hemocentricis tranctandi, re supra humanum ingenium. Videtur enim mihi de ingeniis esse, vt de rebus naturalibus: in quibuscunque enim longa ætas cernitur, in iisdem cernimus senescentia, iuuenilia, adulta, parua, & nuper nascentia? qualia in Archimede, Apollonio, Aristotele, Galeno, Auerroë atque Auicenna.

Hîc videte hominem, qui ad summum mortalitatis fastigium, imò quasi supra ipsam peruenerit mortalitatem: nulla autem indicia vel mediocris, vel initij in eisdem artibus facit, vt credam ipsum in illis suis Hemocentricis mera narrasse somnia. Sed mittamus virum alioqui egregium, & in aliis minimè contemnendum: maximéque in Poësi, & naturalium rerum scientia. Miremur de Aristotele & Galeno, tótque Philosophis, & eorum ignauiam meritò accusemus, qui cùm magnetis tantam copiam haberent, adeò negligentes fuerint in experiendo, quòd tam facile experiri poterant, vt tot illius vires ignorauerint. Si etenim vel minimum (diligentiæ non dicam) temporis impendissent, vel casu sæpius experientibus necessarium erat, vt in cognitionem singularum virium deuenirent. Sed Aristotelem excusemus meritò, ob doctrinam

nam de animalibus nobis traditam: Galenum ob peritiam medicinæ, & imperitiam Philosophiæ. At Alexandrum, Themistium, Simplicium, Ammonium, Ioan. Grammaticum, Olympiodorum, Auerroëm quis excusabit? inutilia carnis frustra: quibus nihil cordi fuit, præter nugas & contentiones. Theophrastus certe laude dignus habendus est: quoniam cum studiis laborem iunxit: hi verò videntur fuisse deceptores humani generis, tum ob summam ignauiam in quærendo naturæ arcana, imò vel etiam tria: tum quia cum diuersa senserint atque pugnantia de iisdem, veritas autem vna tantum esse possit, quantam perniciem attulêre mortalibus? Gratias ergo agamus Hippocrati, Aristoteli, Theophrasto, Alberto, Dioscoridi, Auicennæ, Galeno & Plinio, atque huiusmodi viris, qui naturam excoluerunt quantum in illis fuit, aut artium saltem præcepta nobis tradidêre: demum his, qui simplici sermone bonos autores explicarunt. At his qui per contentiones ambitionémque ignauiæ parem magna sibi nomina vendicarunt, quorum lectio nos à diuina contemplatione naturæ operum & Mathematicarum & diuinarum vitarum & artium notitia auertit, ac simul falsis opinionibus implet, tantum abest vt aliquid debeamus, vt etiam odio maximo, vt venefici inter medicos, falsi artifices inter veros, digni sint. Neque enim vlli credas mortalium, qui solùm generalia norit, cùm ad singula deuenitur, socordia illius deprehenditur. Maximum autem indicium diligentiæ, iudicij, & amoris veritatis est, peritia intima mathematicarum: quarum cognitio facilis est, scientia certissima, contemplatio iucundissima. Vt ergo qui eas non nouit, aut attingere non potuit, vt ingenio carere illum necesse sit, vel neglexit, quid ergo aliud ex colere poterit, aut volet? aut vtilem scientiam non existimauit: itaque iudicio careat oportet. Ergo quomodo Secreta discere liceat, aut inuenire, doceamus: Et qui nam maximè ad hoc apti sint.



CAPVT VI.

De modis secreta inueniendi.

PRimus quidem modus ratione constat efficaci: atque ideò hæc inuentio eruditis maximè atque exercitatis conuenit. Conuenit autem non solùm exercitatum esse in scientiis manifestis, sed in his quæ obscuris quibusdam ac profundis rationibus inuenta sunt: ob id plurimùm confert, iam inuentorum rationes ad amussim perpendere, vt in secundo libro diximus, qui Dialectica inscribitur: Inuentis enim principiis quibusdam in singulis disciplinis, quæ non statim occurrunt, oportet ea in compendium redigere, constituereque qualem antea diximus dialecticam propriam illi ac consimili disciplinæ. Oportet autem cauere diligenter, ne in illis aberremus: minimus enim error, vt Aristoteles ait, in principio, maximus fit in fine. Est ergo exercitatio in inuentis & scientia & cognitione causarum, & vsu ipso perquàm vtilis ac necessaria. Neque enim chymista fies vnquam, si furnos, vasa, metalláque non tractaueris. Habet vnaquæque sapientia quendam vsum necessarium: magis autem, cum ad exercitationem deuenire licet: multo magis, si exercitatio ipsa ad vnunquodque deuenit, vt Medicina & Musica: at etiam longè magis necessaria est, si mechanica sit, vt fabri atque cerdonis: omnium autem maximè, quæ circa secretas artes versantur: vt chymica, magia: nam in huiusmodi vel minima negligentia euertit omnia: quoniam tota ars in subtilissimis rationibus reposita est: at hæc minima quis custodire poterit, qui non exercitatus etiam diu in eo negotio fuerit? quandoquidem subtilitas hæc solius vsusfructus sit.

Secundus modus habetur ex similium inuentione, & deductione ad similia: quemadmodum in magnete diximus. Tria enim cùm sint tantum principia, scilicet herculeum lapidem velut masculum ferrum appetere, ferrum, ad libramentum lapide imbutum poli dextram partem quæ Orientalis est respicere, oppositámque lapidis partem oppositum: oriuntur sexdecim illa secreta, atque etiam vsus pyxidis nauticæ & horologiorum multaque alia excogitare licet: velut etiam in Mathematicis, primo ex vno sensim & ordinatim plura: idemque in artibus ipsis, velut fabrili, fit malleus è malleo, incus ex vtroque: forceps, pòst stylus: inde lima, & vitis ferrea: pòst gladius, sera, clauis, rastrum, bidens, sarculus, tótque alia: & quæ pòst fiunt, emendant prima, ac corrigunt, & in melius mutant. Tertius est, vt docearis ab aliis: ideò multa habentur à parentibus, quædam ab amicis, quædam inueniuntur discuntúrque peragrando terras: ideo studiosi secretorum quærendorum nil maius habent peregrinatione. Sic Hippocrates, Galenus, Dioscorides, Plato, Iamblicus. Quibusdam locupletior fortuna hos labores & hæc pericula deuitauit, vt per alios facere possent, quod ipsi facere cogerentur: vt Aristoteles & Ptolemæus, ob diuitias. Sed tamen eundo etiam plura qui mittendo discuntur. Porrò multis modis secreta in aliis regionibus discuntur. Primum, quod quæ publica ibi sunt, aliis in regionibus sunt secreta, ob exercitationis non adeò perfectæ defectum: vnaquæque enim regio quasdam artes magis excolit: vt etiam inter Italiæ vrbes videre licet. Arma Mediolani optima fiunt, panni Venetiis, clypei Mutinæ, lintea tenuia Bononiæ: sic apud Turcas tapeta, apud Persas chalybs, apud Belgas speciosæ & parui sumptus picturæ. Secundum, quòd multa sunt propria diuersis in regionibus, quorum inopia est apud alias. Et rursus earundem specie rerum tanta differentia, vt in eadem regione differentia specie videas similiora: vt Creticum & Italicum origanum. Tertium est, ratio morum, legum naturæque hominum: quamobrem multa discere volenti, nihil opportunius peragrationis prouinciarum. At quot huic obstent, non arduum est intelligere: velut pericula viarum, pecuniarum defectus etiam in opulentis, cum deferre non tutum sit, non deferenti multa & maxima

maxima impedimenta adſunt:mutatio aëris, victus, pecuniæ varietas,vt nonnunquã velut alter Midas,in ſonis opibus fame premaris: præterea tria illa maxima, ſuſpicio principum, diuerſitas religionum, atque linguarum.Ob id ſapienter(quod & alias diximus) Moſes,non alio ſupplicio dixit Deum vltum eſſet immania audentes, quàm immiſſa linguarum varietate. Vidi tamen,vt etiam dixi in Phyſicis,hominem pauperrimum, qui ex Græcia Turcarúmque regionibus,quatuor & quadraginta ſecreta attulerat, quæ publicabat:forſan & alia multo plura habuit.Quartus modus contingit ex reuelatione,maximè per ſomnia. Quidam etiam diuino afflantur numine:quo fit, vt quæ tradita ſunt de Necromantia, aut fabuloſa omnino ſint, aut à dæmonibus docta & oſtenſa:neque enim experientia in inane vel caſu ignoſci potuerunt. Proferrem autem liberè, omnes nugas eſſe,niſi Haſen & Conciliatoris,autoritates, non dubia illorum, tum patris mei, ancipitem me redderent.Sed hanc partem, & venenorum, intactam relinquam, quas etiam nunquam quærere volui:alteram,vt ineptam & cui non fiderem:alteram homine, nedum probo viro indignam: maleficos enim & iniuſtos proteret Deus: contra bonos quid deterius excogitari poteſt: quàm talia parare? At verò alia multa à diis oſtenſa & hiſtoriæ produnt, & clari autores commemorant.

Quintus modus,à fortuna & caſu pendet: ſæpe enim alia quærentibus, huiuſmodi ſe offerunt.Colores enim & ὑαλχρίον,& machinarum ignearum ratio, caſu inuentæ ſunt, dum chymica & metallica metamorphoſis quæritur. Sed neque ſimpliciter hanc rationem inire oportet: vniuerſam enim vitam antea conſumere liceret. Sed tria maximè obſeruare oportet, & quartum ſic occurrat, optimum erit Dicam autem primùm omnia ſimul, inde ſingula ſeorſum explicabo. Obſeruare igitur decet, vt plurima non valde differenti ratione, ſed quaſi ſub eadem maximè diſtantia experiaris.Velut,mihi in animo eſt hoc anno animalia multa herbáſque in fimo equino putrefacere, in vitreis vaſis: videréque ſub vna ratione & tot diuerſis materiis, ſi quid egregium exoriatur. Scio enim ſponte ex ſingulis plantis à Sole ſingula procreari animalia:iidem ergo de fimo exiſtimandum erit.

Secundum eſt, vt ſciamus quæ poſſunt proficere,& videntur eſſe ſex: Generatio,vt in terra fouendo:præparatio, vt in inſitione: putrefactio,vt in fimo:ſeparatio,vt per ignẽ: purgatio, vt per aues quæ deuorant:& opus manuum, quo expoliuntur, aptantur, iunguntur que res,

Tertium eſt, vt ſcias cui vſui:ad medelam corporis,animi, ad ſpeciem & ornatum: ad compendium, vt machinæ quibus immenſa pondera deducuntur: & ad raritatem Quod verò præſcire, ſi contingat, optimum eſt in huiuſmodi negocio, eſt dignotio finis poſſibilis. Velut enim iter agentibus nihil tam vtile eſſe poteſt, quàm ſcire quò dirigatur iter: ita nihil tàm vtile quærentibus talia, quàm ſcire ea quæ inueniri poſſunt. Si theſauros ſcias in domo latêre, omnino eos inuenies. Si ſcias poſſe ſpectra fingi, ſpectra finges tandem. Nihil tantum iuuat quærentem, quàm ſecuritas poſſe finem adipiſci:incerto vagatur quiſque, qui neſcit an quod quærit,poſſit inueniri. Ita ſpes alit homines, ſuſtentata inopiam, dulces efficit labores, iucundos errores:deſperatio obruit & vertit omnia.

CAPVT VII.

De Materia omnium ſecretorum.

IN his omnibus à notioribus & partibus eſt inchoandum:faciliora enim præcedere debent. Porrò materiæ notiores ſunt actionum generibus. Secundum hoc ergo, prima huius artis Deus eſt, & vitæ:ab his nihil præterquam ſupplicationibus impetrare licet. Inde cœlum:hoc ergo ad magiam & naturalia opera,vt ſationem, vti licet. Pòſt eſt lux, luménque: his vti poſſumus ad præſtigias, naturaliáque opera.Pòſt eſt aër, quoad machinas vti licet: quoniam aliter ſenſibus non ſubiicitur. Quintum genus ſumitur ab aqua,ad machinas,ad irrigationem,ad deductiones: eſt autem materiæ quintum genus. Sextum eſt à terra, circa generationem. Septimum ab igne,coctio,ſeparatio, exuſtio,& quæcunque alia. Octauum,à metallicis. Nonum,à metallis. Decimum, à lapidibus. Vndecimum, à plantis. Duodecimum, ab inſectis. Tertiumdecimum, ab animalibus aliis. Quartumdecimum,à medicamentis & venenis. Quintumdecimum,ab hominis partibus corporeis. Sextumdecimum, à cogitatione. Decimumſeptimum,à machinis. Decimumoctauum, ab artibus. Decimumnonum, à ſomno & vigilia. Vigeſimum, ab his quæ ſunt extra nos, quaſi è nobis ſint.

CAPVT VIII.

De finibus & modis operationum.

FInes autem multiplices: generaliter ad ſapientiam,ad vtilitatem,& lucrum.Vnde ſecretorum etiam genus verum,& ad decipiendum:huiuſmodi nunquam aliàs tanta copia:inde lances ponderáque falſa, & duplicia,ſcilicet leuiora & grauiora:& ſuppoſitæ perſonæ, multáque huiuſmodi. At de his probi viri non eſt tractare,etiamſi nulla alia lucri ſpes eſſet: nunc in tanta copia ſecretorum vtilium & laude dignorum, nefas eſſet de huiuſmodi falſis ſecretis atque decipiendi modis ſermonem habere.

Sed redeo ad veras inuentiones,inter quas etiam præſtigiæ numerari debent: neque enim ad decipiendum excogitatæ ſunt: ſed vt intelligeremus, mentem hominis ſenſibus eſſe ſuperiorem fallique perſæpe illos. Igitur finium genera ſunt octo: viuere diu, bene valere corpore,atque mente potentem eſſe,diuitem,ornatum,cum voluptate, & filiis.Omnia ergo ſecreta ad vnum horum generum deduci ac tendere debent. Modi autem tres:aut melius quid facere, ſeu nouum (id enim melius eſt) aut faciliùs, aut ſenſus perſtringere.Cùm ergo tria in octo, & productum in viginti duxerimus, fient ducentæ octuaginta ſecretorum differentiæ: at quoniam quædam in vnum conueniunt,alia diuidantur,

uidantur, placet libros necessarios huic arti enumerare.

CAPVT IX.

In quo enumerantur omnes libri Secretorum.

PRimus igitur liber, qui & solus edetur à me de Secretis, est hic præsens, in quo de totius artis principiis tractatur: vt reliqui omnes possint hac ratione à diuersis confici.

Secundus autem, est de specialibus modis huiusmodi libros conficiendi: & ita de propria cuiusque disciplinæ logica: confectus est hic à me, & vocatur Dialectica. Extat.

Tertius liber, est de cognitione Dei, & vocatur Hymnus: cuius pars à me conscripta est, docétque secreta illa superiorum: nec edetur forsan, ne prophanentur diuina. Extat.

Quartus liber esset de Precationibus & supplicationibus, quem non scripsi, propter multa: bono enim viro non expedit: mali non sunt docendi, sed vt veniam quærãt.

Quintus, est de cœlo: cuius portionem seligere licet ex libris de Subtilitate & Rerum varietate. Eum tamen non scripsi: sed alium quendam loco huius, & omnium sequentium velut farraginem: qui extat, nec edetur.

Sextus, est de luce & lumine: de his autem, in libris eiusdem, scilicet nuper dictis, sermonem habui: sed nullo peculiari libro tractationem hanc tradidi. Verùm multa illis secretiora latent, & magis vtilia humanæ vitæ.

Septimus liber, est de natura aëris: continet autem infinita, vt ita dicam, secreta: quorum vix duo aut tria ego tradidi. Ignota enim fuit illius natura, tum miracula, ad hanc diem vsque, quę sunt omni admiratione maiora.

Octauus, est de viribus aëris: continétque instrumenta supra quinquaginta, quæ aëris vi agitantur atque mouentur.

Nonus, est de imaginibus ex aëre: cuius nondum principia inuenta sunt: & est Facticiarum præstigiarum.

Decimus, est de Natura aquæ, Septimo proportione respondens.

Vndecimus octauo, & est breuis: quoniam ad machinas, cùm comparantur, multa habent similia: attamen continet.

Duodecimus nono: & est materia pulcherrima, de imaginibus in aqua.

Tertiusdecimus, est de ratione machinarum pondera trahentium, impellentiumque.

Quartusdecimus, de æquilibriis.

Quintusdecimus, de natura terræ, montium, arenæ, terræ fertilis, salsæ, & huiusmodi.

Sextusdecimus, de natura & viribus ac substantia ignis, & materia illius.

Decimusseptimus, de machinis igneis miraculis.

Decimusoctauus, de his quæ in sublimi.

Decimusnonus, de loco, inani, tempore, indiuiduo, materia prima, forma, motu & corporum repugnantia. Cuius pars in Primo libro De subtilitate à nobis tractata est: vt reliquorum omnium, in reliquis libris eius Operis, tum de Varietate rerum.

Vigesimus, de Inuisis: seu per Dæmonas, seu alio modo fiant.

Vigesimusprimus, de coloribus.

Vigesimussecundus, de ratione videndi, seu optica.

Vigesimustertius, de præstigiis.

Vigesimusquartus, de admirandis operibus: velut qui capillis eleuabat lapidem immensi ponderis: alius frangebat funes manibus: alius trabem ex humero in humerum alium transferebat, sine manuum auxilio, inde mẽto superponebat: alius gladio præacuto incumbebat, alius ensem acuta acie per vultum totum deducebat. Ascanius Neapolitanus, tria oua in nauicula prçlonga, arctáque, vt cauo baculo circumducens, motibus diuersis simul eos agebat etiam tertio quiescente: vnum quoque ruere conuersis capitibus præcipitem coegit. Idem, cum ocreis, sexaginta ouis in certa distantia collocatis, nouem saltibus circumuolutus super ea, nullum frangebat. Alius paleas super ventrem scindebat gladio. Quidam lauant manus plumbo liquefacto, & lardum ardens distillant super manus nulla noxa.

Vigesimusquintus, de Oris præstigiis, atque aliis huiusmodi.

Vigesimussextus, de nodis. Extat.

Vigesimusseptimus, de soni arcanis. Extat.

Vigesimusoctauus, de odorum secretis.

Vigesimusnonus, de Saporibus.

Trigesimus, de Tactus miraculis.

Trigesimusprimus, de Mistione ac mistis.

Trigesimussecundus, de lapidum viribus: nam in hoc agitur de magnete. Extat.

Trigesimustertius, de herbarum natura & viribus.

Trigesimusquartus, de arborum viribus ac natura.

Trigesimusquintus, de piscibus fluminum & stagnorum ac lacuum.

Trigesimussextus, de piscibus marinis.

Trigesimusseptimus, de quisquiliis ac reiectamentis.

Trigesimusoctauus, de auibus.

Trigesimusnonus, de animalibus quæ ex putri matera generantur.

Quadragesimus, de quadrupedibus quæ ex ouis generantur.

Quadragesimusprimu:, de serpentibus.

Quadragesimussecundus, de animalibus quadrupedibus.

Quadragesimustertius, de somno & vigilia.

Quadragesimusquartus, de cogitatione & vi imaginandi, tum memoria.

Quadragesimusquintus, de præsagiis ex his, Ectasi etiam, & habitu in corpore. Extat, & est pars libri Secretorum qui Quartus inscribitur.

Quadragesimussextus, de medicamentis ac potionibus. Extat.

Quadragesimusseptimus, de emplastris, vnctionibus, & his quæ exterius applicantur. Extat.

Quadragesimusoctauus, de destillationibus.

Quadragesimusnonus, de Chymica.

Quinquagesimus, de arte vitri, & similibus.

Quinquagesimusprimus, de metallis, ac viribus eorum.

Quinquagesimussecundus, & est prolixus valde,

de, de Metallorum ſeparatione, perfectione, ornatu ſeu politura, compoſitione, & deductione ad opera.
Quinquageſimuſtertius, de metallorum tranſmutationibus in lapides, terram, olea, nouiſque miſtis.
Quinquageſimuſquartus, de Geometricis ſecretis. Extat.
Quinquageſimuſquintus, de ſecretis Arithmeticis. Extat.
Quinquageſimuſſextus, de ſecretis Aſtrologicis. Extat, ſed imperfectus.
Quinquageſimuſſeptimus de ſecretis perſuadendi, & Rhetoricis.
Quinquageſimuſoctauus, de ſecretis mutandi mores & mentem alicuius. Extat imperfectus.
Quinquageſimuſnonus, de ſecretis ſoluendi faſcinationes.
Sexageſimus, de ſecretis venereorum.
Sexageſimuſprimus, de ſecretis generationis.
Sexageſimuſſecundus, de ſecretis memoriæ, & ſimilibus.
Sexageſimuſtertius, de armorum ſecretis.
Sexageſimuſquartus, de ſecretis ad ornatum & fucos pertinentibus, vbi de conſtrina agitur.
Sexageſimuſquintus, de ſecretis ad vitæ diuturnitatem.
Sexageſimuſſextus, de ſecretis ad incolumitatem.
Sexageſimuſſeptimus, de ſecretis ad prudentiam.
Sexageſimuſoctauus, de ſecretis ad diuinationem ex Phyſiognomia, Metopoſcopia, Chiromantia, naturalibus coniecturis.
Sexageſimuſnonus, de ſecretis dignoſcendi mores hominum.
Septuageſimus, de ſecretis cuſtodiæ familiæ.
Septuageſimuſprimus, de ſecretis compendij rei familiaris. Extat pars.
Septuageſimuſſecundus, de ſecretis conſeruandi res.
Septuageſimuſtertius, de deliciis.
Septuageſimuſquartus, de arte quam Notoriam vocant, & aſcenſu ad ſuperiorem naturam, atque illius coniunctionem.
Septuageſimuſquintus, de ſecretis educandi filios. Extat.
Septuageſimuſſextus, de ſecretis inuentionis theſaurum, & abſconditorum.
Septuageſimuſſeptimus, de ſecretis Architecturæ.
Septuageſimuſoctauus, de ſecretis artis nauigandi.
Septuageſimuſnonus, de ſecretis artis militaris, vbi etiam iter agentium.
Octuageſimus, de ſecretis artis textoriæ.
Octuageſimuſprimus, de ſecretis artis fabrilis
Octuageſimuſſecundus, ſe ſecretis artis ſtatuariæ & picturæ.
Octuageſimuſtertius, de ſecretis artis plaſtices.
Octuageſimuſquartus, de ſecretis artis figulinæ.
Octuageſimuſquintus, de ſecretis artis ſutoriæ.
Octuageſimuſſextus de ſecretis artis veterinariæ.
Octuageſimuſſeptimus, de ſecretis artis venatoriæ, aucupij, & piſcandi.
Octuageſimuſoctauus, de ſecretis artis lignariæ, & tornandi:
Octuageſimuſnonus, de ſecretis ludendi. Extat pars.
Nonageſimus, de cognitione terrarum, & quid contineant: & eſt magni lucri.
Nonageſimuſprimus, de Fato, & finibus mortalium omnium rerum. Extat.
Nonageſimuſſecundus de ſecretis ciuilis conuerſationis.
Nonageſimuſtertius, de ſecretis aulicæ vitæ.
Nonageſimuſquartus, de ſecretis aduerſus publicas calamitates.
Nonageſimuſquintus, de ſecretis ad commoda vitæ.
Nonageſimuſſextus, de ſecretis agriculturæ propriis; & admirandis.
Nonageſimuſſeptimus, de ſecretis præparandi lanam, goſſipium, linum, ſericum, piloſq;
Nonageſimuſoctauus, eſt de ſecretis variis & incerti generis.
Nonageſimuſnonus, de ſecretis impoſſibilium, quomodo initium habeant: & aliquando videantur, ſed inchoata tantum.
Centeſimus, De Secretis quorum genera adhuc ignota ſunt.

Plures quoque longè libros his conſtruere in hac materia liceret. Sed his pro exemplo contenti fuimus. Manifeſtum eſt autem multa ex his à nobis tractata eſſe: ſed non generaliter, nec perfectè: quæ autem latent, multo vtiliora ſunt, & ſine numero: quorum ſingula ſufficienter hominem quidem alere poſſunt: plura verò ex his etiam ditare egregiè. Dicemus autem de his ſuo loco.

CAPVT X.

De comparatione ſecretorum in facilitate, & nobilitate, & vtilitate.

Diuitibus nobilia, pauperibus vtilia, occupatis & impotentibus facilia magis conueniunt: neque enim (vt multi faciunt) diuiſiones diuiſionibus conuenire neceſſariò debent: vt ſi in finibus actionum ſit vtile honeſtum & iucundum, vtile verò vtili conueniat, neceſſe vt honeſtum nobili & iucundum facili congruat: nam & nobilia ſecreta, vt honeſta quandoque ſunt, & non ſemper, vt venenorum præparatio, ita à iucunditate abſunt. Itaque his inutilib. comparationibus relictis, de facilibus, nobilibus atque vtilibus agamus. Sed & hoc vtile multis modis dicitur, vel quod ad valetudinem, vel ad opes, vel ad potentiam confert. Nobile autem & facile ſimpliciter quaſi dicuntur, & inuicem pugnant. Nobilia igitur ſecreta & à re & à fine deducuntur. Impetrare poſſe ſupplicationibus à Deo aliquid, etiamſi exiguum ſit quod impetratur, ſemper nobile eſt: vt etiam diuturnitati vitæ conſulere, quomodocunque id eueniat, & per qualecunq; fiat auxilũ. Manifeſtum eſt autem, quod vitarum omne genus & ſubſtantiarum ſeparatarum nobiliſſimum eſt: quoniam ab ipſo primo ente primò profluunt. Corpora verò viliſſima, in medio ſunt ſeparata, quæ ad corpus referuntur, vt mens, anima, ſẽſus: viliora corporibus ſunt acciden

accidentia, & magis corporea, & quæ minus manent: vt sonus luce. Facilia, quæ in rebus quarum copia maxima inuenitur breui negociatione, & quæ non exactam mensuram requirunt. Vtilia, quæ ad multos vsus, aut maximè necessarios, ob id vitam & sapientiam. Hæc enim maximè necessaria, vel ad lucrum: hoc enim omnes vsus continere videtur: quandoquidem munus omnia sit in potentia. Quædam verò nobilia sunt, non vtilia: vt scientia de natura cœlorum: quædam vtilia, non nobilia: vt ex fimo equino lucrari multũ quædã vtilia, & nobilia: vt magia, quæ vincere bellum docet. Seruatis libris in arca ænea, quamuis essent etiam publicati, ob metum sacerdotum, quod malè sensisset de diis Aristoteles, nec falsus existimatione (perierunt enim qui publicati erant) hanc tantam famam de se peperit.

CAPVT XI.

Vera secreta in diis esse, proficiscique ex intima rerum cognitione, qua nos caremus.

PORrò vera cognitio secretorum ex causis rerum proficiscitur, eáque sola est in diis. Hi enim solum intima rerum intelligunt: nos autem exteriora tantum, & procul etiam ob id naturalia secreta pauca nouimus ex innumerabilibus: atque illa pauca, ex Mechanica potiùs, atque experimento, quàm contemplatione atque scientia. In quibusdam autem, velut Mathematicis: quoniam ibi per causam scimus, etiam secreta plura nouimus. Et si plura haberemus principia, multo plura etiam sciremus. Mathematicæ enim magis cognitæ sunt hominibus, quàm naturales: quæcunque igitur ad Mathematicam rationem perduci possunt, notiora sunt nobis: velut machinarum ratio, & vasorum, per quæ aër & aqua diffluunt: in eiusmodi enim homines ad magnam cognitionem deuenerunt, plurimáque secreta inuenêre. Claruit autem, præter reliquos, in his Hero, post Archimedem. Omnia autem huiusmodi ex ratione Mathematica, pendent, naturalibus principiis iuncta. At in naturalibus puris pauca, ob causas enarratas, secreta patuerunt: & quæ innotuerunt, casu & vsu inuenta sunt: videtur autem conuersa via procedendi in naturalibus puris, ex experimento ad rationes progredientibus in machinis, ex ratione ad experimentum. Ignorantur autem pleraque in Mathematicis, ob paucitatem cognitorum principiorum. Duobus enim aut tribus inuentis principiis, vna tota ars constituitur: quod fecisse videmus pluries Archimedem. Quæ igitur in naturalibus inuenta sunt, quasi vulgata & minus nobilia sunt: quoniam casu quodam & experientia inuenta sunt: videtur autem nostra natura ob id parum Diis chara, quòd nihil huiusmodi à Diis cognitum accepimus. An forsan non expedit: quoniam parum curantur. Sed hæc alterius considerationis sunt.

CAPVT XII.

Quòd homines ex huiusmodi notitia inter cæteros eminent.

OB id igitur homines, cùm ad huiusmodi notitiam perueniunt, inter reliquos adeò eminent, vt pro diis habeantur: cùm tamen minimum sit quod norunt, & confusum & imperfectum. Contrà dij multa & perfectè & purè norunt, & alio prorsus modo, atque nobiliore quàm nos. Illud tamen exiguum homines beat, & maximè si plurium & nobilium aut vtilium rerum scientiæ sit, vt etiam leges velint posse à principe peti, damnatum ad bestias ob singularem aliquam cognitionem. Sed leges quidem rectè forsan: qui legibus vtuntur, perperam impetrantur, etiam de solo capitali crimine, ad quod nemo huiusmodi qui sit, damnari possit. Sed principum clementia maior est: togatorum autem crudelitas ab ambitione proficiscitur. Omnes igitur qui huiusmodi cognitione præditi fuêre inclyti euaserunt: alij quidem maximas opes congregando, aliqui summos sunt consecuti honores: at alij vtrunque. Sed si homines tam rudi sapientia præditos admiramur, quid de diis, & quantum honoris exhibere debemus?

CAPVT XIII.

Quòd quæ in vno secreta sunt, in alio non erunt aliquando.

POrrò cùm, vt diximus, secreta pleraque scientia & vsu constent, & quòd raritatis causam secreta continere necesse sit: raritas autem non solùm in re vel affectu, sed etiam in magnitudine, pulchritudine, perfectione atque facilitate constat: liquet idem apud diuersos & Secretum esse, & non esse: vt etiam in his qui aleam pro arbitrio iaciunt, secretum est agilitas illa manuum, cùm tamen omnes aleam iaciant: atque in curatione exustæ partis, cùm cicatrix nulla apparet, secretum est: cura autem vulgaris. Igitur in cunctis rebus secreta inuenire licet: nam vulgata & communia sunt res & affectiones: etenim generare vermem ex saluia, electrum conficere, res est: affectio autem, fuluum reddere aurum, & splendens terebrare ferrum: at multum ferrum citò optimè terebrare, secreta res est, cognitio atque vsus.

CAPVT XIV.

Secreta si euulgentur, nobilitatem & decorem amittunt.

SI igitur secreta euulgentur, cùm communia fiunt, decorem & nobilitatem amittunt:

amittunt: nobiliora enim existimantur, quæ docent affectiones: nobilissima, quæ res. Porrò magnitudinem, perfectionem, pulchritudinem, facilitatem docere, minus est. Facilitas & multitudo vtiliora sunt perfectione & pulchritudine: hæc autem nobiliora. Licet ergo scientiam horum apud se retinere, vt preciosior habeatur, cuius nulla pars communis est. Quæ enim in vno solo sunt, perfectiora sunt: quoniam vnum melius est quàm multa, vt aliàs docuimus. Primùm igitur quærendæ sunt res, velut metalla, lapides: pòst, affectiones: at pòst hæc, si ad vtilitatem respicimus, multitudo & facilitas: quemadmodum qui chrysocollam: sin verò ad voluptatem & præstantiam, perfectio & pulchritudo. Est enim pulchritudo voluptatis, præstantia nobilitatis fundamentum.

Porrò res aliæ fiunt, aliæ corrumpuntur: & in hoc magnus est vsus: vt lapidem frangere in vesica, & nebulam ex oculo detrahere: quæ autem extra hominem, vrbis muros diruere. Oportet autem in difficilibus, quæ magnam habent vtilitatem, eligere: ne, vt in prouerbio, piscemur hamo aureo. Medici autem antiqui suas compositiones occultabant, vt pro secretis haberentur: pulcherrima etiam nomina addentes. At non occultando secretum fit: sed secretum occultari meretur.

Quærendum est igitur, occultata compositione, quæ vires aliquas egregias habeat, an pro secreto habenda sit, cùm similes alias habuerit, licet non eodem pondere. Dicimúsque, quòd non nisi magna sit exuperantia vnius aut duorum medicamentorum, in ea in comparatione ad alias: quæ si adsit, pro secreto haberi potest, suffragante opere. Cæterùm si discrimen non adsit magnum discrimen operationis ex electione simplicium medicamentorum contingit. Quare diligenter huiusmodi medicamenta paranda sunt: aliàs ne existimes, ex minimis magna oriri: sed magna solùm ex magnis fiunt & varietates magnæ magnis etiam ex discriminibus. Quędam verò addita scrupulosè, eorum medicorum improbitatem declarant: vt si theriacem ligno salicis agitandam doceant. Excusant, quòd opinio ægri plurimùm facit ad sanationem. Verùm illas addere siliquas, curiosi hominis est, & sophistæ potiùs quàm sapientis.

CAPVT XV.

Quomodo ex vniuersalibus ad propria in inquisitione deueniendum.

OPerarij porrò & imperiti ob id non solum superfluam hanc curiositatem contempsêre, sed etiam generales rationes putant secreta sola experientia & vsu constare, rationem superfluam esse obiiciuntque (quòd vecordia, vt dixi, priorum Philosophorum accidit) nullum horum superciliosorum ne vel oboli rem arcanam quidem vnquam inuenisse: quòd & verum est, & fatemur: sed causam eandem turpitudinis docuimus. Ostendere tamen oportet, horum ob accusationem generalia præcepta & esse, & vtilia esse: nam quemadmodum Galenus in libris primis quinque de simplicis medicamentis, quæ solũ experienta imperfectè nota erant, ad trutinam deducit, & generaliter & perfectè & cum ratione deduxit: ita etiam in obscuris facere vtile est.

At dicent hi: Vtile certè erit, si fieri possit: sed negamus fieri posse, vbi abditæ, non vt in secundis ac tertiis qualitatibus quæ ex primis pendent, causæ notæ fuerint. Nos verò causam in quibuscunque esse non dubitamus. Sciri etiam posse proximas, si non primas, haud dubium est: propter quod etiam de magnete exemplum inuentionis causarum docebimus.

Primùm ex vniuersalibus ad propria descendemus, erunt autem propria, tanquam prima quædam principia. Seligemus autem principia ex experimentis & rebus generalibus, sed non generalissimis. Velut in mathematicis non assumimus in coni, cylindri ac sphæræ comparatione principia illa: Omne totum maius est sua parte, & Quæ vni æquantur quantitati inuicem sunt æqualia: nam hæc iam Euclides assumpsit, & sunt generalissima omnibus quantitatibus. Sed neque propria conis sphæræ & cylindro tantum: hæc enim principia esse non possunt: quia omni quantitati non conueniunt essentque demonstranda: sed est quoddam medium, scilicet vt omnibus quantitatibus certam rationem seruantibus congruant: ea autem ratio conuenit conis atque sphæræ, & per illa etiam cylindris. Itaque ex generalibus omnis doctrina procedit, imò generalissimis: sed huiusmodi quædam sunt, quæ certam rationem exigunt: dicique possunt principia partium, seu propria illius disciplinæ. In naturalibus verò, cum rara quæramus, etiam raras quasdam materias assumere oportet: & vt in mathematicis circa partes quasdam tentamus inuenire demonstrationes, quòd hæc sint principia sciendi in illis: ita in Philosophis tentabimus inuenire experimenta: quomodo autem, nunc dicemus:

CAPVT XVI.

De translationibus, aliisque propriis modo secreta inueniendi.

ERgo à translationibus inchoandum est: velut à mentis affectibus ad humores, à lapide herculeo ad alios lapides, vt argentum aut æs trahant: & cur hoc, non illud: discrimen inter ipsum herculeum lapidem & succinum, quod omnia trahit: sympathia, antipathia: simile, dissimile: alimentum, exitium: Alimentum quidem trahere omnia, omnes intelligunt: cur, nulli (proh pudor) nam calida & sicca, & frigida & humida, & contraria & similia trahuntur: & tamen vna ratione, vnus finis: vna ergo forma, vnum agens, vna agendi ratio;

ratio: & est vt sit humidum, calidum, simile. Principia enim mortalium rerum hæc duo, calidum atque humidum, esse docuimus. Simile autem, non eiusdem speciei: nam cùm potentia idem sit, si simile sic esset, non mutaretur, aut si mutaretur, ex eodem in idem, & ita non mutaretur. Quatuor igitur cùm vnum esse necesse sit, vel vt nulla fiat mutatio, vel vt ex vno in aliud, numero tantum diuersum fiat: aut vt mutetur, idémque maneat: vel vt diuersum specie sit, tribus primis quæ esse non possunt sublatis, quartum solum superesse necesse est. Quæ igitur sic similia sunt, trahuntur: quæ exitio sunt, fugiunt, quòd sensus quidam in his insit conuenientis atque contrarij: ventriculus bouis herbam concoquit non carnem: lupi carnem, non herbam: vnumquodque igitur ob similitudinem, non mollitiem. Est hæc symphathia in rebus, & ad sonos vsque progreditur. Quæramus ergo, quis finis? Mutatio certè: nam ante eadem nobis sunt. Quærimus ergo mutationem. Hæc à similibus aut contrariis progreditur. Sed est simile istud, aut contrarium, persæpe ignotum. Qui lapidem habet in vesica, quærit sanè vt exteratur, non vt augeatur: id fit à contrariis, non à similibus: contraria sunt, quæ molliunt, quæ incidunt, & quæ proprietate quadam id agunt. Incidunt, autem acida, & amara, & acria, & motus: molliunt humida. Quæ autem frangunt proprietate quadam, alia quidem genere conueniunt, alia autem diffident: sed operatione similia sunt. Ratio nos ducit, experimentum autem docet. Similia sunt lapides, & mista terrea, quæ & metallica dicuntur: potestate autem, quæcunque ex ipsis lapidibus nascuntur: vt parietaria, petroselinum, iuncus marinus caprificus, scolopendra, saxifragia. Hæc igitur si calore animalis attenuentur, magis agunt: calidissimum animal est columbus. Destillata rursus diuidunt, & comminuunt: indicio est aqua ex alumine & sale nitro detracta, quæ argentum colliquat. Si addatur ærugo, adhuc acrior est: sed alia est ratio metallorum & humidorum, alia siccorum & lapidum, quos terrere oportet.

Conuenit igitur, vt lapides qui hoc possunt, qualis Iudaicus fœmina, & stercus columbi, depasti his quæ lapidem comminuere possunt, & vitrum, & oppositæ extremitates integumenti cochlearum, & radix herbáque parietaria in carbones redacta, & lapides astacorum fluuialium in aquam redigantur: nam si sic vt sunt exhibeantur, vix permeare poterunt, sed per aluum secernentur: quoniam ob antipathiam à iecore non trahentur: & si trahantur, non poterunt comminuere adeò, ob crassitiem: & periculum est ne lapidi agglutinentur, augeantque illum. Ea aqua limunij fructus succo mista, quòd is rex sit dissecantium, & saccharo ob symphatiam iecoris mista, & epota in balneo, vacua iam vesica, vel per catheterem immissa, hoc efficere poterit. Laudant in hoc scorpionum etiam cinerem, quem ob difficultatem habendi prætermiseram. Manifestum est igitur, cur omnia, & quomodo ad sympathiam & antipathiam, præter instrumenta, reducantur: & quomodo mutatio est quod quærimus: mutatio autem ad finem. Idem quoque alio exemplo, in his quæ sunt extra nos, declarabitur.

CAPVT XVII.

De exemplo inuentionis causarum in lapide herculeo.

QVæret forsitan aliquis iam in his quæ extra nos sunt, hoc exemplum. Diximus enim, secreta versari aut circa mutationem animi, aut corporis, aut vitæ producendæ rationem, & cætera quæ superiùs commemorauimus, quorum principia sunt: quatuor: sympathia & antipathia, instrumenta, commotio mentis, & manuum agilitas. Principia enim aut sunt res, vt Deus, cœlum, & mista: hæcque simile per sympathiam, & contrarium per antipathiam operantur aut artificia, & instrumenta: aut homo secundum animam, cuius operatio est cogitatio: aut per corpus, & est manuum agilitas, ex qua pendent præstigiæ. Mathematica autem in sola contemplatione versantur: vt in vniuersum sint principiorum quinque genera. Quòd si diuinum illud, quod magis à cæteris distat quàm omnia reliqua, inter se seorsum constituatur, imò primum (quandoquidem quomodo assistat precantibus incertum sit) erunt omnino sex principiorum genera. De sympathia igitur atque antipathia herculei lapidis dicamus, vniuersa recolligentes quæ superiùs à nobis dicta sunt. Supponamus ergo quòd lapis hic ferrum trahit: & quòd parte vna ad Boream illum, altera versus Austrum, à latere tamen, dirigit: tertium, quod simile simile trahit: contrarium autem abigit. Hoc autem axioma est generale: nec huic lapidi solùm, sed omnibus (vt dixi) naturalibus rebus conuenit. Quartum etiam naturale axioma est: Quæ trahunt, si trahere non possint, accedere ad ea quæ conueniunt. Quintum etiam generale est axioma: Quæ coniuncta sunt, trahi necessariò, dum ea quibus coniunguntur, trahi contigerit.

Ergo ex duobus tantum suppositis, experientia ipsa comprobatis, & tribus axiomatibus generalibus, vniuersa quæ in hoc lapide videntur, causam notam habent. Siquidem quòd ferrum trahat etiam procul, sequitur vt eo magis continuato contactu. At verò affricatus ferro, vim & partes tenuiores illud imbuit, quo ferrum trahat. Verùm statim hîc occurres: si sympathiæ vel nutritionis causa ferrum trahit lapis ille, vbi iam in ferreo corpore resederit, vt elementa finem adepta, amplius trahere non debet. At non est idem de loco & attractione: vis enim illa nunquam expletur, nec desiderium ferrum trahendi. Et tantum est propinquitas naturæ, tã mutuus ille consensus, vt cõbibita illa vi ferrũ in magnetẽ transeat: indicio est, quòd trahit pro ferri magnitudine:

tudine: gladius enim, non acus lapidi affricata, clauum exiguum trahit. Cùm verò lapis cõtrarias vires habeat, si contrariis motibus ferro affricetur, vtramque illi vim impertit: atque ita cùm contrariæ sint, abigit & trahit: quare perinde est ac si non traheret. Delatus ergo etiam vltra æquinoctij circulum, easdem vires seruat ad vnguem: neque enim lapidis natura mutatur, nec situs, sed locus. Qua ratione, vt dixi, ad Antichthones si feratur, sinistram poli partem, non dextram respicit, vt demonstratum est. Vbi ergo lapis ferrum ob magnitudinem trahere non potest, quasi vinculo annexus, vbi distenditur, illo se retrahente, lapis, si exiguus admodum sit, à ferro trahitur. Sit



lapis b, ferrum: a, b, vinculum sit breuissimum: quia b, trahitur ab a: cùm ergo ob pondus trahi non possit, nec separari ab extremis in medio contrahitur: quare, a, ad b, trahitur, & tandem ad ipsum peruenit. Cùm ergo lapis ferrum cupiat ad boream dirigere, quod opposita parte contactum est, vt ineptum huic negotio, respuitur, atque repellitur. Quòd si ab vtraque parte tactum fuerit, totum vt inutile repellitur: sin ab vna tantùm, dum appositam ad se trahit, illam abigere videtur. Cùm verò magnes ferrum trahat, & in ipso quædam ferreæ nõnunquam partes sint, nonnunquam etiam magnes magnetis frustula rapit, & maximè ferro imbuta: trahit ergo magnetem eiusdem partis ferro imbutum, & ferrum repellit contrariæ magneti parti affricatum: & è contra etiam contrariis ex causis: atque ita vtrumque repellere vel trahere potest: vel vnum trahere, aliud repellere.

Porrò de argenti attractione alia est quæstio. Sed fieri potest vt alia sit eius species: nũmi enim ære potiùs quàm ferro & argento constant. Verisimile enim est, & simile quippiam in herculeo lapide latère, quod perfectione argento respondeat. Aut forsan imbutus lapis argentei vi, argentum trahere potest. Idque, si sit argentum lapide imbutum, trahet argentum aliud. Atque ita multiplices illæ vires ex hoc vno pendent, quòd lapis altera parte ad boream, altera ad austrum ferrum dirigat, cum tribus illis naturalibus axiomatibus.

Iam omnia propemodum manifesta sunt, præterquàm quod difficillimum est: vt videat morem omnium Philosophorum & Medicorum sequi, qui clarissima nimis multis explicant, difficilia ita prætermittunt, vt in eorum codice quis defuisse omnino credat. Est ergo illud difficillimum, cùm non ad polum, sed ad orientem partibus seu quinque seu nouem spectet. Dices: Et tu quod leue est experiri neglexisti? ob id sanè potui: quia vna eadémque ratio est amborum: nec existimo eandem seruari in omnibus distantiam, sed validiores lapides longiùs dirigere. Ergo cùm stella quæ polo proximior est quinque partibus ab ipso polo, vel propè distet, ad ortus sui punctum ferrum dirigit lapis, quòd is punctus maximam retineat vim. Indicio erit, quòd cùm stella illa declinationem atque distantiam à polo euariet, variabit & distantia. Dices: Non oritur nobis? Respicit punctum ortus sui in sphæra recta, loci in quo inuenitur: velut cùm est Papiæ, ea distat ab occidente partibus XXXI. sub æquinoctij circulo, respiciet locum ortus stellæ in finitore Arualies montis Mauritaniæ, qui fermè est sub circulo æquinoctij: & à Fortunatis, partibus XXXI. distat. Ex quo patet, quòd in diuersis regionibus diuersa cœli puncta acus respicit: sed semper in æquali à polo distantia.

Rursus, vt dixi, aliqua est differentia inter lapidem & lapidem, quam prudentem nauclerum dignoscere expedit, atque omnia ad meridiei lineam referre, quæ immobilis est, & in pyxide à linea eiusdem lapidis semper æqualiter distat: aliter aliquis error necessariò continget. Tertiò necesse est, vt hæc stella locum variet, atque distantiam: nunc enim est valde proxima polo, cum sit in XXI. parte geminorum: cùm autem erit in fine sagittarij, distabit à polo partibus XLVII. Et si contendas, non esse hanc stellam propter distantiam à polo, quæ non concordat, & velis esse aliam ex octauo orbe visam & cognitam, aut altiorem quàm vt videri possit, non contendo: modò scias, respicere magnetem punctum finitoris recti loci è regione in quo est, vbi sidus illud exoritur.

Ex quo patet, aberrare illos, qui generales rationes secreta perquirendi putant esse inutiles: non minus his qui totam artem ad generalia & rationem traducunt. Sed necesse est rationibus experimenta excolere, distinguere, declarare aut rationibus inuenta, experimentis confirmare. Sed hoc omisisse, maior est error, hominésque ridiculos facit. Neque enim quisquam fateretur, palàm ferream ponderis centum librarum, ferri tanto impetu per quinque millia: sed diceret, puluerem illum non arsurum, aut non simul: aut ignem cogi posse faciliùs, quàm tantum pondus erupturum: aut erupturum quidem, sed statim impetum illum cessaturum: aut, quod verisimilius esset, machinam etiam multo crassiorem disrumpendam: vt omnia faciliùs euentura credamus, quàm quod videmus quotidie: & tam inuiolatum seruari. Contrà ratio multa docet his verisimiliora, quæ experimentum docuit esse inania.

CAPVT XVIII.

Quinam apti ad secreta inuenienda.

NOn ignoro aliquos dicturos, id esse non posse, quod scripsi: deceptum méque esse, cum cuspis finitoris punctum obliqui, vbi lapis est, respiciat: non autem recti, quod verum est: sed id tamen anguli illius seruata ratione contingit. Ob id secretorum inuentores iuxta naturam principiorum

rum solertes esse oportet: in Physicis quidem, iudicio atque experientia pollere: in Mathematicis autem, ingenio, atque earum peritia: in artificiis, quæ mistione constant, sensu & ratione coquendi, ac experientia: in præstigiis falsis, manuum agilitate, atque sagacitate instrumentorum? in his autem quæ à mente proueniunt, imaginandi vi præclara: ea enim est adeò potens, vt in nobis multa possit. Somnia facit, humores ac temperaturam mutat, dirigit, aberrare facit, multáque alia præstat.

Forsan & in leuiores animas, vt puerorum & mulierum prægnantium, aliquid imprimit. In his enim quæ à Deo, vt iustitiam colamus: ea enim propriè, ac penè sola nos ei conciliat: omnes insuper studiosos, diligentes veritatis amatores, graues, ingeniosos, & qui multa videant, perlegant, audiant, animaduertant: Dialecticam autem, atque librum hunc, scilicet primum & secundum librum de secretis, non semel, nec perfunctoriè, sed diligentissimè ac vicies perlegant atque considerent. Plura enim longè in eis continentur, quàm quæ prima fronte videantur. Aspiret & diuinus fauor, sine quo omnia nostra irrita sunt. Quo fit vt adducar, postquam (vt dixi) non videam qui diuinitùs vel à dæmonibus de huiusmodi monitus sit, præterquam Alexandrum, Romanámque mulierem: aduersus serpentum illum hanc canis rabidi morsum: nec postea in vsum talia prodierint, nec constans fuisse secretum (fallente plerumque experimento) videatur, admonitionem hanc à diis nobis lumine rationis insinuari, vt ad meritos dona diuina perueniant.

Sed dices: Si diuorum numine ista inuenimus, cur machinæ bellicæ non in cædes & meliorum iacturam inuentæ sunt: tum venena, atque huiusmodi? Itaque rationis lumen omnibus à Deo datum est, & locuples quidem ad bonum. Forsan verò & dæmonum malorum commercio huiusmodi inuenta sunt: mali enim dæmonis profectò est, huiusmodi quæsisse: aut forsan liberum est hoc nostrum. Fauor autem numinis est, copia mentis, & bonorum desiderium: non lucri, aut ambitionis, vel vindictæ. Cui acquiesco.

CAPVT XIX.

Quæ secreta olim nota, nunc ignota: & & nunc nota, ignota olim.

QVæ nuper innotuerint, olim ignota fuerint, difficile est ob multitudinem numerare. Stapedes (vt dicunt) in Ephippiis: vitrum varium, & lineis interstinctum, tum quod cryſtallinum vocatur ob splendorem & perspicuitatem: specula vitrea omnia, sed rotunda paulò sunt antiquiora: olim è chalybe omnia conficiebantur. Horologia cum mola, & cum ponderibus: sed hæc paulò antiquiora. Purpura nostra, & colos ille quem à splendore vulgus chermesinum vocat. Serici ars antiqua est: amissa paulò pòst, nunc ob copiam noua dici potest. Nolæ, pyxis nautica, Typographica: sed hæc apud Indos iampridem in vsu fuit: machinæ igneæ, vitrea organa. Sed ex omnibus vtilissima tria: pyxis nautica, Typographica, igneæ machinæ ad summam admirationem: tum detecta horum auxilio reliqua orbis pars, omnibus incognita antiquis, quæ maior est longè illorum notitia. Nam numero pares fermè sunt: amissa purpura vera, & quinqueremium constructio: quanquam à Fausto maximis laboribus duæ aut tres fabricatæ apud Venetos. Hydraulica organa, & horologia inæqualium horarum, & electrum metallicum tàm naturale quàm factitium. Arietes ac testudines: sed hæc non tàm amissa, quàm contempta, vt inutilia. Gemmarum adulterinarum alterius generis compositio. Et si fides Plinio habenda, ductile vitrum: nam nostrum calidum tantum duci potest. Ex simplicibus amissa plura nobilia: Balsamum, cinamomum, amonum, malobathrum, aspalathum, narcaphtum: & inter thymiamata, cyphi compositio. At contrà, plura & meliora omnia inuenta, vno excepto balsamo. Moschus, ex animali Zibethum: ambra, santhali, si ab aspalatho differunt. Manna, etsi nomine Galeno nota, cassia nigra, mixa, myrobalani, rhabarbarum, tamarindi, garyophyli, nux Indica, nux myristica, macis: quamvis macerem quoquo modo Galenus agnouisse visus sit. Multa alia nostra ætas inuenit, vt cælare ferrum: in quibusdam superatur, vt in nummis quos medaglias vocat vulgus, cudendis cuneo: nam nostro tempore liquato metallo fabricantur: qui typis cuduntur, longè sunt inferiores.

CAPVT XX.

In verbis scriptis, aut figuris, nullam esse vim magicam.

POrtò multi de imaginibus & præcantationibus verbisque maximè incognitis & inconditis dubitarunt, an his aliqua inesset vis? Quòd si dæmones essent qui hæc intelligerent, ex pacto quodam (vt aiunt) cieri possent. At nondum compertum est verè, an sint dæmones: & si sint, an huiusmodi intelligant, quæ non ex natura, sed hominum consensu orta sunt: non enim quòd sint excellentioris ingenij, sequitur confestim vt nostras nugas & commenta intelligant: homines enim formicarum consensum, ordinem, partitiones non intelligunt: nec tamen sequitur, eos formicis ingenio esse inferiores. Aliàs docuimus, mentes superiores non nostra verba, sed mentem intelligere: ob id vno modo omnes intelligunt linguas, & respondent vnicuique propria lingua: quia in animo principium verborum illorum, id est cogitationem fingunt, quæ illis ad verba sua lingua prolata referuntur. Et si intelligant, non necesse est illos commoueri vt agant quod petimus. Sufficiétque petitio clara & ornata, si quid argumenta possunt, vt apud iudices rhetor aut orator. Sed non videmus quenquam quicquam

quam

quam impetrasse. Cæterùm semotis his palàm est verbis & imaginibus nullis prorsus inesse vires, cùm sint qualitates ab omni actione semotæ: operantur autem apud illos à quibus intelliguntur, significatorum ratione, aut repræsentatione, vt illud:

Multa gemens, largóque humectat flumine vultum:

Dum miraretur Æneas casus Troiæ depictos.

Itaque in his secreta quærere superuacaneum est. Verùm in aliquibus ob firmam cogitationem & spem magna operantur: sed alia eorum loco, si scribas.

CAPVT XXI.

De fine eligendo.

OPortet ergo finem primum, si possumus, eligere: quandoquidem, vt dixi, à fine omnia diriguntur. In morbis ergo non oportet breues eligere: quoniam antequam te inuenerint, occasio dilabitur: putant etiam se fortuna sanatos. Neque qui facilè sanantur: nam tuta via in his præferri solet. Neque lethales: nam morituris nullum prorsus auxilium confert. Sed vel pestilentes, quamuis breuis: vel eos qui etsi curari possint, cura tamen inuisa est, ob periculi & noxæ magnitudinem: vt hernia, in qua curanda castrantur: vesicæ lapis, nebula in oculo confirmata, surditas, comitialis, podagra confirmata, sideratio, sterilitas, hydrops, elephantiasis, carcinoma, vlcera chironica, carneæ moles: gulæ hernia, quam Bozium vocant: melancholia, tabes qualiscumque, varices: vrigo vrinæ, vel impedimentum: impetigo, contractio membri, vertigo, tinnitus, impotentia ad venerem, morbus Indus. Sed ex his præstantissima, quæ curant morbós perniciosos, assiduos, & dolorem afferentes: vt vesicæ lapidem, & carcinoma, hydropémque: post herniam, oculi nebulam, melancholiam & comitialem: post sideratos, contractos, tabidos: inde reliquos.

De vitæ diuturnitate illud nobis solum vtile est: nam antequam hominem ex sexagesimo anno ad centesimum ducas, tu si trigesimum annum agas, septuagesimum antea peruenies: quò fit, vt antequam fides tibi habeatur, senescendum sit: & forsan aliquo casu tu ipse, vel ille in quem experimentum feceris, subtrahetur. Itaque vel nunquam fructum ex hoc tuo secreto consequêris, aut valde serò: & si tam serò, forsan præstat non percipere.: occasio enim intempestiua gaudiorum & voluptatis potiùs discruciat hominem, quàm delectet. Sed quæ occasio potest hominem septuagenarium, etiam si bene valeat, oblectare? Quid voluptatis lucrum aut gloria afferre potest? imò potiùs dolorem, cum partis vti nequit: & aliis, à quibus occultè odio habetur, parare cogitur. Poterit tamen, si à patre qui experimentum dederit, id acceperit, auctoritate patria gaudere: tum quibusdam votis præoccupare: vt cùm senex meliùs concoquit, videt, audit, ad venerem promptior est. Audiui equidem à patre meo, huiusmodi secretum septem millibus aureorum coronatorum venditum Ludouico Sfortiæ, Mediolanensium Principi, homini generosi, sed inconsulti animi. Cæterùm de his quæ ad diuitias, nunc dicemus: in his enim & potentia & ornatus intelliguntur.

CAPVT XXII.

De vtili secreto, quot conditiones habere debeat.

CÆterum id docere non tam facile est, vt quidam arbitrantur: imò è nostris quidam ob id obiiciunt, quod cum alios doceam, non inuenerim hucusque tantus natu. Sed inuenisse innumera secreta me planum est. Vnum verò, quale expediret studioso & maximè senescenti inuenire, haud pronum est: nam plura requiruntur, vt tale sit. Primum, vt non sit fallax: multa enim ad morbos diuersos circumferuntur, quæ sanant: vt pestem, lapidem vesicæ persæpe frangi solius vrticæ vsus, & magis seminis Augusto mense collecti: alia circumferuntur aliter quàm sint. Persici arbos, exenterata medulla, non sine osse (vt ferunt) sed sine nucleo, fructus producit.

Oportet etiam lucrosa esse: vnde præstigiarum secreta ad propositum nostrum parùm conducunt. Tertiò, oportet esse vtilia humano generi: vnde non venena, non machinæ docendæ. Quid enim (rectè inquit Christus) prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ iacturam apud inferos patiatur? Oportet præterea esse lucri magni: nam exilia lucra dum hominem retrahunt à negotiis consuetis, plus afferunt damni quàm vtilitatis. Quintum, vt sint rei venalis: qui gemmarum folia, & smaltum (vt vocant) facere norunt, tametsi maximo cum lucro (quia parua quantitas prouinciam replet) fermè esuriunt.

Oportet etiam, vt non sint diuturnæ expectationis: vt qui myrrhina vasa sepeliunt, aut balsamum, aut adamantinos lapides: quorum vsus frequens, lucrum ingens, sed vel ad nepotes fructus peruenit, aut saltem ad senectam vsque, vbi omnia ingrata sunt. Septimò, ne magni negotij opus sit: nam nondum expertis, & multis ministris, seu negligentia, seu imperitia aut dolo aliquid perierit, lucrum non solùm, sed sors etiam decidit.

Nec si in sordida re collocetur, decet hominem iam nobilem in illlo versari, vbi diligentia turpis est; negligentia damnosa. Et si non succedat, fabula vulgi. Demum, quod maximum est, tale esse oportet, vt cælari possit: hoc in magna negotiatione vix fieri potest: sic detecta specula, Typographica, machinæ, folia gemmarum. Si lucrum magnum esse debet, magna merce opus est: multitudinem hanc non nisi multa materia efficere licet: sunt speculatores vndique ministri, & pecunia corrupti, vbi lucrum ingens prospicitur: vt latêre non possit. His tot causis difficillimum est secretum inuenire præstans, multa ignobilia facilè est.

CAPVT

CAPVT XXIII.

Quæ secreta inueniri nequeant.

OB hæc multi multa mentiti sunt: gemmas, aurum, argentum facere polliciti, & inuisum hominem: quæ potiùs ridicula sunt nasutis, quàm admiranda imperitis. Species rerum non possunt transmutari: vt non ex oue bos, ita nec ex ære aurum. Quæ affinia sunt, vt æs & ferrum, transmutantur: quoniam differentiæ quibus distinguuntur, magnitudine sola differunt: vt color, durities, pondus, & perseuerantia apud ignem. In gemmis ad speciem, ex durioribus ad molliores, est transmutatio, non contrà. Ad perfectionem ducere, naturæ solius opus est: secare, tundere, polire, molle reddere, artis: vtitur autem homo persæpe natura, tanquam ministra: quod si fiat aptè, plurimum vtilitatis affert. Propterea ad perfectionem ardua via, ad corruptionem prona & facilis. Volare quidam cupierunt, nonnulli etiam tentarunt: ad machinas hoc pertinet.

CAPVT XXIV.

Coniectura pro secretis inueniendis.

OB id ergo coniectura assequi decet, quę facilè possint inueniri. Atque primùm in singulis generibus quæcumque iam inuenta sunt, facilè ad perfectionem deducuntur: velut metallorum separatio, illustratio, cæteráque huiusmodi: & in quibus iam apparet miraculi species, vt in herculeo lapide: & quæ iam raritate sua conspicua sunt, & admiratione digna, velut cephos & crocuta inter quadrupedia, Nereis & Triton inter pisces, muscaria & solanum maniacum inter herbas, inter lapides opalus & eumeces. Aut quæ forma sunt admirabili: vt napellus, cuius flos conclusus capitis mortui imaginem refert, cùm herba præsens sit venenum: & scorpioides aduersus scorpionum ictus, & orix ac rhinoceros: vel ortus ratione: vt iuncus, qui ex lapidibus ipsis in mari Britannico nascitur: caprificus, sed hic inter lapides: & filicis semen (de quo ita Hieronymus Tragius: Tametsi namque omnes qui de herbis scripsêre, filicem neque se men proferre asserant tamen rem aliter se habere non semel ipse comperi, quod hoc loco in gratiam studiosorum herbariæ rei commemorandum duxi. Nam cum quaternis annis ex ordine in vigilia, vt vocant, festi Ioannis Baptistæ noctu id semen indagare constituissem, inueni summo mane, antequam illucesceret, nigrum, exiguum, papauerique haud absimile semen, quod vt colligi posset, expanderam priùs sub filicibus pannos, & verbasci folia. Multæ autem filices nullum semen reddebant, cum sub aliis vicissim singulis centena liceret semina legere. Cæterùm ad id negotij nullis characteribus, nullis coniurationibus, nullis periculis, nulla denique superstitione vsus sum: sed citra huiusmodi Magicas vanitates semen hoc, duobus aut tribus comitibus stipatus, igne per viciniam eam incenso, totáque nocte flagrante quæsiui, quæsitúmque nonnunquam inueni: nunc multum, nunc parum colligens. Quare verò hæc diuersitas contingat, aut quid in ea re natura velit, mihi sanè non constat. Sic & virgilias ad aglaiphotidem obseruabis, & quæcunque peculiarem cum sideribus coniunctionem habent. Quibusdam ex proprietate, vt lynx. Sed lynceum falso ceruarum lupum Galliæ familiarem, chaum Plinij, esse credunt, cum sit Æthiopiæ bellua: nec tam diuersis cœli partibus eadem oriri potest. Tametsi Virgilius in Eclogis, lynces Arcadiæ donet. Hac fera nihil oculatius, vt nil chameleonte timidius. Aut ex consensu & inimicitia, & operationibus: vt ex equæ semine, ac colluuie canis, dum in venerem efferantur, turgent. Itaque singula rara rimari oportet: vulgata autem, si quid sit admiratione dignum, dum se produnt, viam facilem ad alia secreta inuenienda promptè pandunt ac docent. Tum verò & animalium medelas, aut hirundinum effossis pullorum oculis, & huiusmodi. Generaliter autem omnia venenata viuentia magnas vires habent. Et ideo si quis bufonis vires æstimet, magnam pariet apud illum admirationem. Sed vt magica, ita periculosa sunt auxilia. Quædam à forma figuráque, veluti galiopsis radix altera hæmorrhoïdas solo contactu sanat, altera strummas: sed epota etiam, & insuper emplastri instar apposita: astacorum caro & cortex fluuialium ad diabeten, & canis rabidi morsum: cui etiam in aquæ metu cynorhodi radix auxiliatur. Nescio an nomen ex hoc sumpserit frutex, an antea prius haberet: verisimilius tamen est antea habuisse, postquam experimentum apud Romanos dictio Græca est. Similiter in his quæ extra hominis naturam sunt, ex proximis deducendi ratio est. Scire autem principia decet, velut quod omnia metalla mista efficiuntur magis cruda, & minus flexilia: indicio est cuprum ex plumbo & ære, similiter & aurichalcum ex iisdem ac terra quadam crocea: sic & quod Peltrum vocamus, ex vtroque plumbo mistum: sed quæ adduntur, non ad lentorem tollendum, sed duritiem augendam imponi solent. Constat æs fieri posse quod argento pulchrius sit, atque pretiosius: meminit huius Procopius, factúmque affirmat à Iustiniano, auri splendorem & colorem cùm haberet. Constat fuisse aurichalci genus. *In primo. De ædificiis Iustiniani.*

CAPVT XXV.

De modo tradendi secreta, vt auctoritatem suam retineant.

CÆterùm illum pulcherrimum erit, cuius imaginem iam sæpiùs expressimus, scilicet hîc, & in libello de Æthere, & in quarto huius: scribere secreta sic, vt secreta esse non desinant. His autem regulis constat hæc ratio, quæ toties repetenda est, quoties fuerit opportunum: scilicet vt tradamus rem per regulas plures generales, quæ necessariò

cessariò vnum ipsum concludunt: Deum imitantes, qui quæ voluit, abdidit: & tamen necessaria esse perspicuum est, & ad singula determinata. Ille motus astrorum certis rationibus mensurisque metitus est, vt singula quæque suo euenirent tempore: & certè effecit: nec tamen hominum quisquam ad hanc vsque diem rationem illam potuit intelligere. Videmus in nodis, qui ex duobus filis constant: in tribus verò vix quisquam se explicare valet, in quatuor prorsus nullus. Ergo duplici exemplo edocemur, scribere verissima & exactè & ordinatè, quæ tamen his aut illis secreta erunt, alij & pluribus longè omnino ignota.

Quòd si obiicias, non posse vnquam illo effectura vt prima contemnantur. Respondemus: primum metiri oportere ingenium humanum: quæ enim traduntur, moderatè sunt, non ex toto obscuranda. Quòd si in lucem venerint, aut per hominem mediocris aut paulò plusquam mediocris ingenij, atque siccum multa illum præteriturum sit necessarium ad rem pertinentis, etiam euulgata: alius superueniens deprehendet primi expositoris defectum, atque sic negotium ad fontem & auctorem redibit. Quod si vel per successionem expositorum re tota explanata videatur, hominibus mirantibus artificium inuentoris, multis de causis charus liber Secretorum erit: primùm, ob reliqua quæ ibi scripta erunt: secundùm, ob auctoris excellentem industriam, quæ imitabilis erit & iucunda intellectu: tertiùm, quòd aliquid etiam nondum deprehensum, in eo quod explicatum est, esse suspicabuntur: quartùm, ob auctoris auctoritatem, ad quam omnes inuenta libentiùs referunt: velut ad Aristotelem potiùs quàm Simplicium vel Auerroëm. Porrò multiplex vtilitas ex huiusmodi traditione habebitur. Prima quidem, quòd res inuenta non pereat: secunda ad inuentoris gloriam, noménque: tertia, vt ingenia inquirendo exerceantur, inueniendo admirentur: quarta, vt plura paucis, etiam cum causis suis explicentur, & quòd arcana in vulgus non profanentur. Vulgus enim bene inuenta & nulla præcepta, dum imperfectè intelligit, & vtilitatem solùm curat, ad malos vsus conuertere solet. Multa etiam alia sunt quæ consultò prætermitto. Cùm verò vnicuique medicamento suum opponatur deleterium, & in vnaquaque arte sunt vitia: maximum flagitium est, tali modo quæ vera non sunt, posteris tradere. Cuiusmodi scriptis atque ambagibus pleni sunt libri Chymistarum, Necromantiæ, & Agyrtarum.



LIBER



LIBER VNVS DE GEMMIS, ET COLORIBVS.

GEMMARVM differentiæ plures ſunt, aliæ quidem, quæ earum naturam ſequuntur, & differentiæ cauſa ſunt: aliæ verò ſolum caſu contingunt. Cuiuſmodi paruitas, magnitudo, color plenus, exilis, puritas, maculæ, fractura, venulæ quædam. Quæ verò ad ſpeciem referuntur, duorum ſunt generum: color, ac nitor: nam durities ad nitorem reducitur, velut illius cauſam. Quæcumque gemmæ ſunt duræ, nitent plurimum, & nitor earum conſtans eſt: quæ verò molles, parùm nitent, & facilè quod habent nitoris, amittunt. Per gemmas intelligo, quæ adeò duræ ſunt, vt à linea non comminuantur. Et quanquam in hoc omnes conueniant gemmæ, vt à lima non tangantur: duriores tamen multo ſunt aliæ aliis: nam quædam à plumbo albo poliuntur, quædam ære indigent, aliæ ſmiridæ non tanguntur: eſtque inſignis diſtantia duritiei adamantis & cryſtalli (ſiquidem cryſtallus gemmarum molliſſima ac tenerrima eſt, & ab illa ordo gemmarum incipit, vt & amethyſti: nam ex eadem materia ambæ hæ, & in eiſdem locis fiunt) & longè maior quàm cryſtalli à latere, vel marmore. Nullas ex hoc ordine eximere licet: adiicere tamen licet tres, ob decorem, pretium & pulchritudinem, quæ tamen gemmæ non ſunt: margaritam, & eranon, & topazium: nam nulla harum à lima non tangitur, quamvis ad gemmarum pulchritudinem & pretium accedant. Sunt ergo differentiæ gemmarum omnium à nitore & colore.

Nitoris quinque differentiæ: rutilans, vt adamas: nitens, vt ſapphirus: languida, vt carneolus & ſarda: inæqualis, vt iaſpides: obſcura, vt lapidis fulminei, quem lima non tangit. Obſcuritas certè aliena plerumque eſt à natura gemmarum. His differentiis magis quàm vllis aliis variantur naturæ gemmarum, & magis quàm coloribus ipſis.

Colorum differentiæ principales ſeptem ſunt: albus, flauus, ruber, viridis, cæruleus vinoſus, & niger. Niger in achatis ſpecie quadam ſpectatur: vinoſus, in amethyſto: cæruleus, in ſapphiro: viridis, in ſmaragdo: ruber, in carbunculo: flauus, in chryſolitho: albus, in cryſtallo.

Omnes autem colores ad hos deducuntur: velut albi ſpecies eſt candidus, in adamante puriſſimo, nec ſcio an in vlla alia perſpicua gemma: albus autem cum perſpicuitate, non eſt in margaritis, & quadam ſpecie carneoli: & aqueus, vt cryſtalli: & eburneus, vt in quibuſdam achatis generibus: pallidus, vt in onyche (habet enim pallor quiddam nigri vndique admiſtum, vt cinerus diſtinctus partibus) cinereus, vt in eumece & aſtrite: ſed eumeces, vt dicemus, ſilicei propriè magis quàm cinerei eſt coloris. Sub aqueo rurſus aliquæ continentur differentiæ, velut aqueus purus, de quo dicemus: & cryſtallinus, qui candorem habet admiſtum: & vitreus, qui fuſci plus continet quàm aqueus. Sic ſub flauo continentur, flauus propriè dictus: & puniceus, qui eſt initium rubri: & croceus, & ferrugineus, & luteus, & fuluus. Sub rubro, purpureus, roſeus, ſanguineus, flammeus. Sub viridi, citreus, virens, herboſus, æruginoſus, & praſſinus. Sub cæruleo, propriè quatuor ſunt colores: purus, vt in erano: proprius, vt in cœlo ſereno, & ſapphiro, fuſcus, vt in cyaneo: & glaſteus.

Nigri quatuor ſunt ſpecies: ater, niger, fuſcus, & liuidus. Vinoſi duæ tantùm, amethyſtinus & vinoſus, qui ad rubrum tendit. In vniuerſum igitur, ſpecies ſimplices triginta tres. Compoſitorum autem colorum ex duobus, cum ſint ſimplices ſeptem, erunt viginti & vna: ac rurſus ex pluribus coloribus vna, maculoſorum vna, & ſtellatorum vna: vt ſint omnes compoſitæ vigintiquatuor, & cum ſimplicibus quinquagintaſeptem. Sed ſub vltimis tribus variæ, imò innumeræ (vt clarum eſt) ſpecies continentur. Primæ igitur differentiæ gemmarum: quia obſcuræ, vix poſſunt eſſe gemmæ, erunt ducentæ & vigintiocto: ductis ſcilicet quinquagintaſeptem per quatuor.

Verùm non omnes colorum differentiæ variant gemmarum ſpeciem: nam adamantes & albi, & flaui, & rubri, vt ego nunc habeo, ſed tamen languido colore, inueniuntur. Et achates & iaſpides, omne genus coloris recipiunt. Iaſpides tamen appellamus, cum natura magis terrei ſunt, molliores, obſcuriores, ac magis opaci. Achates, cùm magis nitent, & perſpicuitatem quandam retinent. Dices: achates, qui nigri

gri alba fascia distinguuntur, non sunt prorsus perspicui? imò sunt, si in tenues ac latas laminas diuidantur: tunc enim in opaco perspicuitas videtur: vt contrà in iaspide, inperspicuitate inæqualitas & turbulentia, atque obscuritas, adeò vt constet vtrumque lapidem fieri ex diuersis congestis materiis, atque exhalationibus: sed achatem ex tenuibus, iaspidem ex terreis, crassis atque impuris: quocirca etiam errores & vitia maiora sunt & frequentiora in iaspide, quàm in achate.

Sunt verò & lapides spectatæ nobilitatis, *præter gemmas (de quibus etiam dicemus)* numero quinque: Corallius, Herculeus, Alnites mollis Astroites, & Elaphios. Sunt rursus differentiæ aliæ, quæ quoque speciem gemmarum variant, quandoque solum nobilitatem: duæ autem sunt præcipuè, à forma & perspicuitate. Perspicuitatis sunt quinque modi: Serena, pinguis, nubilosa, mista & opaca. A forma: quoniam quædam sunt quadratæ, aliæ figura pyramidis, aliæ autem hexagona vt crystallus. At quoties forma hæc aut maculæ in omnibus constant, separatum ab aliis atque distinctum genus gemmarum efficiunt, atque efficax plerumque: vt enim alia est forma absinthij, alia aloës, præter colorem: ita nihil tàm distinguit genera lapidum, quàm forma. At genus vnumquodque suæ vires proculdubio comitantur. At plantæ, si edantur, suas repentè explicant vires, sed citò desituras: gemmæ autem non repentè, nec comestæ, nisi paucæ illarum: verùm gestatæ in digitis, aut collo appensæ, aut certæ parti alligatæ, opus suum perficiunt, & in multa secula extendunt. Quare haud tutum est lapides gerere incognitos, & assiduè secum ferre: non secus enim, ac de dæmonibus malis fertur, homines præcipites agunt: gignunt enim in animis nostris varios affectus, contumaciæ, timoris, auaritiæ, odij, inuidiæ, petulantiæ, tristitiæ, iræ, quorum medio homines euertuntur. Siquidem vita hominis maxima ex parte, tum illius fortuna, moribus & affectibus constat. Si hoc solùm quis cogitet, quòd vnum tantum est inter tot: scilicet quod Mundo parere & obsecundare, maxima mala vitare facit, & felicitatem non mediocrem affert: contrà, velle (quamvis tu sis probus, sapiens rectéque viuens, ac de humano commodo sentiens) conari Mundum in tuam trahere sententiam, semper in contentionem te trahet, plerúmque etiam maximis calamitatibus oppressus miserè peribis: facilè intelliges, vitæ nostræ cursum fortunámque fermè totam ex moribus nostris & affectibus pendere: quare etiam magnum afferre posse detrimentum aut auxilium, gestamen lapidum atque gemmarum. Et nisi esset in eiusdem speciei gemmarum viribus maximum discrimen (quale etiam in herculei lapidis frustis cernitur, vt aliqua, cùm magna sint, vix acum moueant: alia autem multo minora & exigua, vt aliquando vidi, trahant clauum: atque hæc rarissima) ita omnes ad hanc diem intellexissent, quantum valeat, gemmam felicem aut infelicem gestare. Qua de causa contingit, vt quidam maximè iuuentur, alij lædantur, plures autem ab eiusdem generis lapidibus nihil momenti ad felicitatem aut calamitatem percipiant. Vnde qui prudentes sunt, felicium gemmas tanquam experimento comprobatas, secum deferre student.

Nemo igitur dubitet, egregias vires inesse gemmis: sed statuat etiam, in his quæ plurimum possunt generibus, paucas esse insignium virium: quòd si in has incidere contigerit, maximas in vita (velut etiam ex vsu ciborum circa corpus) mutationes afferunt.

Quædam etiam forsan aliquid plus possunt, occulta ratione ipsa hominis fortunam *mutando. Sed quoniam de his nihil habeo* quod in medium afferam, & prima ratio sufficit ad seruanda ea quæ videntur, illa vna modò contentus ero. Similiter ne (quod vitio verti potest Galeno atque aliis, in medicamentis, cùm omnia ad Methodum quandam deducere conati sunt, sed falsam postmodum, nec generaliter omnibus satisfacientem experimentis) id ego in lapidum enarratione obseruare conabor. Præstiterit forsan Galenum imitari ex parte, & illius propositum moderati, scilicet vt rationem quandam pluribus experimentis ac viribus congruentem inuenire coner: reliqua ex experimentis ipsis tum meis, tum etiam aliorum, sed rectè examinatis, colligam atque adiiciam.

Porrò cùm aliis operibus sæpiùs de huiusmodi materia sermonem habuerim, nec expediat repetere quæ dicta sunt alibi (id enim frustra fiet) hac in tractatione sufficiet tria attigisse. Primùm, vt colorum naturam distinguamus, ac nomina: quod iam præstitimus. Secundum, vt causas ipsorum colorum demonstremus: neque enim satis vel Aristoteles, seu Theophrastus ipse, hac in parte magistro suo diligentior, hoc negotium prorsus absoluerunt. Tertium, vt vnicuique colori gemmas suas subiiciamus: non obliti trium aliarum differentiarum, scilicet nitoris, perspicuitatis, atque figuræ.

Primùm igitur proponamus colorum ipsorum nomina atque differentiam, ex ordine dicto prius: atque id examinemus, primùm an liber de coloribus qui inter Aristotelis libros connumeratur, illius sit, an potiùs Theophrasti, an forsan neutrius eorum: multum enim refert quo duce nauigemus, & dictis pondus auctoritas magni viri afferre solet. Ludouicus Viues, morem temporum secutus, eorum Operum quæ omnibus nota sunt, censuram proposuit, inter tot expositores egregios qui nunc extant, Alexandrum, Ammonium, Themistium, Simplicium, Philoponum, Auerroëm, Thomam, parum verecundè: cùm aliorum, de quibus dubitatur, ne verbum quidem habuerit: è quorum numero hic est, qui de Coloribus inscribitur: quem ego Aristotelis non esse existimo, ob initium quòd assumit, Elementa scilicet esse colorata: atque eo magis, quòd aërem & aquam alba esse dicat, & terram etiam: Solem autem & ignem, flauum: at nec talia sunt quæ dicuntur, nec videntur. Cum verò ad inuentionis & disputationis artem respicio, nec deses, nec ignauus videtur auctor, nec à Peripateticorum schola

schola alienus. Itaque vel Aristotelis, sed iunioris: vel Thephrasti esse crediderim. Sed vtcumque statuatur, initium faciemus nostro more, ab his in quibus omnia consentiunt experimenta: ea enim planè sunt manifestissima verè, non quæ primò occurrunt, velut plerique falsò putant.

Constans igitur maximè est, Album fieri, collecta plurima luce: vt nigrum, nulla: namque & nox & tenebræ omnes nigræ esse videntur: & vmbræ, quo magis opacæ, eò nigriores. Et quæ alba sunt, obscurissima in nocte alborem remittunt: Et quæ alba in nocte videntur, locum circumiacentem splendore illuminant. Porrò & illud manifestissimum est, lumen ab aliquibus remitti: vt à speculis, aqua, crystallo, vitro: eáque quatenus remittunt, omnis coloris expertia esse, tum quia non intelligatur lumen, tum quia reditu suo coloris comprehensionem impediat: eáque nitida vocantur. Alia sunt in quibus lumen transit, atque ea dicuntur perspicua, & nullum habent colorem: quia recipiunt, & non retinent: qualia, vt dixi, vitrum, crystallus & aqua. Oportet autem recipere & continere lumen, aut omnino non recipere, vt color efficiatur. Quæcumque igitur lumen non recipiunt, nigra sunt: vt carbo: quæ verò recipiunt, nec retinent, sed transmittunt, sine colore sunt, & perspicua vocantur. Quæ verò recipiunt, ac retinent, alba sunt: quæ remittunt, seu recipiunt, seu non, nitida & specularia. Eo fit, vt nullum prorsus album possit esse perspicuum: quia vt album sit, necesse est vt contineat lumen: at vt perspicuum sit, vt remittat. Fieri autem non potest vt simul contineat lumen, atque transmittat: neque igitur vllum perfectè album, perspicuum esse potest. Sed neque nigrum vllum, perspicuum: si enim non recipit, quomodo transmittere potest? Reliqui colores cum perspicuitate esse possunt: nam medij sunt, ideò partim retinent, partimque transmittunt: vel si non transmiserint quicquam, opaca fiunt. Causa autem cur hæc transmittunt, hæc non est, quòd cùm sint duo elementa grauia & solida, aqua perspicua est, & lucis capax: terra autem non: nam si lumen exciperet atque transmitteret, esset in perpetuo motu: vt elementum aëris & aquæ: quæ ergo aquea sunt, perspicua sunt, & lumini peruia: quæ terrea, non. At nitida sunt, in quibus lumen colligitur: colligitur autem solùm in leui, seu cauo, seu conuexo, seu plano: in aspero autem non potest colligi, ob partium inæqualitatem: quod facilè demonstrari Geometricâ ratione potest. Igitur nitida, quæ leuia: & leuia, quæ dura: alia enim talia manere diu non possunt: quæ igitur dura, nitida sunt. At quæ lumen excipiunt, sunt, quæ porosa, vt ita dicam: quæ autem densa, non excipiunt: vnde oleagina lumen non excipiunt, cùm exusta fuerint. Densum, humidum, ex imo euocatum, prohibet lumen ingredi: vnde carbones, & fumus, & amurca, nigra sunt: sunt enim densa humido terrestri: vt enim terrestre (vt dixi) lumini peruium non est: vt densum, non recipit: itaque nigrum efficitur: quòd si etiam molle sit, non remittit: ideóque nec nitet. Carbo igitur nec nitet, nec est perspicuum, nigrúmque est: Singuláque demonstrantem habent causam ac rationem: neque enim perspicuum est, quia terreum: neque nitet, quoniam molle: & nigrum est, quia densum ac terreum. Itaque terrea substantia efficit ipsum & opacum simul, & nigrum: quo fit, vt pauca nigra perspicua sint: nam exactè nigrum nullum perspicuum esse potest. Non sunt autem nigra omnia ob calorem, neque vstionem: catuli enim & boues nigri nascuntur, ac magis quàm in ætatis processu, cum tamen calidiores euadant. Quæ verò non exactè nigra, vel non exactè alba, & quæcumque imperfecta sunt in vno genere, huiusmodi qualitatibus participare possunt. Sed neque ferrea rubigo nitet, ob molliciem: nec perspicua est, quoniam terrea: & tamen non nigra est, quia luminis est particeps. Sufficit ergo vt densa sit, & parum luminis excipiat, vt noc sit perspicua. Lac autem album est, nec nitet: quoniam durum non est: quæcumque autem alba vehementer sunt, necesse est esse nitida: cum enim alba vehementer plurimum colligant lumen, nec perspicua sint (non enim essent perfectè alba) necesse vt idem ex parte remittant, quare nitida erunt.

Quæ ergo nocte lucent, alba esse necesse est, ac nitida: quoniam & remittere oportet lucem, & plurimam partem etiam secum retinere. At cum in medio nigro videantur, vt dictum est, scilicet in tenebris, vbi nullum lumen est: necesse est vt sub colore ignis videantur: nam ignis color ex nigro albóque quasi æqualiter permistus est. Quocirca omnis ignis etiam rubet: quoniam, vt dixi, in humido exusto est, atque ideo in materia nigra: ipse verò candidus: ex albo autem & nigro ea ratione, ne dicendis obstem, ruber color efficitur: cúmque flamma sit fumus ardens, pruna autem carbo: tanto candidior est flamma ipsa pruna, quanto fumus carbone minus niger est: vnde ex flamma materiam, quæ ardet, coniicere licet: nam metallica quod plurimum terrei contineant, flammam cœruleam puram mittere solent. In columborum autem collo illud idem perdiscere licet: nam cum nigræ sint pennæ, & ob plumæ tenuitatem lumen facilè ingrediatur, & maximè illucescente Sole: necesse est collum columbæ videri variis depictum coloribus, quos assiduè mutat ob facultatem motus pennarum, quæ quàm minimum permutatæ maximam colorum differentiam pariunt in partibus colli. Idcirco viridem & cœruleum, rubrúmque maximè spectare licet: quoniam hi colores nigro proximi sunt. Quòd si color pennarum dilutior nigro sit, & ipsa auis in Solis radiis etiam puniceus spectatur, multóque maior multitudo colorum quàm si vmbra delitescat.

Verùm cùm satis hæc sint iam explorata, quærere satiùs ducimus, Cur, si colores fiunt ex multitudine aut paucitate luminis recepti, quædam etiam in ipsa nocte alba videantur: & modò videantur, semper alba manent. Etenim cùm minus recipiant lucis in

nocte,

nocte, quàm rubra & viridia in die, nunquam tamen viridia vel rubra videntur, quantumcunque obscura nocte, sed semper alba. Necesse est ergo iam aliud principium non parum vtile inuenire, atque inuentis adiicere: scilicet, Quibusdam rebus interiùs splendorem ac lucem, nec omnem exteriùs aduenire. Ob id nix etiam noctu alba est, quoniã in ea aër lucidius continetur. An forsan dicemus, quod verius est: in quibuscunque aër continetur purus, talia omnia etiam per tenebrosam noctem alba videri: quòd exiguum lumen in eo sparsum, speciem præbeat multi luminis? atque sic non solùm niuem videri, sed etiam causam esse vt reliqua videri possint. Vbi tamen omnino lux desit, vel cum in conclaui tenebroso nix est, tunc non videri, sed nigram esse, vt reliqua omnia: quia aër ille omnino luminis sit expers: hoc autem verisimilius videtur.

Propterea eorum quæ alba sunt, quædam nocte nigrescunt faciliùs, vt lac: quòd cùm densum sit, aëris minus habeat: calx autem recens, & multo minus nix, non nigrescunt nisi in extremis tenebris. Quæ ergo aërem in se continent iuxta quantitatem suam: quoniam in tenebris absolutis nigrescunt, cum lumine videntur iuxta quantitatem luminis recepti, atque ideo aëris certum sibi determinant colorem, qui iuxta quantitatem luminis dilui aut obscurari potest. Ideò purpura semper rubra, & folia semper viridia, licet modò magis modò minus videantur. Et quandocumque dilutiora, tunc etiam splendidiora: vt cùm obscuriora, etiam magis colore pressa. At in quibus nullus certus continetur aër, vt in superficie vbi vmbræ apparent, & in collo columbæ, vbi prorsus variatur aëris ad singula momenta, variatur etiam color. Ideo non ob varietatem lucis, vt dicit auctor ille (nam lux eadem est) sed nec luminis, sed aëris, excepti inter plummam & plumam, colores variantur. Itaque colorum quidam stabiles sunt in rebus, in quibusdam rebus mutantur: & cur, & in quibus, iam dictum est.

Sequitur vt videamus, cur quidam colores parum retineant luminis atque nitoris, vt cinereus, & magis ferrugineus: quidam verò multum, vt viridis, puniceus, & omnium maximè candidus, pòst etiam purpureus: &, quòd magis mirum est, cæruleus, cùm tamen nigro proximior ferrugineo sit, & multo magis cinereo. Vnde quæstio ista perdifficilis omnino videtur, atque sola quasi principiis propositis repugnans. Videtur autem sic esse: nam auium paucis, his coloribus plummæ tinguntur, scilicet cinereo & ferrugineo: quòd, vt dixi, plummæ cum ob tenuitatem aërem contineant, non solùm inter plummam & plumam (vt in columbarum collo, vbi plummæ sunt tenuissimæ) sed etiam inter eiusdem plummæ partes: aliter non esset vllus, vt dixi, auibus certus plummarum color: & cinerei quidem coloris sunt ardeolæ, & anatum ac anserum quædam: at ferruginei nullam propè dixerim: & si qua est, necesse est plummis admodum pilorum valde crassis esse: at contrà pili animalium nec virides sunt, nec punicei, nec cærulei aut purpurei: & tamen albi inueniuntur maximè, vt leporum Sarmaticorum, & cuniculorum etiam apud nos. Quare etiam illud repugnare his, quæ diximus, videtur. Si enim pili non sunt cærulei aut virides: quia hi colores sint cum multo lumine, multo minus erunt albi, quòd verùm non est: aut album non plus luminis in se continet coloribus dictis, quòd antea tamen conclusum est.

Propterea sciendum, idem lumen dealbare magis aut minus, iuxta alias conditiones: quæ enim nitent, aut sunt perspicua, plus videntur habere luminis, tametsi non habeant, his quæ nec perspicua sunt, neque nitent. In quibus enim colligitur, illa magis alba videntur, non tamen nitent, si mollia sint. In pilis ergo, quòd leues non possint esse, nullus splendidus color inesse potest, sed albi tamen esse possunt: ferruginei autem sæpe sunt, non quia non nitent: sed non nitent, quia molles, ideóque inæquales: mollia autem plurima, & non humida, colorem illum rubiginosum habent: quòd ille color pullo proximus sit, atque ideo terræ puriori conueniens. At quid ferrugini deesse potest, vt terra sit, cùm sit ferri excrementum terreum, quòd natura etiam terreum est? At in leonibus, exusta tenuiore parte, terreum transit in pilos: idem & in equis: quòd halitus illi calidiores sint, & ex crassiore materia. Sed cur puniceus & purpureus plerumque nitent? velut & viridis, adeò vt rarò sit obscurus? Colores illustres hi sunt, neque in pilis (vt dixi) animalium inueniuntur. Causam enim duplicem intelligere licet: cùm enim humidiora sint quadrupedia auibus vapórque continuò ex illis redundet, siccari perfectè, ideóque nitescere non possunt. Et rursus, quòd sint crassioris substantiæ, vt inæquales etiam necessariò sint: quòd autem nitet, æquale est: si enim inter pili partes & meatus magnum sit interuallum, pilus splendere, nec lumen reflectere poterit. Oportet ergo primum intelligere, colores bifariàm gigni: aut ex transitu maioris lucis ad minorem, vt ex albo in nigrum: & rursus: contrà ex nigro in album, dum lux seu lumen augetur, neque verum est, quòd niger sit aliquis color: nam si essent, & reliqui colores essent: at non sunt nisi ex admistione lucis. Præterea si niger color esset, & albus, essent colores ex permistione, nec vnum: at non minus purpureus color est quàm niger: non est ergo niger color aliud quàm coloris & luminis priuatio.

Videntur hæc forsan dura minus exercitatis in nostris principiis: at consideranti (vt dictum est in libro de Vno, & de Propriis libris) quod scientia nulla est, neque ars, cuius vnum non est principium, à quo omnia deducere liceat: & nigrum non esse colorem liquet, & doctrinam libri de coloribus non esse absolutam: nam, vt dixi, omnes fiunt à luce: vt nihil aliud sit niger color, quàm luminis exquisita priuatio: & niger color non videatur, nisi vt silentium & tenebræ. Sed tenebræ à nigro differunt, quòd tenebræ non videntur neque ipse,

neque aliud in eis: at nigrum, dum alia videntur, ex discrimine ad alia videri creditur: fit enim comparatio ad reliqua: Indicio est, quòd etiam tenebræ, si in circuitu luceat, videri creduntur, & ipsæ etiam nigræ apparent. Et cùm nigrum, vt nigrum, non videatur, sed extima pars nunquam exquisitè nigra videri possit ob lumen circumambiens: ideò textores, quicquid habent vitiosi fili, nigro colore imbuunt, vt vitia lateant.

Ergo colores mutantur, ex albo in nigrum transeundo, inde etiam redeundo: enim niger est color, humidum (vt dixi) pressum abundat: velut in nubibus: hæ enim cum aqua densæ sunt, nigræ videntur, & quòd lumen non recipiant: aut quando humidum non adeò multum est, sed terreum: vel quia exustum, vt in carbonibus: aut ob permistionem multæ terræ, vt in impluuiis & opacis locis. Reditus autem fit ex omnibus coloribus, sed præcipuè ex viridi, vt in pomis plerisque: aut ex nigro.

Duplex autem hic reditus: vel solùm euanescente ob tenuitatem, non concocto, humido: vt in foliis, & tunc pallida & glauca fiunt omnia velut mala punica & folia autumni tempore: nam cùm mollia sint, & aër penetret, nec humidum quod reliquum est, concoctum sit, necesse est non esse splendida. Ex nigro autem in fuscum, inde cinereum atque rubiginosum, si concoctio desit, transitus est: quocirca neuter istorum colorum splendet: nam cinereus nigro admissus est: etenim lixiuium ob id fusci aliqualiter coloris est: ferruginei autem palàm, sed non propriè. At vinosus primùm fit, cùm in nigrum lux profundius ingreditur, ob perspicuitatem. Ob id nigrarum vuarum succus vinosus est, & acinorum, cum à sole vel magno lumine illustrantur, color amethystinus fit. Si igitur ob lucem resilientem ex nigro hic color fit, erit omnis huiusmodi color lucidus ac splendens: cùm verò quod humidum est, magis absumitur luce manente fit, cœruleus: qualis sapphiro. Eadem ratione purpureus atque viridis. Liquet autem & in iride, & in pomis, viridem colorem esse infra purpureum non solum, sed etiam puniceum: at herbaceus viridi grauior est, ac magis pressus: Quòd si humidum in concoctione non æquale fiat, erunt colores pro puniceo ferrugineus, pro amethystino fuscus, pro purpureo ruber. Viridis autem duplex est: & qui fit ex transitu albi ad nigrum, & ex reditu qui plerumque nitidior est: quoniam humidum eius magis concoctum est: ex duriore autem materia magis splendescit, vt ærugo: vterque autem si herbaceus non sit, dilutior est puniceo: quòd in iride cœruleo puniceus propior sit viridi. Cui adhæret pallidus, vbi nubes illuminari magis videtur: pluribus enim modis propinquitatem colorum ad album ac nigrum venamur, & in iride, seu fiat in nubibus, seu in pariete, in transitu eorum quæ maturescunt, seu folia seu fructus seu metallica, ex tinctura: nam coloratus in dilutius transire non potest: humido enim humidum aboleri non potest, sed augeri: at nigrum humidi abundantia constat: humido igitur per tincturam addito, dilui, regredi non potest: at coleratius fieri, necesse ea ratione est.

Sunt autem quæ siccant rursus, & reditum faciunt: vt limunij succus, & vrina felis: atque in his videre licet, qui colores sint dilutiores, qui pressiores. Non igitur nec procedenti nec redeunti iisdem colores occurrunt, nec omnes in vno transitu sunt. Et folia quidem ac fructus plerumque, præter mala insana, & pruna, paucáque alia, vt serica, vbi ad viridem colorem redierint, redeunt: quæ verò igne aduruntur, ob id quòd plus terrei relinquatur, ad nigritiem vsque perueniunt, antequam reuertantur. Reuertuntur autem alia ob calorem, velut quæ exuruntur, atque hæc magis splendent: quædam autem siccato humido atque expresso ab aëre ac frigore, vt in vmbrosis locis, situs ille viridis, ac super stantes aquas. Ruber autem color pressus est magis herbaceo: nam in vmbrosis locis ex madore virescit terra, inde nigrescit, pòst rursus virescit herbaceo ab obscuriore colore quàm prius: demum rubra vt sanguis efficitur, inde rursus per cœruleum transit ad nigrum, vbi conquiescit.

Est igitur ruber color inter viridem & herbaceum: puniceus autem, medius albi nigrique: herbaceus verò, glauci ac nigri. Sic

Albus	Albus	Albus	Albus
Viridis	Glaucus	Flauus vel glaucus,	cinereus,
Viridis	Viridis	Viridis	Viridis
	Herbosus	Puniceus	Flauus
		Herbaceus	Puniceus
		Rubiginosus	Purpureus
		Cœruleus	Herbaceus
		Fuscus	Amethystinus vel cœruleus
		Niger	Niger.

ergo ordinem vtrumque statuimus, vt in fructibus ac foliis per flauum, qui est glaucus splendens, in viridem procedamus, & redeamus per glaucum in album rursus. Et si ad herbaceum accedat, inde reuertitur per viridem ad album. At quæ procedunt ad nigritiem vsque, non facile colorem aliquem splendidum assequuntur. Si enim humectantur, non concoquuntur: & ideo splendorem recipere non possunt: humidum enim non concoctum, inæquale est: nec nitet, vt lumen resilire possit. Vbi verò resilit, partem & illuminat, diluitque lux ipsa colorem: atque ita hæc se habent.

Quamvis ergo puniceus medius sit albi atque nigri, & herbaceus nigri ac glauci, non tamen inter puniceum & album tot sunt colores, vel inter herbaceum glaucúmque, quot inter puniceum vel herbaceum ac nigrum: quoniam in maioribus quantitatibus interualla maiora sunt eiusdem proportionis. Fingamus album habere luminis centum partes, puniceum quinquaginta, nigrum nullam: & statuantur ad sexquiquartam in flauo partes septuaginta octo: in viridi autem sexaginta duæ: erunt igitur in eadem proportione herbaceus quadraginta, rubiginosus triginta duo, cœruleus vigintiquinque, fuscus viginti: multique alij supererunt termini.

Aliud

Aliud est ergo loqui de medio mistionis, quod æqualiter vtroque termino constat: aliud de medio proportionis: herbaceus enim erit huiusmodi, quo fit, vt is color adeò oculos exhilaret: qui est etiam vltimus nitidorum in transitu ex albo in nigrum: purpureus verò inter viridem nigrúmque. Fit autem, cùm puniceus densatur & nigrior redditur, verùm lux vberior efficitur. Auctor tamen ille in huius generatione multa miscet: quoniam veris principiis caruit.

Oriente Sole & occidente (quoniam placet exemplum) is color apparet. Cæterùm aureus color ex flauo fit, cùm in materia densa & polita, vt in auro, fuerit: atque hoc nescio quo pacto auctor ille rectè diuinauit. Elementa verò liquida, vt aër & aqua (vt dixi) quoniam perspicua sunt, nullum habent colorem: aqua autem maris colorem habet ceruleum: id est, ceræ: quoniam ob salem non transmittitur lumen: sed & ob substantiæ crassitiem lumen in omni aqua hebetescit: aër verò cùm multum recipiat luminis, vbi densatus fuerit, & in perspicua materia candorem efficit: ob id nix candida est: non quod aër sit candidus, sed quòd illi soleat multum luminis admisceri. At finis visus, quod cœlum appellamus, cœrulei seu cyanei coloris est, quod visus deficiens in nigrum desinat: at quia totum quod cernitur perspicuum: cæruleus color redditur, sub purpureo hic continetur: sed si lumen, vt dixi, resiliret, amethystinus esset.

Porrò dubitauit aliquis, cur radices, caulisque, qui proximus est admodum terræ, albus sit, cùm herbacei coloris sit pars superior? Et rursus, quomodo colores transferantur tum per vitreas fenestras, tum ex plantarum foliis in solum ipsum? quamvis aliàs de his locuti fuerimus secundum aliorum opinionem. Ergo vt ad primum dicam, causa est, quòd vmbra defertur in solum: sed cùm imperfecta sit, seu lumen per vitrum coloratum transeat, seu per frondes arborum, tantum luminis defertur pro ratione vmbræ, quantum est quod frondibus aut vitro miscetur. Si igitur lumen in vitro, quod (gratia exempli) quarta pars sit totius luminis quod album efficere posset, facit: viride illud etiam pro quarta parte vmbræ immistum, viridem vmbram efficiet. At dices: Si luminis quantitas colorem ostendit, quid opus erit tinctura? videmus enim omnia non humidi tantùm maiore vel minore additione colorari, sed propriis coloribus & maximè herbarum, lignorum atque terrarum. Mirum autem videtur, quod idem genus terræ semper eandem quantitatem luminis recipiat, & maximè crudum, coctum, siccum, & cum humore dissolutum. Sed non est ita: nam humidum nigrius est: postquam siccatum fuerit, imbuta superficies eo quantitatem luminis solitam excipit: neque enim raritatem partium oculis ad excipiendum lumen attendere oportet: sed substantiæ ipsius quæ in quacunque parte constituta est quantumvis minima: parúmque ob id mutatur, maximè in terrea substantia: imò ob id accidit, quòd vel præparatione, vel infusione pannorum, vel ablutione, vel dum siccantur minima ex quacunque varietate, non parum color mutatur: quia verè nihil est aliud quàm certa densitas aut raritas, pro quantitate luminis excipienda, simul cum perspicuitate certa illi debita, ac portione sua nitoris, quam fullones alumine communi augere nituntur, vt splendidiores ideóque venustiores reddantur.

Cur verò plantarum pars quæ sub terra latet, candidior sit, suprà autem viridis, Auctor ille causas affert satis inconditas, & compositas (vt ita dicam) è multis. Constat autem, vt dixi, omnium horum vnum esse principium, ad quod hæc referre oportet. Consideremus igitur tria, præter id: primùm, quòd trunci arborum maiorum non virides iam, sed glauci coloris, & ferruginei sunt: teneriorum autem & herbarum, virides. Deinde, quòd pars exterior radicis plerumque alterius est coloris ab interiore, nec alba semper (vt ille ait) sed nigra, rubiginosa, rubra. Tertium, quod interior pars in plerisque alba est, paucis admodum alterius coloris. Horum si rationem reddiderim, præterquam quòd certam causam & congruentem quæsiti inueniemus, multorum quæ proponuntur problematum rationem intelligemus.

Ergo cortices magnarum arborum cùm crassi sint, & perpetuò siccentur, ex viridi herbaceo in glaucum (docui) necessariò redeunt: at interior cùm humidior sit, nec durus, in ferrugineum colorem tendit. Pars autem superior plantarum teneriorum à terra, seu arborum paruarum, seu herbarum, viridis quidem efficitur, herbaceique coloris, quòd Sol multum humidi aquei trahat, nec concoquere possit: sed perpetuò suggerente humidum radice, herbacei coloris speciem in cortice retinet. Quod verò intus est, & in ligno, & in radice, album est: quia nec humidum superabundat, cum ad corticem trahatur: nec aduritur, prohibente cortice: ideo candida plerumque est: nisi planta adeò calida sit; vt alimentum torreat: proptèrea centaurij maioris & gentianæ radix, etiam intus ferruginei fermè coloris est. Tales autem sunt vehementer calidæ: & ficciores etiam facultate, non succo, quàm calidæ. Pars autem extima ipsius radicis persæpe nigra, aut alterius coloris euadit: quod Sol etiam infra terram radiis suis, quod exustum est, exterius trahat. Porrò parum succi in radice relinqui potest, cum Sol perpetuò ad supremam partem plantæ, quod tenuius est, trahat. Quæ ergo plantæ, corticem radicis habent nigrum, calidiores sunt, & ficciores, & tenuiorum partium: atque ideo nonnullæ ex his odoratæ, velut hanamunda, quæ odorem garyophyli refert. Si ergo pars radicis detegatur pastino, viridis fit ob eam causam: vt si truncus tegatur terra, viridis contrà esse desinat.

At dicis: Si radix intus alba est, vel semper alba est, atque sic non ex admistione luminis fit albitudo. Sin cum detegitur, excoriatur?

excoriatur: tunc primum lumen recipiet: videmus autem quòd, etsi dum detegitur, vitro includatur, vt aërem nullum excipere possit, albam esse. Verùm, vt dixi, aërem in se continet dum gignitur, aptum luci excipiendæ: nec tamen alba est radix, vel vllius coloris: quoniam lumine destituitur: sublato cortice, alba statim efficitur. Sunt ergo colores potestate in mistis: quia actu continent & aërem & substantiam, quæ capax est certæ mensuræ luminis. Quod ergo Aristoteles ait tribus constare colorem, luce seu lumine proprio, colore rei, & medio: sic intelligendum est vt dicitur de luce ac lumine. De medio autem, non quòd medium colorem præbeat, quia habeat, sed quia temperat multitudinem radiorum. Indicio sunt crystallina prismata, quæ non cuncta, imò nihil ostendunt colore crystalli: sed purpurea, amethystina, punicea, candida, cœrulea. Oportebat ergo ostendere crystallini coloris aut aquei, ea quæ ipsa prismata inspiciuntur. Indicio etiam est lumen efficere colores solum, quòd dum Sol obtenebratus in deliquio, omnia crocea videntur quæ à Sole illumantur: quia rarior radius, nec lucidiorem (vt album) colorem efficere potest, nec nitidiorem, vt viriditem aut puniceum: sed croceum dilutum, atque languidum.

At dices: Quæ per vitrum videntur coloratum, etiam eiusmodi colore delibuta, quale vitrum est, videntur. Vera refers: sed non quia color ille ad rem transeat subiectam, sed quia vel solus videtur (quod contingit, cùm vitrum crassius extiterit) vel quoniam radiorum multitudo, ad mensuram ei colori debitam (vt dixi) redigitur. Quod verò de colore subito dicitur, ita intelligendum est, vt aërem & substantiam quantitati luminis excipiendæ aptam, non colorem vllum intelligas: nam circa lumen color non est actu. Quod si esset, præter reliqua quæ adducta sunt, bis quidem color efficeretur: primùm sine lumine, deinde cum eo.

Rursus color albus cùm fiat ex collectione luminis, vt dixi, nec in perspicuis, nec valde nitentitibus inueniri poterit: duplex tamen est: alius, vt in niue splendens: alius non splendidus, vt in cerussa & lacte. Qui splendidus fit, collecto lumine in aëre, & nitida ex superficie generatur: qui verò non splendet, ob materiam fit, qui tenues habet partes admistas crassioribus, sed spumosis: indicio est spuma lactis adeò candida, quæ aquæ admiscetur. In calce quoque copia adest aëris, ideò calx ipsa splendida est: in cerussa minus: nam & ipsa grauior est. Indicio etiam est, ab aëre dealbari cuncta, quòd huiusmodi omnia immodicè sicca sint. Quæcunque etiam alba nitent, candidiora videntur, maximè in nocte. Quod si lumen colligatur, nocte lucent: atque alia quidem per se, vt lapis quem Amatus apud Epidauricem vidit: verba illius adiicere libet: (Erat lapillus hic aspectu mirus, magnitudine vitelli oui gallinæ primiparæ, qui (vt dixi) albissimus erat, in tenebris ex se lucem emittens, non adeò tamen ingentem vt cataphracti homines trecenti coràm eo illuminari possent, vt rudes putant. Crediderim ego Seleniten esse candidum, pellucidum, minimè ponderosum, in Arabia nascentem. Erat quoque ei lapillus alter albus, vnguis humani magnitudine, qui ex se igneas quasdam flammas emittebat, in tenebris quoque lucens: quem ille Orphanum nominabat, vt carbunculum alium: nam carbunculum non rubrum, sed album, etiam Marbodeus esse dicit. Sed ad rem redeo.)

Vbi ergo herbaceus color in fructibus processerit, vel retrocesserit, colores omnes referre potest: nigrum quidem, cùm succus vinosi extiterit coloris: vt in vuis, moris, prunis sylluestribus. Cœruleus autem color ex nigro atque puniceo consistit, vt medius fit inter illos: nam amurca ex albo transit in puniceum, ex puniceo superueniente nigro cœrulea efficitur. Frumentum autem ex viridi fit flauum, ac penè glaucum, dum retrocedit: quoniam cortex tenuis est, & humidum illius priùs euanescit quàm concoquantur, vt in foliis: idem de aristis, ac longè magis: glaucæ enim sunt. Voco glaucum colorem, qualis arundinibus siccis inest.

Sed cur beta folia ex viridi rubræ, non glaucæ, vt aliarum plantarum, fiunt? Quoniam pinguius humidum est: ideo dum siccantur, concoquuntur: minus tamen quàm cætera: ideo, vt ex nigro amethystina, ita ex herbaceo rubra cum modico splendore efficiuntur, ob causam dictam: scilicet quod parùm concoquantur, ob caloris imbecillitatem: & quòd herbaceus admistam habeat nigritiem. Atque hæc de coloribus. Nunc reuertamur ad gemmas.

Harum igitur differentiæ ex coloribus sunt. Cùm verò nitor non possit esse eximius in eo in quo radij pertranseunt, sequitur vt nullum perspicuum niteat: & similiter cùm in opaco lumen non colligatur, neque opacum poterit plurimùm nitere: relinquitur, vt nitor sit in superficie durissimæ gemmæ perspicuæ, cuius imum opacum sit, velut in adamante cùm in eius imo nigra tinctura obtenditur: quamobrem & talis candidissimus esse potest, cuiusmodi est sidus maioris canis. Dubitabit autem aliquis, quonam pacto extremum sideris opacum esse possit? At certè id contingit ob luminis copiam, & sideris magnitudinem: vnde fit, vt ex tot partibus profunditatis collectum lumen, vicem habeat perspicui, in cuius imo opacum sit, nihil autem tale apud nos. Sic ergo incipiemus.


Adamas candidus, nitissimus & perspicuus, maximam etiam habet duritiem, & luminis copiam: vnde efficacissimus est, quacunque virtute præditus sit. Confricatus paleas trahit, valentérque pro magnitudine: coërcet nocturnos timores: quare necesse est vt melancholiam & atram bilem sistat, animámque confirmet. Est ex eo vitiosus ruber, & rarus: citrei verò coloris frequens, ac durus, qui animum non adeò reddit purum: verisimile autem est hoc agere, mutando vitalem spirituum: nam terrores in corde fiunt: indicio est cordis palpi-

tatio

tatio in timore. Inuenitur quandoque in Scotia vt referunt, pulcherrimi tamen ex Oriente aduehuntur: inuentus est nostris temporibus iunctus cum carbunculo magnitudine fabæ, & purus: quòd mirum est: frangitur malleis etiam paruis faciliter, sed non tangitur nisi sua scobe, qua etiam expoliri solet. Eius autem fragmenta ob duritiem gemmas omnes incidunt: vnde qui gemmas cælant, illis vtuntur, postquam ære ac smiride crassiore Minerua figuram effinxerint. Infelicem creditur efficere gestantem: sic enim ad animum se habet, vt Sol ad oculum: ille enim potiùs obfuscat, quàm illustret visum. Facit etiam intrepidum. At nihil est quod nos magis securos reddat, prudentia & timore: ideò timidis melior. Sed neque his conuenit, cum ea parte qua non oportet quandoque audaces faciat, qua opus est timorem non adimat: hoc enim discrimen est affectuum naturalium, & ex Philosophia aquisitorum, & vi externa: veluti lapidum gestatione. Ignibus per aliquot dies resistit.

2 Selenites, qualiscunque sit lapis, de quo dictum est suprà, candidus, leuis, splendens, noctu non solùm lucet, sed loca proxima illustrat, eò quòd lumen colligit, non transmittit adeò vt adamas: quare nitet exteriùs, & non est tam perspicuus. Somnia ostendere varia verisimile est, & ad prædicendum iuuare: inquietum reddit animum, & hominem (vt existimo) infelicem: lux enim nimia agitat mentem. Ratus est valde inuentu, ideo perdifficile est scire quid propriè agat.

3 Selenites alius frequentior, qui apud me est, lineam candidam præmonstrat, tendentem ad locum lucidiorem: ideo si Sol est in a, vel luna, vel astrum, aut candela, linea ostenditur b c tendens ad dextram paululum, & eo tenuiorem, quo culmen lapidis



versus lumen tendit: tanto verò candidiorem, quanto tenuiorem: ita vt cum fuerit tenuissima niuem candore ipso superet: color totus similis est ad vnguem chrysolitho, id est aureus viridis: duritie est carneoli, rarò accedit ad auellanæ magnitudinem, totus perspicuus. Siccat, & somnum minuit, & curas auget: pulcher aspectu: ob raritatem non potui deprehendere proprias illius vires: facit mutabilem: credoque esse infelicem satis grauis est.

4 Carbunculus granatus dictus est, quòd fulgeat, similisque sit grano mali punici, quod vulgari nomine granatum vocant. Duæ species mihi notæ: Hispanus & Orientalis. Hispanus dilutioris est coloris: attamen si magnus sit, & egregius, flammam coruscantem æmulatur. Sine dubio collo suspensus, & ebibitus, etiam tristitiæ multum resistit, si quid aliud. Sed somnum valde minuit, vt nil sit ex quaque parte beatum. Est enim terreæ igneæque substantiæ. Cor confirmat, & tantundem cerebro nocet. Facit hominem iracundum, & sanguinem exagitat. Quæ verò in Æthiopia inuenitur, Soriamque vocant gemmarij, longè pulchrior est: quoniam densiorem habet substantiam, ad hyacinthique colorem accedit, adeò vt ab illo vix distinguatur: verùm non coruscat, vt prima: ideo neque ad iram, neque ad vigilias ita hominem pronum efficit, vt prima species. Sed nec exhilarare tantum potest. Existimant Occidentales, ignibus diu resistere, nec deturpari.

Hyacinthorum rursus duæ species: rubra, quæ nobilior est: & carbunculo similis, quæ ab igne illicò mutatur: vixque qui lentem magnitudine excedat inuenitur. Sed gemmarij sæpe Granatum Æthiopicum pro eo ostendunt. Pro constanti creditur, hominem tutum reddere à fulminibus, pesteque: & si peste quis laboret, nitorem amittere colorémque dilutiorem ac languidiorem induere. Cor etiam confirmat, ebibitum & gestatum: somnum conciliat, & honores auget, tum diuitias atque prudentiam: quæ omnia etiam facit, qui colorem habet florum garyophyli Turcici: id est, luteum, quasi lutei oui, sed splendidum & perspicuum. Venustus est, ac non facilè vitiatur: est enim carneolo aliquantulum durior: non est tamen adeò efficax, vt ille. 5

Achates nullum colorem respuit, propterea plura genera lapidum ad eum reducuntur: vt contra achates videntur esse sub diuerso genere, atque sic decipere solent emptores. Est autem discrimen, quòd figuræ quæ in eodem genere lapidis & colores apparent, sunt vno & eodem modo, & inter se similes, & non referunt quicquam præcipuum, prout nec hominem nec equum: & habent eundem nitorem, vel prope: sed aliæ figuræ non sunt similes, nec concordant cum coloribus, nec duritie: & hæ carent omnino viribus, & illæ omnes sunt viribus præditæ. Et cum tot modis varientur figuræ & colores in achate, necesse est vt omnes figuræ animalium & plantarum & instrumentorum inueniri possint in eo: velut caput equi, delphin, sylua excisa. Et hoc idem accidit in iaspide, & magis in cataposto, qui gemma non est: in hoc enim vidi varias figuras, & ad amussim fabricatas ac depictas. 6

Achatis omne genus facit sobrium, continentem, & cautum, ac solicitum: ideò ad diuitias vtiles omnes. Ferunt Indos maximè varios esse, & in his apparent miræ effigies. Famosus est achates Pyrrhi regis, cum nouem Musis, Apolline citharam in medio pulsante. Vidisse refert Camillus Leonardus Pisauriensis achatem cum septem arboribus in vna planicie pictis, rem pulcherrimam, & visui gratam. Ego habeo cum capite, vt dixi, Galbæ, colore ferrugineo diluto lineis nigris, figuram eam referentibus: qui mœroris causas affert, & somnum conciliat. Alium habeo cum multis oculis albis, ac quasi pupilla in medio ferruginea. Hunc

credo ad prudentiam plurimùm conferre, si appendatur collo. Sed forsan gemma est sui generis. Alium habeo cum effigie ignis ardentis, & fumi cærulei: inde aëris circumambientis liuidi, quem quasi cœlum circundat, vt vespere cum Sol sereno occidit. Colores in achate rubri acuere visum creduntur. Certè virides generaliter oculis in quibuscunque lapidibus sunt vtiliores. Habeo frusta duo huius lapidis, cum herbis intùs atque aliis corporis collusccentibus:rem visui gratam,quæque me exhilarat: est enim perspicuus.

7 Iaspis achati similis est, sed ex molliore materia, & crassiore: ideo minus nitet: colorem omnem combibit, non tamen album aut nigrum adeò frequenter & bene vt achates. Optimus est, qui ex Oriente aduehitur: probatur maximè viridis, cum sanguineis maculis. Sunt etiam qui lineis distinguuntur: familiaris color ei est, in vario ferrugineus. Sanguinem vndequaque fluentem collo appensus cohibet, & ventriculum confirmat: & in his duobus effectibus euidentes habet vires. Propter hæc tanquam ex primis virtutibus secundæ profluunt,vt conferat asciti, bifariam: nam multi ex fluxu sanguinis in illam incidunt, & concoctionem adiuuando. Sed & libidinem minuit, & vim concipiendi hebetat: refrigerat, astringítque sanguinem. Confert visui: quoniam viridis omnis color illi vtilis est. Quòd verò victorem reddat gestantem, id contingit: quoniam timidi vincunt sæpiùs, quòd à dubia pugna quantum possunt abstinent. Facit & gratum: nam mansueti tales sunt. Pellit inanes cogitationes, non omnes,sed eas quæ ex sanguinis impetu procedunt. Qui optimus est, & viridis est, & perspicuus, si non admodum crassus, & nitens, & aspersus rubentibus(quasi sanguinis imperfluentis stillis) maculis: & hic collo suspensus, suspiria facit. Sunt qui hoc genus appellent Heliotropium, nescio qua ratione.

8 Myexis lapis est qui, in capite bufonis inuenitur, magnitudinis miræ: est enim (vt Brasauolus auctor est)craneum illius animalis: color est ferrugineus, in viridi gemma non est: nitet tamen: pars exterior plana: est enim ipsum os. Interior autem verè lapis est, seu potiùs lapidea terra, quasi concreta diu rotundus est plerunque, & magnitudine latitudinis fabæ. Ego autem habeo longiorem faba mulio, & crassiorem: nec scio quomodo craneo bufonis conuenire possit, propter formam, cùm tamen sit genuinus. Mentiuntur gemmarij, qui lapidea intùs partem detracta appingunt bufonis formam, vt extrà reluceat: inde cera terræ rubræ mista partem cauam implent, vt imponant temporibus cùm nihil tale naturale sit: vires eius expertæ sunt, quòd gestatus tollit renum dolores, etiam antiquos, & lapidis prohibet generationem.Sed lotio illius etiam plurimùm confert, & præsenti est auxilio. Ventriculi etiam affectibus & febribus eadem confert: sed,vt existimo,non omnibus. Ven enatis etiam ictibus, sed nonmagnum, affert auxilium.

Porrò lapides omnes teneriores diluto suo conferunt plus etiam persæpe, quàm epoti: quòd tenuiorem partem per meatus procedentem, in aqua seu vino relinquunt. Referunt tamen, illius substantiam ebibitam sanare omnem noxam veneni assumpti quòd, dum perambulat corpus, proprietate sua quicquid est veneni,secum educit,si frigidum sit, aut putrefaciens: hebetat autem si sit calidum & erodens.

Pezar ego vidi: quæ sit origo, nondum noui. Amatus Lusitanus dicit, vidisse oui magnitudine: & quòd extrahitur ex corde vel ventriculo capræ. De corde esse non potest: de ventriculo quòd non sit, suspicor: quomodo enim in lapidem adeò tenuium partium & purum concrescere posset in tanta cauitate, & inter tot sordes? Aliud esse vult à cerui lachryma, quam dicit se habere, quæ mellei est coloris:parùm autem splendet. Sed qui ex India aduehitur, læuis & ipse est, sed mollis, & minimè ad naturam gemmæ accedens:nitet satis, & forma est ossis dactyli, accedens ad oliuæ effigiem. Color, qualis putrescentum oliuarum: verùm splendidus, scilicet ferrugineus ex viridi: virescit plus myoxi, & magis nitet:facilè frangitur & teritur: vis maxima,tribus granis hordei pondere æquato,aduersus venena, quæ per vomitum potenter expellit: sed & per alias vias: hoc tamen de sudore quod fertur, non sum expertus. Si non assumenti venenum detur,vomitum non concitat. Alius etiam aduersus venena plurimùm valet. 9

Catapastus mollior est multo iaspide, ex quo fiunt manubria ensium: proprium genus habet: nec maculosus est obiter, sed certa ratione, instar fermè operis quod Damaschini: colores maximè in eo duo, quibus has fingit figuras: buxeus & ferrugineus. Frequens Lutetiæ. Magnas vires habere non potest, quoniam magnus non est: collocat enim natura vires iuxta magnitudinem summam illius speciei: vnde neque in silice, neque marmore vis vlla insignis est. 10

Si quis obiiciat de herculeo lapide, qui magnus cùm sit, insignes tamen habet:Respondeo, quòd non habet validas vires: magna enim qualitas lapidis modicum ferri mouet. Sed vires sunt insignes ratione finis, & est vsus pyxidis.

Magnetem toties attigimus, vt pudeat de eo loqui: propterea vide in primo de Secretis. 11

Phrygius lapis est, non splendidus, sed mollis: pallidus est, cum quibusdam lineis albis, sed inæqualiter distinctus. In officinis, R. Constantino, ex Iacobo Dalechampio vocatur lyncurius: optimum fit ex eo medicamentum ad oculos, pro quo vide Galenum in quarto. De compositione medicamentorum secundum locos. 12

Ophites duo habet significata: lapidem nigrum cum imagine serpentis, ad quem dicit Albertus congregatam magnam multitudinem serpentum: hunc oportet gigni viribus stellarum, quæ in cœlo serpentem effingunt: nam & Augusto in pectore maculas fuisse traditur serpentis effigiem referentes. 13

rentes. Prudentem & inuictum, gestantem ac magni nominis efficit.

14 Secundi generis est, lapis qui ad magnitudinem immensam crescit, viridibus ac nigris plerumque aut alterius coloris maculis alternantibus. Gestatus, vt dixi, magnas vires habere non potest. Creditur tamen capitis dolores collo appensum leuare: visu recreat oculos, & animam cum quadam modestia exhilarat. Aduersusque serpentum venena & ictus valet. Proponitur & tertium genus, quod dicunt è capite draconis extrahi, alioque nomine propriè vocatur: sed ego nil habeo quod de eo dicam: è tribus generibus, si hoc admittatur, nullus est gemma: sed omnes lima tanguntur.

15 Eumetris gemma est maculis exiguis distincta: ex quo apparet non esse è genere Iaspidum, aut maioris cuiuspiam lapidis: nam parua frusta magnas nihilominus maculas retinerent. Somnia læta facit, in argenteo annulo gestatus. Creditur moderatum hominem ex vi nominis efficere. Dicitur etiam, sub ceruicali positus futura per somnum ostendere. Habeo magnitudine phaselli. Distinguitur ex nigro & cinereo, similis ad vnguem fermè silici: propter hos colores parùm splendet, etsi duritie sit fermè achatis.

16 Coralius frutex est in imo maris nascens, paruus & ramosus: coloris inuenitur candidi, qui cariosus plerunque est: ruber, & niger, qui rarissimus est. Antipathen esse non crediderim, sed vitium quasi, aut mutationem rubri: nam & ipse niger splendet. Precium est in magnitudine, puritate, nitore, cuiuscunque sit coloris. Ruber viribus præstat, reliqui raritate: sed nigrum, vt dixi, rarissimum. Purum est, quòd carie nulla prorsus vitiatum est: quòd in hoc genere vix est reperire. Purum etiam dico, quòd nigrum nigerrimum sit, candidum candidissimum, rubrum flammam æmuletur. Gemma, vt dixi antea, non est. Camillus Leonardus affirmat, eius puluerem ab initio datum infanti pondere granorum decem, illum à comitiali tutum reddere. Gestatus imminentes morbos præmonstrat, & statum præsentem. In morbosis impallescit, & nitor eius minuitur. Qui vt flamma ardet, & solidus ac æqualis est, cor & ventriculum & iecur confirmat. Sanguinem enim æquat: vnde hilarem efficit, & minimè suspiciosum: albus simplicem & lætum, niger prudentem. Cætera quæ ei tribuuntur, quatenus absolutè proferuntur, fabulosa sunt, & fortuita. Epotes certè auxiliatur renum calculosis affectibus: sanguinem sistit, & gingiuarum atque dentium medicamen præstans est.

17 Carneolus est coralius perspicuus, vt coralius carneolus opacus: vterque enim cùm perfectus fuerit, sanguinem refert: atque ideo carneolus iras sedat. Crescit & carneolus in molem magnam, & candidus primùm euadit: nec minoris precij est coralius apud Persas & Indos, quàm apud nos balassius vel sapphirus, & fermè margarita. Est enim coralius Occidentis lapis. Cæterùm carneolus cùm ex albo in rubrum transit, nec color totam substantiam obtinuit, paleæ colorem aut corticis citri induit. In precio ergo est ruber, sanguinis colorem aut substantiam, sed perspicuam referens, vt si purus: perspicuus, sanguineo tamen colore, ac fulgens, rarus est inuentu: gemma tamen est durior iaspide, mollior achate. Habeo insigne in figura muris ad vnguem velut depicta, sed pedes desunt. Reperiuntur & in Istro. Sanguinem vndequaque fluentem compescit. Ad sigilla aptus: quia minimè ceram rapit. Carneolum nigrum vidi. Coralius colorem citri non induit: quia perspicuus non est.

Prassius viridis est, & rarò sine punctis 18
atris inuenitur: domus est smaragdi, vt iaspis prassij, & iaspidis marmor: hæc enim obseruaui. Tanto mollior ob id est prassius iaspide, quanto smaragdo durior. Inuenitur & in Germania orientali pulchrior, vt etiam chrysolithus: sed molliores, qui venustatem tempore est, minores: tum eo magis, quòd in molem augetur: acerbi vt dilutiorem habent colorem, ita & puncta rubra seu alba. Qui verò prassij sunt, & minoris precij: at si puri sunt, & plurimum nitent, ex genere sunt achatum: qualem vidi apud antistitem Mediolanensem primarium, Philippum Archintum. Sunt qui velint esse Grammaticum, propriumque gemmæ genus.

Smaragdus gemmarum omnium precio- 19
sissima, & fermè tenerrima. Scythicos præferri omnibus creditum est, inde Britannicos: tum alij subsequuntur primi generis. Secundi autem sunt ex Peru, duriores, alacriores, sed non adeò pressi coloris, atque herbacei, sed solùm virides, ideóque magis perspicui. Tertium genus vile & abiectum, occidentalis etiam indiæ: primis durius, sed vix perspicui, & hebetes: luce propria gaudent: ideò nocte pulchriores. An omnibus similes vires, & an smaragdorum è genere sint, satis mihi dubium est. Prassium aliquando habui smaragdo proximiorem, smaragdis Peru & S. Marthæ. Qui ex Peru sunt, vix vnus est sine macula aut vitio: plerique etiam dilutum nimis habent colorem alij paululum nigricant, quòd omnem decorem aufert. Nullæ gemmæ tutius feruntur smaragdo, sapphiro & hyacintho. Sed smaragdus facillimè frangitur, cum tamen precium sit ingens. Quoniam verò nulla gemma colorem aliquem suscipit in regressu, vt in fructibus & aliis vilioribus rebus accidit, necesse est vt frigida sit, & exustionis omnis expers: ideóque venerem cohibet. Ferunt etiam, in virginum defloratione egregias smaragdos frangi. Hæ sunt quæ puræ sunt, & pressi coloris herbacei, cum tanto fulgore vt aerem ipsum circumstantem, ac proximas res colore inficiant: quòd experimentum licet euidens, rarum sit, frequens tamen est subobscurè, propter coloris ipsius robur innatum.

Aliud experimentum: annulo inclusa gemma, iuxta pratum virens dum inspicitur illius aspectum vincit: illud enim amplitudine sua, hæc fulgore ac quasi multas amplectente viriditates colore presso certat. Comitiales & vertigines sanat, & memoriam

riam confirmat. Sedat affectus animi, & ad diuinandum vtilis est. Visui perquàm vtilis, & cordis affectibus facundiam & amorem erga studia adauget. Elephanticis vtilis gestatus: sed magis ebibitus: & omnibus venenis aduersatur: tum etiam dysentericis plurimùm prodest. Inanes terrores discutit, quos dæmonum vocat vulgus illusiones: bonos mores ob id præstat: nam improbitas nil aliud est quàm inscitia, atque stultitia, iráque seruare opes facit, atque ideo augere diuitias creditur: sed ad hoc parum confert: atque hoc non solùm ab aliis experta accepi, sed sum ipse etiam expertus.

20 Sapphirus, gemmarum omnium pulcherrima est, cœli colorem refert miro splendore, & perspicuitate summa: non tamen margaritas, carbunculos, adamantes, neque smaragdos precio vincit: omnium durissima præter adamantem. Omnibus in morbis cutis gestando vtilis est, vt ego expertus sum: anthraces enim nasci vetat pestifero tempore, & scabiem semper minuit: castum & pudicum etiam ob id reddit, & sudores eadem ratione comprimit. Et ex secundis quasi viribus corpus confirmat, & colorem bonum facit: terrores vanos tollit: atræ bili aduersatur, cohibet, & iuxtà etiam pellit. Mores in melius mutat, támque ex tertiis viribus: vnde pios facit, & tranquillos: oculos si tangat sæpiùs, à variolis præseruat: & anthraces eodem modo impositus mitigat & sedat. Creditur necromantiæ auxiliari: sed priùs constituere oportet quomodo sit, an naturalis scilicet: idque difficile videtur: nam animam ab errore liberat: hæc autem constat violata mentis & sensuum acie, vel à diuino numine: non par autem est, lapidi tantum tribuere. Malim tamen in dubiis experimento cedere. Ob duritiem, qui acerbus est si per tres horas in auro excoquatur, in speciem transit adamantis, candidissimúsque euadit, ac splendidus: vnde patet, exhalatione terrea tingi: antea enim non adeò perspicuus est: propterea etiam tincturam recipit nigram, cùm reliquæ omnes gemmæ quæ adamantem referunt, tincturam non tangant, ne obscurentur, sed solùm ab ea circumdentur. In manibus habui acerbum, qui in angulo solum sapphirus videbatur, reliqua parte adamas: pulcherrimus ob id erat: verumtamen non erat adamas: & quia auro inclusus, nitorem illum non seruabat, vt cogeretur auium pedibus includi, non emi.

21 Margarita, candidorum monilium pulcherrima & preciosissima, neque tamen gemma est neque perspicua. Orientales præcellunt eas quæ in Britannico mari gignuntur: sunt enim magis fuscæ, & remissæ. Exhilarant hominem aspectu, & castum reddere creduntur. Celerrimè senescunt, vt quæ lapides non sint, sed in conchis ostreorum quorundam, quorum pars interior splendida est, gignuntur: annexæ persæpe, plerumque etiam separatæ, durant tamen aliquot seculis. Epotæ astringunt, & cor confirmant: sanant praua & humida vlcera, vocémque clariorem reddunt: maximum & innoxium oculorum medicamentum: nitescunt datæ columbis: inde post sex horas extractæ, vnciæ pondus excedere vix creditum est.

Carbunculus gemma est, quæ ignibus 22
diu resistit: cuius tres sunt species propriæ, omisso Granato, Balassióque, tanquam sui generis. Gemma est rubri coloris, ac micantis, vt ignis: violaceus color in eo etsi gratiam addat, vitium tamen est, & precium minuit. Eius tria sunt genera: orientalis, rubith: id est, spinela (vt dicunt) & Germanicus, durus, sed nigricans, ideò parui admodum precij, etsi gemma vera sit: sed neque ad latitudinem pisi perueniunt hi vnquam: cùm verò tenues sint, Gemmarij etiam tenuiores reddunt, vt melius lumen excipiant, nec obfuscentur adeò. Spinela clarior est, & iucundior aspectu, sed tenera: precium ob id vilius, duricies tamen in eis diuersa est: tenerrimæ quædam enim sunt, aliæ prope duriciem veri carbunculi, quæ paulò inferior est sapphiri duricie. Omnis autem gemma durior teneriorem secat, adeò vt etiam crystallus durior vitrum secet, si præacutus sit. Sed ex his manifestum, vitrum ab omnibus cælari gemmis, facillimé tamen ab adamante, pòst autem sapphiro. Adulterantur carbunculi sandaraci: id est, auripigmento rubro excocto, atque ita venenum datur pro alexipharmaco. Porrò gemmarum adulterinarum arte alibi scripsimus, tum maximè in quarto libro de Secretis.

Dignoscuntur quæ adulterinæ sunt, interposito colore: vt si albus carbunculus interposito minio aut cinnabari, crystallo supponatur ex angulis, vt aliàs docui: quoniam colorem recipere non possunt transuersè inspiciendo.

Cæterùm omnes gemmæ, perspicuæ saltem, ab initio candidæ sunt: velut omnes fructus virides: itaque & omnes candidæ gemmæ crudæ sunt, & crassioris substantiæ, velut acerbi etiam fructus. Emere licuit mihi duobus coronatis carbunculum vnguis magnitudine, purum atque perpulchrum, sed candidum, ex quo per seplasiam fingi poterat interposita cinnabari carbunculus in effigiem veri, precij aureorum plusquam quingentorum: ad lucrum fraus, ad vsum res iucunda: sed ab igne, ab exercitatione vt corpus incalescat, & ab aqua cauere oportet. In omnibus autem, ab equitatione, & tractandis rebus grauibus ac ponderosis. Orientalis carbunculi præterea duæ sunt species: nam qui ardens omnino est, vt superfusa noctu aqua splendeat vt ignis, propriè carbunculus dici meretur, Græcèque pyropus: alij autem instar fœminæ sunt. Sed ego in lapidibus, quanquam viuere eos affirmem, non tamen qui in animalibus inueniuntur (quales limacius, coruina, cinædius, margarita) sexum in iis vnquam deprehendi: licet cum natura, vt & nos, miraculis delectetur, in aliquo genere tales esse possint, vt quasi sexu distinguantur: quod in plantis manifestè deprehenditur: idque exemplo inferiùs ostendam.

Vires carbunculi sunt, libidinem coërcere, pestilentiæ resistere: idque maximè epoti: incolume corpus seruare, malas auferre

cogitatio

cogitationes:nam hæc omnia hoc ipso constant, quod vitalem spiritum confirmet. Ex secundis viribus est, vt promptum & alacrem faciat hominem, atque ideo bene fortunatum.

23 Armenus lapis coloris est inter viridem nigrumque ad cæruleum tendens, fragilis: ex Armenia olim, nunc ex Germania adue-hitur: eiusdem esse generis, color & substantia atque operatio docent: nutrit pilos palpebrarum: melancholiam purgat innoxiè & validè: sed tamen vomitum excitat: cuius causa plerunque est puluis admistus, ideo lauari sæpiùs aqua debet.

24 Cyaneus, quem vocant Lazuli, cærulei coloris est: seque habet ad sapphirum, vt coralius ad carneolum. Pulcherrimus est in eo genere, licet opacus. Inuenitur, qui stellis aureis sparsis, figuras diuersas refert: atque hic in precio est. In igne diu illæsus manet: teritur, qui minus est insignis, pro picturis æternis: nam nec imbribus, nec sole aut ventis, quæ tres sunt picturarum calamitates, superatur. Vidique picturam ego in muro, cuius colorem emere voluerunt auri maiore pondere pictores, cum iam annis centum pictura antiquior esset. Detrahere enim atque purgare cyaneum volebant, quod picturæ vilior esset materia, tum vetustate muri corrupta.

Purgat & hic melancholiam egregiè, sed magis turbat armeno lapide. Gestatus confert visui communi ratione, & similiter exhilarat hominem. Duo enim colores recreant visum, & exhilarant, non solum in gemmis, sed etiam picturis atque tincturis, viridis & cæruleus, cuius causam superiùs docuimus: vbi dictum est, quod hi etiam plurimum continent lucis. Peculiariter autem, vt dixi, præcipuè stellatus efficit hominem comem, bene fortunatum & diuitem: Gemma non est.

25 Stibium inter lapides metallicum liquescit, inter metallica lapis: quoniam etiam teritur: miscetur cupro, vt resonent meliùs nolæ. Sanguinem sistit: nec vlceribus, illius oleo & aqua salubrius medicamentum. Præparatum etiam purgat mirum in modum, & exiguo pondere, immensam quantitatem humorum crassiorum crudorumque: vnde morbis longis & difficillimis valde salutare est, vt etiam in Indica lue: pro quo Matthiolum in suis commentariis super Dioscoridem vltimò editis consule. Hæc sunt tria præcipua medicamenta purgantia, quæ ex lapidibus sumuntur: Sicut ad cor confirmandum ex gemmis preciosioribus, adamante excepto, fieri solent, debéntque, scilicet Smaragdo, Carbunculo, Sapphiro, Hyacintho primi generis, Granato, Carbunculo Hispanico, & Margaritis. Qui alias addunt gemmas, sophistæ sunt, nisi Chrysolithum iungere velint. At verò quoniam, vt dixi, quæ albæ sunt, aut diluti coloris, crudæ sunt, & immaturæ gemmæ, coloratas accipere debemus: at quæ bene coloratæ sunt, si puræ sint ac magnæ, magni sunt precij. Per exiguas autem, & puras & bene coloratas accipere oportet.

Quòd si tales desint, adsint autem magnæ & bene coloratæ, sed quasi exustæ, aut opacæ, tunc purgare eas oportet, frangendo illos, non terendo, & lauando aqua purissima. Quicquid verò opacum est, aut exustum, abiicere oportet: dilutiora etiam frusta opacis aut exustis minus mala sunt: tum verò si celeritate opus est, in pollinem redigenda. Margaritæ & chrysolithus subiguntur à calore naturali, tum etiam smaragdus: reliqua vix. Sunt tamen qui delectentur offulis ex saccharo, intermicantibus gemmis: at ego vererer, ne sic exhibitæ, vel calculos transeundo gignerent: vel non transeundo, inefficaces redderentur.

Indus lapis ruber est, ac carneolo similis: 26
sed duritiem habet sapphiri, qua à carneolo distinguitur: dixi enim, duricie præsertim gemmas distingui. Ob id quidam Indum aiunt appellatum sapphirum. Verùm sapphirus omnis cærulea aut diluta esse debet: à Sappho enim poëtissa, quæ illum gestaret, nomen accepit. At quoniam dura est, multum & citò mutat animi mores. Ob colorem autem ad ambitionem & constantiam, facítque studiosum rerum rariorum & abditarum: & plerunque cum parua vtilitate, vt multa talia esse solent: nam rara iucunda, trita autem meliora.

Astaci duorum sunt generum, inueniuntur enim in oculis, cùm corticem exuere 27
volunt: & quo propiores mutando cortici, eò maiores fiunt, atque hi frequenter colore sunt albo ad ruffum tendente, orbiculati exterius, interius caui paulisper noti sunt, vt qui ab abundent in fluuialibus astacis, leuigati & in pollinem redacti, confringunt lapides renum, & paruos calculos etiam vesicæ expellunt. Sed meliùs, si in aquam exusti, deinde calce eorum sub marmore in loco humido positi redigantur. Alius lobæ similis ad vnguem, forma, magnitudine, colore, in cheli magnorum astacorum inuenitur. Semel à me, semel à contubernali meo vno Christophoro Sacco inuentus est. Gestatum credo in felici prodesse, & mentem firmare, nec permittere ad inopiam venire: lunæ enim parère credendum est: nihil tamen habeo constitutum.

Glotis, lapis apud me est, linguæ forma, 28
& magnitudine, sed aliquanto breuior: colore ferrugineo, cum venulis quibusdam rubris ac sanguineis: in manu detentus, lentum quendam humorem mittit: & videtur ingenium acuere, industriamque augere, mollis est: sed qualis sit, vires egregias habere illum verisimile est: & esse proprij cuiusdam generis. Casu inuenit Gulielmus Cateneus Anglus, contubernalis meus.

Calais, est gemma paulò durior crystal- 29
lo: cuius, cùm sit rarissima, maxima copia est: nam vitro adulteratur, plurimique nobiles vitrum pro ea ferunt in annulis. Inuenitur enim vitri species non ampullosi ac durioris, quòd sub terra sepultum colorem contraxit sub cæruleum, & aquæ maris similem fermè: nam & ipsa colorem habet huiusmodi, sed qui ad cæruleum potiùs vergat, scilicet inter modicà viridem & cereum nec ob hoc ipsum tam vocatur aqua marina, id est calais, quæ alia est à calaide, quàm

quòd

quòd velut in aqua maris nullus certus color discerni potest, ita nec gemma hæc firmum colorem habet: ob hoc, vt dixi, vitro adulteratur. Præterea crystallo Scotica, & amethysto immatura, & chrysolitho etiam decocto: ita tot modis adulterari solet: pulchritudo cuius, cùm egregia est, etsi non adeò micet, non est inferior adamante, venustatem afferente sub cæruleo illo colore. Vidi quæ omnem adamantē vinceret, nihilominus differt in tribus: quòd nitore inferior sit illo, sed non multùm: quia lumen melius ob colorem illum mistum colligit: quòd purum non retineat candorem, sed (vt dixi) variet: & quòd vsu facticiam illam & non genuinam pulchritudinem citò deperdat. Vocatur etiam Augites à Plinio. Sed quod hæc sit calais, audi verba illius: Calais sapphirum imitatur, candidior, & littoroso mari similis.

Littorosum ego perlibenter exponerem, mari prope littus. Mutabilem & varium callidamque reddit gestantem gratiosum, ob coloris naturam, modò tamen genuina sit. Si quis vires ei cambuitis tribuat (sic enim huic similem vocant gemmam) parum aberrabit. Sunt autem qui ei tribuant, quòd faciat eloquentem, hilarem, gratum: hoc enim ex illis: vnde etiam amicos & honores hæc enim ex illis: cùm homo nil aliud sit quàm fera fallax, quæ verbis & blanditiis capitur, fauétque suo malo Nec alia via visi sunt improbi ab orbe condito. Ideò blandum facere, & eloquentem, perinde est ac si dicas, venatorem hominum facere, vnde potentia.

30 Amethystus eiusdem penè molliciei cum crystallo, simulque sæpe vnà inuenitur: albusque à crystallo vix discerni potest. Colore violæ purpureæ, vique gratus admodum visui est: vltima penè precio & existimatione gemmarum: vt tamen lima non tangatur. Indicus præfertur. Efficit sedatum, vigilantem. Ebrietatem reprimere, alligatum super vmbilicum, testantur: ad pugnas quoque & venationes vtile esse, acuit ingenium, & somnum minuit, vapores enim à capite arcet: lotio illius fœcundos efficit: & venenis resistere creditur: quòd si ita sit, pro octauo medicamento pulueri salutari adiici poterit.

31 Cochlias ex capite limacis sine testa extrahitur, albus, satis magnus pro ratione animalis illius: epotus prohibet lapidis in renibus generationem. Suspensum ferunt curare febres.

32 Cochlias alius, qui effigiem quasi cochleæ lineis depictam habet, apud me est: altera parte colore ferrugineo, maculis fuscis, antea sanguineæ videbantur: altera autem candido oui similis, scilicet perspicuo & liuido: intus vt tenuis membranulæ oui frustum, haud pura substantia: somnum tollit manifestè. multa varia, mira, & plerunque læta ostendit in somno: solicitum & impigrum reddit audacem, promptum, memoriam valde, ad atram bilem deducit, & prauas cogitationes. Nulli alij lapidi, quem viderim, tanta vis est.

33 Astrites lucem quandam ex repercussu ostendit: fit ex onyche Germanica. Chalcedonium etiam effingunt in hanc formam, & candidum carneolum: sed est huic muneri dedicatus lapis, qui fulgorem illum splendidiorem reddit in Solis formam. Rotunda forma nitentibus gemmis hanc effigiem repræsentare solet, si per se niteant iam. Et magis quæ aureo sunt, aut candido colore: quòd colores hi flauis Solis radiis ac flammeis conueniant.

34 Asius lapis, qui corpora exedit. Dolores podagræ, inclusis in eo pedibus, sanat, strumas & vlcera ni sanabilia curat. Pthoë etiam ob id cum melle linctus medetur. Pumici similis est, sed, leuior & fragilior, venis quibusdam mellei luteive coloris profundis distinctus, atque conspersus.

35 Amiantos lapis est lucidus, crustatus, & filis permistus, colore quasi buxeo, similis scissili alumini: fila illius contexta in mappas, quæ non vruntur, transeunt: in Cypro nascitur.

36 Talcum amianto simile est: splendidum, crustaceum, gemma non est. Epotum dysentericis prodest: lapis est specularis, & mira proprietate (vt existimo) præditus. Scribitur & Talchum, cumh.

37 Alabastrum, marmoris politi & perspicui, ac vasis faciendis maximè apti genus est: facile frangitur & multa in se arcana continet: nec gipsum est, nec onyx, nec antiquorum alabastrum: album est: sed facilè deturpatur. Venosum etiam. Vnguenta seruat: & vinum in aquam mutat.

38 Onyx antiquorum alabastrum est, multo preciosius nostro: hoc seruari debent vnguenta: neque enim remittit. Gemma est, & durior carneolo, cùm nostrum alabastrum non sit. Optimus Indicus, subcæruleus, atque admodum visui gratus. Ferunt, terribilia somnia ostendere: probaui: somnia quidem gestatus ostendit, terribilia non: mouere bilem fertur, & ad rixas incitare: comitiales creditur prohibere, ne cadant, idque tanquam ex secundis viribus: à crudo enim humore & frigido ob id morbus is fieri solet. Quocirca etiam colliquando multam in pueris saliuam excitat. Partum accelerare etiam, consentaneum est. Fertur quoque oculo inditus, illum purgare, ac sine molestia circumferri: quod fermè commune est lenibus leuibusque lapillis: cuiusmodi Gallus quidam hodie ad nos attulit, diuersi generis: quod etiam semini sertulæ campanæ conuenit. Ergo is ceræ admistus, durities emollit, confértque doloribus ventriculi: & appensus collo, creditur in pugna victores reddere. Indicum ferunt inanem reddere vocem, si gestetur: & animam à vanis terroribus tutam reddere, aduersusque casus.

39 Balasius inter gemmas secundi generis prima est, scilicet post Smaragdum, Carbunculum, Adamantem, Margaritam & Sapphirum: colore roseo quasi, scilicet carbunculi dilutiore: magnitudine gratiam sibi comparat præcipuè inter gemmas. Habet se ad carbunculum, vt prasius ad smaragdum: sed maior gratia balassio quàm prassio, quòd color ruber ob puniceum sibi iunctum latiùs extendatur. Declarauimus enim,

puniceum

puniceum colorem multum lucis continere:oritur ex balassio carbunculus. Sedat affectus omnes furoris, iræ atque libidinis, hic lapis:ideo ad reconciliationes vtilis:& mulieribus maximè congruit ob hæc, tum ob venustatem. Iecoris morbis conferre creditur epotus. Sed & gestatus,ob hanc temperiem homines à morbis præseruat. Quòd verò in angulis domus positus à fulmine, agros à tempestatibus, & vermibus tutos reddat plantas, hoc fortuitum est: sed ita fortuitum, vt fit ex his quæ frequenter euenerunt. Forsan vis aliqua altior,cui consecratus est, illas tuetur.

40 Beryllus cum crystallo fermè conuenit, sed pinguem quendam colorem præfert: vidi olei colore, dicunt tales esse Babylonios: ego verò credo Germanicum fuisse. Summa laus Indicis, qui plurimum fulgent. Creditur epati prodesse epotus: atque ideo etiam elephantiasi,cum argenti pari pondere. Suspensus prohibet peristhmia, & facierum, gulæ,orisque morbos. Alacres dicitur efficere: ideoque coniugij amori aptos.

41 Istricus à fluuio ita dictus lapis, leuis est totus maculis stellarum instar cinerei coloris insignis. In aceto, & etiam vino posita mouetur manifesto motu, vsque adeò vt palmi spacium quamuis in imo posita, vno progressu æquet. Causa est, quòd leues habeat partes intra terream substantiam conclusas:vnde vapor ille, dum quærit exitum, mouet lapidem. Verùm dissoluitur, nec in vaporem vertitur:ampullas enim gigneret. Estque mira lapidis natura. Gestatum vires egregias habere existimauerim. Iure creditum est, in puluerem redactum siccare hydrop's aquam.

42 Ælurophtalmus gemma non est, vt nec præcedens,nec sequens: cinerei coloris, ac candidi:atque ideo varia: pro ratione enim aspectus lucisque quam recipit,colorem mutat:frequens lapis est,&(vt dixi) rarus summo cortice,& opacus: vbi ergo lumen excipere videtur,candidus euadit: vbi non fuscus redditur, velut cinis quidam nigrior:nitet tamen. Gestantem reddit dolosum & cautum, versipellémque.

43 Veientana,lapis est niger,cum albo limine:huic similis est,vel eodem ex genere, qui niger est, maculis cinereis rotundis totus scatens. Hunc palàm est curas & sollicitudines augere,ob colorum naturam. Proprietate etiam aliqua insigni præditum esse, verisimile est.

44 Glotis alia dura est, & linguæ simillima gemma,quam ferunt esse:ouis telum: id est, fulmen ipsum magnitudine linguæ longiusculæ,& forma ad vnguem illi simili:sed color alius: nam & ferrugineus, & viridis obscurus:sed quæ crystallo similis est, nobilior ac pulchrior longè est. Enses hoc lapide poliunt artifices. Ego habeo frustum viridis obscuræ. An ex cœlo decidat, cùm adeò frequens sit,& dura, satis dubito: omnino sui generis gemma est. Sunt qui Ceraunium vocent. Gestatum læta somnia facere aiunt: hoc est, vitæ nostræ, si verum sit, dimidium addere. Inuictum quoque præstat hominem, & (vt ferunt) à fulminis ictu ac submersione tutum. Vidi, qui crystallini frustum perpetuò ferret, emersisse præter spem ex multis calamitatibus:nec constantiorem vidi quenquam. Is est quem honoris causa nomino, Franciscus Triultius, Musochi aliàs & Vigleuani dicitur, nepos insignis illius exercituum Gallicorum ducis Io. Iacobi: videtur autem adeò constantem facere hic lapis, vt etiam quasi pertinacem possis appellare. Sunt & ceraunij forma, vt ferunt, pyramidis.

Pentexoche, seu mespileus, apud me est, 45
colore fusco:durus, non gemma tamen,ma-
gnitudine mespili dicas, mespilum in lapi-
dem transisse, sicque obduruisse. Vbi striæ è
vertice descendunt, lapis buxeo est colore,
quòd partes illæ attritæ sint. Vires inesse exi- 46
stimo non leues, sed quæ ignotæ nobis sint. 47
In huiusmodi genere plures sunt species:
Ctenites, in pectinis effigiem striatus:Tro-
chites planus, punctum habens in medio,
ex quo striæ diriguntur cum tympano leui
in ambitu: Pentagonus & Hexagonus tro-
chiti similes, sed radij è medio puncto non
striæ prodeunt. Porphyroides autem cine- 48
rei coloris est, clauis purpureis scatens, vt 49
thoracis formam referat. Belenites autem 50
sagittæ forma,intus rimam habet secundum
longitudinem: aliumque continet lapidem,
cui aurea iungitur armatura, trahitque vt
succinum paleas. Eutrochos, ex multis tro- 51
chitis componitur. Pentacrinos,quinque li- 52
brorum formam præbet. Eucrinos similiter, 53
è pluribus constat pentacrinis,rubórque la- 54
pis ex nigro nascens. Conchites, conchæ si- 55 56
militudine, liris incuruis, atque aurea deco- 57
rus armatura. Onyx alius, odoratis vngui- 58. 59
bus forma non absimilis. Ostracis, pariter
ostreis: sed specularis est lapis. Strombites,
in cochleæ formam turbinatus, in acutum
tendens. Myites,ab extremis in acutum ten-
dens, in medio tumet. Rhombites autem
duorum generum: primum ex squammis
constat, rhombi similitudinem habentibus:
secundum autem candidum est,cylindri com-
pressi forma, verùm suprà & infrà striatus.
Omnes hi in Saxonia inueniuntur, iuxta 60
Hildes heimium tractum. Sed & alij in fo- 61
dina aluminis Luneburgi, velut glossope- 62
tra, pici linguæ simili: & Selenites, in for-
mam renascentis in cornua lunæ, atque is
adamantina modò,modò aurea aut argentea
integitur: inuenitur autem Mariæburgi, &
in Treuerensi agro Hysterapetra, quæ for- 63
mam refert pudendi muliebris, niger ac 64
prædurus. Et iuxta Salphedam Thurin- 65
giorum, in puteo viginti orgiis profundo, 66
lapis inuentus est forma pectoris humani
ad vnguem, nisi quòd esset illo angustior
cum costis etiam. Pyraustus quoque ruti-
lus est colore, aurea insignis armatura, ca-
uus, nitens: vnde velut à cauo speculo
ignis in Solis radiis accenditur. Hieraci- 67
tes quoque,striis & colore pennas accipitris
imitatur. Omnes hos Valerius Cordus
detulit ad Georgium Agricolam: ambo di-
gni perpetua memoria viri. At constat vni-
cuique eorum lapidũ suas inesse vires. Quod

facilè demonstratur: quoniam si forma distingui plantas, ergo & lapides: at plantis singulis suæ sunt vires propriæ, vt apud Dioscoridem, quòd ad vsum attinet medicamentorum, tàm exterius quàm interius: igitur & lapidibus gestando: ostensum est enim quas habent plantæ vires medicamenti loco: similes constat habere lapides dum gestantur, idque magiæ & naturalis proprietatis causa.

Similem, si quis rectè animaduerteret, differentiam in Achatum generibus, & Iaspidum atque Onychum inuenire possemus, cum non ex eodem genere sint: sed verisimile sit, quàm plura esse quæ artifices ipsi in vnum congessêre. Quid enim absurdius, qui existimare tot diuersos lapides, nigros, albos, virides, rubros, eiusdem esse generis? earundem virium? sed singularum
68 specierum singulæ & diuersæ sunt virtutes. Ergo Chalcedonius vulgari nomine de tribus lapidum generibus dicitur, onyche orientali, onyche nostra communi, quæ vbique inuenitur, nec vllius lapidis copia maior, & chalcedonio antiquo marmoris genere: vnde nata tanta confusio, vt vix inueniat exitum. Chalcedon regio est Syriæ fertilissima, Chalcis autem Græciæ insula: sed ex qua illarum parte sit, nunc non habetur: sed, vt dixi, onychis genus nothi potius. Fertur resistere, si quid aliud, melancholiæ, viresque corporis augere, & libidinem coërcere: atque hæc omnia ex primo, si admittatur, pendent. Inde etiam victores in litibus efficere: atque à tempestatibus, & aduersis casibus tutos.

69 Chelidonij in ventre pullorum hirundinum inueniuntur: vnde gigni ibi, non deuorari, certum est: nihil cum gemma commune habent. Sed & ob paruitatem paruarum sunt virium. Duplex est: ruber, lunaribus morbis, & stultis prodesse creditur, morbisque longis, & facundos efficere: niger mansuetos, & bene fortunatos, febres regiumque morbum ac comitialem sanare creditur. Illud non dubium, vtrumque pro collyrio oculis prodesse. Augusto mense viuentibus adhuc pullis, & absente matre, detrahi iubent.

70 Chrystallus, vltima & tenerrima gemmarum, faciendis poculis apta, in quibus liquores non facilè concalescunt. Sphæra ex eodem, ex aduerso in radiis Solis posita, ignem accendit in materia non candida: nam in ea, quod figura concretum erat, dissipatur. Prismata ex eo, sed è viro, at non adeò egregios ostendunt colores plures, illustrioresque: scilicet viridem, amethystinum, puniceum, purpureumque. In ore detentus, sitim sedat: tritus & epotus, lac auget nutricibus mala somnia appensus soluere creditur aquei coloris est, & vitiis nebularum & glaciei obnoxius, à calore læditur: & faciliùs etiam, velut vitrum, frangitur.

71 Topazius viridis est ex aureo, sentitque limam: inter gemmas tamen adnumeratur, ob pulchritudinem. Dicunt solaribus radiis suppositum, auream stellam repræsentare: quod beneficium est potiùs formæ & coloris, quàm naturæ cuiusdam peculiaris. Nullus lapis, tam gestatus quàm bibitus, adeò sapientiæ & prudentiæ prodest, vt hic nocturnis prodest timoribus honores auget: nam hoc, vt dixi, ad illa sequitur: licet non omnino semper, sed plerumque iuuat etiam ebibitus, vt dicunt, asthmaticos: reliqua adeò probauit, vt insanos sanauerim: insanientes autem antea, lapidem, quem gerebant, priùs abiecerint quàm eruperit stultitia.

Coruina: in capite corui piscis gemmæ 72 reperiuntur albæ, opacæ, oblongæ, gibbosæ parte vna altera concauæ & inæquales: nitent aliquantisper. Magnitudine vidi auellanis nucibus æquales: gestatæ & epotæ nephriticis doloribus auxiliantur. Coracinus etiam hic piscis appellatur à Rondelletio: sed ipsemet coruum cum à coracino distinguat, vbi enumerat pisces lapides gestantes, & de coruo constet, tutius est coruinam appellasse.

Malachites, à maluæ similitudine dictus 73 est: viridis, pallidus, nubilosus totus, quasi pinguedine aspersus: mollem eum esse constat, non gemmam. Crescit multum, & pro manubriis Sarmatæ eo vtuntur. In Cypro tamen etiam inuenitur. Infantibus appensus, eos à vanis terroribus tuetur, & illis robur addit: ideò appendi debet: nam & illorum familiarissimo morbo, quem conuulsionem appellant, aduersatur. Verùm dicas, cùm lapis magnus sit, & vires habeat leues, tantóne pondere infantem grauabo? Dico, frusta lapidis viuere, vt ramos etiam salicis, diu: quoniam non sunt adeò, vt Græci appellant, organica: & fermè, quantum totus lapis, ob substantiæ æqualitatem. At vt plantarum vires manent in ramis, & etiamsi durior sis ad fatendum ipsa viuere, vim retinebunt plantarum exemplo, qua per calorem naturalem ad actum deducta, vt in plantis, effectus suos in nobis producent. At modica quantitas ex eis in infante sufficit, vt etiam modicum medicamentum in illis purget efficaciter ob caloris magnitudinem, & substantiam humidam ac tenuem: neque maiore opus est ob virium imbecillitatem. Ita vt hæc ratio in tribus constet: Quod partes lapidum viuunt, ob animam quasi æqualiter diffusam in toto lapide: Quòd viuunt diutiùs, quia auulsi lapides integri viuere per secula possunt non vt plantæ: Demum quòd infantium natura exigit leuiores res, & hæ etiam his de causis quæ dictæ sunt, illis magis conueniunt.

Hæmatites, à sanguine nomen duxit: exteriùs ferrugineus est, intùs colorem ferri 74 refert. Qui ex Hispania vehitur, durus est, non tamen gemma: atque hic optimus. Sistit sanguinem, etiam ex pulmonibus manantem: vtuntur eo ad enses auro pingendos. Ferunt impositum aquæ feruenti tepidam efficere. Impositus vulneribus, excrescentem carnem tollit.

Ætites, lapis est ab aquilæ nomine di- 75 ctus: alium verò continet lapidem, aut arenã: Præferuntur Africi: ambo paruus, albus & mollis, quòd colore caudã aquilæ referat, continẽt

continétque argillam suauem: & qui ferrei coloris est, durus, durumque lapillum continens. Optimus, qui è nido aquilæ decerpitur: pessimi, rotundi, in fluminum alueis inuenti: qui & ipse resonant. Constat alligatos brachio sinistro, abortum miro modo prohibere: instante partu coxæ alligati, facilem eum efficiunt. Si à brachio non remoueantur prohibent ne pariat: si coxæ alligati à partu permittantur, nec statim soluantur, etiam vterum educunt. Serpentes arcere creditur: ob id enim nido imponi ab aquila. Sed qui serpentes eò adire audent? Ergo ideo ab aquila nido imponitur, vel vt fœtus suos ex ouis educat, vel vt ipsa oua faciliùs edat: aut si modò ob serpentes, ne serpentum virus, quos venatur (venatur autem sæpe) ouis noceat. Dicunt præterea, gestantem ab aduersis tueri casibus, diuitémque efficere Refert Dioscorides, incoctam cibis, aut permistam, efficere ne illum fures possint deglutire: Gemma non est.

76 Capreola, Melichlorum forsan Plinij, vocant autem Garatronium, lapis est mollis & qui ensium capulis aptus est: ferunt, victores reddere: satis malè, si ita est, timidissimi animalis lapide pellem æmulantem: cum constet, lapides omnes prodesse iuxta colorem & figuram membris hominum: velut sanguinei, vel iecoris forma, iecori sunt vtiles: qui verò flaui ac splendidi, vt hyacinthus, aut cordis formam referentes, cordi: qui leonis pellem, leontiásque dicitur, fortem: pardaltan autem, deceptorem: & hieraciten, rapacem, accipitrísque moribus. Itaque agilem efficere, non autem inuictum, capreolam crediderim.

77 Gagates leuis, aridus, lucidus, opacus, niger, ex genere bituminis est: minus quàm lapis, nedum gemma Suffitus, detegit comitiales, fugat serpentes, soluitque philtra & veneficia vana: pellit fœtum, prouocat vrinam, adeò vt in corruptis ferant repentè exprimere: prouocat & menses: & affricatum dentes firmare creditur.

78 Cinædia lapis est, qui in capite cinædi piscis inuenitur, longus, candidusque. Creditur, cum purus est, tranquillitatem maris præsagire: cum nubilosus, tempestates: & amatores facere.

79 Nicolus bicolor gemma est, & opaca: color superior cæruleus est dilutus ac purus, inferior niger. Fortem facit, ac constantem indicio est, quòd infiniti adhuc in ruinis Romanorum ædificiorum inueniuntur: quòd gemma etiam contra mortis terrorem facit, & in concionibus amabilem.

80 Iudaicus lapis forma est glandis, ac magnitudine: adeò leuis & bene tornatus, ac albis lineis distinctus, vt arte fabricatus videatur. Fœmina, Galeno teste, lapidem vesicæ etiam atterit: masculus autem, solùm renum: est enim imbecillior. Fœmina leuior est, & minor: vterque ruffus, ad cinereum declinans: note redigitur in pollinem, & exhibetur in potu, ac super os pubis pro emplastra ponitur.

81 Hamonius lapis aurei coloris gemma est, cornibus arietis similis, quam ferunt gestatam ostendere occulta, futuráque per somnum: hæc est prima trium rarissimarum gemmarum. Secunda:

Orphanus colore purpureo, adeò eximio, vt referant parem non inuentam: lucet autem in tenebris: hodie haberi à regibus Camanæ, emporij Indiæ intra Gangem, quam vrbem nunc Calechutum vocant, dicitur à pluribus. Honores regios ea seruari putant. Sunt qui Pyropum esse velint: alij album radios igneos emittentem: vterque inuenitur. Tertia: 82

Opalus est, præstantissimos quoscunque colores simul reddens: & ipsa perspicua quantitate auellanam non excedit: precia & nobilitatem in libris de Subtilitate scripsimus. Visui vtilis. 83

Succinum lapidis mollis duritiem habet. Aurei coloris est, atque perspicuus: est & cinerei, eò potentior: trahit paleas: eoque robur illius, facilè dignoscitur, vtinam ita aliorum. Eius suffumigio, vt expertus sum, reuocantur comitiales ac conuulsi, eadem præstat quæ Gagates: collo appensum, morbos gulæ & faucium, maximè in infantibus, arcere creditur. 84

Sordius colore est carneoli ferè, obtusior ac pinguior, ac si rubra terra perspicua fieret. In Sardinia etiam inuenitur. Sed Babylonicum & Indicum præstantissimos esse ferunt: crassiorum, sed magis concoctarum partium est, quàm carneolus, ideò gestatus exhilarat animum, somnia mala prohibet, ingenium acuit, sanguinem & ipse compescit. Vnde ex his fit vt victores reddat in litibus, & diuitias augeat. 85

Sardonica, perspicua & ipsa gemma est, onyche vel chalcedonio & sarda composita: & quandoque è tribus coloribus constat: ad sigilla vtilissima, quòd minimè ceram rapiat: lasciuiam & libidinem comprimit: & mores bonos reddit. 86

Eranon cæruleo colore puro est, opacus, & non gemma: vitiatur calore, aqua, attritu. Visum fouet. Equis, ne fatigentur, prodesse creditur: & cadentibus ex illis, ne lædantur, ita illis auxiliari, vt pro eis frangi soleat, certè fractum sæpiùs vidi in similibus casibus: an verò ob id etiam illi, vel bona fortuna quadam seruati sint, nescio. 87

Chrysolitus, aurei coloris gemma est, vnde nomen sumpsit, perspicua & prædura. Refrigerat manifestè, adeò vt sitim detentus in ore extinguat. Debet tamen aqua frigida sæpiùs refrigerari: libidinis incendia compescit, & hæmorrhoidas sanat gestatus: iram ac tristitiam temperat: sanguinem è vulnere fluentem superalligatus sistit: lunarios animi affectus mitigat, subitam mortem prohibet: gratiam principum præstat, & diuitias auget: atque hæc maximè in non ignauo alioqui viro. 88

Ocellus gemma est tricolor, cuius medium candidum est, extremarum vna ferruginea, altera nigra opaca est. Verisimile est, vt dixi, mores varios pro colorum natura efficere: 89

cum tristitia, ob colores minimum lucis habentes: & inæquales, ob maximam inter illos differentiam. At qui tales sunt, etsi aliquandiu felices esse possint, necesse est tum vt aliquando in grauia mala incidant: quare nec feruidis, nec improbis, nec melancholicis vtilis erat hæc gemma: aliis erit.

90 Eperlanus lapis est in capite huiusmodi piscis nominatus, quem sic describit Camillus Leonardus: Piscis est rotundus, longitudinis digitorum septem, capite lato, corporis substantia adeò lucida, vt si lumini obiiciatur, intus spina appareat. In cuius capite, vt in cæteris piscibus, duo inueniuntur lapides, & tertius præterea iuxta tertiam spondylem, à cauda numerando, qui in potu sumpti, libidinem tota die excitant. Modò audi, quomodo illum describat ad amussim Petrus Belonius, nisi quod tertij lapidis: quia piscem non dissecuerat, haud meminit: inquit enim: Epelanus, piscis, seu Eperlanus Anglis (apud quos frequentissimus) sahinelt ab odore vel pinguedine dictus: duplex est: fluuiatilis paulò crassior ac breuior, marino quem nunc describemus. Cæterùm marinus non ita marinus etiam, quin se fluminibus etiam inferat, ob id & in Sequana frequens: gaudet enim dulci aqua, vescitúrque culicibus, caridibus aphiis, œstris, lendibus, mille pedibus pediculis, huiusmodique reiectaneis. Eius prouentus vberrimus est circa vindemias, quo tempore tamen optimus est, quanquam toto anno non desit. Teres est, ac breuis piscis, vt vix dimidium pedem æquet: ore amplo, dentibus circumuallato, qui etiam linguam circumambiunt more trottarum, & vsque ad gulam extenduntur: habet & aliud simile illarum generi, scilicet appendicem mollem ad caudam, lingua quasi gemina: in eius enim radice posterior quædam alia apparet, pluribus suffulta dentibus, qui omnes cum reliquis vnci in speciem reflexi sunt. Capite ad merlutium accedente, argenteo colore est, & glabro corpore, vt è genere asellorum falsò creditus sit. In dorso nigra linea, & supra illam pinna exilis, piscem totum quasi per medium distinguunt. Cauda bifida. Quatuor sub ventrem pinnas habet, duas sub branchiis, totidem è regione in superiore parte. Branchias autem habet quatuor pallidas, violam olentes: quamobrem quidam Violam vocari iure posse existimant, vt thymalum à thymo. Calculos habet in ceruice geminos, candidos, quos etiam integro pisce perspicere licet: siquidem illa linea excepta, totus pellucet vitri instar: cor scuti forme, branchiis fimbriatis & semicircularibus valde propinquum est: cui subsunt duæ carunculæ sanguineæ, aurium instar in quadrupedibus. Ventriculum habet literæ, V, forma: septo transuerso iecur à corde dirimitur: lien ruber, seminis atriplicis instar latus, & ex apophisidibus duabus latis instar alterius ventriculi conficitur: intestinum habet rectum vsque ad anum, valde rubrum, quod geniculo intercipitur: ventriculus & intestina adipe vndique circundantur: mesenterio autem adipis nihil. Quis non videt, tam diligententem descriptionem breui illi Camilli Leonardi respondere, vt lapidibus eius tanta vis insit? In vniuersum autem vt discas, quomodo gemmæ à gemmis distinguantur, octo sunt consideranda: color, durities, magnitudo, pondus, substantia, nitor, mutatio, & proprietas coloris. Sufficiat attulisse exemplum, eiusque in quo plura genera gemmarum inueniuntur: vt rubri, carbunculi, balasij, hyacinthi, carneoli, achates: quidam tamen iaspides, & ex carbunculis orientales, Germanici, Apuli, granati communes, Syriacíque hyacinthi quoque chrysopacij & rubri, vt sint vndecim genera. Sunt & Indici Orientales quidam lapides, alij occidentales: sed sufficiat prima illa distinxisse. Achates igitur remissum habet, & minime splendidum colorem, sed quasi languidum: iaspis autem etiam magis & terreum, atque aliqua ex parte opacum. Quæcunque enim gemmæ & perspicuæ sunt & opacæ, si perspicuas, colores habent languidos, & opacitatis cuiusdam minus conspicuæ participes: nec sciuerim cui magis rem hanc accommodare possim exemplo, quàm languentium florum: vt roscidis comparatur. Carcunculus nequaquam puniceus est, granatis hoc commune est. A Germanico orientalis distinguitur, cum & hi ambo niteant, atque ignibus resistant, quòd non nigricat. Germanicus enim adeò nigricat, vt artifices cauare in conchæ modum illum soleant. Aliter obscurus redditur: vnde constat, illum partibus exustis conspersum esse. Carneoli totum genus impurum, & pinguedine conspersum sanguinea: est enim quadruplex: sanguinea, adipis, oleagina, ac tenuis, qualis in oleis destillatis. Hyacinthi omnes atque Syriacus granatus, luci expositi colorem croceum referunt: verùm hyacinthi punicei coloris, maximè chrysopacij (vtar enim communi nomine) sunt expertes, & iuxta ignem positi colorem augent, & florent. Granati remittunt & languescunt. Syriacus granatus etiam pinguior est, ac carneolo similis hac in parte, sed vibrat ac nitet, alacrisque est, quibus omnibus plurimum à carneolo differt. Orientalis carbunculus flammeus, & splendor prunæ colori similis: pulcherrimusque rubro hyacintho, dum in igne est, assimilatur. Balasius ei ex toto similis, & purus, sed remissus, nec alia ratione impar illi. Eadem ratio in viridibus gemmis atque albis, quarum maxima est copia. Spectare ergo oportet, ad quem maximè colorem declinent. Cùm enim octo sint colores principales gemmarum, albus croceus (qui in perspicuo quasi aureus est) puniceus, ruber, viridis, cæruleus, violaceus, ac niger: septem modis, aut etiam pluribus, si ad plures vergat, gemma variari potest. Atque vnusquisque modus quadrifariam contingere potest: scilicet vt vergat, vt permisceatur, vt luci exposita illum induat, aut secundum diuersas partes vnumquemque referat: velut in calaide parua, sed adeò pulchra, vt omnem vinceret adamantem

mantem, empta quindecim coronatis: tum etsi tenera nitebat, tamen adeò vt in candore illo eximio leuis cærulea viriditas gratiam adderet, non impediret puritatem: considera duritiem, & rotis variis tum gemmarum cuspide tenta. Adamas durissima, pòst sapphirus, parum inferior chrysolithus, & Orientalis carbunculus, pòst granatus, onyx inde orientalis, achates & prassius, inter quos carneolus. Post prassium smaragdi occidentales, inde orientales, amethysti, crystallus omnium tenerrimus, topazius: at hyacinthus achati proximus, duriórque carneolo. Minimæ gemmæ opali, hyacinthique orientales: inde smaragdi orientales, carbunculique margaritæ, & adamantes: sed horum diuersa comparatio: frequentiores longè margaritæ adamantibus, rariores quæ sint absolutæ: neque enim margaritam absolutam tam magnam licebit videre quàm adamantem: illa enim ostreæ, hic naturæ totius opus. Nitore adamas gemmas omnes vincit, crystallus infima omnium quæ pingues non sint, nec nigræ: est enim mollior. Leues sunt gemmæ omnes quæ valde perspicuæ sunt, & puræ. Explora etiam pingues, & puras: inde experieris, quonam pacto mouentur sole: igne aqua, sereno, nubilo, crepusculo, tenebris. Quædam enim etiam in tenebris micant, aqua superfusa: aliæ prope calcem, quædam etiam nullo admoto auxilio. Demum proprietas si qua insit, certiorem te reddit ex omnibus aliis conditionibus: ex hac etiam precium accedit. Laudantur in omni genere puræ, & propriissimæ atque magnæ, tum efficaces, exceptis pauculis, in quibus inclinatio in alienam naturam gratiam addit: aut si, pro miraculo res habetur.





LIBER DE AQVA, ET ÆTHERE.

AD IOANN. FORMENTVM Reipublicæ Venetæ Legatum.

LIBER PRIMVS.

De Aqua.



Bsvrdvm esset, imo detestabile Ioann. Formente, solum ostentandi ingenij causa in re seria, & in qua tot hominum salus versatur, ea docere, quæ experimento haud congruant, vitamque ægrorum ob pertinaciam aut admirationis opinionem apud homines generandam perdere. Sed neque ingenui viri ad augendum opus, vel nomen ac titulum, vsus aquarum amplificandum docere, quonam pacto singuli morbi decoctis variis curentur. Nam quis dubitat quin parum intersit quod helleborum des, aut scamonium aut piper, seu illorum decocta. Talia enim docere esset extremæ vanitatis, atque ambitionis inanis. Quapropter non de decoctis aut aquis calidis, in quibus si non ars, natura metallum aut aliam rem incoxit: neque etiam destillatis aquis, quas pari ratione constat sapore & odore vehementi prodere suas vires, sed tantum de simplici aqua, qua pro potu non solum homines, sed cuncta animantia vti solent, tractare propositum est. Nec ob admirationem mentientes, nec ad opus augendum quicquàm præter institutum adiicientes, solum annectam eam tractationem quæ & huic operi congruat & alibi honestiorem locum non inueniat. Ea autem est aquarum quæ nullo sapore odoréque manifesto præditæ, vires tamen haud contemnendas sunt assecutæ. Quænam autem sint suo loco dicetur. Nunc satis sit rationem reddere huius. Cum enim sapore atque odore carent, licet arte factæ, ac si natura tales euaserint, communique dulcium aquarum è genere sint, eodem loco habendæ sunt. At de medicatis aquis decoctisque alibi scripsisse me memini. Ea vero fuit construendi operis ratio vt velut Hippocrates dixit: si liceret omnes vno medicamento ægros sanare, id facere deberemus, quàm paucissimis enim præstat vti. Ergo cum id aqua efficere possit, nec longius quæsita petitaue, sed cuilibet præsens & in promptu: operæ pretium facturum me posse spero, si quomodo id fiat edocuero, vt non solum admirabilis hæc doctrina videatur, sed etiam humano generi vtilissima tibi verò Ioann. Formenti non secus ac Galenus Glauconi aut Hieroni opus hoc inscripsi, qui cum prudentia vitæque splendore ac generis antiquitate longè maiore munere dignus esses, hac tamen causa tibi debetur, quòd illorum exemplo salutem tuam vni mihi commiseris, qua in re tantum tibi plus debeo, quantum ciuitas nostra celeberrimis medicis abundat. Vsus autem suum compendiosa quadam compositionis ratione, vt quamuis liber mole exiguus videatur potestate tamen maximus sit, vt vero facilius legentes hoc intelligant, antequam ad ipsam tractationem deueniam, de illius ordine quædam necessaria proponam.

Primum igitur constat operationes maximas, & maximè communes ex calido, frigido, sicco, humidoque fieri: velut arefacere, humectare, astringere, laxare, confirmare, resoluere, concoquere, somnum prolicere, lac generare, flatum discutere, cæteráque eiusmodi. Quæ igitur maximè calida, frigida, aut sicca, vel humida sunt, omnia hæc etiam euidentius facere possunt, velut aqua. Quæ quod elementum omnium sit frigidissima, & humidissima, quod liquida vsui aptissima, quod familiaris & consueta maxima sub quantitate ac tuto soleat adhiberi. Verum statim occurres dicens: si aqua frigidissima esset, statim non secus ac meconium & sub parua quantitate occideret. Et si humidissima cutim velut oleum laxaret, ac mollem redderet: quorum neutrũ facit. Galenus qui tot & tanta conscripsit, cum Aristotelis principia nõ attigerit meritò hæc intacta reliquit. Sed si quis Aristotelis principiis innitatur facilè ab his quæstionibus se poterit explicare verum secunda quæstio facilior est, & à Galeno

leno quasi soluta, quod aqua quia non lenta est ideo non adhæreat,& ob id non adeò humectet. Cum enim hæserit fermè olei instar pinguefacit, non tamen tantum. Sed hæc mittamus, primam aggrediamur cur aqua cum sit frigidissima non occidit? imò ne lædit quidem, meconium autem occidit. Sed si quis rectè quæ in libris de Rerum varietate scripsimus assequatur haud laborabit in reddenda causa. Actu enim aqua expers est omnis caloris: sed tamen tam facilè calescit vt vix vnquam frigidissima sit, verum & si talis sit haud pernitiosa est, quoniam vt alias docui, frigiditas hæc quædam priuatio est. Priuatio autem nec iuuare nec nocere potest. Sed si quis tamen frigidissimæ aquę magnam quantitatem ingerat, lædetur, aut forsan prohibita natiui coloris distributione peribit. At meconium non frigiditate sua interimit, sed quia potestatem habet similem frigiditati quæ actu inest aquæ aut aliis rebus, stuporem inducendo frigidum esse videtur, cum non sit: ipsum enim spiritus cohibet & torporem inducit vnde mors nonnunquam sequitur. Igitur meconium vltimam habet vim cohibendi spiritus, velut euforbium motum ciendi, vnde frigidissimum vnum, alterum calidissimum esse dicimus. Constat igitur ex his aquam potestate omnino innoxiam actu autem provt excedentem qualitatem habuerit. Eamque calidam aut frigidam, vtramque enim qualitatem suscipere potest, quod non sint contrariæ. Sicca autem esse nequit, nam natura vt alibi diximus liquida est.

Ergo aquæ vires principales sunt tres calefacere si ferueat, frigefacere si frigida sit, humectare quod sit liquida, omnia autem hæc fermè in extremo ordine habere potest. Nam liquida natura est & omnibus mistis liquidor, calorem etiam & frigidus maximè suscipit, quamobrem hæc tria efficacissimè præstare potest. Et quæ ex illis deriuantur velut ex calore exustionem, ex frigore torporem, vt liquida est emollit. His de causis hæc omnia tum etiam quæ ex coniunctione duorum fiunt velut ex liquido & calido, & ex liquido & frigido, efficacissimè præstabit. Est,& quippiam quod ex medio velut tepide propriè gignitur. Et quòd ex alterna vicissitudine calidi, vt in vniuersum iam sint octo modi. Qui omnes vim maximam habent:& pro ratione eorum medicationes validæ atque exquisitæ oriuntur. Potest & rursus intus atque extra administrari vt iam modi duplicentur. Atque hi generales sunt. Quamvis aliqui rarò in vsu veniant, velut potus feruidæ. Cúmque pro temporis ratione singuli modi innumeras varietates suscipiant, manifestum est numerum affectionum maiorem non esse numero modorum aquæ potabilis administrandæ.

Reliquum est igitur vt doceamus singulis affectibus aliquem modum administrationis aquæ opponi. Nam si hoc ostenderimus, cum validissimum hoc præsidij genus esse demonstrauerimus, nec numero administrandi modos affectibus corporis humani esse inferiores, constabit statim omnem morbum aquæ vsu posse curari. Cum enim tria sint quæ totam curandi rationem compleant contrariates, varietas,& magnitudo auxiliorum, varietatémque ac magnitudinem in aquæ administratione non deesse docuerimus: sequitur vt si contrarietatem etiam adesse pro singulis morbis ostenderimus, vt iam absoluta Medicina in aquæ administratione esse videatur. Primum igitur morbos per genera diuidamus in eos qui fiunt intemperie, atque ea duplex: cum materia & sine ea & continuitatis diuisione, atque compositione. Materiam quidem aut permutare, aut educere conuenit: antea verò concoquere. Si ergo calida sit, quid magis aqua refrigerat, aut intus frigida exhibita, aut exterius tepida? Si frigida intemperius frigida exterius soluitur. Calor enim natiuus confirmatur. Educitur verò multidine potus & balneo tepidæ inde calidæ. Si sicca humectant balnea. Si humida siccantur corpora feruentibus aquis. Atque eadem ratio est intemperiei absque materia. In solutione verò continuitatis, cum cura vlcerum sit exiccatio, eam facere licet assidua lotione frigidæ. Sicut & vulnera curamus prohibendo phlegmonem cum frigida, & feruenti aqua conuulsionem, quamvis fateamur igne ipso melius fieri. Si verò morbus in compositione sit luxata calida perfusa reponere solemus. Obstructiones potu copiosæ aquæ liberamus, ita vt si libeat modos alios à multitudine constituere liceat. Quanquàm multitudo sub efficaciæ causa contineatur, & ipsa tamen moles rei aliud quippiam facere potest, velut & calor,& frigiditas,& substãtia atq; cætera eiusmodi. Sed quoniã si quis hæc per singula capita distinguat rursus repetere cogetur, ob id ad illius tractationẽ statim descẽdamus.

Aquarum dulcium plures sunt modi atque differentiæ, sed præcipui sunt fontium fluminum, lacuum, puteorum, paludum, pluuialis, è cisterna, cocta chalybe candenti vel ære feruefacta, ac destillata. Omnium autem primum expedit optimam scire eligere, optima est quæ pura est ac tenuis. Hæ enim duæ sunt qualitates illi necessariæ nec aliæ vt mihi videtur. Puram igitur expertem esse oportet saporis, odoris, atque coloris, tamen mundam vt cum exponitur luci nihil in ea videatur innatans. Manifestum est enim quòd si innatans aliquid, aut sapor, vel odor alienus, aut color in ea perspiciatur non esse puram. Et si in vase æneo polito maculam penitus nullam relinquat. Puræ etiam in laneis lineisque vestibus postquam siccata fuerit nullum vestigium restat. Tenuis etiam si sit, erit perspicua & leuis pondere. Quanquàm Seneca neget discrimen esse manifestum ponderis inter dulces aquas. Dulces vocamus aquas, id est, saporis expertes & vt à salsis aut bituminosis distinguuntur. Eædem erunt etiam facilè mutabiles ex calido in frigus,& rursus è frigore in calorem. Vnde etiam facile putrescentes ni aliud obstet probantur. Id enim ex tenuitate substantiæ plerumque contingit. Erunt etiam tales vt legumina in his facilè & breui coquantur. Velut enim quòd penetrat celeriter totum immutat quòd omnino externum est, ita aqua tenuis ingreditur legumina, & feruens ea emollit, crassa autem nequaquam.

Est adeò hoc ingens quandoque discrimen vt quædam legumina nunquam coquantur in quibsdam aquis, quæ tamen in aliis celeriter coquuntur. Hæc igitur sunt signa tenuitatis vt illa puritatis, quamvis (vt dixi) aquæ hæc duo sufficiant, puritas & leuitas.

Omnium aquarum saluberrima & optima est fluuiorum, quorum alueus est profundus & terreus, non limosus tamen cuius ortus est procul & ab oriente, atque in calida regione, & motus lenis, sic enim optime à Sole excoquitur. Octo igitur videntur aquæ optimæ conditiones, quæ omnes præter vnam Niliacæ conueniunt. Quamobrem meritò ea ferè omnibus aliis præfertur. Quod autem aqua ex flumine melior sit quàm destillata, dignosci potest ex hoc quod Sol plus quàm ignis concoquit, & motus magnus quam paruus, & temporis diuturnitas plus potest quàm breuitas, & natura quam ars. Post hanc tamen est aqua destillata super cineribus, aut fimo, vel fracibus, aut vinaceis, aut in duplici vase vel etiam super igne, sed tamen vase vitreo. Subsequitur hanc fontium aqua, sed longo interuallo. Quippe destillata leuissima est atque purissima & saluberrima pluresque morbos viscerum sola discutit. Velut tormina, grauedines, scyrros, podagras, cachæxias multáque huiusmodi talia. Fontium ergo aqua quasi media bonitate est. Decocta ad suum genus refertur multo tamen melior. Cisternina & ipsa laudabilis, si recte illa fuerit facta. Nam sunt qui picatis vasis excipiunt aquam vt fiat medicata. Et rursus si ab imbre colligatur: aut si iam diu non immota manserit. Optima est quæ sabulo solo expurgatur, sed denso ac tenui in lapideas hydrias. Leuior est hæc aqua quàm fontana, non tamen purior. Soli ac ventis sit exposita vt repurgetur. Venetiis dum perpetuò exhauriunt, fieri meliorem putant. Habetur id vice motus, estque necessarium & vtile, sed non sufficiens vt optima fiat. Medicata est è chalybe & eo magis ex ære, salubrior ex auro ignito è chalybe soluit duritiem lienis podagricis & ventriculo vtilis, aluum tamen astringit. Reliquæ omnes malæ, sed pessimæ palustres, & deinde lacuum, crudæ enim sunt & impuræ, post puteorum, sed profundiorum & eorum qui sunt in continuo vsu melior. Cæterum pluuialis aqua non vnius generis dici potest, quandoquidem & optima sit simul & pessima. Est cocta atque ideo tenuis ac subdulcis, vt quæ aëris natura participet, sed interim impura & fœtida. Quamobrem Hippocrates consulit coquendam esse & excolendam. Est autem à natura simplicis aquæ adeo remota, vt citrei coloris sit nonnunquam, & subuiridis. Talis est quæ in imbribus & tonitru decidit. Quæ autem leniter vt purior est, ita minus leuis atque salubris. Quæ igitur quasi sponte decidit æstate & autumno, tantum hyemali & vernali inferior est, quantum fontana & fluuiali salubrior: vt optima omnium sit hyemalis & vernalis pura, scilicet & concocta, atque ideo leuis: inde æstiua autumnalisque etiam magis tenuis vernali sed impura: inde fontana & fluuiorum. Hæ ob vsum & puritatem exquisitæ sanis atque robustis meliores sunt. Cæterum imbriferæ iecori, lieni, renibus, pulmoni ac neruis, ventriculo quoque & intestinis vtiliores, & ad coctiones ac secretiones aptiores. Simile discrimen est in fluminibus: nam maiora quoniam lentius fluunt, minus terram miscent, ideóque sunt puriora, magisque decoctas habent aquas. Verum quia longius excurrunt, diuersáque alia flumina in se recipiunt, quorum aliqui metallica transeunt loca, nullum illorum salubres habet aquas præter Nilum. Quo igitur maiores, eò suauiores: non tamen meliores semper, sed plerumque. Velut Ister, Eridanus ac Tyberis. Vix enim gens vlla quæ ex his fluminibus, bibit, boni est habitus atq; salubris. Ob id etiã plurimũ refert qua quisque parte vtatur in tam longo fluminis tractu. Atque de his sic generaliter dictum sit.

Sequitur vt de singulis differentiis aquarum nunc agamus. Hippocrates in libello de Humidorum vsu inquit de calida: Incarnare, attenuare, liquefacere, minuere, colorem reuocare, colorem dispergere, somniferum & in caput & in alta: conuulsionum, tensionum, mitigatiuum, dolores stupefacit auris, oculorum & quæcumque tala. Frigida calefacere velut pix vlceribus: præterquàm à quibus sanguis erumpit, aut erupturus est: fractis luxatis, reliquis quibus linteola sunt medicus. Ossibus quoque ac dentibus amica, rigores quoque febriles sedat, ob id etiam à calida voluptates & illecebræ. Et calefacit primum calida velut in manibus internas partes. At vlcera calida gaudent ex confesso quia tegi assueta sunt. Caput quoque, nerui, spina, dorsum, pectus ac præcordia, calidam perferre possunt, atque ipsa gaudent. Imus quoque venter calida in primis delectatur: inde extremæ partes & vesica & genitalia ac virilis penis glans. Atque hæc de calida simpliciter, id est, non feruente, nam de feruida inquit: Cutis ipsa exulceratur superne calidæ aspersione. Manifestum est non de tepida intelligere. Sunt enim calidarum tria genera, tepida & feruens, quæ ferri non potest, vritque quemadmodum & ignis, quæ etiam pilos cadere cogit. Alia calida est admodum, sed tamen ferri potest de aqua inquit in septima Aphorismorum: Si fabris non à bile habeat aqua multa calida super caput affusa febris solutio fit, non enim de feruente intelligit: nam inquit: Calida ne vlterius pergat vt vrat. De frigida verò inquit: Aqua frigida prodest papulis rubicundis quales atque alia parte sublatæ erumpunt: quales per splenia attrectoria emergunt. In carnosis verò & tenera carne præditis subrubicundæ sunt, in nigris autem rotundæ, Dothienes id est, furunculi appellatæ, & quales in ipsis calidis lauacris oboriuntur, & mulieribus ex mensium sub cutem recursu fiunt, & ab irritamentis cutis aut insolita vestimentorum asperorum gestatione, & ex sudoris exitu, aut vbi quis ex frigore repentè, ad ignem, aut calida lauacra accessit. Tumores quoque in articulis & dolores sine vlcere ac podagricos & conuulsa plurima ex his, frigida multa affusa leuat ac extenuat, ac torporem inducit Torpor enim moderatus doloré soluit. In distentione quoque absque vlcere

iueni carnoso, media æstate multæ frigidæ aquæ affusio, caloris reuocationem facit. Calor autem hæc soluit, frigida quoque vtilis est his quibus sanguis fluit, aut fluxurus est. De humida illius substantia hæc affert: humectare prolutione velut nares vesicam flatus. Ostendit autem duo genera operationum quæ ab eius substantia proueniunt, nec non discrimen eorum ab operationibus quæ à qualitatibus actiuis procedunt, dicens: Madefactio itaque & humectatio debile quid est, frigefactio autem & calefactio valida: velut ex Sole. Sua enim lenitate lachrymis confert, vt ad acres stillamentum lene infundat aliquis, ne salsuginosa contactu lædat. Et cauis vlceribus oculorum elotio prodest, & repletio ad naturam reducens. Idem qualitatum inuicem complicatarum vim atque potestatem à frigiditate humidæ substantiæ iuncta initium faciens docuit his verbis: Frigida conuenit, vbi anxietas ex calida oborta est, eam enim sedat. Et cum calidis cibis quis vsus est, frigida delectatur. Et in animi deliquiis frigidam affundere extremitatibus prodest. Et generaliter frigidæ potio iucunda est thoraci atque ventriculo. De calida vero & humida aqua hæc habet quæ referret opera: Calida oculis conuenit, doloribus suppurationibus, lachrymis mordacibus, siccis omnibus. Est autem suppuratoria non omni vlcere: cutem mollit, attenuat dolorem, eximit rigores, conuulsiones, antè ac retrò, distentiones lenit, capitis grauitatem soluit. Plurimum autem conducit ossium fracturis, magis autem denudatis, & ex his maximè his qui in capite vlcera habent, & quæcumque præ frigore aut moriuntur aut vlcerantur. Item in vlcerationibus tam voluntariis quæ inuoluntariis, qualia sunt desquammata: herpetibus serpendo, exedentibus, denigratis, aut in gingiuis aut aure sedéve aut vtero. His omnibus calida vtilis est, ac indicatoria. Articulos quoque induratos, aut ab inflammatione aliquando oborta, aut à distortione, operæpretium est sanare aqua calida in vtriculum infusa. Subiecit & vim contrariam calidæ ac frigidæ aquæ, dicens: Post calidam corpus refrigeratur, post frigidam autem incalescit, Et quod post calidam siccatum corpus durescit velut & à frigida oculi. Ex quibus actio non propria deprehenditur. Inde etiam ex hoc commutationem docuit, cum dixit: Iam vero pedes desierunt perfrigerari ex calidæ perfusione. Voluit enim nos intelligere contrarias operationes cum sibi inuicem succedunt esse validiores, imo periculosas, si modum qualitercumque excesserint. Propterea etiam subiecit vsum eius opportunum & congruentem trifariàm: ex actionis mensura, ex aquæ qualitate & mora, tum ex sensu patientis: dicens: iudicat autem de his ipse ægrotus exceptis mutis, aut leuiter syderatis, aut stupefactis, aut velut in vulneribus perfrigeratis, aut nimio dolore vexatis: his enim hæc sensu non percipiuntur: nam non sentiunt hi perusti. Itémque profundæ ac magnæ luxationes. Nam calidioris ac frigidioris corpus ipsum perfusum index est. Verum vtrumque paucitas debile quid est, multitudo verò efficax. Sed tamen sinere oportet, donec id fiat, cuius generalia fiunt, antequàm autem ad finem ipsum deueniatur, cessandum est. Manifestum est igitur, quemadmodum Galenus dixit. Etiam huius doctrinæ semina, imò totam methodum nobis bonus reliquit Hippocrates. Nam & quibus calida aut frigida, aut calida aqua, aut frigida aqua, aut calidissima, aut frigidissima intus vel extra, & quænam sint opera illius non propria, & quibus successio conueniat, & quomodo in singulis sit administranda, ipse idem diffusè ac quasi præter solitum morem ob rei ipsius vtilitatem tractauit. Quamobrem & facilior nobis etiam disputatio de his erit, ac doctrina agendorum.

Iam verò cum duo sint scopi artis medicæ, sanitatem quidem tueri, & morbos propellere, de sanitatis primum conseruatione agendum est. Nam & ex illa scopos curandorum morborum venabimur. Itaque haud dubium est conseruandæ sanitatis præcipuam causam esse aquarum bonitatem: nam & aër malus fit ab aquis prauis: & si bonæ sint aquæ, aër malus esse non potest. Cum ergo hæc duo elementa necessariò in vnum conueniant, erunt & fructus & olera etiam optima: & animalia etiam quæ vtrumque elementum hauriunt, hisque vescuntur, etiam optimo prædita habitu. Qua de causa etiam homines viuacissimi, & optimæ temperaturæ, qui & vtroque elemento probè vtantur, & cibis optimis vescantur: & condimenta etiam, quæ ex aquis fiunt, præcipua habeant, nam in frigidis regionibus ob id viuacissimi esse nequeunt, quòd fructus & olera absolutæ bonitatis esse nequeant, cum in his nec aër purus, nec aqua tenuis licet pura, esse possint. Ob id quanquàm robustissimi, & caloris integri ob frigiditatem aëris, non tamen centesimum annum excedere queunt: at in calidis regionibus hominibus, si hæc omnia quæ dicturus sum, adsint, licet ad ducentos annos peruenire. Quæ enim ad longitudinem vitæ maximè necessaria sunt, sunt quatuor: aqua & aër optimus, & cum his fructus, olera & carnes: bona temperies & bonum regimen vitæ. Hæc autem omnia ex aqua pendent: nam de aëre fructibus & oleribus quòd aquæ naturam sequantur, iam dictum est. Temperamentum etiam generaliter si non delinquatur in regimine tale est quale aëris aquarum fructuum olerum. Nam cum hæc sola ab animalibus vel quæ ex his fiunt hauriantur, necesse est per continuam generationem eo vt deueniant, vt hominum temperies sit qualis aquarum. Quod Cardani videmus, neque enim soli incolæ ibi bonam temperiem bonúmque habitum habent, sed alio migrantes vsque ad aliquot generationes eam retinent. Bonum autem regimen continet, vt aquæ potu, non vini vtatur. Námque aqua ad vitæ prolixitatem & incolumitatem plurimum confert, estque vino longè præstantior. Cum enim tenuior sit, alimentum in partes liquidiores penetrans intimius diuidit, nec adurit quicquam & præcipuè pinguiorem alimenti succum, nec cogit

cogit vinum illud ante coctionem penetrare ad iecur & ex iecore ad membra. Longéque vino vtilior est ventriculo, licet ob consuetudinem & intemperiem iam vini vsu acquisitum, nonnullis secus videatur. Multi enim vino assueti, quoniam ab illo ventriculus extenuatur ob inopiam caloris natiui, atque etiam ad ipsum aliunde influentis, coguntur vino vti, atque in eius vsu perseuerare. Sicut etiam in aliis prauis consuetudinibus contingit. Patiuntur enim hi quid simile vtentibus cibo immoderato, vt calor non assuetus concoquere, sed solum tenuiorem ad se cibi partem trahere, semper multo cibo indigeat: nam nec diutius concoquere potest, nec ex pauco alimento breuique concoctione tantum nutrimenti elicere vt se sustentare valeat. Hoc aquæ & vini discrimen insinuasse videtur sapientissimus Moses, dum ante diluuium vitam hominum describit, multorum sæculorum quorundam prope mille annos producens: sub diluuij autem tempore refert Deum tanquam pœnituisset tantæ prolixitatis vitæ, constituentem vltimam metam humanæ vitæ centum & viginti annos. Inde facit Noam vitem inuenientem & vino vtentem cum antea nec vitis nec vini vllam fecisset mentionem, quasi nobis indicaret potu vini hominum vitam esse decurtatam. Quod si quis dicat Moysem quasi sui oblitum, Abrahæ & Isaaci & Iacobi vitam produxisse multo longius centum & viginti annis? Respondemus non hoc ex obliuione factum esse, sed vt ostenderet gratiam diuinam nullis naturæ legibus subiici. Nam neque vllius alterius qui Deo charus non fuerit vitam vltra eam metam producit, nec tam breui interuallo scriptorum autem temporis, propriæ vocis atque sententiæ oblitum esse verisimile est. Sed redeo ad propositum, aquæ vsus saluberrimus est vitæ non solum ad incolumitatem, sed etiam longitudinem eius, modo ea optima sit. Nec optima esse potest nisi in calida regione. Ea autem ab oriente fontis ortum habere debet. Cui proxima est cuius fons est inter ortum æstiuum & hybernum. Eam subsequitur quæ oritur inter Hybernum & æstiuum occasum. Licet etiam emendare aquas atque corrigere, & quamvis ex hoc non corrigantur aër & fructus & olera, tamen multum facit, hoc solum per se, aquas habere bonas.

Verum antequam vlterius procedamus de aquæ natura quod inchoatum erat rursus absoluere decreui: scilicet an aqua temperamento proprio siue potestate (nam nunc de actu non loquor) frigidissima sit an temperata. Vnde non possum non satis demirari stuporem in hoc antiquorum, maximè Galeni: qui cum omnia & rectè ad sensus examen traduxisset in hoc adeò cæcutierit, vt aquam frigidissimam & ipse tanto mortalium damno, contenderit. Quantum enim referat scire aquam esse temperatam non frigidissimam haud obscurum esse potest. Itaque ego vtinam hoc sciuissem ante senectam quanto emolumentum iuisset mihi hoc inuentum. Nam neque destillationes neque artuum neque neruorum nec cerebri offensiones expertus fuissem. Qui & sanguis purior & temperatior, & vita incolumis ac magis firma nec solum mihi sed & meis melius consuluissem, non enim menti illa nocet, non iracundos efficit autem petulantes, solum ob id metuebam quòd quasi venenum esset si frigidissima erat. Ideóque meritò fugienda. Ea videt quanta mala inuexerint Philosophi cum suis nugis admiserit Galenus, tanto mortalium detrimento, cum liqueat luce clarius aquam exactissimè potestate mediam esse calidi atque frigidi. Eiusque ob id vsum salutarem maxime omnibus qui non in vino iam consenuerint. Sed enim si temperatam fateamur iam nemini dubium esse potest. Cum nec calefaciat nec refrigeret, nec cibum præcipitet nec caput permeet, nec contumax sit ad distributionem. Sed id ostendamus. Aqua est ob omnium plantarum alimentum multorum etiam piscium, adeò vt Rondelletius refert, nonnulli solum & viuant, alantur, crescant, omnibus etiam animalibus conuenit temperata igitur est: In corporibus quoque nostris nec apertè refrigerat nec vllo modo calefacit, est igitur temperata, est etiam suauis cæterum omnis saporis est expers quare temperata, paululum autem declinans ad frigidum nostri comparatione quanto hominis temperamentum mediocri calidius est. Præterea ex quouis medicamento incocto statim ad calidum vel frigidum manifestè declinat: Velut ex saccharo ad caliditatem etiamsi sit in primo ordine tantum ex intubo ad frigidum, itaque liquet exactissimè eam esse temperatam, minus etiam refrigerat quouis succo frigidæ herbæ minúsque calefacit quouis succo calidæ, vt experimento perspicuum est. Cum etiam esset principium mistorum ac elementorum Mundi, decuit esse eam vel in altera extremorum, vel in medio exquisitissimè: perfectum enim esse oportuit, at frigidissimam vel calidissimam non esse constat, temperata igitur absolutè dicenda est: nam calidissimam nemo esse dicere audet, frigidissima interficeret, aut læderet. Demum si simplex est nullam habere potest qualitatem, nuda enim omnia sunt potestate, quæ simplicissima sunt, velut cœlum & aër. Facultas etiam illa cum sit nostri comparatione est, & cum dissoluitur actu esset, at aqua cum sit similium partium non potest in diuersa dissolui.

Corriguntur autem aquæ destillatione primum, sin minus stillicidiis: aut si non licet colis & vt per densam arenam bis teruè transeant, inde coquantur ad tertiam albis ouorum additis atque argilla, demum colata sub dio exponatur in vasis ac verberetur. Quòd si destillatæ aquæ retinent odorem saporémque quid credendum est de coctionibus aut percolatione? certè nihil melius quam assidua & diuturna agitatio atque ex longo interuallo defluxus. Cum verò aqua odoris, saporis & coloris expers fuerit & nitida: hinc si epota præcordia non conturbet, celerriméque ex ventre digeratur, iam optima est atque emendata: si non prauitate non caret. Facile enim descendere è ventriculo, nec turbare corpus non solum signum est optimæ

timæ aquæ sed affectus, atque vt ita dicam ipsa bonitas elementi substantia. Herbæ etiam fontibus innascentes vitiant aquam si aqua non profunda fuerit & cursus velocis. Pessimæ tamen quæ praui sunt odoris, ranæ quoque & talia. Pisces etiam aquam corrumpunt, qui tamen mobiles sunt & squammosi nec frequentes, parum aut nihil obsunt atque. In vniuersum motus & sol aquas perficiunt, alterum enim attenuat. Alterum purgat aquam: his autem duobus aquæ bonitas constat. Aquæ autem quæ leniter fluunt & herbas nutriunt medicam vim retinent. Vt sisium aut adiantum aut nepita vrinas cient: sin cyperus aut malabathrum, viscera corroborabunt, & discutient, spiritúmque odoris suauitate commendabunt: sin iuncus, caput grauant, somnum conciliant, aluum astringunt, vrinam prouocant. Si plantago & nymphea immodicè refrigerabunt sanguinem, & feminis profluuium cohibebunt. Si quis auersis renibus cursum earum excipiat, renum caliditatem mittigabit, & morbos qui ex ea proueniunt tollet. Si harundines Herisipelas sanabit epota, locóque ea abluto sæpius, & vim habebit attractoriam Demum si piperitis aut alia consimilis dissoluit flatum, & ventriculo ac intestinis frigiditate laborantibus confert. Et vsus earum strumis ac duritiebus salutaris est. Eadem quoque ratio & in aliis. Aquæ quæ ex oriente ad occidentem feruntur ob id sunt saluberrimæ, quòd Solem perpetuò acccipiant. Quæ vero ab occidente in orientem labuntur & ipsæ concoctæ atque ideò salubres. Minus tamen, quia non adeò calescunt. Huius autem causa à nobis in Physicis declarata est. Quamobrem neque fontes sub vmbra arborum decurrentes licet gelidiores, nec præcipiti cursu deuoluentes aquas adeò salubres sunt, vt qui in patentibus aruis leniter fluunt: nam hi licet calidiores, cum tamen Solem vehementius excipiant, concoquuntur aquæ melius, atque ob id salubriores longè, optimæ igitur quæ in vmbra colliguntur, sed tamen ex patulo fonte, ac qui longo itinere Solem expertus sit. Præstat enim aquam quæ à fanis hauritur esse moderatè frigidam, non modicè. Pessima vero quæ è proximis montibus venit, & sub sole colligitur: hæc enim neque leuis neque suauis esse potest. Vnde cum diu in ventriculo subsederit, per aluum excernitur tandem, quod pessimæ aquæ signum est. Nam optima calido tempore statim sudores profert: aliis temporibus vrinam prolicit. Caue igitur ne collectam in Sole quæ per vmbrosa defluxerit loca, pro optima deceptus habeas, sed illius cursum qualis sit considera. Et ideo Nilotica quamvis minimè Solem excipiat ab austro defluens, quia tamen totam permeat torridam terræ zonam & leniter fluit atque per terras, optima. Cuius indicio est, quod sola hæc fossis excepta, quanquàm quiescens nec corrumpitur, nec deterior vtentibus ea fit: tenuitate etiam aëri persimilis non corrumpitur, sed minimo motu contenta, qui ob lenes auras contigit, incorrupta seruatur. Quamobrem Hippocrates non errat, cum id re ostendit quod verbis deficere videtur. Nam cum aquæ quæ ab oriente in occidentem fluunt, aut ab occidente in orientem (omitto enim nunc mendum literæ) ob id sint saluberrimæ quod Solis calore perpetuo concoquantur. Nilotica vero ab aëre leniter fluens, vbique præterquàm iuxta cataractas excoquatur, ob regionis caliditatem & ipsa perpetuo: constat ex sententia Hippocratis & illam probari admodum, & optimam censeri.

Adhibetur autem aqua septem modis lauacro balneo fomento potu affusa, infusa & instillata. Lauamus vt sordes abluamus, solemúsque pedes ac manus tamen etiam caput lauare frequentius. Lotio omnis natura exhilarare solet propulsatis vaporibus humectáque cute, atque modice refrigerata: balneum autem fieri ex calida ac frigida tepidáque tum toti corpori tum solis cruribus, & olim & nunc, & apud Turcas consueuit. Iuxta autem qualitatem aquarum diuersas etiam vires habet. Calidior enim aqua calefacit, sed non perinde humectat vt tepida vel temperata. Quinimo perstringens cutim horrorem mouet retentis intus vaporibus. Si vero tepida humectat, atque in initio calefacit, sub fine autem difflatis vaporibus & cum his calore refrigerat. Temperata quoque humectat & non difflato calore sed exterius deducto calefacit. Hæc autem tria refrigerant internas partes, sed externas calefaciunt, verum non eodem modo. Ea enim quæ calidior est adurit & calefacit inæqualiter & horrores mouet, tepida solum in initio, temperata semper ac æqualiter, quibus etiam fit vt temperatum balneum calefactos, vt Galenus inquit, refrigerat, & refrigeratos calefaciat. Namque cum tepefaciat simileque proprio temperamento corpus reddat necesse est vt extremum vtrumque ad medium anocet. Rarius quoque ac laxius balneum tepidæ aut temperatæ corpus reddit cutimque rubicundiorem & habitum pleniorem facit, ac somnum conciliat & Labores quoque ac lassitudines discutit. Multis autem modis somnum conciliat & reuocatis extra calore acutiore atque vaporibus, & humectato corpore sugentibus arteriis quod tenuius est aquei atque dulcis vaporis & voluptate quæ ex ipso balnei vsu percipitur. Soluit quoque torporem balneum. Sed parum vtile est his qui omnino inculpato sunt corpore. Neque enim adeò aquis fauemus vt noxia velimus pro vtilibus collaudare. Quibus enim in casibus iuuabit suo loco referemus. At frigidæ balneum salubrius longè est: libet autem ex Agathino vt Oribasius refert commoda illius recensere, sic enim inquit. Qui hunc breuem vitæ cursum cupiunt sani transigere frigida lauari sæpe debent. Vix enim verbis exequi possum quantum vtilitatis ex frigida lauatione percipiatur, quod in causa est vt qui frigida lauantur etiamsi senio propemodum confecti sint, corpore tamen constanti & & compacto & colore florido comparias: & omnino qui multum vtilitatis & roboris præferant. Quin etiam quæ ad appetitiones concoctionésque pertinent firma, sensus plerumque integros & exquisitos, &(vt vno verbo

verbo dicam) naturales actiones ritè constitutas habent. Equidem in more barbaris esse audiui vt infantes in frigidam assiduè demittant. At ego nulli puerulo qui infantis ætatem excesserit frigidam lauationem incongruam censeo, modo ne propria quædam natura huic vt etiam aliis vtilibus rebus aduersetur. Atque id toto anni tempore, præcipuè tamen verno. Oportet autem ab exercitatione non magna & statim à prandio vel etiam post cænam, sed absque frictione post cænam, ante prandium cum frictione lauari, frigida satis non tamen admodum gelida, cauendo ne auditus meatus ingrediatur. Solum enim eis noxia est. Ego verò non tantum aquarum causæ faueo vt citra necessitatem omnem hoc fieri suadeam: nam præter reliqua vt primum consuetudo contracta fuerit, si eam quis deserat corpus periclitatur. Deinde contingere facilè potest vt longo vitæ spatio perperam aliquando adhibeatur, quæ cum vim egregiam nacta sit hominem perdat, oportune igitur tantum & à cæna vel prandio aut statim ante corpore satis vegeto, adhibenda est eo modo quo docebitur inferius. Fomentum adhibetur è phisicis spongiis, ex calida velut in doloribus aut duritiebus: è temperata velut in acribus lachrymis ac fluxionibus è gelida velut in vulneribus. Potus frigidæ delectat & ventriculo salutaris est maximè à cibo: tepidæ ad vomitum proliciendum. Affusa aqua detergit & motu immutat corpus largiusque affundi solet. Instillata longius atque ex alto cadens plus habet virium ac roboris in intemperie mutanda. Est etiam illa duplex, vna quidem quæ guttatim cadit, altera quæ affatim atque confertim. Infunditur etiam aqua velut in clysteribus atque naribus attracta. Atque hæc de aquis optimis. Cæterum cum contingat in itineribus aquas multas occurrere, cogitúrque viator bibere ob sitim scire præstat quænam tutior sit. Est autem stans omnium deterrima, & ex stantibus turbulenta ac maléolens saporisque fœdi. Inter has omnes peior est quæ pessimi est saporis, inde odoris, post viridis, & in qua carnes putridæ iacent, aut si salamandræ in imò sint vt in quibusdam riuis iuxta Patauium: Et quæ fusſæ aut nigræ, ab his omnibus prorsus abstinere oportet. Pessimarum minus mala est musco obsita & turbulentâ, vltima quæ ex riuis montium profluit. Et quamvis frigida aqua melior sit temperata in potu, sécurior tamen est calida, imo feruens cum deferbuerit quàm frigidissima. Quæ enim frigidissima est semper mala est & cruda & periculosa: nonnunquam vero etiam venenosa. Aquæ quoque vsus in singulis membris talis esse debet in sanis: abluantur pedes sordidi aqua tepida. Iuuat & manus quotidie abluere ante cibum, aqua temperata, quòd quotidie etiam manus sordibus inficiantur, à cibo autem frigida. Caput autem lixiuio leui & ipsum cum sordidum fuerit: nam aqua non sufficit ad sordes pingues eluendas. Vtrum verò feruens esse debeat an tepida potius, Auenzoar dixit quod feruens, atque ita Celsus videtur sentire. Sed Celsus vult vt frigida lauatio succedat. Iam enim Auenzoar ætate lauacra desierant, caputque vt nunc solum lauabatur vel extrema. Ob id apud Galenum de capitis lotione tantum non est sermo cum totus homo lauaretur. Tunc verò calidæ lotioni frigida succedebat. Quod etiam de capite solo obseruandum est. Quod si aliter fiat, tepida non calida lauandum est caput. Neque enim humanum corpus ferro durius est, quod vbi in igne candescuerit, si non in frigidam demittatur, mollescit admodum. Si igitur, caput calida lauetur nec frigida succedat, aperti meatus manebunt, fietque caput cuilibet iniuriæ obnoxium. Vnde grauedines & destillationes necessario fermè & alia mala eueniunt Dictum verò Auenzoar intelligi debet vbi frigidæ, vt dixi inspersio succedat, per quam velut in ferro astrictomea tuum & durities, ac soliditas capiti aduenit. Extrema verò forsitan licebit & maximè pedes, cum velati nihil excipiant, sed potius sudorem meatibus apertis reddant, feruida lauare, & absque frigida. Qui ergo sic assueuerunt ad sudores ea parte proni sunt. Quod si siccare & mutare lintea ac caligas commodum fuerit bonum & vtile: si non refrigerato sudore & cum eo pedibus, primum fœtor, deinde periculum morbi, contracto calore & consensu ventriculi accedit.

Quo verò tempore aquarum vsus melior sit nunc considerandum. Opportunus sanè mihi magis videtur cum aquæ sunt meliores, & corpus refrigeratione atque humectatione magis indiget. Sunt autem meliores æstate quam hyeme, & corpus tunc etiam calidius est atque siccius multò, quod nemo negat. Laxata quoque membra frigore aquæ coguntur & roborantur. Perpetitur etiam facilius frigus illius eo tempore corpus ac sine horrore ac suspitione febris diariæ, quod summum est periculum in vsu frigidæ, si quis sinistrè vtatur. Forsan tamen quispiam dubitabit ne aquæ hyeme sint meliores, quoniam calidiores esse videntur. At ego & meliores esse aquas & magis coctas & calidiores æstate quã hyeme, esse contendo. Nam quod meliores sint si magis coctæ si calidiores, quisque facilè concedat. Quòd etiam calidiores sint aquæ fluminũ & fontiũ æstate quàm hyeme, facilè & hoc plurimi admittent, at quæ aquę puteorum, maximéque profundiorum æstate quàm hyeme sint calidiores, id pauci admodum admittere volent. Plures etiam paradoxum esse suspicabuntur. Quamobrem & in hoc demonstratione opus est: nec simplici sed Geometrica quidem tamen maximè quod hoc demonstrato de omnibus aquis dubitatio tolletur. Sit igitur caliditas maxima æstiui aëris in nostra regione: A. hyemalis frigus maximum rursus. B. tempus in quo aqua aëri similis est tempore C. Si igitur aqua calidior est in hyeme quàm æstate, cum sensim incalescat, refrigeretur, erit etiam calidior quam in C. sit ergo calida iuxta temporis æstiui D. calorem, & in æstate frigida pari ratione iuxta. E. frigiditatem aëris. Quia ergo dum aër est sub. A calore, aqua est sub. E. frigore & dum aër est sub. B. frigore aqua est sub. D. calore, differentia igitur

igitur æſtiua aëris & aquæ eſt.A.E. & hyemalis. B.D. igitur duæ differentiæ aquarum erunt. A.E. & B.D. quæ excedent. A.B. in D.E. videbitur ergo ſenſui maius diſcrimen inter aquas æſtiuas & hyemales quam inter aërem, quòd apertè falſum eſt: homo enim indicat differentiam caloris æſtiui à frigore hyemis eſſe tantam vt vix perferri poſſe exiſtimet mutationem vnius in alterum. Differentiam autem aquarum paruam cum vnam tepidam aliam frigidiuſculam eſſe credat. Rurſus in fontibus conſtat eos eſſe calidiores æſtate quam hyeme, cum aëri expoſiti ſint, nec refugium ibi caloris poſſit aſſignari, & tamen aqua fontium ac fluminum calidior videtur eſſe hyeme quàm æſtate, cum etiam fumum exhalare cernantur, igitur idem de puteis parum profundis eſt cenſendum. Ergo de omnibus: quia aliter totam rationem inuertere eſſet neceſſarium, & fateri puteos aliquos ſimiles aëris temperamento eſſe in æſtate & hyeme. Scilicet illos qui eſſent mediocriter profundi. Quod etiam ex experimento meientium in balneo deprehenditur, quorum vrina cum ſit vehementer calida, frigida tamen eſſe videtur. Pondus etiam aquæ ipſum quod maius eſt hyeme quam æſtate & facilitas deſcenſus è ventriculo & Hypochundriis in æſtate, declarant eam eſſe multo calidiorem æſtate quam hyeme. Videmus etiam homines potu aquæ in æſtate minus lædi quàm in hyeme, quamvis corpora noſtra abſque dubio ſint calidiora in hyeme quàm in æſtate. Ideò hoc non poteſt contingere niſi ob naturam ipſius aquæ & etiam auxilium aëris. Et ſi quis obiiciat quod ſi corpora noſtra ſint frigidiora æſtate quam hyeme, ergo & terra, igitur & aqua in ea contenta. Reſpondeo quòd non eſt par ratio, quia corpora humana ſunt calidiora æſtate quam hyeme, loquendo de caliditate ſenſibili: quod declarat tactus. Sed ſunt frigidiora caliditate propria, quæ eſt animata. Sed hac terra & aqua carent, ideo ſunt ſemper elemēta calidiora æſtate quàm hyeme, terra ſcilicet, aqua & aër, quæ ſola ſunt elementa. Dico etiam, quod putei quò profundiores, eo ſunt frigidiores, tā hyeme quàm etiā æſtate: quod eſt argumentum euidens, aquam eorum eſſe ſemper calidam. Nam ſi hyeme eſſet calida vere, quoniam caliditas ſe conderet quo eſſent putei profundiores, eò eſſent calidiores: Sed non ſunt, quia calor ille eſt à Solis radiis, qui remotiores ſunt ab aqua in puteis profundis, quam his qui non ſunt profundi. Quod etiā ex affectibus dignoſcitur, nam & æſtate terra magis ſiccatur quàm hyeme, & herbas atque arbores vberius alit: igitur pinguior, igitur magis concoctum humidum, igitur calidius. Declaratū eſt enim à nobis & quòd omnes plantæ humido pingui aluntur, & quod pinguis humor fit à coctione ſyderum caloriſque eorum. Quod ad fumum attinet ſemper exhalat, ſed hyeme tantum videtur, quoniam denſatur firmiſſimum autem argumentū eſt caliditatis maioris aquæ hyeme quàm æſtate demonſtrationibus non aquieſcūt his quę quod ſi aqua calidior eſſet, in hyeme quam æſtate id contingeret, quia profunda terræ calidiora denteo tempore: at conſtat non eſſe non tunc maximæ arbores pereant & vinum congeletur nunquam autē æſtate: id ergo cum ſæpe Philoſophi in maniſeſtiſſimis etiam decipiuntur. Manifeſtum eſt igitur ex hoc quod aqua ſaluberrima eſt in æſtate, inde in vere & autumno, vltimo in hyeme, quoniam tunc peſſima eſt. Atque hæc omnia ex dictis conſtant, niſi quod nondum clarum eſt cur cum aqua ſit æquè calida vere & autumno, melior tamen ſit in vere. Hoc autem breuiter nunc declarandum eſt, ne tempus extra principale propoſitum fruſtra teramus, & longius opus faciamus. Dico ergo quod omnia quæ creſcunt, ſunt robuſtiora, & fidelius qualitates ſuas exhibent quam quæ decreſcunt, quod videmus in temperie verna & autumni, in adoleſcentibus, viris, & eo qui tantum abeſt receſſu ad ſenium à conſiſtentia, atque virili ætate: quantum adoleſcens qui nondum acceſſit, atque in omnibus aliis. Igitur cum vere color aquarum ſit in incremento (vt docuimus) in autumno autem minuantur, conſtat cur vere aquæ ſint ſalubriores quam autumno. Quod etiam argumentum eſt, aquas refrigerari in autumno, non incaleſcere. Si enim incaleſcerent more aliorum omnium quæ incaleſcunt, eſſent meliores atque ſalubriores. Liquet ergo ex hoc cur aquæ apud nos Auguſto menſe ſint peſſimæ & noxiæ hominibus qui eas bibunt, vel etiam ſi quis natationem in eis exerceat: nam corpora tunc humana imbecilliora ſunt, & aër & aqua omnia deteriora euadunt, refrigeranturque. Quod malum etiam per totum Septembrem licet validius fiat, tamen magis conſpicuum eſt in Auguſto, quod in Septembri tum ob experimentum præcedentis menſis, tum ob frigus homines magis cautè ſe aquarum vſibus tam internis quam externis committunt. Sed his expoſitis ad principale propoſitum reuertamur, doceamúſque vſus aquarum non ſolum ad conſeruandam ſanitatem ſed ad ſingulos quoque propulſandos morbos conferre, eámque tractationem in duas partes diuidemus. Primo ſcilicet de conſeruanda vniuſcuiuſque membri ſanitate tum etiam totius corporis: inde de morbis qui ſingulis membris aduenire ſolent diſſeremus, initium vt par eſt à capite facientes, ac demum poſt & manuum affectus de his morbis ſermonem facientes quæ vel totū corpus occupare ſolent, vt febres: vel non plus vni membro conueniunt quam alteri, vt vlcera atque abſceſſus, aut quæ pluribus & ſi non omnibus membris poſſunt eſſe communia, vt fractura & luxatio. Verum primum de ordine & vſu aquæ inſanis dicendum eſt, quarum vſus proculdubio etiam per ſe plurimum poteſt ad vitæ longitudinem: ad dentes firmandos debilitandóſve, ad fluxiones omnes, ad habitum corporis, atque colorem. Poteſt & in reliquis, ſed non adeo. Ex morbis verò ad lienem hydropem, ventriculi & inteſtinorum ſcirrhos & renum lapidem. Hernia gulæ nulla magis alia cauſa, quam aquarum vitio procreatur. Iam ergo ſuppoſito, quod optima ſit aqua, videndum eſt quando illam

sumere debeamus. Constat enim opportuno illius vsu omnia membra fermè sanescere aut infirmari. Auicenna autem existimat pulmones & cerebrum maximè affici. Sed hæc interius: nunc constat, necessarium esse vt sciamus quantitatem aquæ, & ordinem cui tempus coniunctum est. Sunt igitur aquæ quæ bibuntur, à sanis optimæ, frigidæ seu coctæ naturales aut destillatæ. Et ex his melior modus refrigerandi aquas est, vt sub dio exponantur aut in puteum demittantur. In altis verò locis ventus magis flat, & aër purior est. Oportet autem vt celerius refrigeretur aqua, vas non totum repleri: nam aër qui intus continetur facile refrigeratur, atque inde illi aqua continua. Aqua etiam niue refrigerata, aut glacie mala est, & quia immodicæ est frigiditatis, & quoniam violenter cogitur. Deterior autem, si misceatur: nam neruos tandem necessario lædit. Aquæ verò vsus non est nutriendi propriè causa, sed potius vt nutrimentum liquefactum deferatur ad membra, & etiam humidius & frigidius redditum temperetur. Verum quamvis Hippocrates & Auicenna dicant, quod aqua non nutrit, & Galen. conetur assignare causam, quia est elementum, & elementa non nutriant, non tamen videtur hoc verum exquisitè. Neque Hippocr. eam non nutrire dixit, sed non mouere feces, debilitare vires languentium, nec extinguere sitim. Hæc autem haud contingũt, quoniam non nutriat aqua, sed quia laxat membrorum substantiam excalefacta febrili calore. Neque etiam extinguere sitim inquit quoniam non nutriat, id enim absurdum, sed quoniam in bilem vertitur. Vnde inquit Hippocr. Amarescit, & biliosis biliosa est. Ex quo patet, illam etiam nutrire. Quæ enim generare potest bilem, etiam potest generare sanguinem tenuem, qui aquæ similis magis est quam bilis. Non igitur modo: sedat sitim, quia non nutriat, sed quia crassa cum sit, antequam penetret in biliosis atque febricitantibus à bile vincitur. Melius igitur erit ita argumentari. Sitim sedat in sanis, igitur nutrit: quum non nutrit, igitur sitim non sedat. In prima oratione quod assumitur, est verissimum, & sensu manifestum, quod concluditur, dubium, vt in plerisque quæ sola in argumento confirmantur: in secunda ex dubio assumpto concluditur falsum & repugnans & experimento. Mirum est autem, quod Galen. concesserit aërẽ nutrire, & neget illud de aqua, quæ longè corpulentior est. Solida igitur membra ex terreis nutriri videntur, contenta & liquida ex potibus vino atque aqua, spiritus ex aëre. Sedat autem aqua sitim non solum nutriendo, sed etiam temperando membra supercalefacta. Vnde aqua frigida melius sitim sedat, quam calida aut tepida. Cum tamen vtraque sitim sedet, constat quod etiam nutriendo sitim sedat, non sola qualitate. Videmus etiam pisces aqua sola nutriri, quod & Rondelletius expertum se testatur. Et animalia si bibant aquam serius ex fame pereunt, quam si omnino nihil bibant. Et nos in libris de Rerum varietate non solum ex aqua, sed etiam ex aëre nutriri homines docuimus, humorémque aqueum ex illo generari. Non rectè igitur Galen. negat aquam nutrire quę cum non sit elementum purum, nutrire potest & si etiam esse, nutrire transmutata posset. Nam vt inquit Hipp. Putrefacta aqua crassior redditur, & in quantuncumque puro vase vermiculos generat nullo alio addito: quanto igitur magis in corpore nostro tot coctionibus immutata? Frustra igitur quasi in famem potum aquæ Galenus reddiderat, quoniam vino potius quam aqua delectabatur. Sed alia maior difficultas exoritur: nam Rasis non cum cibo bibendum aquam consulit, quem Auicenna secutus inquit: Nec post cibum statim multa aqua bibenda est, ne supernatare eum faciat: nec multo minus cum cibo ipso, verum à cibo statim tantum aquæ sumendum, vt cibus humectetur, & maximè si sitiat. Ideóque frigida tunc conuenit. Postquã autem cibus è ventriculo descenderit, quod ex ipsius ventriculi & partium quæ illi è regione sunt, leuitate dignoscitur, aquam bibere conuenit, vt cibus concoctus ad membra facilius deferatur. Quod si antea siti vrgeatur parum aquæ frigidæ bibere, quemadmodum & statim à cibo assumere poterit. Et quod magis mirum est, eandem ferme de vino sententiam habent. Quæ tamen videntur factu difficilia, quoniam homo commedendo sitim patitur, quia humidum roridum ab ore ventriculi fugitur à cibo, atque etiam detergitur. Sunt etiam à ratione aliena, cum iam dixisset hominem debere bibere cũ sitit, quia corpus siccatur: & commedere dum esurit, quoniam ventriculus malis repletur succis. Deinde mirum est, quod hic mos non fuerit antiquis, vt enim Athenæus recitat, neque Homeri tẽpore hoc fiebat, sed inter prandẽdum & cænandum potabant. Nec Galenus huius consuetudinis meminit vllibi. Illud verò magis absurdum, quod cum aquæ potum in ieiunis damnet, hic iam cibo è ventriculo educto potum copiosum imperet. Deinde à cœna quomodo bibemus? an statim? non probat: an per noctem? vigilabimus ne tota nocte, vt occasionem hanc obseruemus? an mane, cum iam ieiuni sumus? quis hoc sanis auribus audiet? Quis etiam hanc ventris superioris leuitatem atque vacuitatem intelligit? qua arte assequentur hanc scientiam rustici, artifices, milites, negotiatores, quam vix ex multis medicis vnus percipit? Galenus autem videtur primo ex sexto de Tuenda sanitate sentire idem quod nobis in vsu quotidiano est: vel non multum ab eo dissidens, scilicet vt à cibo bibamus: qui mos certè est valentium corporum. Sed vnde nam tam absurdus mos emanauerit, non facile forsan diiudicare liceat. Ego tamen Arabibus hac in parte magis credendum existimarem, quod plerique ex his centesimum annum attigerint, vt Rasis & Zoar. Auerroës quoque valde senex obiit. Galenus cum norman vitæ aliis præscripserit, neque admodum diu vixit nec illud tempus quo vixit perpetuis fermè vacauit incommodis: & tamen adeo operosam tuendæ sanitatis rationem instituit, vt illud probem quod Rex Neapolis aulicis suis quãdoque respondit. Cum enim senem valde & qui centesimum annum attigerat (vt aiebant illi) ei ostendissent, interrogauit illum

lum quonam vitæ instituto vsus ? cum ille multa quæ vitasset narraret, Rex prudenter inquit: Malo iuuenis mori quam in producenda vita quicquid est vitaamitttere. Et recte inquam: nam si centum annis viuas totus hoc vt viuas, solum intentus, ne dieculam vixisse gloriari potes: quoniam neque illius dulcedinem nec suauitatem aut vllius alterius percipere licuit. Quanto melius igitur est quinquaginta annis sibi vixisse, quam vel centum in continua formidine atque seruitute? Sed hæc hactenus: satis constat Galenum vt contradiceret antiquioribus, plus iusto studuisse, nos autem iter cœptum prosequamur. Quod magis obstat eorum opinioni, est Hippocr. sententia tertio libro de Dieta: Potu inter edendum vtendum est sufficiente, interdiu autem minimè bibendum, nisi aliqua necessaria siccitate corpus vrgeatur. Hic videtur sane Hippocr. omnem hunc vsum potus explosisse. Nihil denique inuenio quod huic opinioni conducat. Nam quod Celsus dicat hyeme sumendum esse cibum siccum absque carne & sine potu, nihil ad rem: prius enim dixerat post multas potiones, quæ aliquantum sitim excesserint, nihil edendum. Vt tandem concludam eam sententiam apud Arabes ex illa authoritate, quæ à nobis tertio Contradicentium medicorum citatur ortam. Cæterum his omissis ad ordinem redeamus. In potu aquæ natura, qualitas quantitas & ordo spectanda sunt. Natura enim optima eligenda, & destillata putredini minimè obnoxia est. Nam & in vasis seruata serius corrumpitur: & cisternina. Qualitas aquæ multiplex est, frigidissima, frigida, tepida, calida, calidior: nam de potu feruentis agere esset insani, frigidissima vtilis & robustis tamen, & assuetis, & modico cum cibo: aliter ieiunis aut copiosè sumpta hydropem subito creare potest. Pauca autem, vt Celsus inquit, statim à cibo sumpta concoctionem iuuat, ventriculi enim eos concludit, & calorem ad imum eius repellit. Cæterum in aliis vsus sit frigidæ Vti enim aqua frigida, qualis esse debet, & qualiter, ventriculum confirmat, oris spiritum bene olere facit. Vnde Romani non tamen ad cohibendam mulierum insolentiam (si quidem per se mulier stulta est & procax, sin autem vinum bibat, bis stulta & insolens) eas vti aqua iusserunt? sed ob paupertatem, cum ab initio ager eorum angusto limite concluderetur, & penè sine vitibus essent, & ipsi bellis quasi perpetuis occupati: & ad commendandum oris anhelitum hoc inuentum est, quo nil venere suauius esse potest. Vnde hic vsus videtur hac ratione omnibus commodus. Temperatiores etiam reddunt in actionibus, & prudentiores quicumque sola aqua in potu vtuntur. Præterea etiam ingenio magis valent, nam halitus ac vapor à ventriculo ascendens non conturbat cerebrum. Et ob id etiam suauissimè dormiunt præter cæteros, & somnia vident veriora, non agitatis vi vini imaginibus. Corpora verò eorum ad magnitudinem maiorem perueniunt, non ante tempus siccata, & molliora, ac solidiora firmioráque. A morbis vero qui ex cerebro originem ducunt, tuti magis sunt, imò sponte nunquam in eos morbos incidunt. Sunt autem attonitus, paralysis, surditas, cæcitas, podagra & arthritis conuulsióque. Neque ob id aliud (tametsi modico vini potu ob regionis consuetudinem & naturam vteretur) patrem meum integris sensibus ad extremam ætatem & absque podagra peruenisse existimo, quam quod assiduè aqua fermè vteretur in potu. Ij neque tremuli fiunt neq; insaniunt: & quod magis mirum est, etiam rarissimè lithiasi corripiuntur. Decet autem hoc quod non tam perspicuum est declarare: Nam & si lentos cibos & crassos edant, cum aqua non impellat vt vinum, cogitur natura vt penetrare possint, magnis viribus tales cibos coquere. Manifestum est autem, quod à tali coctione nihil mali euenire potest. Veruntamen vt aqua optima omnibus his conducit, ita lacustris in hac causa cœnosáque pessima est. At nobis sermo est de aqua, quæ nulla in parte culpari potest. Iuuat præterea aqua omnem facultatem concoquendi, expellendi, attrahendi retinendique: & omnes cohibet fluxiones, corporis etiam raritati confert, seu epota frigida, seu etiam exterius admota. Imbrifera ad excretiones omnes maximè vrinarum, fecem sudoris vtilissima est. Aqua etiam ad sanguinis generationem, ac bonum habitum præstantior est vino, & lacti melius longè eo sociatur. Lactis autem vsus vtilissimus ad vitam producendam. Sed & per se sumpta ad vitæ diuturnitatem plurimum aqua conducit. Audiui de quodam, quamvis fabulosum esse existimem, qui ad trecentos annos peruenit. Verum haud dubium est, eam multum vitæ longitudini conferre. Nuper agnoui quendam Hispanum Ioan. Moralem, qui habitat iuxta arcem, quem referunt centum annos iam sex mensibus excessisse, cum etiam ipse id testetur, estque robustus, nec incuruatus vlla ex parte, cum etiam multa vulnera lethalia acceperit, atque ex machinis igneis, quibus ossa crurium confracta sunt. Hic igitur vini potu nunquam vsus est. Facilius etiam singulis morbis aqua quam vini potu occurrere, incoctis his quæ opportuna sunt cuique languori. Velut fluxio est à capite, incoquantur papauer aut Indica spica: est ventriculi pituita, menta aut cinamonum vulgare, optimum tamen: sunt flatus anisum, viticis semen: est tussis & pulmonis affectus gliciriza, zinziber: est renum calculus lap. pe semen, aut flos genistæ, aut saxifragia. Quin etiam vbiq; aquam inuenire decet bonam, aut efficere, non vinum: neque aquarũ tantum discrimen, quantum vinorum. Quãobrem etiam ad bellicum visum nihil accommodatius: multa enim bella hoc solo infœliciter gesta, exercitus absumpti, quod assueti vino, nec illud inuenire nec aquam ferre poterant. Atque ita inclytæ acies periere. Videtur itaque aqua vino anteferenda. Ad prolis quoque generationem illa vtilior est, dum veneris superfluum vsum cohibet, atque coercet. Vnde semen concoctum generationi aptius redditur. Verum neruis & pectori & obstructionibus tum internis abscessibus inutilis existimatur. Sed aqua non tam neruis

neruis vtilis eſt,quam neceſſaria: & his qui cerebrum habent imbecille. Propterea in morbis neruorum vinum cum ſit peſſimum nec aqua frigida vtilis,mulſa exhiberi debet, ſolum ad lætitiam vinum, & exhilarandum confert,eſtque aqua præſtantius. Senibus itaque ac melancholia laborantibus non omnibus,ſed his qui natura tantum ad eum morbum propenſi ſunt conuenit. Generaliter ergo aqua vſque ad ſenium vino commodior, & ſenibus ipſis qui natura non ſunt melancholici,id eſt, qui non abundant plurima ſanguinis fece. Ad obſtructiones etiam & abſceſſu, & pectus infirmum tanto vinum periculoſius eſt, quanto aqua inutilior. In vniuerſum pauciſſimis vinum vtile eſt, eiuſque vſus conuenit, niſi violenta illa ac omnium malorum fautrix, regina conſuetudo obſtiterit. Porro quoniã aquæ copia in exercitu neceſſaria eſt,eo quo in priuatis auxilio purgandi eas deſtituimur:quamobrem oportet foſſis excauatis,fabuloque interpoſito eas colare & corrigere. Tepidarum autem aquarum inter cibos nullus vſus eſt, vt quæ nauſeam ſemper commoueant. Sed harum & aliarum quid meminiſſe expedit?quandoquidem nullæ ad vſum exquiſitæ ſanorum ſpectent. Quantitas aquæ non vna ratione deſcribi poteſt, cibus, temperamentum, anni tempus, ætas, conſuetudo, neceſſitas atque alia multa conſideranda ſunt. Cibus ſiccior, copioſior,corpulentior plus aquæ exigit quã qui non eſt eiuſmodi. Ætas iuuentutis & bilioſum temperamentum. Conſuetudo,plurimi potus,æſtas,ars,exercitatio,diuturna ſitis & potus abſtinentia, & huiuſmodi. Salſa quoque & calida poteſtate plus aquæ requirunt, quam frigida & humida & acida, aſtringentiáque, & multo minus inſipida. Igitur pro determinanda quantitate duo obſeruanda ſunt,neceſſitas & tolerantia. Tolerantiam vſus adiuuat, neceſſitas duplex:alia, vt cibus diſſoluantur, vt puls ſpiſſa: alia, vt ſitis ſedetur. Sitis enim cum non extinguitur, hominem conſumit & tabefacit. Ordo tempus etiam continet. Itaque maxima ratio in hoc conſtat, vt ſitis ipſa potum determinet,velut enim qui bene ſe habet, ſtatim à fame edere debet,quod aliter faciendo corpus abſumatur: ita à naturali ſiti ſtatim bibendum,quod corpus ſiccetur,ieiunus ergo ſiti naturali nunquam corripitur: nam ſitis non quemadmodum fames hominibus naturalis eſt. Eſuriunt enim omnia naturalia, eduntque niſi chameleontem excipias: at non omnia bibunt,neque ſitiunt,vt cuniculi, qui ſine potu viuunt,tametſi voluptatis cauſa vinum & lac auide ingurgitent, ſueſque Indici. Aues quoque vniuerſæ,quæ in aquis non degunt,parum potant. Cameli & Africæ feræ & ſerpentium genera plurima parum & raro bibunt. Morbi quoque ſitim generant non famem, quoniam fames naturalis res eſt,ſitis autem non. Non igitur vnquam ſitis ſponte euenit, ſicut fames ſed vel febre, vel dolore, vel ira vel motu vel aëris caliditate, aut propter cibum. Eſt enim humidum,quod ſitim prohibet, vt externum frigidum poteſtate aut actu, quod à calore naturali conſumi non poteſt, cum extermum ſit. Quamobrem omnis ſitis præternaturalis eſt, eam tamen naturalem appellamus ſolum,quæ cibo abſſumpto prouenit, latiore ſignificato, quæ citra cauſam manifeſtam contingit. Conſtat igitur non poſſe ſitim naturaliter generari ante famem, imò nec ante cibi aſſumptionem. Sitis autem ſalſa fit cum abſque humidi conſumptione ea gignitur vt ſi ſalſis quis vtatur, aut bilis ventriculum occupet. Generaliter ergo ſiti ſalſæ potus non conuenit,nam humido addere humidum non oportet. Conſtat ergo cur potus in ſiti ſit neceſſarius. Cum igitur edendo ſitim homo perceperit, tantum bibendum aquæ, vt ſitis extinguatur. Quod ſi ad finem vſque peruenenerit, tunc bibere oportet quod videtur, ſic vt cibus ſoluatur leuiter, non in ptiſanæ formam,ſed mellis concreti. Multo minus vt innatet cibo. Quamobrem qui multo potui ſunt aſſueti, nullam viam tutam habent: è pauco enim concoctio vitiatur & ventriculus fatigatur, à multo quod concoquitur non bene concoquitur. Concretus enim cibus hærens optimè concoquitur, ſicut dilutus facile & à ventriculo ſeparatus malè & imperfectè. Sitis ergo cum tria ſint genera, quæ à cibo bonum ſignum & protinus potu ſaturanda,quæ ex conſumptione à calore aut ſiccitate & ipſa extinguenda, vt in artibus febribus ſynceris, & mendoſa quæ aqua reſtingui nec poteſt nec debet. Aliquando tamen extinguitur potu, & extingere prodeſt: fit autem à ſalſo humore plerumque, & labore ventriculi. Sapor ſalſus ob edulia vel vt in ardentibus ſpuriis febribus, dum vellicat ventriculi os,gignit, & detegi poſtulat,& ſic ſitis tollitur. Plura autem de his in Aphoriſmis dicta ſunt. Hactenus de vſu aquæ pro ſanis generaliter.

Poſtquam autem viſum eſt de aquæ optimæ vſu,quam proculdubio optimo vino præferre debemus, id modo videndum,an aqua prauo vino deterior ſit. Atque id ità eſt,circa enim eadem eſt optimum atque peſſimum: vt caro optima oloribus præferenda eſt guſtu, odore & vſu,ita peſſima & corrupta deterior eſt in omnibus lactuca, braſſica,endiuia,corruptis. Eſt & alia ratio firmior atque validior: nam aqua corrumpitur permixtione multorum, quæ vino non poſſunt permiſceri, adeo vt aquæ inueniantur quæ confeſtim occidant, vt olim de Stygia ferebatur aqua: aliæ amentes, aliæ ſteriles faciunt,aliæ dentes excutiunt,quorum nullum à vino fieri poteſt. Concocta enim aqua diu in viſceribus terræ nihil eſt quod non poſſit. Corrumpitur præterea aqua à terra, ipſa etiã ſine permixtione, dúmque latet in illius viſceribus,ſi non moueatur, pernicioſa euadit. Vnde recentium puteorum omnes aquæ peſſimæ ſunt. Quædam etiam nunquam bonæ euadunt, vt Romæ contingit hoc, vel quia terræ aliquid metallici immiſcetur, vel quia terra corrupta eſt vel quoniam aqua per loca praua tranſit, aut quia non mouetur, vel vix mouetur. Vinum etiam in arbore concoquitur, ſeruatur in vaſis mundis: per ſe vel omnino corruptionis expers, vel non niſi à vehementi aëris calore, etiamſi infirmum ſit corrumpitur, aqua ab

omnibus

omnibus his destituitur. Est enim humida ac cruda, vinum calidum & siccum & coctum in vasis, dum feruet in eis. Ob id quod in vasis non feruet, sed vi ne ferueat detinetur, longè deterius est omni alio vino.

His cognitis ad aquæ vsum reuertamur, & vt singula corporis membra particulatim confirmet doceamus. Caput igitur primum nec leuiter nec mediocriter aquæ frigidæ vsus corroborat. Celsus huius auxilij locuples author est. Lixiuio primum calidiore totum caput diligentissime abluendum est, inde confertim aqua fontana aut putealis superfundenda est ad quantitatem heminarum quinque aut sex aut etiam plus, vt perferre potest. Deinde caput linteis frigidioribus siccare oportet. Et quamvis hæc lotio repentina horrorem non leuem incutiat, videatúrque homo totus obrigere, multa tamen & magna commoda affert.

Primum quidem coacto intus calore concoquuntur cruda, excrementa digeruntur, spiritus temperantur, functiones perficiuntur, omnésque facultates pristinæ integritari restituuntur. Cœpi ego xlij. anno hoc vti præsidio tantum abest vt aliqua ex parte læsum me sentiam, vt his proximis xiij. annis aduersus naturæ cursum omnia, quod ad caput attinet, profecerint in melius, ni forsan iudicium me fallit. Paucit tamen ob mollitiem sustinere volũt, quod propter horrorem homo quispiam sentiat adeo terribile, vt omnia membra permeet concutiátque corpus. Superfundi autem maximè debet coronali suturæ. Et si sensim etiam superfundatur, ac pauca pro virium aquæ mensura iuuat: ita si ex alto magis quàm prope. Decet autem hoc rarius vti præsidio, veluti quater in anno. Consueta enim minus nos afficiunt, & propter propositum adhibita auxilia in contrarium affectum hominũ partes mutent. Quin etiam hoc præstat tot lotionibus artificiosis, caput reddens leuius & robustius, ipsúmque hominem hilariorem. Arcétque hæc consuetudo sic lauandi caput, caluitium nondum præsens, & canos retardat. Manifestum est autem quod ieiunis hoc conuenit, & postquã iam aluum demiserint. Quæ etiam caput iuuant, sensus omnes etiam iuuant, & ad motus promptiores reddunt. Siquidem sensuum omnium & motus origo in capita sita est.

Hinc constat & potu & lotione confimato cerebro neruos fieri validiores: nam quæ oriuntur ab aliquo eius à quo oriuntur, vim obtinet. Vnde etiam videmus eos qui potu aquæ solius vtuntur, nec fieri tremulos, nec conuelli nec stupore aut paralysi occupari. Vt obscurum non sit, aquam neruis esse vtilissimam: quæ etiam ex cura tot morborum nerui, aduenientium dignosci facile potest. Quid est cur in cunctis morbis neruorum statim ad aquæ potum confugimus, nemine qui sapiat dissentiente? magisque in hoc conuenimus omnes medici, quam in aliis omnibus morbis: quod si aquæ potus tam salutaris est iam laborantibus neruorum morbis, quod erit de his qui nondum laborant, vt seruentur immunes? Nerui primum causa interiore nulla læduntur, nisi afflicto cerebro: cerebrum aqua iuuatur simile à simili: & aqua nihil violentum patitur: & quæ nihil ad illud vehit quod non trahat, ob id vtilissima aqua cerebro neruisque est. Nec solum epota, sed admota frigida, vt quæ calorem naturalem confirmet, neque in secunda vel tertia coctione detrimenti quicquam afferre potest, vtpote immutata: de prima autem suo loco dicemus. Vidi nuper Io. Moralem, de quo supra paulo memini, haud tremulum, quantumvis senem, aliósque plures. Nos, quanquam tot laboribus, curis incommodisque attriti, iam 55. annum emensi, quamvis non vltra ætatis rationem, adeò tamen integris sensibus omnibus, manúque firmaque vigemus, vt plures me iuniorem multo existiment quam sim, idque solum beneficio potus aquæ, quamvis enim vino vtamur ob regionis consuetudinem, & parentum, nihilominus tamen parcè, vt aquam vino, non vinum aqua diluere quisque nos dicere possit. Quid pater meus, qui & ipse aquæ potator magis extitit quam nos, tametsi modico vino vteretur, octuagenarius integris omnibus sensibus: ac quod ad firmitatem neruorum attinet, haud tremulis vtebatur, vt puerum florẽtem dixisses. Ipse idem de auo meo referebat, ego de patre affirmare possum, de auo non possum.

Oculorum verò præcipue claritatem aqua confirmat, non necesse est autem, vt commemorem, qualiter illis prosit ebibita. Multo enim magis si ex ea lauentur confert. Maximè verò si oculi aperti in ea immerguntur. Quod quamvis ab initio sit difficile, longe tamen est vtilius quam sit arduum. Etenim visum acuit, lachrymas sistit, robustos efficit oculos, & eos ab omni fluxione immunes reddit. Memini cum essem iuuenis, inchoantem mihi lachrymarum defluxum sic cohibuisse. Quin etiam quod nuper commemorauimus, scilicet inspersio frigidæ capiti, & balneum ex tepida pedibus adhibitum, lotio manuum cum frigida à cibo, omnia hæc oculis conducunt, & sunt salutaria. Ita multiplici modo aqua oculis confert, nec mirum: nam Philosophi medicique in hoc consentiunt, quod oculi substãtia aquea sint. Quamobrem non est à ratione alienum, simile iuuari à simili. Meminit huius præsidij, scilicet immersionis oculorum in aquam Rasis. Verum de balneis & maximè pedum, quod auocent atque diuertant, modo aqua sit calens, non solum omes auctores testantur, sed ratio etiam ipsa suadet.

Eadem manuum tum vultus ex frigida lotio hominem exhilarat, recreatque spiritus, colorem faciei meliorem efficit, pulchrioremque reddit. Aqua enim præter id quod sordes eluit, vapores & malos habitus expirare facit, colorémque intus natiuum cogit. Vnde Auicenna: Faciem aqua frigida madefacere atque inspergere, vires recreat, & præcipuè deficientes ob febrium æstum.

Eadem vt hauritur è puteis, naribus attracta vel tepida purgat pituitam, olfactum cõseruat immunem: frigidior verò tepida cerebro vtilis est, ipsúmq; confirmat. Neq; enim par ratio cerebri læsi & sani, & eius cuius os fractum est, aut integrum. Seruat & hæc cõsuetudo hauriendi aquã per nares hominẽ ab

ozenæ & polypi periculum. Similiter & aures tepida aqua lauare atque purgare à tinnitu ac surditate hominem præseruat, sed quo diligentius laueris, eo diligentius eas siccare etiam oportet. Auxiliatur etiam aqua ventriculo, si quid aliud, & primum dum eum purgat, epota mane, inde vomitu reiecta. Educit enim bilem pituitámque, & ab omnibus ferme morbis hæc consuetudo præseruat. Nec obstat quicquam nisi difficultas, & si homo vomere non sit assuetus. Cæterum res est mirabilis iuuamenti, & vtilissima seruandæ sanitati, & maxime imbecillibus intemperatis pauperibus & quibuscunque negociis occupatis. Opportunissimum verò est cum homo nauseam sentit, aut grauitatem in ventriculo, autoris malum saporem, vel odoram, vel sitim, vel morsum in procordiis & circa stomachum, tunc enim præsentaneum est auxilium educit enim bilem flauam, proprie per vomitum & pituitam tenuem & etiam crassam, & acidum homorem, illum quoque temperat, per inferna etiam atram bilem. Scioque agnatum meum quadraginta perpetuis annis hoc auxilio vsum, semper valuisse, quamuis septimestris esset, nec satis bono regimine alioqui vteretur. Nec solum recte valuit, sed bonum habitum perpetuo retinuit: nuncque etiam sanus viuit quamuis sexagenario maior, diluculo surgens, aërique se exponens. Vnde male agunt medici, non solum qui in omni ventriculi imbecillitate vina fragrãtia exhibent, sed etiam qui in plerisque illa præferunt aquæ. Nam cum ea imbecillitas trifariam contingere possit, natiui caloris defectu, mala qualitate & alienæ præsentia: in duobus semper casibus vino aqua melior est. Nam si materia adsit, aqua illam magis detergit præparat & per aluum facilius vino ducit. Si inopia sit caloris, adhuc aqua vino præstantior est, modo ex ætate defectus non sit, nam ea inopia malam qualitatem frigidam, cuius causa vinum magis conuenit, sibi semper associat. Ex intemperiebus etiàm in calida, aut sicca, aut ex vtraque composita aqua vino salubrior est.

At sitim quoque tollendam, & collutione oris, & potu & balneo nihil melius syncera aqua excogitari potest. De naturali nunc siti sermo est, aut ea quæ citra corporis morbum aduenit. Si enim labore quisquam, & æstu ac puluere confectus sitiat, extemplo balneum tepidæ adeò prompte auxiliatur, vt Galenus referat ipsum qui lauatur, aquæ ingressum sentire. Id verò dicebat admirabile, quod balneum sitim in habentibus sedet, in non habentibus autem excitet. Si quis enim sitiens in balneum aquæ tepidæ ingressus fuerit, absque siti inquit ingreditur. At si non prius sitiebat, prodit siticulosus. Horum causam hic docere non expedit.

Quemadmodum autem potus, & quomodo celerrimè sitim extinguat, omnibus experimento notum esse scio. Restat vt de oris collutione dicam, quanta sit, & quam potens, quin etiam vt illius referam vires, nunc maximè expedit. Igitur collutio oris ex frigida ventriculum refrigerat, præcipuè autem stomachum, id est, ventriculi os: reprimit etiam malos vapores. Itaque primam ob causam sitim extinguit & appetentiam cibi excitat, ea enim vt Galen. docet, à frigido fit. Altera causa odorem malum qui ex ventriculo proficiscitur mitigat, & calida repurgatur os pituita è cerebro detrahitur, vnde & fœtorem oris, si ex eius partibus proficiscatur, tollit, & cerebrum alleuiat. Vtrum verò dentibus conueniat, potentia quidem frigidum, actu autem calidum, dubitatione dignum est. Demonstratum tamen est, de actu non potestate frigidis hoc debere intelligi. Ergo calida aqua grauedinibus ac raucedinibus vtilis est, in ore retenta: frigida vero comprimit fluxiones & cerebro ac dentibus vtilis est, moderate adhibita. Testis est quintus Serenus dicens.

Sæpe etiam gelida gingiuas collue lympha.
Dentibus vt possis firmum seruare vigorem.

Fauces verò & gulam, ac oris partes vsus collutionis ex frigida ab angina & fluxionibus reliquis præseruat. Calida verò & dentibus & ori repurgando cum sit vtilis, dentes etiam iuuat. Verum ad oris & faucium fluxiones deriuandas apta est. Eas tamen quæ iam ceperunt neque amplius augentur, laxat iuuatque dolores leniendo. Non solum ergo collutio oris faucibus & ori ipsi, sed etiam vuæ & gutturi ipsi ac vicinis partibus præstans est auxilium. Oportet autem diligenter considerare, cui affectui homo magis natura consuetudine anni tempore ac constitutione tum aliis causis, puta genere artis, exercitatione pronior sit atque paratior: & periculo magis præsenti atque vrgenti occurrere. Sed cum omnibus membris frigida conueniant, præcipuè tamen renibus vtilis est: Confirmat eos, & lapidis, si quid aliud prohibet, generationem. Ita verò soleo aqua vti in his casibus æstate & à prandio, cum Sol meridiat hominem in riuulo statuo sedentem, sicut auersis renibus aquæ rigentis cursum excipiat. Incipio autem ab horæ octaua parte, & ad integram peruenio: atque in ea mora aliquot diebus consisto. Manifestum est autem, quod locum oporteat eligere vmbrosum, vt caput non lædatur, & aqua ipsa possit esse frigidissima.

In vniuersum vero calidis temperamentis aqua vtilissima est, dicente Hippocr. sexto Epidem. Calido natura refrigeratio, potus aqua quiescere. Dictum est autem in contradictionibus quoniam pacto intelligatur à Galen. Nunc verò satis erit explicasse quod ad præsens attinet institutum, scilicet quod aquæ vsus temperaturas calidas in melius commutare potest, quasdam verò ita in melius traducit, vt obesas & corpulentas eas reddat & efficiat. In vniuersum, aquæ vsus non solum has quas Galenus refert calidas temperaturas, sed etiam omnes virium robustarum pleniores & meliores reddit. Dico puerorum omnium & infantium & iuuenum, & primi senij, quæ aut calidæ sint adhuc aut virium valentium. Solum ergo negabimus vsum purioris aquæ primis senibus

senibus qui imbecilles sint & frigidæ, cum hoc naturæ: atque vltimis senibus quos omnes constat liquido virium esse haud validarum, & quibus obstat vsus natura potior, vt superius diximus. Sed neque vllis horum pro sanitate tuenda vinum syncerum vtile est, verum potius dilutum. Ita aqua multis per se, ac fermè omnibus conuenit, ac sine vino: vinum nemini absque aqua, sed & cum illa paucissimis si vsum, imo potius abusum excipias. Hoc igitur credo fuisse, cui Mahometus prospexit. Legum latores enim publicæ vtilitati consulunt, & valetudini maioris partis nam omnium non eorum est muneris, sed medicorum potius. Ita Moses Iudæis suillas carnes prohibuit, quod in elephantiasim gens illa propensa foret, & eadem causa concubitum in mensium fluxu. Lauari etiam præcepit, quod sint sordidi natura, vtpote colluuies seruorum Ægyptiorum.

Vt verò hyeme non frigeas, lotio frigidæ consuetis plus vestibus ipsis prodest. Vnde scoti syluestres, cum ea regio sit frigidior longe quam nostra, & ipsi homines propemodum nudi incedant indusióque pallio tantum leui corpus ad genua vsque velantes, nec etiam cincti, frigus hac arte depellunt. Vbi surrexerint, mane frigida se mergunt totos: & vbi paulum delituerint emergentes stadij spacio currunt, atque ita tota die calent. Sed & hoc, vt dixi, assuetis ac non omnino imbecillibus ad optimè concoquendum facit: Et quanquam hoc auxilium barbaricum & graue videatur, præterquam quod vtile sit, ratione euidenti probatur, & Hipp. authoritate nobilitatur. Is enim in libro de Veteri medicina inuicem adeò commutabilia vt vnum ex altero plerumque oriatur: nam si quis niuem manibus conceperit, postquam refrigeratus fuerit incalescit: & si quis vento frigido similiter se exposuerit, paulo post ad locum transiens tepidum, calidior euadit. Ac contra, si Soli prius se exponat, indéque ad tepidiorem locum accesserit, refrigerabitur manifestè. Hæc est illius sententia, quam vt vno verbo cum vsu complectar, constat huic inniti experimento, quod frigida exterius dum cutem stipant, & tutos nos ab externo frigore reddunt, & calorem intus cogunt. Calida verò contrario modo, & calorem qui intus est exhalare cogunt, & apertis meatibus corpus frigori excipiendo obnoxium reddunt. Vnde nihil magis mortiferum est, quam ab exercitatione frigori se exponere. Nam & calor conceptus labore extra progredi prohibetur à frigore, & meatibus apertis ob calorem conceptum, cuius etiam pars dum exercetur extra euanuit, frigus ingreditur membra natiuo destituta calore inueniens, quamobrem illa destruit. Ita duplici malo & ancipiti periculo corpus percellitur, & vt externo calore retento atque ibi tanquam honeste concluso putredo accendatur ac febris pessima, tum fluxu in intimam aliquam partem (frigore humorem calido liquescentem constringēte) decumbat, & vt destituta membra natiuo spiritu syderentur à frigore. Et vt vel calore adhuc externo vrgente, nondum scilicet perfecta resolutione febris & abscessus perniciosi generentur, vel magna illius parte: cum naturali spiritu vt dixi exhalante iam atque resoluta membra corrumpantur à frigore. Atque ita vt dixi duplex malum ancepsque periculum. Quæ cum Galen. toties attigerit, tractauerit, sub manibúsque vt ita dicam habuerit, mirum est cur hoc tantum periculum, tanquam grauem noxam (qnam etiam vulgus nostrum nouit appellatque Sopressos id est, deprehensos à frigore dum calerent, vel subpressos, id est, magno morbo) non qualiter debuit explicauerit, sed stipationis & ephemeræ ac lassitudinis solum meminerit. Neque id vt reor contigit quod ex his lenibus malis postmodum in ea quæ commemorauimus deueniatur, quandoquidem videamus hoc nostro tempore multos statim ab hoc errore ægrotare sæuissimis morbis, & quos statim excipiat mors: sed euenit potius quoniam Galeni tempore (vt etiam de pestis genere contagioso) rarius esset hoc malum, namque labores excipiebant balnea calida & frictiones etiam in pauperibus, cum balnea publica singulis in ciuitatibus essent constituta, quibus tam ingens periculum depellebatur, adeo vt Galeno rarius quam hac nostra ætate talia videre contigerit. Id verò qualiter etiam mihi euenerit dum alpium eam partem quam Sempronium montem vocant superarem, essemque ob laborem resolutus ac æstuans, ob frigus verò contractus ac impotens, ideoque in maximo vitæ discrimine versarer, & quomodo in vento æstuario me seruauerim alias recitasse memini.

Sed vt ad rem redeam, potus aquæ frigidæ à cibo & maximè cui somnus succedat, concoctionem iuuat & sitim extinguit. Arist. consilium fuit nec à ratione alienum. Vt enim Galen. docet, clauditur ventriculi os dum cibus concoquitur, calorque ad intima fundumque refugit atque colligitur, at aquæ frigidæ modicéque potus hæc facit, ideoque etiam vtilis est. Adde quod hoc præsidium, non in ea quæ excalefaciunt, obsolescit vsu, sed in dies melius redditur.

Excalefactis quoque prodest ablutio aquæ cum tepida. Eadem exhalantibus vaporibus ex eius lotione prohibet ne incalescant. Frigidæ etiam lotione antequam homo exercitio incalescat temperatur ex aëre contractus calor. Diximus & alias carnosam aurium partem contactum frigida facere, vt totum corpus refrigeretur. Mirum est autem de balneo tepidæ, quod velut indumenta (dico autem calceos, chaldeos, caligas chirotecas) mendaciis artificum, vt vsus expostulat, variantur laxando se atque constringendo, & ipsum in contrarios vsus se vertat refrigeratos excalefaciendo, calefactos refrigerando, siccatos humectando, siticulosos quasi potu satiando, vt superius diximus. Quæ tamen omnia certa ratione fiunt, atque ex duobus principiis pendent, quod aqua tepida humida sit, & potestate etiam frigida.

Verum præter id aquæ frigidæ balneum bonum habitum efficit, vt siquid aliud quod

etiam ſuperius explicauimus. In ſanis quidem ac robuſtis ſtatim ab excitatione: in imbecillibus atque inſuetis à tepidæ lauatione. Corpus enim ex hoc ſolidius euadit, calorque intro cogitur, vires etiam efficiuntur robuſtiores, eſtque ſuaue auxilium. Redduntur autem homines carnoſiores & coloratiores.

Porro quomodo adhibendum ſit hoc balneum, docebat Galenus tertio de Tuenda ſanitate, præcipiens vt à frictione ſatis valida & longa balneum frigidæ, non tamen gelidæ aquæ, iuuenis ingrederetur, & totus ſimul, nam ſi ſenſim, inquit, demergatur, horrorem facile incurret, oportet præterea prius oleo inunctum corpus habere, antequam demergatur. Ita his tribus præceptis indiget hæc lauatio. Eamque & bis & vt alij ter, repetendam ſuadet. In hoc igitur balneo tepidæ minime vtitur. Aquæ etiam vſus ad omne renum & veſicæ & ani pedum morbos præcauendos vtilior eſt, quam vini. Quin etiam infantes nuper natos, ſi cura eſt robuſtos efficere, frigida merges, vt barbari: ſi ſanos, tepida. Omnibus ergo infantibus balneum aquæ expedit. Prima quoque ætate non tam vtile eſt abſtinere à vino, quam neceſſarium. Nam ſi vino in infantia vtuntur, facile conuelluntur & peeunt, aut ſyderantur. Quod ſi robuſtiores ſint, ac temperatiores, quam vt hoc malum ſentiant, euadunt ebrioſi, intemperantes, ſtolidi ac petulantes: atque id certum eſt, raroque in ea expectatione fallimur. Sed cur vinum infantibus non conueniat, dubium eſt an Galenus ſufficienter explicauerit. Etenim res hæc non exigui eſt momenti, vt ſciamus non ſolum quod cauere oportet, ſed etiam cur, ſic enim & noxæ contractæ ex intempeſtiuo vſu occurrere facilius licebit & ſi cogamur exhibere præſidium, & vt ita dicam, alexipharmacum paratum habebimus. Neque hæc accurata inquiſitio inſectandi Galenum cauſa eſt, ſed quando Galenus nobis amicus eſt ipſa tamen veritas etiam publica vtilitas magis curæ eſſe debet. Inquit igitur in primo de Tuenda ſanitate: Vinum pueris non expedit, quod calefaciat & humectet, capitáque illorum repleat, ipſi vero natura ſunt calidi humidique. Vnde ex altero horum in immoderatam tranſeunt intemperiem, ex reliquo turbantur ſenſus, atque etiam incontinentes euadunt, ac præcipuè iracundi. Vtilitas etiam quæ ex vino deſideratur, illis non conuenit. Vinum enim ſolidas partes humectat, & bilem educit. Quorum neutro pueri indigent, vt qui abundè ſint humidi, & bile vacent. Poterat & honeſtè adiicere id, quod cum vinum ſeroſa educat excrementa coctionemque ventriculi, præcipuè iuuet pueros, neque his indigere. Excrementa enim illorum neque ſeroſa ſunt, nec coctio ventriculi imbecillis, quorum vtrumque à calore exiguo prouenit, ac pueri ſi qua nulla ætas, copioſiſſimum ac denſiſſimum habent. Sed cum hæc tamen benedicta ſint, non declarant noxam manifeſtam, quæ ex vſu vini in pueris contrahitur. Supponamus igitur quod etiam infra oſtendetur, quadrifariam dici calidum ſiccumue, an iure quis vinum humidum eſſe dicatur? & ſi ſit, cur non congruet pueris? at auget intemperiem, quomodo? nam ſi omnino humidum vinum eſſe dicatur, attamen inter ter omnes conuenit, non vehementer eſſe humidum. Quinimo & ipſe aliquando poteſtate ſiccum, & nos cum ipſo ſimul eſſe pronunciauimus. Sed ſit, an humida pueris non conuenient, mala, piſces, carnes? ſed quodnam eduliorum genus ſiccum pueris conueniet? Alimentorum enim cum pleraque humida ſint natura quæ ſicca ſunt, nemo probat in pueris. Cur igitur vinum adeo illos offendit? quia calidum inquit, at nonne ſunt alba, frigida & oligophora? an non licet aquam permiſcere? eruntque pleraque vel ſic, ſi non ſponte frigida. Sed cur ſal, piper & alia, mentum, rutum, fœniculum, quæ vino prorſus ſunt calidiora, non prohibet à pueris? & ſi concedantur, non adeo euidenter nocent. Vinum igitur non ob caliditatem aut humidam qualitatem pueris adeo eſt inimicum, ſed quoniam pueris cum caput ſit imbecilliſſimum, vinum partem neceſſario, quantumuis aquoſum, habet tenuiſſimam, acrem, ſiccam, quæ ſurſum fertur, nam ex omni vino non acido, etiam putreſcente aqua ardens excipitur. Hac igitur quicquid in corpore vaporum & tenuiorum humorum, ad caput fertur. Vnde conuulſiones, abſceſſus, animique intemperantiæ fiunt. Non ergo ob caliditatem aut humidam qualitatem vinum pueris noxium eſt, ſed quia acrem & tenuem habet partem, qua pluribus ad mortem vſque noxium eſt. Galenus verò multa ſic obiter ſcripſit, non defectu ingenij memoriave, aut eruditionis, vel etiam iudicij, quibus fuit admirabilis, ſed temporis. Vt enim ipſemet fatetur, tota die curandis ægris intentus, per noctem ſtudiis incumbebat atque ſcribebat: nec tantum refert temporis anguſtia, quam ſi animus iam curis laſſatus ſe applicet ſtudiis. Sed hæc omittamus, quæ non vt Galenum reprehenderemus dicta ſunt, ſed vt aquæ vſum, maximam in pueris neceſſitatem, oſtenderemus. Nunc igitur ad alia tranſeundum. Non ſolum autem expedit aquæ vſum ad conſeruationem ſanitatis, & propulſandos morbos explicuiſſe, ſed & ſi aliquid commodi differat ad ipſos morbos dignoſcendos, ſiue ſint ſiue non ſint, commemoraſſe. Primum igitur ſi qua mulier ſit, de qua id dubitetur an vterum gerat. Si autem id temporis iam, in quo fœtus moueri poſſit: quod quamuis varium ſit in diuerſis, nunquam tamen ſerius menſe tertio exacto mouetur. Lintea aqua frigida imbuta & expreſſa imponito ea ventris parte qua magis tumet, duriorque eſt: ſi concepit, mouebitur fœtus, frigoris noxam quaſi refugiens, atque eum motum mater ad hoc intenta omnino percipiet. Debet autem ſi primum non ſenſerit, bis terve repeti, atque etiam diuerſis in locis: ita fieri non poterit, quin motum ſi quis omnino ſit, illa non percipiat. Et quanquam hoc experimentum alias à me, cum vino velut tutiore fieri ſoleret, exiſtimo tamen aquam ſecuriorem: quod vinum aduerſetur fœtibus, quam illos confirmet.

Lædit

Lædit enim vt dixi caput etiam iam perfectorum infantium, quod motum vehementem cieat. omnis autem motus vehemens, qualiſcunque ſit omnibus quauis cauſa imbecillibus,& noxius eſt & periculoſus.

Quod ſi quiſpiam emphyemate laboret, cura proculdubio, ſi res non bene cedat, ſectio eſt è regione loci vbi pus continetur. Scire autem, vbi pus contineatur, non melius licet, quam ſi argilla tenuis aut linteum aqua madefactum pectori ſuperponatur, & qua parte ſiccetur, prius obſeruetur, ibi enim pus ſubiacet, ibi ſectionem facere conuenit. Tanti eſt modica accuratio, vt ritè peracta ſeruet, perperam iugulet hominem. Oportet autē & vt in reliquis ſi diſcrimen haud euidens fuerit, & ſæpius experiri, & obſeruare rurſum, ne ſeptum ipſum, vbi pectori alligatur, diſſecemus.

In febribus etiam lentis ac hecticis, vbi ſæpe dubitamus an putrida coniuncta ſit, & an tota putrida ſit: an verò hectica ſola, & quando, medici etiam celebres hæſitare ſolent, quoniam plus dicendo valent, quam exercendo, vt Galenus: aut quia ambitione, & dolis eucctis ſunt. Raſis pulcherrimo inuento res exploranda eſt, ægrum cum maximè exacerbari videtur, in cubiculo temperato collocabis, induéſque eum veſtibus: lauabis autem crura tepida aqua, aut paulo, calidiore: tunc ſi hectica fuerit, qualis erat antea, permanebit: ſin putrida per ſe ſola, aut hæcticæ iuncta, perhorreſcet corpus, rigoreſque ſparſim ſentiet. Nam calore ipſo auocati vapores ſuper muſculos ac neruos tranſibunt irritabúntque horrores aut rigores: nonnunquam verò etiam tremores, ſi materia bilioſior fuerit. Non ignoro quoſdam dicturos, hæc ex ſolo pulſu ſciri poſſe, ſed hoc eſt in modulo machinam experiri, imò etiam aliquanto deterius eſt. Quamobrem nemo qui hoc experimentum, quemadmodum ego tractauerit, pulſus ſola dignotione contentus erit. Semper enim angulus, vt Geometræ dicunt, diuidi poteſt: non tamen homini poſt decimam aut duodecimam diuiſionem vltra procedere licet, nedum in infinitum. Ita ratio plurima docet, eadem ſcitu iucunda diſputatione admirabilia, ſenſu tamen incomprehenſibilia, factuque impoſſibilia.

Si de duobus cibis altercatio ſit, quiſnam facilius concoquatur, aqua non ſolum tepida, ſed etiam frigida experimentum dabit, certamque præbebit cognitionem, nam qui infuſus pari quantitate celerius diſſoluetur aut emollietur, is proculdubio facilior erit concoctu. Atque hæc regula generaliſſima eſt ac veriſſima in his quæ eiuſdem generis ſunt, & aliena qualitate non mutata, vt medulla caſei, caſei alterius medullæ & panis, panis & olera oleribus comparata. At non par ratio erit, ſi caro caſeo comparetur. Hic enim durior concoctu, & tamen facilius in aqua ſoluitur. Quin etiam in eodem genere caſei durioris medullæ, facilius moleſcet in aqua, quam cruſta tenerioris aut medulla eius caſei qui gelu concretus ſit, ac reliqua eiuſmodi ſemper tamen in eodem genere ratio vera erit, vt in leguminibus graniſque ſegetum, ac radicibus. In vniuerſum igitur hæc de aqua dicta ſint, quantum ad ſanitatis conſeruationem ac cognitionem eorum quæ medico neceſſaria ſunt pertinet: nunc verò de cura morborum, etiam per illam verba faciamus.

Morborum quidem genera diuerſa ſunt, & quædam ſola aqua curantur, alia verò cum aliis præſidiis: quædam autem non niſi cum illa, alia autem ex parte tantum. Intemperies enim præcipuè hoc auxilio ſanari ſolet atque eo etiam ſolo. Morbi verò quibus materia iungitur, cum aquæ præſidium ſoleat eſſe vehementiſſimum, euacuationem vt tutius adminiſtretur, plerunque requirunt. Quæ autem cum balneo fiant, id auxilium vt neceſſarium, non tamen principale poſtulant. Quidam etiam morbi hoc præſidio, ſed non ſolo neque tali vt eo plene poſſint liberari, indigent. Atque hæc ſatis his qui res in cauſas reducere ſolent, ad vniuerſam medendi methodum, quæ cum aqua fit, eſſe poſſunt. His verò qui hæc non curant, ſuperque etiam. Quamobrem ad ſingularum enarrationem deueniendum In capitis igitur doloribus qualeſcunque ſint, pedum & manuum lotione ex tepida calidioreque aqua, ſi non admodum corpus plenum extiterit, plurimum iuuat. Si vero ob calores & æſtus ac ſiccitates doluerit, quam præſentaneum ſit auxilium hæc lotio non ſolum, ſed etiam capitis, vix dicere poſſum. Auocat enim ad contrariam partem & extra, & ipſam prauam qualitatem temperat. Quin etiam in epiphoris, grauedinibus ac raucedinibus quantum iuuet, commodum quod aliquando ex ea lotione ſum conſecutus, facit vt nunc etiam meminerim. Opprimebar aliquando Collegij noſtri autoritate, quorundam autem medicorum odio factionéque haud diſſimulata obſcurare. Coactus ſum principis Alphonſi amicitiam colere, id faciebam hora veſpertina, ſed vt vndequaque mihi fortuna inuidit, correptus ſum grauedine & raucedine adeo vehementi, vt neque reſpirare libere, nec tantillum abſque tuſſi quieſcere poſſem, atque ideo vademonium meæ ſalutis deſerere cogerer. Ergo cum caſſiam nigram deuoraſſem, cum inedia occurriſſem, nihil conferentibus ſolitis præſidiis, ad ſacram vt dicunt, anchoram confugi, balneum tepidæ ſcilicet aquæ pro cruribus tantum, ea enim ſpacio dimidiæ horæ in aqua paulo tepida calidiore continebam, atque ita in tribus diebus ſolutus eſt morbus. Simili ratione omnibus capitis morbis occurri non pleno omnino corpore poſſe confido, auertendo retrahendo, digerendo atque temperando quod influit, adeo vt etiam in abſceſſibus non paruum ſit auxilium. Quot verò modis ſi vigiliæ premant, aqua in vſu ſit, non facile eſt deſcribere. Primum colluendo os, atque modicum aquæ frigidæ bibendo: multis enim modis confert comprimendo prauos vapores, qui ſurſum aſcendentes ſomnum prohibent, cerebrum humectando concoctionéque iuuando. Hoc ego auxilium cum ſæpius expertus fuerim, lactucam Galeni merito præfero non tamen è cœna ſtatim

adhibere

adhibere conuenit, sed cum quis expergiscitur, nec amplius somnus obrepit. Balneum quoque tepidæ hoc agit, suauiter etiam à cibo adhibitum. Stilla quoque aquæ guttatim cadentis, tum sonus fluentis velut in fonticulis & euripis susurrum meritò eum vocant. Quin etiam ipsa cogitatio rei somnum conciliare potest, & in pictura mare, fontes, flumina & lacus inter lucos syluasque, adeo vt vix fieri possit quin omnibus simul concurrentibus somnus non obrepat. ita illi amica est aqua ac solitudo, cum tamen hæc omnia prosint, nonullus tamen melior modus quam si diu tepida lauetur caput, inde linteo expresso non exacte, circumuoluatur, ei siccum & purum cumducatur, atque in obscuro decumbat. Somnus enim violentus, vt ita dicam inuadere ægros solet. Vnde Galen. tertio de locis affectis inquit: Balnea ob id soporifera sunt, quod caput madefaciant. Et rursus primo de symptomatum causis: Balneæ calidæ capitis, quod ipsum impleant, somnum maximè prouocant, ita nil quod experimento consentiret, hisque quæ à nobis nunc docentur, clarius dici potuit. Tot ergo modis aqua somno alliciendo salutaris est: tum verò morbis qui cum vigiliis coniunguntur velut phrenitidi, melancholiæ ac similibus.

Eadem verò quod mirum est, etiam somniculosos vigilare facit: quomodo etiam doloribus confert oculorum, vapores enim atque materias sursum ascendentes reuocat. Fit balneum hoc pedibus cruribusque cum calida & à cibo. Ita studiosi quidam, dum corporis commoda gloriæ posthabent, noctes insomnes producere solent. Verum anceps hoc auxilium. Ob id quidam ferream pilam æneo labro supposito manibus continere consueuerunt, vt per somnum delapsa immenso strepitu illum interrumperet. Nos tamen hac diligentia carere voluimus, graue ducentes magis, si iusto plus & inuiti vigilare coacti fuerimus.

Aqua quoque tepida multis modis pituitam per nares educit, & per illas attractam, vt ego sum expertus, & balneo adhibito, vt Galenus testatur. Iuuat etiam in ore retenta. Incredibile autem est, quantum hic defluxus pituitæ per nares nos iuuet, & à quot morbis securos reddat: grauedine, tussi, spirandi difficultate mala coctione, amissione odoratus, hydrope, diarrhœa, multisque aliis grauissimis affectibus. Oportet autem vt liquet, hanc deductionem nobis ieiunis, non autem à cibo moliri.

Iubeo etiam hoc auxilium in auribus tentandum, si dolor eas vexet: nam tepidæ ablutio, & calidioris aquæ plurimum iuuant. Videtur tamen hoc commune omnibus doloribus auxilium esse. Nam & in angina Ætius ex Archigene docet, balnea post gargarisma è sinapi summo esse præsidio: atque id iure, auellunt enim & extra reuocant quando occulta est, vt ille inquit. Itaque non solum in doloribus, sed etiam abscessibus tum gulæ tum adiacentium partium balneum vtile est. Auicenna quoque multorum aliorum morborum curæ per aquam meminit, dicens: Et illi quibus aqua calida vnum est, sunt melancholici & comitiales & capitis dolorem frigidum habentes & parotidas & gingiuarum aut gutturis tubercula, & asthma, & vlcera pectoris aut pulmonis, aut septi transuersi, aut vrinæ vel mensium retentionem patientes, & generaliter eadem omnibus confert doloribus: colli quoque dolores soluit, & flatum discutit. Hæc ille. Omitto nunc difficultatem de tepida loco calidæ adhibenda, nam non hic locus est his: vtinam ipse modo rationem tantarum rerum, & adeo vtilium ac mirabilium & modum subiunxisset. Sed vt videò, semper mihi noui subeundi sunt labores monstráque perpetuo domanda. Nam Gentilis quamuis nomine clarus, ita tamen exponit, vt frustra esse existimen, ipsum reprehendere. Inquit enim de decoctis herbarum illum loqui, quod si ita esset, neminem latet de omnibus morbis & breuius & melius dici potuisse. Nec quod calida esset, debuisse adiungere. Ideo de melancholia inquit: Et vtatur balneo ante cibum, & effundatur super caput ipsius aqua tepida non valde calida. Cumque ex balneo egreditur sitiatque paululum non malum est, si modicum aquæ bibat. Cumque talibus post euacuationes atque purgationes conuulsio successerit, quod frequenter ob siccitatem euenire solet, in aqua tepida sedeant, ipsam quoque frigidam & permixtam (scilicet vino) bibant. Ecce vides iam non de decoctis Auicennam loqui, sed, de simplici aqua, & quot modis melancholiæ conueniat. Illud etiam quod dixit de aqua, vino permixta, idem non est, ac si dixisset, vinum aquæ permixtum, hoc enim ad vinum, illud planè ad aquam pertinet, quod etiam plebei in consuetudine inter loquendum habent, dicentes, non enim vino aqua, sed aquæ vinum miscet, id est: paruam portionem vini adjicit. Iure merito verò melancholiæ aqua tot modis opitulatur, vt quæ auocet, humectet, ad cutim retrahat miniméque caput tentet: quæ omnia morbo & causis huius morbi aduersantur, tum maximè, vt diximus somno conciliando.

Pluribus igitur etiam modis, quatenus melancholiæ comitialis quasi frater est, etiam illi opitulatur. Propterea idem autor dicebat: Comitiales iuuantur ab aqua tepida. Omitto autem ea quæ in Sexto Contradicentium medicorum dicta sunt. Inquit ergo, de cura comitialis morbi loquens: Et neque multum vino vtantur, quoniam ipsum replet cerebrum. Quod si necesse sit, paucum, antiquum, clarum. Itaque aquæ potum præferre videtur. At non hæc est sententia conueniens priori, nam hac aqua nec calida nec tepida vtitur: sicut neque cum dicit: Pœonia vtatur omnia hora cum aqua. Quid igitur? nouit Auicenna duobus in casibus tepidam & calidam aquam admodum vtilem non solum esse, verum necessariam, & cum conuelluntur vehementer membra, ideo bis inquit: Et cum contorquetur membrum, reducatur frictione cum oleo & aqua tepida: Et cum comitialis morbus à causa calida fuerit vel illi iunctus, vt in eo genere quod vocant mater puerorum,

rum, quoniam infantibus præcipuè sit familiaris: ideo inquit. Vtantur tina, id est, balneo dulcis aquæ. Constat autem comitialis morbi conuulsionem esse, quasi partem non solum, sed etiam coniunctam atque familiarem. In vniuersum etiam aqua in hoc morbo salubrior est vino, vt Ruffus inquit: quia humor non attenuatur, nec ad caput defertur propter aquam, sicuti propter vinum.

Succedit capitis dolor à frigida causa, in quo non est generalis hic vsus, sed conuenit in melancholico, & cum materia multa per nares educta fuerit: tunc enim expedit nasum lauare cum aqua calida. Et sunt necessaria embregmata in omni curatione, quæ fit per externa auxilia, & ideo cum aqua calida vt possint penetrare vnguenta & olea, ac reliqua quæ applicari solent. Et in doloribus etiam capitis, qui fiunt ex ascensu vaporum, expedit vinum omnino dimittere, maximè vbi cum pulsatione sint. Et potus aquæ frigidæ ante accessionem impedit prohibetque accessionis aduentum. Tacuit etiam de dolore à causa calida, tanquam re clara per se, vt patet apud Galenum quarto de victo in acutis, vbi non solum in dolore, sed in quacunque causa calida, qua caput per se laboret, balneum probat. Et generaliter Auicennæ hæc sententia est, ac si diceret. Cum in doloribus capitis vsus aquæ, qui frequenter est necessarius, oportunus fuerit, tunc calida vteris non autem frigida. De tepida autem, quoniam media quasi est, quandoque illam admittit, quandoque reiicit. Et parotidibus hi sunt abscessus ab aurium nomine deriuati, vnde etiam parotides arteriæ, quasi παρὰ τὸ ὦτα, quod est prope aures: quarum altera quæ è regione est membri patientis, ferro & vinculo atque igne intercepta, hi comitiales supremo auxilio liberantur, qui membri alicuius inferioris vitio ab eo morbo corripi solent. Licuit hoc addere, cuius meminit Auicenna, non solum quia præstantissima sit curandi ratio, sed etiam quod igne conficiatur, cuius natura aquæ è regione contraria est. Sed ad propositum redeo, hi abscessus fiunt plerunque cerebro per eas partes, quod noxium est expurgante: doloresque maximos inferre solent, & eorum cura propria est suppuratio. Igitur fomenta ex aqua calida cum exterius auocent nec repellant, concoquant & dolorem leniant, vndique apposita ad curam esse videntur. Quamobrem cum aqua in melancholia, comitiali & capitis dolore ex calida causa rationem curæ necessariæ, quam solent vocare sine qua non, tametsi multipliciter obtineat, in parotidibus certè est principalis, ac vt ita dicam, pene absolutam sanandi eas rationem obtinet. Quanquam eorum Auicenna quasi oblitus, aut generalibus regulis innixus non meminerit. In omnibus enim abscessibus, qui in locis fiunt, vnde principalia membra expurgari solent, etiam ab initio triplicem ob illam causam fomenta, ex aqua calida sunt necessaria: in aliis verò, dum amplius fluere materiam non videmus. Neque refert, si calida in tepidam vbi oporteat, transmutetur.

Sequuntur gingiuarum & faucium locorumque adiacentium (nam eadem omnium ratio est) tubercula. Balnei natura extepida aqua, item potus acres humores mitigat, & auocat eos à supernis partibus ad infernas, ab intus ad extra. Sed & frigida, vt Ruffus inquit, gingiuas corroborat. Hæ enim cum ex carne laxa constent, & mandendo etiam soluantur, maximè astringentibus indigent, nec vlla pars nostri corporis tam tuto potest astringi, nec tam necessario talibus indiget. Pectori vero ac illius partibus tum vlceribus, peculiari ratione calida conuenit: expurgat, laxat, temperat æstum: quæ tria illis regionibus maximè conueniunt, cum earum vsus ad hos finesmet videantur solum tendere. Nam laxatis partibus, facile halitus praui excernuntur, aer purior abunde attrahitur. Refrigeratio autem ipsa pars est finis, cuius causa illa fiunt. At pectus ipsum ne cor dicam, adeò calidum est, vt etiam à calidissima, quæ in potu aqua sumi solet, refrigerari possit: temperat etiam aqua humores illos acres, ex quibus pulmo nutriri solet. Expurgari autem vlcera vtiliter quisque intelligit, cum hæc sit vnica eorum & certa ad salutem via. Itaque calida aqua tot modis his partibus & difficultati spirandi etiam vtilis est. Tum præsertim peculiari quadam ratione, cum pituitam hærentem liquefacit & humectat, adeò vt extemplo, cum antea nequicquam magnis conatibus liceret educi, liberè videamus. Neque verò his solum morbis confert, sed vt Rasis inquit, saniosis vlceribus ferme omnibus, aurium, nasi, palatique expurgat enim ea atque exiccat, dolorémque mitigat, vt inferius ostendemus. Palam est, & quonam pacto tussi aqua tepida conueniat. Atque ego multis modis aduer useam hoc præsidio vti soleo, scilicet balneo gargarizatu, atque etiam retentione ipsius aquæ in ore. Quin etiam confert carni in naribus genitæ, & abscessibus vuluæ. Quomodo autem hæc atque alia possit, iam nūc tempestiuum est dicere, imò non dicere, sed ex Rasis potius authoritate testari. Inquit enim ille: Aqua calida confert præparando corpus ad laxitatem, attenuat quodque & liquefacit humores, & liquefactos educit: aperit, dissoluit, lenit concoquit, attrahit, mucosum humorem sputumque euacuat, nauseam reprimit, flatum discutit, doloresque in superiore ventris parte maximé mitigat. Nutrimenti coctionem iuuat, & penetrare illud cogit, atque ob id corpus ipsum restaurat & impinguat. Sensus verò clariores & motus leuiores reddit, menses prouocat visceribus capiti & neruis amica est. Laterali morbo & peripneumoniæ & gutturis abscessibus cordisque palpitationi magnisque omnibus externis humoribus auxiliatur. Vomitum excitat, compescit frigus & horrorem, symptomata quæ ex morsu accidunt quadrupedum mitigat, confert & erysipelati ac prurituí. Ac plerisque horum in potu, balneo atque fomentis adhibita. Hæc ille. Quæ omnia & rationem ex superioribus declaratam habent, & ostendunt sequentium causam: scilicet quomodo tot morborum aut plenam

curam

curam aut eius maximam partem perficere possit.

Idem quoque refert, frigidæ potum confer- re singultui, fœtori oris, fœtorique corpo- ris tum suspiriis:nec abs re hæc omnia,nam humores corrigit & educit, putredinique illorum resistit, æstumque membrorum na- turalium tollit, quo sublato suspiria illa in- uoluntaria [cessant. Quid quod magis mi- rum est, nutritionis imbecillitati, atque concoctionis ventriculi] pauca ieiuno ebi- bita confert,aut enim malus humor coctio- nem impedit, ventriculique vires labefa- ctat: & tunc pauca aqua (vt superius di- ctum est)expurgat ventriculum: aut caloris innati inopia, etiam absque intemperie vl- la vitiat opera visceris:& tunc exigua aqua & longè paucior quam si ex redundantia humoris ventriculus laboret epota calorem in imum ventriculi cogitátque confirmat. Sit autem à dimidio vnciæ ad vncias duas in maximis corporibus. Ita confirmato vis- cere, quid mirum est omnes functiones re- stitui? vnde ex bona coctione nutritioneque reparatus ac restauratus in integrum.etiam absque auxilio persistit, & munere suo recte perfungitur.

Sed noui quid dicturi sint ex Hippocr. Aqua sputum non prolicit, nec multo mi- nus in laterali morbo auxiliatur. Rectè in- quam, si etiam rectè quod obiicis, accipias. Epota aqua non potest sputum in abscessi- bus pectoris, multóque minus pulmonis prolicere, quod intus refrigeretur, & vt di- xi, maior sit caliditas partium pectoris quam aquæ quæ bibi potest. Neque igitur statim,neque postquam bibitur,sputum va- let educere. Adde quod humor qui peccat, naturæ aduersatur, scilicet sanies. Ergo ca- lida pituitam educere potest, saniem non potest. Intus sumpta, nec in ore detenta morbum non leuat, sed fomentis adhibita. Sed & sic, & in ore contenta,saniosum spu- tum iuuat, educique facilius facit, epota inutilis est. Hæc igitur differentia concor- diaque est authorum,ipsaque rei veritas,qui quotidianum experimentum subscribere so- let. Sed iam ad alios illius vsus transea- mus.

In cholera igitur morbo præstantissimum auxilium expertus sum potum aquæ tepidæ & nuper haustæ, temperat acredinem hu- moris, & ipsum tum per inferna, tum su- perna educit, vomitum efficit facilem: at- que ita vndequaque vtilis est. Ego etiam in me ipso à fine morbi vtilem inueni hye- me atque æstate: lauat, humectat cogitque ventriculum & intestiua. Hoc est quod to- ties repetit Auicenna in cura huius morbi, & vtantur aqua calida in potu: sola etiam addit. Facit & ad hoc balneum non parum, & maximè cum vel esuriunt ante perfe- ctam purgationem, vel in declinatione morbi. Reuocat enim materiam contrario motu, scilicet ad ambitum & cutim ex centro: non tamen debet aqua esse calida, ne humorum motum cieat magis, & vires resoluat. Quam etiam ob causam non de- bet mora esse diuturna in eo. Alio etiam modo balneum conuenit somnum conci- liando, quo nihil melius est in hac cura, vt cuilibet satis notum est.Propterea haud mi- rum esse debet,si aliam etiam rationem bal- nei Galenus libro de facile parabilibus me- rit,scilicet:vt si quadrato sint habitu in fri- gidam demergantur. Ergo tot modis in hoc sæuo affectu aqua modo tepida,modo calida vel frigida vtilis est.

In conuulsione nonne inquit Hippocra- tes:Est autem vbi in distentione absque vl- cere, iuuene bene carnoso,æstate media, fri- gidæ aquæ multa perfusio, calorem reuo- cat. Calor autem hæc soluit. Galenus in commento docet, hanc distentionem addu- ci pro exemplo frigidorum morborum,qui à frigida aqua curantur, nam, si alia sit causa, scilicet sanguis floridus aut vapor, non tot conditionibus indiget vt aqua frigida sa- net ipsum,inferius enim docet, quod pluri- ma aqua frigida large effusa leuat, extenuat & soluit dolorem, etiam in conuulsis. Du- plici autem modo aqua frigida conuulsis opitulatur:primum cogendo calorem intus, ex quo soluitur ac difflatur causa morbi. Et vt diximus in expositione Aphorismorum, Hippocrat. vt reuocetur calor, sex condi- tiones adiecit: sine vlcere, iuuenis, bene carnosus, æstas media, aqua frigida,& mul- ta. Vt verò sopiatur dolor, non tot requi- runtur, sed tantum tres conditiones, aqua multa, frigida, large effusa: nam sensim & si multa non adeo terret naturam, vt calor ac spiritus omnino refugiatur, membrum- que deserant.Dolore igitur leuato, cum do- lor trahat materiam ad locum extenuatur membrum ex qua extenuatione postmo- dum soluitur dolor totus.

Hoc igitur siue Hippocrat. voluerit, seu vt etiam extenuetur dolor, quasi per tres gradus procedenti,liquet ex frigida conuul- sionem tolli maximè, si aliqua adfuerit pri- marum conditionum, ipsa prima præter- missa, velut quæ sit æstas media, vel iuue- nis, vel bene carnosus. Verum non sola fri- gida, quasi aliud faciente, sed per se etiam conuulsio balneo calidæ aquæ curatur. Hoc enim dicit Hippocrat. ac sæpius repetit, quamuis Auicenna haud meminerit. Laxat enim balneum tepidæ aquæ, atque ideo conuulsionem tollit. Solum in conuulsio- ne, quæ è siccitate fit, balnei vsum sua- det, nam hoc si remedium est vllum, præ- sentaneum est.

Tremori etiam aquæ frigidæ vsus in po- tu conuenit, vt refert Rasis Ioannitij au- toritate. Dico tremorem, qui ex vini potu ortus est, transitus ad aquam,adeo quando- que bene curat, vt multis præstet medica- mentis.

His etiam prodest,qui excrementa humi- da per cutim transmittunt,quorunque calor est mordax. Tales enim iam morbosi sunt, atque hos præcipuè balneum tepidæ iuuat, vt quinto de Tuenda sanitate Galen. docet: sicut & frigidæ potus, vt superius dixi: & sicut versa vice infantibus ob naturalem similitudinem, vt in primo eiusdem operis testatur.

Vtrum verò etiam in superfluo cibi appe- titu balneũ aut aquæ potus, vt Ioannitio & Rasi

Rasi videtur, non solum quærendum est an, sed etiam cur & quomodo conferat, si modo conferre existimemus. Constat igitur primum, quod iuxta Ætium & Auicennam, fames facta ex resolutione nimia aut raritate cutis, optimè balneo aquæ frigidæ curatur, si curanda sit, & insatiabilis videatur, nā confirmato corpore & cute ipsa ex eo balneo densata, cum parum aut nihil diffletur corpus, cessat etiam superfluus restaurationis appetitus. Quod si ex vermibus contingat, panis ex aqua frigida exhibitus, vtilis est.

Rursus cum canina hæc fames infantes & pueros vexat, post aceti reliquorumque incidentium exhibitionem aquæ calidæ frequēs potus, vt Auicenna docet, pituitam illam deiicit, ventriculumque purgat ac soluit morbum. Quod si fuerit fames è genere boulimi, seu eius quæ est cum satietate ventriculi, aut syncopi iuncta, tunc multum iuuat faciem cum aqua frigida aspergere. Et generaliter calida aqua appetitum cibi superfluum ex humorum acredine aut frigiditate perueniemtem soluere solet: frigida verò his auxiliantur, qui defectu potius quam abundantia nimium esuriunt.

Iam verò in ventriculi imbecillitate quantum iuuat potus aquæ tantum habebimus calumniantium: eorū scilicet qui putant excalefactos apud ignem calidiores esse, & abundantes multa pituita cruda humidiores. Etenim & in doloribus & cruditatibus & imbecillitate concoctionis aqua plus auxilij afferre solet, quam vinum. Diximus autem & de hoc superius, & nunc quoque dicendū est. Dicebat princeps: Aqua calida ventriculum purgat, si à ieiuno sumatur, & nonnunquam etiam ventrem soluit. Ergo & in doloribus pauca, frigida & flatum discutit, & morsum humorum coërcet, & calorem cogit. Vinum autem soluit, neque enim vinum conferre potest, nisi cum dolor est à frigida intemperie & absque materia, absque abcessu, & cū imbecilli calore. In omnibus autem aliis casibus aqua vino vtilior est. Nam & fomenta ex calida & illius potus flatum discutiunt. Discutitur enim flatus à frigido & calido pariter, & maximè si vtrunque excellat.

Simili fermè ratione & quibus vrina retinetur, & quibus immoderatè fluit vtilis est aqua: in diabete enim quid vtilius esse potest balneo aquæ frigidæ? quo sanatum quendam medicum qui iam prope mortem deuenerat (erat ei nomen Augustinus Batalea Triuiensis) vidimus & iure id nam frigidæ balneo quod vtilius ad tollendum intemperiem tam siccam quam calidam & totum confirmandum corpus esse poterat? Omitto potum frigidæ cum vomitu, & quod omnia medicamenta cum aqua frigida exhiberi debeant: nam hic solum præcipua & maxima auxilia attingimus. Non prætereibo tamen moram, quæ pro virtute patientis esse debet, & quantitatem ipsius aquæ: quæ quanto copiosior extiterit, & frigidior, tanto maiorem habet efficaciam. Ergo vt dixi, vt fluentem copiosius vrinam cohibere aqua potest, ita retentā prolicere contrariis quasi viribus Balneo ergo calidæ aquæ vrina retenta, vt si quod alio prestantissimo auxilio, prolicitur. Verum immoderato vsu, scilicet diuturnioris moræ, vires debilitantur: intempestiuo autem alia mala procreantur, morbusque in deterius persæpe agitur, & sine his etiam caput tentatur. Oportet igitur caput eximere densa obducta seu velo, & neque vltra vires sinere: neque postquam compos fueris voti, sed statim eximere, scilicet cum iam pro ratione vrinam æger emiserit. Antequam autem imponas illum in balneum (quod etiam in omnib. aliis aquæ vsibus præceptum esse volo) postquam is validissimi auxilij vicem gerit, seu balneo seu potu copiosè sit exhibenda, præpurgatū esse corpus diligentissimè, seu medicamento, seu inedia, seu aqua ipsa aut diuturno balnei vsu, aut sponte, aut alia quacunque via esse oportet, nam quædam corpora, quod moderate viuunt, aut quia calida & sicca sint intemperie, vel alia quadam proprietate naturæ, vel quia cibis parum nutrientibus vtantur, omnino neque propter aquam, neque propter aliud purgari postulant.

Quod autem ita sit, tertio de victus ratione in acutis docet Hippo. dicens: Balneum lassitudines tollit, mollit articulos cutimque in ambitu corporis, vrinas ciet, capitis soluit grauitatem & nares humectat. Constat igitur, balneum ad vrinam ducendam esse optimum auxilium, quo etiam Galenus vtitur, & præsertim si lapis adsit. Atque in eo quid præstantius potu multæ aquæ? quæ dum erumpere nititur, calculos quotcunque fuerint secum educit, præsertim, vt dixi, in balneo & tepida. Quod si educere non possit, motus illis reiicitur minore noxa, quam vllum aliud retineatur medicamentum, quod inefficax fuerit. Oportet autem ad xxx. libras assumere, si validæ sint vires, tum etiam plus. Medici autem vt aliquid præstantius facere videantur, tum etiam forsan plerunque defectu syncera aquæ, thermarum Lucensium exhibent: quanquam non adeo idoneæ sint, quod astringant. Verum postquam de balneo mentionem habuimus, subiiciendum etiam illius generalem vsum (nam proprij suis locis explicabuntur) esse censui ex Hippocrate. Eius autem verba paulò ante præscripta de hac re sunt hæc: Tecto opus est quod fumo careat, copiosa item aqua, & crebra lauatione: sed quæ non excedat, nisi res postulauerit. Neque etiam abstergere oportet, quod si abstergendum sit aliquando, calido aliquo atque multiplici plusquam existimetur vtendo absterforio, perfundendáque aqua multa, & celeriter post perfundenda. Via autem ad solium breuis sit, facilisque tum ingressus, tum egressus. Et qui lauatur componat sese, taceat, & nihil agat: sed cæteros tam abstergere quam perfundere sinat. Multæ quoque aquæ mistura parentur, celeresque fiant perfusiones, & spongiis pro strigili vtantur. Et non valde siccum perungant corpus. Caput verò spongia, quam maximè fieri poterit reficcare oportet neque caput ipsum modo, verum etiam extrema & quāuis aliam partē corporis à frigoris iniuria prohibere cōuenit. Lauari propte-

rea non debet, qui nuper sorpsit vel bibit, neque à balneo confestim sorbendum aut bibendum. Multum autem referre existimādum, quod æger dum rectè valebat balneum affectaret vehementer, & lauationi fuerit assuetus: nempe tales magis balneum appetunt, iuuanturque ab eo si vtantur, læduntur verò si loti non fuerint. Hæc cum nimis perspicua sint, vt à me exponantur minimè indigent. Verum iam ad alios vsus his qui dicti sunt, proximos transeamus. Omitto autem dubia autem incerta, velut quod potus aquæ ante cibum & à calculo præseruet & à podagra, imò iam factam curet. Illud satis constat, cuius etiam meminit Hippocrates in podagricis doloribus: multam & largiter effusam aquam frigidam dolores leuare, extenuare ac soluere: nam quatuor commoda affert, è quibus tria sunt constantissima, repellit enim materiam, membrum ipsum calorem reuocando confirmat, stupefacit, & si calida sit materia, tam illius intemperiem quam affectum in membro æquat ac lenit.

Pari ratione cum multa sint lassitudinum genera in omnibus balneum non leue affert auxilium, nam concreta & dura emollit, redundantiam quoque digerit ac discutit. Humectat etiam solida membra, quæ sicca sunt in lassitudinibus, teste Galeno. Cum verò quatuor sint lassitudinis genera, vlcerosa, tensiua, phlegmonides atque ossosa: cuius Hippoc. quarto de victu in acutis meminit, quamuis Galenus eam ad vlcerosam reducat. Igitur vlcerosæ balneum auxiliatur, quarto de Tuenda sanitate. Tensiue vero, & ei qui phlegmonem imitatur, tertio eiusdem, vario tamen modo, nam huic balneum medij temperamenti, vel etiam iusto calidioris aquæ cum longissima mora conuenit, reliquis ex tepida tantum, aut etiam remissioris caliditatis. Quippe iam antea docuerat, quæ cuique vis sit aquæ, dicens: Tepida calefacit & humectat, quæ remissior est humectat & refrigerat: quæ iusto calidior calefacit, sed non adeò humectat. Sic vires balneorum ex dulci aqua Galenus paucis explicauit. Quas omnes, quomodo simul vno igne efficere temperare liceat, tum etiam illas miscendo superpositis sibi inuicem ahenis, in libris de Rerum varietate, docuisse me memini. Porrò cum non parum differant lassitudines affectusque, qui ex lassitudinis comparantur, quique morbi iam initium obtinent, in vlcerosa quidem par fermè ratio est lassitudinis & affectus: nisi quod in affectu diuturniore mora in balneo opus est, in lassitudine autem breuiore. Verum in reliquis non eadem est ratio, sed in lassitudine solis balneis opus est, in affectibus autem oportet prius sanguinem mittere, aut saltem purgare, vt succorum redundantia minuatur, inde balneum non ante adhibere. Memineris autem omnia balnea calida & temperata, aut etiam remissiora, modo frigida absolutè non sint, ieiunis & vacuo ab omni excremento corpore adhibenda, nisi perfrigeratis, quibus plus necessitatis quam vtilitatis causa adhibetur. Nam in his neque concoctionem tutò expectare, nec euacuationem moliri licet. Similiter & in densitate cutis balneum, sed non ex tepida, verum calida, adhibere conuenit: affectus enim is ei quem perfrigerati patiuntur, similis est. Itaque tot modis balneum dulcis aquæ conuenit. Sed cum de ossea lassitudine locuti sumus, postquam alibi locus non est, hic disseramus. Fiunt lassitudines osseæ, quoties membranæ quæ ossibus circunducuntur affectæ sunt. Quod si citra punctionem atque erosionem, aut tensionem vel grauitatem, vt plerunque contingit, accidant, ideo fiunt, quia humor crudus ac frigidus in illas penetrauit. Quod si ita est, palam & calidiore, non temperato balneo eos indigere.

Oculorum autem morbis quantum conferat, etiam præter Hippocratis autoritatem, dicentis: Dolores oculorum meri potio aut balneum, tum reliqua Galenus tertio Methodi medendi docebat his verbis: Vidistis me grauissimos oculorum dolores solo nonnunquam balneo, & absque auxilio oculis applicito, sanasse, ibidem meminit etiam de aliis quæ ab Hippocr. referuntur auxiliis. Sed hæc dixisse volui, vt Hippocr. dicta intelligerentur, & quod seorsum illorum auxiliorum, & grauissimis affectibus meminerit. Mihi verò videtur, quod balneum in omni causa, non quemadmodum reliqua conferat, veruntamen in quibusdam non nisi corpore prius euacuato, nam eo casu non video cur auocando à capite & acredinem humorum temperando, non semper conferat. Idque videtur voluisse Galen. quanquam obscurius, & Auicenna clarè, cum dixit, quod aqua calida confert ophthalmiæ, est autem oculorum morbus qualiscunque, ὀφθαλμὸς enim oculus est, tametsi propriè pro phlegmone intelligatur. At qua ratione phlegmoni conuenit, etiam aliis morbis auxiliabitur. Sunt autem morbi oculorum suprà quadraginta, itaque quot morbis hoc vnum præsidium conferat, satis intelligis: nec solum balneo, sed & fomento, vt dicit Hipp. quanquam hoc non adeo generale est, tamen magis efficax: demum etiam vt aliàs dixi, potu. Quod enim à diuturnis morbis oculorum aut palpebrarum sola vini abstinentia sanati sunt? Sed & si aluus astricta sit, balneum eam emollit: siccata enim omnia humectat. Seu enim puluere, seu sole, aut igne, aut sulphureo balneo, aut labore vel vigiliis, quomodocunque accidat, ex balneo corpus humectatur. Venter quoque deiicit excrementa vt Galen. testatur, atque id ratione, nam post docuit omnes meatus balneo reserari, & quæ in his continentur humectari, potus etiam aquæ frigidæ multæ aluum purgat, vt quinto Epid. Pythoclis authoritate & in famula Onesidemi.

Quin etiam voci solum ex defluxionibus impeditæ, velut superiùs docui, sed & per se vel ex superflua exercitatione laboranti, nihil magis conducere testatur Galen. quam balneum, id addens: phonascos scilicet, eos qui operam dant voci exercendæ assiduè balneis vti solere: debàtque

exemplum

exemplum de citharœdis, præconibus comœdis, tragœdisque, qui non alio magis vtebantur auxilio, quam parcitatis cibi atque delectus, tum balneorum: ipsis verò non tam vocis robur necessarium erat, præterquam præconibus quam suauitas. Vnde patet, non auertendo solum & inde fluxionibus sed per se etiam balnea voci opitulari. Videtur autem hoc contingere, quod quemadmodum superius dictum est, balneum vniuersum corpus humectet: quo fit, vt in omni sicca intemperie sit salutare, seu calida, seu frigida, aut quauis causa excitata, vt Galen. inquit in libro de Marcore.

In fluxibus quoque balneum vtile est, qualescunque ferme fuerint, quam materia in his intro feratur, balneum autem exterius auocet. Hoc est quod dicebat Galen. quarta Aphorismorum: Balneæ calidæ purgationibus resistunt, quoniam ad contrarium motus materiam ipsam deducunt. Et tertio de Victu in acutis: Balneæ sistunt ventris profluuium, & humores reuellunt ab eo in vniuersum corpus.

Nec solum fluxibus ex ventre, sed ad ventrem balneæ prosunt, dicebat Galenus primo ad Glauconem. Quis dubitat cum motus humorum ad ventrem intus deferat, humores balneum exterius auocet. Nec solum balneum tepidæ calidæque, sed etiam frigidæ, vt Ruffus docet, tribus imo quatuor in casibus plurimum iuuat primum, si fluxus ille fuerit ex bile: temperat enim frigidæ balneum caliditatem in membris noxiam: secundum, si sit ex purgatione, aut imbecillitate, quod tertio loco sit, aut quarto in puerilis puerisve, in omnibus enim his cum fluxus est, aut laxitas meatuum, aut humorum tenuitas, aut virtutis contentricis imbecillitas, aut plura ex his, quare cum frigidæ balneum meatus constringat, confirmet membra, cogat humores, cui dubium esse potest, quando his conueniat adeò hoc auxilium, vt nihil possit esse accommodatius. Quinimo neque id mirum dici debet quod ille affirmat, scilicet aquæ frigidæ potum ventrem semper astringere, modo immoderatus non si potus, & aqua salubris: quod vt dictum est, sæpius semper supponitur: maximè autem conuenit, cum diarrhœa fuerit & ex biliosis humoribus, atque inassuetis vini potui, contraria enim ratione tunc efficacius prodest. Hippocr. verò quinto Epidem fluxus sistebat superfusa ventri aqua, vt in Antimachi vxore.

Robur quoque addunt ac vires corpori balnea, quod cum dicat Galenus libro de Renum affectibus, ac tepidæ ad nutritionem optima conducant, frigidæ tamen in hoc casu sunt præstantissimæ. Subiicit autem: quod verissimum est, A viribus validis omnes morbi morborumque causæ profligantur. Sed quoniam hoc commune est (licet non communis sit quantitas vtilitatis: quippe neque à cibis neque pòtibus, neque somnis aut exercitatione aut alia quapiam re tantum incrementi vires accipiunt, quantum ex accommodato balneorum vsu: (tametsi illa omnia si prætermittantur, aut peram administrentur, plus afferant noxæ, vt balnea sint simul & securissima & vtilissima) ad singularium morborum curam, atque propriam etiam curam, per aquæ administrationem redeamus. Rursus ergo tumentibus hæmorrhoidibus, vt dolor qui maximus est sedetur, nihil balneo vtilis est: & si anus ardeat, frigidæ fomento nihil vtilius. Verum ad sanguinem tum hæmorrhoidibus, tum mensium proliciendum, quid tutius aut melius vel accommodatius balneo tepidæ calidæque? vt etiam ad omnes sanguinis fluxiones aqua frigida superposita, locoque balnei adhibita atque inspersa. Dicebat Hippocr. quinta Aphorismorum: In his frigido vtendum est, vbi sanguis fluit aut fluxurus est, non ad ipsa, sed circa ipsa vnde influit, nam si sanguis ex vlcere proflat, non tam tutum est frigidam loco adhibere ob dolorem: quem tamen si perferre poterit, adhibere conuenit: si non circumuicinis locis, & maximè ea parte, vnde sanguis per venas deriuatur in locis, cum, sed si sanguis ex naribus hæmorrhoidibus, vtero præter rationem fluat, & citra vlcus vulnusve, quid prohibet etiam ipsi loco frigidæ fomentum & aspersginem adhibere? oportet autem tamdiu perseuerare in talibus auxiliis, quæ præsentanea sunt, & qualitate manifesta opus suum perficiunt, quandiu sanguis sistatur, nam non est, vt in medicamentis, expectanda salus post cessationem ab auxilio. Hippocrates etiam quintò Epide. mulieri quæ ob cataporium parum sanguinis euomuerat, & venter intumuit, & spiritus sistebat, adeò vt quinquies pro mortua habita sit, XXXVI. amphoras aquæ frigidæ superfudit, & sanauit eam. Eadem ratione & in erysipelate non vlcerato, & in abscessibus rubris confert. Est autem ratio, vt cohibeat humorem ipsum influentem, & caliditatem & siccitatem illius temperet. In reliquis verò abscessibus, qui dolore ægrum torquent, inscessus & fomenta ac balnea ex tepida modo corpus non admodum plenum sit, emollit illos, lenit dolores ac soluit: vnde fluxio, quæ plerunque comitari solet, statim post cessat. Hoc est quod Hippocrates docet quinta Aphorismorum. Sed & illud animaduertendum, alium etiam esse vsum calidæ in abcessibus, postquam materia defluxerit, vt concoquantur, & suppurentur: & rursus, vt in his aquæ potu vtamur. Sed vt ad propositum reuertar, ad aperiendas hæmorrhoidas, ad menses in mulieribus proliciendos, quidnam salubrius tina & balneo tepidæ calidæque aquæ? auocat enim ad locum humores & sanguinem, eosdem dein attenuat, oráque venarum aperit Hoc norũt balneatores, vbi enim cucurbitulas applicare destinauerint, corpus primum calida proluunt. Hippocrates in libello de Hæmorrhoidibus, cum curare vult, tepida aqua illas fouet, aut calida. Proueniunt hæ venæ, si Vessalio ac sensibus credendum est à vena portæ in parte iecoris caua. Vena enim quibusdam, quibus hic sanguis abundat, digiti minimi magnitudine illinc exori

exoritur, quæ in sphictere se diuidit atque diffundit.

Verum cum balneum ante cibum adhiberi in omnibus oportere docuerimus, ne quis omnino illud inconcussum præceptum esse credat, licere quandoque etiam à cibo balneum ingredi: & quando quomodove, docebimus. Igitur in sanis, qui negociis astricti sunt, si solum panem assumere velint, vel etiam cum melle aut passis, licebit post sextam horam in balneum ingredi, modo tamen vt ex hac consuetudine præcordia sinistra aut dextra grauentur, vt Galenus docet. In extenuatis verò non solum licet, sed etiam conducit balneo admouere ægros post cibum assumptum, non tamen statim, sed cum è ventriculo cibus exire inceperit, id est, post tertiam horam, non tamen cibus is vulgaris sit, sed facillimæ concoctionis, & minimè viscidi alimenti, cuiusmodi asellorum caro, & pullorum iecora, & gobij rursus pisces. Panis autem leuissimus omni ratione, totáque cibi quantitas valde parca. Et tamen vel sic consumere etiam præcordia expedit. Hoc vero compendij ex hoc ritu, vt ita dicam balnei, assequimur, vt impleantur ægri, atque impinguentur: velut Galen. rursus docet, Cauere autem oportet in hoc casu, ne balneum tepido sit, vel minimo calidius, ne etiam vt refrigerare omnino possit. Quod si hæc tria seruentur, vtiliter adhiberi poterit. Dico equidem, ne præcordia grauentur, ne aqua à tempore distet, maximè caliditatem versus, & cibus hora qualitate quantitatéque talis sit, qualis esse debeat.

Cæterum vt ad ordinem redeam, in vermibus etiam vtilis est aqua, & maximè pueris & sitientibus & calidioris temperamenti vel saltem pinguibus vt nihil melius, quod etiam norunt mulieres, oportet autem repente haustam multam, & simul sensim exhibere, nam ex frigore illo & humore partim disrumpuntur, partim infra dilabuntur. Sedes quoque qua nutriri solebant, & ipsa deiicitur, qua sublata dispereunt. Verum si sensim dederis non arduum erit, quid nutriantur vermes, & grauiorem morbum efficias. In ardoribus etiam non solum ventriculi, sed membrorum omnium interiorum, & qui cum erysipelate sunt, nullum medicamentum absque frigida dari debet, quod etiam Marcellus insignis medicus adnotauit, adeò enim natiuo calori familiaris est & amica, incendiario autem contraria & aduersa. In pruritu, vt docet author libri de cura icteri: Balneum calidæ euocat vapores, & pruritum sedat ac tollit. Solet etiam omne tepidæ aquæ balneum pruritum mitigare. Cohibet & eadem ratione seminis fluxum, & libidinis incendium, non exiguum malum. Quidam enim, vt Galenus refert sexto de Tuenda sanitate, multum seminis colligunt: quod si excernant, multum læduntur, imbecilléſque euadunt, fiúntque sicci, graciles, pallidi. Si vero non excreuerint vigiliis infestantur, quod Galen. prætermisit, cum tamen maximum, vt talium, incommodum. Præterea & vt ille dicebat, grauantur capite, stomachique fastidium sentiunt: nec tamen ex continentia multum iuuantur, cum plerique per somnum non minore iactura semen effundunt.

Addo aliud quod sæpe videre contigit, hosce viros cum tanta seminis copia ad venerem, ob flatus defectum, esse impotentes. Quid igitur his omnibus magis conducit frigidæ potu & balneo plusquam etiam tepidæ? tum renum refrigeratione, in aqua currente velut fonte aut riuo demissione quoque testium in frigidam aquam? His auxiliis tentigo superflua curatur, membrum melius tenditur, & somnus conciliatur. Quod si quæ princeps medicorum docuit, quæque sunt scelestissima, cum hoc vno quod sola aqua constat conferantur, inueniet plus esse virium in sola aqua, quam in vniuersa fermè medicamentorum materia. Adiuuat præterea hæc demissio testium, in aquam nuper è fonte haustam, immoderatam omnem sanguinis fluxionem vndecunque proueniat, & eos qui animo linquantur recreat. Et, vt dixi, ac Ruffus etiam testatur: Inuoluntarium seminis profluuium aqua super renes largiter perfusa, & balneum frigidæ, & immissio testiculorum, sanare potest.

Ad eos verò qui sincope laborant, seu ob oris ventriculi æstum, seu ob caliditatem balnei, vt primo ad Glauconem tradit Galenus, præstantissimum auxilium est frigidæ perfusio, tum etiam potus: retinere quoque eam in ore, non parum confert. Hæc autem talia sunt, vt in his casibus nihil aliud quærere necesse sit. Porrò etiam in aliis omnibus lapsibus virium, seu animi, seu vitalis facultatis, plurimum prodest aquæ frigidæ inspersio. Si sanguis mittatur, donec frigida in ore continetur, homo non linquitur animo. Multo autem magis frigidæ inspersio commoda est, si syncope ob sanguinis fluentis copiam accidat. Et Auicenna: Balneum vtile est ei qui sycopen patitur ob diarrhœam vel choleram, aut vomitum ex ventriculi inflammatione.

Porro in medicamentorum assumptione quot modis nobis auxiliatur aqua? primum, si quis vomitu tenetur aquæ frigidæ inspersione, & impositione manuum in frigidam, contineri solet medicamentum: deinde si non operetur, Auicenna suadet vt modicum aquæ calidæ in potu detur, accelerat enim, & auget opus illius, nec solum calida, sed etiam frigida hoc efficere solet: multa non tuto, pauca securissimè potest exhiberi, atque tuto, frigiditate enim quæ illi inest, tum potestate, qua etiam cogit, motus cit quasi contrarios, purgationemque accelerat & auget. Idem si immodicè purgauerit, exhibita tepida, soluitur vis purgandi. Simili quasi ratione si quis cibo nimium grauetur, statimque vomitu prouocato non euomat, calidam aquam paulatim bibat, inquit Auicenna: cibum enim descendere cogit, & somnum conciliat. Pari ratione noxam aceti vinique temperat, atque ebrietatem soluit: vomitu, refrigeratione, humectatione, somno, purgatione per aluum, & vrinas sedando molestiam & ardorem illorum potuum:

potuum: nec solum eis permixta, sed etiam multo post copiosè ebibita. Ego vero & illud animaduerto, quod vomitus si quis ad ipsum paratus sit, nullo faciliore aut efficatiore præsidio excitatur quàm tepidæ potu, vt etiam in vita Æsopi narratur. Vnde etiam in venenis præsens est auxilium potus aquæ tepidæ: oportet autem assiduè bibere atque reiicere. Vbi verò reieceris, gula, os ac ventriculus, si calidum sit venenum, exoriantur, ita vt neque edere bibereve, aut dormire possint: sentiunt autem ardorem & sitim intolerabilem, neque quicquam melius etiam in hac aqua. Crateræ imponatur rete: impleatur aqua, & super rete pronus ore aperto quiescat, ardor mitigatur, sitis extinguitur, somnus conciliatur, spiritus recreantur, oportet autem assiduè aquam mutare, nonnunquam exhaurire ac reponere. Constat ex hoc vsu quippiam melius esse in aquis subterraneis, quam aëre, forsan quod motu, cum terra non fuerit vitiata, melius quam exposita concoquatur, nam qui adeo aërem probant non videntur quippiam laudare, nisi quod supremam superficiem tangat.

Tot igitur modis aquæ vsus nobis est salutaris, nec ratione solum inuenta, sed experimento comprobata refero, nam pater meus cùm auripigmentum album iuuenis à iuuene discipulo, vt ille aiebat, hausisset, sic tandem vtroque vsu aquæ post triduum liberatus est, atque etiam huius inuenti gloria sit apud illum. Si enim patrem propria laude spoliauero, cui fidelis esse possum? Nuper vero cum Albertus Triczius Torigus, è Lilla vrbe sal Ammoniacum ad necem hausisset, quæ potu seruatus est: ac frigida magis leuatus, quam vllo medicorum auxilio. Hippocrates verò adeo in vomitu ex frigida aut calida confidit, vt quinto Epidemiorum referat, vxorem Antimachi, quæ mortua est, potuisse sanari, si ab aqua euomuisset.

Quid vero dicam de vsu eius in his qui à cane rabido aut lupo sauciati sunt? affert ignis salutem, sed in deploratis frustra illius opem tentaueris, etiam omisso maximo cruciatu, appello deploratos, qui iam aquam & vnicum præsidium odisse cœperunt: iuxta illud poëtæ.

Nec formidatis auxiliatur aquis.

Ergo primum omnia auxilia, antequam Tantaleâ siti teneatur, Galeno teste, cum frigida aqua exhiberi debent. Quidam etiam Philosophus, cum iam ad aquæ timorem ex hoc morsu peruenisset, vt narrat Dioscorides, balneum constanter ingressus, liberatus est. Eorum vero qui iam deplorati sunt, curam ex Celso transcribere libuit, vt quemadmodum in adagio est, fides sit apud authorem. Et vt Iurisconsulti dicere nunc solent, Sponsio sit pro dato meo & facto tantum, non ex communi forma. Eius igitur verba sunt hæc, dum illius morbi curam tractarent: Sed vnicum tamen remedium est, nec opinantem in piscinam non ante ei prouisam proiicere.

Et si natandi scientiam non habet, modo mersum bibere pati, modo attollere. Si habet, interdum deprimere, vt inuitus quoque aqua satietur. Sic enim simul & sitis & aquæ metus tollitur. Sed aliud periculum excipit, ne infirmum corpus in aqua frigida vexatum, neruorum distentio absumat. Id, ne incidat à piscina, protinus in oleum calidum demittendum est.

In morbo quoque laterali atque peripneumonia, ac ex his generaliter omnibus pectoris abcessibus, quam vtilius, quàm necessarius (quem tamen communiter prætermittunt) sit aquæ vsus, nunc dicendum. Hippocrates tertio de Victu in acutis inquit: Peripneumoniæ autem magis quam ardenti balneum confert nam lateris pectorisque ac dorsi mulcet dolores, sputum maturat, educitque, & spiritum facilem reddit. Dicebat Galenus in commento, quod Hippocrates præcepit in peripneumonia, intelligendum certius in laterali morbo, cum peripneumonia tam lateris dolore careat, quam etiam pectoris, vt deficere aliquid scilicet (morbo laterali) in textu arbitretur.

Tempus autem lauationis infra docet dicens: Hippocrates cum tota vtuntur ptisana, magis balneum conuenire, non tamen simpliciter tunc solum, vt Galen. exponit, sed magis. Ergo Galenus in declinatione, Hippocrates etiam in statu non solum in declinatione conuenire affirmat, sed in declinatione magis, securius ac longiore mora. Quod verò dicit de his abscessibus Galen. censet & merito, de omnibus partibus pectoris: ego verò de omnibus internis intelligendum reor sub eadem conditione temporum morbi, scilicet flatus aut inclinationis, nam licet non possit excretiones iuuare saltem dolores leuabit ac mitigabit. Vnde princeps quartadecima tertij de Abscessu iecoris suppurato loquens, inquit: Et oportet, cum suppuratus fuerit, vt assiduè vtatur balneo aquæ calidæ, quæ sententia etiam fuit Rasis. Ex quo coniectura assequor, expedire etiam balneum in incremento abcessuum, modo corpus sit præpurgatum, nam cum duæ sint causæ incrementi eo tempore in abcessibus, motus materiæ & dolor, quantum balneum motum materiæ augendo efficit, tantum imò plus iuuat dolorem sanando. Præterea etiam ad contrariam partem ducit. Solum igitur meo iudicio excipere oportet illos quos Hippocrates excipit, cæteri verò & quotidie & diu, modo assueti sint, etiam ab initio morbi balneo tepidæ vti debent. Qui ergo in balneum ducendi non sunt, sunt quibus vires languidæ sunt, quique nauseabundi aut fastidientes cibum, aut biliosa eructantes, vel aluo astricta, aut nimium soluta, aut quibus sanguis è naribus, quantum oportet, aut iusto plus fluxerit. His tantum ergo quatuor exceptis, balneo illos per omnia tempora, sed magis semper procedente morbo vti oportet. Quod si Galeni sententiam magis probas, quam Hippocratis in declinatione. Quanquam & Galenus ipse paulo post etiam immixto tempore illud admittit. Voco tempus mixtum, cum adhuc æger cum sputo cocto symptomatibus grauioribus vrgetur, quia morbus partim est

est in augmento, partim in declinatione.

Verum quia præpurgatum semper supponimus, vt dixi, corpus in balnei vsu, dubium est an in plethora conueniat: imo dubium non est, cum ipsa plethoram balneum curare atque sanare soleat, modo nullus morbus adsit, nam si sit quis, dubitat tunc non esse periculosam balnei exhibitionem, cum antequam per balneum plethora minuatur, morbus in immensum possit augeri atque interficere. Aliter autem sanis corporibus non parum conducit. Dicebat Galenus: Plethora (supple ex antecedentibus verbis, si sine morbo ac dolore fuerit) tribus aut quatuor diebus, inedia, frictionibus ex balneis multis, curatur.

Et rursus tertio decimo Artis curatiuæ inquit: Plethora curatur sanguinis missione, tum frequentibus balneis, exercitatione, digerentibus medicamentis & inedia. Idem secunda Aphorismorum, sed ex sex præsidiis ibi digerentia medicamenta prætermisit, ipsaque balnea, non vt in Arte curatiua secundo, sed quinto loco collocauit. In cæteris consentiunt, quod scilicet ad euacuandæ plethoræ rationem attinet, oportet igitur balnea esse frequentia, & paulo tepidis calidiora, alter tardius plenitudinem ipsam sanant.

In febribus præterea omnibus, tum per genera, tum per species ipsas, enumeratis, quantam vtilitatem hæc afferant, atque primum generaliter nunc dicendum. Galenus enim in libro de Marcore ait: Febri quatenus febris est, balneum semper vtile est. Illa enim semper sicca, hoc autem seu excalefaciat seu refrigeret, semper humectat. Quippe duæ sunt præcipuæ balnei in febribus omnibus vtilitates. Decimo Artis curatiuæ: Fuliginosorum excrementorum euacuatio & deductio totius corporis ad symmetriam, scilicet ex immodica caliditate atque siccitate ad temperamentum, tam in solidis quàm in spiritibus atque humoribus, adeò vt si nihil obstet, statim febricitans in balneum ob tam egregias atque præsentes vtilitates sit inducendus. Definit autem post quibus non conuenit balneum, scilicet his tribus, vel si dum ingreditur illud inhorreat, vel si vires sint imbecilles, vel corpus crudis humoribus plenum, addimus nos iuxta illius sententiam quartam obseruationem, quæ non ad ægri differentiam, sed temporis morbi pertinet, scilicet vt in declinatione accessionis fiat, seu accessio ipsa cum typo fuerit, vt in intermittentibus, seu similis incompressæ annotationis, vt in semitertianis, aliisque continuis proportionem seruantibus. Porrò imbecillitas ipsa aut totius est, vt vires facile resoluantur, aut membri alicuius principalis, tuncque periculum est ne humores in illud confluant, ideoque in neutro horum balneo vti tutum admodum fuerit: aut partes ignobiles, vt cutis artus, sedis locus, adenes erunt infirmæ, tuncque tantum aberit vt balneum sit inutile, vt etiam vtilius multo sit his, quàm illis qui toto corpore robustiores sunt, & alioqui inculpata valetudine, nam in illis facile natura balnei auxilio materiam febris in infirmum illud membrum detrudens, totum corpus liberabit.

Enarrat autem Galenus in libro de Causis procatarticis tres ægros, qui cum febricitarent, nullo alio vsus auxilio, nec expectato vt genus, nedum febris speciem dignosceret, sed solo vsus balneo dulcis aquæ, ne febris amplius rediret prohibuerit, atque ex toto singulos curauit. E quorum numero atque ordine primus Menander fuit. Sed verisimile tamen est, illas febres ephemeras fuisse. Propterea de illis agendum est. Igitur cum primum febris inuadit, & declinatione statim nec semel, verùm crebrò lauandi sunt, vt Galenus docet octauo Artis curatiuæ. Vbi etiam frigidam in potu exhibet. Quòd verò de meatuum constipatione docuerat, idem etiam paulo pòst dicit de ephemeris, quæ exustione, ita tristitia, vigiliis, lassitudine, curis ac refrigeratione proueniunt. Neque enim solum hos lauare & copiosè & sæpius sed etiam statim præstat: atque oportet: non tamen ita eos qui ex obstructione laborat, nam euacuare antea decet, inde lauare in declinatione accessionis, modo inter lauationem & sequentem accessionem tres horæ intercipiantur: nam sub accessione ipsa lauare minimè decet. Quod si ob cruditatem aut pubones simili ratione, vt si ex obstructione diaria euenerit, non nisi sublata magna causæ parte, aut per euacuationem aut per coctionem lauare conuenit, conuenit tamen & vt in reliquis atque necessaria est, magis tamen balneo indigent sicci, seu natura, seu habitu, seu morbo ipso aut causa morbi, quàm humidi. Ergo balneum est vtilissimum, cum calorem mitiget, humectet corpus, & somnum prouocet. Atque his duobus in hecticam primò, inde in putridam transitus prohibetur. Ipse verò in primo libro ad Glauconem vnius rei diligenter nos commonefecit, maximè necessariæ, dicens: Omnibus quidem diariis febribus balneum (ne quis ob alibi dicta de aliquibus dubitaret) necessarium est. Cæterum qui ex bubonibus aut constipatione laborant, his non inutilis etiam est aër balnei, reliquos autem ab aëre statim remouere oportet: in ipsa vero aqua quantum voluerint permittantur, atque etiam quæ ex bubonibus laborant. Ita hi & in aëre & in aqua commorari poterunt diutius.

Manifestum est autem ex his, alium fuisse antiquitus ordinem balnei, quàm nunc sit in vsu: atque in eis mos hic habeatur, ex Galeno adiiciendum ad verba, vt dici solet, curaui. Is igitur decimo Artis curatiuæ inquit: Prima pars balnei, quæ admodum calida est, & absque aqua calorem per totum corpus æqualiter fundit, excrementa euacuat, exiguos meatus aperit, tensa relaxat, densata seu concreta fundit. Secunda autem quam lauacrum propriè appellabimus, in qua sicut ex humectatione iuuatur, sic ex calore nihil illis commodi accedit. Accedamus & ad tertiam, in qua & refrigerantur innoxiæ, quæ fuerant excalefacta, & vires firmantur. Si qua verò &

rarefa

rarefacta, & iusto plus sunt laxata, ea in naturalem redeunt mediocritatem: id quod quarta balnei pars indicat. Quippe quibus omnia rite sunt adhibita, ij post frigidæ vsum adhuc sudãt, & omnia ipsis excremẽta vacuantur. Itaque ex omnibus quæ de balneis retulimus, vna summa colligitur, quòd vacuatur quidem, quicquid in corpore vel fuliginosum, vel fumidum fuit, consistunt autem in naturali symmetria, tum caro ipsa tum cutis: solidarum partium ariditas corrigitur, & calor non modò is qui ex lauacro accessit, verùm etiam qui prius fuit ex frigidæ vsu submouetur. Maximo huius rei documento est status, qui ex huiusmodi balneo redditur, postquam in sole feruente iter fecerimus. Quippe accedimus ad id, ne loqui quidem præ linguæ & faucium ariditate valentes, totúmque corpus stipulæ ritu aridum habentes. At egressi è frigida, illico omnia pro naturæ habitu recipimus, nec febrili calore vexati, nec siccitate afflicti, promptè quæ loquentes, ac plurima fitis parte leuati. An igitur euidentius adhuc balnei vires in sicco & calido corporis affectu cognoscere desideras? Ego sanè non arbitror. Licet autem, cui placet, experiatur quod incommodum sequatur, vbi tali peracto itinere non lauerit. At enim statim febricitabit, aut multo plenus tædio, grauato scilicet capite, perseuerabit, potissimum si frigida calorem nondum extinxerit. Liquet igitur, quatuor fuisse in singulis balneis partes, in quarum prima quam iustè vaporarium appellare licet, non mediocris calor sine aqua, perfrigeratos tepefaciebat, æstuantes in lassitudinem aut phlegmonem, vel constipationem atque exinde in febrem ne inciderent prohibebat: In secunda quæ lauacrum dicebatur, calidiore aqua lauabantur: in tertia tepida: at in quarta frigida, vngebatúrque. Nostra ergo balnea non sunt, in quibus vnica tantum domuncula, quam hypocaustum licet à feruore nominare, calida, tepida & frigida admouentur, aëre cum ambabus postremis pugnante.

Si quis ergo balnearum vsum reuocaret, non parum ad salutem hominum fecisse videretur. At has quæ nunc pro balneis habentur, non solum omnino inutiles esse censeo, præterquàm ad mundiciem, sed vtilitatem longe inferiores lotionibus pedum ac manuum quibus si quis diutius insistat, ad reuellendum non parua est efficacia, absque corporis calefactione, nihilo tamen magis possunt ea quæ balneum, sed tamen tepefaciunt corpus citra noxam. Sunt enim irrigationes, embregmata, lotiones, fomenta, insessus, fotus, omnia balnei iustè administrati quasi partes. Sola instillatio aliquid plus eo potest non tamen omnis, sed quæ vehemens ac diuturna, nec planè instillationis nomine digna, nisi quæ tenuiter infunditur. Cæterum & procul & cum impetu quæ vim balnei superare potest. Sed ad rem redeo, putridis omnibus febribus, tepida pro balneo, frigida pro potu, ni aliud obstet, conuenit. Itade finit Galenus libro de Marcore: censétque hæc tanquã principalia præsidia. Verùm duo sunt obseruanda, quorum alterum vtriqȝ auxilio commune est, scilicet vt non nisi constante iam coctione adhibeâtur: in reliquo discrimen est non paruum inter hæc auxilia, cum balneum tuto semper, potio frigidæ non semper adhibeatur. Periculúmque quod ex balneo succedit, etiamsi diu quis immoretur, admodum leue sit comparatione periculi, quod ex immodica frigidæ exhibitione subsequitur.

Iam igitur omnibus putridis febribus frigidæ potio & tepidæ balneum conuenit, sed non tamen æqualiter, siquidem tertianis atque ardentibus magis, his autem quæ ex pituita fiunt, minus hæc auxilia & maximis frigidæ potio sunt necessaria. Inexquisita enim dicebat primo ad Glauconem, non solum semel & bis, sed etiã pluries, si delectentur, lauare ægros licebit, imò etiamsi velint, in aqua natare permittes. Similiter in accessionis fine, dum vehementer sitiunt, frigidæ potius sudores & vrinam ciet, vt experimentum ostendit, refrigerato etiam & humectato corpore. Porro quoniam multis forsan arduum videbitur, in quartanis balneum adhibere, quasi Galeno reluctante, sciat illum loqui de initio, vt ipse testatur, & tamen tunc etiam permittit. At quomodo balneum concocta materia, vel in quartana vel quotidiana aut aliis intermittentibus febribus pertimescemus? cum qui his febribus laborent, vigiliis torqueantur, & attenuantibus indigeant, vrinámque ac sudores prouocantibus: quibus omnibus balneum auxiliatur, somnum enim conciliat, humores attenuat, & sudores atque vrinam prouocat.

Restat ergo vt de ardentibus nunc febribus dicamus, quarum maxima curæ pars tum ex balneo tum frigidæ potione pendet. Verùm longè magis ex frigidæ potione, vt vndecimo Artis curatiuæ docebat Galenus iuuantur ægri in ardentibus febribus, quàm ex balneis. Tres igitur solum postulat ad exhibendam aquam frigidam conditiones: quod febris sit ardentissima quòd signa coctionis appareant, quódque vires sint robustæ. Adiicit verò quid mirum, dicens: quòd si æger ipse bono corporis habitu sit, scilicet bene carnosus & tempus anni calidum ac siccum demittendo ægrum in frigidam etiam natationem, minime læseris. Quippe qui hac opportunitate vsi sunt, omnes sudarunt, quibusdam etiam aluus biliosa deiecit. Auicenna vero quantitatem aquæ exhibendæ in hoc casu definiuit refrigerationem corporis atque caloris extinctionem, natationis autem haud meminit: sed rem duram ac periculosam existimauit, quòd sua ætate iam iusta balneorum administratio defierat. Ipse ergo conditiones omnes natationis potui adiecit, præter eam quæ ad temporis qualitatem attinebat, cuius loco consuetudinem posuit, & vt viscera abscessu carerent, ita vt apud illum sint sex conditiones exhibẽdæ aquæ: robur omnium virium & membrorum interiorum, & maximè iecoris & ventriculi, febris ex humore calido, concoctio materiei, consuetudo bibendi aquam frigidam, habitus carnosus, & vt nullus sit abscessus

in visceribus. Adiecit & septimam, vt non sit dolor in neruis, quæ minima est omnium. Sed non solum in ardentissima febre, quæ fit à bile, verùm etiam in sanguinea vbi reliqua adsint, frigidæ potum collaudat. Quomodo autem corpus perfrigeratum & calorem extinctum intelligat, se declarat dicens: colorem vultus viridem fieri, & hominem tremere. Ergo vbi res bene cedat, aqua aut vomitu vel per aluum vel vrinas vel sudores humorem peccantem educit: vel si id non succedat, transmutata febre in mitius genus ac diutius ægrum à mortis periculo liberat. Ego vero cum tres ardenti febre laborantes sic curauerim omnes eadem die liberaui, qua aquam exhibui.

Pari etiam ratione in pestilentibus febribus præstantissimum auxilium ab aqua expetitur. Ætius libro quinto, Ruffi authoritate id docet. Oportet autem confertim ac copiosam haurire, cui sententiæ. Rasis Ioannitij authoritate subscripsit, dicens quòd confertim epota caliditatem extinguit, sensim non prodest. Aqua enim frigida potens est auxilium & naturæ amica, si copiosè bibatur mouet humores, & naturæ auxilio venenum cum illis expellitur, maximè tempore æstatis: in quo quamvis Galenus & Auicenna huius occasionis haud meminerint, tamen in ardente febre & sanguinea etiam, si contingat exhibitio aquæ, longè plus proderit & tutius exhibebitur, & facilius feret æger: etenim meatus erunt magis parentes, & frigoris noxa magis temperabitur, quam aliis temporibus. Neque verò solis febribus commoda est frigida, sed etiam illorum symptomatibus, quæcunque ex ipsa tanquam morbo proueniunt. Siquidem merito, cum dicat Hippocrates, quæ proueniunt ex vna causa, curari è contrario illius causæ: at nihil tam contrarium febri esse potest, quam aqua frigida, vt ratione non indigeamus ad hoc demonstrandum. Quæcunque igitur symptomata à febre ortum habent, potu aut balneo frigidæ curabuntur. Velut sudor superfluus, qui curatur positis pedibus manibúsque in aqua frigida. Et rigor vehemens balneo calidæ, tum etiam potu: & sternutatio & ciborum odium, quod potu calidæ aquæ sanatur, aut vomitum prouocando, aut aluum subducendo. Et syncopis, quæ curatur ponendo manus & pedes in aquam calidam, vt docet Auicenna. Et inquies, quam iuuat lectus positus iuxta Euripos & fontes. Licet & arte imitari naturam, dum somnum cadentis aquæ fingimus. Frigus quoque vehemens & diuturnum extremorum membrorum, quod calidæ balneo curatur. Tum difficultas spirandi & deglutiendi, & nigredo linguæ, quæ si perseueret, solet (vt Auicenna inquit) esse causa abscessus cerebri vel membranarum eius, & manifestum est, quòd curatur ablutione frequenti cum calida detergendo, inde lauando cum frigida aqua. Et similiter hecticis nihil melius est aqua frigida, tum in potu tum loco balnei. Sed de frigida in potu cum conueniret ephemeris putridis pestilentibus absque discrimine, tum hecticis: poteram eum vsum inter auxilia communia omnibus febribus quemadmodum & balneum commemorare: sed non licuit, quoniam hectici quidam non ferunt illam. Quicumque enim iusto plus contabuerunt, non resistetibus viribus (hi sunt qui primam speciem excessere) succumbunt. Verùm balneum frigidæ, vt decimo Artis curatiuæ Galenus docet semper est salutare, etiam in deploratis casibus, aut enim illos curat, vt quibus nondum solidæ partes consumptæ sunt: aut si sint, in senilem habitum illos mutat. Quod si hoc iam salutari præsidio curari nequeunt, nec hi alio prorsus curabuntur. Vt constet hoc auxilium & optimum esse, & securissimum, atque etiam efficacissimum. Sed quonam pacto sit adhibendum, non mihi melius scribere aut maiore cum authoritate posse persuasi, quàm si ex Galeno ad verbum hæc ipsa etiam desumerem Is igitur superiore loco, & vbi hanc curationis rationem diligentissime tradit, hæc habet: Quicumque hectica febre laborant, atque ex his præcipuè qui iam marasmodi hectica febricitant, modo his nulla alia febris vel ex sola putredine humorum, vel cum phlegmone sit adiuncta, eos omnes audacter lauabis, sed prorsus citra omnem laborem, ne vires resoluas: quod ipsum cum noceat vehementer, occasio fit balnei culpandi. Quod citra laborem dixi, id ita intelligo. Volo æger in balneum super lectulo deportetur, in cuius prima è tribus domo nudetur ac transferatur in sindonem calentem promptè in idipsum paratam, sint autem quatuor qui hanc teneant à quoque fine vnus. Ac siquidem prima domus satis calida sit, æger in ea nudatus in secundam portetur: sin tibi frigidior videtur, non nudus, sed coopertus, vel alia sindone minimè frigida, vel tali aliquo inuolucro. Constat autem & sindonem eam quâ portabitur, esse valentiorem oportere: aut si imbecilla per se sit, duplicari eam erit satius. Esto autem media domus non tantum situ media, sed etiam temperie, tanto scilicet prima calidior, quanto est tertia frigidior. In hac domo oleum tepidum esto, quo æger super sindone illatus, protinus perfundatur. Hoc facto tertiam ingrediantur domum, ducántque hominem vbi solium est sic, vt per tres balnei domos duntaxat transierint: per quas nec celeri gradu transibunt ij qui ægrum portant, sed tantisper in prioribus domibus morabuntur, dum in altera transferatur tantum à lectulo: in media verò, dum perfundatur oleo. Esto autem & aër cuiusque domus nec summo calore, nec etiam frigens, sed admodum temperatus, & modice humidus. Id fiet, si aqua temperata ex labro sit liberaliter proiecta, vt perfluat per omnes domos. In ipsa verò solij aqua mediocriter moretur. Idque in sidone sustentus, nullâ infusione aquæ, cuiusmodi in aliis vti solemus adhibita. Imo nec capiti eius infundi quicquam velim, cum sit satis id quoque bis terve vna cum toto corpore in aqua mergi, demissa mediocriter deorsum sindone, ac rursum per quatuor iuuenes qui eum portant leuata. Mox hinc deductus in frigidam, semel totus tingatur, ne vel breuissimo

mo quidem ſpatio illic moratus. Porrò qui eum portant, tum reliqua omnia curioſè eſſe edoctos conueniet, tum celeritatem tingendi, non documenti modò: verumetiam præcepti loco præter cætera habere. Protinus verò alter paratam habens ſindonem ipſi iniiciat, ac deinde aliam, tum in lectulo collocatus primum ſpongiis detergeatur, deinde mollibus linteis. Nec committent qui eum detergebunt, vt violentius eum contrectent: ſed quoad fieri poteſt, blandiſſimè. Poſt hæc vnctum, ac veſtibus amictum, rurſus ſuperlectulo in domum vbi cibatur, reducent ac nutrient. Sanè dictum ſuprà eſt in horum commentariorum ſeptimo, vbi ſiccam ventriculi intemperiem ſanauimus, domum balneo debere coniungi. Hæc ille. Cæterùm diuerſa quædam videbuntur his quæ de natura partium balnei ſuperius tradidimus. Verum illud animaduertere decet aëris mutationem pro arbitrio fieri, atque lauacrum in ſecunda domo nullum eſſe, ſed aërem tantummodò humidum, in tertia verò eſſe quaſi tranſpoſitis vicibus. Cum enim hic ſit imbecillis, decet ſenſim incaleſcere non in prima balnei parte. Hoc enim nos docet tanquam contra conſuetudinem excogitatum. Demiror autem ex his valde medicos noſtræ ætatis, qui cum in omnibus fermè morbis, præſertim tamen in atrociſſimis, quales ſunt hectica, febris peſtilens & ardens, demiſſo auxilio aquæ tam ſecuro, facili, efficaci præſentique ad medicamenta omnino inutilia & noxia, & vix ab vllo authore probata confugiant, in quo trifariàm peccant: primum quòd aquæ auxilium tam vtili prætermittunt: ſecundum quòd inefficacia medicamenta perperàm adhibent: tertium quòd omnibus deterius eſt, quòd corpus ita præparant, vt neque poſtmodum auxilio aquæ ſanari poſſit. Porrò de noxa medicamentorum in his morbis & vſu in vtilitate facere verba non oportet, nimis enim ab omnibus artis peritis intelligitur.

Confert etiam in vulneribus recentibus: quod quia alibi in libris, ſcilicet Contradicentium medicorum tractatum eſt, tum maximè ex Celſo, hic repetere ſuperuacuum eſſe arbitror. Solum ea adiiciam, quæ ibi non ſint enarrata: ſcilicet quòd cura vulnerũ tam paruorum, quam magnorum eſt exſiccatio, & robur caloris innati & ſanguinis cohibitio, quæ omnia aqua tepida aut frigida, vbi metus ſit fluxionis ſanguinis largiter effuſa, & bene ac diligenter elota plaga præſtat ita vt nihil melius, quanquam cum aliquo cruciatu id fiat non ignoramus etiam dixiſſe Hippocr. Frigidum vlceribus mordax, cutem obdurat, dolorem inſuperabilem facit, liuorem obducit, rigores febriles, conuulſiones, diſtentiones. At omnia hæc frigidum dum permanent ac ſuperat, efficere ſolent: at lotio frigidæ tantum abeſt vt refrigeret, vt etiam paulo poſt calefaciat, vt quilibet poteſt experiri hyeme lauando manus cum frigida. Iuuat ergo hæc frigidæ lotio multum ad ſuppurationem, cum poſt eam ſtatim puluinaria ſuperpoſueris. Quod ſi pertinacius frigidam repudies calida vel tepida vtaris: quandoquidem conſtet. Hippocr. de actu ac vera frigiditate non de poteſtate intelligere. De potu autem illud ſatis pertritum eſt, non ſolum in vulneribus, ſed vlceribus, abſceſſibus contuſionibus, fracturis maximè capitis ac omnibus aliis caſibus ab initio vſque ad finem curationis ſolius aquæ non vini potum conuenire.

In vlceribus etiam (quanquam Hippocr. de Fracturis loqui videatur) planum tamen eſt ex libri titulo ſententiáque verborum quæ hic ſubiiciuntur, de vlceribus generaliter loqui hæc habet ratio de his quæ in Medicatrina fiunt. Aquæ caliditas & multitudo ſpectetur. Caliditas vt ſupra ſuam ipſius manum infundat. Multitudo ad laxandum & attenuandum plurima ad carnem implendum & molliendum mediocris optima eſt. Mediocritas autem in perfuſione hæc cum adhuc ſuſpenditur, priuſquam concidat deſiſtendum, primùm enim tollitur deinde attenuatur. Vbi Galenus in commento hæc habet: Quæcumque enim ex repletione erant intenta, ſicuti omnia quæ inflamationem patiuntur ea dum euacuantur, laxari conſueuerunt. Quæ ex concretione ob refrigerationem intenduntur, dum calefiunt: quæ ex ſiccitate, dum humectantur: quæ ex humido, dum eo exinaniuntur. Quoniam igitur calida aqua præſtare hæc omnia poteſt, & amplius atque diutius corpori fuerit infuſa, eam laxare atque attenuare rectè dictum eſt. Implet autem carne, ac mollit dum corpus plenum fuerit, & ipſa ſuperfuſio mediocris: extenuat verò multa, aut ſi corpus alioqui fuerit gracile. Vbi enim non fuerit quod trahat, quod præſens eſt conſumit. Cæterum in his aqua non eundem præſtat vſum, quem in ſuperioribus morbis internis, ſcilicet aut decoratione, vbi perfectè ſanatiuæ cauſæ vices implet: hic autem non, ſed eius ſine qua curari affectus non poſſit. Sunt enim aquæ vſus ſex: aut enim conſeruat ſanitatem, vt ventriculi: aut præſeruat à morbis, vt in oculis & renibus: aut curat perfectè, vt in hectica febre & ardente: aut ſic adiuuat ad curationem, vt ſine ea curatio perfici bene non poſſit, vt in vlcerum ſanatione & oſſium, qui iam tophum inutilem contraxerunt emendatione (atque his omnibus modis principalis cauſa appellatur) aut ad curam conducat inter cætera, vt in podagra & diarrhœa: vel vt ad decorationem proficit, in qua tametſi primas obtineat partes, cum tamen finis non ſit ſanatio, ſed decor & munditiès, non meretur nomen cauſæ principalis in medicina. Itaque hæc pars quæ à vulnerum cura incepit, meritò tertia in ordine dici poteſt, quandoquidem præſeruationem cum curatione aut conſeruatione, vt moris eſt, miſcuerunt.

Ad fiſtulas quoque aquæ præſidio vtitur Hippocr. dicens: Poſtridie aqua calida atque multa proluere oportet locum. Hæc autem poſt flori æris immiſſionem: nam tunica fiſtulæ ſic eroditur, vt plerumque in

ſeptem

ſeptem diebus, atque hæc de fiſtula in ano. Paulo poſt cum de piruita ad eundem locum decumbente loqueretur, addit inter reliqua curæ auxilia, vt ægrum in calidam aquam collocet. Et in vniuerſum calida aqua omnibus fiſtulis ac calloſis vlceribus vtilis eſt, nō ſolum ad extergendam ſordem, ſed etiam ad putrefaciendam tunicam eorum ſinuum. Quod ſi vlcus aliquod cum fractura coniunctum ſit, vt in calcis fractura: vel ſi vlcus non appareat, multa aqua calida ad curationem vtitur Hippocr. libro ſecundo de Fracturis, & rurſus in fractura abſque vlcere velut cubiti, dum callus iam confirmari cœperit: multam rurſus affundit aquam calidam, vt materia nutriendo callo idonea, copioſa ad locum trahatur: vt in primo eiuſdem dicit. Similiter & in luxatione ſpinæ dorſi, dum os reponere, ſeu vertebram vult. Tertio de Articulis iubet vt locus multa calida aqua lauetur ac foueatur, antequam reponatur. In luxatione etiam articulorum, manuum pedúmve, quæ cum vlcere acciderit, vbi reſtaurationem conuulſio ſequatur, iubet articulum elidi, & multa aqua calida locum deinde foueri: vt in quarto eiuſdem docet. Sic ſi contingat reſtautionem oſſis ſeu luxati ſeu fracti perperàm eſſe factam: ſeu cum topho callóve, ſeu nondum contracto, nemini qui in hac arte expertus ſit, dubium eſt quin calida aqua locus non ſit fouendus: & ſi callus iam contractus ſit, emolliendus, ac pluribus etiam diebus, ſi maior ſit ac durior, vt eodem loco frangi poſſit, quo perperàm os reſtauratum eſt, ne calli loco os ipſum frangatur. Ergo & vehementer calida & multa aqua, & diuturna mora & plurium dierum irrigatione opus eſt, nonnunquam cum callus valde durus ac magnus fuerit. In talibus ergo quis aquæ vſum & adminiſtrationem non cauſæ illius loco habebit, ſine qua cura perfici non poteſt? Quid ſi quiſpiam frigore & gelu membra mortua & iam putreſcentia habuerit, nónne & hic aquæ frigidæ balneo indiget? non igne, quo excidunt: non etiam calida, aut tepida aqua, quibus calor non refouetur: ſed frigida aqua ſenſim reuocatur, vt etiam teſtatur Olaus Magnus Vpſalenſis Pontifex, qui de borealibus gentibus ſcripſit, apud quos frequens eſt hoc experimentum, frequentiorque morbus hic atque infortunium.

In decolatione verò ſi quis vſum aquæ collaudare velit, ne ille omnino noctuas ferre Athenas videbitur? cum ea ſola abluat, purget, detergeat. Quin etiam vbi ſtrigili omnem ſordem è corpore elueris, nónne epidermia, pedum calloſa duritie & craſſitie calida aqua molliemus: inde gladiolo detrahemus illam eradentes, præcipuéque à calcaneo? & vngues eadem ratione molliores facto præcidemus tam ex pedibus, quàm ex manibus: quos ſi ſine hoc auxilio præcidere tentaueris, facile eueniet vt lacerentur, humidum enim inciſioni aptius longè eſt ſicco. Hæc igitur de aquæ dulcis adminiſtratione dicta ſunt prætermittens ea quæ minus ad medicinam pertinent: tum verò etiam illa quæ tametſi humano corpori vtilia ſunt non tamen adeò euidentem & certam habent rationem: veluti quòd ſi quis aquam, quæ equo bibenti ſupereſt bibat à peſte præſeruatur. Verùm enim eſt frequenter, non tamen ſemper. Equi enim natura à peſte, quæ in hominibus graſſatur, eſt alieniſſima. Et ſpiritus eius ac ſaliua plurima & efficax, quæ aquæ comiſcentur, talia tamen paradoxa ſunt, & à nemine artis perito tradita. Similiter vt illud prætereamus, quanta ſit vis aquæ, quæ è cœlo decidit certis temporibus, veluti Martio menſe, ex qua zethum & panis fiunt, qui in multos annos perdurant, cum aliis temporibus vix aliquot diebus atque his etiam pauciſſimis maneant incorrupti. Quid ergo prohibet, ne aliqua talis ſit ex pluuialibus, quæ vitam hominum maximè proroget? Hæc igitur ac ſimilia, vel quia ab arte eſſent aliena vel dubia, vel quòd obſcuram haberent cauſam, vel quoniam alibi à me dicta eſſent, conſulto prætermiſi.

Solum reſponſurus his quæ mihi obiici poſſe ſentio, atque id primum, numquid negare poſſim, dicent quin aqua hydropicis noxia non ſit, ac vehementer? imo quidam cum ſani eſſent, ſolo potu aquæ in eum morbum inciderunt ac mortui ſunt. Quibus reſpondemus, quod aquæ vſus in hydrope omni non eſt malus, ſed ratione quantitatis aut qualitatis vel cauſæ hydropis. Quis enim ignrat, quòd aqua mala non ſit cauſa omnium morborum diuturnorum: vt ſecunda primi habetur: nam generat abſceſſus & durities in omnibus membris principalibus, & tabem & deiectionem appetitus, & morbos melancholicos & inteſtinorum difficultatem, aliquando ventris duritiem: nonnunquam inquit, etiam hydropiſim, manifeſtum eſt ergo, quod potus aquæ per ſe non generat hydropiſim, ſed aquæ malæ nec etiam hæc ſemper. Dicetis forſan: Auicenna inquit in cura hydropiſis, Et prohibitio à viſione aquæ ne dum à potu ipſius, quantum poſſibile eſt. Reſpondeo, Et in eodem capite inquit, Vino non appropinquet, calidam habens hydropiſim. Sed neque in frigida omne vinum conuenit. Ideo quamquàm loquatur de aſcite ſola, intelligit etiam de aqua cruda, non deſtillata aut natura perfecta. Quinetiam Ætius collaudat balneum dulcis aquæ tam tepidæ quàm frigidæ in aſcite. de quo alibi diſputauimus. Sed non adeò hic fauebo aquarum laudi, vt in morbo qui totus aqua conſtat, illas vino præferri velim. Etenim certum eſt tepidæ aquæ vſum nauſeam excitare, ventriculum debilitare, coctione corrumpere, corpus tabefacere, hecticam & hydropem gignere, nec tamen ſitim extinguere.

Obiiciet alius, quomodo tot & tanta vna & eadem aqua efficere poterit, ac tam validis morbis occurrere? At hi qui de his dubitant, aut hoc ignorant, quam calor innatus omnes morbos curat, cum validus fuerit, vt ex Galeno docuimus, aut aliquid efficacius

cacius vſu aquæ inueniri credunt. Quod quippiam poſſit eſſe efficacius, non video, quæ tot modis & in tanta quantitate administrari poteſt abſque incommodo præſertim ob conſuetudinem, tum etiam adeò frequenter, quæ omni cibo miſcetur, quæ potus omnis vices ſupplet. Quòd verò calor naturalis omnes morbos curet, præter Galeni authoritatem, ratio etiam ipſa manifeſtiſſimè docet: ille enim trahit, retinet, concoquit, ſi minutus eſt agendum, expellitque. Hi quibus hæc mira de aqua videntur, ſunt qui exiſtimant medicamenta eſſe quæ purgent, quæque ſanent morbos, porrò horum inſcitiam non eſt vt doceam, quandoquidem illa ſolum aut naturam irritent aut adiuuent in opere. Ergo confirmato naturali calore, nec irritantibus indigemus, nec multo minus auxiliantibus. Dictum eſt etiam ſuprà, quonam pacto aqua frigida calidis atque frigidis intemperiebus item humidis atque ſiccis æqualiter ſatisfaciat vnde omnibus morbis principale auxilium exiſtit.

Dicet quiſpiam, cur ergo noſtræ ætatis Medici non hoc vno præſidio vtuntur? Quoniam vt eruditiores ac diligentiores videantur, arſque ipſa apud vulgum nobilior, malunt multis vti præſidiis, quanquam debilioribus, atque perperàm quam vno optimo ac rectè. Quin etiam teſte Plinio, imò ipſis oculis quotidie non contenti omnibus quæ terra aquáque apud nos producit (quæ pene ſunt infinita) & quorum ne minimam quidem partem norunt, quod vilia ſint, vt celebriores videantur, exotica longius petita, & vltra maria aduehi curant: tantum abeſt vt aquæ ſolius vſu contenti eſſe velint. Quendam ſcio è principibus ad quem cum vocatus eſſem, poſſetque meo iudicio aqua curari, atque fermè ſanari, cum viderem quorſum tenderent, permiſi ſiccis vt vterentur, quod ſcirem illos non poſſe perſuaderi vnde etiam læſus non leuiter eſt: morbus enim tantummodo humidus erat Cauſa verò ſenium. Cuique enim perſpicuum eſt, tum in aquæ vſu tum in inuentione ætheris, me hic ſolum declarationes attuliſſe, quòd ita ſit. Cæterum quomodo moderandus ſit hic vſus, vel commentario alterius ampliſſimo vel longiore libro, quæ ſit Pauli, totum opus indigere. Cæterum malui totam hanc artem exemplo Ptolomæi de cœleſtibus præſagiis compendioſè & obſcurè traditam ſupereſſe, quam funditùs interire.

At rurſus dicet quiſpiam, cur ſaltem nullus antiquorum hanc tractationem conſcripſit, cum adeò vtilis eſſet ac pulchra? Quoniam veluti qui vnico gladiolo ſculpunt, totámque imaginem effingunt maiore induſtria atque egent, quam qui pluribus ſcalpris atque ad vnum quemque vſum accommodatis vtuntur: ita difficile illis fuit hanc tantam artem tradere, multo verò difficilius ad opus deducere his qui non omnino ingenio, iudicio induſtriáque pollent, ob id & multi ſiniſtrè his traditis vtentes, nec feliciter ſuccedête euentu, me vana ſcripſiſſe calumniabuntur: cum non ego malè ſcripſerim, ſed ipſis male meis ſcriptis vti contigerit: vel quia in deploratis caſibus, & qui nulla arte ſanari poſſint aquam adminiſtrauerint: vel quia in morbo & cauſa illius decepti, aliter quam debuiſſet: vel quoniam non debito tempore veluti balneum in febribus putridis, dum coctio vix cepta eſt: vel quia non pro quantitate, mora, vſu conſuetudinéque: vel quia incongruo modo, vel anni tempore: vel quia locus ille minus aptus ſit, aut aqua ipſa non optima, quod frequentiſſime euenit: vel quia in cæteris rebus neceſſariis non rectè ſe gerat. His tot modis atque aliis innumeris aberrare contingit, adeò vt hic vſus non ſit inexperti aut imperiti vel oſcitantis: ſed eius qui artem optimè attigerit, & illius exercitationem diligentiſſime tractauerit. His igitur non exiguo erit emolumento atque honori: quandoquidem non ſolum plurimos deploratos caſus, quique aliter ſanari nequirent, ſanabit. Et in omnibus morbis hoc vno præſidio, hácque vna anſa plus cæteris vtetur.

Demum reſpondebit mihi quiſpiam, ſi tanta præſtat hic vſus aquæ ſolus, ſi adeò efficax, adeò generalis eſt, quem te tenere qui alios doceas optimè, veriſimile eſt, qui veritatis adeò addictum te profiteris, ac tam intentè ſeruis, cum fatearis optimum eſſe vel vno medicamento omnes ſanare, cur tu ergo non ſola aqua omnes curas ac ſanas? at te videmus non minus quam cæteros omnes medicos medicamentis vti? alia ergo doces ac præcipis, alia facis, alia ſcribis, alia exerces. Hæc quidem obiici mihi poſſe ſentio. Sed non rectè: primum quidem neque quarta parte medicamentorum ſole ovti, quibus alij medici vti ſolent. Deinde balnearum vſus obſoleuit iam diu, adeò vt inſtaurari deſiderent: nam vt ſuperius docui, ſi quis perperàm vtatur, melius ſit plerumque abſtinere quàm vti: tum maximè quòd non medicus eſt qui admiſtrat, ſed aſtantes imperiti, ſtolidi, obliuioſi, aliis intenti. Aquæ quoque noſtræ regionis prauæ & ad vſum medicinæ fermè omnino inutiles ſunt. Quicumque etiam artem quampiam vel nouam vel reuiuiſcentem introducere ſtudent, id ſenſim facere debent, ne error miniſtrorum vel arte vel artifici imputetur. Neque ego ab initio artem hanc exquiſitiſſimè tenui, ſed iuuenis ratione, & his quæ ab auctoribus didiceram experientiam prius omnium rerum magiſtram accommodare volui. Denique nec prohibeo, quo minus quiſquam aliis auxiliis, quæ in rem faciant, vtatur: nec vt abſtineat ſuadeo, ſed ſolum illud monere volui, quantum efficaciæ ſit in vſu aquæ vulgaris, quam facilis adminiſtratio, quam prompta occaſio in vnoquoque morbo. Quamobrem talem vſum neque vnquam prætermittendum neque poſthabendum aliis auxiliis, non quod illis quenquam vt inuidioſum præconem inuentionum ſuarum carere velim.

Ergo cum tot vtilitates tam euidentes tam apertè promptéque aqua exhibeat, nec vlla alia res id efficere poſſit, meritò de illa, quantum

tum per has temporis angustias successiuásque horas licuit, determinauimus: nam neque vllum aliud est, cui hæc omnia conuenire possint. Elementorum enim terra nobis intus nullo modo extrà nisi te sepelire velis, nullus prorsus ad sanitatem vsus. Aër præsto nobis vndique est, & intus & extrà: vnde nec admoueri nec amoueri potest. Medicamenta nulla tam familiaria sunt tanta copia possunt exhiberi, tot modis congruere actu potestate, intus extra, manendo in his, vel mutando, quo fit vt neque ignis: is enim actu semper calidus, & potestate nihil. Cibi etiam & potus potestate solum efficaces, actu nequaquam. Vt omnis hæc sylua aliqua non solum parte inutilis sit atque deficiat, sed tota ad tam varios vsus minus apta, & vt verius dicam, inepta sit.

Restat solum vt videamus, quali-nam temperamento aqua ipsa sit. Plerique enim vt dixi frigidam & humidam in vltimo ordine esse censuerunt. Ego verò neque frigidam neque humidam potestate vllo modo esse crediderim (modo sincera sit) nedum vt in vltimo ordine talis habenda sit: nam quòd neque in vltimo neque in tertio sit, talium scilicet infrigidantium atque humectantium, ostendit moles magna, quæ ingeritur citra noxam: quod in nullo medicamento huiusmodi ordinis seu tertij seu quarti facere licet, sed neque secundum: nam si quis lactucarum libram edat, aut succum bibat multo plus refrigerabitur, quam si duas aquæ optimæ libras potauerit: quanquam lactuca vix primum frigiditatis ordinem excedat, pariter verò fermè humida vt etiam frigida est. Qui igitur fieri potest, vt si elementum esset, atque in vltimo ordine, vt dicunt, humidorum frigidorum, quantumvis notha & adulterina & permixta, nec in altera qualitate, vix in primo ordine statui posset? Quamobrem cum neque in secundo nec in tertio nec in quarto ordine constitui possit nec in primo etiam poni debet. Quod enim paululum infrigidare & humectare videatur id non contingit, quòd potestatem vllam talem obtineat: sed quæ frigiditate, quam actu habet, & mole sua retundat vim caloris innati. Verisimile est autem, cum potus sit omnium animantium; hic autem temperatus esse debet, non frigidus potestate. Aqua igitur optima actu quidem, humida semper ac tanquam vehiculum: frigida verò aut calida, provt soli aut igni vel aëri exposita fuerit. Potestate autem neque humida neque sicca, multo minus verò calida aut frigida, sed quasi qualitatis omnis expers est: Non ignoro quam multa aquæ commoda ad diuersos morbos possem adiicere, sed cum ex his illa habeantur, malui ad sequentem tractationem, quæ minus pertrita est, & magis obscura, descendere.



LIBER



LIBER
DE VITALI AQVA SEV DE ÆTHERE.



ACTENVS igitur de aqua simplici naturalique dictum est, sufficienterque meo iudicio, cum cæteris mos sit alios antè damnare, qui de eadem re scripserint, antequam ipsi aliquid dignum lectu ederent: nobis hoc indignum visum est vt ab initio præfaremur: nunc postquam id præstitisse persuademus, satis audacter testari possumus, neminem ante nos de aquæ vsibus præter Hippocr. (sed is obscurè satis, vt mos erat illius ætatis) scripsisse. At multò minus de aqua simplici, quæ arte paratur, quòd antiquis omnium tum etiam nostro æuo incognita sit, quisquam locutus est. Quod etsi hæc ars iam fabularum more tractata sit à quibusdam, hoc tamen ei obesse non debet, vt neque Deum non vereri, quòd deos risu dignos Poëtæ confinxerint. Nec historiam negligere ob Heroum ficta gesta atque incredibilia carminibus Italica lingua vulgatis, nec Magiam contemnere naturalem ob præstigiatores, neque gemmarum ornatum ob adulterinam eas metiendi industriam. Ita sæpius contigit, vt ex artibus seplasiæ fraus oriretur: nonnunquam etiam à fabulis homines ad veritatis inquisitionem excitati, in eius inuentionem peruenêre. Initium tamen nostræ considerationis non solum ab illorum nugis ortum habuit, sed ex rei ipsius natura prioreque tractatione, nam vt naturalis aqua frigida est & humida, & quo melior fuerit, eo minus frigida est & humida: ita ætherea, quæ arte paratur, calida est immodicè atque sicca: quæ tamen & ipsa, quo fuerit temperatior, eo præstantior erit. Videntur autem plerique Philosophorum, qui tamen nomen eius attigerunt, aliud quippiam per hanc aquam intellexisse: neque tamen simplex, vt hæc verè est: neque innoxium, sed alij helixir, id est, circumuolutum, seu elysir ab ἐλυσθεὶς: seu inuolutus, quòd inuoluendo fiat ac circumuoluendo: vel ab ἠλύσιος, Elysius, quod felices & perpetuos reddat: vel ab ἥλιος solaris, quod vitalis sit vt sol: aut quòd antiquo tempore solis radiis conficeretur, interpretantur, æther compositum quoddam ex aqua ardente & aromatibus destillatum, denuò alij infundunt aquæ ardenti nobilia medicamenta, eáque aqua solum colata non destillata vtuntur: alij ex variis medicamentis eam conficiunt, ea sub fimo putrefaciendo, inde destillando: quidam ex vnica tantum planta educere conantur scilicet chelidonia: quæ omnia licet efficacia sint, ætheris tamen nomine prorsus indigna sunt, nos enim simplicem aquam per æthera intelligimus innoxiam & efficacissimam, non solum ad vitam producendam, sed etiam ad corpus præseruandum ab omni morbi genere. De elysir autem ac cæteris huiusmodi medicamentis non sum verba facturus: solum id dicam, quod ad magnum errorem pertinet illorum qui talia conficiunt, scilicet quòd ardentem aquam non elysir ipsum nobis exhibent. Est enim aqua clara, acris saporis, nulliusque præstantis odoris: licet ad morbos frigidos satis efficax, quod sit calidissima. Verùm autem elyxir colore est vini, odore acri quidem & vehementi, sed iucundo tamen, quale est oleum spicatum, non autem simili.

De vera autem vitali aqua primùm dubitare licet, an aliquid per circuitum à calore possit refrigerari, cõstat enim quòd calor sẽper attenuat, deinde experimentũ docet aquã ardentem quo sæpius fuerit destillata, eo tenuiorẽ & acutiorẽ esse, adeò vt septies destillata, statim ardeat, & degustari minimè possit. Aqua etiã excalefacta quidnã aliud quàm caliditatẽ concipere potest? ignis enim talis est. Verùmtamen vsus ipse docuit temperatiorem fieri hanc aquam circulatione. Cum enim aqua tẽpore illo in vaporem cõuertatur, vapor autẽ hic priore crassior sit, quoniã à leuiore calore factus est, necesse est dũ redit, aquã gignere mitiorem Rursus quæ media sunt, solent extrema ad se retrahere, aqua autem hæc extremi rationẽ habet ab initio, calor verò à quo circumagitur minor, quo fit vt ab eo calore tẽperatior euadat. Dicemus igitur calorẽ semper attenuare, nam ex aquæ substantia in aërẽ mutat, hoc autẽ est attenuare: non tamẽ in tenuiorem aërem minor calor mutat quã maior. De experimẽto verò, vt docuimus, ipsum nobis fauet, quandoquidem non destillatione hic vtamur, sed reuolutione, quantũ verò intersit inter hæc, paulo pòst declarabimus. Quomodo autem aqua excalefacta crassior possit euadere dubium videtur: quòd euadat, haud dubium est. Causa ergo non obscura est his qui in libris de Subtilitate exercitati sunt, nam ob id densior euadit aqua per circulationem, quoniam tenuiores partes in spiritum resoluuntur, crassiores attenuantur. Aqua igitur circulatione temperatior & æqualioris substantiæ euadit. Sed vt huius rei maior notitia & facilior habeatur, primum docebim9 quid

quid intersit inter circulationem & destillationem.

Destillatio igitur ab acutiore calore maioreque necessariò fit, quòd vel respiret vas ipsum, vel capacius sit. Si enim in aërem humor etiam pari substantia resolui debeat, maiore calore indigebit, vbi pars caloris maior resoluitur aut inutilis redditur, quemadmodum in vasis respirantibus aut capacioribus: hoc enim in libris de Subtilitate declaratum est, at verò præter id quòd in reuolutione calor magis colligatur, quoniam non respirat, & etiam qui sursum rectà fertur, substantia ex qua destillatur aqua, crassior est, vt quæ nondum ignem experta sit: necesse est igitur ob multas causas acriorem & maiorem esse calorem destillationis quam circulationis, atque id ita se habet. Alia verò causa euidentior est, quod destillatio breui tempore absoluitur, reuolutio longiore. Causa etiam huius differentiæ est: quoniam destillatio si in longum produceretur, tenue humidum absumeretur: tum quia respirat vas, tum quia calor maior est vtcumque: tum quod maximum est quia humidum illud terræ substantiæ copulatur. Necesse est igitur destillationem celeriter perfici, & qui lentius agunt, iacturam aquæ tum olei, si oleum prodeat, faciunt. Quamobrem & maiore calore indigent ob hanc præcipuam causam. Cum verò circulatione attenuantur, si calor sit validior, multiplicato spiritu vas disrumpetur. Manifestum est igitur reuolutionem fieri in vasis conclusis & rectè stantibus & à modico calore & tardè, destillationem non ita. Est verò & medium quoddam inter hæc duo præparationis seu concoctionis genus, quòd sub fimo sepultis ex toto vasis fit. Solet autem fimo calx recens substerni, & repens aqua inspergi, atque singulis quatuor diebus vtrumque permutari. Permiscentur hoc auxilio quæ iunguntur, alia superantur, vt stibium, plumbum, æs ab aceto, inde vis exprimitur, alioquin insuperabilis. Terminus plerumque est lx. dies, in mixtione xxx. concoctione xx. Pro æthere autem exquisito inutilis est hæc sepultura. Sepulturam dico, quoniam in circulatione totum vas mergitur in fimo, atque obruitur: in circulatione prominet pars superior, vt quod ascendit in aquam, denuo reuertatur, in coctione verò aut mixtione hoc cum non fiat, tenuiores partes resoluuntur, ideo hæc opera in æthere tum ob simplicitatem tum tenuitatem prorsus inutilis & etiam damnosa est.

Sed cur destillatio non ex vasis rectè stantibus? quoniam calor validior faceret vt fumus dissiparetur: aut dum occlusus esset, rediens infrà non separaretur, sed priori materiæ mixta aqua tota fœdaretur parte absumpta. Fit igitur ex vasis inclinatis aut situ, aut canalibus, qui si toti occludantur, ignis absumit aquam si autem respirent, fumus dissipatur. Propterea vtrisque modis partem aquæ perire necesse est, qui ergo longioribus canalibus vtuntur & apertis, hi plus colligunt aquæ, fumus enim vbi frigidum tangit, in guttam vertitur, celeriter vero separatur ob ignis vehementiam. Propterea etiam dubitatione dignum est, an sensim adiecta materia plus aquæ reddatur, an tota simul, videtur autem materia simul adiecta longiori tempore indigere, & ob id plus ex aqua absumitur, pauca celerius siccatur: igitur pauca cum moderato igne plus aquæ emittit, sed maiore tædio. Eadem est ratio magnitudinis vasorum nam in maioribus dissipatur, quoniam vehementiore calore indigent, in paruis ab igne plurimo materia aquæ absumitur: optima igitur parua, & cum moderato igne. Et rursus quæ pluribus constat canalibus angustis quam vno amplo, & si perpetuò refrigerentur. Olea verò & substantiæ densiores aqua, conclusis & apertis vasis indigent: quoniam vis flammæ atque ignis maior exigitur quam vt fumus sisti possit: & ob id totum periret, oportet igitur & ipsa refrigerare. Vbi verò aqua detrahitur, non oportet concludere vasa. Quid si amplissimis vasis & conclusis colligatur aqua? nam neque disrumpi ea poterunt, nec fumus dissipari, atque idem beneficium sequitur quod ex apertis plus colligetur: sed impensæ aliquid erit.

Eadem autem ignis, vt è salicibus minus absumit, velut & calor humidior, vt ex balneo, vinaceis feracibus, quam pruna & cineribus, vtrum verò ex flamma plus quam pruna absumatur, quæstio est: vtraque enim in extremo est siccitatis. Verùm flamma cum vehementiore motu est (vt in libris de Subtilitate dictum est) pruna in densiore materia, flamma ergo celerius pruna aut vehementius vrit: flamma verò quæ ex ardente aqua concipitur, parum & tardè vrit, quoniam paruum habet motum, igitur in destillationibus flamma vtilior est in circulationibus pruna leuis. Sed in destillationibus flamma inæqualis affert multa incommoda, in circulatione pruna, vt dictum est, vehementior quàm par sit, itaque in destillationibus pruna ob æqualitatem vtimur, in circulationibus remissiore calore quàm pruna. Sunt ergo siccorum calidorum genera præcipuè quatuor: flamma & pruna & cinis tum sol, humidorum verò totidem fermè: fimus fraces, vinacea, balneum. Sunt autem siccorum ignium è genere etiam: arena cinere tantò potentior, quantò ferri limatura ipsa arena, his enim calefactis & nonnunquam ignitis ad destillationes difficiliorum rerum vti solent, ad circulationes tamen inutiles, quoniam omnis circulatio in humido tenui fieri debet. Verum hæ omnes fermè dubitationes cessant, quandoquidem in turricula (sic enim vocant artifices) concluso lebete tantus feruor aquæ fit, vt metallica destillari posse videantur, collecto vtrinque calore & in igne & in aqua.

Vtrum autem humidi calores minus absumant, dubitare non licet, motus enim tardior: motus enim absumit, vt in ventis videmus: qui tametsi frigidi sic siccant tamen & celerius quàm solis calor. An verò etiam in vitrea vasa aliquid ex qualitate propria, puta odore & putredine

fimi

fimi ingrediatur, dubium eſt. Videtur enim fimi calor temperatior balneo,& diuturnior ac maior fracibus atque vinaceis. Fracium quoque calor minor eſt & humidior quam vinaceorum. Optimæ igitur ad circulationem fraces inde balneum: nam vinacea magnam ſortiuntur inæqualitatem, & non tandiu durant: fimus verò remittit aliquid: nam cum calor penetrat,penetrat & vis quæ illi adiuncta eſt, ſeu modus:is autem eſt putredo. Calor enim partim penetrat, partim ſimile gignit, vtrovis modo tutiora ſunt quæ non putreſcunt, in fracibus autem & vinaceis putredinis quædam ſpecies viget, ſed non tanta vt opus inficiat. Poſt has balneum eſt tepidæ aut paulo calidioris aquæ.

Quomodo ergo æther nobis parandus ſit, quemadmodum & reliqua, à fine ſumere oportet: finis autem ab indigentia. Indigent ſenes vt humidum,quæ terreum & fœculentum euaſit, iam repurgetur, optimúmque fiat, & quale puerorum,tum etiam vt membra ipſa molleſcant, & vires omnes confirmentur, tum naturales tum vitales ac ſenſibiles, atque facultates quæ corpus ipſum mouent. In his igitur quæ fieri poſſunt, facere oportet, in quibus non licet vt vlterius non labatur,corpus proſpicere decet. At hæc quomodo ſciemus, niſi prius cognouerimus in quibus reſtituete licet, & in quibus non? Si igitur reſtituere liceret humidum pingue & molliciem ſolidorum, regredi etiam verſus pueritiam liceret, at non licet: non ergo poſſumus humidum pingue reſtituere, neque membra ſolida emollire, ſed ſolum poſſumus morari ſenium ac retardare.In his verò quæ ad robur virium pertinent, cum videamus ſenes beneualere aliquando, & aliquando malè, lætos triſtes, alacres pigros, robuſtos debiles: conſtat eadem quæ caſu eueniunt: etiam ſapientia aliqua haberi poſſe. Quinetiam talia ſibi inuicem auxiliantur: concoctum enim bonum robur efficit corporis, robur autem appetitum cibi excitat & ſomnum, vnde concoctio atque nutritio: atque hæc exempli cauſa dicta ſunt. Quid igitur ex æthere expetendum? vt vires redimat, retardet autem vlteriorem humidi deprauationem. Deprauatur autem, vt in morbis, curis, ſuperfluiſque laboribus, cibiſque qui non rectè perficiuntur, inſuper vigiliis, hæmorrhoſagiis & intempeſtiua venere.Hæc igitur omnia ad vnam cauſam reducere oportet, quatenus defectum inducit:nam tabes non defectu deprauat humidum, ſed conſumendo & per ſe. Ea igitur alia eſſe non poteſt, quam impedita innati caloris functio, quæ etiam ab excrementis, & aliis operationibus aliò auocantibus & ex illius diminutione prouenit: tres enim videntur eſſe modi, aut quia ſubſtantia minuitur, vel quia functio impeditur vel diuiditur. Si enim ipſum calidum manet, manet & facultas: functionem autem non ita neceſſe eſt. Hoc vero omnium operationum eſſe principium & ratio oſtendit, cum ſit cœleſte & experimentum docet, quæ igitur ſuperflua amouent, & calorem excitant, hoc agere poſſunt: nam de diuiſione quaſi res voluntaria eſt, & ad quartum de Tuenda ſanitate pertinet. Porrò quæ amouent ſuperflua & calorem excitant, videntur dupliciter nos offendere, & quòd reſoluunt quod optimum eſt educendo, & quod motu ſiccant.Cum prauis enim ſuccis ſemper aliquid boni educi ſolet, & motus maior corpora ſiccat: hoc enim iam dictum eſt. Indicio etiam eſt, quod omnis ætas ſenecta breuier eſt quamvis ob caloris in ſenecta paruitatem longiores reliquæ eſſe deberent. Nulla igitur eſt cauſa, niſi paruitas motus in ea ætate. Vnde ad vitæ longitudinem exercitatio vehemens cum multa alia adducat incommoda, illud præcipuum habet, vt ætatem præcipitem agat, & ſenium ac mortem cum illo acceleret. Quæ igitur vitam producere debent, nec ſiccare vehementer, nec motum magnum ciere oportet: ſed calorem cogere, excitare leniter & ſuperflua expurgare, tum in intima penetrare. Eiuſmodi ergo ſubſtantiam tenuem primum eſſe oportet,& bene olentem,his enim quæ bene olent, gaudent membra tum calidum vt motum cieat atque talem quæ ſpiritum nutrire poſſit, quæ autem nutriunt familiaritatem cum corpore noſtro habent, iam enim vinum quaſi ſponte tale eſt:nutrit enim & celerrimè & amicum eſt naturæ & calidum & odoratum & tenue, ſed tamen non quantum eſſe oportet non enim ſtatim intima ſubit, ſed partes habet ſecum inutiles,quæ illud remorentur,finge igitur vinum ſtatim ſe cordi offerens, nihilque ſecum inutile aut noxium ducens atque id optimum tale eſt æther. Manifeſtum eſt igitur, neque aliud quicquam neque ex alio fieri poſſe. Verùm dum fit,quoniam ab igne fit,neceſſario in igneam naturam tranſit oportet igitur hanc naturã,ab iniuria illata reddere immunem.Palàm verò eſt,& tale quippiam atque adeo perfectum & melius oriri poſſe,ſed vbi hoc contigerit,nondum compertum. Itaque iam materiam rei ipſius,& neceſſitatem præparationis,& finem ac damna præparationis etiam edocuimus. Ex quibus facile percipitur, non eſſe ſæpius deſtillandam aquam, quæ ætheri faciendo pro materia eſt: ſiquidem ignis nil adiicit præter tenuitatem, quod vtile ſit: cœterum materiam æther præparatam calefacit, immodicè ſiccat, vrit atque corrumpit. Verùm dices, deſtillatione purior & defecata magis, magiſque tenuis euadit? fateor: non tamen hæc puritas ab initio tam neceſſaria eſt,cum poſſimus circulatione id efficere. Cum enim inter duo quælibet extrema medium quoddam ſit, imò & plura generum media pro extremis habentur, erunt & mediæ circulationeſque vim habentes. Sunt enim circulationes rectæ concluſæ, & cum lento igne aut calore: calor enim omnis ignis, vt aliàs demonſtratum eſt, niſi internus fuerit: inclinatæ igitur ac miti calore concluſæque mediæ poteſtate erunt, non igitur niſi ſemel deſtillata eſſe debet materia ætheris. Deſtillatur ergo ſic, vt oleo excipiamus: nam quæ in eo deſcendit, abiici ſolet: colligitur cum primum ſupernatare cœperit, & donec rurſus deſcendat eadem altius in

in aërem proiecta, si pauca fuerit euanescit nec descendit: atque ea optima est, ita vnica destillatione absoluitur.

Vt autem intelligamus rationem operationis, & quantitatem seu magnitudinem virium ætheris, supponatur vis optimi vini, a.b. & quod fœculentum est, impediens in a. ex omni parte in c. igitur ex dimidio & per dimidium in d. per quartam partem, & in c. octauam: ita vt in b. nullum sit impedimentum ratione substantiæ, sed solum humani corporis iuxta omnem operationem in ventriculo, iecore, venis & corde: erit ergo infinita in comparatione eius quæ habet impedimentum in a. non autem simpliciter ob paruitatem & actionem membri. Et vt rem aliquo experimento doceamus, si iuxta humeros pondus annectat multo maiore cum labore mouebit, quam si pondus alienum tractet: impedimentum enim intimum longè plus fatigat quam si extra at in vino impedimentum intimum est, & maximum, vix enim xl. portio æther est ipsius vini, tecum igitur expende, quales vires habeat æther vini comparatione. Deinde cum non quiescat ob subtilitatem non retunditur illius facultas à membro. Cor enim maximam vim habet attrahendi, vt in medicis disputationibus docuimus. Centuplo igitur maius est opus ætheris quam optimi vini, at videmus quantum afferat vtilitatis vinum collapsis viribus, languentibus facultatibus, tristitia oppressis animis, vtilitatisque partibus ob inopiam caloris innati: vnde non alio Galenus auxilio vtitur (quamvis perperam Arabes ob legem hæc in alia transmutauerint) quam vini odorati potu, quod omnes vires recreat. Constat etiam, modo ne humor aliquis malus iam genitus offendat, aut exterior noxa, omnem prauitatem ex caloris innati defectu oriri non solum in humoribus, sed etiam membris, veluti carcinomanta & erysipelas & bubones & vlcera maligna, vt Galenus testatur in libro de Cibis boni & mali succi. Confirmato igitur calore præter luxationes & fracturas omnia mala tolluntur: ille enim concoquit, separat, roborat, expellit quod noxium est & semetipsum, membráque quibus infunditur, ad semetriam reducit. An igitur & hoc non videre optimi medici? vel ego chimeram nunc fingo? Quo fit vt si ventriculus sit medicandus, oportet frænum aliquod adhibere, aliter statim ad cor ipsum transit, à quo vt familiare rapitur. Declaratum est enim à Geleno in secundo de Naturalibus facultatibus, vnumquódque membrum rapere ad se quæ sibi familiare est. Vinum verò spiritui familiarissimum, vt tertio de Temperamentis habetur. Cor verò & regnum obtinere in corpore nostro, & trifariàm trahere vehementissime, in libris de Vsu partium docuit, quare non est conficta hæc ætheris ratio, sed demonstrata.

Vt igitur videmus vinum odoratum recreare spiritus, exhilare hominem, vires restaurare, quamvis repugnantibus fecibus & vsu minuente vtilitatem ac vim illius: ita ab æthere longè maiore ope, & celerrimè omnia hæc instaurantur. Est autem fæx duplex in vino seu excrementum tametsi sit defecatum: quoniam eadem est ratio partis & totius, & extremorum atque eorum quæ ad extrema vtrimque recedunt à medio, crassa, terrea, frigida & tenuis, sicca immodicè, igneáque: quibus vinum partim impeditur, partim nocet, commouétque pituitam, & membra vltra modum excalefacit, tum magis quòd vnum alteri excrementorum affert opem, terrea enim vis siccatis opus auget, atque caloris, impedit autem motum ingressúmque, in intima moratur: æther autem absque fæce est, ideóque statim penetrat, quòd minus mirum videri debet his qui opus ardentis aquæ spectant, ea enim (tametsi excremento non vacet) multa tamen commoda affert, concoquitque crapulam, discutitque humores crudos. Sentimus quoque illius ingentem vim statim à potu, cum tamē ignea sit non temperata. Ergo ab opere ipso facillimè æther dignoscitur, exhibitum enim his qui iam muti ob ingruentem mortem euaserunt, oculósque semper malos continent, facit vt reuiuiscant, attollántque oculos, atque loquantur, ni morbus neruos obtineat. Cum verò multa hoc faciant suauitate odoris ab aliis omnibus præterquam ab elysir distinguitur. Sed & elysir nares ferit, æther nequaquam. Illud verò certissimum signum, quo ab omnibus aliis differt, quod cum spiritus statim recreet, virésque refocillet sapore tamen acri non est, vt elysir ardēs aqua, chelidonij æther, hæc enim adeò nares, & magis linguã feriunt, vt vix feri queant. Vnde tum ob id tum ob immodicum calorem & pretium satis magnum, exigua quantitas & alij immixta aquæ exhiberi solet. Sapor autem ætheris subacris ita est, vt medius sit quasi inter acidum & acrem, subdulcisque, color vero vt nitidæ aquæ, leuissimi ponderis: odor verò (ni oblitus sum) quod mirum est, violaceus fermè: nam violaceus ab humida & frigida substantia exhalare consueuit. Dixi (ni oblitus sum) quod nunc apud me non habeam, neque iamdiu, ita enim occupationes me detinent, vt tam præsenti auxilio carere possim. At malè sit his, qui cum nihil boni præstare possint, etiam eos qui præstare possunt, impediunt. Principes verò plerique à suis gnatonibus & virulentis aulicis decepti, in omnia alia potius quam in optimos vsus non more certè maiorum impensuri sunt, nec tanti est proferre vitam, vt innocentiam aut studia sapientiæ aut libertatem deseram: sed malo principi fato, & liber atque immaculatus viuere quam diu fœlicissime, & cum graui seruitute etiam temporaria, vel non omnino purus & innocens. Neque forsan ego vel sic Deo rem gratam faciam, qui hoc prodam hoc tempore præsertim, quod potētibus solum sit salutare atque auxilio: verùm nec tui benemerentis, nec illorum immerentium causa hæc prodo, sed vrgente eo à quo semper agor; neque enim magna vnquã ex voto aut iudicio meo egi, nec malũ ego existimare debeo quod bonum superis videtur, maior est illorũ sapientia vecordia mea, munus accipio, munus dare

cogor:

cogor: si modo hoc munus est,& non plerisque lapis Æsopicus, vt oleum & operam perdant, neque enim fas esse existimo omnia sic dicere, vt omnes intelligant: nec ita prætermittere, vt nemo scire possit. Vbi enim totum absoluerimus sermonem (quòd plerisque videbitur admirabile) plus petit, quàm si non absoluerimus. Est enim sermo acephalus, vt & illi multa possint adiungi capita, vnde multiplices formosæ statuæ. Sed iam ad rem redeo, demonstrandum est, ætherem bene olere, violámque olere, cum tamen ex materia sit calidissima, vtrum autem omnis? partim quidem sic, partim autem non. Sed relictis ambagibus quæ infinitæ propemodum sub hac quæstione latent, de simplicissimo nobis proposito sermo habeatur: qui quamque multiplex sit, vt infrà ostendemus, omnis tamen suauissimè olet, non quidem magnitudine odoris sed temperamento & qualitate ac natura odoris, est enim in toto hæc natura & tota, neque enim alius est vnius violæ odor, & cumuli, sed tamen hic maior. Sic & albedo tota in qualibet parte parietis, & non est pars albedinis, sed partis albedo, itaque in toto est albedo, & in qualibet parte tota. Si igitur acutum habet odorem aqua ardens, atque planè siccum, manifestum est in genere esse iam bene olentium, at quæ bene olent, sed feriunt nares remissa vi fiunt suauis odoris: quoniam acuitas quæ perceptionem suauitatis impedit, aboletur, igitur redditur odor ille suauis. Aliter demonstretur hoc ab incongruo, acuitas impedit odorem, odorata est aqua ardens: sicca enim & tenuis est, igitur si reddit ad odorem grauem, oportet causam ibi esse immodicum humidum, aut putredinis speciem aliquam, aut frigiditatem, aut exustionem: velut in terreis & metallicis igni expositis, at nullum eorum esse potest, igitur æther bene olet. Quod autem etiam violam redoleat, idcirco necessarium est: quia violæ odor ob id suauis sit quæ non perpetuò ferit, & quæ recreat: ac æther non perpetuò redolet, quia odor à tenuissima substantia resoluitur, & ideo statim perit: moriens autem odor suauis est & quemadmodum recreat, particeps enim acuitatis est hic odor, acutum autem præit, cui succedit odor proprius: ideo recreat,& ob id violæ imaginem refert. Statim autem euanescere violæ purpureum odorem, eundémque esse tenuissimum ipsa floris substantia ostendit, quæ & minimus est & tenuissimus. Nihil igitur mirum est ab æthere tametsi temperato, prodire odorem hunc suauissimum & violaceum: quod neque consistat, neque crassam vllam habeat substantiam, & alternet quasi ob temperamentum partium. Sola enim viola temperata est ex his quæ bene olent, rosa enim qua parte olet, calida est, & sicca immodicè. Videmus etiam lachrymas Indicas plures, vt animam albam,& eam quam apud nos est,& Elemi violam redolere, quanquam manifestæ sint caliditatis ob tenuitatem substantiæ, & inconstantiam afficiendi olfactum. Vnde constat odores singulos vnius esse substantiæ, præterquam violaceum: is enim fit languente odore quovis moderato. Indicio etiam huic est, vrinam eorum qui resinam larigneam biberunt, adeò manifestè redolere violam, vt ipsas violas nuper collectas, imo cumulum earum esse dicas, at quid larigneæ resinæ vel vrinæ humanæ cum violis? contingit ergo id duplicem ob causam velut in æthere, scilicet & quæ tenuissima solum, fragránsque substantia resinæ cum vrina permeauerit,& quod odor vrinę feriat per se, acutus enim est, attamen hoc interest inter vtrósque, quæ vrinæ odor vehemens est, & non sincerus, quia putredinis vrina est particeps, etenim excrementum,& quæ acuitas vehemens, vnde non nisi à potenti violæ odore superari potest, at omnis odor potens ac validus aliquandiu manet, quoniam quod magnum est, statim desinere non potest: tale autem suaue esse non potest, quæ non habent ortum cum interitu coniunctum, quod etiam in doloribus & cæteris videmus sensibilibus. duplici igitur causa vrinæ odor etsi violam referat, nec sincerus est omnino, nec planè suauissimus vt ætheris: quamobrem nec tam mitis aut iucundus, at de hoc etiam in Physicis aliàs diximus.

Forsan quis nobis merito obiiciet illud, numquid aër non recreabit ac nutriet spiritus non minus, imò melius quam æther? quid igitur æthere opus est? Deinde si iuuat æther, vel quia nutrit, vel quia mutat, at nutrimentum copiosius & firmius ex vino quam ex æthere: maiórque copia, nam æther carior est, imò carissimus, vt ita dicam, multis enim aureis libra constat. Ex vino etiam aqua educitur velut ex reliquis omnibus, declaratum est enim in libris de Subtilitate, in vino aquam contineri, & quomodo etiam citra ignis operam educatur, quæ si ita est, haud dubium esse debet, quin ea per destillationem detracta, non sit inutilis, quid ergo erit hic æther, cuius maxima pars est aqua. Deinde si parum exhibebimus, quid proficiet? si multum ex eo, nónne in consuetudinem transibit? & vim etiam naturæ inferet? Est etiam alia dubitatio, quia quæ immutant, vbi desierint, res ad naturalem statum redit: velut in senibus qui vtuntur rebus quæ ad venerem faciunt & in debilibus alicuius principalioris membri ratione: nam vbi ouis & vino restaurati vires recepisse videntur, vbi restaurari desierint, in idem redeunt: quamobrem opus esset perpetua ætheris assumptione ipsiúsque vsu assiduo. Demum si quicquam æther prodest, id efficit calorem innatum confirmando, atque (vt ita dicam) augendo: at ita multo melius præstat exercitium, quid igitur opus est æthere, cum cuique exercitium in promptu sit? Hæc igitur sunt in vniuersum quæ mihi in hac causa nec absurdè obiici posse sentio, sed tamen res aliter se habet. Primum igitur dicam quod ad aërem attinet, illum certè posse vitam longissimam efficere: vt si aliquis in puriore æthere habitaret & supra nubes, forsan absurdum non esset credere quin ad ducentos aut trecentos annos homo peruenire non posset. Atque hoc forsan est quod Poëtæ cornici & coruo tam diuturnam

turnam vitam aſcribunt, quaſi in æthere magna ex parte habitantibus multo vero longiorem Phœnici, quòd adeò alte deliteſcat vt vix multis ſeculis videatur. Et Moſes quoque ante inundationem longiſſima vitæ ſpatia deſcripſit, quaſi tunc aër purior eſſet. Sed mittamus fabulas & Theologorum opiniones, tum etiam quæ dubia ſunt & ſolum præſentibus fidem habeamus, nónne etiam nunc in multis orientis partibus, atque in India præcipue homines centeſimum annum integri excedunt? cum aliqui etiam ad centeſimum quinquageſimum perueniant, referántque, vt ſæpius retuli de quodam qui tertium ſeculum expleuerit. Sed hoc mittamus, conſtat ſatis, in quibuſdam regionibus præſertim in montibus ob aëris puritatem homines centeſimum annum excedere. Ea igitur eſt vis aëris vt hoc facere poſſit, ſed non licet illum tam facilè eligere, hoc igitur multò magis præſtare æther poteſt qui cum ſit exiguus, tamen præſto nobis ſemper adeſt, & ob denſiorem licet non minus aëre tenuem ſubſtantiam efficacem & permanentem operam exhibet, cor nutriendo, & ſpiritus temperando, calorem humidum cogendo repurgandóque. Itaque ſi quis rectè perpendat quæ maximè obeſſe credi potuit ætheris vſui, id maximè illius vim præſentem declarat. Quod vero ad vinum attinet ac nutrimentum, licet veriſimile etiam videatur, attamen neque ob id obſtat, ſed potius in rem facit namque videmus, vt de ardente aqua ſolum loquar, & in dentibus & in ventriculo tam euidens ac præſentaneum præſtare auxilium ex octaua ſolum vnciæ parte, quod nec optimi monbaſij vini libræ ſeptem in tribus diebus afferre poſſunt. Et tamen vinum illud cum alia multa incommoda afferat tum prægrauabit naturam, tum etiam calefaciet iecur, & caput tentabit eouſque, in ebrietatis periculum inducat. Apparet igitur ætheris vſum innocentia, celeritate & poteſtate magnæ etiam quantitati in ventriculi affectibus longè præſtare, quandoquidem illo multo viribus inferior, ardens aqua melior ſit, at in aliorum viſcerum languoribus præſertim cordis, quibus opus eſt ſumma tenuitate & ne remoretur celerrima diſtributione, quanto æther omnibus aliis alimentis medicamentiſque generoſior erit. Duplici autem via illud præſtabit, ſcilicet & nutriendo, vt dixi ſpiritus, vt alimentum potúſque, & temperando calorem naturalem humidúmque cogendo, & vt ita dicam, perficiendo. Iam vero & vt ad reliqua quæ obiiciuntur deueniam, fatemur vino etiam defecato aquam ineſſe, & non paucam, & in æthere etiam aſcendit, quemadmodum rectè dicitur, in deſtillationibus ſemper primum aqua, ſed quæ aqua? qualis ex oleribus? minimè ſed concocta & in qua color quidam non contẽnendus viget. Hanc forſan dicet quiſpiam prius linea tela ſeparare expediet? minime quidem, nam ſic robur & compages prius vini diſſoluetur. Quid ergo agendum? probabitur ne æther cum aqua illa? Certè nam per circulationes commiſcentur perfectè partes, quæ è ementa vocantur. Igitur in æthere dices rurſus poſt ſeparationem eadem erunt elementa? Quid ni. Sed elementi nomen multos decipit. Elementa dicimus & tria elementa, ex quibus inferior machina ſub cœlo conſtat: & literas, ex quibus verba: & partes in mixtis ex quibus illa conſtat, & in quæ reſoluuntur. Elementum non eſt ſolum terra aut aër aut aqua, ſed quodcumque primum in compoſitione. Itaque ſi dicas vinum aut carnem ex elementis conſtare certum dices: ſin autem ex tribus his elementis, nequaquam: non ſolum quòd deſit in omni mixto aër, aliúdque ſit aëris loco, ſcilicet cœleſtis calor, ſed quod quæ in mixtis continentur partes, nequaquam ſint terra aut aqua, ſed terreæ certè aut aqueæ, ita vt aliàs dixi, & aëreæ & igneæ: hoc enim in libris de Subtilitate declaratum eſt, alia ergo eſt terra, quæ in carne, alia quæ in oſſe, alia in ligno, alia in ſucco vel vino, alia in æthere. Quicquid enim in mixto ſiccius eſt & frigidius, terræ loco habendum: quicquid calidius & humidius, aëris: atque ita de cæteris. Hoc igitur modo etiam in æthere, manifeſtius autem in ardente aqua quatuor erunt: quas iuxta complexiones quidam combinationes vocare auſi ſunt elementa: tametſi illa in mundo alterius modi ſint atque naturæ, numeróque pauciora. Sed in his iuxta hanc rationem quatuor partes erunt. Alio modo iuxta deſtillationem, quod enim aſcendit primum, aqua dicitur eſtque plerúmque abſque colore, odore atque ſapore: niſi in paucis quibuſdam rebus quæ etiam multum olent, & odorem parti liquidæ coniunctum habent: vt roſa, viola & vinum, quòd verò ſequitur pingue ſubrubrum, odoratius pro aëre habetur. Vltimo quod maxima vi ignis extrahitur, magiſque naturam ſapit ignis ob exuſtionem quam ſponte: atque ob id tetrum quiddam olet, nigrúmque ob fuliginem conceptam euadit amarum & acre inſuauéque, ignis ſolet appellari Vltimum quod in imo reſtat, nec vlla vi ignis cogi vt aſcendat poteſt, ſed aduritur planè, terra dicitur. Itaque hoc modo in æthere non omnia ſunt elementa, quia excrementum vltimum ſublatum eſt: atque ob id & ſtatim penetrat & liquefacit, & ſumptum in potu nullam ad fecem humidi noſtri naturalis facit acceſſionem, reliqua tria ita ſimul temperata ac commixta ſunt, vt vnum eſſe dicas.

Ob id igitur naturam ætheris exquiſitè deprehendere liceret, ſi partes elementorum eſſent poteſtate inuicem coæquales, ſublata enim terra manifeſtè ad calorem & humidum declinat: quo fit vt humano temperamento, imò optimæ illius parti, ſcilicet innato calori perſimilis ſit, verùm id nolim nec auſim dicere, quod nulla arte aut coniectura nobis cõſequi licet: ſcilicet, quòd elementa illius inuicem poteſtate aut menſura paria ſint. Hæc enim minus neceſſaria ſcitu ſunt, quam difficilia. Sed iam ad alia obiecta transeamus, inter quæ eſt dubitatio de quantitate: quoniam exigua portio non videtur in tam magno lapſu omnium membrorum, qualis per ſenectam accidit, aliquid,

quid, proficere posse, magna autem quantitas primum non facilè habetur, corpusque multum immutabit: omnis autem mutatio magna & ad melius & maxime repentina, qualem ex æthere fieri necesse, palam est in debilibus corporibus, suspecta & periculosa est: adde quod etiam antea obiecimus hanc multitudinem, vt etiam vini & ouorum & reliquorum salubrium auxiliorum ex consuetudine familiarem factam parum profecturam, & tamen mole sua corpus exagitabit & premet. Consimilis ratio est quæ sequitur, vt iam non contra æther tantum, si quas rectè inspiciat, sed etiam contra omnia auxilia quæ hominis vitam producere possint, & incolumitatem illi afferre dicta putet. Quamobrem non videntur hi noscere, quod multi talibus auxiliis ad vltimam senectam peruenerint: è quibus. Fridericus tertius Imperator, & Venetus princeps Lauredanus nostræ ferme ætatis, certè eiusdem seculi, ad XCVI. annum peruenerunt, beneficio auri liquidi vt fertur, quanquam nomen id ad authoritatem inditum esse rear: cæterum ætherem fuisse existimo. Marsilius quoque Ficinus & ipse eodem tempore florens, eandem metam attigit, quanquam non talibus vsum existimem: Illud sat est, fieri posse vt exigua re vita diu & incolumnis proferatur. Ille spem in auro, myrrha & thure superstitione potius ductus quam medica ratione collocauit. Placet tamen quod adiicit, huiuscemodi medicamento putredinem innati humidi prohiberi, atque ob id ad vitæ longitudinem plurimum conducere, quod non refello. Etenim constat hoc medicamento multos à comitiali morbo sanatos. Et ratio illa generalis vera est: prohibitionem scilicet putredinis humimidi naturalis magnam ansam præbere ad producendam vitam, eámque incolumem ac firmam. Adnumerari potest hoc auxilium inter facile parabilia, si præstet quod ille pollicetur. Verum quæ fides homini habenda: qui rem tanti momenti adeò pueriliter tractet, totque humilibus fabulis impleuerit. Et vnde maximam gloriam consequi poterat, ibi maximè vituperandus sit: vir alioqui eruditus, & de re literaria bene meritus. Cæterùm vt ad rem redeam, non ita fidendum est ætheris vsui, vt senex vigilet exerceatur immodicè deuoret non mandat, venere satietur, frigori calens iam se exponat. Sed nos præsupponimus senem somno indulgentem, à curisque vacuum, & ritè quantum licet cibos concoquentem: tum quiete, tum parcitate, tum electione ciborum aliáque studiose & prudenter agentem, rarissiméque delinquentem. Is igitur si experientia magistra rerum conuincatur, auxilio exiguæ rei posse ad centum annos fermè vitam proferre, & satis integris viribus, ostendamusque omnium quæ vitæ conferunt, nihil esse præstantius æthere: quid est quòd quis dubitet, ex eius vsu hominem non posse ad centesimum vsque annum pertingere? Natura enim ita comparatum est, vt omne quod est, simile sibi gignat & efficiat incorruptũ manet æther nec vllis vitiatur causis, neque marcescit vnquam: quid est cur eo vtentes, tales fermè non efficiat, & ab omni saltem putredine, defectúque immunes? Optimè Homerus Deos immortales obesse dixit, quod nectare & ambrosia vescerentur. Et poëta ille rursus: Nectare & ambrosia quantum volo si licet vti, Immortalis ero, oportet tamen illum, vt dixi, esse huius rei studiosum & robustum, atque etiam vt in reliquis omnibus hac in re mediocriter fortunatum, nam nobis qui infeliciter nati sumus, atque ab ortu quasi eiecti, infaustè educati, & cui neque sidera multum fauent, sanitate perpetuò neutra, vt Galenus dicit, forsitam parum hæc proderunt: & tametsi præoccupare contingat in tanta temporis penuria, non despero præparato medicamento magnam me posse facere accessionem ad vitam. Sed duo tamen videntur præcipua commoda in ætheris vsu exigenda, quæ si adsint, optima spes esse debet cuique vt intentum ex eo consequatur, ea sunt vt bene dormiat, & vt dentes sint firmi: quæ ambo cum mihi desint, hæreditaria calamitate certè spem consequendæ tantæ vtilitatis non parum minuunt. Etenim senibus multa incommoda accedunt, inter quæ duo hæc maxima, quæ quasi circulo quodam augentur: nam ex his homo celerius senescit, & senectus ipsa hæc incommoda auget quibus tamen & æther vtilis est, vt suo loco docebimus. Itaque si aliqua bona fortuna mihi inter tot negocia, adeóque assidua aliquantulum ocij suppeditaret, sperarem parato hoc præsidio adhuc multis annis posse superuiuere nisi casu aliquo aut renum calculo opprimeret quamuis hunc nunquam sim expertus: sed ætheris auxilium, cum ad reliqua non ita ad prohibenda calculi generationem est accommodatum nam & de hoc infrà disputabimus. Sed vt video, omnia partem suam exposcunt, ars, natura, astra, prudentia, fatum. Nam quod de exercitio obiicitur ac creditur, valde diuersum est ab ipso rei euentu atque veritate, neque enim adeò vtile est senibus vt quidam existimant nempe Galenus quinto de Tuenda sanitate inquit: Post frictionem cum oleo inambulatio & gestatio senibus sed quæ citra lassitudinem fit conuenit, deinde subiicit: Exercitationes solum his conueniunt, qui corporis optima sint constitutione, cæteris non nisi per robustiores partes, imbecillæ nullo modo sunt exercendæ. Sed neque insuetis exercitationibus, neque molestis aut diuturnioribus, aut vehementibus, vel etiam quæ partem alicui symptomati obnoxiam vexare possint velut in vertiginosis reflexus circuitus, aut iuxta moletrina. Dictum est autem de his à nobis in libris de Sanitate tuenda: nunc verò satis sit ostendisse exercitationem senibus non conuenire: ni per exercitationem, deambulationem aut equitationem intellexeris. Et certè hac in causa plura mihi occurrunt: atque illud primum, cur senium extendere liceat, iuuentam & reliquas ætates minimè? an forsan & illas extendere licet? sed paululum, vt simul tamen omnes collectæ senectutis, etiam spatium augeant? Et an forsan nihil horum facere licet, sed ea quæ

impediunt solum amouere? Cur etiam pauciores ex his qui normam Galeni secuti sunt, ad id tempus vitæ maximum peruenere, quam qui fortuito vixerunt? vt etiam ipse Galenus, vt referunt, neque lxx. annum videre potuerit, quamuis robusto corpore, ac satis bene temperato. Denique cur exercitium in iuuenibus vitam producat, in senibus vero breuietur? nam nisi hæc quæ alibi explicata non sunt, quis intelligat, discrimen exercitationis & vsus ætheris assequi non poterit. Ergo vt de primo dicam, neque vnam neque aliam ætatem extendere licet, sed licet breuiare. Senectus exercitatione fit breuior, non reliquæ ætates: quoniam in senectute id accidit quod linguis siccis, seu enim inflectantur seu trahantur, franguntur: viridia autem non franguntur, quia & intenduntur & flectuntur. Ergo exercitatio illa nihil affert commodi ad vitæ longitudinem, tametsi in pueris ac iuuenibus proceriora, pleniora & robustiora efficiat corpora: quæ cum ad formam illorum conueniant etiam vtilia sunt Reipub. & militari disciplinæ, sine qua vrbes securæ non sunt. Cæterum quod ad vitam attinet, nullum afferunt illius longitudini commodum, sed potius adimunt, auocant enim calorem extra, & motum magnum efficiunt: vnde resolutio maior humidi, & hominem copiæ cibi & potus assuefaciunt, adeò vt in senio consuetudo mutata periculum vitæ afferat: conseruata autem mortem acceleret. Præterea membra exteriora exercitatio roborat adeò vt in morbis senum qui plerunque abscessu aut transmutatione finiuntur, decubitus necessario ad interna membra fiat: vnde mors sequitur. Itaque hanc ob causam podagrosi sæpe diutius viuunt, integrè sanis, si recta victus ratione vtantur, quia decubitus materiæ febrium dum consenuerint, ad articulos citra vitæ discrimen fieri consueuit. Vnum forsan bonum facit quod perfectiori coctioni)& vt ita dicam)expressioni intimioris succi habiliorem reddat. Verum in senio cum eadem & maiora afferat incommoda, nec has vtilitates exercitatio præstat, quamobrem non est quòd quis exercitij vsum nobis pro æthere proponat, in senibus enim auocat calorem à membris regiis ad extrema, qui cum sit exiguus, dissipatur: inde functiones omnes euertuntur quæ ad vitam sunt maximè necessariæ. Extenduntur etiam venæ pulsatiles, solida membra colliduntur, appetentia cibi præpostera & maior quam debeat excitatur, transferuntur exctementa in loca non eductioni apta, vnde grauedines, lassitudines, abscessus, febres, cateruáque malorum, accenditur calor ipse resoluiturque. Constat itaque exercitium omnino senibus fugiendum, nec Galenus illud probat, nec tamen apertè damnat, vt debuit, quoniam illius offensam non perfectè assecutus est. Sed obiicies denuò, æther tamen siccat: quæ siccant, senibus sunt fugienda teste Galeno. Hic rursus ille in iudicium vocandus est: qui cum venia dictum sit, maximas res nimis oscitanter tractauit, circa minimas plerunque nimis diligens. Quis illius mentem interpretari poterit de victu senum? inquit enim: A siccis omnino medicamentis senes abstinere debent: quod si necessitate deducti vti cogantur, ad humida se transferant, & tamen melle nihil illis melius esse vult, quod siccum statuit, sicca quoque cibaria illis congruere tam apertum est, vt nemò neget. Sed hæc in libris de Sanitate tuenda, contradicentiumque medicorum exposita sunt, hoc quidem sponte exhibuimus, alij cum erit occasio alicuius principis, qui vel saltem propriæ vtilitatis, si non communis (nam id vix hoc tempore sperare licet) in lucem prodibunt. Hi etenim longè magis necessarij sunt ad hominum salutem, quam libri in Philosophia aut mathematicis ad veri cognitionem: quod Galenus nec vitæ producendæ nec causarum mortis rationem intellexerit, sed communibus tantum principiis innixus, plus contradicendo studuit quam vsui atque inquisitioni, vt pat erat tantæ rei complicandæ: Sed cum non sit huic tractationi locus hic, sed solum de Ætheris vsu, ad eundem redeo. Verumtamen antequam de eo dicam, id primum quod alibi à me tractatum non est, prius discutiendum est: scilicet quænam potissima causa mortis sit in senibus, an siccitas seu humidi consumptio, vt Aristoteli placet? an illius conuersio atque permixtio, vt medici antiqui, & maximè Galenus existimant? an corruptio & putredo, vt ætate posteriores volunt: quibus hoc fauet argumentum, quod paucissimi senes sine morbo pereunt: pauci etiam deficientibus viribus sed plerique ex febre vel abscessu, vt appareat mortem ob putredinem illis contingere. Multum autem interest an hoc vel illud in causa sit: nam si siccitate mors fiat, humectandum perpetuò: si permixtione, serosa excrementa tum frigida & glutinosa educenda: si putredine, exsiccantibus vtendum atque extenuantibus tametsi illa humidum natiuum consumant. Eiusmodi aut est dubitatio. Verùm hæc omnia in causa mihi esse videntur, sed eo ordine, vt primum permisceri in senecta humidum pingue cum aqueo incipiat, inde ex hoc tum multis aliis causis putrescere demum, etiam siccari, ita vt debiliores maximè ab initio ex sola mixtione euertantur, robustiores putredine, qui exactissimé sunt temperati, tum arte quadam viuendi optimè instituti, tum naturaliter ad extremum consumptionis natiui humidi perueniunt, atque in his etiam ordo quidam est, nam quibusdam humidum rarius senectutis extremum terminum accelerat, aliis densum in longum producit, atque hæc est ratio vitæ producendæ, aut mortis accelerandæ.

Ergo vt ad cœptum institutum redeam ætheris vsus videtur omni ex parte vtilis esse nam seu humidum purgandum sit, seu prohibenda putredo, in vtroque vtilis est, vt qui separet & siccet atque educat, neque hæc exsiccatio noxia est, quæ humidum pingue non adurit vnde multis vini potentis vsus perniciosius est, dum pingue humidum aduritur. Quid igitur vtilius est ad retardandum humidi innati exsiccationem atque senectutem æthere ipso? nam duobus periculis sublatis mors ipsa maximè differtur. Forsan quæ

quæret aliquis, an etiam nutriat? non equidem: hoc enim sperarunt qui aurum soluere se posse iactant, atque id merito, si fieri posset: at non fieri posse infra demonstrabimus. Verum hac in causa eadem est ratio seruanda quæ mulieribus neque enim lucrari didicerunt quicquam, sed vt quod est parcissimè distribuendo, diutissimè duret, moderari igitur oportet consumptionem hanc solum, non restaurare, ne regressum in ætatibus, vt apud Platonem, constituamus.

Propter hoc forsan non malum erit causas modumque mortis declarare, vt quomodo ex ætheris vsu ei occurrere liceat dignoscamus. Sunt autem in senibus modi quatuor facilioris mortis ac magis necessariæ quam in iuuenibus. Vnus qui nec per se est, nec principalis, cum vel ex laboribus vel vigiliis aut curis veneréve senex opprimitur: ad omnia vt concidat paratior ob natiui caloris imbecillitatem, & præsertim à frigore grauiter læditur, ob cutis & musculorum membranarumque raritatem, pinguedinísque carentiam, & ad lapsus percussionésque, nam & facilè luxantur ossa, atque franguntur, & fracta luxata-ve difficilius reducuntur ac restaurantur. Principaliter verò non autem per se quibus vel ventriculus vel caput præcipuè debiliora sunt aut aliud membrum necessarium, aut quia dentibus (vt superius dixi) carent. Vix enim fieri potest in tam longo temporis cursu, quin membra aliqua inæqualiter grauitérque affecta sint magis cæteris, neque enim trutina inter tot labores, victus errores, curas, incommoda, casus, aliosque vitæ anfractus adeò æqualis stare potest, vt non vnum alio membrum magis afficiatur: quo affecto omnia in illud mala incumbunt, quod si vitæ necessarium sit, mors pro foribus astat: si non tales diutius plerunque viuunt, quam qui magis valere videntur, vt podagrici & qui vlcera in cruribus difficulter sanabilia patiuntur. Per se verò & principalis modus est, cum absumpto humido innato homo statim interit ex pulmonum duritie, vt Aristoteles refert. Atque id rarissimum est, paucissimisque contingit, plerique alij quibus dictum est modis, aut per se non principaliter, quorum est maximus numerus, fato præripiuntur. Est autem hic modus, vt ita dicam senectæ familiaris. Cum enim calor extinguatur siccitate oborta in membris, quæ nos radicalia seu spermatica, id est, è semine genita appellamus, eo fit vt membra contrahantur, vnde senes incuruari conspicimus, multo tamen antea teneriora & tenuiora contrahantur ipsis ossibus quemadmodum membranæ, venæ, arteriæque, tum nerui: vnde fit vt facile obstructionibus corripiantur, & præsertim quid ob caloris inopiam excrementa multa frigida tum tenuia, quæ serosa vocantur, tum crassa, à quibus hæc facile contingunt obstructiones. Ex neruorum & siccitate contractionéque, quandoquidem & & plurimo indigent spiritu ob duriciem, & minus transeat ob contractionem, exoriuntur resolutiones, quas vocant paralyses, tres igitur hi morbi seu morbificæ causæ senectuti familiares sunt ac mortis causæ, licet non principales, attamen per se resolutio neruorum, seu stupor quidam (non enim ex actus morbus omnes occupat, sed pars quæ adeò exigua est vt nonnunquam senes se opptimè sentire, & mouendi facuntate præditos esse existiment) quanquam in paratis manifestè se prodat, atque eadem causa est insanabilis serosi humoris copia, & obstructio meatuum, præcipuè angustiorum, non solum ob crudi crassique humoris abundantiam, sed ipsarum venarum tam pulsatilium quam non pulsatilium, contractionem vnde etiam ex hoc fit, vt qui vltima ætate sunt, pulsus inæqualitatem absque morbo ob pulsatilium in pulmone venarum contractionem patiantur, atque his nihil amplius deest, quam vt contracto paulisper pulmone statim absque alio morbo intereant, quod solum mortis genus ab Arist. naturale censetur. Porrò vt ad rem propositam reuertar, ex serosi humoris abundantia etiam multæ mortis occasiones oboriuntur, longéque plures quam ex resolutione, multo tamen pauciores quam ex obstructionibus. Igitur ex serosi humoris copia, si homo negligenter se gerat, primum malus habitus quem cachexiam vocant exoritur: inde hydrops ascites, aut carnosa, nonnunquam tympanites oritur & fluxus vrinæ & febres, multáque alia, vt destillationes præsertim, ac febres: sed & flatus aliáque symptomata morbique. Ob id Galenus in his educendis studiosus fuit, & meritò: sed segnior in crassis. Verum de his alias diximus forsan & aliquid periit de scriptis circa hoc. At obstructiones repentinas mortes, febres, & ex his etiam abscessus dolores graues, tabes mortésque licet seras, attamen euitabiles insanabilésque morbos, veluti scirrhos & vlcera chironia pariunt. Ergo si exercitium immoderatum obstructioni senum accedat, mors parata est. Febris enim diuturna ob lentorem crassiciémque humoris, & valida ob sanguinis inflammationem, & virium imbecillitatem facta, mortem affert ineuitabilem, ob id igitur omnium excessuum in senibus periculosissimum est exercitium, inde venus, sed hæc si non subito noceat, non tam periculosa est.

Dictum est igitur, quantum satis est huic præsenti negocio de mortis causis in senibus, at nunc de ætheris auxilio verba facienda sunt, videndúmque nunquid eius vsus omnibus his noxis satisfacere possit omnibúsque periculis resistere. Equidem videtur vtilissimus serosis excrementi educendis, postquam vel vinum flauum non solum elysir & aqua ardẽs multum conferunt. Etenim hæc vrgent eum humorem, excalefaciúntque corpora. Sed ad humores crassos attenuandos, colliquandos incidendósque plurimum conferunt hæc: multo magis ergo æther quod tanto hæc superat tenuitate similitudinéque cum humana natura, quanto caliditate atque siccitate, ab eis vincitur. Sed & ad humectanda corpora plurimum potest dum nutrimentum alimentúmque iam concoctum miscet membris atque idem agit quod hi qui resinam ceræ iam friabili miscent. Ergo ætheris vsus ad omnia hæc generaliter

raliter confert, & ob id etiam iuuentuti vt ita dicam, instaurandæ. Sed vt singulatim illius vtilitates referam præter communes iam dictas, in quibus non solum quantitate & tempore opus est, sed etiam recta victus ratione: quippe non solum errantibus ac delinquentibus nonnunquam æther inutilis erit, sed & multis oberit fidentibus ob illius vsum viribus, propriis iusto nimis, nam aliqui vt dici solet taphogerondes illud vulgatum vetabunt:

Debuit inde senex qui nunc Acheronticus esse.

Ecce amat, & capiti florea serta parat.

Ita exercebuntur vt Plinianus ille stultus vetulus hac in parte cum laudatore suo, aut conuiuabitur, aut publicis negociis velut iuuenis se immiscebit: Quis nescit his omnibus ætheris vsum perniciosum non salutarem futurum? quandoquidem noxa maior & certior fit longè ipsa vtilitate. Itaque neque noster senex si sapiat, plus assumet huius nectaris, ne cogatur prurire, & plus velle quam possit: neque etiam moderato vsu intempestiuæ aut inmmoderato fidet, nec etiam cum eo prauo vtetur regimine. Generaliter igitur his tribus modis plus afferre incommodi poterit quam vtilitatis, neque enim vlla res tam homini accommodata, vt per se bona esse potest, quin abutendo plus non afferat damni quam beneficij. Et vt vno euidentissimo exemplo bifariam ex sententia Hipp. id ostendam, sufficiat illius sententiam de iuuenum ac senum comparatione adducere inquit enim, seniores iuuenibus ægrotant minus. Et rursus iuuenibus sanguinis sputa & tabes. Quid hoc est, inquit Galen. cum iuuentus adeò robusta sit, vt paratiores sint morbis, & generaliter & singillatim periculosissimo? respondet & rectè vtrique quoniam senes meliore victus ratione vtuntur, & iuuenes maximis erroribus circa victus rationem implicantur, apparet igitur nihil esse tam salutare aut præcipuum bonum, quin si quis sinistræ vtatur, non fit illi quandoque exitio futurum, nec solum medicamenta, sed probitas inconsulta, scientia, fortitudo, ingenium non opportunè casibus adhibitum. Mirabitur forsan quonam pacto, cum iam vires licet caducæ reparatæ, sint futuræ tamen diuturnæ atque constantes perpetuo, huius medicamenti vsu: possint hæc obesse, vt crapula labor, Venus, vigilia, curæ quas iuuenis aut omnino non curat, aut leuiter fert? Causa est, quoniam si naturalis calor qui in venis continetur, seu pulsantibus seu quietis augetur plus quam par est, non potest diu manere: quoniam calor qui in membris viget non tantum fomenti suppeditat, vt conseruari possint, actiones autem sunt membrorum influens autem calor instrumentum. Ob id ergo nil melius est quam calorem purum conseruare atque ætati proportionem respondentem: cum non minus damnosa sit caloris in senibus vltra metam auctio, quam periculosa imminutio. Sed iam ad propositum reuertamur.

Conuenit æther primum tinnitui ac surditati minus tamen confert huic morbo, quod sit inexpugnabilis, assumere licet per os & in aurem, quatuor aut quinque guttas singulis diebus instillare, dentium stupori, dolori atque aliis morbis si teneatur in ore, & epotum. Idem confert memoriæ, semper autem ne sæpius repetere cogat: assumi bifariam debet: & per os & exterius applicari, parum tamen hoc in casu, quod etiam reliqua auxilia non multum prosint. At conuulsionem puerorum, quam vocant aliqui matrem etiam iuuat epotus, inunctis pedum plantis atque è regione ventriculi, quod in elysir sum sæpius expertus. Resolutioni adeò accommodatum est auxilium vt in Germania audierim multos ex ea curari vel solo (vt dictum est) elysir quanto magis ac securius æthere ipso, cuius quantitas exigua potentior est copia, tutior atque securior. Ad ventriculi lapsus, ad coli dolores præsentaneum est auxilium: quandoquidem aqua ardens vel sola hoc præstat. Neruorum imbecillitati pariter ac iuncturarum, eadémque ratione vrinæ incontinentiæ, modo sine virgine fit, maximè confert: quin etiam cordis palpitationi & his qui animo linquuntur, atque doloribus fermè omnibus (acopum enim est) iuuat & frigidos, & lymphaticos ac tremulos, sed hos non adeò ac melancholicos: Vlcera omnia caua, sordida, maligna purgat, mitigat, temperat, siccat, demúmque consolidat absque vllius noxæ suspicione. Scirrhos discutit quatenus discutere licet, intus quidem per se, exterius verò cum mollientibus adhibitum Cicatrices etiam obscurat illitum, & odoratui recuperando confert. Syncopis autem & deliquij animi neque aliud melius neque præsens magis est auxilium. Vermes quoque enecat sed tamen hoc non primas obtinet partes: oris odorem commendat, ac sudoris, tussim sedet & cibi appetentiam excitat, febrium rigores compescit: menses mediocriter prolicit. Omni hydropis generi egregiè conducit nec scio cui minus sit vtilis. Ob id etiam bonum corporis habitum restituit vocem clariorem efficit, & spirandi difficultatem leuat. Hæc omnia ac longè plura præstat æther sed minima consultò præterij, vt de illius vsu loquerer. Exhibetur ergo drachmæ secunda parte, & per se solum: aliquanto etiam plus proportione, quæ in ore dum deglutitur, perire solet frigidum: nam calore euanescit. Vtrum id summa accuratione cauendum in omni ætheris exhibitione, ne reliquiæ vllæ ciborum aut pituitæ in ventriculo remaneant, sed somno vomitu deambulatione medicamentóque diligentissimè procurandum, ne quicquam in ventriculo relinquatur ante assumptionem. Post autem modo horula decurrat, cibum assumere licet. Immiscere autem alia vix conducit, permittitur tamen præcipuè in ventriculi laboribus. Ratio autem quantitatis ex hoc deducitur quod quadrans ex triente fit, centupl ũtrientis drachmæ, vnciæ quatuor, quod Mombasij quantitas collapsas vires restituere solet. Sunt tamen ætheris diuersę quædam species non solum ob materiæ diuersitatem, sed & tempus & modum. Est enim aliud æther vini, aliud mellis, aliud mannæ seu roris Syriaci, aliud chelidoniæ, atque hæ

præcipuæ

præcipuæ ſpecies:aliud etiam quod ex prima ardente aqua deducitur aliud quod ex ſecunda, aliud tertia atque ſic deinceps. Cum enim ex vino pars quinta aut ſexta ſolum in ardentem aquam transeat, reliquum in crudam ac inſipidam adeóque grauem: vt illa igni extinguendo melior ſit fontis aqua,quæ prius exit, optima & ardentiſſima ac ſuauiſſima:quæ vltimo proxima aquæ ſimplici, neceſſe eſt igitur duobus terminis tanquam extremis conſtitutis media talia eſſe, iuxta propinquitatem ad alterum extremorum. Iã igitur aſſumantur quatuor termini, quorum quartus ſit quintuplus, reliquis ſimul ſumptis, proportio autem eadem, ex demonſtratis in opere perfecto erit:vt ex vnciis 2688. vini,educantur aquæ optimæ ardentis vnciæ decem tantum. Cum enim conſtituerimus maximum in quintupla proportione, ad aggregatum ex aliis,erunt ex aſſumptis ab Archimede reliqui in proportione ſexcupla, vt ſint 2240. pro fæce 337. pro deterrima aqua ardente, 62. pro mediocri optimæ 10. quorum aggregatum eſt 2685. quod quam minimum diſtat à 2688. vini pondere. Quod ſi aſſumatur vinum ex quo quinta pars prodeat aquæ ardentis, vt primus terminus ſcilicet fæx ſit quadruplus reliquis pariter acceptis erit fex 2150. aqua deterrima 430. media 87. optima vnciæ 17. atque hæc videtur maxima quantitas ardentis aquæ optimæ quæ poſſit elici, mediocris igitur eſt vnciarum 14. pars centeſima & nonageſima ſecunda. Ex Mombaſio igitur vino aut Græco, aliiſque quæ non ſolent intra decem annos ſeneſcere plus ſanè excipi poteſt à Mombaſio centeſima fermè pars, à Falerno & Cæcubo (ſi nunc in vſu eſſent) longè plus. Expedit ergo generalem pro omnibus vinis rationem tradere. Excipe ex portione aquæ ardentis quantum potes: deinde conſidera quænam ſit pars aquæ ipſius fæcis relictæ, cum iam non ardens aqua exit, ſed abſque odore ſaporéque qualis igitur pars eſt ardens aqua totius vini, talis pars erit deterrima fæcis,& deterrimæ media & mediæ optima. Collige igitur ex conſimili vino primam partem optimæ correſpondentem:ſecundam mediæ, vltimam deterrimæ: Videntur enim tres termini vnicuique rei ſatisfacere, poſtquam amiſſis capax non eſt mortalitas, omne fermè gentium genus ad hunc numerum,in quo poſitiuum eſſet comparatiuum, atque ſuperlatiuum ſe contraxit. Ætheris igitur materiæ cauſa tot oportuit accipere differentias.

Cum igitur optima ſit aqua,quæ primum educitur, quærendum eſt cur id contingat? nam in herbis & plantis metalliciſque,tum carnibus aqua primum effluit inſipida, inde pars calidior: hic vero contrà contingit, vt quod primum effluit,ſit acre atque calidiſſimum, illud etiam inſpicere decet, quod ad naturam rei pertinet, ſcilicet an aër, vt dicunt, ante ignem an contra, vel vterque ſimul, an ſolum hoc diſcrimen coctionis ratione proueniat? Magnâ quidem hæc quæſtio eſt, eóſque præcipuè fatigat, qui calida frigidáque medicamenta conſtituunt: nos autem non ita, qui quadrifariam calidum intelligimus,in igne,in animalibus, in mixtis, atque animæ familiare: quod commune eſt plantis & animalibus ex quo cuncta generantur, neque enim ſentitur hoc ſenſu, ſed ſola operatione percipitur:aliud vero eſt animalibus proprium, quòd perpetuo fluctuat, eſtque cum motu coniunctum: aliud eſt quod in igne percipimus quo etiam incaleſcimus,atque id inconſtans ſemper, neque enim ſtare poteſt, ſed ſi non augetur, minui neceſſe eſt,aliud verò in pipere atque mixtis inanimatis.Dicimus & aliter ac quaſi pluribus modis etiam humidum, velut quod liquidum eſt, at hoc non niſi nomine tale eſt, vt nec piper calidum, neque enim tale primum eſt, neque etiam dici meretur, ſed vt alios docui, prius quidem ipſum eſt acre, inde calidum:non acre; quia calidum. Sed his ſemotis rem quam ante oculos propoſuimus, exequamur atque diſcutiamus. Cur eſt quòd ex vino ardens primum aqua effluat, ex carnibus autem & oleribus inſipida? an id forſan commune eſt ſuccis omnibus?ſed non ita:nam non in lacte. Effluit igitur primum quod guſtu percipitur: vt in vino auſterum & ſuaue, quod ab igne fit acre:in melle dulce, in oleribus inſipidum, hic enim primus ſapor ob abundantiam aquei humidi, ſed latitat in pleriſque vt priuato ſub facultate. Etenim naſturtium acre, & abſinthium amarum primum videntur, non quia ita ſint, ſed quoniam vbi deguſtaueris, in imo acris ſapor, in altero amarus inſipido ſuperueniens, illum abſcondit: Ergo ſi balneo aquæ deſtilletur, hæc ſaporis partem emittunt,partem amittunt,amittunt ob id, quòd ſapor ille in tenuiore ſubſtantia eſt quam aquea: ſcilicet quæ proportione igni reſpondet, nec tamen pinguis eſt, ideo euaneſcit, herbæ ob trunci inanitatem & vitæ breuitatem, præterquam in ſemine, parum pingui humidi conficere poſſunt. Dum igitur excipitur aqua aduritur humidum pingui proportione reſpondens, in quo ſapor, odor & vis plantæ eſt: ob id nec in aqua quæ excipitur, nec in eo quod relinquitur, vis propria aut ſapor vel odor manet: itaque balneis ac melius alia ratione, quam igne vis ea colligitur. E chelidonia ergo,acri planta, etiam ſua ætheris ſpecies excipitur: tum verò ex roſa, quòdvis illius aqueo elemento non ſolum, ſed ob copiam vbique diffuſa ſit, ex viola etiam, nam & in ea odor aquoſæ parti coniungitur. Verùm quia hæc humido pingui carent, ac ignea parte, in ætherem vix tranſeunt.Chelidoniæ autem ſuccus, tranſit, tum vel manna, ſeu ros Syriacus multáque alia huiuſcemodi. Ergo vt ad inſtitutum reuertar, ardentis aquæ, portio prima igni atque aëri reſpondet: ſecunda igni aëri, & aquæ ob hoc impuriora: tertia aquæ & aëri. Si igitur ex prima ignem ſubtraxeris,ex ſecunda aquam & ignem,ex tertia aquam, attenuata & benemixta per circulationem,materia in ætherem tranſibit, manifeſtum eſt igitur quòd ignis circulatione euaneſcit vtpote pars tenuior & acris, aqua relinquitur aſcendente prius aëre. Ergo ſi partes hæc circulationes concoquantur,ſecunda fœculenta euadet,& tertia

tertia inualida, frigidioribus igitur & exanguibus & diuitibus prima erit vtilissima, vt quæ exactissima sit. In calidioribus & his qui minus viribus destituti sunt, implerique quoquo modo desiderant, quique impensam perferre non possunt, secunda atque etiam tertia vtemur, tametsi enim impensam circulationis tertia vix sustineat, ob copiam tamen vtilis erit. Quod si ad quadrantem deducatur, poterit cum vtilitate absolui, erunt enim vnciæ 107. materiæ satis mediocris. Illud tamen aduertendum esse etiam præter id in prima tenuitatem quandam præcipuam naturæ donum. Itaque manifestum est quibus & quomodo æther constet aut conueniat.

Reliquum est autem nunc, vt de vini genere dicamus, tum etiam ætate ne quid operi nostro, quod ad disputationem absolutam conducat, de æthere desit. Certè Mombasium tanto, vt dictum est, suauitate Græco vino (Romaniam hi vocant) præstat, quantum ab isto vi vincitur. Sed Græca vina pice condiri solent hoc autem inutile ob multa, non enim solum quod compositum & peregrina qualitate infestum ac exhaustum propriis viribus, sed quod cogatur omnem vim acquisitam circulatione relinquere, ita vt nec natiuum nec alienum robur retineat. Sed neque antiquum, quod plerunque vetustate accessit, nec nouum, vbi plus fæcis & aquæ quam vini: sed postquam deferbuerit claruerit que, & nondum suauitatis quicquam amisit. Iam vero & de specie agendum est, siquidem tenuitatis non tam ratio habenda est, quam dulcedinis & suauitatis: vt Mombasium & vinaciolam potius velim assumere, quam vina potentia insuauia tamen, quanquam multi vinum rubrum flauo præponant. Defecatum igitur vinum dulcissimum atque odoratissimum, & quod non nisi multis annis senescat, ad opus hoc adhibeto.

Verùm vbi detraxeris aquam, & in ætherem ipsum iam conuerteris, diligenter cauere oportet, ne in auras euanescat. Id verò agit tam celeriter, vt mireris. Calor enim intus seruatus motu aëris coadiuuante, tam subtilem atque elaboratam substantiam, statim in aërem atque vaporem resoluit: & quod deterius est, semper pars melior ac preciosior promptius euanescit. Ob id solent artifices vitro eum seruare. Occludere autem vas subere atque cera, mihi hoc neque tutum videtur, neque vtile, nam cera odorem remittere solet, & liquorem coinquinare, præsertim quæ resinæ fuerit coniuncta: suber autem non prohibet quin euanescat. Vtrùm verò vitrum etiam aliquid exhalare permittat, dubitatione dignum est. Videntur enim omnia mortalia corpora peruia, quandoquidem frangantur, vt Aristoteles sentit: non tamen omnia remittere humorem, quod oscula illa parua, quæ Græci πόρους vocant, non tam lata sint vt humorem concipiant, nec inter se conuiuentia. Indicio est quòd aër non exeat, multo minus liquor vllus, quem palàm est, quantumcunque sit tenuis, aëre tamen crassiorem esse. Vtrum verò vitrum, auro densius sit, si ea ratio attendenda est Aristotelis, quòd quæ franguntur ob meatus frangantur, aurum densius vitro fateri oportet, at non ob id seruandus æther potius in auro, quod densius, sit, sed quoniam difficilius frangitur & aptatur melius, & boni aliquid medicamento præsertim tam tenuis substantiæ adiicit, nam quòd non frangatur vitrum ob poros, ita demonstrare licet. Sit vitrum quod frangatur, per a b c. inanes partes, hæ igitur aut inuicem conuiuent absque medio atque sic totum erit inane: aut media quædam sunt, vt d & e quæ vel solida sunt, aut inania & vacua: si vacua, adhuc erunt quædam media, quæ si solida sunt, nonne in primis consistere poteramus? in quibus seu consistamus, seu in aliis, par ratio est, solidum enim frangi conuincitur, ne igitur solida ex vacuis infinitis constare fateamur melius est dicere, ipsa frangi. Sed Aristoteles non cur frangeretur, sed cur facilius frãgerentur edocuit, at franguntur propriè ob tenuitatem, omnia autem plena poris, pro ratione quantitatis, tenuia esse necesse est. Indicio etiam est frangi quæ tenuia sunt & plena poris: quod leuia plerunque facile, grauia autem tum in eodem genere, tum etiam in diuersis, difficulter franguntur. Quod si pumex aut arundo non facilè franguntur, quoniam crassa sunt, id euenit, totum enim vt dici solet, transuersum considerari debet. De lentis autem & contumacibus alia ratio est. Nunc igitur id nobis sat erit aurum aut minus poris esse plenum, aut qua parte solidum est densius esse: nam quod vitro grauius sit, nemo dubitat. Ob hæc ergo auro æther seruandus est, qui non possunt vitro, atque eadem esse debet ratio omnium preciosissimorum liquorum. Si igitur auro seruetur, os occludi debet embolo masculo in cochleæ formam fabricato, sic vt multiplicibus spiris ob longitudinem, ac strictim metalli natura, ob molliciem & leuitatem hoc admittente, inseratur. Adiuuat hanc conseruationem ipsa etiam vasis frigiditatis maior quam in vitro, qua etiam admonemur vt vas ipsum in frigidiore loculamento reponatur, qualis arca est è marmore maximè ophyte aut porphyrite. Quod si appositè conueniant embolus canali, nullo liquore aut glutine rima vt obducatur, indigebit: aliter cera candidissima, & sine resina vel admodum pauca obturare decet, etiam rimam. Estque hic modus etiam vitreæ pyxidi occludendæ vtilis, verum non subere, sed serico tomento pleno, aut salicis ligno, maximè Græcæ, quod sequacius est, stipabis.

Verùm postquam de auri natura sermonem habuimus, præstat hoc etiam addere, quod ad illius liquefacti naturam attinet, (quanquam parerga forsan) an scilicet potabile reddi possit. Videtur autem natura imbui posse: caro gallinarum consumitur enim in earum ventriculo, at forsan non nutrit, aut vincitur: vtroque modo aqua detracta aurum non continebit, in stercore autem peregrina qualitas maiorem vtilitate offensam pariet, an igitur melius erit vesci carnibus pullorum, qui auro nutriti sint? certè melius

melius non tamen euidens bonum. At si per artis auxilium aurum colliquetur, non sat esse videntur: nam præter id quod erodentibus comminuitur, dum etiam illa exhalant, rursus in corpus, luto simile, vertitur, nec absque ratione, metalla enim (vt aliàs docuimus) aquea & terrea parte constant. Videtur igitur, dum solum est metallum, pulueri cuidam aquæ tenaci immixto simile esse. Quamobrem nulli vsui est, seu integrum, seu liquefactum atque solutum, maior enim vis esse videtur liquefacto, si substantia maneat, quam vt à calore humano euinci possit: sin autem corrumpatur, non erit amplius aurum, nec vis illi inerit. Itaque nec facilè est credere, vt mellis æthere dissoluatur: nec si dissolueretur, ab humano ventriculo aut iecore euinci posset. Quod si contingat, valde paruam portionem esse necesse est. Ea enim est auri liquefacti tenacitas, id robur, vt non magis quàm cum congelatum est, solui possit. In vniuersum autem vel corrumpitur, atque sic vis haud manet: aut manet substantia, quæ euinci minimè potest. Verum quod propius accedere ad scopum creditur, vinum est in quo aurum candens quinquagesies extinctum sit.

Sed postquam mellis mentionem fecimus, de illo, tum etiam de manna, quæ mel est rosidum & aëreum, dicendum est. Igitur mel crudum excipitur, & à sordibus colatum repurgatur, indéque immissis lapillis, destillatur: post circulatione ad ætheris naturam reducenda est aqua illa. Ferunt cum deducta fuerit ad perfectionem, fragare odore germinum pruni. Vt vt res se habeat, ad vlcera purganda, ad crassos humores in pulmonibus contentos nil melius esse existimatur atque id iure. Confert & ad vitam producendam. Generalis enim ratio vna est, ad ea valere æther vniuscuiusque rei, ad quæ etiam ipsa res ex qua detrahitur, vtilis est, sed & multò magis. Quam ob causam chelidoniæ æther ad pestem arcendam, tum etiam sanandam præstantissimum est, idem in penetrando ad cor primas obtinet partes: quo fit vt morientes aliquot horas, si quid aliud, reminisci faciat, dissoluit etiam pituitam omnem. Cæterum excalefacit non parum: sed hæc caliditas vix nocet, quoniam in substantia est tenuissima, exemplo ignis qui ex aqua ardente accenditur. Est autem ignis quidam hic æther, quia non totus, vt è vino excipitur, sed inuicem separantur elementa. Separantur aut sepultura in fimo & calce: calx autem infra ponitur, & triginta diebus herba cum radice contrita putrescit, declaratum est enim in libris de Subtilitate, calorem putridum igni proximum esse: quo fit vt hac præparatione exacuetur. Inde destillatur, ac rursus reponitur per xv. dies, deinde denuò destillatur separatis inuicem partibus. Sunt autem qui ex succo potius aquam, inde ætherem excipiant.

Commune verò est omni ætheris generi, vt circulatione fœculentum aliquid & aqueum relinquat, quod in fundo manet, hoc detrahere oportunum est: nam vix si relinquatur aqua, in ætherem verti poterit. Detrahi igitur solet inuerso vase, quod non probo: nam & ætheris pars necessariò abiicitur, & pars fœcis relinquitur: & quod iam separatum erat denuò confunditur. Quod etsi vas ab initio inuerteris, adhuc detractio hæc non tuta est: quoniam in exitu fit motus vehemens, qui partes iam separatas confundit. Alij destillant rursus, æther enim primum ascendit: sed neque hoc vtile est, nam multis modis peccatur, pars enim ætheris & melior perit: quod verò ascendit torretur, atque cum fæce miscetur. Melius igitur ex omnibus, est vt fracto vase, concussa aqua, cum vitreo vel aureo cochleari sensim auferatur vsque ad fæces: qui modus etiam in separandis aliis liquoribus optimus est. Antequam verò vas frangatur, permittendum est vt tribus diebus refrigeretur, seu separare fæces, seu seruare liquorem velis. Ex hoc ergo alia ratio exoritur, scilicet quonam pacto claudere oporteat vas: nam luto quidam, alij cera illud occludunt, sed postquam frangere illud in separatione oportet, nullus modus purior aut syncerior sigillo, quòd Hermetis appellatur, fit autem hoc modo: indita materia tegitur, foramen linteo denso lineo aut ligno occluditur, os inde ex superiore parte ignis in lamina ferrea in medio perforata, circumponitur, sensim tum demittendo, tum prunas applicando, tam diuque incalescit vitrum donec rubescat: post forcipe circumuertitur, adeò vt optimè claudatur, educto tamen prius ligno. Vel imponatur vitri candentis frustum, detracto (vt prius dixi) operculo, sic vt non respiret omnino, id deprehendes tum oculo, si magna parte coëant latera: tum & inspirando, si aqua penitus non mouetur. Alius autem modus est, vt pileo imposito concludantur ora inuicem, luto sapientiæ appellato. Hinc exoritur ratio vasis, quo circulationem facere oportet: nam quidam ciconiis mutuis, alij pileo vasi superimposito, plerique vas Pellicanum vocatum, seu Hermetis præponunt: sed postquam & perfringere nonnunquam plura consilium est, & vitro claudere, nihil melius rostratis cucurbitis est, harum autem formam à latere depingi. Nullum etenim operculum purum in tanta re, & quod nil remittat, præter vitrum & aurum esse duco, quod si modo illud fingas, inditis tubis, inuicem luto consolidabis. Præstat autem omnibus commune esse hoc auxilium, quam paucis: & qualecumque habere, quam omnino non habere. Sed de huiusmodi rebus ac cura earum alibi dictum est, nunc historiam prosequamur. Post mel est manna, cuius æther, vt à melle excipitur, diuiditur, tamen vt Chelidoniæ herbæ, nec huius, vt mitioris medicamenti vsum aliquem insignem, noui: sed vt pleraque preciosiora, quo cariora, Ouorum autem & sanguinis, tum humani tum suilli, ciconiæ & canum, æther magnam ad restaurandum corpora & vires tabescentium vim habet. Experta est à

me aqua longè inferior eo, & tamen vtilis valde. Existimo & sanguinis testudinum & carnium viperarum valde vtilem fore. Sed viperarum ad elephantiasim & Indicum morbum: testudinum ad cacoethem & tabescentes: ciconia ad venena tum etiam canis idem ad carcinomata vtile est, non tamen sanare potest, nisi non valde exesa. Suillum restaurat corpus, & ad eadem valet, ad quæ humanum, repurgat enim proprietate quadam sanguinem. Sic & ouorum nutrit, dolores sedat. Meminisse autem in omnibus decet semper eam partem eligendam in singulis, quæ proposito & proprietati rei maximè congruit: velut in chelidonia ignem, in sanguine suillo & ouis aërem, aëris enim parte nutrimur, velut & ex violæ & nimpheæ floribus aqua, sola enim hac parte hæc vtilia esse videntur, aut maximè. Ex viperarum ergo carnibus terream & aëream partem cum ignea côiungere oportet, terra enim ignea vim exacuit. Vnde fit ex ardente aqua genus quoddam simile aquæ separationis: sæpius enim destillata, deinde fœcibus etiam destillatis, quodque terreum est exusto ac commixto aquæ ardenti denuóque post præparationem fimi destillando, ac rursus exustis fœcibus, aquáque parte quæ in imo est secreta, iterúmque coniunctis destillatisque, tandem aqua acerrima & quæ parum ab aqua separationis degenerat, excipitur. Hac sperant aurum posse liquefacere, quòd etsi contingeret propter ea quæ dicta sunt, adhuc nihil fermè actum esset: nam epotum illud aurum non subigeretur, ad margaritas tamen colliquandas & corallas forsan sufficeret, horum enim possibilis est dissolutio, & in dissolutione corrupti. Omnia enim quæ sic soluuntur, corrumpuntur, non parum tamen refert quibus dissoluantur aut corrumpantur: velut aqua ardens innoxia est, tametsi dissoluantur in ea margaritæ aut coralli. Fœx tamen propria præter id quòd magis innoxia sit, magis etiam adiuuat ad dissolutionem propter sympathiam, vt alias de lapide qui ex humano sanguine conficitur, dictum est, melius enim coniungitur miscetúrque tum corpore tum viribus ei cui ab initio vnumquodque coniunctum fuit, similéque primigenio gignere aptius est, quàm si omnino alienæ rei & cum qua familiaritatem non habuerit societur. Sed aqua hæc tamen ad multa vtilis & efficacissima, præsertim dentibus, & depascentibus oris vlceribus tum pudendorum.

Quæ igitur metallica sunt, vt stibium aut plumbum, duplici ratione destillantur, vna quidem vt dixi sicco adiuncto corpore, vt calce, arena, lateribus, cinere, atque eo modo in oleum transeunt, sed exustum & à primigena natura alienum: altera verò talis est vt ad ætheris naturam fermè transeant. Sub fimo in aceto acerrimo contrita tenuiter sepeliuntur ad aliquot dies: post sublato aceto aliud superinfunditur sepeliunturque: inde hoc detracto rursus ac coniuncto priori, aliud additur eidem materiæ: atque id toties repetitur donec acetum ex coniunctione metallici colorem mutare desierit, tum demum totum acetum destillatur, ut quòd relinquitur, liquori simile pro materia ætheris habendum est. Hoc igitur circulatione perficitur, sed tamen maiore vi caloris quod verùm æther indiget, neque enim metallica substantia adeo rara esse potest, vt tam facilè ascendat. Itaque vbi bis aut ter defecaueris hunc liquorem, ætheris substantiam habebis: intus etiam quandoque vtilem ad insanabilia vlcera velut gulæ pulmonisque, modò neque recondita sit admodum, sed iuxta asperam arteriam, neque præter vleus vomicam habeat: nam talia si quis rectè perpendat, aut Galeni sententiam, aut curandorum abcessuum & vlcerum simul rationem intelligit esse prorsus insanabilia. Porro ad omnia externa vlcera, quod ex stibio conficitur, incomparabile omnino est. Potest autem hoc genus ætheri, imo & quodcunque aliud, & præcipuè primum bifariàm etiam aliis iungi medicamentis: vel vt illorum vires adtrahat, vel vt illis copulatum ea corroboret, adiuuet, & penetrare faciat. Retundit præterea prauitatem medicamentorum ipsum æther alterutro modo commixtum ipsis, celerémque & efficaciorem illorum operam reddit. Iam vero multa sunt huiusmodi varia ascitu digna, velut & illud, quoniam pacto ex vino nouo aqua ardens cucurbita detrahatur, dum enim sponte feruet ea, superposita destillatur aqua, sed non optima, verum inutilis fermè & odore atque sapore carens, tum vero de modo ætherem faciendi dicere superest: at hoc in libro de Secretis cum docuerimus, finem huic tractationi imponemus. De Aqua igitur & Æthere satis dictum sit. Nunc ad alia transeamus.

Libri de Aqua & Æthere, Finis.



LIBER VNICVS,
DE ACETI NATVRA IVXTA MATERIAM.

Quomodo fiat Acetum.

FIT Acetum ex putrefacto vino maximè potenti, impositâ quadam materiâ per triduum pendente in eo; quo tempore ex turbido redditur clarum, ex malè odorato & praui Saporis, optimi Saporis & odoris, adeò vt non multum à boni vini qualitatibus recedat. Modus alius: Coquitur vinum corruptum vt decrescat tertiâ parte; Inde conditur sale aut rebus acribus & tegitur; Inde elutriatur, & transit in naturam mediam quandam Aceti & vini. Tam primo modo quam secundo, breui postmodùm transit in Acetum & acerrimum est: Ad quod adiuuat Sol si in eius radiis ponatur; & vas Aceti naturâ, sapore scilicet & odore imbutum. Vinum quoque omnis vitij expers, per se dum euanescit in Acetum transit. Quæritur ergo, an Acetum factum ex vino corrupto, noxium sit humano corpori: In qua quæstione videndum est primò quomodo vinum transeat in Acetum; & an transitus incorrupti vini possit esse per aliam viam quàm per corruptionem. Hoc autem præsupponit vt sciamus & naturam Aceti in quo differat à substantiâ vini. Deinde oportet videre, an transitus hic sit naturalis, an artificiosus?

Quæstio an Acetum ex corrupto vino noxium.

Acetum siccius vino.

Circa primum, dubium non est quin Acetum, non sit siccius vino; tum quia videmus quod exsiccat magis ac mordet, quàm vinum; astringit etiam: sed hoc ad frigiditatem referri potest. Secundò quia partes humidæ sunt resolutæ & maximè, à calore putrido, cuius proprium est exsiccare, vt in quarto Metheororum. Dico etiam quòd est frigidius vino scilicet potenti; tum quia magis sedat sitim quam vinum; & est vtile in pluribus Erysipelatosis dispositionibus, quibus nullo modo vinum vtiliter applicari potest; tum quia est acidi saporis: acida autem manifestè frigida sunt. Demùm quia calor exhalauit ex vino dum transiuit in Acetum per putredinem vt visum est ex Philosopho. Sed est etiam illud argumentum quòd lædit neruos; & quòd ex vino valde debili, non potest fieri Acetum insigne, quia non potest magis refrigerari, quod necesse est ad hoc vt in Acetum conuertatur. Dico tertiò quòd est tenuioris substantiæ quàm vinum: nam vinum minùs penetrat, cùm sit tamen calidius; igitur ratione substantiæ.

Cap. 1. & 2.

Aceti proprietates.

Cum hôc igitur quod dictum est, (& est ex Galeni sententiâ totum) sunt duo alia, scilicet quòd Acetum habet non paucas partes calidas & alias etiam crassas: inquit enim in primo de Simplic. Medicament. Acetum habet partem tenuē quæ frigida est & fæcem quæ crassa est & calida, sicut etiam in lacte pars tenuior & serosa frigida est; butyrosa autem est crassa, calida est: Et hoc est contra rationem: quia calidum attenuat; & frigidum cogit & incrassat: Quintò enim de generatione animalium cùm calor & frigus indurare possint, consumpto humido aut euaporato; calor tamen laxat, & rariora facit; frigus autem densat. Et trigesima quarta Problematum, calor cuncta ab initio laxat, & spiritum ex humdis ducit, diffundit, ac tumefacit. Galenus autem quinto de Simplicibus Medicamentis. Frigidum aqueum incrassat cogit, contrahit & constringit. Et secundo in sextum de morbis vulgaribus. Calidum tepefaciens dilatat & rarefacit; frigidum cogit & astringit: Sed de hoc aliàs. Vt ad propositum ergo redeamus, quærendum est etiam aliud, scilicet, an Acetum sic factum possit dici artefactum. *Quæ enim fiunt quadrifariam fiunt*, vel à principio interno; cúmque id contingat dupliciter fieri, aut quod cognoscat, & tunc dicitur voluntarium, vel cuius cognitio sit extra quod agit intus, & naturale, vt primo naturalium, à nobis declaratum est: Ita si ab externo principio fiant, vel vt cognoscit, & ita est casus. Velut ergo idem (vt de spuma canis in Protogene, equi in Nealce.) fieri, quanquam raro, & naturâ & arte potest, eo quòd eadem licet non sint, eodem tamen modo, scilicet ab externo principio procedunt, nec repugnant inuicem: at idem fieri à voluntate & natura repugnat, cum principium non eodem modo agat: à voluntate enim fortuitò fit, quia Naturam mouet ad operationem; quod autem à natura est citra cognitionem fit; ob id hæc nunquam, illa aliquando coincidere possunt. Quamobrem non hæc quantum necesse est simpliciter, sed huic negotio dumtaxat dicta sint. Igitur permiscentur, hæc agentium genera; scamnum enim facit ars & nullo modo secundum naturam: at qui pulsat cytharam, alio modo; non enim prorsus secundùm artem, sed sonum secundùm naturam facit tacta fides, magis etiam medicus

Cap. 17.

Cap. 30.

Cap. 26.

dicus sanationem arte atque naturâ, & qui serit frumentum, principium habet ab arte; vt qui arauit agrum, & sparsit semina; natura tamen frumentum, non ars ipsa producit. Et qui ex arte asinum equæ coniungit vt mulum procreet, hoc ex arte facit: Natura tamen ipsa est quæ mulum procreat. Ergo vt ad propositum deueniam, Acetum quod fit immisso eo globo in ipsum est arte factum, quasi principio admouente agentia passis, si tamen casu etiam contingat idem eueniet. Quæcumque igitur fiunt natura, (fiunt autem bifariàm, aut generatione vt homo, aut corruptione; atque ex his tertius est modus, velut cum ex pomo fit vermis, vtroque scilicet modo corruptione pomi, generatione autem animalis) fiunt admotis patientibus ad agentia, aut agentibus ad patientia, aut vtrisque simul: velut in plerisque auium generibus ad concubitum. Ad hæc admonitio quadrifariàm contingere potest, vel à naturâ, vt cum Persici arbor alimentum trahit: vel casu, vt cum feræ ad aquas in Africa conueniunt: vel arte; vt cum Equisones, equos ad equas ducunt: vel voluntate vt cum homines eunt ad amatas. Cum verò animalia cætera conueniunt vocibus, non id ad voluntatem, sed appetitum est referendum; siquidem voluntas solùm est hominum aut mulierum: In belluis autẽ & cæteris animalibus est appetitus; & hic naturalis: Nam cæteræ animæ, præter rationalem ad naturam pertinent, vt in tertio naturalium declarauimus. Ergo hæc Aceti transmutatio naturalis est; Iuxta autem Principium, dici debet artificiosa, aut saltem potest.

Quærendum est igitur de Aceti propria generatione, seu vt verius dicam è vino transmutatione calefacere indicauit Aristoteles trigesimatertia Problematum, quòd singulum tollat. Sed vt Propiùs accedamus. *Acetum fit putrefacto vino atque corrupto.* Et in id omnes consentiunt, tum verò experimentum id docet, & ratio ipsa subscribit, cum mutet colorem, magisque odorem, longè autem magis saporem. Quocirca dubium non est corruptione vini transire in Acetũ. Sed esse aliud corruptionis genus, haud dubium est, quàm quæ est in perturbatione; quinimo vinum corruptum ægrè transit in Acetum. Et cum transit vt ab initio dictum est, iam primùm redit ad vini integri similitudinem. Ex quo coniectari licet, *vini esse duas corruptiones*; vnam in qua exhalat quod corrumpitur, remanet quod corruptum est (differunt enim adeo hæc vt quod corruptum est & putrefactum, amplius neque corrumpi, neque putrefieri possit) & hinc fit Acetum. Indicio est quod primùm vina generosa maxime in Acetum transeant; imbecillia, non. Et quod omne vinum quantumvis integrum, soli expositum aut in loco calido retentum transit in Acetum. *A calore enim externo primùm putrescit*, & quidquid est tenue id est dulcis pars atque vinosa euanescit: reliquum aduritur & in Acetum transit; Quomodo autem postea. Solum restat dubitatio, quoniam sic omne vinum putridum excoctum, deberet

Vini duæ corruptiones.

transire in Acetum. Et certè transit. Sed si sine mora euaporat etiam quod adustum est; quoniam verò calor separat heterogenea seu dissimilia secundo de generatione & corruptione, ob id dicimus in Aceto duas fieri partes, quarum vna terrea fit & aduritur, alia aquea, quæ quia non recipit impressionem, ideo fœx Aceti calida est, Acetum autem & eius aquea pars ac tenuis frigida sunt. Ob id igitur semper cum manent necesse est in his quæ aduruntur, crassam partem fieri calidiorem, quia neque euaporauit, neque relicta recipere potuit impressionem; fuisset enim in vaporem, conuersa. *Quæ igitur terrea distillantur omnia transeunt in naturam veneni*, quoniam quod transiit (vt hydrargyrum, aqua separationis, auripigmentum album seu dealbatum, quod Arsenicum vocant) exustum est: Duplici argumento, & signi, quia aliter non potuisset ascẽdere nisi supercalefactum: & causæ; quoniam terreum ab igne aduritur, impressione facta. Igitur Aceti generatio eiusmodi est.

Aceti duæ partes.

Merito igitur quæsitum est, an quod ex vino iamdiu putrefacto fit, seu medicamento, seu igne, seu casu, noxium sit humanis corporibus? Videtur autem quod sic: quoniam materiæ diuersæ, diuersas formas sibi exigunt, octauo primæ Philosophiæ; & paulo post, proponere videtur quatuor quæstiones seu mauis duas; Nam prima & secunda sunt; an ex eadem materia contingat fieri diuersa, & an diuersorum materia semper diuersa sit? Tertia & quarta an ex diuersis materiis idem possit generari; & an quæ eadem sunt, eandem habeant materiam? Respondet igitur ad primam, quod non contingit ex eadem materia fieri diuersa: diuersorum enim materia diuersa est. Ad secundam, quòd quandoque ex diuersis materiis fit vnum secundum formam vt lectus ex ligno & ære; hoc autem in artificialibus: Nam æs & lignum sunt diuersæ naturæ & facultatis. Et hoc etiam probatur à Commentatore octauo Physicorum duabus rationibus: Quoniam vel idem fiet semper, vel in maiore parte, vel minore, vt equus è putrida materia. Si semper: Igitur perit assumptum, quia non ex semine vnquam. sæpius & non semper: & hoc videmus non esse verum; equi enim plerique ex equis generantur. Aut in minore parte, id est raro; & contra hanc responsionem adducit tres rationes: quarum prima est quia primùm casus & natura sunt contraria; ergo idem non potest fieri vtroque modo. Secunda, quia non est comparatio necessaria causarum & effectuum propriorum; & ita oporteret tollere omnes effectus proprios; aut causarum. Et etiam quia quod fit à casu, fit ob id, quòd causa illa aliud voluit facere & fuit impedita: & ita homo posset etiam generari ex semine equi; imò talia quæ sic generantur, sunt monstrosa. Ergo diuersarum materierum diuersi sunt effectus, formæ, & operationes. Secunda ratio est, quoniam materiæ essent otiosæ: si ex diuersis idem posset ganerari; idem docet quarto cœli, vbi docet quòd materiæ & formæ sunt reciprocæ. Secundò quia vinum

Cap. 2.

Cap. 4.

corruptum

corruptum vt dixi vt in quo adhuc putredo manet: Sed putredo vini dum transit in Acetum est exustio, nil manente ex eo quod putrescit: quod autem putrescit, potest corrumpere totum corpus, quod autem putrefactum est, non potest hoc facere: Igitur Acetum ex vino corrupto poterit nocere ratione putredinis. Tertiò quia putredo longa & diuturna corrumpit totam substantiam: noua non potest inuadere totam substantiam, & etiam quia putredo longa est deterior, quia videmus sepulchra quæ sunt aperta, cum longo tempore occlusa manserint, aliquando pertem accendere posse, in tota vna regione; eos verò qui aperuerunt statim mortuos. Igitur diuturna putredo specie differt à recenti. Quare Acetum ex vino putrido erit noxium & nocentius facto, ex vino bono. Vltimum est, quod quæ putrefacta sunt, non amplius redeunt, vt secunda Aphorismorum, vbi propriè de vinis acescentibus ab initio, & perfectè acidis factis agit. Cum enim vinum putrefactum perfectè fuerit, numquam ad sanam redibit substantiam. In oppositum est experimentum. Ratio & authoritas, quæ cum simul in vnum conueniunt perfectam fidem facere solent. Nam nemo inuentus est, qui læsus sit ab Aceto facto ex vino putrido; neque etiam huius differentiæ meminerunt authores: quamvis dubium non sit Acetum fieri ex vino corrupto, notum fuisse antiquis. Si quis dicat ignotum quod ex bono: neque hoc ex suprascripta authoritate, sed forsan adducentur duo loci ex Galeno, vbi videtur & authoritate premere hoc fundamentum & ratione. Nam dicit primùm in secundo de alimentis: *Citri succus acris in Acetum iniectus, illud acrius reddit.* Quo concesso, si acrior, igitur maiorem noxam affert in quibusdam, alios magis iuuabit. Simili ratione, vinum iamdiu putrefactum dum transierit in Acetum, aliam vim habebit: nam alterius erit saporis & odoris: igitur magis alio nocebit. Altera authoritas habetur tertio de medicamentis secundùm genera, cuius verba sunt. *Hoc igitur ex Aceto facere quàm acerrimo excogitaui, præsertim quod ex vino non austero confectum est, (ac si ex tali non sit, sed admodum vetus) eo vtitor; attende tamen diligenter in gustu, ne tibi vel minimam vini qualitatem referre videatur; tale quippe Acetum validam exedendi, secandique vicina, potestatem non habet.* Is autem est sensus, quod Acetum vini qualitatem retinens (non quod non retinens) validam exedendi, secandique vim non habet: scilicet quasi medium inter vinum atque Acetum. Quod verò dixit. *Ac si ex tali non sit, sed admodum vetus* Id est vt non solùm austerum minimè sit, sed etiam vetus oportet vt sit, tum eo vtitor. Alius sensus est, quòd etsi austerum sit, modò vetus, eo vtendum sit. Hæc expositio verbis illius magis conuenit, prima autem rei & vsui melior, cum vtrumque comprehendat. Si igitur tantum refert ex quo fiat; veteri, vel nouo; austero, aut non: quanto magis iuxta illud Horatij;

Comm. 17. in fine.

Cap. 37.

Cap. 3. in principio.

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diu.

Verùm authoritas ipsa adducta nos docet, cum aliquid seruatur, prioris formæ, tum noxium esse Acetum, quod ex putrido vino factum sit. Secus, vt dixi optimum est & alio præstantius, modo sit vsus ad opportuna. Sunt igitur vires illius calefacere, & magis refrigerare, siccare autem in tertió ordine, maxime si potens, octauo de simplicib. Medicamentis. *Vinum, Acetum, casceus, Butyrum, oleum, & mel fiunt vetustate, calidiora, acriora, atque tenuiora.* Neque est purè acidum sic enim esset solùm frigidum, quoniam quatenus est frigidum, eatenus frigidum est: sed vt acre, ita calidum est, *Quarto de simplicibus Medicamentis.* Est tamen Acetum frigidius omphacio, tametsi omphacium calidis partibus careat, quia etiam acribus. Idque ei contingit, quòd Acetum tenuioris substantiæ sit omphacio. Imò dicit, Acetum frigidius est, quàm sit mel calidum. Et ipsum primò penetrare facit substantiam tenuem, qua refrigerat, sed prius dum calor penetrat, ipse excalefacit (quoniam vero substantia crassa, in qua est, non penetrare potest sed solus calor, ideò primùm excalefacit, & breui inde refrigerat stabili refrigeratione, atque maiore quàm calefacerit) vt tamen sit frigidius quàm calidum. Quomodo autem vinum in Acetum transeat tertio de medicamentorum compositione secundùm genera capite quinto scribit. Circa quod animaduertendum, quod ex authoritate Aristotelis & Theophrasti docet, quòd vinum dum vertitur in Acetum, exuit naturalem calorem & induit ascititium ex putredine aqueæ substantiæ, & dat exemplum, quod prima fronte videtur absurdum, de lixiuio & cinere, ita fæx vini aduritur, & licet illa non vtamur, partes tamen tenuiores in dies cum *aquea miscentur; atque ita Acetum etiam excalefacit*; Quo fit vt emplastrum ex Aceti fæce ambustis plurimum conferat, quoniam siccat potenter, & excalefacit summa, & attrahit interna refrigerando. Et de his etiam agit pòst. Concluditur ex his, quòd datur substantia tenuis exquisitè & frigida, (quod à Galeno quasi diuinando dictum est) & est succus Limonij fructus. Sunt igitur iam vires Aceti declaratæ quinque, *Calefacere*, *Refrigerare* magis, ac magis multo *Siccare*, *exedere*, ac *dissecare*; Sexta erit, *putredini resistere.* Vnde tempore pestis eo maximè vtimur, intus, extra & in suffitibus. Quod si quis obiiciat ex secundo de compositione Medicamentorum secundùm locos, Acetum acerrimum habere aliquam caliditatem: quasi dicat, nullam esse in non acerrimo: Respondebimus de euidenti, seu exuberanti: dicimus enim multis modis, frigidam substantiam excalefacere; aut quia aliquid habet caloris licet vincatur: aut quia euidenter excalefaciat; aut quia calor frigus exuperet: aut quia sit calidissimum. De Aceto autem acerrimo intelligitur secundo modo; de non acerrimo, primo.

Capite proprio.

Cap. 12.

Primo de simpl. med. cap. 27.

Septima vtilitas habetur, exteriùs applicatum lieni: eo quod careat ligamentis ac tendonibus, aliàs periculosum: habet etiam familiaritatem cum illo. Vide quatuordecimo Artis curandi cap. quinto. Vbi autem sunt membra sensus subtilioris, nocere potest plurimum. At penetrat, & adeo subtilis substantiæ est vt magis per vestes diffluat atque spargatur, vt in primo de simplicibus medicamentis dicit Galenus cap. 20.

Duas alias facultates adiicit idem, secundo de compositione Medicamentorum secundùm locos, scilicet quod repellat & discutiat, quæ sunt quasi contraria, sed nimirum cum sit ex contrariis substantiis compositum. In his igitur omnibus facultatibus dico præcellere & melius esse Acetum ex vino corrupto dumtaxat, exceptis tribus casibus, de quibus præterquam de primo nulla potest poni regula: Nam si non sit plenè repurgatum à putredine, procul dubio erit deterius. Secundò si detur quibus non conuenit; quoniam quanto potentius, eo magis lædet, vt quia acidius & acrius, velut sunt Aceti quædam species quæ ferri non possunt. Tertium est incertum & adhuc sub indice: vbi substantia iam perierit, ita vt Aceti qualitates, velut acidus & acris sapor & odor non possint induci; tunc enim erit inferior eo, quod ex integro vinum factum fuerit.

Ostendo autem id rationibus manifestis, primùm quia calor putribus vt dictum est, separat maximè substantiam vt visum est: sed Aceti forma est vt tenue optimè à crasso separetur: igitur Acetum ex huiusmodi vino putrido, optimum erit. Secundo quia in eo quod putrefactum est, dissolutæ sunt magis partes vinosæ: Ergo à calore reducetur ad meliorem formam, & puriorem Aceti; cùm partes Aceto implicitæ scilicet austerum & dulce, suaue & pingue, etiam melius sint resolutæ. Tertio, quoniam cum aliquid reducitur ad aliquam formam, quâ agit; quod perfectè reducitur, etiam perfectè eas operationes agit: velut si forma scamni est causa sedendi commodè; illud quod meliùs redigetur ad eam formam & perfectè, etiam perfectè inseruiet illi operationi: Sed Acetum habet formam ex resolutione partium vinosarum per calorem externum, ergo quomodocumque redigatur perfectè ad illam formam, erit perfectum Acetum. Præterea in illa transmutatione per medicamentum transit ad formam vini probati, ergo perinde est, ac si ex illo factum esset.

Sed & aliud considerandum est, circa has transmutationes; quoniam vt diximus, neque hæc simpliciter corruptio est, multo minus generatio. Propterea tres sunt modi transmutationum, iuxta tria agentia: Nam calor naturalis, non transmutat verè, sed aut generat, aut alit vt in id quod præest fiat commutatio: At reliqua quæ transmutant sunt calor igneus, & putridus, & frigidus. Calor autem igneus, cum remissior fuerit, vt solis, ex reflexione, corrumpit & putrefacit; sed per se amburit & separat tenue à crasso, & partes dissimiles, secundum Philosophum, vt dictum est. Sed videmus vt in cinnabari factitio, quòd etiam miscet, vtpote hydrargyro sulphur: Hoc autem facit, quia transire non possunt, sed vbi separari possent (& etiam motûs auxilio miscet vnum alteri) euanescerent partes tenues. Dicimus ergo quòd attenuando miscet auxilio motus: vt calor sit causa maioris mistionis & perfectionis, quoniam si partes partibus miscentur. Igitur in putrido calore quærendum esset, quomodo possit generare animal? Nam si generat; igitur illa generatio est præter naturam. Et etiam quia separat; generatio autem fit per mistionem: Sin autem, quod verisimilius est, peracta separatione, calor nouus naturalis inducitur; ille poterit esse causa generationis; Et ideo in Aceto aliquando vermes generantur, & tunc significat, perfectam iam esse putredinem, & nouam formam inductam. Constat ergo generationem Aceti esse mediam, inter eam quæ fit à putrido calore & ab igneo; & ob id ab igneo exacuitur & fit acris: à putrido autem, quando horribilis sapor abest, acidus. Quamobrem acidus sapor semper est frigiditatis signum: à calore autem igneo, prohibetur putredo; & ob id, Acetum non male olet, & cum malè olet, non est Acetum. Dico ergo quòd cùm ex putrido vino fit Acetum, illud indiget maiore calore, vt putredo maior resoluatur; ergo Acetum ex vino putrido, vbi ad perfectionem venerit, calidius est Aceto, ex vino integro. Quæ autem à frigore congelantur, acida aut insipida euadunt, insipida quidem cum prorsus putredine caruerint; acida autem cum putredinis aliquis modus adiungitur. De insipido obscura ratio non est, Acidi autem causa est, quia sicut acris mordet linguam diuellendo; ita acidus constringendo: Cum ergo in tenui substantia tantum frigus viguerit vt vellicet linguam, fit acidus sapor, & ideo acidus sapor, fit à congelatione.

Vltimò videndum, quomodo ex corruptione fieri possit res vtilis naturæ. Auenzoar dixit Acetum esse adeo inimicum naturæ humanæ & præsertim ventriculo, vt nisi obstaret consuetudo, non posset ferri; atque indicio esse, quòd vtero, qui ei non assueuerit, sit prorsus intolerabilis. Quædam etiam ex putredine facta conueniunt, & sunt loco generosi medicamenti, velut id quod fit ex vrina hircorum putrefactâ ad Elephantiasim, Tertia quarti, tractatu tertio, capite tertio, & vocatur Aliclaha; Et transmutatio lactis, de qua in Tertio de alimentis, capite decimosexto, in oxygalac; & mespyla atque sorba, dum in palea tritici maturescunt; Et quartum exemplum est de oleo sulphuris & tartari, quæ adeò distant ab his, à quibus extrahuntur, sapore, colore, odoréque. Quintum est, de Elyxir vocato liquore, cuius materia, diu computrescit, sub fimo equino, atque inde, extrahitur vi ignis. Sextum de vermibus terrenis, & Asellis, qui exhibentur tamen per os. Et huius similiter generis est vsus fungorum, atque item salis facti ex cineribus aut ex fimo: omnia enim habent originem transmu-

tationis à calore, non prorsus naturali. Omitto modo Scythas, qui oblectantur fimo equino & nos edimus qualeas, & ostrea ac limaces, & conchiliorum genus omne cum excrementis, quæ sunt corrupta in comparatione ad propriam naturam.

Ad obiecta ergo dicamus: ad vltimum, inquam, perfectè putrefacta redire nequeunt. Fateor; sed in aliud transmutantur genus substantiæ, velut diximus, & pluribus excrementis edocuimus experimentis; quod enim computruit omnino, veluti cinis, non vt res, quæ putrescit dum, & ideo eo reditu minimè indiget. Sed neque prorsus computruit impediente calore externo igneo, per quod quidquid putrescit exhalat; vt sit veluti dixi, operatio media, inter putredinem & consumptionem quæ fit ad ignem, quam non possumus appellare assationem, quia nihil est terreum siccum, sed humidum absque terreo; neque elixationem, cùm sit nihil terreum in illa, humido proportione respondens: Verumtamen respectu fœcis est propior elixationi quàm assationi.

Ad tertium putredo longa magis corrumpit substantiam & est deterior: verum est, vbi sit conclusa, & sine exhalatione: sed in huiusmodi, quantum putrescit, tantum exhalat, tum quia est in loco aperto, aut saltem non diligenter, neque exquisitè concluso; & certum est, quòd si quis omnino sic putrefaceret vina, transirent in venenum acutissimum; quod videtur manifestè in frumento sepulto vt seruetur, cùm aperto loco quod exhalat, confestim occidit eos, qui adsunt: Est enim deterior ille halitus, tum quia magis conclusus; tum quia subterraneus. Acetum autem contineri solet in doliis loco excelso, calidissima æstate, & soli expositum. Tertiò quia vinum (maximè quod in Acetum transire natum est) est calidius, siccius, & tenuius, quam triticum; tenuiora autem magis obnoxia sunt, calori igneo, & minus putrido: contrà crassa, putrido & minùs igneo. Ideo frumentum magis putrescit, vinum magis exuritur & exhalat.

Ad secundum, vinum dum putrescit, non est Acetum, & ideo rectè adiectum est, vt fiat putredo perfecta, & transeat in Acetum verè, & nihil retineat saporis prioris, neque putridi in facto ex putrido vino: neque vini simpliciter, in facto, ex bono vino. Nam Galenus negat, tale esse miscendum medicamentis externis; quanto minus, sumi debet per os. Et in hoc casu, & fuit prima exceptio, fateor quòd non debemus vti vino corrupto; & est deterius Acetum imperfectum ex illo, quam ex bono vino: neutrum tamen est vtile. Et casus est extra quæstionem.

Ad primum verò, cum dicitur, quod materia facit rem diuersam, & ita de vino, cui miscetur succus acris citrij pomi, de vino austero, aut non, de vino veteri, vel nouo, non subterfugio rem ipsam, neque cauillor, dico quod materiæ sunt diuersæ, & sunt etiam formæ diuersæ, & ita sapor & odor illorum erit diuersus. Tria tamen nego, primò non esse bonam comparationem, sed debet fieri inter simillima Aceti generat in odore atque sapore: nam facta Aceta ex vino integro, & ex longa putredine corrupto, erunt diuersi saporis & odoris, nec omnino comparatio sic fieri debet, sed similium in qualitatibus, vt vnum tamen sit ex corrupto vino eiusdem naturæ, aliud ex integro; Dico quòd erunt diuersa etiam quòd sint perfecta; & hæc est secunda exceptio. Cum verò adiicis, quod factum ex vino integro est; hæc omnia nego; imò dico, quòd vbi vnum sit ex eodem vino corrupto, ex quo alterum ex integro, modò potuerit transire ad perfectam, purámque Aceti naturam, quòd tametsi erunt diuersi saporis & odoris, vnum scilicet alio potentius; illud tamen quod erit ex vino corrupto, etiamsi fuisset putrefactum decem annis, non erit neque infirmius in iuuando, neque periculosius; multo minus, nocentius facto confestim ex vino integro, modò applicentur vtraque eisdem morbis, causis & naturis proportione respondentibus. Et tunc vera erit semper hæc regula, quod quanto Acetum erit Aceto calidius, erit & acrius, magis dissecabit, erit magis mordax, & corporibus conueniet densis, duris, ac dispositionibus magis inueteratis, & ex humoribus magis crassis ac tenacibus lentisque. Et huiusmodi erit ex corrupto vino vsque ad aliquod. Compositio autem illa, oportet vt sit potestate calidissima & tenuissima, fungatúrque vice ignis, in hoc, ab eo different, quòd magis separat, quàm resoluat, & ideo plus colligitur Aceti quàm per ignem; Et etiam quia in igne resoluitur pars vtilis, & remanet multùm inutilis; imò quod remanet eorum est mixtum & turbidum, hæc autem separat corruptum ab incorrupto, & ideo antequam fiat perfecta separatio, & exhalare calor possit perfectè, ipsius vini relinquitur materia, quæ non est Acetum nec vinum, sed vappa quasi consimilis vino, eiusdem naturæ, quale ab initio fuerat, dum esset integrum, sed vt dixi multo minus potens, & est materia Aceti futuri; & in illud transit postmodum beneficio temporis, caloris externi, atque impressionis factæ à fæce; vnde si statim elutriaretur à fæce, non transiret in Acetum potens, sed valde imbecille. Manifestum est etiam quòd possunt eiusmodi compositiones variari multis modis: Et ideo diuersæ descriptiones inueniuntur à variis authoribus; quarum altera melior est alterâ & validior; oportet tamen vt in omnibus sit materia quædam terrea & sicca pro fundamento, in qua conseruetur vis illa ignea ne euanescat; & etiam vt cogat partem aqueam vini in acidum, velut calida & ignea, fæcem in acrem, & conueniant ambæ in hoc, quòd separent vnam ab altera, sicut coagulum in lacte. Et hoc non fit per se, sed per se trahunt partes, & maxime humidam, quia facilior est attractu, & dum alteram relinquunt fit separatio; Et ideo istud poterit esse in omnibus compositis liquidis, velut vino, lacte, melle, aqua salsa, quod scire esset vtilissimum propter aquam maris. Est etiam obiter dictum, quam malè faciunt, qui

qui vina vel leuia, vel non planè dulcia adhibent, cum potentiſſima ſint eligenda, velut Ceſenatum, quod ego expertus ſum in conficiendo decocto corticis ligni ſancti: Nam ſiue mediocre, ſiue etiam non potentiſſimum, igne in Acetum tranſit, vnde non ſolum non optimum, neque conferet, ſed etiam nocebit non parum.

Acetum lieni maximè conducit, & ideo in omni medicamento ſplenitico adiungi debet vt teſtatur Galenus libro nono de compoſitione medicamentorum ſecundum, loc. libro vndecimo & decimoquarto methodi, & quinto ſimplic. quia obſtruentem incidit & extenuat craſſitiem: At interiùs Acetum his negat quibus conuenit exteriùs; nam melancholicis & quartana affectis infeſtum valde eſt, vt docuit idem Galenus lib. primo de ſimplicium medicamentorum facultatibus, Capite trigeſimo primo. Et Hippocrates libro tertio de victus ratione in morbis acutis.

FINIS.



PROBLE



PROBLEMATVM NATVRALIVM

SECTIO PRIMA.

1 

VR Eclipses, id est, Quorsum? An quia ex necessitate si terra in medio esse debuit. An vt per illas omnia cælestia innotescerent? A Solis enim motu lunæ, ab ea fixæ: à fixis erraticæ: inde motus & constitutiones. An vt intelligamus immortalia participare etiam posse quibusdam affectionibus, & quibus? An quod luna natura media sit, vel alia.

2 Cur in Africa cum sit calidissima, montium cacumina adeò rigent vt manus impositæ quibusdam aquis emoriantur? An quia comparatione aëris sic enim æstate videntur multo frigidiores. At ibidem aër etiam frigidissimus est, vnde pruina & grando. Forsan quod ex nimia caliditate euaporat omnis calor ab aqua ideóque admodum refrigeratur? Elementum enim omne frigidissimum. An potiùs quod per antiperistasim refrigerata regio illa: hæc autem maior in calidissimo aëre, vt liquet in congelatione aquæ feruentis, non naturalis. Eadem causa niuium & grandinum ac fulminum.

3 Cur in desertis spectra? An quia homo maximè timeat, ideò talia imaginetur? An quoniam ibi aër crassus sit & vaporosus vel propter arenas: aut defectum ventorum aut stagnorum exhalationes. Certè existimare quod dæmones in solitudinibus inhabitent, non est Peripateticum.

4 Cur à cæde improborum & potentium maximè, spectra; vt de Agrippina Neronis matre tubæ (ea enim fuit neptis illius Agrippæ qui Pompeium Sextum nauali prælio vicit, & Pantheon dedicauit) Et à Caligula hortorum inquietati custodes? An opinio hominum timori mista? An fama popularis, cum sint agniti omnibus? An sanguis ille prauus potest assimulare simulacra inania hæc? An Dæmones quibus inseruierũt id agunt? An etiam aliquid aliud. Neque enim omnia possunt sciri: præsertim tam frequentibus mortalium rerum reuolutionibus. Eadem verò & ab eisdem causis, in locis vbi magnæ clades acceptæ sunt.

5 Cur stellæ poli australis lucidiores ac maiores quam Borealis? An quod Cœlum ibidem siccius sit? Vel quoniam aër sit ibi rarior ob Solis Perigæum? An quia rariores? vel quòd ob admirationem præferantur? An quoniam reuolutis perpetuò vt ab initio aliquo sic contigerit?

6 Cur eadem die multa quibusdam contigerunt? An id fortuitò palàm; sed superstitione obseruatum, vt in ludorum calculo? An proprium quoddam in temporibus, velut in rebus, vt ouis lupo, mus feli, ferrum magneti. An quòd Sol propè locum illum; vt verò dixi superstitio fingit quæ proxima sunt fuisse in eadem die. Hierosolyma certè x. Augusti capta est à Tito destructúmque templum: Annis ante xcvij. eadem fuit à Babiloniis templum concrematum. Deus modò nouit an Romano more numerati hi anni fuerint: Nam Hebræorũ nil simile computentur. A Cherea occisus Caligula xxiij. die siquidem Ianuarij qua Philippus à Pausania. Rutilius consules xxiv. Iunij interfectus victo exercitu: post Didius eadem die à Marsis vterque & post Siphax à Massinissa in Africa, Itémque Asdrubal in Italia à Romanis, eadem rursus die. Quid nostra ætate clarius, non incerto nec instabili annorum fluxu. Carolus V. Cæsar & Imperator natus xxv. die Februarij, vicit ac cœpit Franciscum Gallorum Regem eadem die, dum perfecisset xxv. annum. Annis vj. pòst, Coronatus est Bononiæ. An quòd multa & multi studiosè in eandem diem congerant ambitiosè aut superstitiosè? quòd etiam profuit fictâ superstitione, velut à Marsis adhuc sæculo illo rudi & populo Romano Pastorum ritu viuente. Certè quod fortuitum omnino est non excedit sortis inconstantiam.

7 Cur à cometis, clades, calamitates, Principum mortes? An equidem hæc eueniant semper aut propter eiusmodi incertum est? Pluuias autem inconditas post siccitates longas efficere solent, multo attracto vapore supra. Quòd si mediocris sit natura aut magnitudine non ita. Ergo ab immoderata intemperie perire debiles & intemperatos facilè contingit cuiusmodi sunt Principes ob curas, vigilas, conuiuia & immoderatam venerem vina potentia quæ pro curanda ventriculi imbecillitate assumunt? Nero irrito euentu, Vespasianus haud irrito irriserunt. An quoniam multa in multis accidere necesse sit, talia autem ad illos qui eminent, referuntur? An quod vulgus feratur minore

minore ratione? Et quanquam ratio prædominetur libertate tamen voluntatis tam licet viueret contra rationem, quam præstaret contra rationem.

8 Cur quibus exitium imminet paulo post, obstupescunt? Non mirum est de his qui præsciunt: habent enim causam manifestam: sed qui non norunt, vt quos melancholia inuasura est: hos enim maximè affici contendunt? An quod rarò contigit, id propter admirationem pro norma habitum est? An illud, Mens præsaga mali? An quod si ac humoribus illis iam coinquinatis sensus lædantur? Et si fortuita sit præcedentibus quibusdam vmbris, corpus & animus velut à torpedinis contactu, expers sensus vigorisque fit? An Genius quidam admonet aut forsan etiam Dæmon?

9 Par forsan causa aut similis in cladibus, vt Appianus in bello ciuili Augusti contra patriam primo cum proscriptione sæuierunt. Inde post inter ipsos? An teter ille humor adeò afficere potuit, corpora nostra? An conficta à prauis, credita à simplicibus, plebeculam præsertim metu perculsâ? Aut composita ab historicis vt fuco delinirent scripta sua? An aliquid huiusmodi visum, sed fama super auctum? Inde in historias translatum? An ex vaporibus concrescere aliquid tale potest? Et vox etiam elidi?

10 Cur mare cuncta quæ supernatant reiicit ad littus? An quod Aqua sit rotunda & ideò humiliora medio latera? An potius (quoniam non magis in medio distabunt quam in lateribus) quod in vase contenta tumescat in medio manifestè: mare autem vas quoddam? Vel quod agitata hinc atque illinc requiscant vbi minor motus, minor, autem motus circa litus quoniam littus quiescit, & aqua etiam effunditur & ibi finitur.

11 Quæstio de animi immortalitate cur toties agitata apud Philosophos & nunquam decisa? An quòd maxima sit ac nobilissima? talia verò magnas contentiones adducere solent. An quoniam difficillima, quoniam de incorporeis? huiusmodi autem à sensu longè absunt, talia verò incognita & ambigua? An quia diuersæ sectæ Philosophorum in huiusmodi quæsito sibi velint ac principiis ex condicto fauere, etiamsi sciant se malè sentire in huiusmodi causa, & aberrare? vel dicendum morum & finis humani rationem ex hoc pendere quæ cum sint magni momenti auxerunt in defendendis dogmatibus pertinaciam sectarum contrariarum: velut Academicorum & Epicureorum: Peripateticorum & Stoïcorum. An ob id forsan quòd secum trahat cunctarum rerum naturalium districtam determinationem atque cognitionem? vel quòd per se iucundissima sit, & scitu digna videatur. Aut quòd verisimilius est propius accedendo quòd cum constet satis de illius immortalitate duo tamen quæsita in quibus tota consistit difficultas vnum naturæ aliud nostri, indeterminata & obscura manserint? vnum quod cum Mens communis sit qua intelligimus ita tamen intelligimus vt intelligamus nos ipsos solos intelligere non alios. Quòd cum mens substantia quædam sit, quomodo fieri possit, affirmare minimè liceat. Alterum quid intersit homini qui à morbo resurgat ex quo omnis pristina memoria atque cognitio interierit, quod vt in ætate iam adultis rarò accidit, ita in infantibus ferme semper quòd postea superuixerit. Hoc vt aliud est facilius quam videatur, ita videtur facilius quam sit: ex quorum ignoratione præcipuè res eò difficultatis adducta est: latet ergo hoc solum non principale quæsitum neque in eorum dubitatio neque in duobus principiis necessariis, sed admissis illis atque intellectis, res eo deuenit vt primum diuidatur in quoddam nubilosum immortalitatis genus vix ipsis qui Philosophantur notum, & syncerum quod vulgo notum est, & plebi plausibile, ad quod non adeò habent Philosophi certas rationes sub quo illorum huiusmodi immortalitas debeat collocari. Orta autem est tota difficultas ex hoc vno, quod quæ de vita dubitari possent an diuidi queat an patiatur quomodo operatio absque substantia vt inhæreat ad animam translata sunt, vt ergo omnis anima & præter mentem incorporea sit & vtroque genere immortalitatis predita sit.

12 Cur à imine liciendi, atque etiam breui perituri, quanquam non adeò, ex Etruscorum doctrina ita obstupescunt vt vix sentiant? Quæstio propter quid est si est præsupponat. Propterea cum non in omnibus hoc accidat, pro norma habendum vt quæramus si cui accidat cur adeò facile hæc iungantur? An hoc quod quamvis fortuita causa dici possit, iam tantus impetus causarum obruat sensum illius? vel quod huiusmodi homines velut nocentes debilitentur quoniam non nisi magno concursu accidere possit, vel quoniam hoc genus hominum peculiari cuidam causæ propriæ subiiciatur.

13 Cur oblæsi mali? Facilè ad hoc astrologi respondent quoniam luminibus in angulis quæ præsunt maleficæ succedunt. Sed non petenda ex terris, nunc astra, Gibbi, claudi, cæci, strabi, surdi: non fiunt, nisi læsis & grauiter neruis, nerui à partibus cerebri oriuntur, necesse est igitur grauiter cerebri partes & coniugata læsa esse, quare sensus & mentem. Ideóque minus valere mente. Omnis autem ignorans malus: neque improbitas in verè sapiente, at cum non admodùm læsum sit cerebrum sed iactura in aliud membrum translata sit loco, callidi fiunt deceptores.

14 Cur in serpentum genere plura monstra quam in aliis? An quia absque semine generantur, vnde ampla naturæ facultas variandi formas? An quoniam diuersa generatio; alia enim ex semine, alia ex ouis, alia vermibus, alia absque vllo alio principio, alia ex certo rerum genere quemadmodum & vermes? An quod velut pisces ex vili & ampla materia & obid multis modis variabili? An quoniam sæpius contingant errores in eorum generatione: vnde in Cœlo nullæ ob nobilitatem: paucissimi in hominibus: hæc verò abiecta? Indicio sunt errores

etiam

etiam in hominum actionibus vilioribus frequentissimi: vel quoniam ob paruam attritionem facilè coeant in vnum: & misceantur diuersa genera? vt in canibus cum lupis, tigridibus, vulpibus: multi autem monstrifici sunt: velut & qui è vulpe mutis. An quod ob horrorem & metum ac habitationem ignotum sit genus illorum fermè totum, & ideò magis species: omne autem rarum, monstrificum habetur? velut & de animalibus quæ in Africæ solitudinibus inueniuntur. An quoniam persuasum sit serpentis nomen dici de leuibus scilicet nec pluma nec pilo contentis: cum dicatur tantum de his, serpunt tantum, non ergo putant esse leue animal, quod pedibus careat, cum leue in hæc duo genera diuidatur: cum ergo animal anguineâ pelle conspicitur, pro serpente habetur: vnde si pedes habeat, Monstrum: cum sit animal non solum suæ & certæ speciei sed generis, sub quo multæ species comprehendantur? An demum quia leue sit & sine pedibus, conspicuas & minores habeat diferentias, ideò monstrificum habeatur si discesserit: nam in aliis latent minora, & maiora discrimina speciem aliam constituunt.

15 Cimices cur cum vident lucem se condunt, sub obscuro prodeunt? Si quis velit eos comparare noctuis & bubonibus ac vppupis quæ animalia meliùs in nocte vident quam in die, aberrabit: ea enim in luce malè vident, contra cimicibus accidit, rectà enim fugiunt, & quo se condere possint, vt appareat in lumine videre, an ex consuetudine lucem horrent, odore autem trahuntur ad homines, nascuntur tamen & inter tabulas: quamvis Aristoteles arbitretur ex humido animalium illos procreari. At quomodo in libris? ex illuuie tractantium & in mutis ac tabulis? at quamdiu absentibus hominibus etiam per annos: at progenerari alia ratione, indicat maximum incrementum si negligantur: nam non idem accidit in pulicibus, cum enim calor abundat non ex præcedentibus multiplicantur: aliquid ergo generant per quod generantur. Diffugiunt autem lumen non ob calorem quia homines non vexarent, neque quia hebetentur eorum oculi non enim tam temerè discurrerent, cum ergo neque calor neque claritas ad fugam eos compellat neque visio hominis neque enim tanti sunt relinquitur vt id agant quoniam tenebras natura diligunt.

16 Cur aër corrumpit quæ tangit, velut etiam in farina, quam vt seruemus iubemur malleis illam intrudere, sed & punica tritico tegimus vt diu seruentur, & succos oleo? cum tamen perflata diutius durent, maximè Boreæ exposita. An quæ seruantur non diuidi oporteat, aër autem diuidit quoniam mouetur. At quæ perflantur refrigerantur, ideóque seruantur, putredo enim à calore & humido fit, motus autem vtrumque finit, vel quòd aër seruet purus, sed vapores corrumpunt, aër autem motus celeriter purus est alius autem vaporibus refertus est.

17 Cur Britannia longas habeat æstates, cum in Scotia illi contermina, vix Iulio mense aër tepescat, statúmque Martij mensis excedat Italici climatis habita comparatione? An quod Scotia à Septentrione posita seruet frigora, aqua autem maris & aspectus ad meridiem versus Galliā, & lapidis sub terra putridi halitus vbi calorem concepit, diu seruare solet? An quod assueti frigori minimum caloris molestè sentiunt. In Scotia autem & multis Germaniæ partibus ob montes & seruatas niues ac ventos assiduos tempus fermè nullum æstiuum appellari potest, sed hyems aut inæquale tempus, vel quoniam peculiari vento subiiciatur ob situm & propinquitatem loci, qui calorem seruare iam conceptum possit, inducere nequeat?

18 Cur perpetuò in Britannia flant venti? An quia proxima Galliæ quæ vt in prouerbio est saxosa, ventosa, rixosa: eâ autem parte vtraque prouincia plana est. An quod Cœlum sit frigidum, humus calida, aqua maris vaporosa; ex his autem maximè vigent venti? Aut quoniam æstus maris cum quater in die cieat aërem, ex quavis causa venti inualescunt. An quod mare ibi Angusto transit inter Gallias & Britanniam claudatur neque enim plus xxx. M. P. distat Iccium à Deura. An quòd sub terra cauet ne plures in Britannia claudantur. E quibus efflantur, spiritus iuges indicio quòd insulæ solum multis in locis tremit, & nisi assiduè vapor recluderetur necesse foret absorberi insulam.


19 Cur Rhodus & Delos insulæ emerserunt? An quòd quemadmodum ex terremotu, ciuitates (velut in Asia, Tiberij tempore) submersæ sunt, ita in mari contraria ratione aliæ emerserint? Sed non cur emergant ob hoc ratio patet: cum subsidant cauernis aëre vacuis, aqua verò ob fluxum repletis. Huic quid habes quod opponas. Dicunt Peripatetici ordinem generationis & corruptionis circularem esse. At hoc est ac si dicas Herculeum lapidem ferrum trahere quoniam lapidibus variæ & admirabiles vi-



res insint. Sed neque quòd, aqua ex loco declinante, detegatur: nam sit A, qui cum non videatur B, autem & C, videantur necesse est vel A, B, vel A, C, totum detegi antequam A, quare A, emergetur continens non insula. Melius est ergo opinari quod antea auulsa sit vnde Delum dicūt antea natasse successu temporis adhæsisse loco altiore: inde reiectamentis appulsis vi maris accreuisse & consolidatam esse. Quæ vero immota antea concreuere ob situm verisimile est accreuisse velut erecta D, E, ad centrum D, G, è directo F.

20 Cur

20 Cur flumina magis excrescunt niue quam imbribus, cum tamen pluuiæ plus &



in minori tempore aquarum effundant? An quod pluuiæ causa sint manifesta ideò minus animaduersione dignæ: niuium, colliquatio his qui plano habitant minus cognita, ideò incrementum magis conspicuum, vt magis rarum, vel quòd in paucis diebus colliquetur quod in multis cecidit à Cœlo, ideò magis excrescunt flumina. Aut quòd vix plus aquæ contineat quoniam totos dies & noctes ningere, pluere nunquam videmus. Tum verò quòd aër niuosus minus resoluit vt frigidior, quam pluuiarum ideò plus remanet. Sed neque id semper verùm forsan plerunque contingit.

21 Cur vina aliqua diluta fiunt dulciora, alia dulcedinem exuunt? An quòd quæ vehementia sunt & vinosa ac austera, remisso sapore acris dulcedinis, sensum magis admittunt contra leuia cum dulcedinis aliquid habuerint, diluta & dissoluta substantiâ fiunt insipidâ. Oportet enim ad hoc vt dulcia sint penetrare linguam: quæ si nimium aquosa fuerint, non penetrant; ideo insipida dicuntur & videntur. Duo enim dulcedinem impediunt, nimia crassities & nimia tenuitas; quorum vnum, efficit saporem; aliud, insipidum. Quid enim aliud est insipidum quam quod non sentitur? ideò gemmæ & metalla insipida videntur. Sed dices, cur aqua remittit saporem, acrem in acribus dulcibus, dulcem adauget; cum acris potentior sit dulci? An quod insipidus cum nullus sit sapor, magis acri aduersetur quàm dulci: ideóque etiam eum magis retundit? An ratio Mathematica magis, sit A, insipidum: B dulce: C, acre: & manifestum est, quòd B,C, maior est longè A,B: tum quia illam continet; tum quòd B,C, per se maior est, quàm A,B, ergò remissis A,C, & A,B, ad medium, minor erit proportio B, D, ad E, A, quàm C,B, ad A,B. Igitur erit E, dulcius; quàm D, simpliciter: comparatione autem B, A, ad A, E, minùs, quàm C, B, ad B, A. Hinc constat opus esse maioris aquæ quantitate, in C, quàm in B. Quòd si tantum addideris aquæ ipsi B relinquetur D, dulcius, quàm E. Et quòd insipidum magis fauet dulci, quam acri; ideóque natum est, transire in dulce non in acre; proprium enim cuique est magis conuerti in simile quam valdè distans atque contrarium. Tertium, quòd insipidum in acri, aliâ ratione dulcedinem auget, remittendo acrem saporem; aliâ, in dulci, augendo substantiam, plusquàm minuendo saporem: ideo dulcius videtur vncia lactis, quam obolus mellis.

C
D
B
E
A

22 Cur aquæ nunquam deficiunt? Aristoteles diceret in frigida regione tantundem generari quantum in calida resoluuntur. Hanc verò mensuram seruare est grandium lancium & magnæ solicitudinis; Deinde quod frigus aut calor conseruat humanum genus & equorum ac stellionum ne intereat? Astrologi dicunt Solem Aëri, Lunam aquæ præesse: indicio æstus bis in die toto Oceano & etiam in parte Mediterranei. At causas æternas, effectus æterni consequuntur. Aristoteles putat mare non absumi ob pluuias. Plato animam illam Mundi cuncta conseruare, quòd rationes contineat ingenitas, quibus etiam si interierent possint reparari, vt quodlibet fait ex quolibet, non autem ostendimus, nullam substantiam corrumpi, sed tantum diuidi, Aër igitur & Aqua & Terra cum sint simplicia quantumcunque diuisa immutata semper, eadem manent & in eadem quantitate.

23 Cur Mundi machina rotunda? vt capacissima esset? An conduxisse spacium conditori necesse fuit? An vt tutior foret? Merito ab insidiatoribus qui extra ipsum habitarent: An vt circumuolui posset? Si circum totus agitur, necesse est; aliter non. Aut forsan non expedit causas sciscitari eorum quæ illis propria sunt, velut cur homo intellectu præditus sit? Lux lumen diffundat, cum aliter lux non esset, vel quoniam rotundus non sit, hoc enim suppositum est. An quia circulus æqualiter distantem perifariàm à centro habeat? Sed hoc est Mathematicum; Quæstio verò de mundo naturalis est velut cur homo naturâ rectus sit: nam de re, non figurâ, quæstio est.

24 Cur Aristoteles & Auerroïs negant in sensibus voluptatem animalibus, nisi quæ à corporeis sensibilibus proficiscatur velut odorum qui à saporibus & rei venereæ ob tactum & lucis ob commodum; At non picturæ, non musicæ, neque cæterorum odorum. An quoniam corporea sit eorum anima vel quia ratione careant? An quod verum non sit; cardueles enim & Philomelæ instrumenta musica audiunt attente & modulationem imitari conantur, Cerui, citharâ vel fistulâ adeò capiuntur vt eis exitio sit. Quin quod tu illustrissime domine commemorasti, equi chirothecarum bene olentium suffitibus oblectantur, & manus odorant eorum qui illas gestant cum voluptate blandientes. Ergo cur non picturis, cum nullus sensus plus possit visu? At sanè de harmonia simplicem aliquo modo intelligunt vt multarum vocum nequaquam. Ita & canes odore dominos agnoscũt, compositam harmoniam aut odorem non agnoscunt; quoniam non rationem habent consentuum & ideo ex nullo sensu lætantur aut tristantur sed ex natura; vnde magnorũ errorum causam hoc prębuit, cum enim equus visa equa hinnitum edit non equum esse cogitat quod multi putant: sed natura impellente vocem hilarem emittit, Et cum gallina miluum videt emittit timoris

timoris vocem: perinde ac si tu acu pungaris, parum contrahit brachium, non animaduertens quicquam, sed natura duce: si vehementer exclamas. Fit ergo sensus ex anima quæ cognoscit; sed quod edit signum absque cognitione: cum canes latrant gallus gallinæ blanditur gesta ac voce disiuncta, animi sensus & naturæ impetu id agit. Ergo & memoria horum absque cogitatione est, quoniam nulla anima complexum aut comparationem vel coniunctionem præter humanam admittit.

25 Cur quadrupedia non discunt loqui (quanquam referant hyenam imitari voces humanas noctu;) aues autem picæ, sturni, merulæ, turdi sic? tum etiam corui. Quidam dicunt id contingere, quòd quadrupedibus lingua lata sit auibus tenuis & angusta. Sed Psittaco cum sit latissima atque crassissima dicemusne quòd non loqui possit iuxta illud Persianum:

Quis docuit Psittaco suum chare?

Propterea videtur quòd aues sint subtilioris animæ. Sed id falsum est. Quæ prudentior elephantô? ingeniosor simia, docilior cane; amantior hominum equo? Forsan dicet aliquis aues inarticulatas meliùs intelligere, propterea & melius referre. Sed quis cane melius nouit proprium nomen. An, ergo dicendum aues imperfectas magis esse, vt quæ plus distent ab humano genere: ideò vocum varietatem melius intelligunt vt dictum est prius. Quadrupedia dum quid simile cogitationem possident impediuntur ab intellectu vocum, velut cogitabundi magis quam nil cogitantes. An quod aues siccius habeant cerebrum ac neruos, ideò aptiùs illis vti possint.

26 Cur ensis per aciem ductus stridet, per latum vibratus non; cum tamen plus aëris capiat & moueat? Quæsitum tuum est Domine. Ergò qui per aciem descendit, velocius mouetur, ideò aër non potest tempestiuè cedere. aër ergo qui proximus est aciei strepitum edit quoniam qui subest, rationem subit corporis solidi: cum verò duo corpora dura colliduntur, aëre intermedio, sonum edunt, in lato autem aër mollis & rarus dissipatur prius; ideò sonum non edit. Quamquam enim motus differentia per aciem & latitudinem; nihilominus proportio magna est & quadrupla maior & longè.



27 Sed cur in fenestra posito A, vitro, in B, oculo, lumine in C, apparet in D, & non in E? quoniam oculus iudicat se videre per rectum, quare per B, A, quod tendit ad C, non ad E; Sed hoc planum est cuilibet Mathematico. At naturale quæsitum longè difficilus est, cur sub D, & minus, ex eadem parte F, aliud lumen videtur? Adeò vt nisi B, eleuetur, non possit videri. Est ergo ex eadem parte minus & vltra ac inferius, ipso D, hoc est quod optimè animaduertisti. Alias dixi de duplici facie. Oportet igitur A, vitrum, non vt perspicuum sed vt speculum proponere: nam secus C, videretur vt rectè dubitas in E, eo quòd recta fertur radius ad E. Igitur semispeculum est & semiperspicuum medium. Ergo hoc contingit radiis, reflexis à prima superficie atque à secundâ; qui cum à diuersa superficie loco reflectantur atque in eundem locum idest in B, necessario differre loco videntur ergo esse duo.

28 Cur Luna in deliquiis rubet, cum à Soliis radiis destituta obscura reliquo tempore sit? Indicio est (quod mouit Aristotelem ad id credendum) quòd à nouilunio pars solum videtur quæ Solem respicit. Quod si dicas id contingere quoniam à maiore luce obtenebratur: constat neque in nocte eam partem lucere vel videri. Et quæ maximè Soli opposita sit. Quòd si rursus affirmes lucem habere propriam, cur ergo vel ab opposita parte vt dixi neque lucet neque videtur. At id speculo clare dignosci potest. Est tamen Aristotelis sententia in oppositum. Et referunt stellas quasdam per eam partem quæ obscura est tum Venerem, tum fixas apparuisse, vt etiam Dantes refert. Quòd si dicas ruborem illum contingere ob paruitatem vmbræ terræ, in qua dum existit vt solida & nitens à proximis partibus reflectuntur radij, vt imaginem, ruboris præferunt. Sed vnde, cum nullum sit corpus nitidum simul & opacum prope. Dicemus ergo lumen habere proprium. An forsan ergo Aristoteles credidit his qui casu deliquium viderunt, ipse non vidit? nondum exacta notitia motus lunæ Græcis habitâ. An quod (sed absurdum) radij per mare transeuntes aliquid lucis afferant, à lateribus ad lunam. Sed lucidior esset in ambitu quam in centro, cuius contrarium videtur. Quinimo circa centrum semper videtur & magis lucet.

29 Cur stellæ in die non videntur? Quoniam maius lumen minus obscurat; sed cur luna videtur cum Solis radios exierit & tamen tunc luna minus habet luminis & vt ad aliquod tempus, quam Venus, Iupiter in Solis opposito & canicula ac canopum? Forsan dicendum lunam proprium habere lumen, stellas carere, at ob etiam semper rotundas illas esse. Sed si ita est, in die ruberet non esset candida luna, imò minus verisimile est, quoniam lunæ lumen imbecillius esset lumine stellarum. Deinde cur luna non adumbrat noctu stellas cum est plena luminibus; is enim splendor Solaris est proculdubio; videmus enim lumen à speculo reflexum esse non minus imbecille recto? Dico quòd prope non est, sed procul, longè imbecillius. Et etiam si stellæ lucerent Solis reflexo lumine, aliquando mutarent formam, aliquæ saltem. Et his colligitur, veritas. Quoniam stellæ, non sunt necessario rotundæ, fieri potest vt sint, sed minimè necessarium; possunt esse quadratæ vel

vel alterius formæ quæ ob distantiam apparent rotundæ ex ratione visibilium quoniam quæ extra rotunditatem partes, non possunt mouere visum: Inquit enim author Cantuariensis, Solares radiis per angularia foramina transeuntes in obiectis corporibus rotundi euadunt. Et quanto procul remouentur, incidentium foraminum imagines à subiecto corpore tanto euadunt rotundiores. Illa autem corpora sunt perspicua & per ea lux transit & non sunt vt specula ideò die superueniente euanescunt. Mars autem & quædam aliæ ex fixis rubent ob inæqualem densitatem vt etiam in eclypsi. hæc autem verisimilia sunt, cum respondeant experimentis quæ apparent, cum vitro, cristallo & aqua. Et ideò etiam ex profundis puteis stellæ in die videntur: & licet nonnumquam prope solem videtur in meridie Venus vt aiunt sed opus est visu acutissimo. Et forsan corpus illud est in regione elementari. Et hora coïtus luminarium die valde clara ex speculo in aqua posito.

30 Cur aër frigidus aut calidus, imò in motu absque qualitate vlla excellenti percipitur, visu autem non? Solet responderi quòd est medium visus, & quod recipit imagines visilium corporum & colores & quod oportet recipens esse nudum à natura recepti, ideò videri non potest. At si ita est cur non idem aquæ accidit, quam licet clarissimā tamen videmus. Ideò dubium est, an nos aërem quia in eo degimus non videmus, ita neque pisces aquam? Delphines enim & vitulos marinos & quicumque aëris patientes sunt, aquam videre consentaneum est, non tamen aërem, est enim aqua crassior aëre sic; & Tursiones & quicumque respirant: qui aëris non sunt patientes tanto hebetiore visu quanto aqua facilius aëre videtur, ideò pisces eiusmodi non vident aquam, extra autem non vident quicquam eo quòd medio naturali ad videndum carent. Quod etiam illis confert ad duritiem oculorum. Quæ autem sub terra viuunt pari ratione omnino cæca sunt vt talpæ, vermes, serpentes, Astaci, verùm quæ aliquando prodeunt visum habent, vt eis sit exeuntibus vsui, veluti astacis, phalangiis, serpentibus: vermibus autem cum non prodeunt cæcis esse conuenit prorsus. Talpis quod essent è genere sanguineorum animalium visus instrumenta dedit: facultatis autem aliquid eousque vt lucem formidarent, cum exitus è terra exitialis illis foret, ideò obscurissimè vident. Homines ergo cum aërem non vident sentiunt tamen vel ob motum vel ob excellentem qualitatem: quare neque verisimile est vllum aliud animal neque pisces, neque vermes, neque cancros, neque quadrupedes videre posse. Sed si modo volatile idque perexiguum velut muscas, at de hoc, velle considerare labor vtilitatem superabit perinde ergo censeatur, ac si neque illa perspiciant. Dubium relinquitur solùm de duobus generibus, de quibus post dicemus. Ergo cur est quòd aërem saltem valde densatum non videamus? Quidam putant illum transire in nebula, & tunc videri in sublimi, tum etiam infra vt hyemis tempore. Sed id falsum est: nebula enim non est aër sed vapor frigore densatus, indicio quòd ab aquilonibus aër frigidissimus sit, nec tamen prorsus videatur: imò minus quam vnquam alias cum tamen sit densissimus, frigidissimum enim in vnoquoque genere densissimum esse necesse est. Contra in matutino tempore ac sub diuculo aëre prope tepido videmus nebulam prope terram sub fumi specie. Quin etiam si aër vi vsque ad rapturam folle in vas vitreum intrudatur non tamen videtur. Sed hoc dicent contingere quòd vas vitreum seu crystallinum quovis aëre densissimo sit crassius: ideo per ipsum aër non potest videri. In regionibus ergo frigidissimis vbi imagines illæ coniunctorum quibusdam apparent & in calidissimis, à vaporibus densatus fiunt, his propter aëris tenuitatem conspicuis: illis ob vaporis densitatem quæ à frigore nimio & humido fit calore bituminis eum sursum impellente. At de illo qui suam imaginem semper præ oculis habebat non est vt agam; Primùm enim non est certum experimentum: neque cuique alij contigisse narratur: nec ipse fidem de hoc facere potuit, idque forsan eo studio fecit vt tam leui labore nomen Posteris commendaret; quamobrem rectè Aristoteles qui fuerit dicere neglexit. Aliudque iam esset videre imaginem ab aëre. Tum verò quod extra propositum sit & rarissimum & incertum, non dignum est: vt de eo sermo habeatur. Quatuor igitur supersunt consideranda: An vllum animal notum vt pote Aquila aut accipiter aërem videre possit vel altius vbi densior est etiam citra vapores? An homo aliqua arte eo peruenire possit? Quonam indicio possimus deprehendere aërem visu? An aliquod animal aëreum possit generari quod tam tenuis sit naturæ vt illum visu cognoscere possit? videtur autem primum difficile cum aër quamvis vaporibus plenus non videatur neque vapores ipsi; adesse tamen vapores in eo, lumen Solis per fenestras transiens ostendit; ergo magnitudo luminis adiuuat ad discrimen rerum discernendam. Si ergo vapores videri non possunt in auxilio tanti luminis, quomodo deprehendetur aër visa vel etiam quantumvis condensatus? cum per vltimam densitatem non possit peruenire ad quadragesimam partem substantiæ illorum atomorum? cum illi manifestè constent portione aquea; & hoc ostendit effectus & aëris sine quo ascendere non possent: & terræ per quam consistit latum ex quo deciduntur. Ergo si deprehendere constitutum sit, oportet esse quam densissimum & hoc assequemur frigore & motu per angustissimum foramen & in rarissimum aërem se dipendentem auxilio luminis clarissimi, his coloribus in eo relucentibus qui viuacissimi sunt, velut viridis, cœruleus, qui minus prospectum impedit vnde communis toti cœlo esse videtur & adumbrat visum: nam luteus & candidus nimis visum dissipant: ferrugineus, pullus, cinereus, fuscus, minimū habent lucis secum: ruber cum materia est vaporosa: niger totus in substantia terrea est videbitúrque instar fumi annis luminosi. An vero vllum

vllum animal aërem videat verisimile non est, quoniam variis imaginibus detineretur. Et etiam quòd si acie sit hebeti non comprehendit; vel enim spiritu deficitur aut pupillam duram habet quorum neutrum conuenit: aut perspicax est: huic necesse est vt aër tenuior videatur, vt melius videat velut, & nos per vitrum clarum quam densum, cumque se attollit nec possit frigidam aëris regionem superare, in densiorem iam concessit vt hic aër tenuior videatur, ille adeò tenuis vt perspicere possit. Quapropter animalia conuenit esse aëre ipso tenuiora quibus aër pro perspicuo medio sit: ac inter perspicuum & speculum. Si non tanta moles animantibus vacet. Fabulantur tamen qui generationem perfectam posse fieri negant, nisi in terræ atque aquæ superficie, hæc enim ex illis, illa ex aliis auxilio caloris Solis & syderum & enutrita aëre vt de Chameleonte constat & de Manucodiata aue iure existimatum est.

31 Cur Cœlum cum sit tenuius videtur, aër non videtur. Solet dici non videri cœlum, sed colorem illum esse interminati visus. Sed ita sit si cœlum cum tenuius sit aëre partes habet quæ videntur & maximè quod tenuissimum est octauum plusquam mille astris illustribus: in aëre nihil tale. Causa est quòd aër est in perpetuo motu vt partes diuellant; Cœli nulla pars ab alia diuellitur cum omnes perpetuò tamen moueantur. Ea propter Cœlo affixa sydera videntur; aër & ipse per tempora habet sua astra, cometas præcipuè, faces, voragines, hiatus, quæ à flatu dissipantur, & nisi essent quod celerrimè aër superior, quasi totus circumferatur, quasi Solem sequens, non possent perdurare; ostensum est enim in libro de Proportionibus, & paulo ante quod aër velocissimè motus autem diuisus speciem præbet prorsus solidi & immobilis. Et inæqualitatem ergo in superioribus corporibus & in aëre oculus ostendit non solum in stellis sed in via luctea & in aëre: nam qui propinquior polis est, magis diuellitur quoniam tardiùs mouetur; & cometarum tempus quæ enim cælo propiores sunt, minus dissipantur, quoniam velocissimè mouentur, ideóque, tum ob moram, tum quia aër densior ibi est, fiunt efficatiores, vt ergo cœruleus terminus est clari, ita obscurus & fuscus, profundarum aquarum.

32 Cur decocta quæ vel paululum per interualla deteguntur, & quæ calida percolantur, imbecilliora, euadunt: Et quæ detecta feruent, celerius coquuntur quam contecta, quamvis verisimile non sit: Ratio est: quæ deteguntur & quæ excolantur dum adhuc calida sunt remittunt partem tenuiorem in auras, ideo redduntur inefficaciora. Quæ vero bulliunt detecta, partibus dilabentibus, celeriùs dissoluuntur, hinc etiam fit vt vulnerati in corde aut iecore extracto cœlo statim intereant, quamvis antea superuicturi etiam aliquo tempore maiore malo opprimerentur?

33 Cur coniferæ arbores, velut pinus cupressus, larix picea, non admittunt inoculationem cur Quercus, Pyros; Platanus, mala; & lentiscus olea admittat: & myrtus, punica; ac ficus, mora Plutarchus adducit rationem, sed falsam, quòd oleagineæ sint plantæ; cum sint piceæ; Pix autem non miscetur oleo, quod est pingue aliarum plantarum. Aliter, quòd his arboribus siccus ac tenuis cortex sit, vnde ab illo auxilium neque suscipere possunt neque ei iungi cum sit leuis etiam. Aliter quod cum absumant succum omnem in mole corporis, vnde magnæ admodum euadunt: fructus aut paucos aut nullos aut paruos aut admodum siccos edunt, vnde alimentum nullum ramo inoculato relinquitur.

34 Cur Echeneis remoretur naues, & hoc & sequentia nouem ex eo authore desumpta, non quod causam magnifaciam quandoquidem etiam de quorumdam veritate dubitem, sed vt modum seruare in huiusmodi meminerem, quâ in parte si non laude dignus quisque videatur, vituperationem effugiat cum meminerim, aliàs adduxisse rationes, placet tamen illius morem hîc imitari, vt si non me explicem quod muneris esset mei, saltem elabar. Ergo, inquit, dum sicca est nauis, aquam diuidit & facile ac celeriter fertur: vdo imbibita, & algâ ac musco oblita, non liberè fertur: & tunc abhæret hæc pisciculus videtúrque ipse causa remorandi nauem.

35 Cur equi appellati lycopsadæ, ferociores videntur aliis? Quidam dicunt, quia metu perciti didicerunt celererrimè fugere, semper coram oculis imagini lupi obuersante. Dicit Plutarchus non, imò quoniam hi equi natura ferociores, dum potuerunt effugere lupum etiam præstantes inposterum euadunt, celeres & generosi, in fuga maximè; Parum enim interest equo an fugiat an sequatur, cum causam non cognoscat vt supra dixi.

36 Cur hedera citò dissoluit niues? An quia calida, ob id potestate niuibus aduersatur. An quod frigida, sed humida: vix autem ab humido dissoluitur vt experimentum docet. An quod densa, & ob id incalescat: maximè quoniam pinguis, excalefacta autem per antiperistasim niuem colliquat. Prima ratione, tuebimur niuem palea & pannis rudibus seruari, quoniam à pannis siccatur, à paleâ verò etiam refrigeratur. Secundâ verò dicemus aërem frigidum prope niuem seruari calore panni & ob id congelatur atque seruatur. Addit ad hoc paleæ leuitas quæ circum tegit & non grauat: panni autem villosi aridique similiter vtiles sunt. Palàm est autem quòd sæpiùs permutare debemus.

37 Hyosciamus cum frigidissimus esse existimetur quomodo inebriet, cum opus hoc sit caloris? præcipuè cum referat Adrianus Iunius expertum esse à quodam sibi amico, quòd zytho mistum, non in insaniam sed in furorem vertit. At hoc minimè mirum est nobis, qui affirmamus Merouium atque papauer tum Cicutam & Apolinarem esse calidas velut & Mandragora & egregiè: quod etiam videtur Auerroës sensisse.

38 Cur pueri aliqui cum anubus versantes contabescunt adeò etiam vt pereant? Alij cum fœlicibus aut miseris eandem subeunt fortunam? certè facilius. In infantibus ob teneritatem spiritus ex pulmone prodiens illos afficit aspectus etiam tornus terret illos vnde ex frequenti timore, atque tristitia in malum habitum transeunt & persæpe moriuntur. Qui verò cum fœlicibus aut infœlicibus versantur multis modis eidem fortunæ assimilantur: moribus, iudicio, commodis atque incommodis: viuendique ratione? Atque consuetudine.

39 Cur ficus arbor cum amara sit, & aspera fructus edit dulcissimos? An quod attracto dulci humore, à fructu, reliquum tanto inamœnum magis relinquatur. Ob id contra rutam ficui prope adnatam melius nutriri, quod amaritudinis pars ad ficum transeat. Hæc satis certa sunt, sed quod ficus fulmine non tangatur perinde ac laurus idem affirmat. Sed eadem causa est vtriusque.

40 Cur sal fœcundos faciat? Certè plantas plerasque occidit: dissecat enim & vrit nimis, & dubium primùm est an verum sit? Affirmat Plutarchus id contingere quod salaces efficiat. Et ob id casu plures generant, quanquam concubita sequens prohibeat potius generationem quam adiuuet, cum tamen occasio facilius se offerat in pluribus congressibus quam in paucis possumus dicere solem non falso conferre ad generationem, vel quod sal à putredine præseruit & secum oleum admistum habeat, ideo iuuet ad salutem & generationem. Sed & quod pituitam extenuet quæ maximè officit generationi maximè in fœminis.

41 Cur aqua ex puteo hausta, inde in vas conclusum rursus prope fandum demissa frigidior euadat? Et cur plumbi lamina in aquam posita eam etiam frigidiorem reddat? Dico experimentum illud male relatum in Plutarchi sententiam: aqua enim è puteo extracta & rursus in vase conclusa ac demissa, quoniam rarefacta, refrigeratur vehementium: & etiam à vase, quòd vt densius refrigeratur ex longa mora & refrigeratum refrigerat, quæ causa est vt etiam à plumbi lamina magis frigescat. Sed si vas etiam non in aquam demittatur (vt legatur vt aquam loco vt terram) suspensum tum ex vase tum ex aëris motu magis refrigeratur, quam si plenum sub aqua lateat. Animaduertendum quòd etiam citra maiorem continentis frigiditatem, qualecumque sit quod circumdat, dum sub aqua manet, frigidius euadit vt lapis metallum ac talia. Aër enim intus densatur & sensu frigidius euadit: quoniam in forma & materia pluri, maior vis qualitatis inesse videtur, calor autem & frigus tam à motu quam à quiete sed diuersa ratione augentur.

44 Cur è ficu arbore caro suspensa facilius coquitur? An quod in aëre libero exposita, frequentius autem ab illa ob robur & humilitatem suspendi potest? An quoniam ex ea vapor acris ac calidus prodeat? An quòd occasione ventorum id acciderit nam austri emolliunt carnes ad putredinem etiam deducentes: Boreas dum astringit efficit magis coctiles. Affirmant etiam easdem melius coqui si in aceruo frumenti sepeliantur.

43 Cur semen quod in cornua bouum decidit aut infrugiferum est ac sterile, aut malè prodit? An ob frigiditatem illius? frigidum autem inimicum generationi. An ob humidum pingue, oleum scilicet quod continet cornu, vt tam generaliter quam propriè officiat generationis. An quòd iactum sic, quasi negligatur. Aut si modo verum est terra ibidem affecta inepta generationi reddita est.

44 Cur spes & timor cum sint minus certa quam lætitia & tristitia, magis tamen immutant hominem? An quoniam Spes & timor sint cum motu magno; lætitia cum & tristitia lentiore: motus autem magnus plurimum potest: adeò vt videamus aërem cum fulgure deductum, repente occidere hominem & celerius quam lapidem magni ponderis leniter cadentem. Et similiter cadentes ab alto celeriter mori & antequam allidantur solo. An quoniam metus & Spes sint de eo omni quod esse potest, at hoc infinitum est: cum lætitia & tristitia sint certa & de cognitis. Et quantacunque sint, longè minora, infinito illo, quod imaginari licet, sunt. Aut quoniam in lætitia & tristitia animus percellitur cum corporis plerumque dolore, at in metu & spe solus animus: affectus ergo diuisus tanto minor est integro, quanto in plura diuiditur: igitur plus spes ac timor afficient hominem quam lætitia & tristitia, velut vno, magno vulnere ictus, sæpius ac celerius moritur, quam qui plures plagas accepit tanto minores quanto sunt numero plures.

45 Cur timor magis soluit tristitiam quam ipsa lætitia cum illa sint eiusdem generis hæc contraria. An quoniam timor fit vt dixi cum magno motu, tristitia cum exiguo vel quoniam sit timor eiusdem generis; lætitia diuersi. Oportet autem Alexipharmacum esse eiusdem generis cum abdeleterio. An quòd non semper, sed cum timor est de maxima re: nam & lætitia magna solitis tristitiam. An quod timor non solum soluit animum sed valde etiam vt dictum est corpus mutat lætitia autem minus: vt antea dictum est.

46 Cur cum dicat Hippocrates mutationes magnas & repentinas esse periculosas & vitandas, tamen cum Philomelas capimus iam adultas, si conemur paulatim cautæ assuefacere, moriuntur aut saltem mutæ euadunt; si concludamus loco obscuro prorsus per aliquot dies, cibum admouentes cum exiguo lumini, inde paulatim admittentes lumen, viuunt & canoræ euadunt. Idem in pueris alio translatis, minus patiuntur si repente in carcerem trudantur, inde remittatur custodia? Et hoc idem in viris, modò non sint in supplicij periculo. An quòd in natura, quæ sine cognitione; solum mutationis magnitudo attenditur; in animalibus cum

cum mutatio in priuationem peruenerit, cessat sensus, ex quo molestia accidere solet. Ideò postmodum refecti, aliquanti spe melius se habent. An quòd qui statim in tenebras conducuntur, postmodum remissa custodia in melius mutationem recipiunt; qui autem sensim in deterius: vt ergo ex magno morbo conualescens; securior videtur sibi, quam ex leui, per multos dies in deterius labens, ita etiam de externis malis, inter quæ carcer adnumeratur. An quòd in principio detrusus in obscurum carcerem, tenebris obrutus dormire cogitur: tum ob illarum obscuritatem, tum quia priuatus operationibus solitis; ac alter cum potiatur luce cogitat quænam bona amiseris & ita magis affligitur. An quod facta per tenebras mutatione in corpore, non adeò animus sentire potest sicut nec æger animi molestias vt sanus, vel quoniam cum ad priuationem peruenerit minus animus sentire potest: antea verò se sensim traducetur sensum retinens, dolorem etiam percipit? At in voluntariis ablegamus sponte dilectos, vt expectatione plus gaudeamus, neque enim motus solum effectum augere potest sed illius spes tanto suauior possessione, quanto minores motu maiora, quieta maior euadit, ita expectatio partis totius possessione maior videri ac fieri potest.

47 Cur panis additus iuri in lance quod vas repleat, minus cum ipso iure attollitur quam ante? Dixerunt quidam quoniam imbibitur, hoc solum non docet quomodo imbibatur: nam corpus, corpus penetrare non potest. Alij dixerunt quia aër extruditur loco iuris: sed ius antea pani & aëri æqualem locum occupabat, igitur ius maiorem locum occupat quam aër, quare additum pani maius occupabit spatium quam prius; quippe panis iuri accrescit. An quod dicunt, ius densetur à panis frigore? Sed quod dictum est de iure calido idem accidit de aqua frigida. An quòd aër separat & attollit panis partes: & ideò plus est de aëre quam sit ius illud: excluso aëre subsident panis partes, & ob id coacto iure à pane, aëre autem plurimo excluso subsidentibus partibus panis, minor locus sufficit. Exemplo docebo rem: sint panis partes duæ: extensus ab aëre capiat aëris lanx partes xij. impositis ex iure partibus x. concidant partes panis vt non capiat nisi x. cogatur vt vna panis erunt panis & iuris partes simul xj. & ita deerit pars vna ad replendum lancem, & tanto magis quanto à calore seu frigore exhalatur?

48 Cur pestis certis temporibus recurrat? An quòd multiplicentur homines, vnde fames subsequitur & ex ea pestis vt in libro de cibis boni ac malisucci, vel quoniam in longo tempore consentaneum sit recurrere eclypses diuersásque astrorum constitutiones prauas, à quibus pestis procreatur. An quoniam in multo tempore bella proueniant quibus plerumque ob hominum incómoda & clades quæ aërem corrumpunt, pestis euenit. An quod non vbique, sed tantum modo vbi aër malus per se est, referunt enim apud Indos nunquam contingere pestem quamvis sit gens populosissima. An quod in longo tempore humores nostri sensim corrumpantur vnde pestis progignitur, vel quòd à ventis procedat qui vapores alienos deferant ad nos, peregrini autem vapores, vt qui multum à natura nostra dissedeant, pestem progignere solent.

49 Cur percussa magis læduntur quam quæ percutiunt: vnde non solum quod offenderimus sed etiam magis veniam petere solemus: cum eodem impetu illud feratur, hoc excipiat: idemque aër & quantitate vrgeat. An quod motus cum varietatem



Figura à demonstratione aliena.

afferat non adeò læditur velut si A, B, percutiat D, E, per totam partem C, erit illa æqualis acumini A, B, ideóque longè minor A, B: A, B, autem petutit seipsa, ergo tantum excipit ictus A, B, quantum C, solum; sed C, est longè minus A, B, ergo multo plus affligitur ac læditur. An quod aër feratur contra D, E, & secundum A, B: quod autem fertur contra lædit & valde quod secundum nihil: quod etiam experimur in brachiis: igitur multo magis læditur percussum quam percutiens. Imò percutiens prorsus non læditur ex proprio impetu sed solum vt repercutitur. Eâ de causa cadentes in lanam vel gossypium nil offenduntur, ob mollitiem & in aquam currentem minus quam quietam. Quieta enim plus lædit quam mobilis: vnde etiam percussa aquæ superficie franguntur enses. Et iacti lapides super aquam etiam quod angulum modo acutum efficiant resiliunt: & sæpe in alteram fluminis partem. An quòd id quod percutit acutius cum sit, penetrat & ob id minus læditur, quæ enim cedunt non lædunt: at quod ictui subiicitur si non cedat frangitur: si cedat, cum in seipsum, plurimum lædi necesse est.

50 Cur mors horribilis, cum somnus profundus sit iucundissimus? An quia in somno aliquid sentiamus & dum dormimus volunt Philosophi ac medici & dum labimur in ipsum, remittentes labores in morte nihil sentimus & mors ipsa est cum dolore aut creditur; vel quia ex somno speramus rediturοs & meliores, & scimus nos interim superesse à morte naturaliter vnum nunquam aliud dubium. An quòd naturaliter tantum timorem nobis natura ingenuerit: quoniam si non esset adeo immensus terror mortis non iam constaret humanum genus: tot se occiderent se & suos & inimicos. An quia morbi doceant qualis debeat esse mors, nulla autem via ad somnum est nisi cum voluptate. Vnde nata quæstio an qui dormiendo ad mortem fertur doleat an voluptate afficiatur. An quoniam vigilia & mors extre-

ma sint & ideo non cum dolore & mala somnus autem velut virtus bona quòd in medio constituta sit?

51 Cur Cœlum cum sit tenuius aëre in tanta velocitate non diuiditur, & in sydera cogitur: aër diuiditur ex quovis motu nec cogitur? Difficile est sanè ignorantibus rem de ea causas reddere: facilius accusare alios velut Aristoteles: sed neque bene forsan, multa enim aliter se habent omnino quam credantur. Ergo cur Cœlum non diuidatur licet circumuoluatur incredibili celeritate: (Si quidem de eo solum loquor quod fide Mathematica constant) MMMD. miliaribus in singulis pulsuum reditibus fixæ diurno motu prodiuntur vt neque humana cogitatio id concipere possit: neque enim fulgur aut igneæ machinæ telum adeò celeriter ferri potest, vt huius & alterius propositorum tantum causa assignari possit, & satis certe ac constans quæ est: quòd vt diuellatur necesse est vt partes aliud velint, quæ enim idem volunt coniunctæ manent, quod in nobis ipsis perspicuum est, & experimur, cum ergo vis illa Dei & vt Virgilius ait:

——Deum namque ire per omnes
Terrásque, tractúsque maris Cœlumque profundum.

Quanto magis in Cœlo: ideò nil mirum non discindi quòd indiuidua mente totum corpus feratur quasi totum esset punctum, & incredibili celeritate, quòd ipsum id sit quod velit & mens quæ in illo est. Difficilius est de stella quomodo adeò densari possit vt tam ingens lumen reddere possit: seu vt concipiat velut in lactea via, seu reddat, vt à speculo: aut vtroque modo vt de luna antea dictum est. Hic alia consurgit dubitatio nam si reddunt vel simul reddunt & concipiunt, erunt pluriformes velut & luna: si radios ex concepta intus luce emittunt cur non efficiunt vmbram? Cur non lumen videtur ex obscuro in fenestras ingrediens? verisimile est substantiam esse non tam densitate quam propria natura talem, neq; enim constat quòd plurimi credunt astra esse rotunda, nam ob distanctiam siue quadrata seu Pyramidis forma, seu alterius, certa est causa cur rotunda videri debeant. Aristoteles existimat cœlum esse propter astrum astraue, cuius coniecturam facio, quòd in nullo cœlo plus vno est, nisi in eo quod innumerabilia continet. Sed cum seu concentrici sint orbes seu excentrici, necesse sit plures esse, astrum autem vnum, alio modo necessitas illa quam vulgari intelligenda est. Velut & illud quòd ob generationem solum huius Mundi inferioris, quòd ob id ostendit sensus: quod solum falsum: quòd principaliter non verisimile. Sed multum à verisimili & sæpè, verum differt.

52 Cur domus potius nocte quam die ruant? An quòd ruituris die occurrant homines nam plerumque aliqua signa edunt. At motu nequeunt, non loquor nunc de strepitu qui communiter exauditur: tum enim vix ob breuitatem temporis auxiliari licet. An quòd nox cum humida magis dissoluat calcem & cementum à quo detinebatur, vel quia frigidior cum sit nox cogat exhalationes terræ fieri vehementiores à quibus euertuntur fundamenta: An quod in die animaduerso pondere velut niuis tempore, illud minuamus. An quia venti & terræ motus à quibus domus subruuntur, magis in nocte quam in die fiunt? An quod domus cadant frequentius hyeme quam æstate, noctes autem in hyeme diebus sunt longiores?

53 Cur sub Æquinoctij circulo habitatio temperata? Et non solum ibi sed vt refert Petrus Martir de Angeria Mediolanensis tanta aëris moderatio vt noctu sub Dio dormientes non ægrotent nec lædantur neque Hispani tam procul venientes: & non solum sub Æquinoctij circulo sed prope vj. ac vij. & viij. partibus & tamen ibi abundant aurum & Margaritæ quæ sunt indicia vigoris Solis: quamquã margaritæ etiam in Scotia quæ est valde borealis inueniantur vt ego vidi? Hæc quæstio iam diu sed tanquam dubia à conciliatore tractata est. Et ex auditu collimauit. Antea verò à Principe. Reddunt rationes quasdam vt pote noctium perpetuam cum diebus æqualitatem. Sed tamen sub cancri circulo & ante etiam magis noctes non sunt valde breues, & tamen ibi habitant Æthiopes qui sunt nigerrimi & Numidæ. Propterea habitantes ibi sunt coloris vt vocant oleæ: id est, flaui obscuri. Alij dicunt quod ob frequentem temporum mutationem cum habeant singulis annis duas æstates, totidémque hyemes & ver ac Autumnum duplicem. Sed vt dixi hæc ratio militat contra Problema: nam in maxima hyeme non plus potest distare Sol Par xxiij. Sed in eo tempore quod est sub æstiuo solstitio in Gallia, id est, lutetiæ Sol magis procul abest scilicet par xxiv. Et tamen ardent & nobis per totum Iulium Sol plus abest quam Indis illis & nos tamen vrimur intolerandis ardoribus: Ergo hæc non potest esse ratio, & maxime cum post illud punctum perpetuo magis ac magis accedat & à nobis recedat. Tertia est propter assiduas pluuias quæ accidunt in æstate, vt de insula B. Thomæ Lusitanorum. Sed hoc primum est speciale illi loco & etiam insula illa est maximè imtemperata vt vix quisquam diu ibi inquilinus viuere possit. An propter ventos qui perpetuo spirant ideò aërem temperant? Sed vt dixi insula illa non eiusmodi est, cum maximè ibi vigeant venti. An quod super montes ibi sit vix alta vt refert ille idem & in Africa Ioannes Leo, adeò vt habitantes etiam in medio montium ibi gelu corripiantur nedum in cacumine. Ideò oportet primum hoc quam ipsum problema diligenter explicare: scilicet cur in cacuminibus montium velut Athlantis in Africa & in India, Peru regione vraba sint niues? Ob id dico alios ante nos non potuisse explicare talia quoniam veris caruerẽ principiis tum ex ratione tum experientia etiam ob historiam vnius Itali Genuensis & postmodum Regum Hispaniarum, ac plurium inclitorum virorum laboribus ac periculis & patientia tum Herculea, illius prouinciæ

uinciæ comitis: quæ breuibus confido me absoluturũ;secus non hæc pauca addidissem alieno fine à proposito qui est vt essem breuissimus. Dico ergo quòd omnis caloris vis est à terra tum ob densitatem tum siccitatem tum quietem:nam aqua aut mouetur aut putrescit:Montes ergo cũ ex lapidibus sint non possunt ob duritiem profundè incalescere & maximè cum sint à terra eleuati, vbi aër ventis perflatus & etiam motus assiduè ab Oriente in Occidentem non sinit illos incalescere: quare frigiditate lapidum & vmbra partium cacumina euadunt frigidissima: & ob id quod illis proximum est & nubes frigidissimæ: ideò ibi fermè perpetuò nubilo tempore, pruina sereno; glacies vtroque. Ergo refrigerata illa parte per ventos aër refrigeratur. Secunda est quod cum tempore æstatis Sol sit in signis Æquinoctialibus & ibi moueatur xxiv. primis seu portionibus vnius partis in latitudine singulis diebus, parum imprimit calorem suum, magis vero sub solstitiis (vnde nomen sortita sunt:) igitur æstas non erit multum calida sed longè minus quam sub solstitiis. Ad idem facit motus secundum longitudinem celerrimus ob circuli magnitudinem. Quarta est mutatio quæ parua est cum enim hyems sit ob causas dictas fermè æque calida & sæpe calidior quam æstas motus autem est mutatio & dissimilitudo fit causa sensus propter has omnes causas qui sub æquinoctiali prope altos montes & aquas præcipuè fluentes velociter,habitant experiuntur regionẽ temperatam. Ad quod facit noctium longitudo perseuerans. Si tamen ab aquis & montibus habitent multis modis ab his commodis destituuntur ventis primo frigidis soli frigore niuium & aquarum propinquitas: Et ideò non temperatam sed torridam experiuntur habitationem licet sub Æquinoctiali degant.


54 Cur in Nortico mari perpetuus fluxus ab Oriente in Occidentem, atque adeò concitatus, vt naues velocissimè eant, redire remis ac velis adiutæ vix possint? In eo quam parum crescant aquæ, vt vix duobus palmis? In Sur autem crescat & decrescat maximo cum fragore, & in magnam altitudinem, non tamen currat aut ad occidentem feratur? cum potius contrario modo accidere deberet: nam Northicum mare, id est, Boreale est conterminum nostro Oceano, qui perpetuò fluit & refluit, vt licet in Galliis, Britanniáque, ac Hispaniis, & orâ Africæ videre, ideò Northico, magis conuenire deberet æstus ille quotidianus,cursus autẽ ad Occidentem Australi,seu Surio: velut quod à Northico simul ac nostro dispescitur terra Peru, & noua Hispania, & Isthmo illo angusto, ac longo quòd duas has partes interiacet vbi Vraba sita est. Iam primum quæ occurrunt facillima ostendamus: non mirum est Northicum non crescere neque pati æstum aut quam minimum si perpetuò fluit, neque Australem non fluere si æstum patitur: Et maximum edere strepitum si multum excrescat & inter frequentes insulas. Porrò decursum Borealis incipere prope Meridiem & Æquinoctialem superato Cancri circulo circa ix. partes: & quanto magis Occidenti & Æquinoctio magis appropinquat eo ferri celerius ac concitatius, hoc enim ex historia acceptum est.

Igitur euntibus ex Hispaniis ad Fortunatas insulas ex illis ad mare herbidum Occidentem & Meridiem versus ac tendentibus, vltra hinc à dextrâ Peru, à sinistrâ aliis Indis, vsque ad fretum Magellanicum Aquæ discurrunt quoniam exitum habent; Antartici autem pars inferior est. At in Mari Australi cum non possint aquæ ascendere, fit æstus iuxta motum astrorum diurnum, quod enim liberum est vlterius fertur, quod habet obstaculum necessariò resilit. Ad hoc faciunt flumina quæ è Septentrione in meridiem feruntur; vnde arena illinc deducta atque congestâ, terra ibi fit altior & ob id aquæ illuc perpetuò cursu feruntur. Quanquã non tam ex Oriente deferantur hac ratione in Occidentem, sed ex Septentrione in Meridiem potius. Et etiam quoniam vt dixi motus hic ortum habeat vltra Cancri Tropicum potius quam in Boreali Oceano. Restat igitur solum vt doceamus cur altior sit pars Orientalis vltra illam regionem Occidentali? Et dicimus causam esse velocitatem ac similitudinem motus diurni cœli & aëris cum illo, & spatium patens in mare illo non abundanti insulis: velocissimè enim propè Æquinoctij circulum astra mouentur & aër ob cœli magnitudinem: vt his motus sit compositus ex libero & impedito. Sit gratia



exempli ergo A, B, C, Oriens & D, E, F, Occidens; & Æquinoctij circulus ghk, mouebuntur ergo aquæ bifariàm ex A, B, C, in D,E, tum quia sequuntur motum astrorũ tum quia libere. Ex D,E, vero in f,non, sed per æstum: tum quia E, est locus impeditus insulis: tum quia F, locus est altior e, cogitur tamen moueri ob impulsum a, b, c, ideò mouebitur vicissim, & ita efficiet æstum quod etiam accidit ingrediente Oceano ad fauces freti Herculei cum æstum moueat in littore Africæ quod ab Oriente & Septemtrione aquæ ex mari Põtico & palude Meotica descendant congesta arenarum multitudine per flumina quæ in vtrumque descendunt, vbi ergo motus aquarum contiarij ibi æstus. Ergo in Borealem Oceanum influit inter cæteros Maragnonus cuius latitudinem ostiorum referunt incredibilem scilicet lxxij. M. Passuum, est enim si vera narrant non solum omnium fluminum maximus sed longè maximus. An forsan quoniam hic fluxus iuxta terram fiat non in medio nam & si fiat minor ac lentior fit, cum enim littus hinc illinc insulæ sunt, aquam

quæ in medio eſt neceſſe eſt velociter ferri inſtar fluminum: ea enim cauſa aquæ fluuiorum velociter feruntur quòd ripæ ſunt altiores. Indicio eſt quod qui fluuiæ ripas habent altiores velociter feruntur. Hæ igitur cauſæ ſunt æſtuum & fluxuum nempe quædam demonſtratiuæ vt coartatio & humilitas incrementi fluxus,æſtus autem obex vt fluxus liber iter, nec iſta ſibi inuicem repugnant. Pro pleniore verò præcedentium



cognitione ſcire debes quòd poſito A, K, B, L, hemiſpherio ſuperiore & cognito Ptolomæo, & à polo boreali erit pars A, L, B, à dextra Orientalis: & A, K, B, Occidentali ſeu ſiniſtra, id eſt. Quoniam aſtra & Sol ac Luna vnaquaque die feruntur ab L, verſus K, pro alio autem hemiſpherio cum Sol & Luna & Stellæ erunt in A, K, B, erunt in Oriente & tendunt ad A, L, B, ſubtus vbi Peru & noua Hiſpania & Baccalaos & Florida ad Occidentem & tunc ſimiliter tendunt à dextra in ſiniſtrum. Quia oporteret deſcribere A, K, B, in dextra & A, L, B, in ſiniſtra: ſed rudes deſcribunt A, K, B, etiam in alio hemiſpherio in eodem loco quia putant eſſe eandem rationem. Et tunc cum Sol ſemper feratur ex Oriente in Occidentem tunc pones ac ſi aſtra ferantur ex A,K,B,in A, L,B: nam aſtra ſemper feruntur ex Oriente in Occidentem. Et ideò melius eſſet dicere,ſecundum motum & cōtra, ideſt,in ſuperiore pars ſecundum motum à dextra in ſiniſtram:in inferiore & nouo orbe ex ſiniſtra ad dextram: nam ſic verè nobis aſpicientibus Boream Sol Luna & aſtra mouentur.Et ita conſtituit in Ptolomæo qui tabulas exarauit: Primum enim hemiſphærium & eſt noui orbis habet oriens à ſiniſtra, ſecundum quod eſt noſtrum, à dextra. Ergo fingitur in ea deſcriptione linea A,K, B,quæ eſt Occidentis tranſiſſe ad latus idem, ideſt ſiniſtrum & facta Orientalis antipodibus, ideo A, L, B, erit Occidens & quaſi aſtra ferantur redeundo. At verò qui deſcribunt totum orbem quaſi ſub vna facie, & aperta Sphæra quaſi continuentur duo hemiſpheria velut in charta nauigandi coguntur facere lineam A, K, B, vt extremi Occidentis à leua noſtri hemiſpherij, ita Orientalis initium alterius. Et his modus eſt longè clarior & minus confuſus priore. Et deſcribitur tabula illa cum xvj. ventis & rectis lineis in circulum tendentibus & loco medio quaſi centro. Ergo dicemus iuxta hanc rationem Mexicum vrbem metropolim nouæ Hiſpaniæ eſſe magis Borealem & Occidentalem non ſolum Peru ſed etiam Occidentaliorem Hiſpaniis. Et ita inſulæ capitis viridis auſtraliores & Occidentaliores, id eſt, ſecundum motum vt dixi Solis diurnum ante poſitas: nam iuxta illas procedendo ſecundum curſum Solis leucis ccclxx. Et ſunt partes circiter xxj. perueniтur ad Maragnonum fluuium & ex eo procedendo clxxx. partibus iuxta Solis motum adiudicatum eſt Hiſpanis vt eorum imperio tota noua Hiſpania & Mexicum & maior pars Peru ceſſerit clxxx. autem partibus contra Solis motum, id eſt, Orientem verſus, Luſitaniæ, ſub quibus caput S. Auguſtini Africæ Fretum Magellianum Molucchiæ & tota India Orientalis cum parte Peru quæ ad Orientem ſpectat, & ex aduerſo Indiæ pars antiquis incognita cum maris northici & latere ad Orientem & Meridiem ſpectante peruenerunt velut Auſtrale Hiſpanis. Ergo Mare quod ab ore Draconis ſeu Paria extenditur ad Maragnonum & eſt vltra Æquinoctij circulum per partes vij. ad Auſtrum illud eſt (& quanto magis proceſſeris auſtrum & Occidentem verſus) quod tanto impetu fertur ad Occidentem,& de quo problema inſtitutum eſt.

55 Cur eſt quòd cum omnia ligna frangantur & magis iteratis ictibus, Carpini nodi fiunt duriores adeò vt Romæ in Sphœrulas admodum rotundas leues ac graues formentur. Tunduntur autem lapideis malleis pondere duarum ac trium librarum ac per multos dies. Eſt autem carpinus nota arbor vocant carpanum, non magna & vlmi foliis ſed minoribus, ligno albo ſolido ac maximè tenaci. Sed quod ſit adeo, vt vix vllum metallum inueniretur quod ſciſſuras non conciperet. Quærendum igitur cur hoc? & maximè pars illa? An forſan imbuta aliquo liquore? vel quod tenaciſſima & natura ad rotundita tem tendat vt careat filis rectis? An quia dum tunditur, incaleſcat ac denſetur. Satis conſtat quod cum illis ad ludos vtantur per multos menſes non frangi, obliqua enim fila illa inuicem in ſe recurrentia denſantur & in forma circuli euadunt. Quo circa nodi ad hoc ſunt aptiores retundi enim quaſi ſunt & à tota plancta ſecreti vt ob duritiem & tenacitatem ictus ſuſtineant: & in Sphœram formentur.An quod rotundum cauo & à malleo & à lapide ſubtus poſito magna parte ictum excipiente non frangatur, vt videmus in Sphærulis paruis admodum vitreis vi tota viri in terream incuſſis vt reſiliant quæ non franguntur ob rotunditatem & quoniam Sphœrula quanto minor tanto maiore parte planum tangit?

56 Cur puluis pyrius flamma non accenditur ſed pruna tantum? Nullum terreum flamma ſtatim accenditur neque etiam palea niſi ſcintillæ aſcendant aliquæ: incaleſcit tamen à ſuppoſita flamma palea vt & ligna & ſic paulatim concipiunt fomenta ignis, duobus ergo modis res accenduntur vel à terreo ignito vt putreis lignis & fune accenſa, ſcintilis aſcendentibus aut è lapide excuſſis, quoniam forma ignis eſt in materia terrea & ideò denſa, altero paulatim calefacto terreo à pura flamma ſuppoſita, quia ſuperius non calefacit vt experimentum

tum manus suppositæ faci aut candelæ magnæ (quam torciam vocamus) docet: à latere autem mediocriter calefacit: ideo cum difficile sit calefacere puluerem pyrium hoc modo quia flammam oporteret esse superiorem & ideò puluerem esse coactum & superpositum quasi cribro: & maximè hanc caliditatem impedit motus ipsius flammæ perpetuus ideo nec isto secundo modo potest ardere quare neutro. Quia tamen multipliciter potest accidere error in hoc, vel quod terreum aliquod sit valde calefactum & tangat puluerem illum qui tam facilè ardet, vel quia in motu (cum omnis flamma habeat sedem in terreo) tangatur puluis à lychnio, vel à ligno, & tunc concipit ignem statim & homines putant quòd ob flammam accensus sit puluis: vel quod scintilla aliqua excidat ex lychnio aut ligno quod ferme semper accidit, aut (quod solum omnes latet fere) vt puluis antea sit supercalefactus, & cum si accendatur tantam violentiam afferat, & si non noceat propter paucitatem, nihil tamen vtilitatis præstet, ideo periculosum est hoc experimentum vt sufficiat cognouisse rem velut Mathematicam quamvis sit naturalis.

57 Cur aliquando multitudo imbrium ex aëre cadit? An quod post longam serenitatem congesto multo vapore, repente in aquam conuersus, ob humidam naturam (est enim exhalatio aliquando & tum aquea à calido attracta) à frigore regionis de quo alta, aut à ventis maximè contrariis, granitate decidat. Aut quoniam pòst pluuia denuo attrahatur à terræ superficie vt in insula B. Thomæ quæ est sub Æquinoctij circulo per tres quandoque menses, seu quòd à terra madida seu à mari trahatur versus & quotidiani decidunt imbres. Duo ergo sunt magnarum & diuturnarum pluuiarum genera diuersa quorum causæ proximæ notæ sunt: at secundi generis quæritur solum quod desiderari potest cur pluuiæ (si exhauritur è terra madida vapor & cogitur, non semper sunt rediuiuæ & perpetuæ? An si intercidat nimirum frigus vt vapores non trahi possint: an si nimirum aër densus sit vt etiam in hyeme? An quia nimis tenuis & calor vehemens vt sursum trahatur altius donec congestus vt dixi in prima causa, pòst simul tempore longiore intermedio decidat? An quod à ventis vapor alio delatus longam relinquit serenitatem in ea regione? Certè in vnum ex his quorum aliquod adesse semper necesse est, diuiditur tantus aëris quovis tempore.


58 Cur à magnis & diuturnis pluuiis pestilentiæ & nouæ aues persæpè incidunt? An quòd ex multitudine aquarum vt Hippocrates censet & putredo, ex putredine morbi: Et generationes reptilium quæ sunt alimenta generum quorumdam auium? An quòd aquæ ventis ex aliis regionibus delatæ vaporem etiam regioni respondentem referunt: vt ex mutatione aëris corpora ægrotant ita ex hac generali mutatione, atque ideo morbi à regione in regionem migrare creduntur quod his L. annis (id est, ab anno MDXXIV. ad hunc MDLXXIV.) Præteritis sæpe obseruatum est. Aues verò etiam à ventis deducuntur & rapiuntur vt multa alia, aut quòd licet squalore gaudeant, id est, communes quæ grauis vescuntur quæ tamen sorditie, pluuiis. At eodem modo pisces in aquis nascuntur serpentes noui, ac multa alia vnde si sublimibus ventis succedant magni imbres qua parte veniunt considerandum, non solum enim malus aër è Sardinia vel ex paludibus Rauennæ pestilens Italiæ erit sed ex Africa illi salubris Italiæ perniciosus erit, ac multa talia.

59 Cur in causis ordinatis per tempora diuersa detur processus in infinitum velut Theophrastus, ab Aristotele; Aristoteles, à Platone; Plato à Socrate; Socrates ab Anaxagora genitus. Et ita non solum admittitur sed admitti necessarium est apud naturales, (supposita vt apud Peripateticos Mundi perpetuitate.) In specie tamen differentibus non admittit eam, cum tamen detur circulus homo enim ex carne & caro ex elementis & elementa ex putredine & putredo ex pomis, & poma ex corrupto homine alio genita sunt? Et hoc vt ostendat materiam primam: ergo quæruntur in hoc problemate: primum cur hoc infinitum non admittitur tamquam ex diuersis in propriis seu vt vocant falso (singularibus) & improprie admittatur? Secundum quomodo ostendat materiam primam ex hoc cum non constet non posse circulo procedi non posse in infinitum (Et ad hæc duo dicimus facilem esse responsionem.) Quia dicet Peripateticus non posse procedi diuersa specie quia illæ non possunt esse tum quia essent simul infinita cum essent perpetuæ singulæ causæ, at primæ substantiæ perpetuo intereunt: secundo quia essent diuersæ species ac his solum diuersæ numero at hoc est facilius vt in arena maris, in numeris & in quibuslibet fortuitis ob imperfectionem: nam species sunt æternæ & perfectæ: tertio quòd non essent causæ quia in ordinatis secundum naturam omnis causa est causa in ordine ad primam, sicut & producta in ordine ad vltimum productum: ergo subtractis prima causa & vltimo producto desinent omnes causæ, causæ esse & omnia producta producta esse. Tertium ergo est quomodo si omnia circulo fiant, sequatur materiam primam esse? Et dico quod Aristoteles ostendit id in materia tamquam occultissima: Et incipit à manifestissimis, id est, forma quæ solum facit ad scientiam vnde Mathematicis nullam aliam causam habemus. Et in ea quærimus elementa & sunt diffinitiones quoniam ex illis Mathematica præcepta constant velut ex recta & triangulo, si descendat ab angulo ad basim: vel diuidendo per æqualia angulum per æqualia: & sic proportio partis partium basis vt laterum: vel ad perpendiculum & tunc illa potest super duplum areæ trianguli: vel nullo istorum modorum & ita nullum. Principia autem sunt communes animi sententiæ: quia sunt communia etiam aliis disciplinis: sed causæ sunt quas vocamus petitiones veluti quoniam non possunt duæ lineæ rectæ concludere superficiem, ob id trianguli

trianguli quorum anguli sunt æquales æqualibus lateribus contenti, sunt inuicem æquales. In his ergo si non daretur status non essent scientia: Et naturalibus, in agentibus est manifestius necesse fore vt ad primum deueniamus: idem in finibus ergo eadem ratione in materia; non esset enim causa si non prima? sed est, igitur prima. At si prima non ob id sequitur quòd Hyle. Antiqui enim ob id alij aquam alij elementa statuerunt. Ideò ad hoc ostendendum Aristoteles indiguit aliis rationibus videntur elementa esse subiecta, & omnium in resolutione materia. Sed hæc reposcunt aliam disputationem. Redeundo ad institutum: cum sint in scientia indiuidua quæ non possunt diuidi in partes ex quibus actu componantur, cum diffinitione careant velut substantia & quantitas: quæ tamen potestate diuidi possunt velut in corporeũ & incorporeum, sensile & insensile, viuens & non viués vt contra indiuiduum potestate? actu quod diuidi potest vt homo & canis, habent enim diffinitionem oportet igitur vt in scientia sit status vtrinque: velut & in rebus. Et quoniam quædam sunt maximè intellecta, quæ à materia plurimum absunt: alia minus intelligenter se habent vt quæ coniuncta sunt materiæ eo tamen facilius sentiuntur: cum ergo scientia nostra ortum habeat à sensu, ideò substantiæ separatæ minimè intellectui nostro sunt manifestè, quamvis intelligenter magis se habeant ad intellectus diuinos: vt contra hæc inferiora.

60 Cur ego dum attollo caput semper lunam video cum tamen magna ex parte sit sub terra: alias obducta nubibus: plerumque à dextra vel à sinistra. An quod sit fortuitum? sed nimis tribuemus fortunæ & casui: cum in MMM. vicibus quibus contigit sustollere caput vix decies vt magnum dicam numerum acciderit vt ante faciem eam non viderim? An quod vt inanes illos obtutus præterierim cum lunâ non vidi nec aliud quidpiam? Sed ego memini perpaucis admodum vicibus id accidisse: imò vt notabile quidpiam obseruaui cum non apparuit: adeò videre consuetum duxi. An quod cum mihi Taurus ascendat & Luna plurimum ibi dominaretur trigoni domina sextili radiò aspiciens hoc potuit? Sed multi Taurus nocte ascendit, & Luna respexit ascendens, nemini tamen hoc accidere comperi. Deinde hoc nimis manifestum foret argumentum comprobandæ dubiæ rei. An potius quòd cum acie oculi sim acutissimâ etiam nunc dum LXXIII. annum ago Luna coram posita lucem insolitam quantumvis minimam infundit, vt visum moueat (nam hoc in magnis luminibus accidit motu vt oculos ad se intuendum rapiant) ideóque cogar attollere vultum.

61 Cur pluuiæ è sereno tempore? & paucis sparsis nubibus, adeò celeriter maximè æstate congregentur imbres: cum tam longè positæ sint? Et si tardè moueantur in vnum tam cito coire non poterunt? si velociter, dissipabuntur cum sint adeò, raræ? An quod cum linea B, C, sit duarum partium quarum A, B, iij. M. D, vt C, D, sit minor CXX. igitur nubes non longius videtur: an hoc spatium, cum nubes moueatur



tur ventorum velocitate, minus spacio horæ superat. Quòd si dicas vt antea fore vt dissipentur? Respondemus nos videre quandoque illas fieri sagittarum instar nec dissipari: ideò cum transeant in horæ dimidio (vt oculus docet) M P cxx. vt ex ratione pulsuum; in xviij. Pulsationibus transierunt: M P. Et hoc est rationi consentaneum, cum verò fundamentum quæsiti constet sensu, non pertinet ad eum qui quærit aliud de hoc: sed ad alium disputare. An quòd nubes (vt diximus velut male) per partem post partem aggregentur: atque ita coëunt. Sed mirum quomodo ex tam paucis adeò ingens obnubilatio oriatur. An potius quòd inter nubes plenum sit spatium (ob vim solis) vaporibus, qui breui in vnum coëunt & nectuntur in nubes? ideò tam breui tam magnæ coguntur nubes in vnum. An quia omnia hæc in vnum coëunt quod verisimilius est.

62 Cur fulmen raro occidat in leno dormientes? Et cur tot admiranda de illius casu vt prope superstitionem accedant. Affirmant colliquari pecunias in crumena saluo corio; putant fausta nonnulla alia infausta. Quibusdam cecidisse magno orbis totius incommodo scimus: sed ista mittamus, illud nobis quod ab initio dictum est sequamur: cur rarò qui in lecto cubant à fulmine periclitantur. Secundum cur cum tanto impetu feratur, ex minimo obice videatur prohiberi? adeò vt in publica via esse tum & sub arboribus & in foro etiam ac magis periculosum sit: videtur enim ferri simul eum imbrium aceruo magis. Cur etiam cum adeò vehemens sit, negat Plinius vltra Quinque pedes descendere? Demum quare nec laurum inter arbores, nec Aquilam inter aues, nec vitulum marinum inter animalia quæ quatuor pedibus gradiuntur, quod constat tamen è piscium genere nec hyacinthos inter lapides nec qui illum ferat, quinimo nec qui imaginem ex eo ceræ impressam attingat. Additur his & Corallius lapis, hæc omnia ex curiosa veterum obseruatione, audacia incredibili deprompta, non forsam tam vera, quam vulgo credita. At de cæteris filius noster Io. Baptista scripsit & passim habetur. Quidam de dormientibus referunt, ad id quòd vt dixi non profundius

descendat;

descendat; sed qui in turribus cubant non hoc priuilegio fruuntur. Alij quòd obice leui etiam non rarò prohibeatur sed quid discriminis in obice quòd cubet aut sedeat, dormiat aut vigilet? An ergo melius est credere quòd situs plurimum facit vt Plinius affirmat, vt feriat: sedentes & stantes lædit, distentos non ita. Et minus dormientes quod exterius sint minus vincti, plurimum enim facit quod vis illa retineatur. Dormientes etiam non timore percelluntur: at is plerumque eorum qui pereunt mortis causa est. Quòd vero minimo obice arceatur est quoniam vt dixi fertur cum imbrium mole; illam verò quicumque obex prohibere solet. Quominus mirum videri possit quòd altius non descendat, cur autem turbini ac procellæ aquæ societur ac denso vt ita dicum Tigno? eo quod à ventorum concursu factum est: & vt pleraque quæ viuunt suis originibus sociantur, ita non mirum est de fulmine quod ob ignem animatum sed falso putant. Illa varò quinque quæ negant ab illo peti desumpta sunt vt reor à multitudine, velut quercuum, vbi enim nemora illorum, ibi sæpe cadunt fulmina quod locis obnoxiis oriri solent. At conuertuntur imò idem sunt, vbi non cadunt, non feriri, vbi cadunt non oriri eas arbores: rarissimè verò in lauretis fulmina cadunt, ideo conceptum mente est eas arbores non tangi fulmine. Quod vbi accideret statim veteribus via fugæ patebat prodigiosū esse & inauspicatum. Si modo aliquid altius residet maius est in causæ assignatione tam fortuitorum euentuum ac casuum, quam in ipsa proprietate miraculum.

63 Cur vt ferunt in viis Romanis quas constat tot iam annis fabricatas cum assiduo & diuturno attritu lapidum ab equis, à curribus', adhuc manent illi sine litura? Quin etiam aliqui addunt quod nescio an verum sit, est enim omni admiratione maius, non labi equos super illis, cum tamen læuissimi sint. At causa læuitatis sanè durities ipsa est. Neque enim dici potest refectas fuisse vias cum illas facilè sit agnoscere quòd paruis ac non planis sed rotundis atque tumidis constet. Cur verò non labantur equi cum durissimi & læues lapides: putant causam esse vim quandam Herculei lapidis qui ferrum retineat. Et quoniam naturalis est & occulta vis, statim agit, vnde etiam currentium equorum soleas retinere potest ita dum retinent equi non labuntur & ob duritiem non excauantur. Hæc vt probabilia in incerti problemate adducere licuit, cum partis vnius exemplum quotidie in promptu habeamus.

64 Cur fistulæ spiritales quo longiores, eo procul magis feruntur & auiculas occidunt? An quòd longiores plurimo spiritu indigeant, ideóque vehementiore insufflata & validioribus viribus: sed non hoc est munus longitudinis se roboris? An quoniam in nauis impulsu à ventis fiat multiplicatio differentiæ cum priore vi in primam vim velut si prima vis sit vj. Secunda vj. fiet xxxvj. mobile? fiet ratio xxxvj est autem rario maior xxxvj. ad xxv. quam vj. ad v. etiam si ventus non increbrescat. Solum ergo motus minuit cum aquarum durities quæ prohibet motum fuerit maius proportione multiplicationis?

vj. v. xxxvj.
vj. v. xxv.
———————
cxxv. lxxij.
———————

65 Cur sonus magis mutat hominum animos quam aspectus neque enim ad saltandum inducuntur & lætitiam ex aspectu vt ex sono, imò ad bellum pugnam, commiserationem mortem denique ipsam tono petulanti concitatóque aut remisso? Quin referunt Alexandrum Timotheo modos pulsante exhiluisse è conuiuio petiisse arma, contentam fuisse Clitemnestram eodem vt nisi interfecto musico ab Ægisto potuisse deduci in sententiam sed forsan dubiis exemplis non indigemus in tam charis experimentis. Doricum dum pulsarent modum æreo instrumento tubam scilicet constat tripudiando & saltando contra inimicos iuisse Spartiatas Exemplo tam horribili, quę etiam ridiculo imò admirando. Quin Romanos cornibus præter tubas & clamoribus adeò perstrepuisse vt aues commotæ aëre & sono perturbatæ & attonitæ exciderent, cornua enim adhuc tubis magis strepunt, vnde Virgilius:

Vt belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit & rauco strepuerunt cornua cantu.

Strepere est maius quàm crepere sonare & huiusmodi. Ergone id accidet quia sonus est in materia, id est, aëre species luminis extra materiā non vt in subiecto sed vt in origine? Vel quoniam sonus fit cum motu lumen autem & color tranferuntur sine motu, motus autem non solùm adauget actionem sed eam mirum in modum multiplicat? An quia sonus debilitet cerebrum & commouet illud cuius indicio est bombus qui remanet à magno sono. Et licet à visili relinquatur si valde lucidum sit etiam imago luminis, illa tamen manet in oculis, soni autem bombus ad cerebrum peruenit. Et hoc est quia visio fit in humore crystalloide extra oculum, auditus autem in neruo auditorio tertij paris qui peruenit ad cerebrum? An quod oculo palpebræ obiectæ sint quibus oculis consultum est ab immoderantia: auribus autem nil tale. Mouentur autem magis ab eo imbecilli cerebro, ratione illud approbante: quia facilius mouetur & superatur quod est imbecillum quàm robustum. Et pueri & mulieres quàm viri: & Barbari quam Itali, & stulti quàm sapientes, & ebrij quàm sobrij. Propterea Turcæ deuorant suum opium ad prælium euntes & antea assuescunt diu ne lædantur. Vt qui Monachiam adepti sunt aut cornibus aut tubis aut opio vsi sint communes sunt fuerúntque cohortationes ducum & clamor militum, his solis nec satis concinnè Iudæi vsi sunt. Verum Græci atque Barbari tuba vtebantur vt apud Homerum. Et simul in sonu. Et Pallas dangore tubarum & Increpuere tuba vel classica cantu ferrea hoc ad Troianos pertinet. Parthi

thi sambucis vtebantur instrumentis acuti soni in bello nunc Afri tympanis paruis in equis exacuunt animos ad pugnam languentes, scripsit Aristoteles morem Troiani belli exemplo ab Hectore deducto. Ergo sonus cum spiritus agat, interuertit consilium & accendit (velut videmus etiam in pueris) certantes ac sanguinis motum vt his præcipuè duabus causis proni ferantur in mortem sublato mortis metu & imagine & animo ad vlciscendum iniurias, habet autem hoc minus consilio, vt hi prudenter pugnentur, illi multos & sæpè etiam magnos committunt errores vt plus his pereat quam lucrifaciantur ex audacia vtile, & magis timidis quasi versa vice res agatur. Redeundo ad propositum plus posse sonum & magis ad intima penetrare quam lucem ac magis turbare cerebrum indicat quòd semper aures pateant vt sono homo possit expergisci, nam apertus est illi meatus perpetuò & nullo integumento conclusus & etiam apertæ sunt viæ ad cerebrum, sed in oculis palpebræ primum hora somni occluduntur. Etsi etiam pateant nihilo serius homo dormiendo nihil aut admodum parum videt, vt eo modo nullatenus possit expergisci.



PROBLEMATVM MEDICORVM.

SECTIO SECVNDA.

1 CVR à vigilia surgenti & deambulanti vel modicum obrepat somnus? An quòd redeundo imaginem referat euntis in lectum: tum verò consueuimus paulo post obdormiscere? An quoniam ex refrigeratione contra hatur calor qui esse solet in dormituris? An quia cibus circumuoluatur in ventriculo desinantque vapores acres? Aut quoniam fœces descendant; ex quarum descensu totum corpus alleuiatur? An quod cogitatio permutetur?

2 Cur ab exiguo vomitu quandoque obdormiscimus? An quia eiecta illa suprema parte cesset aëris euaporatio, vel quoniam compresso ventriculo à puluinari dum proni decumbimus incalescat ventriculus & dulcis euaporatio ad cerebrum feratur?

3 Cur concutiendo pugnis genua dum sedimus ad exonerandam aluum, deiiciamus? Aut etiam si inter eundum crura concutiamus vehementer? An quia ex motu illo fœces descendant, inde successu harum illis eiiciuntur? vel quoniam ex agitatione vehementi ventris musculi moueantur, & exonerentur comprimendo. An quod incalescat corpus frigus autem omne naturæ opus impedit.

4 Cur intestinis descendentibus in scrotum in Enterocele, ventriculus doleat? An quia præclusa via spiritus feratur ad superiora; vel quoniam inuoluta & breuiora reddita magis distendantur, & doleant. Aut quòd refrigerata extra locum & spiritu qui intus est dolor exoriatur?

5 Cur in comitiali melancholia, & quibusdam aliis morbis, velut nephriti & doloribus dentium tum in impotentia coëundi auxilia physica multum prosunt? sed & nonnumquam in febribus? An quòd diuersorum morborum sint diuersæ etiam species Physicorum auxiliorum? An potiùs quòd hi morbi pendeant ex sensibili facultate: vtpote Melancholia & frigiditas ab interiore: dolor renum & dentium ab externa: comitialis ab vtraque: auxilia autem communia ad sensum doloris sunt stupor, exstasis, persuasio quæ ex fide in auxilio proficiscitur: proprietas medicamenti; igitur talia cum sint plura & vno modo prosint, ea pluribus ac singulis horum prodesse poterunt. Talia autem Physica à medicis, id est, naturalia, quia non auxilio artis parata appellantur. In febribus autem fortuitum est, cum circuitu certo pleræque finiantur.

6 Cur cum renes non nisi in exteriore tunica sensum, & neruos obtineant tam graues obtinent dolores ex lapillis: An quod non? nam & Hippocrates inquit: In renem dolor grauis non dixit acutus: sed vocant renum tum propter vicinitatem tum quod causa sit in illis, id est, lapillus aut arena vel pilus, aut quod nonnumquam lapillus sit propior externæ tunicæ, aut vreterum initio, certum est quòd is acutissimus dolor potissimè fit in ingressu vesicæ, valde etiam acutus in vreterum transitu.

7 Cur quibusdam lapilli in renum altero qui non dolet, dolor autem vbi non adest lapillus? vt in nuper dissecto cadauere: in quo erant xviij. lapilli in vno rene qui nunquam doluit: in alio in quo dolor sæpius vexabat nullus. Hoc non vidi: Quæstio autem quia est, præsupponit si est. Quòd si ita fuit: quomodo non sensit se grauari? An ex diuturnitate elanguit? In alio adfuit motus dum torqueretur.

8 Quomodo si lapillus sit in rene dextro & dolor etiam: videtur tamen ab vtroque latere

latere supprimi vrina? An quod dolor prohibeat ab vtroque latere, quoniam materia impediens ad vtrumque locum transmittatur propter propinquitatem initiorum? vel quoniam ex dolore transmittatur materia ad communem locum qui est cauitas renum? Vel quòd non semper id accidat, verùm cum fuerit alius lapillus qui lateat in reliqno rene, vel quòd vrina non trasnmittatur ob sensum illius?

9 Quomodo aliqui migant lapides magnitudinis nucis cum foramem virgæ nec cicerem admitteret. Et multi etiam cum exiguo dolore vel nullo? Vna videtur posse esse causa, vt ex liquida concreta materia mingantur; vbi aërem senserint concrescant: concrescunt enim à calore; à frigore durescunt vt inquit Aristoteles secundo de generatione animalium cap.4.post medium fatis.

10 Cur tot dubia circa ea quæ in renibus, & ex illis accidunt? An quod renum constructio sit valdè mira, adeò vt nunc vsque necdum perfectè perspecta sit? inde quod per angustissimos meatus plurimum humoris deferatur? Et quoniam consensus sit varius cum pluribus partibus Emulgentibus vreteribus, vesicâ, virgâ? Et ob acerbitarem doloris? Et varietatem demum exeuntium? Tum quoque ob transmutationem vt mox diximus.

11 Cur plures vulnere capitis graui resoluuntur?atque à latere aduerso plerumque? An quoniam affecto toto cerebro quæ vulnus accepit etiam præsidiis adhibitis expurgatur, in altera transmittitur ad neruos cum careat meatibus; putredinem cum sapiat non potest delegari ad membra consueta palatum nares? An quod materia iam putrida relegata ex vulnere, seu ob nimiam tenuitatem redeat ad locum vel propter crassitiem retenta propellatur in latus sanum? An quia ex parte vulnerata multus profluxerit sanguis:sanguis autem causa morborum? Vel quòd adhibita integumenta,& vnguenta alia excalefacientia alia refrigescentia vtramque partem in contrarium mutent?

12 Cur lapide vel vlcere in vesica laborantes à mictu non in ea sed in summa parte virgæ vriginem sentiunt? An quòd ea pars præcipuè exquisitissimo sensu prædita sit? An quia sit eo in loco cauitas quædam qua humor retineatur, id enim ostendit experimentum. An quia sola illa aëri exposita refrigeretur. Calor autem doloris mitigat vel quòd dolor in mutatione consistat: mutatio autem à mora fit sed mediocri: nam minima non imprimit in longa tum ob consuetudinem tum mucrorem sensus penè omnis aboletur.

13 Cur quidam mingunt lapide paruos & fragiles cum dolore magno? alij magnos & duros ferme absque dolore? An quod hi vesica geniti per vreteres non transieunt: ad hoc iunas quod leues sint illi vero in renibus orti præsertim asperiores. Vnde liquet hoc minus periculi afferre quam priores licet sint quod ad vitam attinet periculosi.

14 Cur Trauli facile insaniunt? Causam habet euidentē quòd est frequens. An quod debiles cerebro læsis neruis septimi panis præcipuè & etiam sexti particula? cumque hi sint duriores maiorem ostendunt offensam? Sed cur non idem cœcis atque surdis. An quòd à siccitate id fiat: non balbi & blæsi ab humido fiant? Et forsan pares causæ, sed tamen, in siccis tantum hæc noxa accidat? An quoniam ex nixu perpetuo linguæ cerebrum & à neruis patiatur. Diximus de hoc, In sexta Aphorismorum vbi blæsi à balbo differentiam explicuimus: nam Trauli dicti quod proferre nequeunt, videtur autem impedimentum id accidere magis in senibus & ebriis & atræ bilis esse quod ad insania attinet nam graue esse oportet.

15 Cur Dentes sensu præditi soli inter ossa & præcipuè? Dixere quidam ne ab eduliis ac potibus corrumperentur. Sed ad hoc lingua & quæ sub illa partes palatum atque gingiuæ sufficiebant, nec tanto damno tam paruam vtilitatem emere. Soli medici hoc dissoluere problema possunt quippe nisi dens exquisito sensu præditus esset non posset mandere cibos atque ita inepto ad coctionem deuorarentur vt mihi contigit cognoscere in materna auia quæ vix ab eiusmodi casu anno superuixit.

16 Cur carnes cum efferbuerint diutius seruantur à putredine vnde mulieres, quas timent ne putrescant paululum coquunt, humores nostri corporis non prius putrent quam efferbuerint? An quod aqua prohibeat? Verùm magis hoc in assatis euenit? An quia carnes refrigerentur ab aqua exceptæ, humores in loco calido maneant? At si in aqua calida maneant non omnino putrescunt, si ferueat; si frigida aut tepida serius, quam extractæ vel quòd calor ille putridus aquæ non sit, in nostro corpore, sit & ideo putredo à putrido calore concipitur? Sed etiam sine putredine vt ab ira & exercitatione vehementi humores putrescunt. Satis apertum est non fieri magnas putredines nisi præeunte febre, multosque homines dum quiescunt videri sibi optimè sanos & bene valere qui vel minimo motu aut fatigari aut excalefacti statim ægrotant & non pauci ex his grauiter, quidam etiam pereunt. Ergo altius repetenda est origo huius rei. Igitur elixatio cum extrahat multum excrudo cum pingui causa est vt non putrescant carnes sed diutius seruentur. Sed si quis dicat obstructionem parere putredinem? contecto lebete minus putrescit. Cur igitur ex obstructione in animalibus humores putrescunt, in lebete dum coquuntur non? Ergo alia causa est, quoniam naturalis calor non perflatus extinguitur: putridúsque seu alienus sub ingreditur, & corrumpit, calor autem igneus ex ollæ integumento non extinguitur, sed potius augetur, quòd ignis extra ollam sit. Ergo solum dubitatio restat cur igneus calor

non putrefaciat neque ſiccius neque humidius, cum vterque natiuum extinguat & humidum difflet: nam de putrido cum extinguat innatum nec difflet, minimè obſcurá eſt cur corrumpat? Igneus ergo corrumpit cum ſoluat compaginem ſed cum ſeparet humida à ſiccis; putridus autem miſceat, non corrumpit. Ex caliditate igitur putredines & febres & inflammationes fiunt in animalibus. Quocirca etiam ſudores & colliquationes vt in Primo Promptuarij.

17 Cur in Hibernia frequentes Elephantiaſis? in Britannia peſtis ſudorifica? Quoniam piſcibus & multo lacte veſcuntur & locus frigidiſſimus in ea regione, ipſi quoque minimè mundi; hic autem morbus contagioſus & hæreditarius. In Anglia comedunt multas carnes, & ſpurcè cum ſuo zetho viuunt, effundentes ſub pauimento, & aër eam perniciem ſecum deferre videtur.

18 Cur ſcabies & pruritus etiam qui minùs eſt cum putredine longè magis contagioſus eſt febribus tum continuis, tum intermittentibus, ſi modo vllæ ex his contagioſæ ſunt, præter peſtilentes? An quòd cutis ipſa exulcerata eſt, ideo partem (non ſolum humorem, corruptam tranſmittit; vel quod in ſcabie humor communicatur, in febre ſolus ſpiritus, vel quia in ſcabie foris ſit quod putridum eſt, intus autem in febre. An quòd in febre ſi peſtilens non ſit, non putredo ſed ſolus feruor adſit, in ſcabie autem ſeroſus & verus etiam humor putruerit, vel quod feruor febris prohibeat putredinem: vnde cocta (& maximè non ſtatim ſed à valde feruente aqua) non ſolum non putreſcunt, ſed ſi iam putreſcere cœperint redeunt, & ab illa prohibeatur.

19 Cur morbi etiam lethales abſque ſenſu noxæ præcedentis repente ingruunt? Primùm quòd non id niſi raró contingat. Sed frequenter potius: & ſi pauci ſint de illis reſtat quæſtio. Et quæ cauſa illis paucis aſſignari poteſt eadem etiam multis. An quod parui ſint ab initio velut & arbores quæ ſatæ oriuntur, ſi ergo parum ab initio vexant, quanto minus antè. Sed & in magnis initio contingere poteſt. An quòd non ex genere lethalium ſint ab initio, ſed ſucceſſu fiunt ac tranſmutantur, vel quòd ſenſus amittatur ſeu minuatur, quantum noxa accedit; ideò non ſentire videntur: fiunt enim ſtupidi velut dictum eſt, & attoniti ante graues morbos, vel quoniam ſenſus quadruplex ſit naturalis quo plantæ trahunt alimentum & conueniens omiſſo noxio; vitalis qui ineſt omni ſentienti prout diſtinguitur vitale à medicis, à naturali. Et hic non ſolum eſt in neruo iunctis partibus ſed dentibus & ligamentis, atque hic præcipuus non ſolum in corde, ſed etiam arteriis, ac omni animali per animam ſenſilem ingenitus, in venis autem non pulſatilibus perexiguus. Tertius eſt doloris ac certi velut qui à neruis. Quartus cognitionis auditus viſus tactus. Omnes Galeno cogniti præter ſecundum. Quibus ergo origo morbi eſt in locis ſenſus perfecti aut vitalis velut in corde vel arteriis aut membris neruoſis ſimilibus vt ligamentis ventriculo & omnibus illis conſtantibus, hi ante morbum ſentiunt: qui verò in venis minimè. Ex omnibus igitur his cauſis contingit non ſentiri morbum antequam accedat.

20 Cur Putrida valde, ſunt amariſſima non tamen amariſſima putrida imo potius à putredine præſeruant vt Aloës, Abſynthium, Myrrha? An quòd non omnia valde putrida ſint amariſſima ſed ſolum quæ ſicca ſunt, poma enim valde putrida cum humida fuerint non fiunt valde amara. At amara putredini obſtant, quoniam ſicca ſunt, quæ autem adeò putruerunt vt ſint amara, non amplius putrida ſunt, hoc autem declaratum eſt in contradictionibus.

21 Cur ſi pullo ingluuies ſale impleatur inde acetum inſtilletur donec pereat; ſtatim verò coquatur, tam friabilis euadit ac ſi per plures dies euerſus fuerit? hoc enim affirmant. An quòd vnum frigidum aliud calidum & vtrumque acre, aut quòd ob calorem viuentis animalis acre accendit & exuritur quaſi coquatur? vel quòd acetum diuidat, ſal aſtringat, hoc autem eſt friabile reddere, vtrumve cor ſolum incaleſcat & per arterias diſſoluatur animalis ſubſtantia?

22 Cur ægrorum quidam iuuantur à cibo alij læduntur etiam in eodem morbi genere? An ſi ſomnus ſuccedat (nam nunc de vigilantibus ſermo eſt) & occaſio ſit, quoniam à vaporibus non à materia ſomnus intercipitur, aut mundus ſui ventriculus, ſomnum & iucundum concipiunt atque ita iuuantur, ſi autem acres humores cerebrum infeſtent & aliunde quam à ventriculo dum cibus poſtulat concoqui, magis exacerbatur æger & vigilia magis infeſtat. Tum etiam ex horis; nam ſummo mane plus reſtaurat modicus ſomnus etiamſi peruigil tota nocte fuerit, quam ſi totam fermè noctem dormierit, mane autem vigilet. Ea enim hora ſomnus eſt longè vtilior quod ex vltimo alimento benè concocto cerebrum nutriatur & humectetur. An quod bonum malo ſuccedens longè plus iuuet quam malum bono etiamſi bonum fuerit maius.

23 Cur attonitus morbus cum ex inanitione nunquam ſed ſemper ex repletione adueniat, numquam tamen à cibo aduenit? Aduenire non poſſe negauerim quadragies tamen ita eſſe obſeruaui: cum pluribus in initio prandij maximè oua bibentibus acciderit, vnde vacuo ventriculo etiam, nam non ante cœnam? An quòd ſi non ante imbecilli cerebro, quomodo poſt iam reſtauratis viribus? Vel quòd vt in Aphoriſmis maximè communicet ventriculus cerebro per neruos ſexti paris qui offenduntur maximè ex ieiunio, vt de Grammatico illo qui comitiali morbo ex inedia corripiebatur?

batur? An quia cibus & potus impediant pranorum vaporum ad cerebrum ascensum ideò fit potius somnus quàm attonitus morbus? An quia cor plurimum restauretur cibo & potu maxime vini morbus autem hic non fiat nisi corde valde facto imbecilli: & Ideò in senibus decrepitis (quanquam videatur Hippocrates, aliam ætatem magis hoc in casu vereri) maximè contingit. Sed quod si non ex vna causarum tantum sed omnibus aut pluribus saltem id eueniat? An dicemus non esse id verum sed quibusdam à cœna, id est, post primum scilicet somnum contigisse? quòd morbus hic fiat à repletione, à somno autem caput maximè repletur. Et ideò matutino & post duabus concurrentibus causis repletione scilicet nocturna, & morsu oris ventriculi hora cibi serâ, tum enim maximè fiunt attoniti morbi scilicet à quarta hora vsque ad vesperam, si contingat à cibo homini abstinere vel etiam à tertia in comedonibus & assuetis tempestiuè & sæpius assumere cibum cum procrastinauerit, vsus enim causam præbet, morbi tarditas efficit illum.

24 Cur Dolor cum sit res magis naturæ nostræ contraria pruritu & titillatione, minùs tamen mouet lipothymiam seu animi defectionem illis? An quòd affectus hi magis pertineant ad cerebrum dolor autem ad cor? Aut quod sint affectus leues qui partem tenuiorem spirituum resoluunt, vnde animæ fit dissolutio quam vocant λιποψυχίαν, Syncopem autem efficere non possunt? Sed dubium non est in hoc: verùm cur efficiant illa magis quam dolor· Et de titillatione forsan dici posset quòd sit cum motu & pruritus à vapore ideo scalpendo desinit; Dolor autem vtroque caret, quod si alterum eorum adsit tum non ad illa sed ad syncopem perducit, quod sit naturæ nostræ contrarius; illorum autem neutrum. Adeo vt concludamus hos affectus celerius ad summam magnitudinem peruenire & ideò etiam symptomata parere, non tamen eiusdem generis cum naturæ nostræ non sint contrarij: imò ab initio iucundi, sed magnitudine postmodum molesti.

25 Cur pisces olera fructus, quo recentiora eo facilius concoquuntur, carnes autem quanto diutius mactatæ fuerint? An quod non tam facilius subiguntur ab igne, quam verendum sit vt putrescant ob humidi tenuitatem, carnium autem crassius humidum est, indicio quod seniorum & agrestium animalium diuturnius tempus exposcunt. Ideò facilius coquuntur quorum iam substantia dissoluta est, aër autem externus dissoluit & ad putredinem præparat. An quod ex piscibus, morâ & plantarum partibus pars aërea resoluitur tempore breui ideò redduntur frigidiores & magis crudi? Indicio quòd etiam pisces magni celerius coquuntur si aliquandiu mactati iacuerint. An quòd pisces in alieno elemento iaceant carnes in proprio, ideò vnum iuuat ad coctionem & præparat simul ad putredinem, alterum solum corrumpit?

26 Cur dentes cum auulsi fuerint minus eorum dolent radices, quam antea? An quòd post auulsionem locus patet quo vapor intrudebatur? aut quod prodeunte sanguine corrupto cessat noxa & simul fomentum omnis intemperiei? An quia dolor ex auulsione obscurat eum qui post superest? An quòd annexus dens degrauat locum: & cum occurrit renouat noxam? An ex omnibus his?

27 Cur Dentium radices omnes præter vltima sine dolore separari aliquando solent, vltima numquam? An quòd ex illa dens moritur non ex aliis. An quod in vltima radice tota vis remanet, neruus, vena, arteriola, ideo neruum frangi necesse est, hic autem maximi est sensus? An quòd iam ea pars sæpius afflicta sit dum sola dentem retinet: locus autem iam conflictatus plus dolitat? vel quòd vltima radix ob tædium vi soleat auelli, cæteræ sponte separantur? An vt in præcedenti ob hæc omnia?

28 Cur abstinentia adeò commutet homines vt quidam adipiscantur repentè scientias vt referunt de Raymundo Lullio (quamvis sic scire, nesciam cui vsui) plures fatidici? An quod tales etiam sint solitarij, homo autem solitarius aut bestia aut Deus, dicit Aristoteles. Aut quod hi incolunt specus plerumque: halitus autem terræ permutant mirum in modum temperatura vt Aristoteles in libro de Oraculis referente Plutarcho? An quoniam dum abstinent cogitant, & nulli negocio intendunt: anima autem libera multa videt & cognoscit, modis nobis non adeò compertis. Aut quòd desipiant ex inædia nec talia norint, sed vt in aleæ iactu contingit ter diuinare simul, & simul pòst, centies aberrare, vel quòd simplex & vnica corpus confirmet & velut rubiginem ex anima detergat, vnde pellucida velut diuina quædam res, irradiando varias imagines refert. Et ex eis Deo adiuuante persæpe verioribus inhæret, verisimile enim est cum Deus Bonum ipsum sit, bonis in bono opere auxiliari, est autem inquisitio veritatis ad opus bonum directa per se bona.

29 Cur vrigo cum magis affligat, nemo enim non cogitur exclamare, dolor autem cum sæpe longe etiam minor sit, occidit vrigo non occidit? An quòd non dolor si non excedat non interficit sed causa doloris vrigo autem causam potentem non habet. An quia vrigo sit cutaneus dolor & superficiarius, dolor autem profundus? An quod dolor sequatur ad inflammationes & ad ossa fracta, vrigo autem nonnisi in externis membris & in ore & ventriculo & ano! An quòd etiam ex vrigine pereant homines vt in exercitatis? referunt autem nonnisi cum ad vmbilicum

vmbilicum peruenitur vel forsan ex omnibus his?

30 Cur somnus? cum omnes operationes fiant cum motu & motus excalefaciat, exemplo nauium, motus semper intenditur & spiritus ideò resoluuntur, quare homo ad interitum properaret, esset autem necesse ne elementa dissoluerentur, postquam quiete opus erat cessare motum, somnus à natura inuentus est, qui est quies spiritus animalis, at si vndequaque spiritus quiescerent, pectus quod ab animali spiritu ac facultate mouetur, cessaret, & ita homo suffocaretur. Cor etiam non moueretur & ideò bifariàm homo interiret & suffocatus & extinctus substracto alimento: ideo huic periculo natura prouidit vt absque spiritu arteriæ & cor mouerentur obsequentibus arteriis cordi ipsi. Inditio sunt tres res. Prima quod omnes arteriæ æquali tempore mouentur ad diastolem & sistolem & ideò etiam inter se, quod fieri non posset vbi à spiritibus mouerentur, vbi enim etiam vt plures spiritus, ibi velocius mouerentur, & etiam quod vinculis addactis non cessaret motus quia adest arteria & spiritus & calor vsque ad tempus: Et tamen cessat. Et etiam fieret nimis magna resolutio in toto corpore. Et ideo mouetur ab illa vi quæ constat in temperamento quod conseruatur à spiritibus. Ideò motus ille fit iuxta caloris necessitatem, & vim propriam cordis quæ est vt Solis, lux, & hæc conseruatur à spiritibus, Ideo spiritus quiescunt non solum in somno sed in vigilia. Imò in somno pulsus fiunt maiores, quia intima sunt calidiora eo tempore. Causa verò materiaria somni est vapor humidus, qui vincit spiritum animalem & etiam vitalem. Et ideò à nouo humido præcipuè cibi ac potus inducitur somnus. Et quoniam ex labore resoluitur spiritus animalis, licet corpus fiat siccius tamen quia modicum humidum sufficit paucis spiritibus & ex labore exhalat humidum acre, ideò à labore subsequitur somnus dulcis atque profundus: maximè si laborem subsequatur mollis cibus & potus suauis & humidus, Cum ergo in febribus calor pectoris sit magnus & totius corporis siccius, ideo febricitantes fiunt vigiles: Primo ob caloris siccitatem vt materialis causa desit: Deinde acredinem, naturâ molestia affectâ. Tertio quia maior celerior & frequentior respiratio sit necessaria: igitur quies in spiritu minor, ergo somni leuiores & breuiores. Inde sequitur quòd si febricitatem non sublata febre velut per syrupum violaceum cogas dormire nocebis egregiè: nam quiescet spiritus & respiratio fiet minor tardior & rarior quam esse debeat: igitur calor naturalis non bene nutrietur, & calor præter naturam augebitur quare & morbus & vires debilitabuntur. Sed non est hic locus vltra progrediendi. Ea ergo causa somnus in aurora facilius contingit maximè in æstate humectato aëre: nam tunc ros cadit vt videmus in dumetis: Et magis reficit quoniam tunc cerebrum maximè nutritur dulci ad ipsum à iecore translato sanguine: vt etiam cor & iecur: ideo somnus ille magnum solamen corpori affert. Quod etiam docuit Aristoteles.

Animaduertendum est autem quòd cum vna facultate destructa aliæ necessario concidant: si spiritus vitalis cogeretur moueri etiam interiret: quoniam omne mortale quod æqualem seruat motum si eo motu incalescat vel minimum, necesse est vt ad summum caliditatis perueniat & igniatur: vt experimento in manibus confricatis inuicem aut cum tabula vel linteo, ideò cum motus cordis sit perpetuus esse non potest vt fiat à motu spirituum: sicut in motu pectoris & manuum: quorum alter fit per diuersas partes spirituum quia non est communis toti corpori, alter non est perpetuus nec vllo modo esse potest. Aliud quòd cessatio à restauratione est minoris detrimenti longè, quam à motu pectoris. Et ob id per plures dies homo potest manere absque somno, non autem per mediam horam absque respiratione. Ideò si error contingat maior semper erit in semper erit in somno violento quam in vigilia. Quare dispositio illa quæ est media inter somnum & vigiliam cum complectatur ambo, mala: debilitat enim calorem vt vigilia, & non permittit respirationem perfici vt nec somnus: Quare nec quiescunt vt in somno spiritus: nec mouent vt in vigilia vt calor nec repurgetur nec reficiatur: ideo fit coma vigilantiuum aut somniferum quod est lethale.

31 Cur lusciosi melius cernunt ambobus oculis simul quam alterutro oculo quouis qui autem acie valida sunt perspiciend, vno tantùm; indicio est quòd vbi collimare velint alterum oculorum claudunt? An quòd collimare melius, non sit melius videre? at hoc fit vt rectius inspiciant cum in vnum oculum species visibilis in conum magis coangustetur? Vel dic quòd lusciosi parte vna oculi vident alia non vident & ita vtroque totum. Et reli-



qua adiuuant operationem alterius oculi, velut K, inspiciat A, B, C, D, rectè perfectè & B, D, E, F, contra: L, rectè & perfectè

perfecte B, D, E, F, contra A, B, C, D: ita K, L, vtranque partem bene atque perfecte videbunt & aliquanto melius etiam totum quam K, suam medietatem A, B, C, D, & L, suam B, D, E, F. At in oculo perfecto vno occluso tota vis & spiritus in vnum coëunt & ita optimè videt, ac melius nec solum collimat quam ambobus. An quòd membrum læsum à quovis incommodo diuellitur & offenditur; robustum (Exemplo prævalidi ignis ab aqua pauca) corroboratur modo leue fit: vt quia suas vires colligat, vel quòd non semper verum sit, sed vbi lumen deficit, vt in senibus maximè, lumine addito ex altero oculo melius videant, contra illi à superfluo impediuntur. Ad hoc videmus in iisdem qui ob hoc procul melius vident quamvis hoc magis naturæ aduertetur procul, quam duobus oculis bene videre.

32 Cur vesperi maxime æstate pustulæ multis contingunt cum pruritu imo sub forma tuberculorum quibusdam rubræ & sunt sanguineæ dicebat Princeps aliis albæ quæ fiunt à pituita salsa. Dicit quòd cum fiunt magnæ nisi succurratur sectione venæ quod solent efficere tertianam nec causam docet. Post subiungit quòd ea sectio venæ debet fieri inter locum & principium. Pro causa dicit accidere ob vapores sanguineos biliosos, & quòd est vehementior, calidior, & celerrimè exit: aut ob pituitam salsam & magis sæuit in nocte. Expositores nihil prorsus dicunt: sed solum quòd omnia per se clara sunt, ô hominum mores? Tria proponuntur difficillima cur si magnæ sint nec curentur debeant gignere febrem: & tertianam non aliam. Secundo quid intelligendum sit per locum & per principium? Maximè quòd plura sunt loca vbi venæ conspicuæ in cute non apparent & tamen ibi fiunt Epinyctides (nam ita appellare solent, alij plantam noctis) numquid ergo ex locis vbi nullæ sunt venæ in cute euidentes, sanguinem detrahemus, vt sub alis & in exteriore cubitorum parte & in ventre vbi apparent plerumque pustulæ & tubercula maiora etiam fabis vulgaribus: An ergo quia homo difflatur tota die ob calorem & perpetuo remanet pars crassior, tum quia minus attenuatur & minus eleuatur: nocte superueniente & exutis vestibus (nam eo tempore propriè abundare solet) ob duplex frigus prohibetur in vapores resolui aut exire: Quare intumescit locus & magnam molestiam affert: tum morsu proprio tum quia cutim diuidit. Atque hæc de causa. Secundum est cur si magnum occupent locum & non curentur sectione venæ periculum immineat de Tertiana? Cum enim sit humor acris dum natura potens est spargitur ad cutem: Quòd si sit latior locus materia est plurima vnde spargetur in eadem via sed propius scilicet in musculos: tertiana autem fit materia super musculos sparsa inde horror & tremor ob morsum. Et hoc ad vnguem Galenus declarauit in Epidemiis. Ergo nisi secetur vena periculum tertianæ ingruit. Sed maior est difficultas ne non etiam sic agenti tertiana superueniat, Primùm retracto humore humore prauo intus. Secundo quoniam non ducimus quocumque natura vergit sed contrario motu: tertio ne detrahamus bonum sanguinem & malum relinquamus. Quare cucurbitæ videntur vtiliores: sed in tanta copia humoris aut immodicè calidi aut salsi periculum est ne vel anthrax aut Erysipelas suscitetur aut febris valida. Quòd si purgatione per sudorem innitaris exercendo te, incurris periculum Hippocratis ex sexto epidemiorum, & similiter si coneris purgare mouebis materiam ad interiora & forsan corrumpes totum sanguinem. Si vtaris potu & cibo parum nutriente, minimè acri & humido ac moderatè frigido forsan non sufficiet: sicut ego cum curaui Franciscum Gadium amicum meum, ex ordine D. Augustini, sed vsus sum ea custodia sex mensibus cum morbus obtinuisset iam integro biennio alens, eum ptisana ex iure testudinum nemorearum, & absque sectione venæ & liberatus est perpetuo. Ergo melius est vt ad hanc victus rationem: & vsum oxalidis & rhu viridis ac ribes leniendo aluum alternis diebus vtaris leuibus frictionibus, vides quam mentiantur de claritate. De loci autem sectione intendit vt trahas ex vena conspicua propinquiore loco: & in illa eligas partum quæ est altior, loco patiente: vt sanguis antequam ad locum perueniat læsum, fit factus purus & frigidior. Sed verè hoc est difficile & videtur Auicenna aliena transcripsisse hac in parte: nam morbus hic nec locum vnum retinet & tot etiam simul locis effunditur vt opus esset cane sagaci. Naturam tempestate cynæ radicis potus is qui dilutior est prodesse multum compertum est.

33 Cur multis à dolore in genu post venæ sectionem etiam ex pede repetitam, à purgatione inflammatio in eiusdem partis maximè dextræ oculo vsque ad cœcitatem, velut duobus adolescentibus. Saraceno & vxori? An quoniam ab atra bile cæcitas vt sexta Aphorismorum, eductâ verò pituita & flaua bile quibus à natura deriuabatur ad genu maximè non præparata sursum repit, & vt mos est eius humoris, fecit insanabilem morbum? Vel quoniam motus intercipitur: est enim alius longè ad articulos, ab eo qui ad aluum quoniam contrarius. Tertio Promptuarij? An quod materia furens agitata vt febrem facit ita ophthalmiam; vicissim enim permutantur, Prima Problematum. Præsertim quòd à seroso humore vterque morbus fit; putrido perfectè febris; semiputrido ophthalmia: vnde imaginem calidi exhibet, cum sit frigidus: neque enim morbum longum faceret qualis est lippitudo quamvis non idem prorsus sint Græca ophthalmia & latina lippitudo, vel quòd

Purgatio fiat deductis ad ventriculum humoribus qui non plenè euacuati & dum euacuantur ex tenuitate furentes ascendunt per palatum ad oculos vt Primo de causis symptomatum, efficiuntque eum morbum. An quòd ex medicamento calidiore Prima Aphorismorum supercalefactum iecur (ideò vsque nunc tantum in dextro latere hanc mutationem efficiat vt quod deorsum ferebatur postea ex caliditate sursum ascendat. Quòd si ita est neque obscurum est cur decoctum Guaiaci non contulerit, simulque manifesta est, curandi non modica rationis pars, neque tamen calidus humor ex hoc (Animaduerte recteque distingue) sed humor non solum frigidus sed crudus, à calore immodico iecoris in vapores transmutatus, inde ex putredine signa caloris habens.

34 Cur morbi aliqui sponte sanentur qui curari non potuerunt? Facile est dicere malè curatos fuisse. Sed cum eisdem, iidem post conualuere. Præterea constabat de causâ & morbo. Alij dicunt ex circuitu astrorum vt Quarto de Generatione Animalium. Sed videmus vbi statim à curatione recesserunt id contigisse. Præterea hoc esset Fato quasi nostra subiicere. An quod ex fide & spe & aëris mutatione: sed hoc in quibusdam contingit & præter aëris mutationem in paucis. Propterea dicemus tribus ex causis id contingere: Primà consuetudine, natura enim ad consueta reddita roboratur, medicus persæpe obseruat solum vt occurrat his quæ sunt præter naturam. Alia quòd medicus nimis vrget, atque ita vires debilitat, cæpta abrumpit, & hoc dum studet nimis solicitus & sapiens videri. Tertia quòd vbi dispositiones sint oppositæ & contrariæ & paulum à naturali distantes: si medicus vni obstet aliam adauget. Si vtrique nitatur vix fieri potest vt in quantitate non aberret & ita offendat.

35 Cur lac oua sanguis iecur cerebrum (aliqui etiam renes dicunt) quo diutius coquuntur eo duriora euadunt? An responsio patet ex Philosopho. Secundo de Partibus Animalium sanguis concrescit quia crassus & terreus: cum enim tenue euaporat concrescit quod terreum est, lac ergo concrescit quia tenue aqueum separatur: sanguis quia partim separatur, partim euanescit: cerebrum terreum est velut & iecur: at oua quid dicendum neque terrea neque crassa maximè vitellus? Dicebat Philosophus: Tertio de Generatione Animalium ouorum vitelli calore concrescunt non tamen ducuntur vt alba sed corrumpuntur ab igne. Et hoc inquam recte se habet, quanquam fateatur ouorum vitellos terrenæ esse naturæ.



PROBLEMATVM MORALIVM Et Præstantiæ.

SECTIO TERTIA.

1 VR homines minus obliuiscuntur duorum numerorum si animaduertant differentiam quam si non, cum tamen tria memoria sic continere oporteat? Causa forsan est quòd cum sint connexi hi numeri licebit quovis per obliuionem amisso omnium recordari velut suppositis xiij. xxxvij. quorum differentia est xxiv. vt obliuiscaris vnius horum, necesse est vt duorum obliuiscaris, si vnius tantum licebit restituere, at si non consideres differentiam, sufficit vt deleatur vnus ex memoria, at difficilius est obliuisci duorum quam vnius & rarius contingit, igitur facilius continentur duo; numeri considerata differentia, quàm non animaduersa.

2 Cur Principes multi in quibusdam publicis actionibus sæui & auari videntur vt in vectigalibus exigendis à miseris; iustitiam in priuatis negotiis tam exactè seruare videntur vt admirationi sint. An quod publicum velle corrigere res sit nimis difficilis non ita de priuato? vel quoniam in hoc sint euidentes & conspicuæ actiones, in illis obscuræ etiam si mille miseros seruare possint? Aut quod in vita priuata legibus teneantur: vt principes agant rem publicam cui sint iuramento astricti vt milites, ideò quod Reip. salutis causa fit, & ob sacramentum, & quoniam seruiunt ideo mandato dominorum tenetur quisque; ideò licitum ac legitimum videtur esse quodcumque agunt.

3 Cur Principes bella tam facile gerunt cum & ipsi vitæ se periculis exponant & multa in commoda patiantur, cum possent in summis delitiis viuere? An quod omnium

rerum

rerum sit satietas quædam? Et maximè quod hæc actio cum virtute coniuncta sit, ac laude, vel quòd per bellum multa liceant quæ in pace nonnisi cum dedecore agi possint? aut quòd bellica administratio sit iucunda, bene consulere, fortiter agere, experiri fidem amicorum, videre loca non visa? Aut quod sperent magis quam timeant: Quisque enim rebus suis abunde fauet, ad quem errorem plurimum faciunt adulatores, vel quod ministri id suadeant quorum spes diripere fraudare emungere, vel quòd maior pars hominum optet hæc discrimina, seu diuites futuri & fælices, seu morte omnem molestiam euasuri. An quòd bellum sit in motu quodam, homines autem amant motum, quia ille parit res nouas & insignes: nouitas autem delectat, vel quoniam bellum exercet corpora & animos atque fortunas; vix est autem inuenire mortalem qui non speret in altero laudem consequi aut in tertio vtilitatem consequi, vel quoniam operatio sit perfectio & actus, bellum autem se habet ad pacem vt vigilia ad somnum, ideò penè omnes in bello & de bello gliscunt.

4 Cur homines etiam decrepiti tam libenter optent excipiantque venturos dies, cum eo magis propinqui fiant obitui & in profundam ruant senectam, quorum vno nihil miserius, vt ille inquit:

Multa senem circonueniunt incommoda.

Altero miserius nihil, cum sit Aristotele teste vltimum terribilium mors. Forsan negabis id esse? expressit nec latuit, antiquos; Auidumque futuri appellat Horatius senem. An ob auaritiam præcipuè diuites quod redditus exigant, temporis autem cursus lateat, vt ille idem refert. Senes autem auaritia optant quod illis nociturum est vt iracundi qui adeo ira sæuiunt vt mortem iungere sibi velint vt vlciscantur; est enim vitium immoderatum, vel quod natura leniat tantam temporis defluentis iacturam etiam hoc lenocinio, vel quod ad meliorem vitam properantibus, similes sumus bello regnum sibi parantibus, quibus tot molestiarum sensus suauis est ob memoriam finis atque quietis.

5 Cur prudentes viri plerumque sunt timidiores. An quod causa sit naturalis: minus enim in frigidis sanguis commouetur & ideo melius præuident quia minus perturbantur. An quòd prudentes ex prudentibus nati sunt, hi autem multa experientia edocti senes atque ob id timidiores? vel etiam educati apud seniores aut pædagogos qui & ipsi timidi sunt vtpote inermes. An quoniam prudens multa videt, & ob id à pluribus timet. An quoniam prudentes naturæ humanæ rationem habent quæ facilius in mala impingit quam bona & mala etiam sunt bonis maiora & difficilius auertuntur quam bona excidant. An quod sapientes viri vt inquit Aristoteles fuerint melancholici; melancholici autem timidi.

6 Cur soli stulti iucundè viuant? Imò qui stulti sunt plerumque minus molestè vitam ducunt? An quòd stultitia adimat instantium cognitionem: futura verò mala plura sunt bonis, & facilius occurrunt & maiora sunt. Quòd si nullum aliud incumberet, sola mors omnibus bonis vitæ præponderat quam nemo effugere potest. Item senectus, & conditio alternata natura. An quia stultitia ebrietati similis sit, atque ob id plerumque læti quoniam stulti euadunt ex atra bile sanguini mista, vel quòd stulti obliuiosi sint & ideò malorum non recordantur; at tria sunt quæ semper nos contristant si memoria repetantur quia nunquam obliterantur iniuria, Dedecus & amissa bona præsertim filij: at his repleta est vita humana tota quomodo ergo sine insania homo lætus esse poterit? An rursus quoniam stulti cum pueris mulieribus ac ignobilibus versantur quorum vita expers curarum est, ideóque læta vel etiam quoniam ipse nulla cura delegatur at vt ille dicebat cor vrunt curæ. An quòd stultorum facta cum videntes rideant ipsi putant eis voluptate esse & in precio ideo arrident arridentibus: & læti viuunt.

7 Cur homo deliberare non cogitur, Cor tamen nobis inuitis palpitat? An quod deliberatio fiat in cerebro, timor autem agitat cor? hoc enim medici dicunt. Sed est falsum: namque neque cerebrum principale membrum est: nec operatio vlla sine corde fit quæ ad animam pertineat. An verò quòd deliberatio sit virtutis intellectiuæ seu saltem cogitationes, at timor vis est in imaginatrice; indicio quòd cuncta animalia timent; nullum præter hominem deliberat.

8 Cur cum potentia & scientia faciant hominem beatum vt in Memoriali dictum est, vtrumque quanto magis augetur eo magis homo cupit vt crescant? An quod quanto magis crescunt eo magis agnoscit illa bona, si quid enim possidemus par est vt magis agnoscamus ideò magis etiam appetimus. Ideo dicebat ille:

Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.

An quod ea bona ex motu originem ducunt: motus autem sensum vt dictum est sæpius adaugetur ideò aucta augent sui desiderium: vt pote reciproca, vel quod aucta bona dilatantur, ac multiplicantur occasiones humanæ, per quas cogitare ampliora optares.

9 Sed cur maius est desiderium incrementi potentiæ quam sapientiæ? Cum sapientia tamen melior sit ac nobilior. An quoniam homo in hac vita sit magis corporeus quam animalis; Potentia autem & opes expleat corporeos sensus, sapientia animam ipsam, vel quòd sapientia sit bonum solius animi, potentia animi & corporis. An quoniam sapientia sit ex genere bonorum vtilium & honestorum, potentia necessariorum, ideò potentia propter naturam ex genere manentem plus trahit quam sapientia, licet magis deberet sapientia, quoniam obiectum illius est infinitæ magnitudinis capax, potentia autem terminum habet & sapientia mortalia & immortalia complectatur, Potentia humana solum mortalia sapientia præterea corporea & incorporea; potentia, corporea tantum.

10 Cur famuli & ancillæ, plures diutiúsque conuiuant cum auaris dominis quam liberalibus & splendidis, nisi sinant illos decipere atque furari? An quod auari sint sapientiores prodigis facilius autem est conuiuere cum sapientibus vt qui sint commodiores, mitiores, & vtiliores quam stulti? An quòd auari habeant minorem familiam & minora negotia, famuli autem & ancillæ refugiunt plerum laborem. An quòd auari sint humiles & blandi; contrà liberales: humani autem & blandi placent hominibus præsertim vilis animi? An quoniam auari minus illis audeant imperare ne dent, liberales sunt imperiosi, ideò facile oderunt? An quod auari habeant domesticos melius moribus præditos vnde magis inter se conueniunt? An quia homines semper sperant; à diuitibus autem ac liberalibus cum assueuerint incrementa consequi, si non dent discedunt: si dent, dissipantur & pauperascunt? An quod auari ab initio curant res suas vnde domestici redduntur meliores statim. Et ita non erumpunt ita in flagitia vt postquam nequeant retineri? An quod auari eligant domesticos, & plerumque aliqua consuetudine coniunctos, liberales accipiunt vltro se offerentes? An quòd auari suscipiunt assuetos laboribus & abstinentiæ, liberales comptos speciosos, qui difficilius retinentur? vel quòd qui cum auaris degunt sunt sordidi ideò homines non seducere tanquam ineptos aggrediuntur: nec illi audent ad vitæ genus quod non tractarunt transire? vel quod aliqui permaneant sed cum sint inter multos homines non animaduertunt; auaris est vnicus aut duo: ideo omnibus conspicui? An quòd auari illos deuinciant publica fide at aliis liberum est abire? Quin etiam quòd liberales dant, vnde nec sperant aliquandiu & possunt, auarorum domestici non habent & sperant. An ex omnibus aut pluribus aut etiam aliis?

11 Cur qui contemplatione plus valent opere ipso sunt ineptiores? An quòd qui plus opere præstant minus valent contemplatione? vt vice versa respondeamus id autem contingit quoniam:

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Vel quòd qui rectè contemplantur tardi sunt ad iudicandum, qui ad opus idonei videntur, sunt promptiores. An quod qui contemplantur melius peragant sed pericula dum cauent segnius procedunt & multis abstinent vnde ab imperitis ignari segnes & ancipites credũtur. An quia imperiti sint plures & moribus similiores vulgo ac magis familiares ideò insurgunt & voces spargunt contra eruditos eiusmodi? vel quoniam profunda cogitatio debilitet animum, & ob id postmodum in agendis non adeò sunt circumspecti?

12 Cur amici minus plerumque ignotis, imò etiam inimicis, mihi in arte tribuunt? An quòd illi magis solicitantur ab æmulis? vel quia amici inspiciunt reliqua in quibus cum deficiam idem putant esse debere in arte exercenda: vt pote in vestitu, mensa, re familiari. An quod qui amici non sunt mouentur fama; amici re: fama autem semper fere multo maior est re? vel quoniam alij non veniunt nisi magnis in casibus in quibus gloria consistit, velut in arcu tenso: in paruis autem remittitur. An quoniam familiaritas contemptum nouitas admirationem parit?

13 Cur qui de rebus vanis loquuntur nil aliud somniant aut cogitant quam eiusmodi? An quoniam naturâ leues, ideo de eiusmodi etiam pòst cogitant? An quòd nil aliud curant ideo vanis cogitationibus replentur? An quod atra bilis in eis abundet, eiusmodi autem sunt prope stulti & inanes. An quòd à Deo recedant, ideò talibus repleantur? vel quoniam vana vt sunt maiora veris seu bona seu mala magis mouent metum aut spem ideò expulsis ex mente sanis consiliis nulli alij incumbunt?

14 Cur homines fabulis magnis delectantur quam veris narrationibus atque historiis? An quod fabulæ sint de magis mirificis, ideò magis mouent affectus & ob id etiam magis delectant. An quod qui illis delectantur iam vani natura sint vt videmus in pueris: ideò magis etiam vanis vani delectantur. An quòd magis compositæ sint ad hominum voluptatem vt quæ nullis sint circumscriptæ legibus? An quia cum falsæ sint non vrgeant mentem, sed velut somnus laxent animum, indicio est quod somnum alliciant, vel quia plures sint stulti quam sapientes, homines autem quoniam quod plurimum potest plures afficit at conuertunt id quod plures afficit plurimum possit; ob id arbitrantur nos magis fabulis moueri? Indicio autem est secus esse quod historicis mirificis delectantur Principes maximè quorum est propria fælicitas.

15 Cur omnes homines mutent mores? An quia diuersa ad idem vt vij. ad iij. & viij. seu additione seu producta diuersum efficiunt, tempora autem mutant ætates, temperamenta, consuetudines, voluptates, studia, socios, consuetudines; Ideò & mores: mutant & occasiones. An quod tempora mutent mentis vim iuxta quam accidunt de rebus existimationes & actiones. In temporibus etiam mutantur astrorum circuitus & loca, vnde variæ deliberationes, modo celeres, tristes, lætæ, tardæ; Morbi etiam plurimum ad hoc conferunt.

16 Cur fratrum multorum tanta dissimilitudo Titi & Domitiani, Iuliani & Galli, Getæ, & Bassianus omitto consobrinos Heliogabali & Alexandri: an quod in planè similibus varia vt dixi maiorem ostendant differentiam quam in dissimilibus vt 5. & 7. in 3: 8. & 10. & 15. ac 21: at in 3. & 2: 8. & 9. & 15. ad 14. An quod admirabilior sit fratrum differentia vt proximè positorum, & sæpius animaduersorum? An quoniam vis in parentibus magis exhausta sit: vnde triticum demacrat agrum, lupinus impinguat: & ruta iuxta ficum illi prodest vt ficus rutæ? vel quod animaduertens succedens prioris acta & præsertim cum infælici exitu terminata transfert se magis ad oppositum.

17 Cur

17 Cur vnus de multis bene scribi: Multi de vno raro & minus plenè? An quod omnium sit vna methodus & ideo melius nota & pertrita in pluribus quam vno subiecto? Item quòd disciplinæ sint magis connexæ & quanto plures, ideò melius perceptæ perfectius tradi possunt? An quod multa bene scripta lateant quæ vnus sibi ascripsit perierantque velut Pythagoricorum de fælicitate & summo bono præcepta quæ diligentia Stobœi seruata sunt non inferiora Peripateticis. Quæ autem de transmutatione animarum euulgarunt multo aliena sunt ab his quæ sentiunt. Porrò qui plura & de pluribus bene scripserunt fuere Aristoteles, Et eius discipulus Theophrastus, Auerroës, B. Thomas, Scotus, Augustinus, Auicenna, Ptolomæus.

18 Cur pueri verberari soleant? An quoniam immemores sint monitorum tum ob humidi abundantiam, tum ob imperitiam? An quia ex verberibus fleant, fletus autem siccat cerebrum? An quod apud barbaros consuetudo inoleuerit, quæ postmodum migrauit ad Græcos & Italos? An quod ex dolore sanguis ad interiora trahatur? Vnde robustiores & melius commensurati reddantur, vel quod medij sint inter iumenta & homines, iumenta autem verberibus docentur quoniam capaces non sunt, nominum significatorum? An quia hic mos à matribus ortum habuerit quæ vt sunt iracundæ & faciles ad iram prorumpunt in hæc sed leuiter, viri autem sæuiores rei vsum retinuerunt, moderationem non adhibent? An ad turpitudinem vt refert Quintilianus?



PROBLEMATVM FLAGITIORVM.

SECTIO QVARTA.

1 Cur auaritia omnium vitiorum maximum? Et maximè cum vitia omnia alia cohibeat præter inuidiam quam augere solet & crudelitatem ad quam vario modo se habet. Etenim auarus comprimit amore pecuniæ luxuriam, gulam, inertiam, iram & ambitionem, adeò vt non maius sit auaritiæ signum quam humanitas, officia sine sumptu, & verba blanda. Maximum dico quod difficilè tollitur, plurimum nocet, & quod hominibus magis peculiare est. Primo modo non appellauero maximum, quamvis senectute non molliatur, sed potius crescat, ab aliis tamen vitiis maximè, ira, libidine, timore, & ambitione sæpe superatur, nec tunc scit seruare modum, quamobrem tales in eiusmodi occasionibus cum timeant reprehendi de crimine in profusionem solent labi. At vt dixi aliis duobus modis maximum vitium est. Plus enim nocet humano generi: tum quòd omnes homines ferme eo laborant, ideò pluribus obest. Et ea in parte quæ maxime vnicuique necessaria est. Vnde quod miseris, ob ereptas pecunias, dolo aut vi, soboles perit, & stirps extinguitur? Sed & contraria protsus iustitiæ est. Duo enim vitia iustitiam euertunt, ira ad tempus; auaritia perpetuo: iustitia verò cum sit & optima mortalibus & omnibus necessaria, necesse est auaritiam tanto esse deteriorem cæteris sceleribus. Reliqua vitia compatiuntur secum habitare iustitiam; auarus è directo pugnat. Iracundus atque iratus dum temulentus est & insanit. Quòd autem omnibus communis sit in causa est primùm quòd parcis & liberalibus & profusis sit necessaria: his quidem vt habeant quod dent; illis vt augeant quorum amore tenentur:

Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.

Et quòd ætate non mutatur in melius cum enim ira & libido senio conficiantur auaritia crescit eadem ferme aut consimili ratione qua diximus. Dum enim iuuenes sumus, immodicis cupiditatibus laboramus quibus explendis; indigemus opibus. Dum senescimus, ad lucra inepti, & pluribus indigentes commodis fimus etiam si non fuimus antea auari. Tertia est quòd cum Deus omnia possideat & sciat, naturali, quadam similitudine tenemur vt sciamus & possideamus plurimum, sic enim ad illius boni summi imaginem magis accedere videmur, itaque cum scire ipsum sine iniuria additum sit, auaritia non merito hoc, inter vitia & maxima refertur, illud inter virtutes & speciosissimas. Natura enim comparatum est vt optima quæque cum corrumpuntur in pessima conuertantur. Theologia in hæresim: Medecina in veneficium, Regnum in tyrannidem, scientia in insaniam: Iustitia in iniuriam, voluptas in sorditiem, mansuetudo in contemptum; fortitudo in violentiam. Ergo vt ad propositum redeam cum ex optimo auaritia simulachro corruptione euaserit in vitium, cum aduersetur virtuti omnium præstantissimæ. Etiam semper cum iniuria & detrimento alterius fiat, cumque omnibus

omnibus ferme commune sit, meritò maximum solemus appellare vitiorum. Habet autem hoc ipsum innumeras excusandi occasiones, sed quotquot habeat semper auarus sentina scelerum est ac flagitiorum: & impedimento omnibus bonis ac generosis operibus sola facie verbisque blandis speciosus: quem cum tractaueris deteriorem experieris: inutilemque humano generi. Et meritò qui verè Idololatra est. Deum, nomen bonum, amicos, virtutemque ob cupiditatem solam pecuniarum spernens: legesque omnes & naturales affectus contemnens, cur non omnium maximum quod in illa commutetur? Auarus enim fur, proditor, sæuus, adulter, ministerio emptus pecunia fit.

2 Cur libidini dediti, maximè Principes, plerumque malè pereunt? Sic Alexander Phæreus & tot alij ex Græcis quos Aristoteles connumerat: Ex Romanis Caligula, Nero, Vitellius, Heliogabalus. An quod simul crudeles hi ac sæui & iniusti? An potius quòd luxui & vecordiæ dediti non curent Principatum? Principatus autem omnis res congesta ex pluribus & infirma, tum inuidiosa, quæ sponte corruit: Et cum saluo principe vix possit, coguntur illum aggredi? vel quòd libido & luxuria irritet animos & iniuriam & neque aufert inimicos neque terribilem efficit ideò obnoxios coniurantibus reddit. An quod in singulis vitiis aliquid sit ad regni tutelam prætérquàm in libidine. Superbia reddit venerabilem, inuidia solertem, sæuitia terribilem, gula amicos conuiuiis facit & plebi gratum absque vllius iniuria, auaritia potentem. Inertia contemptum efficit, sed tamen citra alicuius iniuriam aut odium. Irâ ad bellicas res nihil melius; facit enim audaces promptos terribiles. Fallacia conducit ad opprimendos inimicos & potentiam augendam maximè iustè administrata & rarò ac opportunè & in malos, vir libidinosus facto iniurius, cogitatione distractus & nullius nisi in Scorti amore memor, in omnibus iners & extra semetipsum.

3 Cur magni viri fuere in venereis & vetitis immoderati, Alexander Magnus, Agesilaus C. Cæsar, Traianus quamvis alioqui sanctissimus. An quod ea felicitas à Venere, Marti mista prodeat qui duo cum dominentur efficiunt parum continentes & pronos ad flagitia. An quod vt Aristoteles (cum eiusmodi sint fortes atque prudentes) sint melancholici, is humor ad turpes libidines incitat. An quod furiis agitati mala multa perpetrant; vel quoniam fortuna duce omnia, vt posse, videntur etiam licere: homines autem, velut in vestibus, maculas potius, quàm decorem obseruant. An quòd magni viri ex bellicosis Gentibus; vbi consuetudine impetratum est vt liceat omnia facere.

4 Cur geniti ex coniunctis natura, effœminati sunt? An quod ex immoderantia amoris congeniti labē contrahant, vel quòd parentes pudorem parum curantes labem illam transmiserint in natos, quod autem continet imbecillem ætatem & sexum est pudor, quo euerso ruunt in omnia flagitia? vel quia sanguines illi commisti præter legem, etiam mutabilem natura efficiunt, omnes autem ad patiendum apti, mutabiles & salso humore prurientes quem cogit illicita venus & nimiis ideò illecebris exercita.

5 Cur in vindicta tanta voluptas. Et vt Poëta ait:

At vindicta bonum vitâ iucundius ipsâ.

An quòd tanta voluptas in vltione quantus dolor in iniuria: iniuria autem maximum malorum humanorum quæ malum affert, & ab odiosissimo, & futuris malis etiam te exponit, vel quod vltio sit generosorum animorum: at horum omnia sunt immodica, vel quòd nihil minus sperari possit vindictâ (semper enim afficit animum) aut quòd semper: si non sperabatur eo lætior: Si sperabatur adeo concupita cum aduenit læto animo excipi nil mirum esse debet. Propterea alij contenti fuere solum potuisse. An quia in scelestos dulce sit publicam iniuriam cum priuata vindicare, in alioquin probos quod videatur præter naturam suam rarius exemplum iniustitiæ exercuisse. At de hoc satis aliàs.

6 Cur Gulæ vitium adeò commune est omnibus? An quoniam conueniat omni ætati, id autem accidit quia, vitæ fundamentum necessarium est: ideo voluptas quædam est vitæ comes? An quoniam quotidie ad illius vsum redire necessarium sit? An demum quòd duobus magnis careat incommodis iactura corporis proprij & iniuria in alios? An demum quòd facillimè paretur? Nam vel quæ vos delectant parua comparantur, vel minimo quo delectari possimus. Siquidem fames nobis obsonat fercula, vt dici solet.

7 Cur Antropophagi molles? An quoniam cum à ratione recedunt in pessima corruunt? vel quòd humanarum carnium esus ad hoc flagitium impellat? vel quoniam mollities proueniat ex atra bile quæ ad anum per venas sanguifluas deriuetur, hæc vt notum est ad maximè sæuitiam & feritatem illos deducit vt corporum humanorum vsum sustineant, liquet enim fœminarum esse (velut olim bacchidum) discerpere homines & comedere infantes, & omnia infanda patrare.

8 Cur ambitiosi auarique simul omnium pessimi? An quod auarus erepit pecunias & opes, ambitiosus alienum sibi ascribit honorem: ideò eiusmodi vir optimis eos cum quibus versatur spoliat, ideóque omnino pernitiosus. An quod auarus ob rem omnia flagitia admittit similiter & ambitiosus, ideóque rapinarum & indebiti honoris causa fit seditiosus, perfidus, ingratus, iniustus, immodestus, itemque ob id stultus: adeò cupiditate insanit. Et sanus sed & ob affectum eum inuidus, osor virtutis & bonorum. Solum possunt carere luxuria & gula presertim ob auaritiam, ostentatores loco liberalitatis. An quoniam ex contrariis natura vitiis constet velut auarus

humilis

humilis esse deberet, ambitiosus, liberalis magnificus & splendidus, coniunctis ergo vitiis contrariis virtutum per quas solent moderatius ferri fiunt intolleranda. An quòd laxatis rationis claustris per vnum vitium, per aliud augetur in immensum, velut per ambitionem animâ occupatâ, iam superueniens auaritia quasi incendio hominem afficit immenso habendi, vt possit ambitioni satisfacere quasi ardorem immittit. Ea tamen auaritia quæ non aliud est vitium sed solus finis est vt splendidè effundat, quod turpiter congerere nititur minus mala est.

9 Cur vitia dicimus causam esse virtutum vt ambitionem liberalitatis auaritiam parcitatis non contra. An quod virtus vitium parere nequeat: vitium dum retrahit à vitio virtutis causa esse possit, vel quòd homines dum reddunt causam oderunt, quærunt alienam, cum per se actionum nostrarũ enim alia sit causa quam propria voluntas, cum ergo, aliam quærunt causam: oderunt & qui oderunt etiam in malum trahunt, vel quod sermo solum mutetur nam solemus quandoque dicere ob liberalitatem ambitiosum; *aliqui esse dicebant, ob parcitatem auarum.* Quo genere sermonis vtitur Suetonius in excusando Augusti aleam quasi societatis non auaritiæ causa ludere soleret.

10 Cur homines adeò flagitiosi? An quod homo sit genus non species, quoniam animam vnam habeat plus, velut animal planta: Et ideo coæquantur natura, indicio est quod solus homo in quocumque cœlo habitat & viuit etiam translatum. Et ideo vitia omnium animalium contrahit, vel quoniam temperie manente lateat forma morum cuiusque animalis (vt in Proxeneta docuimus) sunt enim homines iracundi vt leones, clamosi vt canes, dolosi vt vulpes, proditores vt serpentes: improbi vt simiæ, crudeles & sæui vt tigrides, Maligni & sanguinolenti vt mulstellæ domestici imo etiam agrestes paruæ & falcones: voraces vt lupi: segnes vt animal canorum Indiæ, & ideò omnia tegit illa facie vel etiam corrigat intellectu consuetudine & deliberatione. An quod mutua irritatione & vellicatione velut cotes & gladij seinuicem acuant. An quòd in medio Geniorum & belluarum his cognitio illis voluntas & necessitas vrgens quæ est nonnumquam in hominibus ipsis deest. An quòd cum sit adeò varium multis occursat occasionibus quibus aut allicitur aut impellitur.

11 Cur musici sunt adeò flagitiosi inter cæteros, incontinentes, ebrij, lasciui, petulantes, infidi, inconstantes, leues, gloriosi, mendaces, malæ consuetudinis nugaces? An quia assiduus cantus cerebrum debilitet, vnde ratio minus valet apud eos? An quod sæpius assuescant edere & bibere & immodicè: ideò fiunt intemperantes & morbosi etiam; Ex intemperantia verò ad omne vitium proni ac magis ex ebrietate. Inditio hoc est quod Leo magister meus Musicæ fuit admodum probus quia continens. An quòd pueris & aliis musicis iam malis conuersentur? vt ab his discant, ab *illis* non fiant prudentiores, vel quia cogantur proferre antequam cogitare: vel quoniam relaxationis causa vsus eius sit institutus, ideò familiaria habent cætera quæ ad id, lusus, iocos, risus, fabulas nugas ex his mendacia leuitas: vbi grauitas discesserit quid boni sperare possis? An quonjam pauperes sint plerique: Pauperes autem habent vitia hominum & pauperum. An quod vsus musicæ sit puerorum adolescentum ac iuniorum quibus non conuenit Moralis Philosophia? An quia iucundis musicis præsint Venus & Mars hi autem incontinentiæ domini vnius furoris alter voluptatis vt fuit M. Antonius Triumuiro Antonij Oratoris nepos.

12 Cur puerorum amatores non sunt constantes vt mulierum? An quia labilis sit ea ætas ac breuis vt Poëta de eorum forma loquens:

Tam cito purpureos deperdit terra colores
Tam cito formosas populus alba comas.

An quoniam res praua sit & horribilis ac fœda omnino vt longa esse non possit; & ideò breui cessat licet postmodum redeant ob easdem causas quibus ab initio in aliis peccauerunt? An quòd multa intercidant in hoc propter quæ eiusmodi consuetudo abrumpitur tum ex parte legum, tum naturæ tum infamiæ? Vel quod amor mutuus non sit ideò labat altera ex parte. Nunquam de huiusmodi abusu magis admiratus sum, quam de Xenophonte viro prudente graui serio qui filios & vxorem habuit Philosopho: cui non suffecerit aberrasse, sed scripserit & delectatus sit huiusmodi sermonibus in quibus non poterat probari.

13 Cur homines cum mortem adeò horreant multi tamen sunt adeò crudelos in alios; fermè autem: omnes in alia animalia? An vt videantur fortes: Fortes enim crudeles sunt vt Homerus:

Dentibus his crudum laniabo viscera mandes.

Quod fœlicissimè mitatur Virgilius & magis ad hominum mores cum induxisset Turnum dicentem:

Euandro qualem meruit Pallanta remitto.

At post de eodem:

Ille humilis, supplexque oculos, dextramque precantem
Protendens, &c.

An potius quòd cædes in ira patratur, mors expectatur in timore? Vel quoniam homines non curát nisi præsentia præteritorum obliuiscuntur, futura numquam superuentura. An quia homines non cogitent sed solo impetu ferantur nec velint cogitare. Quid Deus? Quid consensus humanitatis? Aliquando vna fuisse cum illis? non debere esse priores belluis quæ aut non occidunt aut necessitate coactæ velut lupi & pardi. In omni virtute nobis aliquid esse voluptatis? Si feramur exemplo cæteros fieri deteriores? Quid lucri in sæuitia cum iniuriam non acceperis, Omnia finem habitura? Deterius fore homini nobiscum quam cani vel equo? Aliquando posse nec cupere non fecisse. Digna homine decere & quercus digna quercu?

quercu? Posse eos quos tam malè afficimus esse quandoque coniunctissimos? Tot exempla Romanorum imò & barbarorum? Perpulchrum de Clementia librum scripsit Seneca?

14 Cur qui coniunctos occidunt furiis agitari solent? Velut de Oreste ni fabula sit? de Nerone haud dubium. De Caracalla qui Getam occidit. Sed & Pausanias Puella cum qua concumbere solitus erat occisa? An non ob id furiis agitati quod occiderint, sed quòd furiis agitati occiderunt? Vel quoniam attra bile laborent hi, à qua etiam perturbantur in posterum? An quoniam magnitudo sceleris concutiat illorum mentem, vt in furorem degenerent, vel quia fama populari perculsi dum timent, imaginantur, irascuntur, constare non liceat? An Genius quispiam malus vt de Bruto & Dione: is enim erat affinis Dionysio? Vel quod ita sancitum sit legibus diuinis?

15 Cur plurimi oderunt magis benefactores suos quam eos à quibus nullum beneficium acceperunt velut Caligula & Nero. Et Sylla in Lucretio Ofella totque alij. Et non solum praui sed inter egregios connumerati vt Alexander in Clitum & Parmenionem. Hoc construitur ex duobus quorum vnum est Aristotelis quòd ambitiosi oderunt imò etiam magnanimi benefactores suos, Potentes autem & mali occidunt quos oderunt: ideò ergo etiam benefactores. Aut quia benefactores nimis vrgeant & interim etiam gloriantur quod persæpe est cum dedecore beneficio affectorum. Vel quòd eiusmodi homines velut pisces sarcophagi in omnes sæuire natura consueuerint notos & familiares: inter quos inueniuntur amici & benefactores: aut quòd in multos & cum multi sint benefactores casu contingit vt sub vtrisque collocentur: ideò tales animaduertunt homines de quibus meritò cadit admiratio.

16 Cur fures suspenduntur apud nos cum nulla lex nec Iudaïca nec Idololatriorum seu Romanorum nec. In Digestis nec Autentica vt confitentur, Egidius, Bossius Mediolanensis ita Iulius Clarus Alexandrinus. Regij Senatores Mediolani iubeat vt homo puniatur propter rem pœna corporali nedum vt moriatur: quanto minus vt suspendatur licet clarus postquam sic proponat votum suum nisi adsit speciale statutum postmodum dicit nisi sit consuetudo, de qua nunc non est propositum habere sermonem. Sed neque turcæ gens ferocissima & attrocissima. Et licet inueniatur in Autentica Titulo de Pace Textus qui iubet suspendi fures qui subripuerint quinque asses: illud est ob iacturam interrumpendæ pacis propter quam etiam digni maiore pœna: si quis ad genus mortis & modum respiciat non ad rem, qua nulla potest esse maior Fuit ergo Federicus Imperator & suignati de quibus referunt quod nullus potuit regnare ad tertiam generationem. Tamen ille Imperatores fuerunt furibundi & ideò non solum metam excessere in hoc sed in aliis multo euidentioribus erroribus, vtcumque sit, origo fuit à Dracone Atheniensi legumlatore, sæuo viro. De quo adagium inualuit quòd iura scripsisset sanguine humano: nam ex furto (vt ferunt) lacturæ pœnam mortis imposuit. Solon abrogauit. Itaque non vitupero Doctores qui hoc præter leges suadent, existimarunt hoc vtilitati bonorum conducere: quia tamen res est contra naturam ideò nec laudari meretur, licet consuetudine coaluerit: nam consuetudo de extremo in extremum aliud transferre non debet. Ideò traducere pœnam pecuniariam in pœnam mortis ob illam, non videtur naturale, cum sint multa media, verberari, amputari aures, diuturnus carcer, exilium, Deportatio lapidicinæ triremes. Et non statim occidere & tam crudeliter homines quorum:

Matres longa decem tulerunt fastidia menses.

Excipio tamen ab his fures domesticos, incendiarios laruatos, & qui cum furto quouis modo imaginem violentiæ inferunt: nam causam mortis præbere possunt, similiter qui à paupere filiis tribus saltem xiv. annis minoribus, quos in domo alat, surripiunt, cæteros pœna dupli aut quadrupli iuxta leges castigarem. Si non habent? ad fodiendum cogantur, aut gestanda onera. Alij forsan iustum duxere quòd qui furantur alimenta vitæ subtrahunt: Sicut ergo dignus morte est qui tabulam subtrahit, qua subtracta præcipitetur homo ex alto, magis etiam quam qui gladio vel telo occidere aggreditur, ita subtrahens alimenta, non minus morte dignus est quam qui occidit. Sed non par est ratio, nec vera similitudo, non hoc nisi admodum familia oneratis & valde pauperibus conuenit, at hos iam excepimus. Alij dicunt quòd vt Stoici τὰ ἁμαρτήματα ἐστι ἴσα. Ergo si æqualia qui in vita vorax est, peccat, & non meretur mortis pœnam, igitur neque qui furantur? An ergo vt dicebat Philosophus: omnia iura sunt aliqualiter iusta? An quòd vtile sit Reip. cum homines fortiores reddat?

17 Cur adulteri sæui? Hoc enim est experimento motum Sylla, C. Cæsar, Antonius, Augustus quamvis specie clementiam obtenderit. Inde Tiberius, Caligula, Claudius, Nero, Domitianus: commodus Bassianus, Zoë Imperatrix (postquam hic morbus etiam transit ad fœminas) Ioanna etiam Neapolis Regina: Et Mahumetes ille belli fulmen de quo ferunt cum iuxta fontem cum puella quam amabat concubuisset dixisse volo experiri quid plus possit apud me an sæuitia an amor & continuo detrusit amasiam sub vndis & diu reluctante detinuit donec suffocatam vidit. Ergo Astrologi facile satisfacerent huic quæsito: nam Martem & Venerem dicerent præfectos esse horum moribus: ideò cum libidinem hi duo summam cum muliebri sexu decernant iidem & sæuitiam; nil mirum si ambo hæc habeant qui eiusmodi nascuntur sub syderibus, iidem solent

lent esse in bello felicissimi, quoniam hi duo planetæ inter se maximè conueniunt. Et licet solum ad hos affectus impellant: Et vt Galenus dicebat nostrum sit ratione non solum alios induere mores, sed prorsus contrariis virtutibus eminere: tamen cum hi duo errones maximis ferantur orbibus vt etiam visu magnitudinem multum mutasse videantur: nil mirum si plures vincantur naturalibus vitiis, quam diuinæ menti obsequantur? Sed hæc vt incerta sunt, ita etiam dubia: nam primum non omnes qui bello inclyti euaserunt Martem cum venere dominos Sortiti sunt. Sed potius Saturnum aut Solem aut Iouem, vel Mercurium vel Lunam. Habet enim hoc Astrologia vulgaris vt omnibus ollis (vt dici solet) operculum paratum habeat: nam Mars si cum Sole potentes ob bellicam virtutem, vt crudelissimus imo immanis Diocletianus: nam is inuictus alioquin fuit. Si alius cum Ioue quantam fortunam, nam de venere satis dictum est. Sed quid Ioui cum sæuitia? Si cum Luna fauorem multitudinis? Si cum Saturno grauitatem cunctationem. Si cum Mercurio: quanta miracula? Sed admittamus omnia nos quærimus causam proximam hæc quam remota est? In huiusmodi ergo quæsitis semper illud præ oculis habendum est: An (gratia exempli) sæuitia libidinis an libido sæuitiæ an neutro modo sed ambo hæc ab vna causa pendeant? Veluti vt dictum est de Auaritia. An alia remota & alterius generis: velut à quoddam genere atræ bilis. At prima si adsit admodum perspicua est. Dicamus ergo libidinem mulierum (nam per adulteros vt per apicem omne genus libidinis in eo sexu intelligimus velut incestuosum Coraphum Mæchum hic enim quid communius habet vnde illud Satyrici:

Delicias viduæ tantum aspernatur adulter,
Sicut & stuprum,

Sed hoc etiam ad masculos extenditur. Diotecheron Diotesecon ita liceat formare seu sequentes viduas aut ancillas. In vniuersum qui libidine multa fragrant sunt calidi corde & sanguine multo tenui abundant: iidem ergo ad sæuitiam proni sunt vt Germani, prompti manu iracundi & fortes. Quomodo enim humor ille abundabit (quem abundare necesse est in his qui adeo ad libidinem prompti sunt) nisi etiam ad sæuitiam inclinent animo? cum sint similes leonibus.

18 Cur qui per formam ditati sunt inopes moriuntur? Qui sic ditati sunt inter delicias sine virtutibus educati sunt, humilibus parentibus: nam nobili indole non talia parerentur: & contemptui ob hæc habiti vnde licet ditati defensoribus carent inuidia multa laborant: ipsi imperiti & contemptui habiti, ac voluptatibus mancipati turpiter parta solent fœde & misere disperdere atque amittere.

19 Cur puerorum amatores infelices? Et plerique biothanati? An quia humilibus & sordidis inhærentes aut vt iudicio careant aut affectu vincantur necesse est horum alterutra iacere eos oportet. Aut quòd eiusmodi viri contempti & exosi sint nec sibi affines pariunt quorum auxilio innititur, nec filios gignunt quorum amore ad ardua negocia accendantur sed miseri iacent, velut scarabei sepulti in sordibus, vel quoniam aut natura laborant aut consuetudine: si natura atram bilem vincere necesse est: si consuetudine aut ob animi imbecillitatem aut flagitiosa societate his omnibus infœlix vitæ status redditur & calamitosa vita, vnde etiam contemptu legum diuinarum atque humanarum ipsis verò vicissim contemptis ab hominibus quid mirum ad humanum genus comparatos esse velut feras ac serpentes. Quòd si medij sint etiam medio modo se habent: vt vna ætate feliciores sint alia miseri.

20 Cur plerique ex his quos sapientes vulgus appellat & existimat flagitiosi in venereis, Virgilius & Horatius in pueris damnantur: Cicero in incestu filij. An deesse poterant in toto orbe mulieres: Socrati Alcibiades, Aristoteli Hermias Eunuchus, Theophrasto Nicomachus Aristotelis filius: Plato ad turpitudinem vsque. Alij cum sororibus alij cum matribus. At verò mihi ex his pauci videntur sapientes: Nam quod nouit Horatius quatuor carminibus contineri potest contemnere mortem quoniam vitari non possit: blandiri Principibus vt dent aut saltem non noceant: Non curare futura, quia sciri non possunt: Indulgere genio quoniam hoc est sua bene disponere: Non quærere incrementum patrimonij quoniam fugiendus sit ille potus, quo sitis augetur. Virgilium vt imperium arguebat C. Caligula & scripta illius delere cogitauit. At de Aristotele non est vt queramur: quamvis concubinam haberet tum licebat, ex hac suscepit Nicomachum & Pythiadem, forsan in iuuenta tum permisso flagitio vsus est: sed tunc sapiens nondum erat, videamus ergo veros sapientes Aristotelem, Hippocratem, Ptolomæum, Plotinum, Putarchum totque alios: omnes immunes non solum à vitiis sed suspicione? Solus Theophrastus nomen sapientis moribus si illa quæ (vt dixi) feruntur vera sunt: quod tamen incertum est. Non decet raros euentus aut errata pro regulis statuere: neque si aliquis ex ordine vitio aliquo laboret: id toti ordini aut tanquam illi proprium tribuere. An quòd sapientes dum nimis intendunt animum studiis, exhausto florido calore, redduntur & imbecillitate & vitæ differentia, & morum asperitate, à communi aliorum hominum vsu & consuetudine vxoria alieni? Vel etiam quòd ob inuidiam dum viuunt suggestu æmulorum multa illis falso tribuuntur quæ postmodum in libros relata, imaginem veri exhibent? An quod id multis ob consuetudi

ſuetudinem accidat, & eorum à quibus docentur, & ammanuenſium & ancillarum: in quibus non tantum curæ impediri neceſſe ſit? An quoniam peruerſa Philoſophia quandam ſibi normam viuendi ſeorſum ſtatuant: vt erroribus ſuis periclitentur?

21 Cur homines hac ætate adeo mali? An quod vnaqueque ætas de hoc conqueratur Satyricus. *Omne in præcipiti vitium ſtetit*, Lucianus. *Quid homines agunt, vt antea peierant decipiunt furantur, vt non, ſit ætatis hoc vitium* (vtinam eſſet melius aliquando ſperare poſſemus) ſed generis humani vt Democritus ait apud Hippocratem. An quòd hæc ætas ſit omnium certè feliciſſima præteritarum, quarum memoria extet? Deus autem omnia vt dixi æquat. Oportet igitur etiam homines inueniri tanto deteriores. An quoniam maiora ſint premia nunc quia mundus ditior: maior inopia plurimorum cum mundus nunc ſit plenus hominibus vt nullus ſit terræ angulus qui vacet habitatoribus vnde maius interuallum feliciſſimum atque infeliciſſimum: ideóque propoſita maior ſpes ſceleratis? An quod vigentibus tot ſeminariis belolrum ſapientiæ ſtudia reliquerint quibus homines redduntur meliores. Indicio olim Athenienſes aliis Græciæ populis comparati.

22 Cur bona fortunæ contingunt plerumque iuxta opum ſtatum? Nam diuitibus grandes hæreditates proueniunt ac ita de potentia & honoribus? An quia connexio ſocietas & vſus magis conuenit ſimilibus. Si enim mendico hæreditatem grandem reliqueris vti non poterit aut neſcit? Atque ita de magiſtratu & aliis? An quòd ſit ſimilitudo quædam in his quæ ad humanum regnum pertinent qualis in aliis rebus? An quòd qui habent & non habent diuerſa ratione intendunt animum negociis: velut pauper educandis filiis valetudini & deambulationi: mediocris ſapientiæ ſtudiis deorum: vbi autem intenderis bona eueniunt. Eadem quoque ratione accidit vt miſeris mors, & exitus crudelis eueniat.

23 Cur commutatio morum aliis in bonum vt Auguſto, aliis in malum vt Neroni, aliis nulla vt Veſpaſiano? Et Seuero Afro, Diximus antea in Tertia ſectione omnibus ferme accidere vt mores mutent. Principibus ſanè minùs niſi dum à priuata vita ad principatum tranſeunt, mouent enim circonſtantes magis quam moueantur: Et ob adulationem à ſemetipſis & ab his quos mutauerunt retinentur. Aliter caſu etiam id accidit velut Neroni extincto Burro, remoto Seneca & occiſa Agrippina quorum metu aut verecundia continebatur: Quibus autem mali intereunt, eorum loco deteriores plerumque ſubeunt: At illi boni euadunt qui neceſſitate aut metu mali fuêre velut Auguſtus & Cæſar. Qui ergo occupant tyrannidem vel mali perſeuerant vt Dionyſius ſenior & Agathocles: aut in bonos commutantur. Qui aut Principibus naſcuntur aut perſeuerant in prioribus inſtitutis aut vbi ferulam euaſerunt mutantur in melius ſed frequentius in deterius. Qui verò eligantur aſſimilantur plerumque his à quibus electi fuere: vnde ab exercitibus omnes fere mali à Senatu boni, & ratio iſtorum non multum eſt difficilis, quia qui Bello interſunt, plerumque ſunt ſanguinolenti, inuidi, rapaces, auidi & vt vno verbo dicam, omnibus ferè criminibus dediti, ergo ſi quos eligant ad conducendum exercitum ſibi ſimillimos eligunt, vel ſaltem cum ſpe, tales breui illos videndi, quales ipſi ſunt: Senatus vero non niſi ſapientioribus & prudentioribus componitur capitibus, ſi igitur aliquos eligere peroptant, attentè intuentur, & mores & probitates iſtorum, vt munere & officio cui deſtinentur, prudenter & iuſtè fungi poſſint; tanta eſt enim Senatuum Maieſtas, tanta eſt iſtorum Heroüm dignitas, vt niſi ſibi ſimiles, hoc eſt, prudentiſſimos & diuinæ Sapientiæ maximè claros è turma hominum eligant, at verò qui, vt dixi, militiæ dediti ſunt quoſquos fērociſſimos & humani ſanguinis maximè auidos, quoſquos, inquam, ſuæ imaginis magis immemores inuenire poſſunt; tales pro ſelectis ſemper habent.

PROBLE

PROBLEMATVM
MATHEMATICORVM
SECTIO QVINTA.

1 CVR numeri qui in denarios terminantur aut Quinarios velut x. xx. xxx. aut xv. xxv. aut in monadem au senarium vt xi. xxi. xxxxi : xvi. xxvi. xxxvi. in eosdem redeunt si enim duxeris xx. in xxx. fit DC. & ita si xx. in xxxi. oritur DCXX. & si xx. in xxxv. fit DCC. Et ita xx. in xxvi. fit DXX. vt denarius ad se trahat omnes, similis autem in similem, producit similem xxi. in xxxi. efficit DCLI. vbi monas superest, reiectis decadibus, & xxv. in xxxv. DCCCLXXV. & ita xvi. in xxvi. producit CCCCXVI. Sed & xv. in xvi. efficit CCXL. At aliorum nullus ii. iii. iv. atque vii. viii. ix. nam xix. in xxix. Gratia exempli efficit DLI. An quia numerorum initium sit monas finis autem Quinarius Secundi autem Quinarij qui est par initium senarius finis Decas. Par autem numerus vincit imparem: nam non solum ex pari in parem par efficitur vt ex impari in imparem impar, sed ex impari in parem, vel ex pari in imparem, par denuo efficitur tripla ratione, vt ex his tanquam principiis in eadem redeant & maximè decades ex quovis eorum in decadem non solum, sed ex Quinariis in Senarios ob duplicatam vim & principiorum & parium: imparium autem in impari Quinario velut i. v. & xi. xv. Et xxi. xxv. Sunt enim impares Quinarij scilicet Primus Tertius Quintus in suos similes, videtur autem Quinarius perfectus vt qui ex duobus primis numeris constet Binario si quidem atque ternario. Prope accedit ad hoc opinio ac mos Thracum qui ad quatuor tantum numerabant. Numeri ergo alij dissimiles pariunt quia imperfecti sunt quoniam hoc est impotentium velut etiam in animalibus muscæ vermes, & ranæ pisces inde vertuntur in ranas nam ii. in ii. efficit iv. & xii. in xii. CXLIV. Et xiii. in xiii. in xxiii. CCIC. An quia constitutio rotunda ab initio facta sit in Decadibus & earum comparatione reliqui dicantur velut xi. in xxi. efficit CC. xxxi. hic superest, à CCXXX. qui numeratur decadibus inuicem ductis CC. scilicet vt hic sit rotundus, xxxi. autem fit ex i. in xx. & eodem in x. residuum igitur est ad rotunditatem Monas. Idem ergo redibit ex ix. & xvii. fit enim CLIII. constituto autem octonario numero rotundo ex viii. in xvi. CXXVIII. supersunt xxv. qui est ex viii. & xvi. inuicem iunctis & superest à CLII. ad CLIII. monas eodem modo. Sed quoniam diuisio hæc & rotunditas non est consueta ideò videtur non animaduersa, semper enim Monas in ix. & xxv. & xxxiii. & xli. exuberabit rotundo supposito ex Octonario.

2 Cur stellæ neque magnitudine neque situ neq; numero decentem seruant ordinem qualem decere ab Architecto tam sapiente? Velut ad hæmioliam, aut duplam, atque huiusmodi? Verum vt castaneæ in cinere obiter dispositæ? Hoc coarguit stultam nostram temeritatem: existimantium sapientiam diuinam limitibus humanarum legum contineri. Nam primum quomodo ferantur certis legibus nondum potuit inueniri, maximè sublimes infimæ, celeriter tardè, & tamen perpetua norma seruatur. Quin etiam maxima inæqualitas æqualitatem summam parit. Adeò vt cum superiorum quisque ad solis coniunctionem peruenerit celerrimè feratur secundum signorum successionem: vt ad oppositum contra eandem: ac talia multa in his atque inferioribus tum etiam luna. Ideò velut in alogis proportiones & exquisitissimæ & admirabiles seruantur quæ in rhetis non possunt explicari, ita credendum est in his, non tantum iuxta motus sed situs magnitudines ac numerum seruatam esse summam & inexplicabilem rationem symetriæ omnium.

3 Cur Elymæ compresso foramine inferiore ad eorum vt ferme dimidium occludatur vox grauissima tono integro vltra naturalem exprimitur quam vocant F. Tant inferius, cum tamen occlusis foraminibus inferioribus imo etiam anterioribus ex parte quod etiam ratio ostendit fiant voces acutiores? An quoniam foramine illa sint altiora hoc autem humillimum? vel quoniam in illis spiritus vis intenditur in hoc autem remittitur. Porro toni mensuram æquat indicium aurium.

4 Cur stellæ iuxta polos vsque ad vi. partes non videtur ab habitantibus sub Æquinoctij circulo? An quia parum animaduersum. Et pauci ibi adeò perspicaces ad huiusmodi cognoscenda? An quoniam paucæ sint ad eam distantiam, sed vel longius quæ videntur aut propius quæ non. Aut quod aër ibi obscurus sit? Quæ autem videntur bene, debent esse in aëre clariore quam oculus: aër autem sub æquinoctij circulo purissimus est & clarus admodum. An quia terra sub eo situ depressior sit vt etiam sensit Philosophus, minima autem anguli differentia in ambitu magnam

quam circuli portionem exigit: vnde videri non poteſt.

5 Cur vna vox magis conciliet ſomnum cum tamen harmonia conſiſtat & delectatio in pluribus atque concentu? An quoniam ſomnus non obrepat ob delectationem ſed potius ob tædium. Indicio eſt narratio fabularum quæ magis quam rerum ſeriarum in ſomnum nos deducit, vel quia vox vna magis intelligitur plures vero non ſic: Et quod intelligitur magis delectetur & ob id conciliet ſomnum. An quia inter plures voces neceſſarium ſit eſſe magnum ſtrepitum, modicus autem ſonus magis prolicit ſomnum quam magnus vt in guttarum caſu & ſuſurro riuorum, vel quoniam inter plures voces adſint acutæ quædam & veloces quæ ſomnum impediunt nam graues mouent acutæ & non conſiſtentes impediunt. An quod in pluribus fiant diateſſara & tritæi qui moleſtiam afferunt auditui? Vel quòd verum id non ſit quòd vna vox ſed potius duæ humana & citharæ quæ ſint bene concordes: duæ autem harmoniam efficiunt, & non pariunt confuſionem vt plures. An quod non verum ſit problema prorſus ſed ſolum in pueris quibus accinunt nutrices ob familiaritatem.

6 Cur proportio Muſica conſtet ex inæqualibus & diſſimilibus reliquæ ex ſimilibus Arithmetica & Geometrica. An etiam Muſica conſtet in Geometrica vt viij. iv. ij. j. & ix. iij. j. Sed has non ita appellant quoniam nimis ſimplices & inartificioſæ, vel quoniam voluptas maxima in humanis non poſſit eſſe niſi cum moleſtia coniuncta: indicio ſcabies vetus, aura à calore cibus à fame ingenti, ideo oportere eſſe quod feriat & ob id neceſſe eſt adeſſe inæqualitatē, vt cum voluptate ſit coniunctus dolor: nam ſecus oportet ambas aut afferre voluptatem aut auribus eſſe moleſtas, atque ita vel dolor vel non perfecta voluptas. An quod diuturnus vſus id obtinuerit: nam niſi peritus muſicæ magis delectatur Geometrica & omnibus æqualiter commutantibus in acutum vel grauem vt lanarij textores & ruſtici & calceorum ſutores.

7 Cur Muſici damnant Diapente & Diapaſon ſuccedentia ſimilibus cum tamen ſuauia ſint incultis auribus at viciſſim non neque cōmmutatis partibus neque in tritæo non duro vel ſextæ vocis interuallo? An quia moleſtia nulla intermiſta ſit, harmonia autem exigat aliquid quod feriat vt dictum eſt. An quod omnes ad id confugerent fieretque inartificioſa muſica. Vel quoniam mutatio cum ſit cum motu exigat diſſimilitudinem, aliter moleſta reddatur quoniam ſuo fine careat: in aliis autem cum ſint moleſtæ per ſe in exercitatione concentus auri recreatur, vel quòd lateat mutatio cum eadem ſit proportio cum interuallum fuerit dieſis aut coma aſcendendo aut deſcendendo. An quod ſuccedens conſonantia ob priorem minus dulce ſonet & imperfecta ſit Ars autem fugit imperfectionem maximè perfectæ rei vt è regione ei contrariam: cum ſit eius proprium imperfecta perficere.

8 Cur caſus vnius vocis aut duarum in diaptente ſeu in voce humana ſeu lyræ magis conciliet ſomnum quam in diapaſon, quamvis diapaſon ſit perfectius? An quoniam in diapente ſit minus voluptatis ad ſomnum requiritur remiſſio non ingens voluptas? Vel quoniam ea diſtantia magna nimis moueat ſenſum auris & commu-nem ex eo? Aut quod in diapente ſit aliquid moleſtiæ cum ſit ab hæmiolia illa à dupla?

9 Cur Diapente in grauioribus concordet & diateſſaron in acutioribus contra diſcordet? An quod conſuetudo id receperit & ex vſu delectatio, vel quod veriſimilius eſt quod acuta celerius feratur ad aures, grauis diutius maneat. Si igitur diateſſaron ſit in grauibus præoccubabit Diapente ob acutas & deſinet in diateſſaron, & ita voluptas præcedet dolorem quod moleſtum erit contra vt dictum eſt ſuaue eſt. Et ob id etiam ſi diateſſarum ſit in grauioribus auxilium erit vt acutiores poſt retineantur. Et erit ſemi harmonia, hoc autem in inſtrumentis difficile eſt.

10 Cur voces diuiſæ in tonos & ſemitonia vt vna ſit proportio ſexqui octaua alia xvij. ad xv. & xviij. ad xvij. quæ tamen cum ſit abſurda magis minus diſcors eſt: efficit enim ſemitonium minus illa maius porro omnes per ſe & tonus etiam cum ſemitonio continuatus diſſonat. An quoniam melius coaptentur an duo toni proximi valde ſunt ſexquiquartæ, vnde tonus & ſemitonium minus efficiunt ſexquiquintam, æqualiter in rhetas non poterat diuidi. An quod Muſica inſtrumenta ſeu per fiſtulas vt organa vocata ſeu per fides vt in chelis & citharis oſtendant interuallo octaui exceſſus mutari integram & manifeſte à xviij. ad xvij quod minimum eſt ab aure quod percipi poſſit vt integrum licet in compoſitione comata & dieſes accinant. Sed forſan dices hac ſimilitudine quantitatum deceptos determinaſſe interualla vocum, ſed aliam eſſe vocum aliam inſtrumentorum proportionem. Sed duplici argumento conſtat eandem eſſe primum quod integra interualla ex integris conficiantur velut, diapaſon ex quinque tonis & duobus ſemitoniis minoribus diapente ex tribus tonis & ſemitonio. Alterum quòd exercitatorum & perfectorum artificum ea percipiunt non ſecus quam oculi colorum naturam ac differentiam imo longe melius quia proportionem.

11 Cur Latina carmina ſex pedibus conſtant, & bene ſonant, Græca totidem, & non adeò? Italica vndenis Syllabis nec ſe adeò ſuſtinent ſed videntur conſonantiam requirere, & aliud expectare? Hebraica & Arabica ad conſonantiam minorem, id eſt, octo Syllabarum ſpectant, ſed gemina ſibi inuicem ex deſinentia concinunt? An quod ſeni pedes impleant duodecim aut vndecim tantum tempora, ob contractionem? Atqua ita res redit ad idem. Sed hoc habet carmen Latinum ac Græcum vt ſe ſuſtineant, & ex quinto pede

maximè

maximè tum sexto: nam si vel quintus pes bissyllabus, aut sextus trissyllabus non bene sonat: vt

Amphion Dircæus in Actæo Aracintho.

Et Pentametri ac Lyrici: Materna etiam lingua, quoniam pedes & tempora non adeò bene & ad amussim constituta habent indigent consensu finium: velut illud:

Sic vos non vobis vellera fertis oues:
Sic vos non vobis fertis aratra boues.


Quæ palàm est modicam habere gratiam. Sic ergo imparibus syllabis sustinentur Italica ostendunt autem in lyricis etiam hoc accidere quæ quasi hemistichia appellantur vt illa *Terruit vrbem.* Et id, *visere Montes*: *æquore damæ*: *Templaque Vestæ*, Cum vero spiritus humanus ad vndenum tempus sustineatur ille verò numerus sit impar per se sustinet vocem: atque à Quinario Septenarius & nonus. Indiget autem quoniam imperfecti Symphonia illa ὀστιοτήορα in duobus autem spiritibus melius consistit breuibus quam longis: cum Arabes & Iudæi exilis sint spiritus.

12 Cur sonus magnus adeò concutit vt frangat cum sit res incorporea, neque enim ob motum aëris cum ventus longè concitatior id non possit, & acutus minus id agat quam grauis, qui tardior est? An quod sonus qualitas sit corporea non tamen corpus vt candor ideo penetrat vt incorporeus & corpus secum deducit, vt sit quoddam vehiculum ad celeritatem: aër autem velocius motus diuidit corpora, præsertim dura & sicca. An quod ob sonum sæpius repetatur motus ille vnde quatit: quassata autem non semel facilem confringuntur. An quod in sono & maxime graui aër condensatur, & tunc attenuatur & penetrat.

13 Cur luna cum sit rotunda vt reliqua omnia astra sola mutet figuram? An quia maxima aspectu ob propinquitatem? An quia sola opaca? An quia sola minimum luminis per se obtineat? Certè venus quandoque satis magna vt vmbram efficiat, numquam tamen à rotunditate perfecta vel minimum recedit? An quia sola prope?

14 Cur in Britannia tepidiores hyemes quam in Italia quia longè propior sit polo? An quoniam solum bitumine abundat? Bitumen autem calidum, atque id etiam in pluribus regionibus valde borealibus accidit velut in Prussia non omni sed vbi id adest, quoniam mare prope sit, est enim insula, mare enim calidum est ob salem Sed Italia propior est, mari quoniam angustior. An quod minor sit differentia hyemis ab æstate ob inclinationem, ideò minor mutatio, & sensus illius non adeò euidens? An quoniam Fluxus & refluxus maris qui non communis est Italiæ moueat auram tepidam. An quod gypsum quod ex putri lapide fit vbique prope circumferentiam terræ effodiatur putredo autem calefacit? An quia Anglia caret montibus ideò minus frigore affligitur hyeme præsertim, vel demum quod orizon minorem pariat differentiam tum cum in tropico est Sol, altitudinis Solis atque descensus: comparando eam ad distantiam illius ab ipso Sole, id est, regionis.

15 Quæritur quæ ratio sit vsus Thermoclinij seu θαλπίωνου nam si celerrimè moueatur non incalescit si tardè vruntur lintea & partes eorundem frigent: si donec pars calescat: adhuc cum tantumdem temporis in quauis alia requiratur non sufficit ad teporem. Sit igitur θαλπίων A, lectus




B, C, D, E. Eius altitudo C, F, Gradus caloris tepor sub tepidum temperatum. Tepidum Calidum Acre feruidum Feruens. Et super contineatur donec F, G, altitudinis tanta pars incalescat vt sit profundissimus nec linteum vratur, at proportio longitudinis ac latitudinis inuicem ductarum iuxta easdem in superficie lecti ad moram proportione respondens: ductus verò eiusmodi non rectus & ex eodem rediens vt æqualiter incalescat: nam vltimum primo conueniet & mediæ partes mediis. Atque pars parti participabit vt non transferatur iuxta latitudinem totius thermoclinij, sed à tertia parte si parum à media si magis incaluit abesse si valde & cito transferatur: verum si admodum: permutetur totus inde redeat ad tertiam prioris partem latitudinis quæ iam incaluerat. Ita igitur collige longitudinem & latitudinem lecti, Thermoclinij, magnitudinem caloris: profunditatem rursus lecti, moram celeritatem agitandi formam secundum quam deducere debes: materiam substratam: & partem ad quam vbi calefeceris totum transire oportet vt sint nouem quæ metiri oporteat, fines autem ne vratur quicquam: vt maximè, & æqualiter ac quam celeriter incalescant.

16 Cur quatuor numeri per æqualia incrementa super aucti semper in denarium numerum aut ab eo numeratum finiuntur? vt 1.2.3.4. 11.22.33.44. 21. 32. 53.74. Et ita 7. 14. 21. 28. & 13. 36. 59. 62? Quoniam qui supersunt à denariis sunt æque multiplices ad 1. 2. 3. & 4. hi autem denarium conficiunt at denarij etiam denarios quia sunt rotundi: igitur simul iuncti denarium aut illi multiplicem.

17 Cur specula minora minores ostendunt effigies rebus visis, maiora etiam si multo numquam? Hoc & duo sequentia Ludouicus Taberna Mediol. Romæ Gubernator sub Beatissimo Patre Trio proposuit mihi. Ratio est vt videtur quod magnitudo effigiei semper est media inter rei & pupil-


læ magnitudinem : tum Æqualis cum speculum fuerit æquale rei & in ea distantia vt vere visa non appareat minor scilicet parua vt pote vnius cubiti, si maior distantia aut speculum re minus, minor effigies videbitur. Indicio est quòd ex rotundis effigies minor semper videatur ex cauis persæpe maior at ex planis vt diximus.

18 Cur speculum quantumvis magnum vnam reddit effigiem, diuisum plures? An quod diuisio separet etiam imagines & ideò tum separatæ appareant plures. Sed diuiso speculo vniformi seu rotundo seu plano vna apparet imago. An ergo quod speculum vniforme diuisum diuisas effigies & imperfectas ostendat : coniunctum vnam tantum, sub diuerso situ plures? At diuisum facile sortitur diuersos situs : quare loca effigierum varia sunt, & ideò plures videntur. Indicio est primum quòd planum aut rotundum diuisum sub eodem situ non ostendit : at planum sub diuerso, diuersa, etiamsi sit coniunctum & vnum & quòd rotundum & planum sub eodem situ prope posita duas ostendunt etiam sub eodem situ : quia rotundum propius effigiem ostendit plano : ideò aliam, & etiam quia minorem, vt dictum est, reddit, vnde si rotundum longius remoueatur duplici ex causa minorem, effingit ergo aliam. Caua igitur inter se rotunda & plana eandem in eodem situ referent integram si prope : diuisam si longius inter se distiterint, rursus cum diuisio transuersa oculorum comparatione fuerit poterũt si sint diuerso situ, erunt duæ facies vna altera videri : si pars non è regione, erit vna tantum : si sub diuerso situ altior non solum sed pòst. Ex hoc patet




quòd quæ sunt similia cuiuscumque formæ sint & annexa vel parum distantia vt duo illa quæ vides vbi è regione plani oculus ponatur : & remotior à sublimiori vt in G, videbit facies duas & eam quæ in C, D, E, F, sub ea quæ est in A, B, C, D : nam videbitur inferior quoniam oculus magis distat A, C, D, E, F, quam A, B, C, D, & prope propter coincidentes radios : igitur vna à tergo alterius seu sub alia videbitur. Et manifestum est ex his quod cum propius erunt eo minores contingent diuersitates.


19 Quomodo videbitur mira res & referta innumeris gẽmis ac floribus instar Paradisi? Et hoc vidimus apud eundem. Statuatur in modum areæ spacium trinis interuallis distinctum quadratis, & vitreis septis crassioribus vt vice speculi & perspicui fungantur simul, & sint vitreæ tabulæ puræ admodum & aquei coloris, adornentur interualla singula monilibus gemmis floribus conchis, effigiebus animalium ac miris quibusque rebus intus & à lateribus ita vt me-



dia via I, K, L, M, libera sit : ideo inspicienti à lateribus, id est, vel M, reflectentur quæ sunt ex lateribus A, tabula G, M, H, & omnia aspectu commiscebuntur, & quæ citra E, L, F, ex E, L, F, inspicientibus ex, id est, gratia exempli & ita ex C, K, D, quæ erunt in parietibus A, E, & B, D. Quæ ergo erunt in vacuo A, B, C, D, reflectentur triplici modo ex C, D, E, F, G, H, & eadem diuersa videbuntur quia propiora ex C, D, quam E, F, & ex E, F, quam G, H : ideo triplicata apponuntur etiam in angulis A, B : C, D : E, F : G, H, vt fiat sexcuplex repræsentatio. Et item alius aspectus singulorum varius ac verior iuxta perspicuitatem. Et tertius demum mistus, ex omnibus nec refert vt spatia A, C : C, E, & E, G sint æqualia inter se sed bonum est vt sint, æquidistantium laterum cum D, B: D, F : F, H. Fuit autem singulorum cubiti magnitudo & maior : verum inspicienti ex L, videbatur longitudo in immensum extendi cuius causa & latitudo amplior visa est : & machina similis viridario. Tantum potest ars & sensuum iudicium : vt ob comparationem quod facile ferri posset videretur commodius etiam posse habitari.








20 Cur fune accenso inter duo specula videntur imagines singulæ luminum ac speculorum, nec plures? An quia fiant plures sed velut in iride ob imbecillitatem non nisi

vna

vna imago perſpicitur. An quòd plures accidunt, ſed paucæ videri poſſunt ob obliquitatem angulorum? An quod plures ſed imperfectæ ob ſituum diuerſitatem? vt quædam exiliter videantur & in parte ſolum, quod tamen parum experimento conſentit. Sed maior difficultas eſt quoniam ſi in ſpeculo A, B, C, D, apparet luminis E, imago & in ſpeculo F, G, H, I, ſimiliter. Et imago F, G, H, I, apparet in A, B, C, D, cum in ea ſit P, cur non videntur P, & O, in A, B, C, D, ſed ſolum vnius luminis, cum non coincidant in eundem angulum? P, in A, B, C, D, cum O, nec diuerſum oſtendit? An quod à ſpeculo ſpeculi quod eſt res imago reflectitur: Imagines hominis non ſit alia imago, ſed deſinit?

21 Cur luna viſa per recti limbum depreſſo oculo donec abſcondatur longe maior videtur quam ſi totam ſimul intuearis.



Sit in A, & videtur tota ab oculo in B, & ſenſim depreſſo oculo pars ſuperius abſcondatur donec ex C, tota abſcondatur. Et patet quòd A, G, eſt quantitas Lunæ detecta: ſed quia videtur in contactu tecti ideò prope & per triangulum A, H, G, & angulum H, ſed deſcendente oculo linea Lunæ eſt in periferia deſcenſus lineæ ab A, ad G, quæ eſt longior A, G, igitur maior videtur Luna ex illo motu quam viſa recto intuitu tota. Aut dic quod Luna tota viſa videtur in lumine paulatim amiſſa viſione videtur in obſcuro: res autem viſa in obſcuro maior videtur quam in lumine. An quòd clarius eſt angulus C, D, E, ſit æqualis F, C, G, ſunt enim contra ſe poſiti: lineæ autem C, D, & C, E, ſunt ferme æqualem vt etiam C, F, & C, G, & C, D, & C, E, ſunt maiores C, F, & C, G, igitur D, E, minor F, G, iungitur autem G, F, vice F, G, vel G, C, propter motum.

22 Cur pleni vrcei vel parum humoris continentes in aquam demiſſi magis ſubmerguntur quam qui plus dimidio non prope pleni? Primùm aquam vitro leniorem eſſe dignoſcere opere precium eſt, vnde ſi inane multum ſit prægrauat collum vrcei in alteram partem & ſubmergi. Item & maximè ſi vacuum quod ſub vrceo eſt non repleatur aër enim qui ſubeſt dum exire cupit inuertit vrceum, oportet igitur, illum prius exacte exprimere. Tertio ſi altior ſit aqua vaſe pondere petit imum propter vitrum. Quòd ſi vas ſupereminеat & valde



plenum ſit abſque ad aquæ ſuperficiem non ſubmergitur modo ſub fundo aër non ſit, vaſa ergo vitrea quanto leuiora & rotunda minus inuertuntur. Quòd ſi vas parte inani ſupereminеat aquæ ſuperficiei infra nihil ſit inane deſcendere non poteſt ob aërem ſupra contentum nec inflecti quòd vitri grauitas modico exceſſu ſuperet aquæ in vaſe contentæ grauitatem. Tum nec minus ſi vt in figura in imo ſit pes rotundus annexus: nam plenus aqua ſi debet inclinari oportet vt multum à recto declinet: vbi ſuperſiſtens aqua reſiſtit: & in quam declinat etiam à recto ad centrum terræ. Atque eo magis quanto per in longum protenſus fuerit. Quæ ergo ſine pede rotunda ſunt facilius inclinantur. Et magis etiam plana. Poteſt & huiuſmodi ratio ad lymbas traduci.


23 Cur eſt quòd in Luna non videamus Solem cum illa fulgeat radiis eius & ſit opaca quia vbi non illuſtratur non videtur. An quòd lumen Solis eſt amplum maius autem luminoſum non videtur in minore ſpeculo ſolum lumen eius vt in igne magno ſpeculo obiecto: at in ſpeculis maximè concauis Sol videtur vt reflexus ab eis quia hic dum coit præcipuè in pyramidem vt ignem excitet minor eſt ſpeculo & ideò ibi videtur. An quòd ſit perſpicua in ſuperficie ideò repleatur lumine atque ſplendore infra repercutiat & ſpeculi officio iungatur, Sed maius lumen obfuſcat munus: cum videatur ſub ſpecie coloris: color autem minus continet lumen luce: maius autem lumen obfuſcat minus. Et hæc eſt quaſi opinio Plutarchi. Cur à Virgilio dictum habet?

Sin ortu quarto, namque is certiſſimus author
Pura nec obtuſis per Cœlum cornibus ibit,
Totus & ille dies & qui naſcentur ab illo,
Exactum ad menſem pluuia ventiſque carebunt.

An ne hoc Poëticum poëticeque dictum? An quod Quarta dies ſi à vulgo celebrata eſſet? Vnde illud Εὐ τετράδι γεγεννῆσθαι. Vel quòd ea genitus Hercules fortiſſimus mortalium declararet eam diem eſſe pro Luna validiſſimam vt Herculis inter

mortales: nam aliorum syderum curam non habebatur, velut ignotis iam tum astrorum motibus cæterorum, vt Luna cum triduo delitescat media dies pro interlunio habita est cæteri pro habita numeri ratione. Vel naturaliter magis ac Mathematicè sexta diei initium ob occultata Luna incidit in quartam noui Lunij: in quinque diebus Luna ad sextilem suum peruenit qui LX. partibus distat à loco occultationis: hic primus dies ergo quæ Luna ab ingressu radiorum robur suum recipit. Vnde talis mensis erit maiore ex parte.

25 Circa datum circulum septem æquales circulos se inuicem contangentes describere. Vnde manifestum est quotquot à



figuris quæ à triangulo incipiunt ad decagonum vsque, ex duplicata ratione circulos posse circunscribi.

Sit propositus circulus A, B, C, & in eo inscribatur Eptagonus (quia de septem circulis circonscribendis agitur) iuxta doctrinam secundi Elementorum nostri cuius latus sit A, C, & duco A, puncto D, centro D, A, C: D, E, F, indefinitæ quantitatis per extrema A, C, & D, H, G, diuidentem A, C, per æqualia & ad rectos: Est igitur cuiuscumque lineæ ductæ æquidistanti A, C, à linea D, E, ad D, G, ratio A, H, ad illam vt D, A, ad D, E: quare D, A, ad A, E, residuum vt A, H, ad differentiam E, G, & A, H. Quare permutando D, A, ad A, H, vt E, A, ad differentiam E, G, & A, H, vt fiat A,K, æqualis A, H: Erit D, A, ad A, H, vt A, E, ad K, G. Cum ergo D, A, & A,K, sint notæ, & A,E, composita ex secunda & quarta & ipsa tertia erit proportio A, E, ad K, E, nota. Fiat modo A, L, æqualis A, K, ex D, A in E, K, fit quantum ex A, K, in A, E, hoc autem æquale A,K, in K, E, cum quadrato A, K, & ex D, A, in E, K, quantum ex A, L, & I, D, in E, K, detracto communi ex L, A, vel A,K, in E, K, relinquetur quadratum A, K, æquale ei quod fit ex D, L, in E, K: D, L, autem nota est quia est differentia duarum notarum D, A, & A, L, quadratum A, K, notum quia nota A, K, igitur E, K, nota tam Geometricè quam Arithmeticè quod est propositum. Quia ergo E, G, est medietas rectæ F, G, & æqualis E, A, factis F, & E, centris contingent se inuicem & A, C, circulum quia E, F, transit per centra, ideò per locum contactus, ideò omnia nota ex datis ab Euclide.



PROBLEMATVM CASVVM.

SECTIO SEXTA.

1 CVR Mediolanum tanta passum sit. Quinimò ne fortuito accedisse videatur, iam ante multis annis cecinit Poëta Cæcus Asculanus. Eximiam eam Lomgobardiæ regionem, fore semper tyrannidi obnoxiam Quidam ergo ob opulentiam vt author hic sentire videtur; Alij ob situm; parte enim vna Eluetij imminent gens ferocissima: non procul Gallorum Rex potentissimus: vtrosque montes tuentur, à nobis, nos ab illis minimè, vel quoniam Italia tota diuisa sit in partésque munitissimas, vnde his solùm de hac restare videtur. An quod ob soli fertilitatem voluptatibus incumbant: vnde non solum vt lepores fiunt præda aliorum, sed vt pisces dum sibi inuicem inhiant, capiuntur ab insidiatoribus non solum hominibus sed etiam auibus. Sunt qui putent ex circuitu hæc certis temporibus accidere, floruere Romani diu, & diu laborarunt calamitatibus: & nunc etiam surrexerunt. An quia mores sibi (vt dici solet) fortunam fingant sunt enim ambitiosi, necesse est autem populos qui eo laborant vitio in seditionem & ex illa in seruitutem deuenire. An quòd mercaturæ dedita sit & ex commercio multarum genium mores diuersos habeat: vt sint velut

velut multi populi non vnus. Atque etiam ad id facit diuersus sibi viuendi mos ac peculiaris, verisimile autem non est quòd toties occupata à Barbaris vrbe, quòd Gallorum redoleant naturam à quibus feruntur originem ducere. An quòd populus ille maximè plebs leuis sit ac loquax vt mos est artificum quibus plena est vrbs. An quod diu in ea factiones plus quam aliis in Italiæ partibus? Vel moti exemplo sæpius, occupata est enim à nouis dominis, nunc sub Rege Hispaniarum Philippo saltem interquiescit vt à meliore Regis fortuna benè sperandum esset: vtque potentissimus est minùs ab exteris est metuendum.

2 Cur contingit plerumque vt diuitiæ malè partæ celeriter diffluant: maximè si in eodem non perseuerent, vnde celebratur illud dictum. De malè aquisitis non gaudebit Tertius hæres. Et est Glossa Iurisconsultorum. Solet etiam dici: Malè parta malè dilabuntur. An hæc forsan non vera quinimo multi felices habentur quorum maiores cum iniuria miserorum diuitias sibi pararunt? An quod quæ nullo labore parantur eadem spe atque segnitie custodiuntur & effluunt. An quoniam filij ac nepotes sint prodigi, naturâ ex extremo in extremum transeunte. Extrema enim magis inter se coeunt quam media inthoris ac circulis, cuius indicio est, quòd quæ transeunt in vitiis ab extremo in extremum minimè transeunt per medium. In vitium ducit culpæ fuga, si caret arte. An quòd plerique qui rem suam breui sic consarcinant, multa parant aduersis legibus, morientibus autem qui personam pro pignore dederunt hæredes redimunt quoniam ipsi non consenserunt, vnde aliqui cautiores etiam hæredum consensum reposcunt. Pluribus etiam aduenit vt diuites cum censeant morientibus ex alieno ære conficta fabula & scenicus apparatus appareat. Alia causa est quòd res quæ magno impetu congeritur tanto fluctu non potest custodiri, vnde vxores filij, ministri assuescunt direptioni: ita postmodum cessante lucro & primo custode omnia pessum eunt. Filij etiam virorum huiusmodi sunt vt dici solet Ἀνδρῶν Ηρώων τέκνα πήματα. Et vtcumque ex omnibus his aut certè pluribus tum aliis.

3 Cur carunculæ à dextra nasi parte benè formatæ si cætera respondeant, magnas felicitates præsertim in opibus portendunt. Dico cætera vt nasus labia aures oculi magni & decori. An non ita est forsan sed accidit vt quibusdam hos contigerit? Sed sane talia sic significant alia quidem naturaliter alia verò præter naturam, velut dicebat Galenus quo caput in magnitudine moderatum, in forma rectè se habens, rotundum & reliqua circa figuram cum ouis magnis virtutes rectrices bonas & validas ostendit. Similiter & de naso oculis fronte auribus: tales autem sunt felices quoniam prudentes constantes viriles soliciti patientes viuaces, non tamen necesse est vt sint felices, nam in quibusdam locis non contingit. Et quoniam sunt carunculæ & sunt carneæ partes magnitudine plerumque ciceris pilosæ etiam meliores rubræ, ideò naturam efficacem & grauem ostendunt, verrucæ verò in minorem felicitatem portendunt & cum maioribus laboribus quoniam sunt melancholiæ. Sed & næui minus quam verrucæ & fiunt à melancholia experte salsedinis, lenticulæ autem sunt ab exhalatione & vapore absque materia, Nasus autem significat vim seminis quæ si non est impedita & potens magnitudinem decentem & formam & situm in medio acquirit. Sed si fuerit obliquus hominem peruicacem & si paruus etiam stultum si magnus iniustum & malum non tamen insulsum. Si simus & paruus puerilem & inefficacem. Dextra verò pars est calidior & ideo cum calidi sint efficaces & abundantia materiæ ac formatio bona significent robur, ideò tales sunt plerumque felices. Dijudicant autem Metoposcopi ex lineis & signis ac membrorum formatione circa faciem. Alij redigunt hæc in stellas & dicunt quòd Sol significat omnia membra dextræ partis & Mercurius nares ideò significat hoc Mercurium & Solem bene potentem ac rectè dispositum à quibus proueniunt felicitates magnæ, quoniam Mercurius prudentiam & Sol significat authoritatem. Aliter quòd eiusmodi signa contingunt propter stellas fixas quæ sunt in locis principalibus. Et ideo dicebat author Centiloquij Stellæ Bebeniæ dant dona grandia & modum excedentia sed plerumque malè terminantia: Sicut visum est in Thoma Marino Genuense adeò diuite cui postmodum tot infortunia acciderunt & habuit caranculam iuxta apicem dextræ naris, vel dic quòd hoc prouenit ex proprietate quadam occulta mistionis elementorum significante magnos quosdam effectus velut ex magna cogitatione quæ parit effectum illum vt in gallinis quæ cantant vt galli & calcaria emittunt, & mulieres quæ ex retentione mensium barbare euadunt: & pugnant sed plerumque sunt breuis vitæ. Et scias quod affectus animi nisi destituantur corporeis auxiliis afferunt plerumque fortunam: vt in prouerbio suam quisque sibi fingit fortunam: Et hoc ob mulierum & puerorum & plebeiorum immensam multitudinem ac consuetudines. Sunt autem ex complexu morum consentientium. Prudentia promptitudine, grauitate, comitate, modestia, læto vultu ac huiusmodi, contra impudentes, iracundi, cupidi, leues, effusi, simplices, stulti, prodigi, ebrij, multo certius miseri quam illi felices.

4 Cur qui lineas habent in frontis sinistra parte malè positas velut venie͂tes ex media & suprema ad alterum angulorum: atque item si rectam supra angulum interiorem oculi, quædam transuersa supra sinistrum supercilium secuerit publicè securi percutiuntur vt in Scutifero de Marauigliis etiam Legato tum Gallorum Regis, velut næuus in dextra sublimi frontis, carceres perpetuos? Scire oportet lineas has rarò multo ante effectum apperere solitas; quibusdam enim per duos menses aliis per mensem plerisque xv. & etiam viij. dumtaxat ante dies paucis & non coloratæ ante sex menses, vndo non potuit hæc ars (si modo est) determinationem habere. Ergo suprema dextra dicunt

dicunt Saturni est sinistræ altitudine media Martis. An quod ea signa peruicaciæ & impatientis iracundiæ sint, vel quoniam ex meditatione valida eo tempore oboriantur, vt ab eisdem causis vtrumque contingat. Scio duos quibus cum esset in animo timor ne gladio perirent, pridie quam perierierint vni & alteri verrucam collo in sinistra parte obortam sanguinem dum scalperetur emisisse. Itaque eadem die manus à proditoribus iniecta occisusque est, alteri securi caput amputatum.

5 Cur signa signis respondeant vt quæ latent prædicant quasi ex coniugato loco? An id fortuito accidit vt hic illi. Sed non tam vnus vni quam quòd natura maculosa cutis hoc ex illo significet atque ostendant, vnde sic distinguunt faciem atque aliis partibus corporibus comparant velut frontis summum pedibus, atque sinistro præcordio ex dextra parte: ita paulo & ex sinistra inferius super dextrum præcordium & ex frontis summo in pedibus. An quòd vana sint omnia & solo casu constent? Mirum est enim quod in tot seculis in tam facili & frequenti experimento nihil sit obseruatum fide dignum. An quòd etiam casu & tempore superueniant mihi olim verruca in secundi nodi pollicis domestica parte dextri brachij. Et naturalis supra cilium sinistrum lenticula valde parua & vix visibilis lenticula quæ mihi multa mala significabat.

6 Cur monstra pleraque fatidica censentur? Stultum referre in dæmonas cum illi illudant nobis potiùs quàm ostendant: at monstra ex naturæ errore contingunt. Ergo quòd natura non facile aberret nisi à magnis causis impedita? Eædem possunt inuertere etiam euentus alios? An quòd semper alicubi aliquid euenit magni quanquam plerumque infortunij: tum superstitione ducti homines ad ea refugiunt? Sed quid cum ibidem effectus vbi & monstrifica euenire soleant, velut de capro lac ferente narrat Aristoteles nam domino non aliis diuitias prætulit. Et neque quicquam habet bifidum vituli caput cum seditio vt populi, maximè alterius agri domini in quo vitulus natus est? An quòd non verum id sit de monstris; pauci autem maximè vulgus à miraculis monstra distinguere non norunt.

7 Cur familiæ numerum xiv. generationum non excedant? An hoc superstitiosum est & vanum? constat enim cuiusque hominis qui iuuat familiam ac maiores non solum ad xiv. numerum, sed ad quadragesimum peruenire si non ex quercubus natos velimus. Multorum etiam Regum numerus vltra illum extenditur: ideò non sic simpliciter intelligi debet: sed vt floreant sub eodem nomine & Regum vnus ab alio descenderit. Gallorum stirps quæ à Pharamundo annis cxxcvj post ad Capetios cc. præsentes. D. Gothi ccxxx. Longobardi ccccxl. Balduinorum familia nec xc. annis regnum Ierosolymitanum Lusitanorum autem Cyprum cclјј. Velut nunc Ottomani quorum qui regnat xiij. in ordine est. Primus enim fuit Ottomanus, qui nomen familiæ dedit. Hic enim patre natus. Ticho anno Christi MCCC. regnare cæpit, Et expugnauit Sebastiam. Secundus Orchana, obtinuit Bursiam, Bithmiæ Prouinciæ Metropolim: cui successit Amurathes tertius ordine: qui Philippopolim & Adrianopolim cæpit ac Mysiam inferiorem subegit. Quartus Baizethus; Mysiam hic superiorem Dalmatas Epirum Pannoniosque deuicit, Græciam fermè totam suo adiecit Imperio: sed demum à Tamberlano victus & captus. Quinto loco reliquit Griscelebem Imperatorem, Eoùsque filius semper patri recto ordine successit. Sed illi filij loco Moyses frater arripuit principatum ordine sextus qui legitimum filium occidit: cui Mahometes Criscelebris filius vice reddita occiso septimus euasit Rex: hic Galacia, Pontum Cappadociamque recuperauit, cui octauo loco successit Amurathes qui ordinem Ianizerorum constituit: quin alter Mahumetes nonusque Imperator filius Amurathis secutus est. Hic fratrem occidit metuens exemplum Moysis, Asiam minorem totam subegit, Græcium recuperauit Lemnam, Euboceam aliasque insulas & vrbes suo adiecit Imperio Triballos seu Valachios & Iaziges rursus superauit. Ceraunios & Scordiscos prorsus obtinuit. Capadociæque Imperium eousque promouit vt etiam Italiam aggredi ausus sit. Decimus alter Baiazithes. Vndecimus Selimus qui Ægyptum Syriam & Iudæam suo adiecit Imperio. Duodecimus Solymanus qui Rhodum & Pannoniam subegit filiumque Mustapham nouo exemplo peremit. Nunc verò Tertiusdecimus regnat Solymus arte Solimani filius qui Cyprum insulam cæpit. Ergo ne dicemus non vltra preogredi fortuitum esse, vt vel non deficiat soboles, aut saltem mascula, aut ab alio euertatur, aut propriis discordiis cadant: vel superentur bello aut seditionibus, aut ignauus perdat Imperium, nihilominus etiam non est necessariam quicquam locum contingere. Quare nec vnum ex illis quoniam contraria non sunt. An quod xiv. numerus hominis sit perfectio quod ex triangulo constituatur cuius duo latera ad tertium se habent sicut tertium ad secundum atque iterum primum & tertium ad secundum velut secundum ad primum: alij autem trigoni omnes imperfecti sint? Aut quoniam xiv. generationes penè trecentos annos continent, imò verius cccc. at in hoc tempore vicies Saturnus Ioui iungitur & pene ea Synodus ad sui oppositum peruenit.

8 Cur vrbes pereant & illæ cum regnis atque Imperiis intra DXij. annos ad interitum veniant? quidam putarunt accidere quod primi numeri scilicet duorum sit solidus solidi, id est, octo. Sed est ratio Mathematica ideoque ad talia inefficax. Præterea quid ad solidum solidi cum non sit receptum neque à Mathematicis. An quia numerus is magnus sit? in tam longo cursu autem verisimile est aliquid accidere vel ante vel paulo post vt sit fortuitum non determinatum. An quia ex humana natura in tanto tempore decidant alia noua resurgant: vicinæ prouinciæ vrbes familiæ, vt enim in corpore humano omnia concutiuntur nam

in

in MMM. annis octauus orbis integrum signum peragrat: D. autem sunt sexta pars MMM. calamitates autem quæ euertunt ciuitates sunt seditiones, bella, sterilitas, terræmotus ingens, pestis, inundatio. Et sunt sex. Et vt vna serius, ita alia frequentius aduenire solet: vt hoc potius in ordinem vniuersi sit referendum quam in vnius Fatum, id est interitum. An quòd coniunctio scilicet orbium superiorum ad oppositum transierit & inualuerit. An quod quæ ex mortalibus componuntur licet sero necessario aliquando ad finem veniant si non aliter discordia naturali: aut vnoquoque quod suum est reuocante. An quòd verisimilius est vt id quod assumitur incertum sit: nam Roma M. annis perseuerauit; Venetiæ iam MCXVII. habitari cæperunt, sed annis post CCCXXXV. instaurata: Atque post CCCC. annos renouata est forma vrbis addito consilio seu collegio Decumano? Roma capita anno vrbis CCCLXIII. an DCCXI. amisit libertatem. Ergo fortuitum istud esse videtur. Neque id laudo consilium quòd nulli vsque est, nec rationem habent solidam ostentationem, forsan non malum fuerit imò tutissimum mutare leniter instituta certis temporum circuitibus.

9 Cur multorum sapientum scripta interciderint? Hoc autem exemplo in primo libro horam collectorum declaratum est. An quod communis sit hæc ratio mortalium rerum: velut Horatius in Poëtica:

Debemus morti nos nostraque.

An quoniam quæ mutant Imperia, linguarum etiam vsum inducunt, vnde priores libri cum vetere lingua coincidunt? An quia multi existimentur sapientes qui nihil sciunt præterquam nugari, vulgus autem tales sustinet quia intelligit: monumenta sapientum spernit quòd non intelligat. An quoniam mundus aut retro agitur: & tunc ad rudes homines redeunt quibus nec ingenium nec peritia est: multo minus cura de huiusmodi, sed coguntur cogitare de vita, aut in melius proficit, & cum illo disciplinæ, ideò melioribus succedentibus priora negligi tandem necesse est; omnis enim disciplina est infinita. An quia fortes & robusti præualent bello: hi autem oderunt disciplinas, quoniam inepti ad illas: inferiores se, nolunt præferri? An propter circuitum in mortalibus: ideò priora & propria occidunt, aliena quasi ex obliquo & noua exoriuntur, vt zodiacus in cœlo, rota seu laterna præstigiatorum, quæ fumo circunuertitur: rectè quidem ob cylindrum, obliquè ob figuras in eo depictas, quæ cochleari forma sibi inuicem sunt comparatæ?

10 Cur mundi pars quæ tot annis latuit nunc detecta sit? Certè illud à Seneca dictum est:

Venient annis
Secula seris: Quibus Oceanus,
Vincula rerum laxet, & ingens
Pateat tellus: Typhisque nouos
Detegat orbes: nec sit terris,
Vltima Thyle.

Quidam volunt ex dicto Aristotelis inuentum argumentum, quòd cum India Orientem versus extendatur adeò vt fines illius sint iuncti Principio. Sed id non constat: nam eiusmodi India quam Aristoteles & antiqui norunt meridionalis est: nec ab Occidente distat plus CLXXV. partibus: ideò à Gadibus quod reliquum est tantundem esse potest. An quia ergo industria semper augetur? Verùm non statim se obiecit sed mense toto nihil terræ apparuit: vnde mirifica fortitudo aut potius temeritas cogitantibus nullam fore spem salutis vt nisi post totidem alios dies cum iam cuncta putrescerent. Quod si non aliis in rebus maxima sapientiæ argumenta ostendisset tum præcipuè illa ingrata detentione, & tam periculoso reditu cum compedibus qua vel liberè miserrima esset conditio furentis insaniæ & desperationis argumentum dici potuit. At nunc quibus te laudibus afferam Christophore Columbi non familiæ tantum non Genuensis vrbis non Italiæ Prouinciæ, non Europæ partis orbis solum sed humani generis qui factis egregiis non Alexandri gesta non C. Cæsaris victorias sed ficta Achillis & Heroum nugamenta Poëtarum veris gestis superasti. An ergo Genius aliquis hoc voluit seu propitius nostris, seu Antropophagis infensus & vindex impietatis illorum tam ingenti miraculo fauit. An quod circulo quodam vt antea dixi vndequaque cuncta ferantur: nam parum absuit vt refert Ioannes Barrius ne ab initio intercepta fuerit nauigatio seu ad Indos illos nostri hemispherij: ex qua Moluchiæ & regiones nouæ compertæ sunt, ex quibus per fretum Magellanicum necessarium fuit omnes has terras temporum curriculo detegi, docuimus enim superius multo antea quasdam vmbras non tamen manes apparuisse. An fide habitâ his quæ de Atlantica insula à Platone scripta sunt ad hoc inducti sunt. Maleuoli ad ingentem cupiditatem retrahere possent. Alij ad sua astra tanquam recedente paulo ante Solis Abside versus Austrum inhabitatio illa frequentanda sit: & cum illa Occidens Boreale vt longitudo latitudini respondeat?

11 Cur linguarum tanta multitudo vt vix numerus inueniri possit. An quoniam per tempora & regiones sensim varientur? An quod loci ipsi affectus mutent & affectus voces vnde & palato & summis labiis, & dentibus & gutture & imo pectore vt Hæbrei fiunt pronunciationes & cum his soni variantur: Et illis variatis cum à non intelligentibus aliter quam verè sonent accipiantur, nouo modo proferuntur, atque ita voces mutantur. Indicio sunt monticolæ qui asperè & Germani similiter. Et rudi modo qui valles inhabitant: cum mulieres molliter, ita sensim ex vna lingua transitus in aliam. An propter bella & imperitos vt pueros & nouas res variantur nomina ac linguæ? An propter institutiones varias maximè in arte militari. An ad dolum velut conficta lingua quam appellant Bracescam quæ postmodum venit in vsum. An ob tot artes vt apud Vitruuium insueta tot vocabula Architecturæ,

chitecturæ. An ob promptitudinem, vt in nautica: vno enim verbo inusitato apud mediterraneos habitatores multa intelliguntur, vel ob formas figuras & similitudines: omnia enim in tanta multitudine vocabulorum linguam nouam efficiunt, vbi comparatæ fuerint. Facit & ad hos obliuio imperitorum, frequens Analogia: carmina condendi curiositas: & scribendi ratio cum vno modo scribitur alio profertur.

12 Cur cum monarchia disciplinæ floruerint? à multis dubitatum est. Et an Artium studia commoda fuerint Imperio? Et certè quarundam vt machinarum armorum, nauigandi, ædificandi etiam & fabricandi pontes venationis ludi armorum vehendi pondera equitandi vt sedentariæ inutiles, Et odorum ac delitiarum tum popinaria maximè damnosæ. At literaria valdè vtilis dum viri fortes & iustitia quibus Imperia præcipuè stant celebrãtur, damnantur flagitia scelera incontinentes perfidi sæui ingrati, altera ex parte elata potentia humana duo fert capita bonum quod ad pietatem tendit & prauum ad scelera & cacodemonas at Idololatriam. Ergo cum honor alat artes eodem tempore florent disciplinæ & viri excellentes? An quo eædem causæ quibus strenui homines euadunt, studiosos patientes & acri ingenio parturiant. Et Alexandri Magni ætate Aristotelem Theophrastum Demosthenem Diogenem & alios. C. Iulij verò apud Romanos vt de aliis sileam Tibullum Catullum, M. Varronem; scientiæ quoddam Mare Ciceronem, Hortensium; An quòd florenti pompa & regno illi elati magno hominum clamore non desierint postmodum? An quia ante oppressis diu ingeniis bellorum assiduorum atrocitate quæ monarchiam antecedere solent tum primum prorumpant, vel quoniam sub monarchia quies & pax quæ fit consentientibus inuicem Sole ac Ioue hi errantium maximi sunt, quibus regnantibus & sapientes & probi in tuto sunt. An quod ita contigerit, nam Hippocrates & Homerus sub Monarchia non fuerunt: Nec Ptolomæus aut Galenus vel Aphrodiseus: Nec sub Assyriorum aut Medorum Imperio.

13 Cur rarò viri egregij peste interierunt? Vix enim vnus aut alter: M. Antoninus Philosophus Imperator sed in bello Germanico ob incommoda, Turius Camillus Oppianus qui de Piscibus carmine scripsit & Lucius eius nominis Secundus Pontifex aliique pauci nec Primæ aut Secundæ classis viri. An quod intenti maioribus (vt Epaminondas aiebat) non vacet tempus citra vim moriendi? vel quoniam pestis feriat cerebrum, ipsum enim violentissimis & frequentibus morbis subiacet vt ait Hippocrates, illis verò validum sit hoc membrum? An quòd moderati sint in cibis & potibus; qua causa Socrates in eam aspera pestilentia morbo correptus non est. An quod pestis morbus vulgaris sit, eiusmodi autem homines cuidam peculiari numine subiici videantur? An quoniam pestis senes occidit sed iuuenes: Præstantes enim senes sunt. Quis C. Cæsarem aut Aristotelem quadragenarios præstantes veros appellare ausus esset? An quia Pestis contagio aut aqua vel aëre propagatur; Præstantes autem viri à contagio prudentia si tuentur ab aëre & aquâ diuersa ratione. Cum igitur contraria sit viuendi ratio sapientum & vulgi, pestifera autem dispositio aduersatur vitæ vulgi ac populari, fauebit sapientum temperaturæ & consuetudini & vicissim contra, vnde etiam si moriantur tum morientur cum alij maximè & bene valebunt, vel aliis ex causis.

14 Cur principes haud longæui? An quod antiquo tempore cum nullus legibus tenerentur per tot nefaria transeuntes interciperentur vt Poëta:

Ad Cereris generum pauci sine cæde madenti
Descendunt Reges ac sicca morte Tyranni.

Quòd si euaserint in omnem luxum & libidinem deuoluti confidentia mortem sibi accersunt? An quia qui sibi pararunt immodicis curis ac laboribus, vitam sibi abbreuiant vt Franciscus Sfortia primus. Qui vero per successionem accipiunt, iam debiles facti libidinibus luxu conuiuiis, curis, vigiliis vitam imbecillem morbosam ac breuem reddunt: velut Franciscus Secundus. Et eius Frater? An quod etiam aliqui ad senium peruenerint velut Argantonius, Mithridates, Deiotarus sed pauci videntur quòd mors eorum sit magis quam priuatorum conspicua? An quòd insidiis pluribus & maxime Regum & propinquorum sint magis expositi quas si etiam euadant omnes, ingressi senectutis imbecillitatem, tædio & mœrore facile conficiuntur.

15 Cur quædam quibusdam semper vt victoria F. Camillo Coriolano. L. Syllæ, C. Cæsari? Astrologi in sua sydera rem referunt vt pote Solem cum venere in aspectu benigno Martis ac lunæ? Alij in dotes animi, prudentiam, fortitudinem, experientiam, & authoritatem confidentiamque militum? Et sunt qui putant causam esse fortunam quandam ac felicitatem, vt in libro de bona fortuna Aristoteles: vt videmus in aleatoribus. E quatuor enim illis tres in monachiam erant ordinati: Coriolanus cecidit sua voluntate. An quòd suus Genius sit potentior ac quasi dux fortunæ humanæ? Vel quoniam necesse sit vt in pluribus iactibus fortuitis aliquem esse numerum similium? Vel quòd hi inuentores fuerint nouæ rationis militandi vt Philippus Macedonum Rex, Sarissarum? Et hoc quidem naturale & in pluribus verum.

16 Cur impij plerumque malum habent exitum? An Deo vltore? sed hoc habet plures difficultates: nec est naturale? An quia odiosi hominibus, homo autem sine hominum fauore viuere nequit? An quòd inconsulti impij immodici & imprudentes, tales autem sibi exitium accerserunt? An quiá maleficæ stellæ illis stimulos addunt: quibus cum non resistant proruunt? An quòd infamia laborent. Et ob id contemnantur? Vel quoniam impius bestiæ similis sit quarum finis miser est ac turpis. Id verisimilius.

17 Cur facinorosi publicè plectuntur? In

in leges referri potest?Itemq; in merita?Alij in solatium eorum qui iniuriam passi sunt? Quidam in securitatem mortalium?An nonnulli quòd Rempub.læserint ideo eidem pœnas luere debent. An quòd facinorosi stultitia quadam laborent: vnde stupore quodam corripiuntur vt nec vitare milites, nec aufugere, nec clàm agere, norint.

18 Cur morbi hominibus & peiora velut Claudi, Cæci, Surdi? An quòd homo maximè delitiis deditus & intẽperiei à qua morbi & ægritudines. An quòd molli & imbecilli sit corpore, vnde facile sæpius & grauiter vitiant? An quoniam longæuum animal ideò à temporis iniuria magis atteritur? An quoniam pluribus animi affectibus laboret, ideóque etiam corpus læditur plurifariàm? At & id facit quòd metu malorum multa mala incurrit, & patitur: velut vigilias & tristitiam.

19 Cur in homine multiplex compositio Mentis, Affectuum, sensuum & corporis? sunt enim in homine alij affectus ratione mentis quàm in belluis: velut virtutes & consilium ac deliberatio? An quòd menti consilium & consilio sensus ad cognitionem, his corpus vt materia essent necessaria? An quod homo mistum esset ex omnibus, incorporeo, animalibus & vita ac corpore? An quia æqualitas quædam requireretur velut incorporeorum & corporeorum. Et sensus quidem interiores incorporei ac ex externis visus & auditus. An quia perfectissimo animali mens & anima rationalis superuenerit? An vt Deus mundo præest ita mens homini. Mundus autem totidem habet partes. Et partium interiorum quædam cœlo assimilantur, quas Plato vehicula vocat? An quod homo toti animalium generi coæqualis easdem patitur differentias, quas totum corporeum genus sola mistione & fermento seu confractione differens? An quòd vt in viperæ lingua varietas ex velocitate motus maior appareat?

20 Cur musici raro diuites euadunt? Excipimus eos qui seruiunt Regibus.

Principibus placuisse viris non vltima laus est.

An quia ars contempta & minimè necessaria ideò seruilis nec muneribus magnis digna habetur? vel quia libidini & gulæ dediti artifices perdunt aquisita eo modo quo etiam pararunt? vel quia ars ea gratiam cum iuuenta amittit. Est autem iuuenta breuis stulta, & contempta; ob id disperit totum lucrum? An quoniam inconstantes cum sint, bona & amicos retinere nequeunt; omnia autem humana maxime quæ ad lucrum pertinent tempore indigent. An quòd musica prudentiæ repugnat; opes prudentia quidem maiore indigent vt retineantur maxima vt disponantur, vel quod ab initio pauperes fuerint, qui multum institerunt vt proficerent, pauperes autem difficulter ditantur. An hoc contingit in nostris regionibus ob artificum multitudinem: vel quia multipliciter vsus eius & exercitatio impediatur vt ociosa plerumque sit; nam organica tantum habet impedimenti, tantum temporis exigit vt ad vsum deducatur vt plus afferat tædij quam voluptatis, vel quòd sẽper aliquid desit, perfectio autem finis in quo opus, & inde opes, vel quoniam qui ea delectantur adolescentes sunt stulti, parum pecuniæ habentes & in alios vsus magis corporeos exponere parati.

21 Cur antiquo tempore tyranni feri felices vt Dionysius maior, Agathocles Augustus; inter infelices vt Dionysius iunior & Iason Pherensis? Nostra autem ætate contra vt Valentinus Borgia, & Azalinus vt contra F. Sfortia primus & Cosmas Florentiæ & Ethruscorum Regulus. An quòd non omnino vera sint velut Alexander Mameæ qui Occisus est cũ matre, & Tiberius contra obiit in Imperio, naturali morte? vel quòd lex nostra ad clementiam spectat, qui igitur praeferoces sunt, magis remoti sunt a consuetudine populorum, magisque ob id inuisi: Principes autem constant consensu populorum, & nisi ille adsit soli sunt, ideò malè pereunt, vel quòd ob legem magis res spectat ad successionem: vnde solum pro legitimis habent quos elegerint aut successione regnantes: alios oderunt: at qui veri reges esse creduntur in his conniuent. An quia nostra æstas. Dum Deum colit, puniendos iuxta acta censet, ideò mitibus ignoscit, vel quoniam exitus plerique principum (vbi legibus viuitur) prudentia constant, mitiores autem prudentiores sunt.

22 Cur improbi diuturnioris vitæ? An quia improbi calidi sunt & calidi improbi, caliditas autem facit ad vitæ longitudinem? An quod improbis homines non audent nocere: boni autem sun obnoxij magis calumniis, iniuriis, veneno, oppressionibus ex quibus vita decurtatur. An quòd probi sunt pauperes, improbis non adeò desint vitæ necessaria. An quod sub probis continentur maxime intemperantes, gulosi, libidinosi segnes & inuidi quoniam eorum improbitas non agnoscitur. Improbi sunt superbi iracundi crudeles latrones fures hi autem minus sunt intemperati. An quòd improbi audaces, multi autem in calamitatibus timore aut desperatione intereunt, velut tempore pestis, & in morbis ac grauiter vulneratis videmus, vnde tales ob probitatem facile mori; illos tardè ob improbitatem mori putant.

23 Mors quando superueniat, horum causa quæsitum est. Quidam ab Aphetis, alij ab Alcocoden numerum vitæ sumant quæ res earum comperta in nostris regionibus est: Et si vera sit, non hoc ad scientiam facit Philosophi à dissolutione Elementorum. Medici dicũt, fermè nullum sic videmus mori sed febre, inflãmatione, doloribus, hectica. Præterea temporibus pestis moriuntur absque hac causa, aut si ob eandẽ causam, cur non omnes maximè rudes intereunt? nam dissolui existimant, quod crassioribus partibus constat. At non id accidit sed potius contrarium. Alij dicunt cum calidum non prædominetur humido? At humidissimos dicunt maximè diu viuere. Alij donec humidum radicale (vt appellant) superfit: At hoc non est verum in his qui cæde moriuntur qui in aquis suffocantur: at nos quærimus causam per se & communẽ mortis quæ sit? Forsan dicemus extentionem caloris in nostro corde innati quacumque causa ortum habuerit tum mortem inferre. Quæ vero causa communis harum causarum vna sed analoga, & vt ad vnum refertur.



PROBLEMATVM MISTORVM.


SECTIO SEPTIMA.

1 VR Porphyrites cum longe durior sit cotibus, ferrum non exedit aut valdè minùs illis? Causa est quòd est leuissimus ideò non exedit, nec à ferro exeditur, vnde qui volunt illum comminuere, addunt Smiridis puluerem cum aquâ, vt hæreat ipse cum durus sit & inæqualis adhæret & comminuit pressus ab alio duro. Cos ergo cum mollis sit, argumentum habet quòd sit inæqualis & ob id ferrum erodit ac vicissim eroditur. Porphyrites nec agit nec patitur, qui vero lapides duri sunt ac quasi ex arena compacti hi magis vtroque erodunt & maximè durius ferrum, ac chalybem & similia; sed si maximè inæquales, maximè & vt ita dicam nimis erodunt & facilius franguntur; quas ob causas nullius propemodum sint vsus supplentibus limis. Optimæ ergo cotes tenuissimâ sunt arenâ & ideò durissimæ, contra durissimæ tenuissimæ nisi omnino leues vt Porphyrites & Ophites. Inutiliores etiam sunt leuissimæ & malles velut marmorum quædam genera & gemmæ Occidentales pleræque. Sed & Chrystallus & Amethystus ac myrrhis.

2 Cur ex falso verum ex veris nunquam falsum sequitur. An hoc etiam ad id de inuentione & causis perturbationis humanarum rerum sequitur, propterea & ibidem quærere oporteat: nam vno falso tanquam vero supposito non minus descendendo quam omnibus falsis, falsum sequitur, quòd vero ad præsentem contemplationem attinet in generalibus & communibus manifestum est & ab Aristotele declaratum, velut si supponamus hominem esse asinum facilius concludemus esse animal quam si non quod quotidie exercent qui vnum medicamentum eiusdem efficaciæ aliud esse affirmant, vt vulgare agrimonium quod forsan vtilius est iecori, Eupatorium esse putant. An ergo quoniam verum, facilius prosilit, quod naturæ ordini acceptum sit falso? An quod falsum aliquid contineat veri vt homo asinus, continet ex parte generis verum scilicet homo animal: ex duobus autem veris verum concluditur. In vero autem nihil falsi. Sed adhuc manet ratio tum quia ex duobus etiam falsis verum concluditur, velut si dicamus quod lapis est animal & asinus sit lapis confestim sequitur asinum esse animal. Rursus si diuidatur Asinus in animal & rudentes homo autem cum vtraque euadit viuens. Admissa paritate: quoniam falsa cum vera potest vtrumque concludere, sicut falsa cum vera, atque idem vera cum falsa; ad idem enim ferme redit & sunt, rursus pares, at non sunt pares quòd duæ veræ non possunt inferre falso: duæ falsæ, tàm falsum quam verum. An hoc etiam esse potest quod falsum possit existere, id autem non contingit vt in Hyperchen demonstratum est; essent enim falsa & ita simul essent ac falsum nunquam est, quamvis ergo supponatur, non potest delere omne verum sed solum quod est ei contrarium. Descendẽdo tamẽ vt dixi, falsum omnia conturbat. Separare autem oportet contemplationes ambas & etiam à tractatione diurna.

| Viuens
| Animal rudens
| Homo

3 Cur visus & radius è directo potentior, sonus ex obliquo? Refert Xenophon Mosynæcis qui vltra Pontũ habitant castella esse in montibus quæ inuicem lxxx. stadiis distant vnde tamen vltro citroque voces missæ exaudiri possent, quod efficiebat non solum edita sed etiam crebris vallium finibus concaua regio. An ergo velut è speculis ad aliquot milliaria licet prospicere quod radius in vnũ colligatur, ita in cauis sonus in vnum coit atque ex loco eliditur potentior quam ex eo vnde emissus est. Sed adhuc manet dubitatio; colligitur enim natura radius, colligitur & sonus: collectus efficitur validior: validior effectus vehementius eliditur: repetitus locus refocillat sonum vt specula lucem: hæc quatuor se inuicem consequuntur: at illud non est manifestum cur ex cauis quæ obliqua sunt redeant in vnum radij ex rectis? hoc enim demonstrari rationibus mathematicis potest; illud non ita, an quoniã cum partes redeant æqualiter necesse est ex circumferentia ferri ad centrum cauum, omne enim rotundum est videmus autem hoc in expirationibus hyemis tempore, verisimile igitur est id accidere propter aërem, quæ autem cœlestia cum in orbem ferantur, cur ergo lux & lumen in rectum? An quoniam incorporea recta ferantur, corpora omnia tam cœlestia quam elementaria circulari motu; inditium est aquæ motus: ideò lumen recta procedit quoniam ipsa rei species mutatur in sono autem subiectum eius. Ob id sonus magis corporeus est luce. Inde ex his echo & procul audiendi ratio & fornicum structura: atque alia mirabilia velut in speculis.



4 Cur lumen candelæ prodit gemmas, quæ à bractea colorantur, sit carbunculus nitidus A, B, cuius, A, alba pars sit & B, diluti admodum coloris, subiectâ bracteâ valde rubrâ & viuaci vt solent esse cum recentes sunt ipsi B, candidissima vero & pura A, in die colligitur lumen vt videantur carbunculus & adamas

adamas simul iuncti quo spectaculo nihil potest esse iucundius admota autem candela in obscuro nil fœdius est & dilutissimi coloris carbunculus : vt hac fraude colligantur non solum , sed diuidantur colores prodantur autem candelæ lumine. An quia candela à latere lumen diurnum à superiore parte transmittatur ? Sed & si candela superius admoueatur seplasia non iacet quamvis non adeò pateat forsan ob lucis mobilitatem , vel quoniam candelæ lumen debile sit & ideò spargat colores , vel potius quod tenue sit atque concretum , lumen autem diurnum crassius ac sparsum vt rubrum colorem cogat alterum spargat , candidum autem fit dum spargitur adeò vt sit diffinitio eius coloris , ruber autem dum cogitur , nitescit & splendet. Et vt in quibusdam obscuris plus ostendit ratio quam experimentum hac in causa plus præstant Sycophantæ experimento quam sperari iure possit. Est autem lucrosa fraus si succedat propterea annulis includunt artificio precioso tum vt authoritatem rei addant tum vt pigeat soluere gemmam. Propterea gemmas in duplici lumine experiri oportet. Et enim carbunculus etiam albus optime tingitur , quòd solidam habeat superficiem & ideò nitorem ex tinctura magnum cum colore recipit,qui tamen vt dixi à lumine laterali detegitur. Quòd si omnino ruboris sit expers candidatum est pulcherrima.

5 Cur magni viri apud populum sunt infames ? Vnde qui non se tutati sunt etiam damnati sunt. Themistocles Miltiades , Alcibiades , Nicias , Aristides, Phocion , Coriolanus , Scipio maior Africanus C. Iulius Cæsar Pompeius atque alij sine numero ex ducibus Ex eruditis nemo euasit Anaxagoras , Socrates , Aristoteles , Galenus , Oribasius , Hippocrates. Sed & sponte ob eam causam exularunt Iphicrates in Thracia ; Cimothous , in Lesbo ; Chabrias in Ægypto Chares in Sigeo. Quid dicam de B. Hieronymo ; quanta enim is inuidia laborauit ? & quali causâ , nisi quod esset eruditus & probus ? Achillinus Alexander Bononiensis ob inuidiam veneno extinctus est. Referunt Ioannem Iuuenalem Vrsinum penè perditum falsis accusationibus, casúque liberatum. Quid nostrâ ætate accidit Curtio , Vesalióque, indignis tantâ iacturâ. Dicamus igitur quòd qui egregij laude habentur , si ignaui sunt , bonis inuisi etiam meritò deiiciuntur : qui autem virtute superiores euadunt , tot ignauis qui se illis impares esse cognoscunt , conspirantibus premuntur. An quod qui virtute præcellunt cum aqua sit distributio etiam tantumdem vitiis aut paulominus laborant ideò malè audiunt? An quia Gloria inuidiam parit , inuidia odium & malam famam. Et rursus magno nomini magna conuenit à consuetudine mutatio , vnde plurimi qui ex priore statu vtilitatem aut laudem vel voluptatem consequebantur priuati eo emolumento authores meritò oderunt & infamant , vel quoniam nesciant blandiri nec adulari & ideò vel contemnuntur vt agrestes aut insulsi aut odio vt superbi habentur.

6 Cur homines præclari quamvis non violenti violentum tamen exitum sortiti sunt : Anaxagoras , Socrates, Aristoteles, Hippocrates Hasen. An iisdem ferme causis quibus inuidiæ & exinde iniuriæ vt dictum est subiecti fuere. An quod contumaces sint & ob gloriam quam adepti iam sunt iudicant indignum humilibus cedere vel quod seu actio insigni seu genio seu virtutis ardore prouecti sint , eadem vbi conuersæ res aut regio aut dominatur tantundem in exitium & calamitatem impellunt. An quoniam vitæ contemptus quæ non minor est fortitudine militum ad hoc impellit ? Vel quia à similibus descenderint , ad magnum enim nomen acri animo indigent.

7 Cur cum operatio sit perfectio formæ, operatio autem fiat in vigilia maior tamen voluptas fit in dormiendo quã vigilando? Indicio est quod Sybaritę qui voluptatibus admodum indulgebant fabios & gallos ex vrbe sua expulerunt ne somnum interpellarent, feruntque Smindridem primarium eius vrbis nunquam per plures annos vidisse solem exorientem neque occidentem. An quod in somno non fit hæc voluptas sed in decubitu in lecto vigilando propter requiem & ad libidines ac monstrosos gestus. Vel quod solum infatigatis somnus afferat voluptatem? Sed quæ si in somno cessat omnis sensus ? An quod consuetudo longa non efficere possit vt voluptas sit in somno , sed desidia sit eis grata & omnis labor inuisus , Vel quod in somno sit voluptas licet non sensuum perfectio vt sentire videtur Galenus in libris de motibus musculorum , maximè si placidis insomniis aspergatur ? An quoniam tanta fiat , in eo restauratio vt iucunda ob id tanto vigilia fiat , vt causa ob consuetudinem etiam iucunda reddatur & illius memoria & aduentus cum voluptate expectatur & expectet? An ex omnibus his aut pluribus. Vel quoniam ob consuetudinem vigilia laboriosa facta sit & operationes eius & ideo insuauis. Et velut homo in labore somnum expetat , quod in illius sensu sit dolor licet in somno non sit voluptas , ita etiam in delicatis ratione, & licet non adeò semper tamen.

8 Cur vj. Calendas Martij anni MDLXXIV. apparuit hora circa initium decima stella propè Lunam cum esset tantus dies adhuc reliquus ? An quod lunæ vacuæ lumen cum comparatione iuuaret ad visionem ; nam tum luna erat occidentalior Sole XLiij. partibus iij. fermè : Et ideò propè lunæ partem à Sole remotissimam, & in ipsa longitudine , occidentali media constituta , nam motus eius erat æqualis fermè Solis motui. Et latitudo lunæ meridiæ , Quatuor fermè partium : Veneris autem ex aduerso Borealis par : quasi trium , quo fit vt bifariàm Luna Venerem iuuaret ac quasi protegeret à Solis lumine. Ideóque cum sit purissima & tum esset propè Cœli medium & quasi in vmbra scilicet à tergo Lunæ vt lumen in vmbra magis videtur præsertim quod nubes

nubes tum Solem, tum Lunam ex aduerso obumbrarent, per interualla aëre tenuissimo apparebat? An quod aëris constitutio eiusmodi fuerit quo colligeret lumen illius astri velut in speculo concauo ex quo & radius illucescit multo candidior ac viuacior quæ ex Sole ipso. Hoc enim velut etiam ex solibus fortuitis manifestè contingere solet. An quod licet naturale sit prodigij tamen loco habendum sit? Sed dices cur Syrius cum sit venere maior & illustrior & plus à Sole distet maxima temporis parte quæ Venus nunquam tamen de die, conspicitur elato Sole altius? An quod Venus densior sit substantiâ an purior, an eius lumen efficacius Stellis fixis? Vel quod attrita illa à sole via tenuior sit (loquor de aëre nunc) vt licet Stella sit in obscuriore loco quæ Venus sit, tamen in aëre densiore ac magis crasso?

9 Cur qui nauali certamine plus valuerunt, pedestri non ita, & contra, velut Carthaginenses adeò mari valuerunt vt Romani decreuerint non pugnandum mari. Et ita Antonius Augusto terrâ felicior, statim mari succubuit. Et est familiare exemplum. Quidam referunt ad id quod nemo potest in duabus rebus præualere; natura enim humana angustis clauditur finibus. An quòd bellum terrestre exigat militem stantem; nauale, agilem atque mobilem? An quòd in terrestri hi vincunt qui etiam equis multum valent in mari hi prorsus sint inutiles. An (quod magis est ad rem) si ex duabus æqualibus quantitatibus plus dematur ex vna quam ex alia reliquum, quod relinquetur erit minus; student enim victi alio in certamine quicquid superest virium collocare? An quòd etiam nouos sibi adiungant socios? Propter has omnes causas vbi magnum valde sit discrimen, problema non erit adeò firmum?

10 Cur Insomnia? Aristoteles in plures distinguit causas quas inuicem nectit. Primum reliquias sensilium specierum manere absente obiecto vt ab intuitu Solis: alterum quod in perturbationibus homines facile decipiuntur?

Huc ades ô formose puer:

Et quod imbecillis sensus facile percellitur collatâ imagine ad perfectam imperfectâ velut cum ægri in laquearibus figuras hominum aut aliorum fingunt quòd cogitatio abolita ex parte sit. Quod si prorsus etiam fixè intuentur & si magis etiam manus admouent. Quartum quod non solum moto sensili sed etiam sensibus ipsis fallimur vt cum in naui sumus ripas moueri putamus & in curru clausis oculis in aduersum ferri; Demùm quod cum vigilantibus non solum species ab extra intus ferantur atque ab intus extra, dormientibus idem motus qui à priore occultabatur non obscurus est, sed mouet sensus vt dictum est imbecilles: quem motum adiuuat animi persæpe perturbatio. Ideóque ob assiduos etiam motus desinunt, obliquantur, permutantur repente vt in fortuitis occursationibus: Sic ergo fiunt insomnia & euanescunt ac confunduntur. Atque eo vsque processit vt ostenderit, cur quandoque (cum non perfectè somno sensus obruunt) dijudicamus vnum non esse ei quem in vigilia agnouimus sed valde persimilem, cumque adhuc minus tunc non iam insomnium sed spectrum dici debet. At quandoque cum ratio & sensus magis viget somniantes vere sentimus dolorem in primis, lumen, vocem ac talia. Sed cur & finem non docuit. Neque vsui vlli esse videntur: nec delectationis causa cum plura sint tristia: nec ob salutem, cum etiam quidam surgentes perierint. An ergo quoniam necessarium fuit hoc propter aliud vt respirationem? An ob ornatum? Siquidem anima à cibis & humoribus liberaretur: Et libera perfectius aliquid adipisceretur?

11 Cur quidam futurorum multa prædicunt? velut anus quædam paucis antè annis iuxta Romam quæ rectè vaticinabatur neque obiter: sed vt de Paulo Quarto quod xviij. die Augusti interiturus esset palam, nec sine magno discrimine, cum eiusmodi res & etiam longè leuiores odio prosequeretur. An quòd tales, velut & Nostradamus tot prædicunt quæ obliterantur si non eueniant, & sermone ancipiti tam multa, vt vera prædixisse necesse sit videri. An quòd artibus quibusdam & probabilibus argumentis aliquâ satagant atque præuideant. Nonnulla etiam & mihi & tibi mira videbuntur quæ tamen naturali ratione constant, & consilio subiacent. An quod mens & anima pura Deo adiuuta quædam cognoscere possit? Ob id rarò talia aggrediuntur: & quibusdam cum ceremoniis seu necessitate, seu vt non patiatur humanum genus Deus vlterius euehi. Propterea nemo qui his quæ non ex arte sunt, tanquam arte constent, vtitur, in huiusmodi fœlix esse potest autem cui fides merito sit adhibenda. Nam & anus illa videbatur rarò quicquam distinctè prædicere. Nihil tamen hæc magis auget seu miracula seu insomnia, quam quorundam in augendo studium seu vanitate seu dolo. Non negarim esse arcana quædam naturæ quæ si quis norit non videatur admirabilis: quibusdam proprium quoddam inesse quod effectus raros producat, vt de illo qui omnes eo anno naturali morte perituros agnoscebat referebant.

12 Cur æstiuo tempore illud celebrari soleat:

De Mane montes, de sero visita fontes?

An quia radij solares matutini primum videantur & salutares quia orientales & roridi ideo cum voluptate, vesperi autem zephyrus spirans nostris in regionibus iucundam mansionem, vel quoniam mane vegetum corpus hortetur nos ad ascensum: vesperi siccatâ herbâ in ripa fluuiorum discumbere. An quòd mane ob rorem & noctis frigus herbæ vireant magis ac luceant: flores vesperi, pisces vagentur ac aquæ puriores fluant, & homines calefacti & bibere ac lauari optent. An quòd ista vsu constent? consuetudo autem omnia gratiora facit.

Aut

Aut quod mane gaudeamus occurrere lumini Solis quo iam diu caruimus: vesperi vmbra quæ plerumque in fontium margine viget, vel quod mane fontes nimis frigidi sint & fructus minus suaues quia acerbiores: vespere calidissimi montes: Et etiam quæ ibi nascuntur arida natura ac succi vacua siccata? An vt sæpe dixi quod vnum non potest plura simul collecta efficiunt?

13 Cur animalium & vt generalius dicam viuentium species perpetuò manent? Hoc quæsitum est alterius generis quoniam si est (vt dici solet) primùm dubium est: uam Balsamum pro succo non planta obiit. Et vbi operatio non manet vix dicendum idem Cinamomum & laser periit. Et Phœnix ac multa alia. At si pereunt nec alia renascantur orbis desolabitur: Si alia loco horum vt Manucodiata Phœnicis loco: Garyophyllum pro cinamomo: Quomodo oriri potuerunt nisi ex putredine: Inde oritur alia quæstio. Et alia scilicet quod natura non eligat meliora. Præterea alia quæstio de his quæ aliquando intereunt vt pote de muscis, sed muscarum genus forsan perpetuum est in orbe licet non Italia forsan nec Europa: At sunt serpentium genera admodum rara quæ interire verisimile est. Illud sanè valde admirandum muscas nunquam interire, & vbique esse tam similes, vt pote inter cætera nigras, cæterorum nullum genus aut perpauca. Sed vt dixi hæc parerga. Supponatur igitur id sic esse. Quidam dicunt Deum ita constituisse: sed hæc responsio cum causam non afferat huic argumento non congruit. Epicurei dicunt mansisse æterna quibus nihil defuit ad propagationem ad alimentum & ad externas iniurias propulsandas. Sed hæc responsio cum manifestè falsis principiis innitatur, non est admittenda. Peripatetici dicunt species esse velut orbes qui in seipsis perpetuò reuoluuntur, ideò nunquam desinunt. Hæc non docet causam sed est de suis admirandis inuentis. Platonici quòd conseruentur ab Idea sua. Hæc est similis primæ: nam dato quòd ignis ardeat & comburat licet sit ex operibus Dei, habet tamen causam: vt pote motum indesinentem quo se conseruat & auget. Alij dixerunt vim esse in corporibus cœlestibus vt. à Sole sanguinea; à Luna quæ in aquis; à Saturno quæ primum ex terra generantur: vt plantæ omnes & quæ ex putredine fiunt? Sed hi causam reddunt simpliciter non cur propagatione. An forsan melius conseruari quæ principium habent tam validum generationis in se vt se tueri possint vbique: alia quorum principia corruptionibus quæ vagantur resistere nequeunt sed coguntur aliò transire velut hirundines singulo quoque anno: talia non videntur æterna simpliciter quia non apud consuetos homines: & huiusmodi tamen perpetua sunt. Alia debiliora non semper habent locum generationi aptum: & alia certo annorum, spacio intereunt licet post regenerentur. Alia demum prorsus intereunt: & antequam regenerent; iterum alia eis consimilia fiunt vt memoria hominum nunquam restituantur sed quodam loco eorum.

14 Talpæ cur protinus vbi è terrà emerserint, intereunt? Maximè in Sole? An quòd aër subterraneus non minus ab hoc puro distat quam aqua ab illo aëre? pisces autem sub terra suffocantur, ideò & talpæ in hoc? An quod delas adæ terram fodiendo pereant? Indicio est terræ cumulus congestus super foramen? Vel quòd à Solis calore obeant; ideò & magis æstate. Indicio quòd vbi emergant sub Sole & æstiuo tempore protinus moriuntur velut & Scorpiones & vermes: quoniam sanguinea animalia Sole & coitu fiunt ideo & in aquis & sub terra breui moriuntur: Pisces à Luna & ex ouis ob id sub terra & in aëre pereunt: & eo celerius quo vita eorum tenuior est quam sanguineorum: Genita ex putrida materia & nullo parente aut principio à Saturno gignuntur: & inimica vtrique generi: nec in aëre libero nec aqua viuere possunt. Adiuuat autem illam Iupiter & Venus: vt etiam in generatione plantarum, qua de causa in plantis & animalibus è putrida materia miræ proprietates inueniuntur. Mars autem generat media & vtilis animalia & ex ouis aut aliqua sede vt Bombyces & apes: peruerso ordine Muscas, vespas, Crabrones quibus benefice vt dixi auxiliantur. An vti ad rem redeam tum finis vitæ talparum est, & vt fugituræ morbum, incidunt in mortem, quod verisimile videretur quando quæ exeunt iam moriantur & magnæ sint, vel quòd tum aër sub terra corruptus idem sit causa fugæ & mortis & indicium, idque verisimilius cum si ægræ forent non tantum terræ impellere possent. Aut quod non moriantur nisi percussæ: Indicio quòd ex tot aggeribus vix vna aut duæ mortuæ reperiantur. An quod terram quam deuorant sole moriantur, vel quòd antea imbecilles vel alimento destitutæ. Vestem autem Ambrosius Viceco-mes Venetiis ex earum pellibus confici curauit: magis admiratione dignam quam vsui hyemis aptam, erat enim insignis pulchritudinis ac leuitatis.

15 Cur ludi literarij magistri male de insolentia audiunt? An quòd imperare consueti pueris retinent mores? Ob id referunt Dionysium iuniorem cum Syracusanam tyrannidem exuisset: multis opibus ex pacto subtrahens se, Corynthi aperuit ludum literarum: quasi nulla esset propior vitæ conditio? An quia insaniant quotidie cum pueris & ex operationibus frequentibus generatur habitus? vt inquit Aristoteles. An quòd ex longo labore fiant melancholici? An quia plerique ex magna paupertate emergunt? vnde illud Poëtæ:

Occidit miseros Crambæ repetita magistros.

Nemo autem magis fit insolens quam qui ex humili statu ad maiorem paulo emergit? An quòd Poëtarum lectioni assueti mores fingunt

fingunt iuxta Heroës & Tragœdiæ personas? An non omnes?

16 Cur Germani artibus, Hispani consilio præstant. An quod simpliciora ingenia Germanorum, magis ciuilia Hispanorum? An quòd calor immodicus consilium non admittat in Germanis, nec Hispani dignantur artium exercitatione? Vel quia Germani robustiores sint corpore, Hispani ingenio magis versatili? eiusmodi autem magis etiam ad ciuilem negociationem composito? Vel quod ciborum ratio diuersa sit copiosior Germanis, exquisita Hispanis. An ob Nundinas in Germania frequentes? An quod Hispani incumbant regnandi studio, hi operibus & linguarum cultui?

17 Cur Turcæ & heluetij parum vitant pestem, cum plurimum differant regione, moribus & religione? An quòd ambæ nationes maximè feræ sint? An quia ambæ impauidæ? An quoniam fœde viuant pariter. Pestis autem vitari non potest nisi ex vita culta diligenter?

18 Cur veritas adeò amabilis odium parit? An quòd vel occulta detegendo nocet? Aut nota obiiciendo malum animum ostendit? Vel homines praui natura sint, ideò non nisi malum exprobrari sibi metuant? An quia cum malus sis non liceat impune de alio malè dicere? Vel quòd petulanti lingua cum sis, non nisi timendum sit, si sciueris arcanum aliquid? vel quoniam improbus cum sit hâc versutia velis videri censor molestus atque superbus? placet tamen veritas alienorum vel occultarum & vtilium rerum.

19 Cur virtus opibus sit magis inuidiosa? An quia opes molliunt aut terrent inuidos? Aut quòd virtus maius sit bonum opibus? An quia virtute si careat, cum in nostra sit potestate, liceat exprobrare, de opibus non licet cum sint ab aliis causis persæpe, vel quoniam minùs communicetur virtus: ideò multi virtutis specie redduntur intractabiles? diuites autem blandi sunt, hæc enim via ad opes? An quòd virtus sit bonum populo incognitum honor autem ob id immerito deferri falsò existimatur? Vel quoniam humilis sortis hominis eam adipiscantur, indicio est etiam tales ob diuitias idem pati.

20 Cur Eunuchi sunt malorum morum? An quòd nil prohibeat esse optimos & strenuos veluti Narsetes. Imperatoris Iustiniani: Fauorinus quoque Philosophus celebris Adriani ætate: An quia inter fœminas educati cum sint viri: nam & Sardanapalus talis fuit licet non Eunuchus, Vel quia animal neutrum nec masculus nec fœmina? An quòd amoris donis careant, splendore iucunditate, gratia, lætitia, spe? An quia atra bilis non habeat quo sponte expurgetur? An quoniam irritati iniuriis improbi & malefici euadant vel ob fœdam conuersationem cuius sunt memores?

21 Cur insectorum abundantia pestem aut famem portendat? An quia humidum aërem & corruptum? An quoniam Saturni dominium portendat qui talium author est iuxta Astrologos? An quia argumentum sit vis Solaris impeditæ, à qua orbis inferior conseruatur, superior ornatur? An quod obseruatum quandoque ex eo in normam redactum? An cum intereunt, hæc est putredine accidant? vel quia excedant sata & fructus vt desint, aut corrupta vitient corpora humana?

22 Mulieres cur viris mansuetiores? An quia humidiores. Indicio est (contraria causa) Afros esse sæuissimos, vel ob educationum remotæ à spectaculis & exemplis sæuis? An quoniam arma non habeant alia quibus se tueantur. An vt reddant paria cum illis soleant viri blandiri, vel quòd pauca norint? An experientia multarum rerum homines reddit sæuos?


23 Mulieres cur monstra pariant. Et cur frequentius aliis animalibus? An, vt alias dixi, homo genus non species: ideo verisimile est pluuies in genere vno quam in specie quavis inueniri. An quòd molle natura sit homo ideo facilius à communi natura deflectitur? vel quoniam diu fœtum & in longo tempore plures contingunt errores? Aut quòd sit animal valde natura varium ideò pluribus casibus obnoxium? vel quia pluribus cogitationibus subiicitur. Indicio sunt maculæ & carnea sub imagine rerum desiderat arum gestationis tempore.

24 Cur aqua frigida effusa super oleum ardens adeò flammam emittit in altum? An idem in calida: An oleum vt fertur illam extinguat periculoso experimento? An pisces & cur caroque obruant? Certum est antiperistasi aquam (non vt dicunt aërē) accendi. Ideo nescio cur dicant flammam esse aërem ignitum cum in aqua non in aëre id experiamur. Inde ligna tenuia multam flammam emittunt & fumus flammam antecedit: nec est ergo flamma ex aëre, vnde ab aqua calida cum non adeò calida sit, emicat. Ab oleo similiter si sit actu frigidum: nam natura simile est: à terreis autem cum non penetrent extinguitur velut piscibus? An quod aqua penetrat oleum vnde calor constringitur & exurit oleum & aquam? An quod aquam exurat cum oleum non sit valde imminutum igitur separanda sunt postquam extincta fuerint, & ex liquorum proportione originem condiscemus.

25 Cur linea pennis distincta adeo terreat feras vt Seneca referat eas compelli in claustra: genusque ob id instrumenti vocari formidinem. An quod coloribus illis lucidis ac variis belluæ terreantur tanquam visum hallucinantibus. An quòd aues esse & insertas filo imaginentur ideò exemplo perniti oso deterreri. An ob longitudinem timeant laqueos vt funes lupum. Vel quoniam odore pennarum simul cum aspectu percellantur?

26 Cur Essedo commodius vehi quam carpento. An quod essedum solum duas habeat rotas, ideoque rarius aberret ac cespiter quam carpentum aut currus cui quatuor insunt rotæ, id verò manifestum? an quòd in essedo rotæ sint maiores. Sit igitur planum A, B, C, rota maior A, D, E, cuius altitud•

altitudo B, D, & erit altitudo minoris A, F, G, igitur vbi exciderit maior cadet



ex D, minor ex F, incommodius ergo erit ferre casum ex F, quam ex D, in B. An quòd rota essedi sit versus centrum incuruata intus velut si K, esset in C, cadet ergo G, per lineam rectam axis enim communis est H, G, & K, est loco G, sed K, cadit ex obliquo propter inclinationem ideo minor lapsus cum fiat per latiorem rotam ob obliquitatem. Et minor concussio. An quod verisimilius est ob omnes tres istas causas? Vnde Suetonius: Solitus etiam in gestatione ludere ita essedo alueoque adaptatis ne ludus confunderetur.

27 Cur filum distractum à finibus rumpatur in medio? Quæstio Auerroistica? De contra chorida quæ non rumpitur vbique sed in medio tantum licet detrahatur vbique & debilitetur Achillinus inquit quia vbique partes consentiunt præterquam in medio ergo tota vis quæ est diuisa per A, & vt colligitur in C, D, ideò ibi disrumpetur non alibi, quoniam si in E, gratia exempli cum tota A, E, consentiat ipsi E, & tota B, E, similiter non poterit disrumpi in E, sed in C, D, vt dixi verum cum A, B, distracta siue rupta in C, D, seu in E, sit æqualis sibi toti A, E, etenim & E, B, sunt æquales A, C, & B, C iunctis insimul per communem Euclidis sententiam, cum sint æquales tot A, B? Deinde cur plerumque non in medio ad vnguem sed circa medium. Dicemus quòd filum data æqualitate est in attractione altrinsecus non potest nisi in medio abrumpi. Quod si abrumpatur puta in E, oportet E, etiam tanto infirmiorem C, quanto proportio A, C, in B, C, est maior ad A, E, in B, E. Vnde alij dixerunt quod maximè disrumpitur in medio, quia productum A, C, in B, D, est maius producto A, E, in E, B. Et consequenter in E, quam in F, quanto productum A, F, in F, B, maius est producto A, E, in E, B, interposito F, inter E, & B.

28 Cur sylus scriptorius in apice adeò tenuis vt flectatur, chartam tradit absque fractura? Si talis esse debet: è chalybe enim frangitur: ex ferro aciem tam tenuem habere non potest. An ergo quod leui manu teneatur ideò solum Epidermidem auferet, & ita non inuadet chartam. An quia dum consulimus stylo parcimus & chartæ? vel quòd dum sinuatur, itque reditque vicissim, dum inflectitur eradere potest tam subtiliter? Seu quod huic actioni perficiendæ vt charta non depereat attritu gladij vllum, ferrum non sufficiat, nisi quod tam durum sit, ac tenax vt duritie atterat tenacitate motui se accommodet. An quod huiusmodi cum sit, extremæ superficiei pumicis minutissimi iucundissimi leuissimique assimiletur.





SE LA QVALITA PVO' TRAPASSARE DI SVBIETTO IN SVBIETTO.

DIALOGO.

M.M. O ho voluto M. Lorenzo dimandarui piu volte da, duoi giorni in qua, d'onde viene che voi ſtate più penſoſo & me lieto che il ſolito, ſe per qualche indiſpoſitione di corpo, ò pur' accidente d'animo, perche con tutto che jo non mi ſenta molto atto à porgerui ajuto, ſapete nondimeno che l'amicitia da per ſe genera curioſità circa alle coſe dell'amico. Ma le diuerſe occupationi mie & voſtre hañ differito che io poſſa farui tal dimanda con agio di poter ſatisfarmi con voi con lungo ragionamento inſino al preſente che trouandoſi per buona fortuna l'vno & l'altro libero da ogni occupatione per qualche buono ſpatio di tempo non ho voluto perder ſi dolce occaſione di ſatisfarmi con voi intendendo & allegerendo inſieme quanto mi ſia poſſibile ſe coſa ſia che vi noi.

M. L. Neſſuna coſa di queſte che voi dubitate M. Matteo mio Gientiliſſimo ſono ſtate la vera occaſione del dubitar voſtro, ma ſi bene vn ragionamento che io vdì, duoi giorni ſono, circa alcuni paſſi di Filoſofia, che ſpeſſo è cauſa di atrarmi ſi l'amino a quelle materie; che io appaia qual voi dite: ne può eſſere anche queſto mio penſiero ſenza meſcolamento di qualche diſpiacere, per che eſſendo la cognitione & ſcienza di queſte coſe naturali fondata in ſu vna certa cognitione ſenſata & atta à eſſer certa & nota à ciaſcuna perſona, non poſſo non mi dolere, che nel trattare poi que e materie vi ſi truoui tanta difficulta, & tanta diſcrepanza, quanta ſe elle procedeſſino da principij al tutto incerti & dubbij; onde da vna parte il deſiderio di penetrare alla verità di quelli ragionamenti inſino alla quiete del mio proprio intelletto; & dall' altra il diſpiacere di trouuare tante dificultà doue elle non douerrebbono eſſere, mi hanno fatto più del ſolito per queſto tempo di me ſteſſo & à voi da queſto dato occaſione di dubitare della ſanità & della quiete mia, & non alcuna offeſa ò di corpo, ò di mente.

M. M. Mi rallegro molto, che il voſtro ſia penſar buono & grato & non triſtezza, ma di gratia M. Lorenzo ditemi al men ſuccintamente qualche coſa di quelli ragionamenti che ſarà vn'occaſione da farui paſſare più dolcemente & più preſto queſto tempo di otio che ne auanza.

M. L. Non mi poteui inuitare à coſa più ſecondo il mio guſto perche coſi oltre à vna certa ſatisfatione del colloquio & frutto che egli porge verrà anch' a poter riceuer da voi non poco aiuto & facilità circa alla intelligenza di queſte materie: & per dirui io non mi ricordo coſi bene de ragionamenti ò per dir meglio de gli argumenti perche la maggior parte gli ſentiuo fondare in ſu certi detti & oppinioni di Ariſt. è quali oltre che ſono eſpreſſi per certi termini non ſolo ignoti à chi non è di tale profeſſione, ma in ſe ſteſſi confuſiſſimi & pieni di incertitudine appreſſo di quelli, anche che gli hanno più de gli altri in pratica, ò in veneratione; io non mi ſatisfaceuo anche punto di quel ſentir fondarſi totalmente nel prouare le coſe che dependono dalla natura in ſu l'oppinione d'vn'huomo anchorche intendentiſſimo, non intendendo, dico, inſieme quali ſieno le ragioni che moſſon quel tale à intenderla in tal modo, & poter poi da quella quietarmi & farne il mio giuditio, perche come ho detto io sò che queſti fondamenti debbono eſſere certi & capaci à ciaſcuno, ne io mi poſſo perſuadere di ſapere & intendere vna coſa per ſentir che vn'altro l'habbia detta ò tenuta, ma ſi bene ſe io ne reſterò capace per ragione fondata in sù principij talmente certi & manifeſti che l'intelletto ne reſta quieto.

M. Molte volte M. Lorenzo ſi pigliano per fondamenti è detti ò di Ariſt. ò di altro grand'huomo, non come veri principij in loro ſteſſi, & perche coſi habbino detto ò ſentito quelli, ma perche da loro ſieno ſufficientemente prouati, ne è neceſſario ſempre nel dimoſtrare vna concluſione ricorrere à primi principij, ma baſta pigliare di quelle concluſioni anteriori che ſieno ſtate prouate, & che ſi habbino per tali, come queſte forſe ſono appreſſo à quelli di tal profeſſione; altrimenti ſi incorrebbe nello argomentare ſpeſſo in vna lunghezza & tedio infinito, dico douendoſi ſempre prouare le intentioni da j primi principij & non ſi preualendo delle concluſioni già dimonſtrate comi tali.

L. Io non dubito punto di questo M. Matteo, ma il male è pigliare le conclusione, ò assertione per note & certe; le quali ò non sieno dimostrate, ò sieno dimostrate tanto imperfettamente che restino più dubie dopo alla dimostratione che prima, & che di tali ne andassi à torno: ne ragionamenti che io dico me ne certificai dalle repliche di vno tra gli altri, il quale non pareua che volessi accettare per fondamento l'oppinione & autorità di a legatto autore ma come si allegauano veniua ò alla oppositione, ò alla distintione di esse, dico di alcune, che alcune altre ancora ne accettaua volontieri, & in vero che io mi compiaceuo non poco nel modo del procedere di costui, per che mi pareua che spesso mi cauassi come si dice, le parole di bocca & mi ajutassi à esprimere meco stesso pareuami da quelle tali repliche restare molto più capace.

M. Ma voi non mi hauete ancor detto cosa alcuna circa di quelli tali ragionamenti.

L. Hauete ragione ne io me l'ero scordato, e'l principal subjetto di questo fù se la qualita come il freddo & il caldo possono passare, ò non, di subjetto in subjetto. Ma quanto poi alla esaminatione di questa materia e manco quanto alla risolutione vi potrei dir molto perche io sentiuo far vn viluppo si grande di termini ignoti & così spesso dare in certe autorità come per fondamento delle quali io non ero punto capace che fussino vere che con tutto che quel tale che io dico durasse vna gran fatica per non passare queste cose, nondimeno gli altri mostrauano di seguitar di fare più fondamento in quelle che in altro, & non gli rispondeuano punto à mio modo; forse perche non stimassino quelle repliche, ò forse anche per altro; come se fussi, io ne stauo mal satisfatto & non mi si poteuano appiccare addosso come cose che mi pareua che restassino in aria. Ma dite vn poco di gratia voi M. Matteo qualche cosa sopera di questa materia che così forse anche mi verrete eccitar la memoria.

M. Il dubbio proposto è di molta difficulta & veramente chi vorra seguitare le vie comuni, & non si eleuare punto oltre di quelle che resterà ò vero confuso dalla incertitudine & difficulta, ò vero preso dal laccio di qualche apparente argumento. La verità circa à questa materia è che la qualita passa di subjetto in subjetto & questo ce lo dimostra espressamente l'antiparistasi.

L. Questo mi ricordo io bene che era il fondamento di chi teneua la parte affermatiua ma di gratia ditemi vn poco comi rispondete voi à questo argomento. *Nessuna cosa si muoue, che non sia corporea; ma la qualita non e corporea, adunque non si può muouere* intendendo sempre hora qui, quanto, al moto locale & per se.

M. La confusione delle scienze non procede da cosa alcuna quanto dal non cognoscer bene la natura de' principij: dico di quelli che si pigliono per principij & hora intendo non de principij del subjetto, ma de principij della cognitione; che sono e' principij della scientia, e' quali debbono essere proportioni certissime notissime & indubitabili, intendesi sempre rispetto alle persone che habbino dispositione & attitudine conueniente perche questo ancora. Chi da due cose equali leuandone parti equali, elle restino equali sarà appresso di molti rozzi non punto certo: Vedesi che le scienze Mathematiche procedono molto rettamente & senza impedimento, & questo non per altro se non perche in esse non si assume mai per prouare vna conclusione se non ò principij certissimi, ò altre conclusioni di mostrate da quelli. Ne questo è anche marauiglia che auuenga così felicemente in tale scienza per che essendo quella meramente fabbricata dal nostro intelletto cioè circa di certi astratti dall' esser reale ma che sono secondo la intelligenza nostra, se bene possono essere ancora realmente ne lor subjetti non è gran fatto che l'intelletto nostro possa far più perfetto giuditio, circa de principij di essa e ingannar visi manco non vi essendo alcuna natura che per la occultezza difficulta sua possa confondere il detto intelletto. Ma le naturali hauendo e' principij loro Reali & vniti con la natura delle cose & non fatti da noi ma dalla natura stessa, non è dubbio che ei apporta molta più difficulta in essi e molto più pericolo di ingannarci come frequentissinamente auuiene; di che ne è manifesto inditio le molte diuisioni di oppinioni, che sono in detta scienza delle quali ciascuna delle parti opposte ha le sue sette & fautori; il che senza dubbio non protrebbe essere se non si discordassi in qualche modo, ne principij ò pigliandosi diuersi ò pigliandosi in diuerso senso, ne questo protrebbe occorrere se tali principij fussino di certezza manifesta & chiara per che chi pigliera mai altro principio opposto à questo. Ogni tanto è maggior che la parte ò questo stesso in diuersi sensi repugnanti? le passioni poi & volontà di gli huomini per seguitar quello, ò contradire à quell'altro ò per passione & affettione circa alle proprie opinioni haño augmentatà grandemente questo inconueniente pernitiosissimo perche mouendosi con tali affetti & non meramente per amor della verità hanno cercato di pigliare ogni fondamento quale egli si sia pur che al quanto apparente ansi si sono anche compiaciuti della ambiguità & confusione pr difficultare la impugnatione delle loro oppinioni tal che quullo che in se non e' se non molto difficilimente noto vsato poi non solo audacemente ma più tosto à confusione che con la debita auuertenza (& per dir così) timore ha causata tanta confusione in questa nobilissima scienza della Filosofia che senza dubbio, ella non si può dire se non vna Arca di Chimere & contentiosi sofismi come si vede, ma se si esaminassino molto bene le propositioni innanzi che elle si informassino là, come pane lieuito, senza dubbio si lascerebbono tante pazzie di diuersità le quali trascorrono in tanto inconueniente che diuentono manifeste partialità cosa mostruosa à dir che possa occorrere circa di vna scienza appresso à quelli che

presumono

presumono di hauer la regola & del discorrere & del procedere nelle scienze come si presumono di hauer' hoggi onde erano gli antichi per tal mancamento molto più scusati se cadeuano in inconuenienti simili & certo che in questa parte se Arist. risucitassi in giuditio contro di noi ci sarebbe à grandissima confusione poi che lui & con le regole, & di più con l'esempio ci insegna à fuggire questa parte & noi facciamo professione d'mparar da lui & seguitar lo. Venendo adunque all'argumento da voi propostomi, dico che gli è fondato in su vna premissa falsa ma molto simile al vero, & se bene egli è di Aristot & che Aristot sia maestro in natura quãto alla scienza naturale & molte altre ancora, & veramente il maestro di quelli che sanno, & che nessun'altro si può dire veramente che habbia insegnato se non lui dice nondimeno che non per questo ha egli faculta con il dire vna cosa fare che per ciò ella sia ne con l'autorità sua mutar punto la verità delle cose dalla natura loro, ne è gran fatto che vn'huomo non solo eccellente ma miracoloso si sia ingannato in vno anzi in molt' & molti particulari ne per ciò se gli toglie punto della debita fama & lode considerando che è huomo & non intelligenza & che troua' le cose della Filosofia in grandissime tenebre & che ne ha trattato tanto & tanto diffusamẽte & discorso à tanti & tanti particulari, non perciò adunque si debba diminuire non che la lode ma lo stupore del suo intelletto il quale ha & trouato & esplicato & ordinate tante cose & di tanta obscurita difficulta che chi le considererà trouerrà che l' altre dette da lui manco bene ò manco male ancora non sono ne tali ne tante che possino punto oscurare tanta gloria anzi parrà che gli accreschino in vn certo modo gratia & ornamento si come suole fare nel cristallo orientale qualche nugoluzza in qualche parte di vn gran vouo di esso lucidissimo & di somma trasparanza & in vn lauoro di ne grissimo hebano vna piccola particella lasciata à studio dal giuditiosissimo maestro della sua bianca cortucia. Anzi questo à quasi come vn testimonio che costui sia stato huomo doue altrimenti si sarebbe possuto dubitare che sotto nome di Arist. qualche demone ò intelligenza non hauessi conposte tali & tante opere. Ne si debbe anche per questi errori per chiamarli per illor nome diminuire punto l'obbligo nostro in verso di lui, poi che non solo egli ci ha in sieme data la regola & del conoscerli & del correggerli ma se noi vorremo procedere con giuditio da essi ancora caueremo grandissima vtilità conoscendo meglio con tal' occasione la verità & auuertendo molto vtilmente à e' pericoli & alle occasioni di gli errori.

L. In vero che io ho giudicato sempre non solo vtile ma necessario il non si abbandonare in su alcune oppinioni ò autorità ne anche di Arist. perche oltre che così non si harà scienza (dato che ella fussi anche vera) ma solo oppenione ne seguirà dallo esaminarle vna delle due vtilita ò vero che la trouerremo falsa ilche sarà quando inducendo le' à e' principij noti trouerremo che elle repugnono à essi il che potrà fare ciascuno che sia di ragioneuole giuditio & esercitatione circa di queste cose ò vero trouerremo che molte volte tali oppenioni paiono chiare & causano diuersità di oppenioni che elle non saranno intese & harãno senso molto migliore & atte à leuare tante dissensioni & partialità, & in vero che in voler far professione di scienza & poi fondarci in su vna autorità repugna direttamente e a se stesso & quello à come voi dicesti che insegna & che vsa Arist. il quale essendo discepolo di tanto maestro mai fonda in su alcuna sua autorità ne di alcuno altro se bene ne adduce alcune alcuna volta à corroboratione, imperò poi che ha prouato le sue intentioni fondate. Ma noj ci dilonghiamo troppo dal nostro proposito di gratia seguitate circa al rispondere allo argomento addotoui.

M. Io confesso d'essermi trauiato più del douere dal principal proposito ma è hoggi vna oppinione anzi vno abbuso strano circa à queste autorità d' Arist. che douendosi dir qualque cosa contro di esse mi par non sol lecito ma necessario mostrare che questo non sia peccato in spirito santo come molto comunemente' ma assai più irragioneuo mente è tenuto.

L. Non occorre che in questo vi affatichiate tanto meco perche non l' intendo punto diuersamente da voi, però senza affaticaruici più, potete seguitare di buona voglia il proposito che io sto con molto desiderio aspettando quello che circa di questo argomento possete dire che à me par' egli molto forte & reale.

M. Circa dell' argomento in prima mi occorre dimandarui se dato che voi non sapessi soluerto per questo douessi lasciare di tener quello per vero che voi conoscete sensatamente esser così? Anzi questo è hoggi vno errore molto comune dico il lasciarsi tanto trasportare da gli argomenti in questa scienza naturale, nella quale l'essenza delle cose è à noi molta ignota, & però in essa la scienza che si allontana punto da e' principij è molta pericolosa & non è dubbio alcuno che il discorso è dato in supplemento dello intelletto & però la scienza discorsiua è manco perfetta che la intellettiua, per che non è dubbio che sempre che voi sapete vna conclusione in quanto che ella dependa dalla verità di due premisse sarete più certo della verità di esse premisse che della verità di quella conclusione perche può occorrere il paralogizare in molti modi occulti & ogn'hora occorrere come noi veggiamo da quelli che noi stimiamo esser dotissimi oltre che dato il silogismo perfetto in ogni modo si ha più certezza delle premisse che si haño come principij & in tal caso & come tali si apprendono dallo intelletto che della conclusione che si ha per discorso onde à questo proposito dice benissimo Aristotele quella famosa sentenza *Propter quod vnumquodque & illud magis est.* Voi vedete quanta & quanta diuersità di opinione si troua in questa benedetta scienza & con quanti & quanti

quanti argomenti confirmate & confutate respettiuamente, è adunque necessario che vna delle due parti erri & commetta paralogismi occulti perche se fussino manifesti non sarebbono seguitate tali ragioni da huomini dotti & per molti secoli.

L. Ma se la Filosophia è vna scienza discorsiua come dunque si ha da fare altrimenti che douendosi procedere per discorso fondarsi in su gli argumenti si come noi veggiamo il medesimo nelle Mathematiche & talmente che di Argomento in argomento pigliando sempre la conclusione dimostrata dal primo per principio ò premissa dell'altre si procede quasi in infinito & tanto oltre che pare cosa più tosto miracolosa che humana.

M. Io non niego che doue noi conosciamo bene l'essenza delle cose, che quì non si possa procedere sicurissimamente con gli argomenti, che all'hora faremo le dimostrationi perfette & conosceremo benissimo, quanto occoressi alto errore, nello argomentare, & questo auuiene nelle Geometriche per esser loro circa alla natura della quantita continua astratte dalla materia; onde non si considera nella Geometria la natura ne della cera de del legno ne della pietra ne dell'animale & ma solo la natura della linea, del triangolo, & dell'altre figure & quantità, lequali nature come si vede ci sono intrinsecamente notissime per hauer vna essenza molto semplice e manifesta, non si diuersificando ella mai dalla materia come fanno quest' altre nature materiali; anzi veggiamo che in esse Mathematiche le diffinitioni non sono quasi altro senon quella circonloqutione che noi vseremo, se non sapessimo il nome come verbi gratia chi non sapessi che quella tal figura si chiama triangolo non potrebbe circonscriuerla se non per la sua stessa diffinitione; onde e' nomi venghino à esser posti quasi più per commodità del parlare & per abbreuiare che per che à questi tali nomi ò cose' si sia poi trouata la diffinitione & così la diffinitione di tali nomi ci viene in vn certo modo à esser prima & più nota che non sono e' nomi & l'essenza di tali cose & non è dubbio che meglio s'ntenderà & da più sarà inteso quelche si vuol dire dicendosi vna figura piana & di tre anguli cha dicendosi vn triangolo, ma nelle naturali, è tanta diuersa questa regola che noi non siamo in esse certi quasi di alcuna diffinitione.

L. Pur' occorrerà in esse anche che la cosa si circonscriua & che la circonscrittione sia più nota che il nome stesso, & bisogna così per necessità perche tutte le circonscrittioni haño preceduto à e' nomi essendo prima & più naturalmente nota la cosa per circonscrittione & di poi à tal circonscrittione posto il vocabulo; come verbi gratia vno scabello innanzi che si chiamassi così ò altrimenti bisogna che si esprimessi quel tal concetto con circonscrittione, alla quale di poi come voi hauete detto si sia posto per commodità del parlare vn nome proprio; e' quali nomi proprij tutti sono à placito & da quella causa si conoscono esser tali; & pero il medesimo che voi dite de Mathematiche e' Geometriche par che auuerrà ancora nelle naturali.

M. Auuerrebbe certo se le circonscrittioni nelle naturali fussino le diffinitioni & auertite che per circonscritioni s'intende sempre vn certo concetto disteso secondo il quale voi intendete ò conprendete prima le cose, dal qual nasce poi il concetto vnito della cosa.

L. Non intendo bene questo concetto vnito e' concetto disteso.

M. Non è gran fatto che non son termini vsati; ma è necessario tal volta quando si tratta di cose non trattate comunemente, ò vero in altra maniera & con altre conclusioni che communemente non sono vsate di vsar certi vocaboli, così il meglio che si puo & far appunto quello che noi diciamo adesso per e' vocaboli à e' concetti per la commodità del non gli hauer sempre à circonscriuere hor dunque perche intendiate meglio non solo questi vocaboli ma questa materia ancora quando voi vi immaginate vna cosa vel a immaginate ò perche l'harete intesa da altri ò perche l'harete vista & auuertite che hora io parlo delle cose & de sujetti & non delle propositioni ma per dir meglio quando voi volessi esprimer il concetto dell'huomo à vno che non sapessi tal vocabolo huomo in alcuna lingua che fussi comune all'vno & all'altro certo è che voi vi ingegneresti di dargline ad intendere con vna circonscrittione più propria & più breue che voi potessi, come anche meglio vi sarà capace pigliando per esempio in cambio dell'huomo vn'altra cosa non tanto nota come sarebbe qualche altro animale come dire la lepre il gatto & quella circonscrittione forma da principio vn certo concetto secondo ciascuna parte di essa & questo lo chiamo concetto disteso ma poi che sie inteso non si considera più ne si ritiene ò forma nella fantasia più questa circonscrittione secondo alcuna sua parte ma la cosa stessa, è notate che se bene la cosa & la circonscrittione di essa sono il medesimo realmente nondimeno secondo il modo dello apprendere, & per dir così formalmente sono diuerse perche si haño secondo diuerse considerationi, & questo concetto della cosa lo chiamo il concetto vnito ma per venire alla solutione della vostra instanza, voi vedete ehe nelle naturali le circonscrittioni non arriueraño mai alla essenza della cosa perche le prime apprensioni nostre dalle quali è cauata & secondo le quali e la circonscrittione sono circa alla conditione più manifeste & così sempre circa à gli accidenti & anche estrinsechi & non circa alla sustanza come verbi gratia vno che vede vn cane à prima giunta lo apprehende come vna cosa che habbia quattro gambe, le fatezze tali, vna tal proportione & finalmente circa alla figura estrinseca la quale è quella che finalmente è à noi prima & più manifesta nelle cose visibili non solo alla Sustanza, ma ancora de gli accidenti, onde non è marauiglia se la natura delle *Mathematiche* che non sono se non figure ò principij

principij

cipij di esse ci sono non solo più note per lor natura la essenza delle cose, ma ancora ci sono notissime & certissime onde anche auuiene che nelle Mathematiche non è necessaria altra cognitione della Logica che quella che se ne ha naturalmente perche per la certezza de suoi principij e di quelle nature non occorre paralogizzare equiuocando ne silogizzare falsamente da premisse false.

L. Io resto assai capace che il discorso sia molto più certo nelle Mathematiche & da farui molto più fondamento che nelle naturali ma non per questo veggio che nelle naturali non sia necessario farui grande fondamento, anzi fondaruisi di necessità essendo come ho detto tale scienza discorsiua cioè che si acquista per discorso.

M. Non dico che nella scienza naturale non sia necessario non che vtile il discorso ma dico bene che non bisogna abbandonarsi in esso come noi facciamo nelle Mathematiche ma bisogna andare sempre auuertito se quel discorso ci conducessi à qualche cosa che repugnassi al senso ò à vn'altro discorso fondato & allhora non procedere punto più oltre anzi andare bene auuertendo (perche sarà necessario che vi sia corso errore) in quello che consista questo errore, & quando haremo trouato questo non si sarà fatto poco: ma non sempre occorrerà di venire à questa cognitione: anzi veggiamo chiaramente che molti argomenti saranno al certo falsi & nondimeno saranno rarissimi quelli che gli sappino soluere. Hor dunque quando si incorre in alcuno di questi tali non sarà ella pazzia il voler pur credere contro al senso perche l'argomento il quale noi non conosciamo defettuoso in alcune parte ci conclude in tal maniera? anzi espressamente Arist. dice contro di questi che il lasciare il senso per la ragione vien da mācamento di giuditio, onde quelli che incorrere in tale errore non solo errono costoro al douer in se stesso ma anche contro à precetti & regole espresse del lor Aristot. che sono appresso di loro di tanta & tanta mole.

L. Io vi concedo che doue l'argomento conclude vna cosa & la verità manifesta, ne mostri vn'altra sia senza dubbio da accostarsi alla verità sensata & certa & lasciare andare l'argomento ancora che non si sapessi soluere perche in vero chi facesse altrimenti non si protrebbe dire amatore della sapienza ma amatore della falsità & della pazzia, nondimeno mi restono ancora circa di questi duoi scrupoli l'vno (ma quello che importa manco) è se di tali argomenti si dieno dico che conoscendosi falsa la loro conclusione sieno poi tanto forti che non si conosca il lor difetto & in quello che consiste l'errore, per ch'io crederrò bene che insino che si tiene cosi senza considerare più oltre che la conclusione sia vera che facilissimamente possa restare occulto il difetto & la fallacia dell'argomento ma come si viene non pur in cognitione ma in sospetto della falsità della conclusione & per conseguenza della bontà di detto argomento mi pare impossibile che essendoci tante regole & cosi distinte quante ci sono & circa il formare detti argomenti & circa al conoscer poiche conformati & la bontà & il difetto loro che non si conoscessi & se loro peccano & in che, ma dato che di tali si truoui mi resta ancora molto maggior dubbio cioè se quello da me propostoui e di questi tali.

M. Il dubbio vostro certo procede molto ordinamente ma quanto alla prima parte Dio volessi che non fussi di questi mostri ò al meno non ne fussi tanti à danno & confusione del nostro intelletto & se bene ci sono le regole che voi dite siate certo che ne anche esse son tali che non vi si possa aggiungere di molte cose, anzi che non habbino necessita di tali aggiunte come vi farei vedere chiaramente nella esaminatione di molti argomenti se questo non fussi al presente troppo fuori del nostro proposito, nondimeno come elle si sieno certo è che elle non sono ne così note ne così intese da ognuno ma meno à vno che à vn'altro onde per mancamento della cognitione di queste regole occorrerà molto spesso che di quelli ancora che danno opera à tali scienze non sappino soluere vn'argumento defettuoso; & siate certo che se tali argomenti si soluessino debitamente che non durerebbono tanto & tanto queste dispute mortali, anzi vi dico, & tenete lo bene à mente che la più difficile & la più importante cosa per chi vuol profittare nella scienza naturale & la vera & esatta cognitione circa à questa natura degli argomenti & questa è la vera & vtil Logica & non il perder tempo tanti anni in tante baie inutili & forse fuori di proposito come interuiene à chi studia in essa secondo l'ordine che al presente s'vsa, onde si vede che in capo à molt' anni che vi son persi di tempo nel veder poi la Filosofia l'huomo non si vale di tanto di tutta quella Logica che egli ha in tant'anni imparato, che non si imparassi meglio in pochissimi mesi. Io potrei addurui tanti esempli di questi tali argomenti che non ci seruirebbe il tempo per vna piccola parte di essi, ma mi par cosa per se tanto nota che non bisogni perderci questo tempo, pur per maggior satisfatione vostra ve ne addurrò l'esempio di due soli l'vno de quali è antico & tal mente fece impazzare quelli che si teneuano & erano tenuti grandissimi Filosofi che egli vennono à negare in tanto & per tanto il moto locale, & dire che al tutto nessuna cosa si muoua ma che quello che ci pareua in contrario era mera apparenza cosa che certo non meritaua altra risposta che con buone Catone priuare interamente quelli tali d'ogni moto non si possendo immaginare pazzia più sfacciata & più inetta di questa. Et tutto questo era fatto dire & tener loro dalla forza d'vno argomento il quale era questo.

L. In ogni continuo come verbi gratia la linea sono infiniti punti secondo la longitudine anzi assolutamente in quanto continuo mal'infinito non si può mai passare, adunque il continuo non si può mai passare ma se si

ſe ſi deſſi il moto locale ſi paſſerebbe il continuo, perche ogni continuo è diuiſibile in continui & coſi diſcriuendoſi vn continuo con il moto ſi ſaranō paſſate le parti di eſſo continuo diſcritto che pur ſono continue adunque non ſi può dare tal moto. Che in ogni continuo come in ogni linea ſieno infiniti punti ſi dimoſtra ottimamēte perche ſe non fuſſi coſſi qualche volta verrebbe tal linea à diuiderſi in punti il che è impoſſibile perche coſi la linea conſterebbe & ſarebbe compoſta di punti & coſi il quanto del non quanto il che non può eſſere ſi come il quale non può eſſere compoſto del non quale,&c. Perche mettete inſieme quanto voi volete di coſa che non ſia quanta non farà mai per aggregatione che ella ſia quanta; ſi come mettete inſieme quanta voi volete di quel non ſia bianchezza non farette mai per queſto ne maggior bianchezza ne bianchezza è adunque neceſſario che la linea non ſi diuida in infinite linee & coſi cadendo neceſſariamente ogni diuiſione di eſſa in vn punto che vi ſieno infiniti punti diſcriuendoſi adunque vna linea ſi ſaranō deſcritte infinite linee & infiniti punti & coſi anche ſi ſaranno trapaſſati ma l'infinito non ſi può mai non che trapaſſare pur arriuare perche così non ſarebbe infinito eſſendo l'infinito quelle che preſone ſempre quanto tu ti voglia ancora vene reſta infinitamente più, & così queſti tali per la molta difficulta & forza di queſto argomento non potendo ſoluerlo veniuano più toſto che à voler confeſſar queſta loro ſcuſabile ignoranza à incorrere in vn vilippo infinito veramente di pazzie beſtialiſſime & al tutto intollerabili & queſto ſolo douerrebbe baſtare per centomila eſempli à queſto propoſito vene addurrò nōdimeno Vn altro poi che vel'ho promeſſo non punto men forte il qual forſe vi ſarà anche più grato douendoui eſſer ſi come io penſo nuouo. Et l'argomento procede in queſta maniera vi voglio prouare che ſe ſaranno due cani verbi gratia che faccino à correre & l'vno corra il doppio più forte che l'altro ſe il più veloce darà vantaggio nel principio del corſo all'altro verbi gratia dieci braccia l'altro non lo potrà aggiūgere mai in infinito, dato dico che ſempre il più veloce corra nel medeſino ſpatio di tempo il doppio più ſpatio di miſura.

L. Hor queſta ſarà bene vna concluſione anche eſſa manifeſtamente falſa perche oltre à quello che ogn'hora ſene vede in contrario, ſi vede anche il medeſino per ragione manifeſta perche non è dubbio che in certo ſpatio di tempo raddoppiando quello che harà corſo il più veloce à vn tanto per hora verbi gratia con quello che harà corſo l'altro trouerremo ſenza dubbio che paſſerà di gran lunga le dieci braccia de vantaggio dato anzi ſi vede che con tal ragione ſeguitando gli entrerrà innanzi in infinito.

M. E' veriſſimo queſto che voi dite ma lo addurre vno argomento in contrario ancorche certiſſimamente dimoſtratiuo non è ſoluere vno argomento propoſto anzi voi augumentate coſi gli inconuenienti che io hora cerco di ſcoprire dallo abbandonarſi in ſu gli argomenti perche oltre à quello che ne habbiamo detto ne ſeguiterà ancora che ſia neceſſario coſi credere & tener certo inſieme è dua contradittorij perche come mi hauete hora moſtro con argomento & anche inſolubile ſi moſtra che il cane più veloce in tal caſo paſſare l'altro ſe adunque ſi prouerrà con vn'altro argomento che non ſi ſappia ſoluere che egli non lo potrà paſſare biſognerà inſieme dire che ſia vero & certo & che neceſſariamente quel cane paſſerà l'altro & che ſarà impoſſibile che egli lo paſſi douendoſi dico ſempre che non ſi sà ſoluere vn'argomento ſenza altra conſideratione à conſentirgli.

L. Seguitate hor dunque allo argomento che il reſto è chiaro.

M. Io dico così il primo cane nel principio del corſo da vantaggio al ſecondo verbi gratia dieci braccia di queſto non biſogna diſputare che è ſuppoſito, coſi ancora ſupponghiamo che il primo nel medeſino tempo paſſi il doppio più quantità di ſpatio del ſecondo tutta dua ſi mouerañō à corſo nel mediſino inſtāte? hora io dico che quando il primo cane ſarà arriuato al termine dōde ſe era partito l'altro che l'altro harà anche egli fattoſi vno ſpatio più oltre quale egli ſarà perche il mobile di moto continuo in ciaſcuno ſpatio di tempo paſſa vno ſpatio del luogo nel quale egli ſi muoue, coſi non poſſendo il primo cane arriuar ſe non in tempo dal primo ſegno al ſecōdo eſſendo queſti termini diſtinti ſeparati di vno ſpatio continuo ſempre il ſecondo cane in quel medeſimo tempo harà paſſato vno ſpatio più oltre & così ſi procederà in infinito con la medeſima ragione la quale concluderà ſempre perche ſempre reſterà continuo & diuiſibile lo ſpatio tra l'vn termine & l'altro non ſi riducēdo mai il continuo per diuiſione allo indiuiſibile come di ſopra habbiamo detto, & coſi ſi conclude che mai in infinito ſpatio di tempo il primo cane arriuerà il ſecondo & queſti due argomenti vi baſtino per lo eſemplo promeſſoui perche io credo che voi gli giudicherete ottimamente à propoſito l'vno perche ſi è viſto che ha fatto lo effetto che ſi dice quanto all'vltimo poi credo che voi ſteſſo prouerrete in voi che molti & molti non ſieno atti à ſoluerlo ancora che di coſi manifeſta falſità come voi ſteſſo poco fa hauete moſtro: reſta hora adunque che ſi ſeguiti di vedere ſe queſto voſtro è della medeſima natura cioè quello aſſegnato da voi.

L. Di gratia M. Matteo innanzi che procediate più oltre ditemi anche qualche coſa circa alla ſolutione di eſſi che vi prometto ſe di eſſa reſterò tanto ſatisfatto quanto io reſto hor certo della difficultà & della falſità che ſi truoua congiunta in loro, non harò punto più che deſiderare circa à queſta materia.

M. Ancorche mi paia che moi andiamo troppo diuertendoci dal propoſito vi ſatisfarò ma breuemente in queſto maſſime in quanto al primo argumento il quale fu poi ſoluto dalla diſtintione che fece Ariſtot. dell'atto & potenza ſi come da quella che fece Platone del per ſe & per accidente vennono ſoluti vna infinità di ſofiſmi pazzi di quelli antichi

antichi soluere si adunque l'argumẽto distinguendo. Quando si dice che l'infinito non si può passare perche s'intende ò dello infinito in atto ò dello infinito in potenza, lo infinito in atto certo è che non si può passare ma lo infinito in potenza si può passare & non repugna perche la cosa non opera secondo quello che ell'à in potenza ma secondo quello che ell'è in atto. Essendo adunque nella linea le linee e e' punti infiniti non in atto ma in potenza non repugna che ella non si possa & descriuere & passare con il moto locale & questa solutione è notissima & comune appresso e' peripatetici.

L. Se io non vi replicassi doue io non son ben capace non cauerei da questo ragionamento ne quel frutto ne quel piacere che io desidero però vi dico che salua la pace di questi peripatetici tale argomento mi pare insino à qui soluto molto imperfettamente perche tutto consiste in questo che quello che è in infinito in potenza non repugna all'esser trapassato. Auuertite qui che l'esser in potenza rispetto all'esser in atto si può intendere in due modi cioè ò perche la cosa habbia à diuentare vn'altra circa alla sustanza ò circa à qualche qualità necessaria rispetto à vn tale effetto, ò vero che non gli manchi altro che ò la diuisione ò la congiuntione nel primo caso io concedero che quello che non è infinito veramente in modo alcuno all'hora ma ha à diuentare ò con lo aggiungerui ò con il diuentare vn'altra cosa diuersa essentialmente da quello che ell'è, ò secondo alcuna qualità attiua necessaria à tale effetto che quella tal potenza non opererà quello effetto ne se li conuerrà quello che poi seli conuerrà in atto come verbi gratia se vna linea finita si dicessi essere in potenza infinita cioè di infiniti longitudine dico bene che all'hora quella potenza non opererà punto che ella non si possa misurare ma se noi diciamo che vna linea finita contenga veramente in se infinite linee ma in potenza dico in potenza tale in quanto che elle non sono diuise ma congiunte io non veggo perche tal potenza ha da fare che queste linee infinite si possino passare dato che questa tal potenza non toglie l'esser reale cioè che realmente non sieno infinite parti & infinite linee in quella linea se poi elle sono ò congiunte ò diuerse questo non veggo che importi alla forza dello argomento come importerebbe se tal potenza togliessi che realmente non fussino infinite parti nella linea: & però mi pare che bisogni pur dire che ò vero infinito si potessi passare assolutamente ò vero che non ostante tal potenza sia nondimeno intrapassabile; non son se io mi harò saputo bene esprimere quello che io voglio dire.

M. Lo hauete espresso tanto che io l'ho inteso benissimo benche questi che son più essercicitati lo potrebbono ridurre forse in miglior forma & esprimerlo con termini più appropriati ma di questo io non me ne marauiglio perche la difficultà & nouità del concetto credo che darà che fare à e' non mediocri per esprimerlo appunto mi marauiglio bene che voi habbiate penetrato (nõ sendo questa professione vostra) doue io non so che altri habbia ancora considerato. Et io vi confesserò hora veramẽte che vi haueuo addotta questa solutione non perche mi satisfacessi ma perche non essendo hora il proposito nostro circa di questo mi parue hauer satisfatto assai adducendoui vna solutione che comunemẽte è accettata per sufficiente da ciascuno. Ma à me piacerebbe più il dire che questo infinito per la natura del cõtiuo è vna maniera di infinito diuerso da quella di subjetti infiniti come se verbi gratia si dicessi infiniti angeli infiniti giorni infinite hore, infiniti palmi & simili perche se bene infiniti giorni & infiniti palmi posső stare che sieno anche continui nõdimeno non hañо da essa continuità che sieno ne che sieno infiniti anzi separati pur sarañо, & sarañо infiniti, ma la infinità che e' la natura del continuo è vna infinita non assolutamẽte reale come è l'altra indiuiduale ò rispetto à e' subjetti ma è in parte immaginaria, perche chi dubita che questa è vna potenza dico del diuidere in infinito che nõ solo esclude l'atto ma repugna anche all'atto non dico rispetto alla infinita formalmente cioè in quanto che rispetto alla infinità non si possa mai venire à perfettione di tal diuisione ma rispetto anche alla natura della cosa, perche come patirà mai vna linea che sia lunga quãto è grosso vn capello d'esser diuisa verbi gratia mille volte certo si vede che questa attual diuisione repugna anche alla linea come linee non solo in infinito ma anche secondo determinata quãtità di diuisioni & cosi resta meramente immaginaria tal diuisione in infinito & tal potenza repugnante assolutamente all'atto, & però non si trouerrà mai ne si potrà trouare vna linea diuisa in infinite linee, & che sia il vero che l'infinito in questo modo è differẽte dallo infinito vero & numerale si vede che tale infinito è concluso da vna cosa finita & tutto insieme fa vna cosa finita come tutte le parti insieme d'vna linea bicubitale benche elle si dichino essere infinite fañо vna linea finita cioè bicubitale doue le parti che sono veramente parti infinite fañо il tutto infinito, come infinite braccia farañо vna lunghezza infinita & infinite hore vn tempo infinito & simili. Ma per chiarirui la cosa meglio & più certamente vi dico che le parti rispetto al tutto in quanto continuo si possono intendere in due maniere cioè ò proportionalmẽte & quantitatiuamente proportionalmente s'intende quando voi non determinate quãtità alcuna della parte ma solo la intendiate per vna relatione ò proportione al tutto cioè la metà del tutto il mezzo del tutto, &c. quãtitatiuamente s'intende quando voi pigliate le parti del tutto non secondo tal relatione ma secondo vna certa & determinata quantità di esse come vn braccio mezzo braccio dua braccia, &c. Et cosi diremo che le parti quantitatiue si hañо talmente al tutto che egli mai si potra diuidere in infinite di essi ma sempre consterà di vna determinata quantità di tali parti, & tali parti se sarano prese in numero infinito congiunto insieme causeranno vn tutto infinito, le parti proportionali sono poi per il contrario cioè che il tutto è composto di infinite di

eſſe, non già che vn tutto ſia compoſto di infiniti mezzi & di infiniti terzi ne di alcune di eſſe infinite ſecondo vna determinata proportione ma perche tal relatione proportionabile è multiplicabile in infinito perche non ſi può dare vna proportione ſi piccola che non ſe ne poſſa dare ancora vna minore & coſi in infinito ma queſte tali parti in quanto infinite non ſaranno mai reali ma ſolo immaginabili, ſe bene ſaranno realmente & reali ſecondo qualcunque data proportione ma all'hora ſarãno finite & non infinite & coſi anche ſono ſempre reali & realmente le parti quantitatiue queſto infinito adunque è ſecondo le parti quantitatiue veriſſimo è che non ſi può mai paſſare perche da eſſe parti infinite è conſtituito vn tutto infinito, ma le infinite riſpetto alle parti proportionali cioè nella maniera che habbiamo detto non è per queſto inſuperabile perche ne da eſſe parti ne riſulta vn tutto infinito ne ſono realmente in quanto infinite ma in quanto che ſi conſiderano realmente ſarãno ſempre ſecondo vna determinata proportione & coſi finite & però in quanto infinite ſarãno meramente immaginarie anzi non ſi aſſegneranno mai dico ne anche per conſideratione tali parti relatiue infinite per che dato che ſempre in infinito ſi andaſſi augumentando il numero per la diminutione delle portioni nondimeno ſempre ſi aſſegnerãno tali parti determinate & finite.

L. In vero che io non sò hora che replicarui à queſta ſolutione horsù venite alla ſolutione dell'altro dubbio & poi ſeguiteremo la noſtra materia ne v'increſca che noi ci difendiamo più che non parebbe vn certo douere in queſta coſa fuori del principale intento perche qui noi ragioniamo per vna certa ſatisfatione la quale non ſi ha manco nello intendere certe coſe rare benche non ſieno coſi continuate, anzi mi par che interuerrà in queſto come ſi dice della lampreda che molte volte è meglio l'intingolo che è acceſſorio che non è eſſa lampreda, &c. Ne à noi è preſcritto obligo alcuno perche noi dobbiamo laſciare vn propoſito che ci aggradi per abbreuiare ò continuar meglio il ragionamento maſſime che ne anche il tempo ci caccia più che ci vogliamo noi ſteſſi.

M. Ho caro che queſto mio ragionamento non vi venga in faſtidio & io quanto à me piglio piacere d'andarmi diſtendendo in sù gli incidenti maſſime doue occorre di dir qualche coſa fuori del comune perche non poi ſempre viene occaſione di ſentirne ragionare & diſcorrere per queſte vie. Venendo hor dunque all'altro argomento dico che la ſolutione conſiſte in queſto. Hauete da ſapere che il tempo ſi come gli altri continui non ſi diuide in indiuiſibili ne in parti che ſieno altro che della ſua ſpetie ciò ſi diuide in tempo & non in mouenti qualunche minima parte adunque di tempo è tempo ogni moto adunque biſogna che ſia fatto in qualunche tempo almeno in vna minima parte de eſſo. Hor pigliamo adunque il moto che in minima parte di tempo farà il primo cane & il moto che in vna minima parte di tempo farà il ſecondo cane & trouerremo che ſarà in detto minimo tempo maggiore il doppio lo ſpatio che farà il primo cane & queſto ſarà il minimo moto che ſi potrà fare daloro perche ſe bene il moto & tempo ſonò diuiſibili in infinito non ſono tali in atto ma ſolo in potenza ſecondo il modo ch s'è detto di maniera che non ſi potrà pigliare vn tempo in atto corriſpondente à vn moto che non ſia al manco ſecondo vna certa quantità talmente che verbi gratia il minore ò minimo moto che ſi potrà aſſegnare à quel primo cane che ſarà il ſubito da poi che egli è moſſo ſarà verbi gratia d'vn dito, & il minor moto che ſarà il ſecondo cane ſarà di vn mezzo dito ſtante adunque che quel primo cane non ſi può muouere ſecondo alna minima parte di tempo che egli non ſi muoua almeno per lo ſpatio d'vn dito & che quel ſecondo cane ſi muoue ſolo in detto minimo tempo per lo ſpatio d'vn mezzo dito ſi vedrà da queſto ſoluto l'argomento la qual ſolutione conſiſte in queſto che queſto moto reale non ſi diminuiſce in infinito ſecondo le ſue minime parti ma conſiſte à vna certa minima quantità della qua le egli non ſi può far minore ò non ſi mouerà quando adunque ſecondo l'argomento fatto il cane prima ſarà vicino al ſecondo manco ſpatio che non ſarà quel minimo computando anche il moto che ha da fare il ſecondo cane in quel minimo tempo al che ſecondo l'argomento ſi verrà di neceſſità non è dubbio che all'hora ſarà di neceſſità che il cane ò non ſi muoua ò mouendoſſi (s'intende ſempre ſecondo e' medeſimi moti) che paſſi innanzi al ſecondo cane.

L. Io conoſco che queſta ſolutione è reale ſe bene non la poſſeggo ancora coſi bene à mio modo, & volentieri ci farei ſopra qualche dimanda ſe non fuſſi che la voglia del ſeguire il ragionamento principale pur mi tira però eſſendo in gran parte ſatisfatto circa di queſto deſidero hora che venghiate à moſtrarmi che queſto argomento da me addottoui ſia di queſti che non habbino altro che l'apparenza & coſi non ſcientifico ma fallace; & di poi anche ſe potrò intendere la ſolutione di eſſo mi ſarà gratiſſimo.

M. Voi mi hauete ricordato beniſſimo, & io ſeguirò con tal'ordine per quanto comporterãno le forze mie rimettendomi però à più eſercitate perſone di me ſopra di queſte materie che ſapete non ſono mia profeſſione ſebene per mio diletto io ci impiego tal'hora vn poco di tempo rubato.

L. Io non fo manco conto di ſentir ſopra di queſte materie vna perſona di qualche giuditio & che ci facci ſopra conſideratione meramente per conoſcere la verità che di molti che fãno grandiſſimo ſtudio in ſu e' libri e' quali finalmente per lo più non ſãno ne credere ne intẽdere ne dire altro che quello che truouono in eſſi, come ſi vede che (regolarmente dico) queſti tali ſon tanto legati alle oppinioni & autorità di queſti loro autori che come ſi viene à negar loro certe coſe che loro ſteſſi adorono come principij più certi che e' Mathematici & nondimeno poi veramente eſaminandoli non che altro non *le* intendono, nõ ſãno fare altro che ò alterarſene

molto ò tacere & e' più di loro si stupiscono che si truoui alcuno che nieghi tale cose supponẽdoli principij certissimi & allogono che contro à chi niega e' principij non si può ne debbe più disputare.

M. Veramente che se costoro si ricordassino bene quale è la conditione de principij non affermerebbono così facilmente che molte prepositioni che loro tengono per tali fussero tali perche e' principij debbono esser certissimi & notissimi anche à quelli che gli vogliono vsare. Ma loro scambiono da principij d'vna scienza cioè della Filosofia à principij d'vna via come peripatetica ò forse d'vna setta come Auerroisti Tomisti & simili. Anzi questo abbuso strano di abbandonarsi cosi alla cieca in sù questa autorità senza voler punto esaminarle ne maneggiarle come se fussino cose sacre è causa che questa scienza la quale in se douerrebbe essere molto facile & nota essendo fondata in sul senso sia tanto oscura & difficile che non paia che sia lecito ad alcuno che non sia di tal professione intendere straccio questo dico non viene se non da questi fondamenti strani pieni di equiuoci & tal volta di falsità che loro hañо per più certi che già non si haueuano e'risponsi onde nasce poiche e' loro discorsi procedono di oscurità, & quello che è cosa da vn canto più ridicula, & dall'altro degna di lacrime è che quelli che parlano più oscuramente & si vanno più auuolgendo & intrigando con queste propositioni & argomẽti intelligibili sono reputati che parlino più dottamente più altamente con tutto che la verità sia che chi intenderà bene vna cosa in questa scienza senza alcun dubbio la saprà esprimere con facilità & da essere intesa & fatta capace à qualunque persona di qualche giuditio benche non essercitata in tal professione perche finalmente queste son cose che si hanno à toccare tutte con mano, & però habbiate questa per vna breue, facile, & certissima regola che quelli che non saprañо dar bene adintendere à un pari vostro le cose che dicono, che non le intendino eglino stessi.

L. Voi mi fate tutto rallegrare perche questo mi è interuenuto molte volte con molti di questi tenuti gran Filosofi & io imputauo tutto il difetto à me stesso, ma nel considerare bene veggo che la cosa sta in gran parte coma voi dite, anzi mi voglio di più ricordare d'hauer sentito in sù e' propositi di questa scienza à molti non di tal professione ma di buon giuditio hauer fatte ottime considerationi & trouato dubitationi & solutioni nuoue suttilissime & non tocche da gli scrittori onde io sono andato anche considerando che non solo vna persona di giuditio benche non essercitata possa intender questi concetti & propositi ma possa anche Filosofare.

M. Voi non ve ne ingannate intendendo però sopra di alcune matetie & proposte particulari, per che in vero il Filosofare con ordine ò molto à dentro non sarà lecito se non à persone esercitate è ben vero che io vi confesso anzi dico di certo che questo esercitio si può far senza tanti libri & tanto legere quanto le persone si credono perche finalmente noi non habbiamo il più bel libro, che questo della natura il quale ci stà sempre aperto innanzi à gli occhi & è commune à ciascuno è ben vero, che noi habbiamo bisogno di questi scrittori quasi come di comentatori di tal libro, & anche di ordinatori per che in vero questo libro in se bene mostra la verità certissima di tutto quello che noi possiamo hauercela mostra molto confusa tal che per noi stessi difficilmente potremmo non che profittare ma ne pure anche procedere fondatamente & ordinatamente in questa scienza & chi si seruirà de gli autori in questa maniera, non si fondando in loro altrimenti che in quanto e' sono espositori di tal libro & conordano manifestamente con esso; certo ne cauerà molto frutto principalmente nel principio per ordinare lo intelletto, & poi ancora per eccitarlo & auuertirlo, & per tutte queste cose noi dobbiamo sommamente à Arist per che in vero senza di lui & suo aiuto noi ci auuilupperemo circa di questa materia senza alcuno profitto ò pochissimo, per che in vero egli ha insegnata la via & regola & anche ha tocco le materie più realmente, & più fondatamente di alcuno altro, & se bene & nell'vna parte & nell'altra molte volte non si sarà accostato cosi bene al perfetto non per questo se li dee punto scemare delle lodi & dell'obbligo come già vi ho anche detto, perche dalle sue stesse regole impareremo & à conoscere doue egli errassi & esaminarlo & correggerlo ancora il che ci verrà più facilmente fatto quando ricorreremo spesso con la mente à questo gran libro non ci lasciando trasportare lontano da esso ne da argomenti ne da autorità ne quel che interuiene spesso da vna certa ignoranza di non intendere quello che si dice come si è tocco non molto fa & in tal modo non precipiteremo ne gli errori delli autori insieme con loro, ma caueremo frutto da gli scritti di questi tali insino dico da gli stessi lor proprij errori.

L. Noi siamo entrati in vna materia che mi diletta tanto & che mi pare tanto vtile rispetto à questo abbuso d'hoggi tanto commune & tanto estremamente pernitioso che vi starei à redire l'hore à bocca aperta perche in vero l'abbuso è tale & tanto dannoso che ha ridotto questa pouera scienza che doue ella douerrebbe essere la più reale & la più certa, ella non è se non vn cumulo di chimere di sofismi di termini ignoti & fantasime onde io mi sono molte volte marauigliato che ella seguiti di reggere, & che le persone non comincino à dismetterla perche in vero se voi considerate & ponete mente à vno di questi più famosi Filosofi & lo premiate bene non trouerrete che di realità & di sustanza gli sappia nulla più che gli altri ma tutto sfumma in fare grande strepito conqueste lor vesciche gonfiate & girelle à vento.

M. Ah M. Lorenzo parlate con manco collera contro di costoro perche pure se ne truoua di quelli che si accostono molto alla realità & con molto giuditio & merito di molta lode.

L. Io non velo niego ne parlo punto contro à

questi

questi tali anzi ne conosco & amo & honoro sommamente ma contro à questo abbuso maladetto il quale ha preso tanto piede, & ha tanta forza che se bene di molti di questi valent'huomini che noi diciamo harebbono in loro certe considerationi reali & fondate & secondo il vero, & debito modo di procedere non haranno ne anche animo di manifestarle: solo perche parrà che repugnino à Aristot. & anche tal volta à qualche famoso espositore, & più tosto seguiranno il comune errore contro al lor proprio intelletto che non seguiranno la fondata & certa verità contro à quelle autorità che hanno preso molto piede.

M. Questo inconueniente è augumentato tanto perche la scienza della Filosofia hoggi non si frequenta meramenre à fine di intendere & di sapere & per propria consolatione & perfettione ma per il premio & per il guadagno per quelli che si danno à tal professione per lo più di gran lunga lo fanno per venire alla medicina & quelli che pur seguitano in tal professione comunemente lo fanno per venir à hauer qualche lettura di maniera che pochissimi la seguitano per amor dilei stessa tanto che non fanno numero.

L. Ma non per questo douerrebbono anche questi che voi dite lasciar la verità per l'autorità.

M. Io vi dico quello che interuiene quelli che si danno alla medicina non occorre che procedino oltre molto nella Filosofia talche di questi à pochi occorre il venire in queste considerationi; per che in vero Arist. l'ha trattata in maniera che bisogna affaticarsi molto tempo per intenderne poco & con tanta difficultà che quando ci par hauere inteso quello che egli dice ò vuol dire non ti par hauer fatto poco ne si entrà per all'hora altrimenti in dubitare contro di esso perche non si verrà se non in molto tempo in termine di possedere talmente le materie da poter far questo.

L. Veramente che se noi dobbiamo dolerci di Arist. dobbiamo farlo in questo dell'hauer trattato con tanta difficultà, & con tanta breuità doue si ricercaua lunghezza, & lunghezze doue era più chiara la breuità che in molto tempo affaticandosi si cominci à intendere quello che si douerrebbe saperne in poco.

M. Io non dubito punto, che la Filosofia dico anche non si discostando molto da Arist. protrebbe esser trattata con tal'ordine & procedere che in vn'anno si imparerebbono più cose & senza comparatione meglio che hora non si imparano in tre per non dir più oltre. Et quanto alla Logica poi ci sarebbe da dire non sol questo ma molte altre cose se il tempo lo ricercassi & di questo che io dico forse vn giorno sene vedrà qualche saggio, ma non per questo non si debbe scusare Arist. perche bisogna considerare che lui è stato il primo à metter questa scienza in regola & dargli qualche forma di scienza, & però dobbiamo più tosto sommamente ringratiar lo di quello che ha fatto essendo molt' più di quello tutti hanno fatto gli altri insieme e il dolersi di quello non ha fatto & dobbiamo credere che à lui non sia stato senza estrema fatica l'essere arriuato à quel termine se bene si conoscessi hoggi che volendosi procedere per la debita strada huomini di non alcuna comparatione à vn miracolo tanto potrebbono migliorare molto ogni cosa & chi dubita che se Arist. hauessi hauuto innanzi vna minima parte di quello che egli ha dato à noi che egli harebbe migliorato sommamente; & che crediamo che egli facessi hoggi se tornassi al mondo? Non dimeno quello che egli ne ha lasciato cosi della Filosofia come della Logica se bene atto à poter essere non poco migliorato ha generata tanta vtilità che ha interamente spenta quella moltitudine di pazzie mostruose che già occupauano anzi ammorbauano le sette intere de gli huomini à di lungo.

L. Certo che egli è cosi & si debbe & può senza torre à Aristot. la sua parte dare anche alla verità & realità la sua ma noi habbiamo fatto vna parentesi si lunga che io non mi ricordo quasi doue noi siamo.

M. Noi parlauamo della causa di questi abbusi d'hoggi & erauamo.

L. Ah si, seguitate che io non mene ricordo bene.

M. L'ho caro che mi torrete fatica di replicarlo. Quelli adunque che attendono alla Filosopfia per la medecina non possono in vn certo modo venire in queste tali considerationi per le ragioni dette.

L. Si trouono pure di molti medici molto dotti & intendenti della Filosofia.

M. E' vero ma siate certo che quelli che son valent'huomini hanno tanto che fare che se bene per loro fussino attissimi non resta lor tempo da impiegare in queste speculationi tanto che possino venire alla consideratione di queste nature perche non vi immaginate che il dir fuori di quello che si è detto insino à qui & dirne fondatamente & realmente sia cosa facile & che corra alla penna come l'inchiostro anzi è cosa di somma difficultà & sudore & che ricerca assidua & esquisitissima osseruatione & consideratione & riscontrare le cose & concetti per molti modi dico poi che si faranno inuestigando ritrouati al che si ricerca non poca fatica.

L. Ditemi vn poco di gratia che ordine tenete voi nello andar inuestigando & considerando perche mi pare sentirui si spesso addurre & oppinioni & ragioni & conclusioni nuoue che io pensauo che elle vi fussino molto pronte & facili; massime sentendo anche poi come elle procedono.

M. Facili paiano elle à chi le sente poi ma non à chi le truoua & se bene voi ne hauete inteso da me forse oltre à questo di questo presente ragionamento addurne anche qualch'vn'altra non vi crediate che elle mi naschino nel ceruello come e' funghi in vn prato ma son cose che mi hanno fatto sudare molto & molto tempo. E' ben vero che chi è dirotto in questa maniera di procedere discorrerà & inuestigherà secondo tal via molto & molto più facilmente che non farà vn'altro della medesima attitudine

attitudine ma sopra cio per hora non vi curate l'intendere più oltre che faremmo troppa gran confusione vn'altra volta con più commodità & propsito vi offero anche di satisfarui in parte circà di questo & come io spero anche con qualche vostro frutto. Ma seguitando hora dico che ne anche quelli che si danno alla Filosofia per ottenere letture possono molto commodamente lasciare questa strada comune per la realità & verità.

L. Per qual ragione.

M. Perche essendo il fine di questi tali l'vtile & anche l'honore & essendo che & l'vtile & l'honore consista veramente nello hauer molti ascoltatori: perche questi tali senza dubbio quanto più frequentemente sono ascoltati sono da questo solo reputati di maggiore stima & cosi vengono anche à ottenerne maggior premio & salario oltre à l'honore & reputatione in se stessa è necessario adunque che questi tali cerchino è tutti e' modi che possono di consaruari & di aumentarsi la squolla.

L. Questo è certissimo ma io non veggio già come faccia ò concluda secondo il proposito.

M. Hora lo vedrete manifesto. Voi douete sapere che nelle menti de gli scolari è vna oppinione fissa che non si possa sapere Filosofia se non intendendo Arist. & seguitando lui & che chi se ne discosta procede chimeramente & soffisticamente & però come si conoscessi ch'vn Dottor andassi scherzando à volerla con Arist. subito gli vederesti scemare la squola à gran misura, & però se bene si truoua qualche bello intelletto che considera qualche cosa per il verso la necessità lo fa star sotto se bene sono alcuni che vanno accomodando Arist. alla realità il più che possono & questo è in vero il più su doue egli possino andare.

L. Certo voi dite benissimo & queste medesime cause & rispetti ò per dir meglio simili fanno ancora che la medecina sia hoggi vn mero abbuso & non si medichi punto doue è bisogno grande: che come si vede e' medici comunemente da vna emigranea ò vna terzana semplice in poi non sanno curare altro ne come haño fatto certi rimedij in stampa sanno più che si fare altro ne anche sanno astenersi da molte cose che sono manifestamente dañose ne vsar di quelle che sarebbono di somma vtilità solamente perche vn certo vso & vna certa oppinione che haño preso il luogo alla predica voglion cosi se loro vogliano hauer di molti ammalati & attendese à empiere la borsa dico anche di quelli che veramente sanno qualche cosa si bene veramente se truoua non sono però tanti quanti paiono: Ma sopra questa materia dico de medici e modo del medicare mi riserbo à parlare (dico cosi superficialmente & per quanto appartiene à vna consideratione cosi naturale & comune) con voi con miglior commodità che hora sara il tempo hormai che venghiate alla impugnatione della proposta conclusione & solutione di poi dello argomento addotto.

M. Venendo hor dunque à questo dico che per due vie si può conoscere & mostrare che quel che non è corpo non si possa muouere l'vna e da vn supposto possibile l'altra e dal sestesso & per cominciare prima dalle co. se manco chiare che è la prima dico cosi, se fussi vno spatio di vacuo verbi gratia in questa stanza che impossibilità ci sarebbe che egli non si potessi muouere da luogo à luogo certo nessuna adunque non è necessario che cio che si muoue sia corpo & null'altro si possa muouere.

Veramente che io mi aspettauo da voi più chiara inpugnatione che non è questa il quale sò che solete compiacerui & fondarui nelle cose & ragioni molte reali & sensate ma questa perdonatemi non riesce punto come io mel'aspettauo.

L. Et perche?

M. Come perche non per vna obbiettione ma per molte, in prima voi fate vn supposto impossibile, cioè che il vacuo si dia & questa impossibilità la proua Aristot. diffusamente & dottissimamente tal che io non trouo chi ne faccia dubbio alcuno, secondariamente dato pure che si trouassi ò si potessi trouare come voi dite io direi che egli non si mouerebbe per se ma per accidente cioè al moto dello ambiente) terzo & vltimo quando tutto anche si concedessi à modo vostro nondimeno pure anche verresti à dire che quel che si mouessi sarebbe corpo, conciò sia che quel tal vacuo non si potrebbe dare che non hauessi la sua trina dimensione & cosi pure sarebbe corpo, ma sarebbe vn corpo strano che non sarebbe naturale perche niega ogni materia ne Mathematico perche non è per astratione ne dalla materia ne da e' singulari perche voi assegnate qui questo vacuo realmente talche questo anche viene à inculcare difficultà & mostrar più la impossibilità della positione.

M. Io piglio vn piacere grandissimo quando io sento contradirmi sottilmente & à proposito come molto bene hauete fatto voi tanto quanto mi dispiace quando si da' incerti che non essendo capaci di quel che tu di ti vogliono contradire che loro stessi non son capaci, ò verò meramente in sul dire il tale ha detto cosi & si debbe credere più à lui che ad altri, se non fussi cosi non si debbe credere che egli hauessi detto à me basta saperne quanto lui & simili altre debolezze ma voi hauete risposto di maniera che se io non mi fussi trouato molto ben prouisto mi sarebbe facilmente auuenuto con voi come si dice de pifferi di montagna che vanno per sonar & son sonati, benche io sarei sempre molto più pronto à mutar l'oppinion mia per ragioni & fondamenti migliori che in tal caso à volerla mantenere, & siate certo che io non meterrei punto à vergogna l'hauere imparato non dico da voi, che essendo del giuditio che sete vi tengo attissimo à Filosofare, ma da qualunche idiota persona perche si può à ogn'hora & da qualunche sorte di persona circa à queste materie che sono tanto comuni à ciascuno sentire qualche cosa che tu non habbia ò prima considerata.

considerata ò saputa. Ma io spero che quanto più sarañο state forti le oppositioni addotte da voi, tanto più dimostrerranno la verità della mia positione. Ma per cominciare dalle cose più facili mi comincerò prima dall'vltima & terminerò con la prima ne la quale sara come io mi penso non poco che dire. Voi dite che datto tutto quello che io dico che in tal caso in ogni modo quello che si mouerebbe sarebbe corpo & io ve lo cócedo ma in qualunche maniera egli si douessi dir corpo senza dubbio egli nõ sarebbe secondo quello che s'intende quando si dice che quel che si muoue bisogni che sia corpo che all'hora s'intende del corpo naturale, & di tale ha sempre inteso chi ha posto il corpo il subjetto del moto.

L. E' verissimo che Arist intende come voi dite ma questo è perche egli suppone sempre che'l vacuo non sia che se egli supponessi che il vacuo fussi forse harebbe detto che come corpo egli fusse stato mobile non dico l'altre ragioni sopradette che gli contrariono & potrebbesi anche dire che si può supponere senza alcuno inconueniente che vn corpo astraendolo da ogni materia che si muoua, che sarà vn corpo Mathematico, il quale anche ha manco realità del vacuo tanto più adunque si douerrà dire che il vacuo se fussi dabile sarebbe anche mobile in quanto corpo talche quando pure fussi vero che il vacuo si mouessi non per questo sarebbe falso l'argomento.

M. Voi mi affrontate tanto gagliardamente che quando io facessi vna ritirata non mi sarebbe vergogna, nondimeno io spero che al fine mi accadrà come alla palla gonfiata che quanto più duro incontro troua più si rilieua hora auuertite che quando voi mi dite che il corpo Mathematico si può anche porre pe subjetto mobile & che si pone ve lo concedo se voi intendete del moto immaginario & di tal moto cioè immaginario può esser subjetto non solo il corpo Mathematico manche la superficie & la linea & finalmente il punto stesso si come noi ci immaginiamo che per il flusso d'vna superficie si causi il corpo Mathematico & dal flusso della linea la superficie & da quello del punto la linea ma questi sarañο tutti subjetti del moto immaginario si come anche il corpo astratto & dalla materia & dalle conditioni indiuiduali non potrà mai esser subjetto del moto reale, ma del moto reale non potrà mai esser subjetto corpo alcuno immaginario ne Mathematico però non vale questa ragione il corpo Mathematico si suppone subjetto de moto adunque tanto più il vacuo se si dessi perche noi parliamo del moto reale; & questo sia detto per rispondere.

L. A quella parte non che al mio proposito egli importi molto, Poiche noi siamo entrati in questo ditemi vn poco non si potrà egli anche così dire che verbi gratia la pietra sia subjetto immaginario & così che ella non douerrebbe esser subjetto del moto reale perche la pietra non si da realmente ma si bene la tal pietra dalla tale spatie.

M. Auuertite che quando voi dite Pietra ò qualche altro genere voi potete considerarlo in due modi cioè che ò vero voi intendiate di assegnare vn genere come genere & così che astragga de tutte le conditioni & indiuiduali & specifiche cioè che non habbia alcuna di esse in atto & cosi io vi concedo & affermo che la pietra non potrà auer mai subjetto reale del moto ma solamente immaginario & in questo non è dubbio alcuno, ma dicendo pietra voi potete anche intendere d'vna pietra attuale espresso nondimeno con vocabulo confuso, così in spetie come in indiuiduo quasi dicendo ò sia diamante ò sia marmo ò sia diaspro &c. Et intendendo veramente non della pietra astratta ma d'vna pietra in atto in tal senso senza dubbio sarà falso che (quel) pietra sia genere! Come si vede che non si dirà mai che l'animale ò sia cane ò sia huomo, &c. Sia genere, & in questo modo dico che la pietra sarà subjetto del moto reale, ma che sarà anche subjetto reale & così per tal ragione il corpo Mathematico perche si considera non come vn confuso cioè ò questo ò quello indeterminatamente ma come astratto da tutte le nature & applicabile à tutte non potrà in modo alcuno non essendo subjetto reale essere subietto del molto reale.

L. Piacemi tutto questo benche come voi toccasti non faccia molto à proposito del principale intento perche à me basta mantenere, che datto che il vacuo si mouessi & si mouessi per se, non per questo ne seguirà che sia falsa che quel che si muoue non sia corpo ne anche secondo l'intentione di Arist. & di chi tiene tale oppinione benche per altro tenghino che il vacuo non si dia.

M. Io non mi fondo punto in su quello che si habbia inteso alcuno di costoro perche forse oltre che questo è incerto non fa nulla quanto alla realità della cosa, ma il fondamento ò ragione mia è questa se io non l'hauessi saputa così bene esprimer insino à hora cioè che se costoro verrañο à estendere anche al vacuo questa nobilità cosi verrañο à non escludere anche tal mobilità dalle qualità.

L. Se io v'intendo bene voi volete inferire che se costoro concedono che il vacuo sia mobile che concederanno anche per conseguenza che qualità sia mobile.

Questo appunto & che per ciò non è da dire che coloro habbino voluto intendere d'ogni corpo quando dicono che il corpo è subjetto del motto, ma solo del corpo reale; volendo dico escludere loro anche la qualità.

L. Intendo hora benissimo l'intentione vostra ma questa conseguenza ci resta da prouare senza laqual pruoua non hauete fatto ancora niente ma siate come da capo.

M. E' verissimo che mi bisogna prouare quel che dite ò vero restare al disotto in questo capo ma non perciò vi confesso che si sia fatto cosa alcuna insino à qui non si prouando questo perche pure si è mostrato doue si restrigne la difficultà & intesa meglio la difficultà stessa che non è anche poca hora quanto alla solutione di essa voglio vi

 contentiate

contentiate che la differiamo poi nella solutione dello argomento perche concatenauo tanto insieme queste due materie che non si possono commodamente spezzare ò dicidere, & questo, tanto più commodamente si potrà indugiare al tempo detto poi che in ognimodo per altri mezzi in tanto si debbe prouar l'intento cioè dal senso talche per questo non resterà l'animo circa al principale intento sospesso.

L. Io certo harei desiderato molro di seguitare hora questa materia ma poi che à voi piace & lo giudicate meglio seguirete oltre saltando questa.

M. Quanto alla seconda objetione cioè che se il vacuo pur si dessi non si mouerebbe per se ma per accidente dico che questo non si può dire perche non è dubbio che tal vacuo si potrebbe mutare ò muouere da vn luogo à vn'altro mutandosi interamente ciascuna parte dello ambiente & cosi non sarà vero che si muoua al moto dall'ambiente è ben vero, che sarà sempre necessario che egli sia circondato dallo ambiente perche è necessario che il termine del vacuo sia il corpo che altrimenti sarebbe più oltre vacuo & non termine del vacuo & cosi si mouerà ben sempre il vacuo nello ambiente ma non di necessità al moto dello ambiente.

L. Horsù venghiamo vn poco à questa impossibilità del darsi il vacuo perche poi alla fine io ridurrò tutto quest'altre cose à questa, & in questa mi fonderò principalmente quanto à questa parte, parendomi molto bene dimostrata questa conclusione da quell'argomento di Aristot. che se si dessi il vacuo si darebbe il moto in instante oltre all'altre che à questa anche si possono aggiugnere ma per esser questa la principale voglio cominciare da questa & venire à mezza spada.

M. Poiche voi volete venire cosi alle strette considerate di gratia in prima che spada vi trouate vn mano & come ella sia per reggere alle percosse & perche voi ne venghiate meglio in cognitione prima vi replico che io non intendo mai di quietarmi in su le autorità; & di poi vi dimando che assegnate la pruoua di tal conseguenza.

L. Di questo Arist. stesso come sapete ne assegna ottimamente la ragione però non occorre fermarsi altrimenti nella autorità & la ragione & conseguenza sua e' questa poi che pur voi volete che io vela assegni. Date l'altre cose parj quanta sarà minore la resistenza del mezo nel quale si fa il moto tanto più veloce sarà il moto, ma nel vacuo non sarà assolutamente alcuna resistenza adunque nel vacuo sarà il moto instante & la conseguenza è manifesta perche nel vacuo non sarà al tutto impedimento alcuno ma dal niente al qualche cosa non è proportione adunque l'effetto dello augumento della velocità sarà anche senza proportione & cosi bisognerà sia in instante perche altrimenti dato qualunche velocissimo moto non sarà senza proportione al primo si come il niente è senza preportione à qualunche minimo.

M. Questo è adunque quello argomento cosi formidabile.

A'me pare egli non che formidabile insuperabile. L.

Horsu poi che io vi ho fatto vscire degli alloggiamenti & di quel ritiro dell'autorità & che voi siate saltato in compagnia à combattere con l'arme della ragione, & mi hauete appresentata la giornata io non dubito più punto della vittoria, ma d'vna vittoria tale che causarà più vtile ad vinto che al vincitore. Hor dunque per risponderui andrò à mezza spada & con vn colpo da seño. Vidico imprima che questo argomento il quale è di tanto huomo, & doue egli fa tanto fondamento & tanta inportanza & da tanti & tali tanto seguitate non conclude altro se non che il moto in quanto tale & per sua essenza sia in instante, & che egli sia in tempo solo per accidente & per violenza. M.

Voi mi hauete morto che io ho ben sentito io doue è ito questo colpo & certo resto tanto stupefatto di questa cosa quanto se parlando io con vna bella donna ella mi diuentassi innanzi in vn voltar d'occhio vn sozzo mostro cosi mi veggio io esser diuentato quello argomento per che in verità non si può negare che in tal modo si attribuisce la causa della successione temporanea nel moto allo impedimento del mezzo & che considerandolo come senza impedimento & secondo se stesso egli si pone esser in instante & cosi che la instancità sia dell'essenza del moto ò mutatione locale per fuggir, hora la disputa del vocabulo cosi certo tanto mostruoso che io ne resto non che stupefatto spauentato ne potrei cessar di marauigliarmi & dannare l'ignoranza mia se io ne' la scusassi con le tante & tali compagnie. L.

Oltre che non si può negare che la velocità & tardità del moto si diuersifica non solo dallo impedimento allegato ma ancora dalla repugnanza ò attitudine del mobile & dalla virtu ò debilità del mouente & puossi anche aggiugnere che la propinquità & distanza de gli estremi causino più tarda e più presta la perfettione di esso moto onde si può vedere inquanti inconuenienti multiplichi & si aggiri questo argomento il quale in prima piglia la causa partiale per la totale & poi in ogni modo non conclude debitamente perche data che tutta la tardità del moto venissi dallo impedimento non ne seguirebbe per questo che tolto ogni impedimento egli douessi essere in instante, ma si bene che egli douessi essere in quella estrema velocità che fussi possibile saluandogli però la conditione circa ciò che solo conuene in quanto moto, perche è da auuertire che la conseguenza dell'esser in instante seguirebbe quando si dicessi che il moto hauessi dallo impedimento non la tardità ma la temporaneita il che è falso perche il moto ha la temporaneità dalla sua intrinseca essenza cioè perche vn corpo non può in vn medesimo in instante essere in dui distinti luoghi ò termini, & così si confesserà che in tal caso assolutamente togliendosi ogni impedimento si torrà anche assolutamente ogni tardità ma non la temperaneità & cosi M.

anche

anche saluando all'argomento la sua forma la quale se si esaminera bene se trouerrà anche piena di imperfettione in ogni modo nõ concluderebbe altro se non la somma velocità del moto dico anche quando l'mpedimento del mezzo fussi la total causa di esse: ma la imperfettione della forma dell'argomento si vide anche perche per la medesima ragione presa in altra maniera si concluderà anche che mai per qualunche augumento di impedimento si verrebbe à torre il moto in tutto il che è falsissimo, & si vede che la ragione è la medesima perche si come si diceua prima non esser proportione da minimo di tempo al nulla di impedimento cosi hora si dice non esser proportione dal molto impedimento al nulla di moto, & che se quello si debba dire impossibile per mancamento di questa corrispondenza & cosi anche si dirà questo, & si come si diceua che per ciò dal non punto di impedimento non poteua seguire temporaneità benche minima & era di necessità l'instantaneità così ancora bisognerà dire per dal multiplicamento dello impedimento non possa mai seguire il non moto ma di necessità il moto più tardo & cosi in infinito cosa assurdissima & manifestissimamente falsa.

L. Di gratia non vi affaticate più in questo perche mi pare che ci sia tanto paño che ne auanzi largomante.

M. Et da questo potete veder chiaramente quanto sia da fondasi in sù gli argomenti poi che si fa tanto fondamento in su vno che oltre alle dette imperfettioni ha questo ancora che argomenta dalla essenza d'vna cosa all'essenza d'vn'altra diuersa & proprio procede questo argomento come se si dicessi egli à necessario che di state pioua perche non si maturerebbe altrimenti il grano, ò vero che il mare non può mancare perche e' pesci morrebbono ò in simile altra maniera che non è altro che questo il dire se il vacuo si dessi, il moto sarebbe in instante il qual modo di argomentare è difettuosissimo perche non importa alla possibilità del vacuo che il moto sia ò questa maniera ò in quella? & quando si vuole argomentare circa alla essentialità d'vna cosa bisogna argomentare della essentia ò natura intrinseca di essa, & non da cosa estranea come verbi gratia questa se l'huomo non fussi animato non viuerebbe ò questa se la pietra non fussi graue non s'alz[e]rebbe con difficultà & in somma solo dalla conditione essentiale all'altra conditione di che si vede quanto male si osserui dicendosi se il vacuo è adunque il moto è il moto è in instante perch'io risponderò che quanto all'essenza del vacuo mi basta che egli sia & che linconueniente de l'esser suo causa circa à vn'altro subjetto non conclude che egli non possa esser dico dimostratiuamente se bene verisimilmente & probabilmente molte volte si prouerrà in tal maniera come quando si dice che se si trouassi vn'huomo solo al mondo egli non potrebbe morire perche se morissi mancherebbe la spetie questo dico è argomento probabile & procede dalla estrinseca & non dalla essenza della cosa & non conclude dalla natura della cosa ne per se ma per accidenti, onde da questo anche si argomenta quanto sia vano & pericoloso e'l fondarsi cosi in argomenti.

Già vi ho detto che sopra ciò non accade vi affatichiate più, ma lasciando questo argomento mi par che ci sia in ogni modo da mostrare per altra via più reale che il vacuo non può essere & questo è rispetto allo ostacolo che ci ha messo la natura tanto gagliardo che è insuperabile come à cosa da lei sommamente abhorrita essendo egli vna cosa molto vicina alla annihilatione la quale ripugna totalmente à essa natura. L.

Questa è bene ragione molto più reale & molta più vera ma auuertite che questa non solamente non conclude che il vacuo non possa essere per sua natura ma conclude che per sua natura egli possa essere perche se dalla natura del vacuo ne seguitassi che egli non potessi essere, non occorreria che la natura ci hauessi messo tanto ostacolo ne tanto si fussi affaticata accioche egli non fussi, vedesi adunque manifestamente da questo che non repugna alla natura de vacuo che egli possa essere se bene repugna poi per quest'altra causa, & però se pur sarà che per tal rispetto egli non possa essere sarà pure come si è detto di sopra della argomento non dalla natura della cosa ma per accidente rispetto allo impedimento. M.

Pure come si sia ci viene à dire che egli non possa essere & questo basta. L.

Auuertite M. Lorenzo che in prima non si conclude questo che egli non possa essere perche noi non lo sappiamo ne alcuno può sapere che il vacuo non sia mai ne in alcun luogo ne in alcum tempo ne per alcuno spatio, e ben vero che per lungo spatio pare impossibile che possa essere ma di questo siamo noi ben certissimi dallo argomento che ò egli non possa essere, ò senza grandissima difficultà ma quando anche per tal maniera si concludessi assolutamente che egli non potessi essere, nondimeno per questo non si torrebbe che non si potessi porre de in esse come si dice per che non è assurdo il porre de in esse tutte le cose che non possono essere attualmente ma solo quelle che per se non possono essere come si è detto disopra ma quelle che non possono essere per accidente, si possono porre de in esse senza inconueniente come si vede che mai auuerrà che mille dadi gettandoli insieme tutti si voltino insieme in asso verbi gratia & però ratione esistentie, si dirà questo essere impossibibile perche mai sarà, nondimeno si potrà porre in essere conuenientissimamente & cosi anche tutti quelli altri impossibili per accidente: eccetto però che rispetto à quel loro correlatiuo rispetto al quale si dicono impossibili. M.

Non intendo bene. L.

Dico verbi gratia se noi concediamo che rispetto impedimento della natura il vacuo non possa si dare sarà inconueniente il porlo solo rispetto à esso impedimento & potestà della natura perche rispetto à questo implicherebbe contradi- M.

tione

tione & cosi di tutte l'altre cose simili.

L. Ho inteso tutto benissimo, ma se bene hauete insino à qui soluti à mio giuditio molto sufficientemente questi argomenti mi par nondimeno che si possa per altra via prouare la impossibilità del vacuo & potendosi in qualunche modo si sia viene non dimeno à restar Vano questo esemplo del vacuo.

M. Dite di gratia che à me certo sarà cosa molto nuoua & strana se sentirò concludere quello che io veggo molto realmente & certo che non si può concludere.

L. Piano non dite cosi Vditemi di gratia. Diesi che questo vacuo sia in mezzo à vno spatio di aria & la intersechi per vno spatio sufficiente à quello che bisogno come verbi gratia diciamo che à mezzo questa camera fussi vno spatio di aria grosso vn braccio ò dua che la diuidessi da imo à sommo come proprio se fussi vn tramezzo d'vn muro hora à quel cammino che verrà da vna parte di quel vacuo io suppongo che si faccia vn grandissimo fuoco atto à scaldare tutta la camera benissimo & dauantaggio & cosi anche à illuminarla vi dimando se egli scaldera & illuminerà quell'altra parte della camera oltre à tal diuisione fatta dal vacuo ò no.

M. Dicoui che egli non la scalderà ò illuminarà.

L. Ma se voi dite questo sarà senza alcuna ragione perche noi veggiamo che quanto il mezzo è più tiuue meglio penetrono queste qualità della luce & del caldo adunque diuidendosi questo si dirà contro alla stessa natura della luce & de calore.

M. Diorui che egli la scalderà ò illuminerà.

L. Oh io ho cominciato à farui variare & vi ho doue voleuo ma se egli scalderà e illumerà oltre à quel tramezzo del vacuo vi dimando se questo sarà scaldandosi ò illuminandosi quel vacuo ò vero senza che quel vacuo si scaldi e si illumini.

M. Voi mi opponete così all'improuuisto certi argomenti tanto terribili che non è gran fatto che mi faccino per la paura dire & disdire à vostro modo; rispondoui di nuouo al questo vltimo che questo sarà senza che quel vacuo si scaldi.

L. Piano vn poco cosi burlando veggo che vi andate riducendo molto alle strette ma se il calore scalda in questa maniera che la parte scaldata prima scalda l'altra & quell'altra & cosi di mano in mano in che modo si scalderà quall'aria che sarà la prima oltre al detto tramezzo del vacuo.

M. Voi mi strignerete tanto che farete diuentare sottile à mio dipetto. Orsù dicoui che il vacuo si scalderà & illuminerà.

L. Questo seguitare di variare è pur segno che voi non vi douete trouar troppo gagliardo in su picciuoli, ò vero che non haresti voluto venire à conceder quello che pur finalmente vi è stato forza di concedere onde credo che veggiate anche hormai che vi resta poco refugio. Voi vene ridete pensa quelche faresti se fussi io quello che variassi. Ma rispondete mi hora à questo se adunque quel vacuo si scalderà ò illuminerà adunque quella qualità si verrà à sostentare senza alcun soggetto & cosi l'accidente sarà senza soggetto. Rispondetemi hora se voi potete & lasciate ridere à me che n'ho più causa.

M. Io credeuo che voi vi fussi accorto da voi stesso che con quel mio variar non voleuo dire altro se non che quel vostro argomento era fuori di proſito, & che tanto era pigliando l'vna parte coiè l'affermatiua quanto pigliando la negatiua delle interrogationi.

L. Credo bene che l'argomento non sia à vostro proposito ma che tanto sia à pigliar l'vna parte quanto l'altra d'elle interrogationi già si è visto manifestamente perche in ciascuna delle due maniere rimanete confuso & vinto.

M. Certo che questo è vno argomento non punto ad altro che à confusione ma à confusione di chi l'accetta senza considerarlo perche chilo considera punto trouerrà che non ha da far niente con il caso nostro.

L. Come non ha da far non si conclude egli dalla sufficiente enumeratione anzi dalla diuisione contradittoria il qual modo à tenuto de più forti & efficaci per conuincer l'auersario quando cioè lasciandoli pigliare qual parte egli vuole dalla contraditione egli in ogni modo si conduce allo assurdo.

M. Non dico che la maniera dello argomentare non sia ottima se bene tal dimostratione non è diretta ma per impossibile, dico bene che non è à proposito ne fa nulla quanto all'esser' el'no esser del vacuo.

L. O' voi volete la burla, ò io non vi intendo.

M. Parmi pur cosa molto facile: l'intendere & conoscere che questo modo di arguire non conclude che il vacuo sia ò non sia ma dato che egli sia cerca di conoscere qual sia la natura & relatione della qualità circa ad esso vacuo, cioè se sarà che elle possino trapassar lo ò non, & dato che si, se sarà che si imprimino in esso vacuo ò no.

L. Se il porre il vacuo conduce à vno ò più degli inconuenienti ne quali voi stesso poco fa siate incorso & in parte disdettoui non segue da cio per impossibile che il vacuo non si possa dare.

M. Veggo che quest[a] chimera vi è entrata nel capo bene horsù per cauarvela & guarirui di questo male chimerico Venghiamo à ripigliare l'argomento à parte & cosi esaminandolo in tàl modo verrete à restare molto più capace & satisfatto quanto alla natura & forza di esse. Voi mi dimandate in prima se dato il vacuo ponendolo nella maniera che havete detto il fuoco scalderà oltre à esso vacuo ò non, & io vi risposi in prima che egli non scalderebbe voi subito concludesti che questo era inconueniente dicendosi che egli non passerebbe non si ponendo impedimento alcuno più che se vi fussi la semplice aria anzi manco non è cosi?

Cosi

L. Coſi ho detto & ridico.

M. Hor ditemi M. Lorenzo cominciando da queſto, ſe voi non ſapete che'l vacuo ſia ne che gli poſſa eſſere come potete voi ſapere che egli ſia impedimento al trapaſſar di tali qualità.

L. Come in che modo (ſe bene non poſſo ſapere queſto dalla perfetta natura del vacuo il che vi confeſſo eſſendo tal natura à me ignota il qual non tengo che ſi poſſa dare) lo conoſco nondimeno & dalla natura dello impedimento & da quella natura del vacuo ſecondo il quale noi ce lo immaginiamo, perche ſe bene di eſſe noi non conoſciamo più oltre non dimanco ne ſappiamo al certo che ſe egli fuſſi ſarebbe vna priuatione di tutti e' corpi, ma l'impedimento ricerca vno oſtacolo poſitiuo & non la priuatione ſenza altro di modo che da queſto è manifeſto che il vacuo non potrebbe fare tale oſtacolo.

M. Doue hauete trouato che la priuatione non poſſa eſſere oſtacolo, al paſſar vn fiume non è oſtacolo il non vi eſſere vn ponte & le barche, al viuere il non mangiare, al volar il non hauer l'ali & ſimili?

L. Io vi dico che quella priuatione ſi riduce all'oſtacolo poſitiuo perche al paſſar del fiume fa oſtacolo poſitiuamente l'acqua, & volar la grauezza del corpo, & al viuer ſenza cibo la natura del calor naturale.

M. Auuertite bene circa à queſta materia; in due maniere potranno eſſer gli oſtacoli l'vno cioè dalla parte del mezzo & l'altro dalla parte del ſubjetto, l'oſtacolo dalla parte del ſubjetto è veriſſimo che, ſempre ſi ridurrà à natura poſitiua anzi non ſi aſſegnerà forſe altrimenti l'oſtacolo poi dalla parte del mezzo ſi può referire & allo inſtrumento & al mezzo che non è inſtrumento come dire al volare è mezzo l'ali, che ſono inſtrumento & è mezza l'aria che non inſtrumento ma luogo conueniente coſi al mangiare è mezzo la bocca che è inſtrumento & è mezzo il cibo che non è inſtrumento ma materia. E' anche da auuertire che l'attione ſi può intendere & come propria per relatione allo inſtrumento & come comune per relatione al mezzo, come verbi gratia il volare ſe ſi intende propriamente ſi referiſce alle ali, & non ſi può fare ſenz'eſſe, ma ſe ſi referiſce al mezzo ſolamente s'intenderà comunemente per il muouerſi per l'aria anche ſenza ali come quaſi ſi dice volar quelli che vengono giù per il campo non ſolo gli huomini ma anche gli altri animali ma queſto ſignificato è molto manco proprio che l'altro Hor vedete adunque ſtante le dette diſtintioni dell'oſtacolo poſitiuo non ſi darà mai neceſſariamente ſe non quanto al ſubjetto, ma in tutte l'altre maniere ſi potrà dare l'oſtacolo negatiuo potrà bene tal volta la negatione ò priuatione dell'vno ſupporre qualche altra poſitione oltre à quella del ſubjetto come verbi gratia al priuatione della barca ò del ponte ſono oſtacolo al paſſare d'vne fiume queſto certo è oſtacolo priuatiuo ma ſuppone prima vna natura tale nel ſubjetto & di più anche vna natura tale del fiume ò dell'acqua come impeditiua dico & oſtante à eſſere in tal modo paſſata. Ma il non hauere ali come impedimento al volare propriamente ſuppone ſolo vna natura tale nel ſubjetto, ma nell'aria ſuppone ſolo vna natura priuatiua cioè che l'aria non hauendo l'inſtrumenio impediſca ſolo non facendo & non operando, & non con lo impedire ò oſtare poſitiuamente. E' adunque manifeſto che molte ſono le maniere de gli impedimenti per mera priuatione come verbi gratia per allegare vno eſemplo ſommamente à propoſito non diremo noi el vacuo è impedimento al volare perche non vi ſi potrà reggere l'vcello in modo alcuno anzi da queſto mediante il volar de gli vecelli ſi arguiſce come dal più gagliardo argomento che ſia l'aria & non il vacuo in queſto ſupremo della ragione infima dell'aria.

L. Certo queſta fa molto à propoſito.

M. Vedeſi adunque che l'impedimento può venire ottimamente dalla ſola priuatione & quanto al mezzo ſe bene ſi ſupponga ſempre quanto al ſubjetto vna natura poſitiua & vedete che nel caſo noſtro ſiamo appunto nella conſideratione della priuatione quanto al mezzo la quale ſe bene ſi reduca alla priuatione della natura del ſubjetto non per queſto ſi varia punto la forza della ragione addotta da me perche ſtante la natura poſitiua di queſta qualità nondimeno dalla priuatione riſpetto al mezzo può molto bene & eſſenza alcuno inconueniente occorrere l'obſtacolo ò impedimento à quel tal moto a quella tale attione come appunto occorrere & circa al mezzo & circa al medeſimo mezzo quanto al volare dello vccello.

M. Voi ſiate vſcito di queſto prima laccio meglio che io non credeuo ma in ogni modo reſtate per ancora con altri legami di ferro ſe queſto era di corda.

L. Anzi vengo interamente ſuiluppato hauendo tutto disfatto il voſtro argomento.

M. Oh in che modo non ci reſtono ancora tanti altri capi.

L. Non vi dich'io che queſte chimere vi offuſcono il ceruello ditemi di gratia ſe io vi dico alla prima dimanda cioè s'el caldo ò luce paſſerà ſcalderà l'altra parte (di non aſſolutamente) & vi mantego che queſto può ſtare molto conuenientemente ſoluendoui le objettioni fatte da voi per moſtrare l'inconueniente che da ciò ſeguiterà ne ho io ſoluto l'argomento voſtro & mantenuta la mia concluſione ſufficientiſſimamente..

M. Cognoſco certo & non ſenza mia marauiglia che gli argomenti ſono vna coſa più pericoloſa ancora che voi non mi hauete detto, & che biſogna conſiderare la coſa realmente in ſe ſteſſa il più che ſi può, ma voi ſiate di queſta riſolutione che il vacuo impedirebbe il paſſare delle qualità? & in vero che nel conſiderarla la trouo molto ragioneuole perche ſi vede che quell'aria è come vn vehiculo à quelle qualità.

Non

M. Non occorre che hora mi ditermini à queſto baſta che io dico che in qualunche modo ſi fuſſi l'argomento non concluderebbe & non ſarebbe à propoſito.

L. Se voi diceti che le qualità paſſaſſino & ſcaldaſſino l'altraparte verreſti pure à incorrere negli inconuenienti di già aſſegnati.

M. Non v'ho io già detto che ne queſti inconuenienti ne quelli non ſtringono contro à quello che il vacuo ſi poſſa e' non ſi poſſa dire & ſe io vi ho ſoluto l'argomento circa à queſto caſo particolare l'ho fatto per maggior ſatisfation voſtra ma ne queſto anche era neceſſario.

L. Certo ò io non v'intendo, o voi dite vna coſa molto lontana dal vero veggendoſi che l'argomento quanto alla ſua forma conclude, ſe bene manca quanto à quel membro il qual ſi prouaua per falſo & non in ſe impoſſibile & nondimeno ſi pruoua conſiderando meglio che è poſſibile ma & quanto alla forma & quanto à gli altri membri ancora non veggo che habbiate che dire.

M. Vi dico che quanto alla forma non è buona ne à propoſito & anche vi dico di più che tutti gli altri membri di eſſe non ſon men diffettuoſi di quello che habbiamo eſaminato.

L. Se io non mi fuſſi trouato coſi di freſco tanto ingannato di me ſteſſo, & de miei argumenti certo crederei ò voi mi burlaſſi ò vero ingannaſſi voi ſteſſo troppo ſtranamente.

M. Ditemi di gratia M. Lorenzo per venir prima quanto al modo dell'arguire non habbiamo noi già poco fa detto che l'arguire d'vna conditione eſſentiale d'vna coſa biſogna che ſia dall'eſſentia della ſteſſa coſa & non da vn'altra: non vedete voi che queſto argomento procede proprio quanto à queſta parte nella maniera che l'altro nel quale voi voleui prouare dal moto in inſtanti che il vacuo non ſi poteua dare? Anzi in quello ſi conduceua à inconuenienti ancora più manifeſti come la inſtaneità del moto nondimeno ſi moſtrò che perche egli procedeua dalla natura al vacuo & non dalla eſſenza del moto che egli non poteua prouare l'impoſſibilità dell'eſſer del moto? non ſtate adunque circa à queſto capo à replicarne altro rimettendomi à tutto quello che io ve ne diſſi à quel propoſito, il che io credo che voi poſſiate conoſcere apertamente che non milita punto manco, ne punto men chiaramente in queſto preſente.

L. Io non sò di quello ch'io mi marauigli più, ò vero dell'eſſer'io ſtato in quella tale ignoranza ſenza accorgermene ò vero che voi mene habbiate fatto accorgere così preſto & coſi chiaramente, & con effetto veggo hora chiaramente che queſto argomenro patiſce il medeſimo diffetto che l'altro che dite in quanto alla forma però quanto à queſto capo mi baſta quello che mi diceſte quanto all'altro ma quanto alla materia non veggo già come poſſiate dire che quanto al reſto di quelli membri egli non concluda.

M. Horsù poi che noi ſiamo entrati in queſto argomento comminciato à eſaminatlo più che non era neceſſario per moſtrare la inualidità ſua ſon contento di finire di eſaminarlo & tanto più volentieri quanto che io sò che egli non è voſtro, ò almen voſtro ſolamente anzi che n'è fatto molta ſtima da molti. Venendo hora adunqne più oltre à gli altri membri & ſupponendo che ſia aſſurdo dire che il caldo ò qualità non trapaſſi, voi diſtinguete poi dicendo ſe adunque la qualità lo trapaſſa ò ſi viene à informare di tal qualità quel vacuo ò non verbi gratia del calore in ciaſcuno di queſti modi è incoueniente & neceſſario è dare vno di eſſi adunque, &c. Hor venghiamo hora à quella parte negatiua io dirò che il calore trapaſſerà ſenza informare il mezzo.

Già à queſto vi ho riſpoto cioè che non potendo ſcaldare il calore ſe non l'vna parte dopo l'altra non verrà à potere ſcaldare la parte di la del vacuo ſe non ſcaldera il vacuo. L.

ditemi in prima m, Lorenzo come ſapete voi che il calore non poſſa ſcaldare altrimenti? M.

Se voi non date che la qualità del calore ſi muoua per ſe & vadia ſempre che ſi fa la calefattione non potrà eſſere altrimenti, ma queſto tal moto della qualità coſi ordinariamente io non credo già voi lo poneſſi. L.

Ditemi di gratia la calamita non imprime ella nel ferro vna certa qualità & inclinatione al moto nel ferro anche che egliſia al quanto lontano da eſſa & vi tram ezzi qualche ſpetie di aria & non ſolo di aria ma che anche vi tramezzi vna tauola di legno? M.

Queſta è coſa che ſi vede ogni giorno. L.

Ma in queſto caſo quella tal qualità non và ella à trouare il ferro partendoſi di neceſſità in prima dalla calamita. M.

E dubbio ſe tal qualità ſi muoue principalmente dal ferro o dalla calamita. L.

Laſſiamo ſtare queſte difficultà che de ſimili eſempli per quanto importa al noſtro propoſito vene potrei addurre le migliaia. Ma partaſi d'onde ella vuole pur da l'vn corpo biſogna che ella vadi à trouare l'altro. Adunque queſte tal qualità non ſi muouono elleno?& non ſi imprimono elleno nel ſubbietto remoto ſenza imprimerſi nel mezzo. M.

Io vi ſoluerò facilmente l'vna & l'altra di queſte obbiettioni dicendoui che tali qualità non vaño per loro ſteſſe da vn ſubbietto all'altro ma vanno con certi corpuſculi minutiſſimi inſenſibili. L.

Io vi potrei forſe anche replicare à queſto & impugnarui tal riſpoſta. M.

Et in che modo potrete voi però impugnarla. L.

La impugnatione è manifeſta perche ſe dalla calamita, o dal ferro eſcono di continouo queſti tali corpuſculi biſognerà che queſti tali corpi da per loro ſi venghino à conſumare il che ſi vede manifeſtamente falſo. M.

Seguirebbe queſto ſe ſi diceſſi che tal fluſſo da quel corpo fuſſi continuo ma io dico che ſolo occorre queſto quando ſi truouono vicini l'vno all'altro per qualche diſtanza. L.

M. Ma ditemi di gratia in che modo si ecciteranno all'hora quelli corpi per tal vicinanza à mandar fuori quelli tali corpuscoli bisognerà che di necessità sia per qualche qualità che trapassi da l'vno all'altro la quale voi volete che sia & si muoua mediante questi corpuscoli & cosi pure bisognerà finalmente venire à porre questo flusso de corpuscoli anche senza tal vicinità & cosi si incorrerà nel medesimo inconueniente che pure ne seguiterà che egli sia continuo.

L. Io sono entrato da me stesso in vno intrigo che non sò suilupparmene & poteuo per altra via risoluer meglio ogni difficultà.

M. Horsu riandateui sù che io vi rimetto nel buon di.

L. Dicoui che quella tal qualità passa mediante l'aria & si sostenta nell'aria se bene non la qualifica il che viene per che l'aria non è di natura da riceuer tal qualità ma occultamente pure passa per essa aria.

M. Com'io ho detto di tali esempli sene possono assegnare molti per e quali è manifesto che vna qualità passa da vn subjetto à vn'altro senza imprimersi nel mezzo : Ma voi quante risposte hauete date tante solutioni hauete dette contro al dubbio da voi opposto alla mia conclusione.

L. Io nō le veggo & pagomi di marauigliarmi.

M. Ditemi quando voi dicesti che poteua tal qualità passare dall'vn subjetto all'altro mediāte alcuni corpuscoli non venisti voi à dire ancora che quel colore poteua trapassare di la dal vacuo mediante qualche corpo ò vapore.

L. A' questo io vi rispondo che in prima voi già mi hauete impugnata tal risposta & di quando anco ella procedessi non concluderebbe à fauor vostro perche all'hora quello che voi dite vacuo non sarebbe più vacuo ma sarebbe corpo & pieno.

M. Voi cominciate à non poter più appiccandoui à si deboli sostentamenti, se io vi impugnai tal risposta ve la impugnai ad altro proposito & ad altro effetto & per condurui ad assegnar tutti questi modi che hauete assegnati & vedete che le ragioni mie addotte à tal proposito non concludono in questo caso perche questo flusso di questi corpi si ricercono al trapassamento di questa qualità di la da quel vacuo non patisce alcuna di quelli instāze ma quanto à quello che voi dite che in tal caso egli non sarebbe più vacuo questo non importa niente perche pure sarebbe stato prima & ritornera anche di poi di modo che questa è vera solutione addotta da voi stesso contro alla vostra objettione l'altra solutione che voi hauete pur data è stata che la qualità può passare da subjetto à subjetto senza informare il mezzo perche il mezzo non sia capace di riceuerla : Questo medesimo adunque si può anche appunto dire del calore quāto à quel vacuo come mezzo che lo passi in quel modo cioè che lo passi senza però informarlo come non capace à riceuer tal qualità ma non per questo ella resti di passare oltre & informare il subjetto atto à riceuerla.

L. Ma nel caso ch'o dissi vienne pur tal qualità à passare per vn subjetto che è subjetto essendo corpo ma per il vacuo non essendo subjetto non veggo come possa passare mancandogli il subjetto & sustentamento.

M. Quando pure si dicessi che la qualità non si può sostentare senza subjetto corporeo si direbbe quando la qualità debbe informare tal subjetto & questo perche non si vede come ella possa informare non si supponendo la cosa informata & atta à esser informata ma douendo passare per modo occulto non si vede perche non sia sufficientissimo subjetto il vacuo perche tal caso non vede quasi quelche habbia à fal tal mezzo se nō à non impedire ne ci si può allegare ragione alcuna fondata.

L. Hor mai à questo mio argomento non resta di buono se non la punta della coda la quale voi douerrete pure lasciargli stare perche non credo già che siate per voler dire che la qualità come la calidità si possa riceuere informatiuamente nel vacuo.

M. Non è dubbio che questo è quanto si contenga in questo argomēto come più gagliardo è più ragioneuol detto el quale anch'io tengo per verissimo nondimeno chi volessi anche disputare & trauagliare gli potrebbe far qualche paura ma voglio che per hora ci contentiamo di questo che sen'è detto parēdomi più che sufficiente non solo quanto al principale in tento ma ancora per hauer mostro chiaramente la imperfettione d'vno argomento abbracciato & fauorito dalle sette intere.

L. Resta benissimo satisfatto quanto à questa parte della possibilità del vacuo & al porlo in esse ma tutto quello che voi detto hauete insino à qui quanto al principal proposito no conclude niente ma depende dal prouar che se il vacuo si può muouere si può muouere ancora la qualità, & però io desidero che hormai voi cominciate à venire all'importāza della cosa laquale resta hor solo in questi dui capi l'vno se ben mi ricordo nel mostrare dal senso che la mia cōclusione sia falsa l'altra nel soluere l'argomento da me addotto però sopra questo vi aspetto hormai con desiderio.

M. Venendo hor dunque à quel che voi desiderate dico che assai chiaramente vi può fare apparire falso che l'accidente non trapassi di subjetto in subjetto la cosa dell'antiparistasi la quale essendo & frequētima & sensitissima viene à causare vn principio indubitabile sopra di ciò onde veggendosi da ciò manifestamente ogni giorno che la caldezza & la freddezza si restringono & rifuggono in manco subjetto che prima elle non occupano non si debbe per alcuno argomento in contrario dubitarne ma si bene pensare alla solutione di tali argomenti laquale quando bene noi nō sappiamo non per ciò debbiamo punto partirsi dalla verità ne dubitare circa di essa come nel passato ragionamento habbiamo diffusamēte detto & come anche l'istesso Arist. dice formalmente in più luoghi ma si debbe subito risoluersi che nell'argomēto sia qualche latente difetto ò di equiuocationi come quasi sempre auuiene ò supponendo vn vero apparente per vero reale & tal volta peccādo occultamente nella forma, vn sopra tutto bisogna hauer l'occhio elle distintioni che possono ricercarsi & assegnarsi circa alle cose assegnate ò supposte ma finalmente in ogni euēto ricorrere sēpre alla regola sopradetta.

L. Quanto alla regola che voi dite, io ne reſto capace ne ci dubito niente; ma dubito bene aſſaiſſimo quello che mi par che voi ſupponghiate per molto chiaro cioè che dalla antipariſtaſi ſi conoſca queſta migratione dell'accidente di ſubjetto in ſubjetto anzi ho molto dubitato che queſta antipariſtaſi realmente non ſia; ma ſia ſolo vna certa apparenza come quando noi diciamo & crediamo che nelle volte del vino ſia più caldo la vernata che la ſtate, il che io reputo che non ſia per altro che per riſpetto della comparatione all'aria che noi habitiamo la quale eſsẽdo la ſtate calidiſſima ci fa parere quella delle volte che ſi accoſta più alla tẽperata eſſendo molto più difeſa dallo eſtrinſeco freſca & tanto più quanto il caldo è maggiore per la medeſima ragione coſſi per l'oppoſito la vernata nel medeſino modo la comparatione di queſta aria freddiſſima à quella molto più tẽperata ce la fa parere calda (dato che anche tal volta la vernata ella ſia più fredda) più calda che la ſtate il medeſimo ci interuiene dell'acque ſurgenti che la ſtate noi le reputiamo freſchiſſime & la vernata quaſi tiepide il che io reputo come ho detto tutta mera apparenza cauſata dalla detta comparatione ſi come noi veggiamo occorrere nella coſa del bere che la vernata beremmo il vino tanto freddo che ſe tale lo beueſſimo la ſtate lo giudicheremmo nociuo per la troppa freſchezza, & nondimeno la vernata non appariſce già coſa freſca; onde è manifeſto che in queſto la comparatione ci inganna & coſi giudico io di certo che ſia circa di quell'altre coſe il che mi ha fatto & fa non poco dubitare che l'antipariſtaſi ſia vna mera apparenza ma quando anche ella fuſſi vera, non veggo ne anche perche ella non ſi poſſa molto ben ſoluere ſenza porre queſta migratione della qualità che voi dite ſendo da dire molto ragioneuolmente che non le qualità pure ò aſſolute ſi muouino e' coſtringhino ò dilatino ma le qualità con qualche corpo ò manifeſto ò inſenſibile come ſono gli ſpiriti & in queſto (perdonatemi) dubito che non vi habbia ingannato la inſenſibilità di queſti corpi.

M. Al nome de Dio ogni volta che mi ſarà moſtro con ragioni ſenſate dico & non in aria ch'io mi inganni ò ſia ingannato mi parrà hauer guadagnato non pochi; anzi io fo profeſſione di potermi facilmente ingannare ecceto che in queſto ordine vniuerſale di douer procedere dalle notitie ſenſate & manifeſte & fondarſi in quelle ? ma io credo bene che innanzi che noi habbiamo poſto fine à queſto ragionamento voi reſterete eſſai capace che io non mi inganno ò almeno con tanta ragione che ſe pure e' ſia molto ragioneuole l'ingannarſi meco, perche noi poſſiamo anche tal volta ingannarci in quello che ogni ſauio & prudente giudicherà vero & certo.

L. Ditemi di gratia queſti principij della cognitione noſtra non ſono eglino ſenſati & certi & meramente per il ſenſo.

M. Queſta dimanda ancor che ſia fuori del noſtro propoſito è nondimeno tanto bella & tant'vtile che io gli riſponderò volentieri. Notate adunque bene e' principij della cognitione noſtra cioè della cognitione diſcorſiua cioè le propoſitioni immediate che non ſi poſſono prouare per altre più certe dico da noi & ſecondo la virtù del noſtro intelletto ſono di più maniere; perche alcune ſono meramente, ſenſate come verbi gratia che il ſole ſplenda, el fuoco ſcaldi, &c. Alcune ſono aſtratte come che il tutto ſia maggiore della parte, ſe dalle coſe equali ſi leua coſe equali, &c. Et queſte tali che ſono per aſtrattione dalle coſe reali ſi domandono Matematiche & ſono alcune fondate in ſu vna certa conſideratione ò ragione che ſono anche più vniuerſali & più comuni di tutte, come verbi gratia che la negatiua vniuerſale ſi conuerta in ſe ſteſſa e' finalmente tutte le regole immediate delle illationi & ratiocinationi & queſte ſi chiamono rationali, & da queſte tre maniere di fondamenti naſcono le tre famoſe ſpetie di ſciẽze da ciaſcuno la ſua da E' reali cioè la naturale da gli aſtratti le Mathematiche & da e' rationali la Logica. Hor queſte tre maniere di ſcienze ſi hañó in queſta maniera che la logicale può procedere & diſcorrere da e' ſui meri principij & per ſe ſteſſa ſenza alcuna admiſtione dell'altre ma neſſuna dell'altre può già procedere nel diſcorſo ſe nõ con la miſtione & aiuto de principij logicali perche come voi ponete il diſcorſo circa d'vna coſa voi ſupponete neceſſariamente la notitia del diſcorſo & natura ſua almeno infino à vn certo che e' tutto queſto è eſtraneo da ogni altro ſubjetto & proprio della Logica, & ſe bene in infiniti diſcorſi non ſi conoſce che la perſona ſi ſerua di queſte regole logicali, naſce perche queſti tali principij ci ſono ò innati ò almeno latẽtemente ſenza alcuna diſciplina ma dallo augumento del giuditio vengono è generarſi in noi, & queſta ſi chiama Logica naturale mediãte la quale ſi vede che ogni rozo huomo diſcorre anzi e' piccioliſſimi fanciulli quaſi come cominciano à ſapere punto parlare perche ſi vede che dimandono dalla ragione quando cioè dimandono del perche & che anche tal volta riſpõdono al perche, & queſta tale ſcienza è certiſſima perche non depẽde da organo eſtrinſeco ma immediate è appreſſa dallo intelletto ò fantaſia ſecondo alcuni ſenza altro aiuto de gli organi eſteriori ſe non in quanto che ò leggendo ò aſcoltando ſono mezzi per equali quelle parole ò ſcritte ò in voce vañó finalmente alla noſtra fantaſia la quale caua da eſſe il ſignificato; dico nella via della diſciplina ma nella inueſtigatione ſi può procedere anzi ſi procede in queſta ſcienza ſenza alcuno aiuto ò apprenſione eſtrinſeca ma tutto con e' principij radicati nel noſtro ptoprio intelletto, e' quali eſſendo come ho detto conoſciuti immediate dallo intelletto & non per molti mezzi & molte traſportationi & quel che importa principalmente non ſendo fondati in objetto nè natura alcuna eſtrinſeca ma totalmente nella ſteſſa natura dello intelletto non può occorrere circa alla apprenſione di eſſi decetione alcuna perche intendendo quegli l'intelletto intende in vn certo

modo

modo se stesso & cosi è cognitione immediatissima & certissima, onde da questi tali principij ne nasce vna scienza verissima & indubitabile (dico in dubitabile in se stessa ma trattata poi à volontà, & non con il debito ordine diuenta non che dubitabile vna mera confusione & vna stessa chimera. E' principij Mathematici sono essi ancora quasi da questa medesima natura imperò hanno bisogno di più tempo & di più scienze & sensationi & perfettione della virtu conosciuta che assolidarsi bene in noi non che dalle sensationi particulari si cauino quasi come per indutione questi principij come che noi sappiamo che ogni tutto è maggior della parte, perche noi habbiamo visto questo & quel tutto, &c. Et esser maggiore della parte che questo è falcissimo & ciascuno in se stesso lo conosce senza alcuna verità conoscendosi che questa è vna mera cognitione intellettuale ma le sensationi & esercitationi de sesi aiutono à fortificare la nostra virtù conoscitiua & cosi & non punto altrimenti aiutono alla cognitione di questi principij ma che la cognitione di questi supponga più perfetta natura che la cognitione de principij rationali è manifesto da questo che molto più tardi si vedranno esser capaci e' fanciulli di questi che di quelli. Ma e' principij naturali sono di natura molto diuersa da questi dico hora de principij della cognitione, & non de pricipij della cose da e' quali si debbe cominciare nelle scienze & non da quelli delle cose come ottimamente si vede ordinate nelle Mathematiche. Ma perche voi intendiate meglio quel che sono e' principij naturali secondo che noi intendiamo di presente, vi dico che sono tutte le cognitioni vniuersali che voi hauete dal senso immediate come certe indubitabili, & qneste tali cognitioni si acquistano con frequēti atti perche vna sola sensatione non potra certificare della intera & cosi non farà l'vniuersale come dal vedere che vn cane sia così fatto non si cauerà la cognitione vniuersale che e' cani sieno cosi fatti, ma di più ne anche vna sola sensatione causerà sicura certezza circa di quello objetto perche il senso nostro si può ingannare in tante maniere, che non è sicuro in vna sola sensatione fondare la sua certezza hauendo di più anche la cognitione del senso oltte all'altre imperfetioni che ricerca seco di necessità l'aiuto della memoria doue nelle cognitioni ò discorsi intellettuali non si ricerca la memoria dico quanto alla certezza de principij ma solo in quanto che egli è necessario ricordarsi de concetti: haranno adunque e' principij naturali in tre maniere ò circa de subjetti & eterni indiuiduali come Sole, Luna, &c. O' circa delle spetie ò circa de subjetti communi per dirgli cosi per hora come l'acqua, la terra, &c. Possonsi anche questi principij intendere & vniuersali cioè accettabili da ciascuno & proprij & particulari cioè rispetto à questo & à quello. Quelli adunque che saranno circa di vno indiui duo & lerno saranno più facili da essere acquistati & vi si ricercheranno manco sensationi & osseruationi, & ma quelli che saranno circa delle spetie saranno & più difficili & che ricercheranno più sensationi & osseruationi quelle poi che saranno circa de subjetti comuni si haranno mezzanamente & all'hora che vno con le debite sensationi & osseruationi sarà venuto alla certezza d'vna propositione detta, si dirà che qnesto tale habbia vn principio naturale, ma se questo medesimo occorrerà che sia vniuersalmente noto come che il Sole si colchi ogni sera, che l'aria sia più fredda il verno che la state, che e' cani abbaino & simil cose, si dirà che questo tale habbia vn principio naturale comune ma se questa tal cognitione sarà in lui solo ò in pochi come auuiene della scienza & cognitione di molte cose rare all'hora si dirà che questo tale habbia vn principio naturale ò proprio ò particulare? Hor da questo voi possete conoscere quanta difficultà & quanta imperfetione habbia la cognitione sensitiua in ordine alla debita certezza scientifica. Ma perche come habbiamo già detto la scienza è discorso naturale ha sempre mescolato seco la cognitione rationale viene quasi aiutata da quella, perche noi habbiamo questo mescolamento non solo nel discorso stesso ma anche in molti principij come verbi gratia in questo ogni graue và al centro il quale è de più certi principij natutali che noi possiamo hauere, & tal certezza procede dalla rationalità che si nasconde in esso, sen oi vorremo ben considerare & il medesimo trouerremo accadere in molti altri simili & saranno tutti quelli che noi giudicheremo & più immediati & più certi.

Ma in che modo sta nascosta la rationalità in questo principio. L.

Vedete quando voi dite ogni graue và alcentro ò allo in giù voi non dite meramente altro che la diffinitione nominale cioè la dichiaratione del nome di esso nome perche alla cosa che và per sua natura allo in giù in quanto tale noi gli habbiamo poste nome graue, di maniera che quel principio non è se non vn'assegnare la dichiaratione del suo nome che in verità tutto è à placito & però ha questo principio la certezza che ha & non rispetto alla naturalità che egli con tenghi in se & auuertite acciò non vi confondiate che principio naturale vero sarebbe dicendosi verbi gratia la terra và allo in giù la pietra il piumbo perche ma come voi dite del graue assolutamente si vieme à dire vna dichiaratione d'vn nome naturale & non vn principio veramente naturale ma solo naturale in quanto che contiene termini naturali. M.

Voi dite benissimo ma perche sarà Logicale questo principio essendo la Logica vna cosa astrattissima. L.

Perche il logico considera anche quali & di qual natuta sono le premisse immediate & certe inquanto tali tra le quali sotto vna regola vniuersale caggiono anche queste tali, & potrebbe anche dire che questi principij tali hauessino più tosto del Grammaticale ma io intendo che la Logica largamente si mescholi molto con la M.

Grammatica ma nondimeno come diffinitione ò perfetta ò imperfetta si può anche dire che questi sieno ò si riduchino à principij logicali.

L. Ho caro che mi habbiate aperto in questo l'intelletto che in vero mi par che dal mancamento di queste considerationi ne segua non piccola confusione & inconuenienti; Ma ditemi di gratia e' principij naturali quando sono acquistati con le debite circonstantie si come voi hauete già detto, non sono eglino certissimi ? & per conseguenza atti à causare cossi perfetta scienza come alcuna dell'altre.

M. In vero non si può dire che non sieno certi perche chi dicessi di non esser certo che'l fuoco è caldo , & che il sole luce certo si direbbe che manca si grandemente di giuditio nondimeno io distinguo tra certezza & certezza, & non dubito punto che la certezza intellettuale è più perfetta che la certezza sensitiua per le ragioni già largamente dette: anzi dice di più che elle sono di distinte spetie di certezza perche la certezza intellettuale è assoluta & talmente esclude ogni dubbio ò difficultà che è impossibile che huomo alcuno ne anche con la estrinseca gli contradica ma la certezza sensata non è cossi, anzi veggiamo molti & di molta autorità hauer negato quello che è più certo & più noto di tutte l'altre scienze sensate cioè il moto la qual positione & negatione che vogliamo dire se bene veramente è da pazzi nondimeno pur trouuò & chi la tenne & chi la seguitò doue mai potrà interuenire questo delle intellettuali. Vedesi anche che due cose si oppongono à queste cognitioni sensate l'vna che il senso si può ingannare come si mostra con esempli efficacissimi l'altra poi è l'appello alla ragione fondata nello intelletto perche questi tali si muouon à mostrar poi tale inganno con le ragioni fondate nello intelletto come già disopra nel nostro ragionamento habbiamo diffusamentre trattato ; & da questo se bene (come si puo negare) pazzamente tenuto se ne cauan pure di buono questi auuertimeti che noi habbiamo detto & quãto più nobile si stimata la cognitione dello intelletto ma noi ci siamo tanto diuertiti dal nostro proposito che dubito stenteremo à rientrare nel sentiero & riëtrati anche non sò come io mi trouuerrò in ceruello.

L. Non dubitate che questi sono spropositi che aiutano & non confondono l'intelletto se bene lo tengono al quanto sospeso di che io non mi curo molto perche non sempre poi viene l'occasione di discorrere sopra di simil cose & quanto al ritornare al proposito in due parole vi sbrigherò io di tal peso. Voi mi douete rispondere alle objettioni che io vi feci contro al fondamento vostro dell'antiparistasi , & ve le replicherò breuemente se non ve ne ricordate bene.

M. Nò , no , non occorre vedete nella risposta che io ho preso il tutto & me ne ricordo & se in quella io mancassi sarete sempre à tempo à supplir voi con il dimandare. In somma voi dubitate in prima molto che l'antiparistasi non sia mera apparenza & poi dato che ella sia talmente dita che si può molto ben saluare altrimenti che con la migratione detta delle qualità in vero che mi pare che voi dubitiate di maniera contro mi che non si possa dire che voi mi aduliate punto ma quanto peggio mi fate, più grata cosa mi fate & vene ho più obligo. Dico in prima adunque quanto allo Antiparistasi che ella sia ò non sia realmente che quanto à gli esempli che voi hauete allegati può molto bene stare l'oppinion vostra; & notate à questo proposito che frequentissimamente è causa di farci ingannare il considerare le eccetioni circa vna regola ò verità & non debitamente la cosa stessa che per ciò tenghiamo spesso per falso molte cose verissime come per addurre certi esempli grossi da' quali per essere più conoscibili si potrà meglio giudicare circa de gli altri, molti perche haranno visto scongiurare molte reputate spiritate & poi riescono altro concludono poi tra loro che la cosa delle spiritate sieno baie & che non sene troui, come ancora frequentamente si conclude che la trasmutatione ò archimia sia falsa perche hanno visto riuscire vane di molte operationi & con simile ordine occorrono di molte decetioni simile alle quali è hora questa vostra.

L. Ditemi di gratia tenete voi che l'Archimia sia vera perche mi pare che secondo il modo del parlare fatto hora da voi che voi l'affermiate.

L. Io quanto à me credo che ella non sia vera ma auuertite che è differenza tra il credere così & l'asserire per certo così quelli tali non solo credono che ella sia falsa ma argomentono come da argomento certo nel modo detto che ella sia falsa & in questo si ingannano, si come se la crederanno falsa ma non che lo tenghino certo la intenderanno secondo me molto ragioneuolmente.

M. Quante dimande mi hãno suscitate queste poche parole & quanto desiderio ma per conoscer hora la cosa troppo fuori non solo di proposito ma anche di tempo non vien pero più per hora con esso con promessa però da voi che altra volta mi satisfacciate in ciò pienamente che in vero la conosco vna materia tanto bella, & tanto desiderabile di esaminarla che forse nessuna altra di questa professione se gli paragona à gran pezzo.

L. Mi ingegnerò anche in questo satisfarui come dite à miglior tempo per quanto si estenderanno le forze mie & con non minor piacere dal canto mio che dal canto vostro che in questo è tanto bel subjetto da discorrerui sopra che non l'hauete anche lodato à gran pezza quanto merita. Dico adunque seguitando che oltre à gli esempli che hauete addotti cene sono de gli altri ne quali nõ cade dubitatione & di questi mi basterà adduruene per hora di tre maniere , la prima sarà che noi veggiamo chiaramente che di state quando rinfresca di fuori in quel principio & per qualche spatio si sente manifestamente riscaldare nelle stanze & questo non si può dire che sia mutatione apparente & non reale ma per comparatione perche quelli che stanno fermi nelle stanze senza sentir quella mutatione & comparatione la conoscono benissimo onde nõ si può negar da

questo

queſto l'antipariſtaſi. Come ne anche ſi può negare da queſto che noi veggiamo che quanto vna caldaia ò paiuolo bolle ſoſpeſo dal fuoco cioè che il fuoco gli batte nel fondo che per qualche ſpatio leuandolo & taſtandolo nel fondo ſi troua in tal parte poco caldo il che non può ſimilmente auuenire ſe non per l'antipariſtaſi. Vltimamente vi adduco l'eſemplo della generatione della grandine la quale generandoſi in ſtagione quanto l'aria è ſenza dubbio non poco men fredda che il verno non ſi può dire che ſi generi immediate dal freddo poi che il freddo dell'aria del verno non è ne anche baſtante à far tale effetto ma ſolo à generare la neue ſarebbeci ancora da addurre molti altri eſempli ma perche io sò che voi ſiate perſona corteſe & ragioneuole ſpero che vi contenterete di queſti, che ſtate? voi non riſpondete?

L. A' dirui il vero audaua penſando ſe io poteuo opporui coſa alcuna ma non mi ſouuenendo ſe non coſe leggeriſſime par neceſſità vſerò con voi queſte volta la modeſtia che voi mi attribuite; dico quanto alla prima parte cioè di acquetarmi che l'antipariſtaſi ſia realmente ma che da queſto poi ne ſegua la migratione delle qualità di che ſi parla io ſono ancora intentiſſimo nel mio primo propoſito.

M. Se bene io vi veggo molto efficace & ſeuero nel dubitare, vi veggo poi anche tanto vbbidiente alle ragioni che non mi diffido con voi di qualunche ardua impreſa purche accompagnata dalla ragione & verità.

L. Si come voi dite che chi vuol ſeguitare Ariſtot. non ſi debba fondare punto nell'autorità ma totalmente in ſu la ragione & certezza della coſa così volendo io bene obſeruare e' voſtri auuertimenti non debbo punto quietarmi à quello che voi dite ſe prima non me lo harete ſufficientemẽte prouato, ò fattomene capace come io non ſon punto per ancora di quello che hora ſi tratta perche quanto all'eſemplo dell'aria in prima dico che queſto ſarà che ci riſcaldino le ſtanze come dite in quel caſo perche le parti più ſottili all'hora rifuggendo il loro contrario come le più calde abbandonino l'altre parti coſi che elle riſcaldino più quel luogo doue elle rifuggono, & coſi dirò che quel caldo non paſſi da ſe ſteſſo ne muti ſubjetto ma paſſi con il ſuo ſteſſo ſubjetto che ſaraño quelli vapori ſottili ò eſalationi che vogliamo dire quanto alla coſa della caldaia dico che le parti più calde vanno più allo in sù, & che coſi non ſia gran fatto ma neceſſario che quelle inferiori reſtino più fredde ò men calde & che però in queſto eſemplo non ſolo non ſia neceſſaria la conſequenza ma ne anche forſe porre la antipariſtaſi? Quanto poi alla generatione della grandine.

M. Non più oltre per hora M. Lorenzo andiamo à poco à poco per intenderci meglio, torniamo allo eſemplo allegato dell'aria, voi dite che quel caldo che ſi multiplica la ſtate nelle ſtanze nel modo detto è perche le parti ſottili rifuggono in eſſe, & non la ſemplice caldità. Vedete di gratia quanto è facile l'ingannarſi & quãto ſpeſſo occorra il farlo perche ſi piglino certe propoſitioni coſi apparenti vere ſenza eſaminarle; Ditemi di gratia quali tenete voi le parti più ſottili in queſto caſo che noi diciamo?

Ditò che ſieno le eſalationi calde & ſecche perche queſte io le reputo più ſottili ſenza dubbio che le coſe calde & humide. L.

Sta bene queſto ma che ne dite voi in comparatione dell'aria. M.

Credo che elle ſieno più ſottili che l'aria perche ſi vede che elle aſcendono molto leggiermente. L.

Queſta non è buona regione perche ſi vede che anche le humide aſcendono le quali ſenza dubbio ſono più groſſe dall'aria ma ſe voi volete vedere manifeſtamente che voi ſiete in errore tenendo che queſte eſalationi ſecche che ſi ſtanno meſcolate nell'aria ſieno più ſottili dell'aria andate à certi eſtremi che ſono più ſenſati & vedete che per la molta multiplicatione di tali vapori ſi genererà vna coſa molta groſſa riſpetto all'aria doue per la multiplicatione dell'aria non ſi genererà tal groſſezza come ſi vede quando il vento perquote nelle fineſtre aperte d'vna ſtanza che all'hora ſenza dubbio tale ſtanza ſi empie d'aria quanto ſi può & per tal ragione quando ella non ha riuſcita da altra parte non vi entra il vento ſe bene ſtarà tal fineſtra oppoſta al vento aperta cioè perche eſſendo el vento aria moſſa come comunemente & veramente ſi tiene come tale ſtanza è ben ripiema di aria & che ella vi è ottimamente conſtipata non ve ne può entrare più & però non vi può entrare in tal caſo il vento & nondimeno noi non veggiamo multiplicare groſſezza dell'aria ſenſibile in eſſa ſtanza doue che s'ella ſi impieſſi di vapori che dite quanto ella poteſſi ò ſecondo il medeſino grado ſenza dubbio ſi vederebbe cauſarſi vna groſſezza notabile quali come veggiamo auuenire quando ſi ſtillono l'acque forti & ſimil coſe che quelli vapori che ſono fra queſte tale ſottiliſſimi fanno ne vaſo che riceue vna denſita grandiſſima onde ſi vede che ragioneuolmente non ſi debbe dire che queſti ſieno più ſottili che l'aria ma il contrario. M.

Noi veggiamo pure che la ſaetta che non è altro che vna eſalatione tale paſſa di ſottilità l'aria & ogni corpo che noi conoſciamo perche penetra ogni denſo corpo & doue non ha molta reſiſtenza gli laſcia intatti & di quelli che l'aria non è baſtante à penetrarli come vn legno vn corame & ſimili. Veggiamo ancora che il fummo dell'acqua vite quando ſi ſtilla penetra la carta non ſolo bambagina ma pecorina ancora il che ſi vede che non fa mai l'aria donde ſi debbono pure refutare queſti tali vapori più ſottili dell'aria. L.

Auuertite prima che quanto alla ſaetta voi dite all'hora d'vn vapore affocato ma noi parlauaro di quelli quando & come ſtanno meſcolati nell'aria & però quando anche in tal caſo fuſſi vero quello che voi dite non per ciò ſeguirebbe nello eſemplo di che ſi tratta, quanto poi allo eſemplo dello ſpirito ò vapore dell'acqua vite che paſſi la carta queſto non proua niente per che voi vedete che M.

anche il fumo ò vapore dell'acqua passerà la carta bambagina & la pecorina ancora benche con molta più difficultà & pur voi stesso & ciascuno concederà che questi sono più grossi che l'aria ma anzi di più l'acqua propria in sua sustanza non penetra ella & l'vna & l'altra di queste carte & molto più l'olio & nondimeno chi dirà che nessuna di queste cose si agguagli di sottigliezza all'aria? & da queste anche si puo dire molto bene che ne anche la saetta si possa dire ne sia più sottile che l'aria se bene rispetto à quel moto & caldezza vehemente fa tali penetrationi più che l'aria perche veggiamo chiaramente come si è detto che queste penetrationi non arguiscono maggior sottigliezza & veramente è da dire che l'aria è il più sottil corpo che sia in natura perche de corpi semplici non è dubbio alcuno supponendo per hora che almeno quaggiù noi non habbiamo il vero fuoco ma vna certa cosa così fatta & se questo è essendo tutti i corpi misti, composti di corpi più grossi che l'aria bisogna che essi anche sieno più grossi di essa aria, & è da auuertire che la sottigliezza dell'aria è molto maggiore che ella non ci pare perche noi non consideriamo l'aria se non molto mescolata & ingrossata da vapori & all'hora la giudichiamo purissima quando ve ne sono molti ma manco del solito come à certi tempi freddi & asciutti & pure ci pare vna cosa molto sottile & mirabile; pensate quanto ell'è poi nella sua purità perfetta (ò se tale non si da) prossima à quella ond'io non ostante l'esemplo della saetta ancora tengo certo che l'aria sia il più sottil corpo che noi conosciamo, quanto poi alla penetratione della saetta & altre allegate come si facciano & perche & non dell'aria non ostante la maggior sottilità di essa aria voglio vi contentiate che si riserbi à altro tempo perche per hora non è necessario punto entrare in questo bastando al nostro proposito che si sia prouato che quando le stanze si riscaldono la state dalla antiparistasi se fussi per la fuga in esse del più sottil corpo douerrebbe essere per la fuga & ricoueratione dell'aria in esse & non de vapori che voi diceui.

L. In vero io non so che risponderui à questo ma non importa molto al nostro proposito perche ò più sottile che sieno ò più grossi che l'aria basta che sieno la parte più calda la quale è quella che io dico che rifugge nelle stanze come fuggente il freddo suo contrario.

M. Noi andiamo à poco à poco riducendosi alle cose ragioneuoli, ditemi di gratia questi vapori che voi volete che in tal caso si fugghino per le stanze intendete voi de gli humidi ò de secchi.

L. Dirò di tutti in quanto caldi.

M. Auuertite che se voi intendessi de secchi cioè della esalatione che questi quasi sempre portano con loro odore fastidioso & altre molestie & si sentirebbono molto notabilmente come si vede che si fanno sentire in certe cauerne doue veramente si rifuggono insino con la morte de gli animali, & nel casoche noi diciamo se ne sentirebbe qualche effetto perche occorre frequentissimamente & anche per che si fa in tali casi non poca multiplicatione di caldo, & per conseguenza di tali esalationi secondo voi. Il vapore humido non si debbe dire che sia perche senza dubbio si sentirebbe in tali casi sensibilmente inhumidire le stanze, ma che non possino essere ne questi ne quelli si vede manifestamente da questo, che tenendosi le finestre ben serrate in questi tempi cioè con impannate ò inuetriate ò simili ripari non però molto grossi & che non possino esser penetrati dalla qualità ne con molto tempo e difficultà ne più ne nemo si riscaldono & più che se si stessi con le finestre aperte il che manifesta chiaramente che bisogni che questo venga per la qualità mera & non per che alcuno corpo all'hora si ricoueri con essa nelle stanze.

L. Ma poco fa si è detto che questi vapori penetrano la carta che è densissima perche non si potrà dire che anche penetrino quelle finestre che voi dite ancorche sieno serrate.

M. Grandissima differenza è tra l'vn caso & l'altro perche quando questi vapori penetrano la carta hanno il fuoco sotto che di nuouo ne genera de nuoui & caccino gli altri con vehemenza & gli mantengono in vno stato di grandissimo grado di caldezza in atto & poi passano chiusi ò serrati per vn determinato condotto ò canale delle qual cose nessuna se ne truoua nel caso che noi diciamo & però non possono in quel caso penetrare la carta se non appiccandosi in essa & bagnandola & passandola così in sustanza d'acqua come veggiamo che quando il vento batte in vna di queste finestre ancora che l'aria sia molto vaporosa non per questo penetrono detti vapori perche accioche penetrino nel modo detto si cercono di molte conditioni che tutti si cauano dalla sperienza & osseruatione, oltre à di questo è da sapere che non sempre si debbe dire che questi vapori che si trouono nell'aria sieno più caldi di quello che si sia essa aria, perche e' vapori si trouono nell'aria in due modi cioè ò vero in quanto generati ascendono & all'hora veramente sono in maggior grado di caldezza che l'aria, ò vero si trouono mescolati & vniti con detta aria & in lor quiete, nel primo caso si vede per quanto si può che non si vniscono con l'aria ma sene vanno ascendendo conseruando vna certa lor figura quasi à imitatione del fuoco come veggiamo più chiaramente nel fummo & poi di mano in mano ne gli altri vapori più sottili (se bene non tanto) per quanto noi gli possiamo scorgere. Quegli che si stanno quieti nell'aria non sono come si è detto più caldi di essa anzi sostentati dalla caldezza dell'aria & riscaldati ò da essa, ò da chi riscalda l'aria, perche è da sapere che se bene il vapore nel suo principio è caldo & in quanto vapore è sempre caldo, non può però senza altro aiuto che soprauenga di poi conseruare la caldezza ma da se stesso tosto si raffredderebbe & caderebbe quegli adunque che si conseruano così mescolati nell'aria hanno vna comune causa & natura

quanto

quanto alla caldezza con l'aria ne questi si debbono dire più caldi in modo alcuno rispetto all'aria, & questi sono quelli che sempre si truouono nell'aria & in molta più quantità & non è sempre necessario che in ogni luogo si trouino di quello che ascendano essendo adunque frequentissimo quello effetto della antiparistasi detta, & in ogni luogo se si douessi attribuire alla fuga de vapori molto più verisimilmente anzi quasi necessariamente si douerrebbe attribuire per le ragioni dette à e' vapori mescolati, & non à e' vapori ascendenti ma di questi non è più ragione alcuna che egli debbino più rifuggire il fredo che la stessa aria, ne dell'aria & di tutto quel corpo più vna parte che vn'altra essendo tutta homogeña questa in quanto all'esser calda resta adunque che volendo parlare con qualche ragione non si possa dire altro se non che la caldezza mera sia quella che all'hora faccia tale effetto congiugnendo massime tutto il mio ragionamento insieme.

L. Parmi in vero che come voi dite tutte queste ragioni insieme stringono & muouino molto, pure quello argomento da me addotto mi pare tanto gagliardo che quanto à questo esemplo non mi posso interamente quietare insino ch'io non sarò capace della solutione di detto argomento però seguitiamo circa à gli altri esempli che forse potrebbono aiutarsi l'vn l'altro.

M. Seguitando hor dunque circa l'esemplo della caldaia, al quale voi opponete che non per altra causa possa auuenire che il fondo resti più freddo quando ella bolle ò è molto scaldata se non perche le parti calde vanno in se & così il fondo resta più freddo del resto, dico in prima come poco fa anche vi dissi che quando occorrono certe ragioni che haño vna certa apparenza si debbe innanzi chel' huomo si fondi in quelle guardare prima meglio che fondamento ell'hanno, & massime doue si procede per questi termini comuni come parti sottili materia, forma, atto, potenza & simili perche in tali casi occorre molto spesso che par che si dica qualche bella cosa & dotta, & non si dice niente però non bisogna lasciarsi ingannare da questi suoni & apparenze. Douete adunque innanzi che fondarui in questa vostra positione considerare prima quali possono essere queste parti sottili & in che modo separarsi dal fondo & lasciarlo freddo.

L. Per dirui il vero poi che io ho intesa la solutione che hauete data à questa altra mia objettione la quale mi pareua che fussi quasi dimonstratione & fondatissima, & nondimeno ho visto quanto ella resta in aria, & quanto bisogna considerare queste cose più à detro & à quanto più sensati & certi principij bisogna ridurle: vi dico certo che ho da me stesso cominciato à satisfarmi pochissimo di questa presente objettione perche in vero dall'esamina fatta dianzi io conosco che questa è più fondata nel suono delle parole che in altro perche certo se io volessi venire all'essegnare come voi mi dite il modo non saprei che mi dire ne ci haueuo pensato punto parendomi per dire il vero hauer detto vna bella cosa, nondimeno poi che io l'ho messa in campo harò caro che voi me la esaminiate & soluiate meglio almeno perche io impari per vn'altra volta & per vn'altra simile occasione.

M. In prima voi incorrete in questo inconueniente di non considerare quel che voi dite quanto assegnate nell'acqua le parti sottili come contradistinte alle grosse perche ò voi considerate l'acqua come pura ò voi la considerate come mista: se come pura ell'è homogenea & è vanità l'assegnare in essa questa diuersità di parti sottili & grosse, se come mista le parti sottili di essa non saraño non l'acqua & essa perche le grosse non saraño altro che la parte terrea mescolata con essa acqua.

L. Io potrei à questo risponderui in più modi perche potrei dirui che tale effetto di che si parla venissi per questa mistione delle parti grosse che voi dite le quali restando in fondo, & andando in sule parti sottili & più calde, ne seguissi quello effetto di restare il fondo più freddo. Et potrei dirui ancora che l'aria possa esser molto ben mista, & hauer le sue parti sottili distinte dall'altre & non esser per mistione della terra ma esser per mistione dell'aria & così che le parti aeree fussino le sottili & la aqua le grosse, mà in vero la intention mia non andaua ad alcuna di queste cose ma à questo si bene che sarà la terza risposta cioè che nello scaldarsi l'acqua si vengono à generare da essa le parti sottili che sono è vapori è quali sono la più calda parte, & non è dubbio che per lor natura ascendono & così che in tal modo si faccia l'effetto che si dice, & questa vltima è quella che per dirla mi muoue più che l'altre.

M. Parmi che quasi non volendo voi habbiate assegnato sottilmente & acconciamente quel modo di questo effetto elquale poco dianzi voi diceui che non haresti saputo assegnare, di modo che io dubiterò che voi non vogliate la burla dime anche nell'altre cose & le intendiate meglio che non fo io.

L. Vi dirò la mera verità sappiate che questo modo che io ho hora assegnato mi è occorso in questo ragionamento & più presto che altro me l'ha eccitato el modo che io veggo che voi tenete nel considerare & esaminare queste materie perche à confessarui di nuouo il vero à me pareua prima hauer detta vna bella cosa senza considerare punto più oltre.

M. Oh à quanti auuiene quel che voi dite: hor sia come si voglia io non mancherò di replicare per quanto io saprò à tutto quello che voi hauete hora proposto & più volentieri à quello che ha apparenza più reale & più sottile: Quanto adunque alla vostra prima risposta (per ch'io reputo ottimamente fatto il rispondere à tutte ancorche nelle prime voi non facciate molto fondamento perche forse velo fanno de gli altri) Dico che se voi considererete bene l'esser l'acqua mescolata con parti terree non può punto

esser causa dello effetto che noi diciamo perche non è dubbio che la materia di parti grosse ancor che per se stessa fussi di natura più fredda & atta à pigliar maggiore impressione di calore & à conseruarlo ancora di modo che ò questa tal parte grossa nel caso che noi diciamo resterà infondo, ò non se non resterà ma si confonderà, ò si conseruerà secondo quel primo mescolamento senza dubbio non potrà causare che il fondo sia più ò manco freddo ò caldo ma se sarà la residenza in fondo all'hora senza dubbio douerrà causare che il fondo riceua maggiore impressione di calore & lo conserui più, & se bene si potessi dire che più tardi vi si imprimerebbe questo non potrebbe essere se non per breuissimo spatio ma noi veggiamo che quello effetto della freddezza del fondo seguita assai più spatio che non potrebbe esser questo massime che noi supponghiamo che queste parti terree non sieno tante ne tali che habbino à far residenza solida, ma che l'acqua resti nella sua flussobilità perche si vede cosi à ogni hora in tale effetto anzi douerrebbono scaldarsi prima quelle tali parti grosse & più per esser quelle doue immediate perquote il fuoco & le quali scaldate, debbono scaldare le altre onde è manifesto che la mistione della parte terrea non può fare tale effetto nell'acqua.

L. Io à questo acconsento volentierissimo & ci harei acconsentito anche prima ma si bene hora con più fondamento.

M. Quanto alla mistione delle parti aëree questa senza dubbio è vna oppinione totalmente aërea & non ha fondamento alcuno perche in prima si suppone quel che non è ne può essere & poi dato che egli fussi non ne seguirebbe punto l'intentione: dico adunque quanto alla prima parte che voi non trouerrete mai che l'aria si possa mescolare con l'acqua in modo alcuno stando l'acqua in sua natura.

L. Questo m'è nuouo & contro alla comune.

M. Questi sono di quelli principij che si hanno à cauare dal senso ditemi di gratia come sapete voi che'l fuoco scaldi.

L. Quel che voi dite, chi non lo sente?

M. Come sapete voi che il sole luce.

L. Per ch'io non son cieco.

M. Come sapete voi che l'acqua & la terra vanno allo in giù & son graui.

L. Se l'acqua non fussi cosi io non mi bagnerei quando pioue, perche non pioueerebbe in quaggiù, & della terra io mene accorgo quando io ho à muouerla, ò trasportarla di luogo à luogo.

M. Hor dunque come conoscete voi che l'aria si mescoli con l'acqua.

L. Ditemi vn poco voi M. Matteo come conoscete che il cielo sia & che egli si muoua come cognoscete che il sole sia più alto che la luna, & che egli sia maggiore che la terra & simili altre cose?

M. Tutte queste cose che io non conosco per senso le conosco da principij sensati per discorsi cioè perche da vna cosa sensata che io conosco sensatamente ne segue poi queste cose (che io non veggo) di necessità ma io non vi addurrò mai principio alcuno della cognitione che non sia sensato.

L. Voi mi hauete sconquassato tutto il mio fondamento di questa mia oppinione pure mi pare che ancora si possa puntellare perche anch'io potrò conoscere questo mescolamento dell'aria con l'acqua da qualche cosa sensata, & certa, ditemi non è certo che e' composti si generano di quattro elementi cioè e' misti perfetti? Se adunque e' misti si generano di quattro elementi, non ne segue di necessità, che questi elementi si mescolino insieme adunque bisogna dire che l'aria non che con l'acqua ma anche si mescoli con la terra il che pare & è molto più remoto & più difficile.

M. E' pur gran cosa quanto in noi possono quelle oppinioni che ci si imprimono à poco à poco da principio nella mente mediante vna certa autorità senza contraditione, & può tanto in noi questa tale insinuatione che noi la equipariamo alla certezza senzata & forse alla intellettuale ne ci è altra differenza se non che questo tale habito per semplice insinuatione si può pure benche difficilmente rimuouere & mutare, ma l'habito acquistato per senso & tanto più per l'intelletto è immutabile dico durante tal'habito perche anche di questi ne possono esser molti scancellati dal difetto della memoria. Ditemi di gratia come sapete voi che tutti à quattro gli Elementi concorrino di necessità alla generatione del misto perfetto ma quando anche questo fussi (perche io non intendo hora di stendermi in questa materia) come potete voi arguire con certezza da ciò che l'acqua & l'aria cosi semplicemente si possino mescolare insieme? massime veggendo il contrario con la sensata sperienza perche mai per alcuna diligenza che ci vsiate potrete fare che considerandosi con qualche moto ò altrimenti l'aria sotto all'acqua ella non voglia subito venirsene à galla questo dico è secondo l'apparenza perche l'aria di sua natura non è graue ne leggieri ne si muouerebbe di luogo alcuno come veggiamo ma solo si muoue l'aria ò per violenza ò se da se stessa non per altro che per riempire il vacuo, è adunque secondo la verità quel venire à galla dell'aria che l'acqua và essa allo in giù & caccia l'aria del luogo più basso la quale facilmente gli cede si come fa ne più ne meno l'acqua mettendosi vna pietra cho gli cede & vassene disopra & questo tale effetto che l'aria venga à galla nel caso che si dice si vede à ogni hora; come potete voi adunque arguire questo mescolamento di questi duo elementi dalla perfetta mistione nella quale concorre oltre alla natura Elementare vna particular virtù dell'agente alla quale si può attribuire molte cose, ma quanto alla generatione de misti io non sò che nessuno habbia mai visto concorrerui ne l'aria ne il fuoco, de qual fuoco con migliore occasione vi mostrerrò sensamente quanto & quanto l'oppinione comune sia fuor d'ogni ragione & verisimile.

L. Voi ma accendete di desiderio con il toccarmi

carmi certi passi tanto à me nuoui che mi paiono strani & marauigliosi perch'io non credeuo che del fuoco si potessi interderne punto altrimenti che come io veggo intenderne à ciascuno pure io conosco che in vna volta non si può parlare d'ogni cosa, ma quanto alla mistione de perfetti che vi corrino tutti j quattro Elementi io la teneuo per cosa indubitabile però non haueuo pensato più oltre à rispondere alle objettioni ò chi l'hauessi negata ma nondimeno mi occorre bene à confermatione di essa dire che ella si mostra anche da vno effetto sensato perche nella resolutione di questi misti si vede che e' si risoluono ne' quattro Elementi.

M. Ma doue hauete voi visto risoluerli nel fuoco & nell'aria.

L. Oh quel calor de gli animali non si può dire che sia il fuoco & gli spiriti che si risoluono che sono altro che l'aria.

M. Vedete di gratia quel che voi dite se quel calore è il fuoco adunque il fuoco sarà qualita & non sustanza adunque non Elemento, & di più si trouerrà il fuoco in grado rimesso dico formalmente fuoco perche non vale il rifuggire al mescolamento cioè che egli per la mistione stia in grado rimesso perche noi parliamo nella separatione & nella resolutione del composto & que gli spiriti in che modo dite che sono aria se tutti j vapori (che di tali sono gli spiriti) non si leuano se non da corpo, ò aqueo, ò terreo ma senza farui objettione alcuna, che certezza hauete voi che quel calore sia fuoco & che quegli spiriti siano aria, & se questi debbono esser principij donde voi cauate quell'altre notitie & conclusioni di tanta importanza & fondamento di tanta machina debbono esser certissimi & notissimi & non tanto confusi & incerti anzi infettati & conquassati tutti da instanze ineuitabili: ma che direte voi di più delle pietre, de metalli & simili doue non si vede apparenza alcuna ne di aria ne di fuoco se non secondo vna mera imaginatione chimerica?

L. Io resto tutto confuso veggendo da vna parte vna openione che io reputauo tanto certa che è necessario douessi venire in consideratione di impugnarla, & dall'altra tante & si forte ragioni che io non veggo come poter fare à non cedere loro.

M. Molte altre, & più sottili, & più forti ve ne potrei addurre à questo proposito ma per hora io giudico questa sufficientissima per escludere che la mistione dell'aria con l'acqua non possa causare quello effetto di che noi parliamo massime che data anche tal mistione non ne potrebbe seguire come già dissi quello effetto, & questo per le medesime ragioni gia ditte cioè perche in ogni modo la parte inferiore doue di ragione sarebbe la parte mãco aërea & più aquea douerrebbe & riceuere & conseruare più il calore & altri assurdi ancora ne seguiterebbe che da quel che si è scoperto insino à hora si possono assai bene andar considerando.

L. Non vi distendete più in questo perche oltre che dalle ragioni io resto chiarissimo della vanità di questa oppinione da me proposta io ci ne faceuo anche prima poco fondamento, ma quel che è peggio mi par da questi ragionamenti che noi habbiamo fatti che tutte le oppinioni che io haueuo circa di queste materie mi si mettino in compromesso, & comincio quasi à disfidarmi di poter più esser certo di cosa alcuna poi che quelle che io reputauo tra le certissime patiscono tante & tali objettioni.

M. Non voglio che parliate così M. Lorenzo perche da vno estremo vitioso cioè dal fondarui nell'autorità senza sensata certezza cascheresti nell'altro estremo vitiosissimo cioè del negare la scienza perche negando la certezza de principij negheresti senza dubbio la scienza oltre che non si può dire la più inetta cosa che negare la certezza del senzo ma quali & in quali maniere debbino essere queste certezze per esse conuenienti principij della scienza naturale ne habbiamo di già parlato à bastanza però poiche circa à questi due esempli di già esaminati non ci resta hormai che dire cosa di momento seguitate animosamente à dire circa al terzo della generatione della grandine quello che ve ne occorre.

L. Poiche io ho messo mano voglio pur finire di satisfarmi interamente quanto à questo innanzi che io entri in altro perche ancora ci resta quello che à me pare più reale & meglio, & questo è che io veramente credo che non per altro siá più freddo il paiuolo nel fondo nel caso di che si parla se non perche all'hora si generino le parti sottili nell'acqua cioè è vapori è quali essendo la parte più calda, & ascendendo sempre di necessità bisogna che lascino la più bassa più fredda si come la più alta bisogna che sia più calda & che questi vapori esalino così dalle parti basse alle alte ne fa fede il bollire che fa l'acqua in tal caso, il quale non procede da altro che da questo, non sò quelche voi potrete respondere?

M. Voi hauete inuero serbato il buon vino all'vltimo perche in vero quell'effetto del bollire da non poca apparenza à questa vostra oppinione, ò objettione.

L. Perche apparenza & non verità già mi pare che habbiate in ordine la risposta ò solutione che mi fate marauigliare.

M. Io non vi niego che nel caso che noi diciamo non si leuino e' vapori dalla parte bassa l'acqua, & che questo non sia la causa del bollire, ma auuertite à due cose l'vna che questa non può esser causa del raffreddare quell'acqua, l'altra che particolarmente non può essere causa di raffreddarla in quella parte.

L. Oh come che mi dite voi all'argomento?

M. Con vna cosa sola vi satisfò à tutto sarebbe vero M. Lorenzo che vna cosa si raffreddassi per la separatione de vapori da essa quando è vapori fussino causa di mante erla calda, come in parte si potrebbe dire verbi gratia della minestra quando viene in tauola

troppo

troppo calda, al che anche ci sarebbe qualche replica ma nel caso nostro si generano & eleuano e' vapori da quell'acqua perche ell'è calda, & riscaldata da vn'altro agente, & non lei è calda come ho detto per quelli vapori generati perche se ella non fussi atta à generare vapori, & conuertirsi in essi pur si riscalderebbe, & si conseruerebbe calda non punto meno, & tal calore douerrebbe immediate procedere dalla parte più bassa come quella nella quale immediate perquote il fuoco, & mediante la quale si scaldono poi l'altre parti, di modo che se bene da quella si separassino e' vapori nondimeno non per questo mai raffrederebbe punto stante l'atione dell'agente in essa anzi quanto più sene separassi & generassi tanto sarebbe più segno che ella fussi calda.

L. Conosco che è verissimo quel che voi dite ma non per questo si toglie che ella non debba restare men calda dell'a più alta poiche quella di sopra oltre alla impressione del calore che ella riceue se bene mediante la più bassa viene à contenere molta più quantità di spiriti perche in essa si riceuono quelli che si leuano dalla più bassa & quelli di più che si generano & eleuano di lei stessa.

M. Per molte cause non potrebbe esser questo che voi dite in prima se ci concede che l'acqua da basso è la prima riscaldata & & quella mediante la quale si riscalda poi l'altra, non può esser che l'altra in alcuno di questi modi che voi dite si riscaldi più di quella perche se bene quella di sopra à riscaldata come voi dite da e' vapori di quella di sotto douete considerare che di grandissima lunga è più caldo il fuoco che immediate perquote di sotto & che quelli vapori insieme con tutto il calore che si imprime in quella disopra sono vno effetto di quel calore che immediate s'imprime in quella disotto dalla fiamma, di modo che se fussi come voi dite ne seguirebbe che la cosa riscaldata riscaldassi più che il calefaciente immediato, essendo anche sustanza più tenue come son e' vapori il che è impossibile cosa cossi rispetto alla qualità dello agente come anche alla immediatione di esso perche propter quod vnũ quoq; tale & illud magis est come è notissimo. Ma di più sempre da tutte le parti dell'acqua sie leuono via tutti quelli vapori che sono in termine da eleuarsi & se disopra vi sono quelli che venghino di sotto oltre à quelli che vi si genereranõ si eleuano anche da quella parte & questi & quelli, anzi è da dire che la parte disopra resti più abbandonata di quelli che si generano da essa che quella disotto perche non hañno impedimento à esalare ma si bene quelli che disotto si generano, & se à quella di sopra sopraggiugni sempre nuoui vapori & à quella di sotto sopraggiugni pur sempre nuoua fiamma & calore atto à generare essi vapori & molto maggior de vapori stessi oltre che la contiguità dell'aria molto più fredda di tal'acqua con quella disopra, è da credere che in qualche parte la raffreddi, ma quando anche noi volessimo dire che la eleuatione de vapori dalla parte disotto douessi fare più calda la parte disopra non douerrebbe però far che quella disotto restassi si poca calda che si potessi touare la caldaia disotto con mano come si fa, come è manifesto da quelche si è detto. Ma ci è di più da considerare la confussione che fa l'acqua nel bollire il che solo confonde interamente tutto quello che voi hauete preposto perche confodandosi in tal'atto continuamente le parti basse con quelle disopra come si vede che non solo in tal caso fa l'acqua ma anche vn corpo più graue, & non liquido perche se sarà in fondo d'vn tal vaso ò cenere ò rena ò simil cosa, si vede che tutto si confonde & si sparge per tutto dimodo che dell'acqua vedete se ci resta dubbio si faccia il medesimo dico delle parti basse di essa, & essendo questo vedete anche quanto dato che tutto il resto che voi dite fussi verissimo, si potrebbe in modo alcuno per alcune di quelli cause conseruare il fondo vniformemente in quella maniera.

Certo che io no sò più che vi rispondere, ne come negarui cha tale effetto non proceda dalla antiparistasi, & anche perche la qualità si muoua lei contro al suo contrario & non per alcuna di queste ragioni da me allegate, & dicoui di più che io mi sento grã consolatione nell'esser vinto da voi perche voi non mi vincete punto confondendomi cioè perche voi alleghiate ragioni che mi vinchino solo perche io non sappia loro rispondere come interuiene ordinariamente con quest'altri Filosofi, ma io non sò loro rispondere perche elle mi satisfanno, & mi quietano, anzi mi eccitono à nuoue contraditioni parendomi di possederle & di potermene seruire. L.

Credo che da questo che si è detto appaia anche chiaramente che quãdo bene l'aria si potessi mescolare con l'acqua, che non per questo ne seguirebbe che acciò si potessi attribuire l'effetto che noi diciamo perche nel ragionamento di dianzi questo era restato à dietro da mostrarsi. M.

Certo venne anche ben fatto poi che è occorso hauere à parlare de vapori da e' quali pareua anzi è molto più ragioneuole & verisimile che si possa causare tale effetto che dal mescolamento dell'aria con l'acqua habbiamo adunque fuggito à caso & per buona sorte il replicare le medesime cose. L.

Voglio anche che à questo proposito voi sappiate che quando anche vna acqua calda fussi leuata dal fuoco che non per questo è vero che ella si freddi perche da essa si separino e' vapori, potrà bene aiutar questo in qualche parte benche ci è da dire ma veramente che vna cosa si raffreddi nel modo che diciamo viene da altro. M.

Certo ho caro d'intender questo, perche io veramente credeuo che ciò auuenissi dalla separatione delle parti calde che non sono se non vapori. L.

Questo non può essere perche così non si fredderebbono mai le cose solide che hanno l'humido fisso con il terreo come le pietre & il ferro. M.

Da questo anche si potrebbe dire che si L.

eleuassino

eleuaſſino e' ſeparaſſino e' vapori caldi & ſecchi.

M. Horsù io non voglio ſtare hora à perder più tempo in diſputare ſopra queſto ma pigliate per eſemplo l'oro del quale è falſiſſimo che in tal caſo ſi ſepari parte alcuna ma di più pigliate l'acqua calda ſteſſa & mettetela in vn vaſo di vetro che ſia ſerrato anche con il vetro ſteſſo per fuggire ogni importunità di repliche, & pur vedrete che quell'acqua ſi fredderà ottimamente dalla quale ſarete certiſſimo che non ſi ſarà ſeparata alcuna minima parte. Ma ditemi vn poco ſe l'acqua non ſi fredda ſenon per la ſeparatione del vapore, & il vapore come ſi fredda per la ſeparatione di che?

L. Oh queſto ſarà dalla freddezza dello ambiente.

M. Ma noi veggiamo che egli ſi fredda & rappiglia in vn luogo caldiſſimo come ſi vide che nelle ſubblimationi di queſti mezzi minerali tali vapori ſi condenſano nel medeſimo vaſo doue è vn caldo ſtremo.

L. Queſto caldo ſi dirà freddo in quanto che non ſarà tale che ſia baſtante à ſoſtenere quelli ſpiriti in natura loro.

M. Oh adunque perche non dite voi che l'acqua nel medeſino modo ſi raffreddi dallo ambiente.

L. Perche veggiamo che l'acqua nel raffreddarſi trapaſſa ſempre non che ſpeſſo il grado della freddezza dello ambiente, perche ſia ella in aria ò calda, ò fredda, ò tiepida ſempre ſi raffredderà in grado più freddo di eſſa onde non mi par che ſi poſſa dire che la cauſa del raffreddarſi dell'acqua venga dallo ambiente.

M. Hauete riſpoſto à tutto beniſſimo ma da che verrà adunque tal frigefatione ſe dall'ambiente non viene come voi hauete ottimamente moſtro & dalle ſeparationi delle parti calde non può venire come ſi è anche ſufficientemente moſtro.

L. Pur ne diſſi vn tratto, vna tra tante che ha retto al martello, alla dimanda che mi fate non ci veggo più conueniente riſpoſta che dire cio auuenire dalla natura dell'acqua la quale per ſe ſteſſa ſi raffreddi & torni alla ſua ſteſſa natura per ſe ſteſſa non altrimenti che vna coſa graue poſta in alto per la ſua ſteſſa natura ſe ne và al baſſo ſe non è impedita.

M. Vna pietra, vn metallo & ſimil'altre coſe che non ſono acqua pur ſi raffreddano nel medeſimo modo.

L. A' queſto mi par che ſerua la medeſima riſpoſta, perche ſe bene queſt'altre coſe non ſono acqua nondimeno ſono composti anche di eſſa acqua à equali, riſpetto à e' proprij principij è naturale vn grado tale di frigidità al quale loro da per loro ſteſſi tornano come ſi è detto dell'acqua.

M. Tutto queſto anche hareſti detto beniſſimo ſe non ci fuſſi riſpoſta più immediata & più propria perche noi non dobbiamo ricorrere à queſte riſpoſte comuni & vniuerſali doue non habbiamo la ragione più immediata & più propria.

L. Aſſai mi par non hauer mal riſpoſto ma aſpetto con deſiderio d'intendere qual ſia queſta riſpoſta più immediata che dite ch'io quanto à me non cela veggo.

M. Non è anche facile al conoſcerla à chi non ha fatto particolar conſideratione ſopra alla diuerſità delle ſpetie de calori & nature di eſſi ma chi ha queſta conoſce faciliſſimamente con vna ſimplice conſideratione tutta queſta verità perche baſta di auuertire che quelli calori che non ſono ò naturali, ò radicati per dir coſi nel ſubjetto da loro ſteſſi mancono, & queſto è perche la natura del calore è di non poter conſeruare ſenza pabulo continouo (non parlo hora del ſolare ò celeſti ma di quello che noi conoſciamo più eſſentialmente) ma accioche il calore ſi poſſa nutrire ſi ricerca ò verò che egli ſia naturale ò vero che egli ſia in ſommo; come la fiamma & il carbone affocato & neceſſario calore accidentale ingrado rimeſſo ſi potrà mai nutrire ne per conſeguenza conſeruarſi, & queſta è la cauſa perche l'acqua ſi raffredda non per la natura ſua immediata ma per la natura del calore come ho detto.

L. Piacemi molto hauere inteſo queſto; ma noi veggiamo pur molte coſe calde in ſommo, & non hañо pabolo come il ferro & l'oro affocato & ſimili.

M. E' veriſſimo ma queſti anche ſi eſtinguono & ritornono freddi in breue tempo perche ſe bene accio che tal calore ſi nutriſca è neceſſario che egli ſia in ſommo non però ogni calore in ſommo ſi nutriſce ma neceſſario di più che egli ſia in materia & debita & atta à tal nutritione.

L. Ditemi di gratia di che coſa ſi nutriſce tal calore ſe bene ſi dice dell'humido ma io veggo che quelle coſe che ſi reputono le più humide ò non gli conferiſcono niente come l'aria ò lo eſtinguono come l'acqua.

M. Doue andate voi M. Lorenzo ricordateui che noi habbiamo à andare in piazza & non alla porta, troppo ci ſiamo diſcoſtati è bene hormai rauuiarſi, & non diſcoſtarſi più oltre.

L. Hauete mille ragioni mi laſciauo traſportare troppo oltre dal diletto dello intendere, ma preſto tornerò al ſegno donde ci erauamo partiti eccomi ci in vn paſſo. A me tocca hora di ſeguitare quanto alla generatione della grandine, di moſtrare, quello che mi fa giudicare che in queſto non ſia neceſſario dare la migratione della qualità, ma queſto mi è faciliſſimo perche baſta che io non mi diſcoſti dalla comune oppinione.

M. O' comune, ò propria à me baſta che voi aſſegnate in che modo ſi poſſa generare la grandine ſenza tal migratione concio ſia che io credo che voi ſupponghiate ſenza altra diſputa ò pruoua che ella non ſi generi dal freddo direttamente: ma per antipariſtaſi concio ſia che noi veggiamo che ella ſi genera in ſtagioni quando l'aria non è talmente fredda da poter fare per la freddezza come tale ſimile effetto, maſſime che quando ell'è molto più fredda cioè il verno noi veggiamo che ella non ha tanta poſſanza di fare vna ſi forte congelatione ma ſolo arriua à

quella

quella della neue senza dubbio di grado inferiore à quella del ghiaccio come fra molti altri modi si conosce la state nella differenza del rinfrescare el vino con l'vna & con l'altra cosa perche senza dubbio lo rinfresca euidentemente meglio & più il ghiaccio, oltre che egli anche si conserua meglio & più tempo come ogni anno prouono quelli che vogliono & possono vsar la state queste delitie.

L. Io non dubito punto che alla generatione della grandine ci concorra necessariamente l'antiparistasi, ma quello che insino à hora io tengo è che questa tale antiparistasi possa molto bene stare & stia senza poter questa migratione della qualità di che si parla. Per ch'io dico che la grandine si genera mediante il calore il quale trouandosi tal volta in quella seconda regione secondo vn certo grado & proportione atta accio cirunda l'acqua che cade ò vuol cadere dalla nugola laquale repugnando con la sua freddezza à tal calore secondo la innata inimicitia rispetto alla sua intrinseca freddezza & non secondo il calore in grado tanto superiore che possa la rompere tal freddezza ne segue che ella cerchi di concentrarsi & restrignersi non la freddezza come da se stessa ma l'acqua in quanto fredda & mediante tal freddezza onde come per fortificarsi & rifuggire il contrario, quella fredezza fa constrignere in se stessa quell'acqua onde ne segue la congelatione perche quel freddo ristretto cosi in manco spatio viene à augumentare tanto intensiuamente che viene à causare ei quell'acqua quel ghiaccio secondo il quale si vede esser la grandine.

M. Io spero di leuarui assai facilmente questa falsa oppinione della fantasia perche in prima ella non ha fondamento alcuno di poi ha grandissime repugnanze che ella non habbia fondamento è manifesto perche noi non veggiamo mai che il caldo operi immediate nell'acqua fredda che la faccia non pur ghiacciare ma ne anche raffreddare di più nobilmente & piglisi cosi il calore age'nte come anche la freddezza dell'acqua secondo qual grado si voglia onde si vede che questa è vna mera oppinione immaginaria anzi non è dubbio che se fussi possibile che il caldo immediate potessi far tale effetto che noi quaggiù & mediante il caso & mediante l'arte, & operationi indiritte à tale effetto ne vedremmo molto spesso effetti & esempli sensati & certi ma se qui mai (doue e' tanto spesso può dal caso occorrere questo accidente, & poi molto più regolatamente dall'arte & industria) non sene vede segno alcuno sensato come debbiamo noi mai potere affermare che lassù il caso meramente possa cosi frequentemente nella debita stagione causare vno effetto tale?

L. Vi risponderò à questo che se bene questa oppinione non fussi fondata in su sensati esempli che nondimeno è fondata nella ragione come si è mostro nello esporla perche dalla natura di queste cose ne debbe seguire vn tale effetto in quella maniera & questo basta perche ella non resti cosi in aria come voi dite ma di più vi dico ancora che ella non mancha de sui esempli sensati come fra gli altri per hora mi souuienne quello d'vn cocomero partito subito che è colto nell'hora più calda del giorno & messo à quel sole corente che si rinfresca sensibilmente onde pur si vede che il calore può immediatamente raffreddare la cosa, & se egli può farlo in fino à vn certo termine secondo che noi veggiamo non è inconueniente che egli possa poi molto più oltre secondo quelle dispositioni più appropiate à tale effetto che noi non veggiamo.

M. Prima quanto allo esemplo del Cocomero vedete di gratia che fondamento è questo pa fondarui vna si graue oppinione in prima noi non habbiamo altro esemplo che questo & pure in tante età & tante osseruationi di curiosissimi che sono hoggi, & in tanta latitudine di accidenti quotidiani douerrebbe rilucer meglio in altri effetti la verità di questa cosa se ella fussi & innanzi che poterui far fondamento. Di poi voi date l'esemplo d'vn misto il quale si potrebbe dire che hauessi in questo qualche occulta proprietà il che anche non sarebbe detto in tutto à volontà veggēdo che il cocomero è molto rinfrescatiuo & più che forse non apparisce dalle sue qualità manifesto se bene egli ha molta humidità ma hauendola congiunta con vna somma dolcezza come si pruoua in questa spetie de' rossi vltimamente cominciata à mettersi in vso non è dubbio che non parrebbe douessi infrescare quanto fa se bene il dolce non repugna à vn certo grado di freschezza rispetto à vn corpo caldo che in se stesso come veggiamo del Zucchero. Ma questo esemplo patisce ancora vna maggiore instanza & questo è che molti che hanno fatta questa medesima pruoua e' più volte & cō diligēza affermo nō tale effetto falso anzi succederne il contrario onde à necessario che tal cosa ò non sia, ò vero che tal rinfrescamento sia piccolo & non considerabile per farci vn fondamento tale & forse se quelli che hanno fatto la sperienza che voi dite hauessino prouato tal cocomero innanzi che metterlo al sole partito, l'harebbono trouato così fresco & forse dauantaggio come poi che è stato al sole, & io vi dico veramente che ho sentito dire molto comunemente questo spirimento che voi dite per vero ma non da nessuno che l'habbia prouato anzi da questi ho inteso sempre come vi dico il contrario.

L. Dato che anche si raffrescassi tal Cocomero per qualche poco di grado il che mi pare che voi non neghiate che possa facilmente essere mi par che questo basti per l'intento mio perche se tal calore può raffreddare insino à vn certo grado non ci è causa perche si debba dire che egli non possa raffreddare anche più oltre.

M. Io quanto à me credo che dal caldo immediate si possa fare vn certo che dià eccitamento nel suo contrario perche sene vede qualche effetto che ne può far dubitare ma se pur questo sarà, sarà per pochissimo spatio & per pochissimo grado, & forse anche non secondo tutte le parti della cosa che ci pare che si raffreddi & noi non debbiamo fondarsi

darsi come già si è detto se non è in su le cose sensate ò vero in su ragioni fondate in essa; & però quando bene si concedessi che in tal caso si facessi qualche alteratione di freddezza non per questo si potrebbe dire che possa tal modo di antiparistasi operare anche insino nel sommo grado, perche noi non veggiamo che egli le faccia anzi stiamo in dubbio anche se egli lo fa per alcuno minimo grado & per dir che questo non viene da ogni proportione ma da vna determinata; si è già replicato che molto più frequentamente douerrebbe occorrere qui questa determinata proportione che lassa per le ragioni dette & nondimeno non si vede mai se non come è detto, è certo che il fondare le oppinioni così remotamente dal senso non è altro che vuollare à empire il capo di grilli, perche è differenza tra il considerare vna conclusione in quanto per sostentarla disputando, ò considerarla in quanto per fondaruisi sopra perche nel primo caso basta che ella non si possa impugnare, ma nel secondo è necessario che ella sia molto ben fondata nel senso ò immediate, ò almeno mediate come noi habbiamo detto, & questo che io vi dico hora non è cosa da spacciarla così per l'ordinario come pare perche se si considererà bene vna gran parte delle confusioni che sono in questa professione della Filosofia procede dalle oppinioni fondate principalmente nel non si poter dimonstrare false essendo per altro molto male & imperfettamente fondate; Venendo hora alla ragione.

L. Ditemi innanzi che andiate più oltre il nome stesso non monstra che questo effetto proceda dal calore circunstante come io dico perch'io non sò che antiparistasi voglia dire se non circonstanza ò circumpositione del contrario.

M. Io non curo punto delle autorità ancor che grauissime in quanto al fondare le oppenioni vedete come farò fondamento in vn vocabolo che è meramente à placito oltre che ne anche questa interpretatione repugna à quel che io dico per che l'vno & l'altro di noi dice che ciò auuiene dal contrario circundante, ò circunposto, ma voi dite che egli circunda immediate, & io che egli circunda mediate talche se bene il significato corrisponde alla vostra oppinione non repugna anche alla mia, ma lasciamo questa che è cosa di pochissimo momento, & venghiamo à considerare la cosa in se & per ragione se si debbe dire che tal congelatione proceda dal calore circundante immediate che faccia restrignere insieme quel corpo nel modo detto, & trouerremo che questa è vna positione manifestamente falsa, anzi impossibile perche se noi considereremo bene non si fa in tal caso solo la concentratione della freddezza ma ella si augumenta manifestamente, & molto, & questo è senza dubbio impossibile che proceda dal calore immediate perche il calore può, bene far vnire in manco spatio la freddezza sparsa prima in molto & così augumentarla non assolutamente ma secondo la parte. Ma augumentarla assolutamente per se questo senza dubbio è impossibilissimo ne credo che mai alcuno habbia voluto dire vna simile strauaganza, essendo il calore non atto punto à generare ma à distruggere il freddo & in tal caso bisognerà dar nuoua generatione di freddo & notabile.

L. Io vi concedo che dal calore non si possa fare nuoua generatione di freddo cioè augumentare il freddo assolutamente come voi dite perche in qualche modo si potrebbe dire che egli fussi causa di nuoua generatione di freddo, & potrei anche replicarui che non fussi per se tale operatione del calore ma per accidente, ma perch'io veggo che questo non tocca l'intentione che mi responderesti con vn poco di distintione ò dichiaratione verrò lasciando la inutile multiplicatione del ragionamento à dirui che non per ciò veggo che si faccia nella generatione della grandine questa nuoua generatione con l'augumenro del freddo che voi dite perche se bene si augumenta il freddo in quella materia questo procede non dallo augumento di esso ma dalla vnione delle parti dalla quale procedono tali effetti è manifesto ne credo ma li reuocherete in dubbio.

M. Vedete di gratia come voi vi ingannate nello arguire dalla maggior possibile voi concludete la conclusione dello in essere & notate che io vi do hora questo auuertimento non solo per mostrarne il presente errore, ma perche questo modo di errare & di confundersi s'usa frequentissimo & massime da e' medici equali come intendono che vno che si sia infermato habbia prima fatto vn disordine subito concludono che quel tal disordine è la causa di quella malattià cossi anche ò se non megliora quando loro harãnno pronosticato ò se peggiora ò simili altri casi subito attribuiscono l'effetto alla prima causa che intendono dalla quale si possa dedurre in qualche modo quello effetto, & non considerono che se bene può essere che quel tale effetto proceda da quella tal causa che può anche molto bene essere che egli non proceda da quella ma da vn'altra nella Filosofia in queste dispute & mantinementi & confutationi di oppinioni massime nella confermatione di esse si vsa molto dannosamente assai spesso di simili argumenti & tale è quello che insino à qui vi ha fatto & fa star duro nella vostra oppinione perche il vostro argumento finalmente non è altro che questo il freddo si può augumentare nel subjetto intensiuamente solo & non assolutamente per la condensatione quelin caso il freddo che si augumenta nella grandine si augumenta solo intensione & ad auolutamente, perch'io non credo già che voi habbiate punto pensato à ragione alcuna più oltre che vi mostri che egli non si augumenti ne possa augumentare nel caso detto ne quando anche vi hauessi pensato l'haresti trouata che buona fussi essendo la verità che egli si augumenti assolutamente, ond'io non veggo come voi possiate negar di non hauer cauato tutto

to tutto il fondamento vostro di tal conclusione da quella maggior possibile come io ho detto.

L. Certo che voi mi fate non sol marauigliare ma raccapricciare ancora parendomi che voi mi riuoltiate il ceruello à vostro modo & mi facciate diuentare in mano gli argumenti & le ragioni come el cameleonte prima io le vedeuo in vn modo & hora le veggo in vn'altro, ma quel che mi piace come altra volta ho detto è che con effetto voi procedete realmente, & chiaramente ancora tanto che io non resto punto confesso dal vostro ragionare & discorrere! ma ditemi che pure mi resta ancora vn non piccolo dubbio in che modo dite voi che si faccia in tal caso la augumentatione del freddo assoluta & non la sola intensiua come dico io, potendo essere nell'vn modo & nell'altro, guardate di non esser' incorso ancor voi nel saccio in che poco fa hauete mostro à me che io ero auuolto.

M. Voi parlate benissimo & se io non stessi in ceruello bene almeno il più che io posso non sò come ella mi andassi col caso vostro tanto siate crudele in non volere; ne perdonarmi, ne tollerarmi cosa alcuna horsù poi che voi nõ volete farmi vn piacere al mondo di concedermi quel che io dico vedrò di ottenerla da voi per giustitia dico adũque che egli è necessario che quando si genera la grandine ella si generi ò dalla nugola la quale in vn tratto si congeli successiuamente in aqua in grandine ò vero che ella si generi dell'acqua immediate che ella cade ò vuol cadere dalla nugola, ò vero che ella si congeli per aria nel cadere.

L. Questa enumeratione delle parti è tanta sufficiente che equiuale.

M. A' vna diuisione priuatiua & negatiua: ma se ella si genera dalla nugola è necessario dire che il freddo vi si generi non solo assolutamente ma totalmente perche la nugola essendo ancor vapore che si sostenta in aria bisogna dire anche che sia calda almeno secondo qualche modo rimesso.

L. A questo anche non veggo che si possa replicar ma seguitate che forse più oltre sarà la difficultà.

M. Se si genera la grandine dall'acqua già in atto & in sul cadere dalla nugola è necessario dire quasi il medesimo perche non è dubbio che all'hora l'acqua si trouerrà in quel minor grado di fredezza che ellà pòssa esser manco che la nugola; anzi è da credere che tal'acqua se qualche gran freddo non la sopraggiunge sia in qualche grado calda in atto & non fredda si come noi veggiamo che perche il vapore torni in acqua nõ è punto nessario che egli si raffreddi anzi veggiamo l'acqua che stilla laquale è vapore congelato all'hora che è molto calda, onde anche in tal caso si vede vn manifestissimo augumento del freddo per non dire anche generatione assoluta come molto più ragioneuolmente sarebbe da dire.

L. Certo che io vorrei replicarui se no per altro per aprire & spianare meglio questa materia ma non veggo che mi vi potere opporre: perche non è dubbio che non ponendo altro freddo che qnello che è bastante à far conuertire la nugola in pioggia non si vede che l'acqua generata all'hora debba esser punto fredda & se si ponessi tal freddo sarebbe contro al mio supposito ò conclusione che dico che'l caldo è che la congiela però più tosto voglio tacere che opporre inettamente per quanto io conosca.

Adunque viene interamente soluta la difficultà anzi voi stesso m'hauete aiutato à soluerla perche se quando l'acqua si genera ella non è fredda attualmente nel cadere poi non si può già freddare se non si pone pure il freddo circunstante ma voi ponete il calore. M.

Io vi ho più volte sentito dire che e' corpi liquidi per il moto si raffredono, ò mossi in loro stessi ò l'vno nell'altro si come e' corpi solidi per l'opposito si riscaldono & questo vel'ho sentito allegare per vn principio naturale di molta importanza, & molto atto à soluere bellissimi effetti, & anche insino à qui non più auuertito, perche adunque non si potrebbe dire che l'acqua in tal moto si raffreddassi & cosi che la mia positione si saluassi in questo terzo caso. L.

Se io vi replicassi che pur secondo voi tal'acqua si verrà à muouere per vna aria calda & così che mediante tal moto non potrà ne anche raffreddarsi che direte? M.

A' questo vi risponderò benissimo perche noi veggiamo che se saremo anche in vna stanza calda molto & mouiamo verbi gratia vna mano assai velocemente che ce la sentiremo senza dubbio rinfrescare come il medesimo veggiamo che interuiene al sole ardente. L.

Certo risponderesti benissimo perche (non solo l'aria mossa si raffredda per sua natura come si vede dal vento che l'huomo si fa da se stesso & al sole ardente & in vna stufa, doue si esclude interamente quella comune solutione, ò ragione che si allega del rinfrescare del vento cioè che sia per la mutatione dell'aria riscaldata da noi perche ne casi detti è più calda l'aria doue ci trouiamo che non siamo noi, onde in tal caso & rispetto à tale aria il nostro caldo ha rispetto & natura di freddo & cosi l'aria che in tali casi si circunda à da noi raffreddata, & non riscaldata.) Ma anche ogni corpo mosso nell'aria benche calda ne piglia refrigeratione come il medesimo si può vedere pur ne' medesimi luoghi assegnati? & però non vi posso negare che quel moto non dia qualche refrigerio à quell'acqua benche fussi nell'aria più calda di essa acqua, & questo perche è realmente così io non vela niego ma non credo già che de mille vno che tengono questa oppinione della generatione della grandine habbino hauuto punto consideratione à questa ragione la quale nondimeno benche habbia qualche verità non conclude punto, ne può concludere, perche dato questo che dite non è però che quando il moto del corpo si fa nell'aria calda che egli M.

egli non si refrigeri molto manco che s'egli si facessi per la fredda? Onde congiunto questo con la tanta breuità del tempo nel quale sta quell'acqua in quell'aria essendo sempre in moto si vedrà che non è possibile che ne segua tale effetto, il che si vede anche molto più manifestamente da questo, che se tal moto fussi causa di farla raffreddare non si vede in che modo potessi stare che quell'aria calda circunstante cioè quel caldo dell'aria in principio resistessi alla refrigeratione di quell'acqua & poi la augumentassi tanto che la conducessi à quel grado di ghiacciare; ma la difficultà & impossibilità si augumenta non manco dal considerare in che modo in mentre che grandina potrà stare quest'aria calda tra la pioggia che cadendo da principio genera poi essa grandine perche essendo molto lo spatio che occupa tal pioggia si come veggiamo che lo spatio doue grandina dico in vn medesimo instante da vn medesimo nugolo occupa molte volte le miglia di spatio & durando per molto tempo & cadendo spesso molto folta non si può assegnar in che modo possa questo calore circunsistere à ogni parte di essa & che tutta l'aria che circunderà ciascuna parte di essa si mantenga in quella caldezza che sarebbe necessaria à tale effetto, & se pure si mantenessi sarebbe necessario che anche riscaldassi in atto & conseruassi calda l'acqua che di mano in mano casca perche sarebbe impossibile che quel calore in poca d'aria così interrotta & tanto combattuta da contrario tanto vehemente quanto è il ghiaccio della grandine & in tanta quantità si conseruassi per tanto tempo oltre che con tutte queste cose pur bisognerebbe anche dire in ogni modo che si facessi l'augumento assoluto del freddo nella generatione della grandine non si potendo mai per il moto fatto da quell'acqua la quale noi supponghiamo da principio caldo, & in quell'aria che noi supponghiamo molto calda generare in essa tanta freddezza che poi che quando da quella ella venissi à ghiacciare in grandine non fussi pur necessario dire che si fussi augumentato il freddo assolutamente & non solo per la sola contrastatione come io credo che voi possiate assai ben considerare senza distender mi più in quello che mi pare che congiunte tante cose insieme non habbia difficultà dalle quali credo che apparisca che questa oppinione che il caldo circũstante faccia ghiacciare l'acqua in grandine sia non solo senza alcun fondamento ma in tutto falsa & monstruosa à chi bene la considera.

L. Io mi trouo hormai forzato à dir la & intenderla quanto à questo come voi ma ci resta ancora che assegnate hor voi il modo di tal generatione dal quale si caui questa migratione della qualità di subjetto in subjetto & che voi l'assegniate tale che considerato anche esso bene & non solo l'apparenza possa reggere à di quelle botte à che non ha possuto reggere la mia oppinione & che habbia quelle conditioni che voi hauete voi stesso detto conuenirsi à vna oppinione da tenersi per vera & tale & non solo come per mantenere disputando vna conclusione satisfatto che si sarà a voi à questo non mi resterà circa à questo proposito altro di desiderio che circa alla solutione dell'argomento.

M. Come sia necessario dire che si generi la grandine è manifesto dalle cose già dette ne altrimenti si può generare questa impressione se non perche trouandosi in quel tempo non poca freddezza nella seconda regione dell'aria & mouendosi à quella per disotto vn calore assai gagliardo & quasi repentino fa rifuggire & concentrare di mano in mano la freddezza sparsa in quella regione inuerso le nugole & cosi quella freddezza che è sparsa in molta quantità d'aria venendo à ristrignersi in poca viene à causare vn freddo molto più intento & tanto più quanto più si strigne insieme & in manco spatio onde si riduce à tale che quella freddezza è atta à congelare la nugola non solo in acqua ma in ghiaccio, si come veggiamo che fa qui il verno la molta freddezza dell'aria congelare l'acqua in ghiaccio.

L. Perche dite voi che all'hora il calore sia molto che va in verso quella regione & quasi l'assalta & così perche dite che il freddo di quella regione sia molto & perche egli sia quasi assalito all'improuisto?

M. Non sempre si causa l'antiparistasi perche le due qnalità contrarie concorrino insieme ma ci sono necessarie due conditioni fra l'altre & principalmente.

L. Quali?

M. L'vna è che e' dui contrarij sieno tuttadui gagliardi & non deboli perche se fussi l'vn & l'altro gogliardo si corromperebbe l'vno senza far difesa, & se fussino tuttadua deboli non harebbono virtù da eccitarsi à far tale effetto.

L. Due cose vorrei intender da voi soprà ciò innanzi che andassi più oltre, l'vna perche da e' due contrarij in grado rimesso non seguirà l'antiparistasi saluandosi tra di loro la debita proportione quale è quelle da e' quali voi dite causarsi detta antiparistasi l'altra è se à tale effetto debbono essere e' dui contrarij e' quali tra di loro, ò l'vno inferiore à l'altro, & di più perche tal concorso debbe esser repentino ma questo l'haueuo dimandato prima.

M. Al primo quesito vi haueuo quasi risposto dicendoui che contrarij deboli non è virtù bastante à eccitarsi & muouersi à tal moto: perche non solo in tal caso si ricerca la debita proportione tra di loro ma la virtù sufficiente ancora in ciascuno di essi, & quanto alla proportione auuertite che chi volessi argumentare da quella solamente si ingannerebbe come per esemplo sarebbe, se vn moto che harà virtù verbi gratia dieci potrà trarre vn mobile lontano da se verbi gratia dieci braccia secondo la proportione si douerrà dire che vn motore che habbia virtù come cinque la potrà trarre lontano da se cinque braccia & questo nondimeno è falso perche potrà essere che quella virtù come cinque

cinque non sia bastante ne anche à muouer tal mobile, & questo anche lo auuertisse molto bene Arist. & questo medesimo appunto accade nel caso nostro. Quanto alla seconda dimanda dico che pure che ci solui tra di loro vna certa debita proportione, supponendo la virtù sufficiente & il concorso sia non successiuoma quasi con impeto ò sieno e' contrarij e' quali ò l'vno inferiore all'altro sempre si causerà l'antiparistasi, ma in diuersi modi; perche se l'vn contrario sarà inferiore all'altro si causerà nel modo che noi diciamo della grandine cioè per la ritirata & contentione dell'vno de contrarij, ma se saranno equali e' contrarij ò quasi equali si fa l'antiparistasi secondo quegli estremi doue loro si congiungono à e' quali concorreranno & l'vno & l'altro de contrarij & non si concentrerra per ritirata nissuno de' dui contrarij.

L. Noi veggiamo pure nello esemplo sopradetto del paiuolo doue il calore del fuoco è superiore che la freddezza dell'acqua non si ritira ma viene allo estremo.

M. Questo è perche da principio erano e' dui contrarij tra di loro quasi equali.

L. Perche adunque di poi che la freddezza dell'acqua ha cominciato à cedere non si ritira ella?

M. Non crediate che di queste simil cose se ne possa assegnare cosi l'appunto come noi potremmo d'vna cosa fatta da noi à nostro modo perche oltre che simili effetti non ci sono molto spesso noti cosi esattamente al senso bisogna anche considerare che procedono da inclinationi così fatte infuse dalla natura nelle cose el perche delle quali ci è per lo più totalmente ignoto; ne io anche fo professione di sapere tutte le cose che si posson sapere anzi di sapere manco che gli altri con tutto che anche gli altri non mi paia che ne sappino molto.

L. In vero che queste curiosità poi cossi minute son più tosto cose da andarsele da se considerando che da sperare di trouare chi te le insegni, perche non auuiene spesso l'abbattersi à chi sia caduto in mente di far le medesime particulari considerationi circa de medesimi particulari sequitate adunque quanto alla terza dimanda.

M. Che tal concorso debba esser veloce & non successiuamente è manifesto dallo effetto & anche per ragione perche se si andassi à poco à poco augumentando da vna banda il caldo, & l'altra il freddo non seguirebbe quello eccitamento in quelli contrarij ma si anddrebbono rimettendo l'vn l'altro perche nel principio noi supponghiamo che non vi sarebbe virtù suffitiente à tale effetto, & il vigore che di mano in mano succedessi da ogni banda trouerrebbe quegli estremi alterati ciascuno dalla sua banda, & cosi di mano in mano si andrebbono alterando ne si potrebbono ridurre ciascuno nel suo debito vigore, & simile à questo noi habbiamo infiniti esempli dico de gli effetti che sono causati dalla medesima causa concorrendoui la velocità & impeto che senza questo dalla medesima nõ saranno causati come tra gli altri vn colpo dato con vna scura farà pesare vn tanto più quella scura che ella non pesa come sene potrebbe pigliare la misura appunto nondimeno piglisi vna scura di molto più peso ancora di quello che si dice non farà à grandissimo pezzo l'effetto detto se sarà posta sopra il medesimo legno el quale harà fatta la percossa dell'altra ma è troppo supperfluo l'entrare in tali esempli.

L. Et donde viene questo?

M. Donde se non dalla natura dell'impeto chi ne sà più, piu ne dica. Ma vedete se vi occorre altro dubbio circa di questa mia oppinione.

L. Io certo non veggo che miui opporre perche già nel ragionamento passato si è visto che questa maniera di concentratione ò ritiramento de contrarij non solo non è impossibile, ma è menifesto in alcuni altri effetti, & che da questo poi si arguisca necessariamente la migratione di questa qualità non veggo che habbia dubbio alcuno di modo che io quanto à me resto hora molto capace & satisfatto che tal migratione sia non solo possibile ma che sia verissima & realissima però non conoscendo io più oltre lascerò il dubitare più oltre à chi sappia più di me, che quanto à me non vi scorgo più dubitatione ne objettione alcuna & la cosa mi par che si tocchi cosi certamente, & anche talmente manifestata che io non posso credere che ci possino nascere intorno difficultà che non sieno dalle cose che si non dette facilmente solubili, però non resta hormai altro che venire alla solutione di questo benedetto argumento che ci ha dato tanto da trauagliare.

M. Anzi da imparare io non chiamo trauagliare il ragionare & disputare di cose quantunque difficili purche questo sia per trouare la verità & con persone che ne voglino esser capaci anzi in tal caso se bene la difficultà vi è grande io non reputo oltre all'vtile punto minore il piacere, & come noi veggiamo in infiniti esempli spessissime volte vn piacer grandissimo starà accompagnato con vna grandissima fatica, ma il tormento senza fine in queste tali dispute è in dare in certe persone che parte non intendino & parte non voglino intendere & parte sono ostinati di intendere à rouescio, & dubitono doue non s'ha da dubitare & come non si debbe & suppongono per certe le cose dubbie anzi false & ritornono sempre alle medesime & commettono infiniti circuli & escono à ogni poco di proposito, & non si ricordando mai del principio ne del mezzo del ragionamento sempre si vanno discostando più dalla principale intentione con questi si che è vn tormento il disputare & massime poi di cose difficili nelle quali è necessario vsar molto la destrezza dell'ingegno perche come dice benissimo Arist. non ogni cosa si può prouare à vn modo ne si ricerca & non dimanco si sentirà da questi tali far circa alle dispute probabili le medesime oppositioni come se si trattassi dimostratiuamente.

M. Quante volte mi è egli occorso quando si

tratta

tratta d'vna coſa conieturalmente & che ſi cerca di conoſcere ſecondo vn certa probabilità farmi queſta objettione non potrebbe egli eſſere anche coſi) ſenza conſiderare che non è in conſideratione ſe quello che egli oppone è poſſibile ò non? Ma ſolo ſe è veriſimile & ragioneuole che egli ſia in tal modo ma con queſti tali ci è vn rimedio ottimo & faciliſſimo cioè di finir toſto il ragionamento.

M. Non ſi può poi ne anche fare come l'huomo ſi è cominciato à riſcaldare circa d'vna materia anzi non ſene parte punto ſatisfatto ſe non ti pare almeno hauer fatto ben capace l'altra parte delle ragioni & motiui tui; anzi ſpeſſo mi è occorſo di voler finir tal ragionamento & finirlo; ma poi è ſtato neceſſario à poco à poco rientrarui dentro, & quaſi non che altro ſenza che io me ne ſia accorto tanto mi laſciaua mal ſatisfatto quella rottura coſi imperfetta.

L. Veggiamo che ſe queſti tali quando diſputono con eſſo noi ci trauagliono così fattamente che almeno hora che ci ſono lontani non ſi trauaglino tanto che ſi faccino perdere il noſtro ragionamento ò il tempo da poterlo commodamente finire del quale inſino à qui ne habbiamo conſumato molto & molto più di quello che io credeuo ſe l'hora che poco fa è ſonata non mi ha ingannato tal che mi pare che egli ſarà ſtato vn ragionamento ſimile à quello di Didone con Enea.

M. Se vn Poëta è baſtante à far narrare in poche hore quello che non ſi può raccontare in molte quanto debbe eſſere queſto più facile à vn Filoſoſo? Ma tempo è hormai che ſi venga à affrontare il moſtro perche già voi conoſcete che queſto è vn ſilogiſmo moſtruoſo, & non con le ſue debite membra & parti ſe bene à guiſa di ſinge moſtra il bello & tiene occulto il brutto. Cominciamo adunque in prima à farlo sbucar fuori, & poi andremo ſcoprendo e' ſui diffetti, & coſi conoſciutoli verremo facilmente à ſuperarlo; anche ſpero che cene ſpediremo molto preſto hauendo hormai leuato & ſpianato di molti oſtacoli & difeſe che lo faceuano più forte & terribile.

L. E' adunque queſto l'argomento ſe bene me ne ricordo? Cio che ſi muoue è corpo le qualità non ſon corpo adunque le qualità non ſi muouono.

M. Egli è deſſo horsù à dargli adoſſo perch'io deſidero di veder ſeco le mie vendette hauendomi egli inſino à qui nociuto & infettato tanto che io non poteuo più ſenza molto aiuto ſcorger hormai la verita.

L. Adunque M. Lorenzo voi deſiderate la vendetta?

M. Non è incoueniente il deſiderala contro il diauolo & ſui membri come ſi peſſon dir queſti miniſtri dell'ignoranza & di quella ignoranza peſſima.

L. Cominciamo hora adunque à menar le mani, ò vero la lingua in quel cambio.

L. Queſta ſarà ſpetie d'incanto voler vincere e' moſtri con le parole.

M. E' ſpetie d'incanto certo ma è incanto lecito anzi ne ſono molti meritorij di tali perche quando d'vno ingegno rozzo & male inclinato con buoni documenti & à propoſito ſi fa diuentare docile & inclinato al bene non ſi egli e' all'hora incantato quel moſtro & vintolo con le parole ma laſciando il burlare venghiamo al da ſenno perche in queſti coſi fatti ragionamenti non biſogna troppo ſuolazzare con il ceruello ſe bene il ricrearſi tal volta al quanto non è punto fuori di propoſito me ſenza vtilità. Vi dimando adunque innanzi à ogni coſa in che modo voi ſapete quella maggiore cioè in che modo voi la prouate per che quiui ſta tutto il veleno.

L. Io non ſaprei come prouarlà ſe non come la proua Ariſt. cioè coſi quello che ſi muoue debbe eſſere parte nel termine adquem & parte nel termine aquo perche ſe fuſſi tutto nel termine ad quem già harebbe terminato il moto & ſe fuſſi tutto nel termine aquo non l'harebbe ancora cominciato & ſe debbe eſſer tale biſogna che ſia corpo cioè hauendo le parti come ſi dice.

M. Auuertite hor bene à quello aſſunto perche ha molta difficultà, & ſe non ſarà molto bene inteſo ſarà falſo ma in qualunche modo non concluderà mai che neceſſariamente quelche ſi muoua debba eſſer corpo.

L. Ditemi di gratia in prima che difficultà ha quello aſſunto & poi perche non conclude.

M. Perche come intendete voi che il mobile in quanto in moto debbe eſſere parte nell'vn termine, & parte nell'altro non poſſono eſſere come frequentiſſimamente occorre che e' termini ſieno tanto diſtanti che il mobile ſia & per molto tempo nello ſpatio che è tra l'vno & l'altro ſeparato dall'vno & dall'atro di eſſi.

L. Io intenderò che quell'eſſer parte nell'vn termine & parte nell'altro voglia dire che con vna parte guardi l'vn termine, & con l'altra l'altro.

M. Ma ſe voi l'intenderete coſi conclude rete bene che ſe egli ſara corpo che egli farà coſi & anche ſe egli farà coſi, che egli ſarà corpo ma chi dice che il non corpo anche ſi può muouere viene à negare tutti coteſti aſſunti & coſi tal'argumento inteſo in tal modo verrà à eſſere mera poſitione de principio.

L. Horsù io l'intenderò coſi che tal mobile mentre ſi moue parte acquiſta della per fettione de termine ad quem & parte gli reſta della imperfettione del termine a quo.

M. Intendendolo coſi vi pare che ne ſeguiti che di neceſſità tal mobile debba eſſer corpo.

L. A' me ſi perche queſta perfettione, & queſta imperfetione biſogna pure che ſi riceua in qualche ſubjetto che ſia corpo.

M. Hor vedete che già voi vi cominciate à partire dalla forza dell'argumento addotto perche prima voleui concludere il mobile di neceſſità eſſer corpo dallo hauer

le parti, & hora volete concludere il medesimo dallo essere suscettibile dalla perfetione & della imperfetione.

L. Ma io vi dirò che sarà necessario che il tale suscetibile habbia le parti & così che per la medesima ragione sia corpo, & lo pruouo in questo modo quello che riceue la perfettione bisogna che la riceua ò secondo il tutto, ò secondo le parti che altrimenti non la riceuerebbe, ma se secondo le parti ha l'intento & se secondo il tutto adunqe ha le parti essendo il tutto per relatione alle parti & così pure cade nel medesimo.

M. In prima questo si può dire vn'altro argomento non quadrando tale espositione alle parole del primo, & di poi è in vn'altro caso diuerso da quello che noi parliamo, & oltre à tutte queste cose è falso & non conclude.

L. Come possono stare tanti difetti in vno argomento che à me pare ancora bonissimo?

M. In prima che egli sia vn'altro argomento è manifesto dalla diuersità del mezo perche nel primo argumento non è dubbio che quando si dice parte esser nell'vn termine, & parte nell'altro s'intende delle parti quantitatiue, & non secondo la qualità & perfettione perche considerate voi stesso il modo del parlare dicendosi esser parte in vn termine & parte in vno altro se mai questo s'intenderà di questo ò di quel grado d'vna perfettione; sapete che tutte le scienze suppongono la Grammatica almeno la naturale & e' modi di parlare intelligibili, & l'intentione di essi proportionati à loro è adunque manifetto dal parlare stesso che nel primo argomento si argumenta dalle parti quantitatiue, & qui hora voi argumentate da e' gradi della qualità; & questo quanto è quanto alla prima parte della quale è manifesta la seconda perche se voi intendete del moto nella qualità non arguirete punto à proposito perche noi intendiamo, & habbiamo inteso sempre del moto locale secondo il quale in quanto tale non si acquista qualità ò perfettione alcuna ma solo la propinquità del termine. Ma vltimamente che egli sia falso è manifesto da questo che se fussi così non si potrebbe riceuere perfettione alcuna se non nelle cose corporee ma questo è falsissimo perche si truoua questo nelle intelligenze & nella qualità ancora & in altri simili Enti.

L. Ma non già secondo il moto.

M. Vi toccherebbe ancora à prouare che questo fussi impossibile, & così venite à restare ancora interamente da capo ma questo è falsissimo perche non può vna bianchezza acquistare di perfettione?

L. Dico di non al certo perche è la cosa bianca che acquista tal perfettione & non la bianchezza.

M. Voi siate pur rigoroso & quella bianchezza in tanto che fa si corrompe ò si mantiene ò che.

L. Si corrompe secondo quel grado di prima.

M. Si corrompe adunque non la bianchezza ma la imperfettione di essa & come dice Aristot. *Quod corrumpitur in eo est priuatio*, Non diciamo noi che la bianchezza verbi gratia della neue è più perfetta che quella.

L. (Diciamo così) della carta L. non è dubbio ma io dico che questo sarà secondo lo stato & non secondo il moto.

M. Ma se questa carta diuentassi bianca come quella neue sarebbe pur necessario che sempre ella si trouassi con vna bianchezza più perfetta di mano in mano perche già voi mi concedete che & nell'vn termine & nell'altro di questo moto quella bianchezza ha la sua perfettione prima cioè manco & di poi più & se questo è bisogna di necessità dire che ell'habia anche la sua perfettione in ciascuno instante ò minimo tempo di questo tal moto che altrimenti ne seguirebbono inconuenienti troppo manifesti & così bisognerà pur dire che ella acquisti di necessità successiuamente la perfettione. Ma che direte voi dell'anima nostra non acquist'ella successiua perfettione?

L. In vero che questo mio argomento mi è riuscito tale hora tra le mani ch'io non mi marauiglierò più d'ogni gran methamorfosi che io veggia fare all'altro ma non per ciò intendo perdermi punto di animo ma seguitare di contrapormiui con tutto il mio potere.

M. Voi adunque volete difendere à tutte vostre forze vn mostro non è cosa questa da Caualieri erranti.

L. Anzi come Caualier errante debbo difenderlo (poi che ho cominciato) insino à che mi sia fatto conoscere per tale, perche insino à qui io lo difendo per buono & per bello, ma dubito bene che io mi trouerrò d'essere stato errante da senno se ben non caualiere? Ma poi che io non sò accommodare senso al nostro principale argomento che quadri punto ditemi voi di gratia se potessi accommodare altri migliori. Ma aspettate me n'è occorso hora vn'altro che credo non melo potrete impugnare altrimenti. Il mobile si dirà sempre parte nell'vn termine & parte nell'altro non rispetto à due estremi termini ma perche tra quelli vi sono come sapete infiniti altri termini come nella linea infiniti punti & questi tali non si toccono l'vno l'altro anzi vi è spatio in mezo il quale essendo minimo dico che rispetto à quel tal termine propinquo il quale rispetto al procedente ha natura di termine ad quem; che questo tal mobile sarà sempre parte nell'vno & parte nell'altro cioè parte nel precedente, & parte nel seguente; non sò quello che hora mi potrete replicare.

M. Dicoui che questo è il miglior senso che insino à giù si sia dato à questo argomento ma poso così voi vedrete manifestamente che egli non conclude punto che il mobile debba esser corpo, ma solo che egli debba esser quanto.

L. Oh l'esser quanto & l'esser corpo non è in questo caso il medesimo.

M. Non punto perche & la linea anche & la superficie sono quanti & non sono corpi, anzi di più il punto non è

ne

ne anche quanto & pur ſi può dire mobile?

L. Come mobile el punto anzi ho ſempre inteſo che egli è immobile.

M. Se voi vi ricorderete bene harete anche ſempre ſentito prouare queſto con queſta pruoua delle parti la quale ſuppone che quello che ſi muoua debba eſſer corpo il che è petitione di principio ma oltre à di queſto non ci immaginiamo noi il moto del punto anzi dal fluſſo & moto di eſſo diciamo che ſi cauſa, la linea.

L. Queſta è immaginatione & non verità.

M. Non ſi immaginano mai le coſe impoſſibili di impoſſibilità eſſentiale, ma ſolo quelle che ſono impoſſibili ſecondo gli impedimento ò altri ſimili impoſſibili & queſti tali impoſſibili ſi pongono in eſſer ſenza inconueniente & ſe il punto non ſi può veramente muouere come ſeparato ſapete da quel che viene.

L. Di gratia ditelo.

M. Perche ſeparato non può anche eſſere & non è ma ſe poteſſi eſſer in tal modo ſenza dubbio ſi potrebbe anche in tal modo muouere?

L. Adunque non ſolo non è neceſſario che il mobile ſia corpo; ma ne anche è neceſſario che egli ſia quanto.

M. Anzi à neceſſario che egli ſia & quanto & corpo ancora.

L. Come? Hora voi vi contradite & diſtrugete tutto quello che hauete detto & venite à concedere tutto quello che inſino à qui hauete impugnaio.

M. Quelch'io dico hora, & quello che ho detto inſino à qui corriſponde tutto ottimamente inſieme, ma la ſolutione & verita delle coſe conſiſte non ſolo in quel che ſi dice ma nel modo dello intendere.

L. Se voi concedete che quel che muoue di neceſſità biſogna che ſia corpo non accettate voi l'argomento che voi hauete ſempre inteſo principalmente da impugnare, & in oltre vi biſognerà anche ſoluere gli argumenti che hauete poco fa addotti voi ſteſſo.

M. Horsù per non vi tenere più in ponte vi dico che il mobile reale & perſe & non inmaginario & per accidente biſogna che ſia corpo non corpo già naturale ma corpo per dir coſi quantitatiuo, perche ne il punto ne la linea ne anche la ſuperficie ſi poſſono dare in atto ſe non in queſto tal corpo almeno, & perche non poſſono eſſer da per loro non ſi poſſono ne anche muouere da per loro ma al moto ſolamente del corpo, reſta adunque che il mobile per ſe non poſſa eſſere ſe non il corpo, poſſono bene tutte quell'altre quantità & il punto che è non quanto muouerſi ò per ſe immaginariamente, ò per accidente ſolo ſecondo la realità ma il corpo è veramente quello che ſi muoue realmente per ſe.

L. Hauete coſi ſchifato e' voſtri argomenti aſſai bene, ma non veggo che voi non diciate il medeſimo che il principale argomento, perche l'argomento concluде coſi in genere che il corpo è ſolo atto à eſſer mobile & del corpo naturale ſolamente.

M. Auuertite che la prima coſa l'argomento voſtro non è buono dato che la coſa ſteſſi come voi dite perche coſi ne ſegue bene che la concluſione ſia vera ma non già buone le ragioni donde ella ſi arguiſce anzi ſempre ſi piglia in eſſo argomento il principio, oltre che ſi come voi volete che egli concluda del corpo in genere & non di queſto ò quello ſolamente coſi ancora per le medeſime ragioni douerrà concludere del moto in genere & non del moto reale & per ſe ſolamente ne dello immaginario, ma quando e' fuſſi anche tutto pepe quanto al reſto dico che in ogni modo biſogna intenderlo (ſecondo il propoſito in che egli è allegato) che egli eſcluda al corpo mero quantitatiuo & intenda del corpo mobile ſolo del corpo naturale.

L. Di queſto non ſono io punto capace, ma mi par bene che noi ci diſtendiamo troppo in queſto propoſito & inutilmente perche dato tutto quello che voi dite io non veggo quelche habbia à fare queſto al voſtro propoſito perche conceſſo quel che voi dite che il corpo ò reale ò quantitatiuo ſolamente poſſino eſſere ſolamente ſubjetto del mobile mi pare che da voi ſteſſo ne habbiate eſcluſo manifeſtamente le qualità, & tutto il noſtro ragionamento è ſolo à fine di dimoſtrare il contrario.

M. Vi riſpondo all'vna & l'altra objettione con vna ſola medeſima riſpoſta cioè che concedendoſi che il corpo quantitatiuo può eſſere ſubjetto del mobile ſi viene anche à concedere che le qualità ſi poſſino muouere dico per ſe & non per accidente, onde vedete che eſſendo indiritto tal'argumento à eſcludere anche il moto della qualità biſogna che egli intenda del corpo naturale & eſcluda el quantitatiuo & coſi anche da queſto potete vedere che la mia conſideratione circa di queſto era à propoſito & non come voi diceui.

L. Comincio hora à intenderui meglio & tutto ſta bene ma ci manca il più, & il meglio cioè che moſtriate, in che modo ſegue dal poterſi muouere il corpo quantitatiuo che ſi poſſino muouere le qualità per ſe, perche per ancora queſto mi è molto oſcuro ne credo che l'habbiate à moſtrare coſi facilmente.

M. Hormai noi ſiamo ridotti al maſtio ò alla rocca che ſi dica che è l'vltimo che ſi eſpugni nelle fortezze che già quanto al moſtro mi par che egli ſia prima che hora concio di ſorte che non accaggia più affaticarſeli punto intorno.

L. In vero che quanto all'argomento non veggo che gli reſti membro alcuno intero ma ſecondo che voi hauete diſcorſo poi più realmente mi è parſo che habbiate augumentato le difficultà contro di voi, hauendo oltre alle coſe difficili contro di voi che hauete meſſo in campo tolto à volere anche moſtrare queſta conſeguenza che volete hora moſtrare che in vero ſenza queſto l'argomento era ottimamente ſoluto, ma tutta la

difficultà è da quello che hauete soggiunto voi stesso: ma la difficultà mi pare ben tale che io stò più dubbioso che mai della solutione.

M. Non è dubbio che il volere intendere le cose esattamente & massime simili non è senza difficultà. Hor ditemi di gratia per venire alla fine di questo ragionamento; la freddezza verbi gratia è ella quanta ò non.

L. Dicou resolutamente che non è quanta; perche solamente il corpo è la sustanza si dice quanta & non la qualità & gli accidenti non predicono ne in astratto ne in concetto de gli altri accidenti ma solo in concreto della sustanza.

M. Hor notate quel che voi dite della qualità come in astratto & non in atto e verissimo ma consideratala così ella non è realtamente ma resta come vno ente nell'anima solamente, ma se voi la considerete te come in esser & realmente certo bisognerà che voi confessiate che ella sia quanta perche mai la trouerrete che ella non habbia le sue tre dimensioni.

L. Risponderoui facilmente à questo che quelle tre dimensioni non conuengono à lei ma al corpo in che ell'è fondata.

M. Questa alla fine quanto al mio principale intento non importerebbe molto perche in somma basta che si vegga che ella si muoua dico per se, ma da tal moto si vede anche che bisogna pure dire che come in atto ella sia quanta perche è pur forza che ella si muoua secondo le sue parti ma senza il moto ancora se ella non hauessi le sue parti come potrebbe ella informare vn corpo quanto? è necessatio adunque che ella corrisponda quanto alla ostensione al corpo che da lei debba essere informato, & se bene tal quantità conuiene principalmente alla sustanza & corpo natutale soggetto, conuiene nondimeno anche secondariamente à tali accidenti il che come ho detto si vede più manifestamente nel moto di essa qualità, ma la forma che informa vn corpo quanto, non si dice ella forma quanta come quella che informa vna cosa corporea si dice forma corporea & altre simli.

L. Veggo che mi andiate dichiarando molto meglio questa materia che io non mi aspettauo ma mi resta ancora non poca difficultà circa di questo che tal qualità si muoua per se & non al moto del corpo dato anche che ella migri di subjetto in subjetto.

M. Ditemi vn poco se voi mi concedete che queste qualità mutino subjetto non venite voi ancora à concedere che di necessità elle si venghino à muouere del moto lor corporeo & non al moto del subjetto? per che se elle si muouessimo il moto del subjetto in tal caso sarebbe necessario che quelli subjetti si vnissino, ò che elle restassino sempre nel medesimo subjetto il che è tutto contro al supposito, ma già si è mostro sufficientemente che elle migrono onde è necessario dire che elle si muouino per se & non solo per accidēte come anche del vacuo si mostra che egli si potrebbe muouere per se, se fussi & non al moto solamente dell'ambiente perche starebbe il moto di esso mutata ciascuna parte dell'aria circunstante così anche nella equalità sta il mutar di mano in mano tutte le parti del subjetto in che elle sono fondate & finalmente esso subjetto, onde se muoua dubitatione non ci souuiene non veggo che resti alcuna parte intorno à questo proposito alla quale non si sia satifatto.

L. Anzi mi hauete anche satisfatto insieme in questa vltima parte del ragionamento ad alcuni dubbij che nel ragionamento più à dietro erano restati sospesi de quali io voleuo dimandarui; ma mi hauete anche leuata questa fatica: & resto di tutto molto satisfatto dico se le qualità si possino muouere di subjetto in subjetto & che l'argumento in opposito sia fallace & finalmente che dalla antiparistasi si arguisca tal moto & così che la positione di essa repugni alla positione che le qualità non passino di sujetto in subjetto, & però io debbo per tutti e' rispetti concederui hora riposo da si lungo ragionamento & insieme commodità di attendere à qnalche altra cosa & io in tanto harò non poco che fare nell'andar ragunando & cercar di mettermi in habito molte cose intese da voi degne à mio giuditio di farne non poco capitale.

M. Ciascuno di noi adunque sia hor libero & di riposarsi, & di impiegarsi in quel che più gli preme & in tanto ripiglieremo il fiato per vn'altra occasione.

L. Perche la sustanza & argumento di questo ragionare che habbiamo fatto mi resti meglio impresso nella fantasia & ne faccia meglio capitale perche in vero conosco di non hauer ben raccolta ne tutta la sustanza (massime in questo vltimo) ostante la licenza data & presa fatemene vn poco di recapitulatione breue & sustantiale.

M. Ottima pensata eccouela volentierissimo. In prima si mostra sensatamente dalle tre apparenze addotte che le qualità passono di subjetto in subjetto, & poi quanto all'argumento che fa in contraria quanto anche non si sapessi soluerlo non per questo se li deue prestare orecchie, ma quanto poi à esso argumento egli si può intendere in più modi dico quanto alla maggiore doue si dice cioche si muoue, ò può muouere è corpo, perche si può intendere prima & quanto al moto reale solamente, & quanto al moto immaginario ancora: così ancora il corpo si può intendere & reale & Mathematico ancora, & di più in quel terzo modo che habbiamo detto cioè (secondo il nome che gli habbiamo) corpo quantitatiuo & da queste distintioni sene cauono più conclusioni perche se noi intendiamo del corpo naturale all'hora la maggiore sarà falsa, intendasi poi del moto ò quanto al reale ò quanto all'imaginario come si voglia perche se s'intende del moto reale è falso che si muoua realmente solo il corpo naturale perche si muoue realmente come si è mostro anche il vacuo & le qualità & così si muoue realmente non solo il corpo reale, ma anche il quantitatiuo & se intendete del moto immaginario sarà comune tal moto non solo al corpo reale

reale & al quantitatiuo ma anche al corpo Mathematico, & non ſolo à quello, ma anche alla ſuperficie alla linea & inſino al punto.

L. Ma il moto del vacuo non ſarà egli ancora eſſo moto immaginario non ſi dando realmente il vacuo, ma ſolo potendoſi conſiderare in eſſere come ſi è detto.

M. E differenza tra l'eſſer del vacuo & l'eſſer della ſuperficie linea e punto perche queſte qualità terminali non poſſono eſſere in modo alcuno ſeparate & in loro ſteſſe & il darle coſi repugna alla eſſenza loro, ma ſolo ſi poſſono immaginare per aſtrattione dal corpo ò altra quātità di modo che la linea ò ſuperficie ſenza il corpo non ſi può in modo alcuno porre in eſſere ſe non immagnariamente ma il vacuo quanto all'eſſenza ſua può eſſere realmente per ſe & ſenzainconueniente alcuno, onde queſto moto reale aſſoluto del vacuo non ſi dirà immaginario ma reale: è ben vero che non ſarà reale in atto aſſolutamente ma per conceſſione, ma tal conceſſione come ſi è detto non repugna all'eſſenza di eſſo, & però non ſegue che ſe il moto della ſuperficie & linea non poſſa eſſere ſe non immaginario per non poter darſi tali quantità terminali in atto per ſe; ch'el moto del vacuo ſi debba dire che non poſſa eſſere ſe non immaginariamente ancorache il vacuo non ſi poteſſi realmente trouare in eſſere perche non è nel medeſimo modo il non potere eſſere del vacuo, & il non potere eſſere di tali quantità da per ſe perche à quelle repugna eſſentialmente l'eſſer coſi, & al vacuo non repugna l'eſſere ſe non per l'impedimento.

L. Perche repugna l'eſſer da per ſe eſſentialmente à tali quantità?

M. In prima queſto è certiſſimo ſenza altra pruoua ò ragione perche neſſuno ſarà che non ſia capaciſſimo che vna ſuperficie che non ſia con qualche corpo non può eſſere cioe ſuſſiſtere & tanto manco della linea & del punto ma la ragione di queſto non è molto nota, & non, ſe non perche queſte tali quatità non ſono null'altro che termini, e'l punto cioè della linea & la linea della ſuperficie & la ſuperficie del corpo onde non potendo eſſere la ſuperficie ſe non è il corpo (perche è impoſſibile che ſia il termine d'vna coſa che non ſia anch'eſſa coſa & per dir meglio il termine ſenza il terminato) non può anche eſſere ne la linea ne il punto ſenza il corpo perche la linea per la medeſima ragione detta non può eſſere ſenza la ſuperficie ne il punto ſenza la linea.

L. Mi pare che la ſuperficie ſia pure anche altro che vn termine perche non diciamo noi la ſuperficie d'vn legno la ſuperficie d'vna pietra, &c. Et la veggiamo & tocchiamo; s'e pur dunde non ſol termine ma coſa naturale.

M. Il non conſiderare bene la natura di queſte quantità terminali ha cauſato & cauſa vna confuſione & multitudine di difficultà grandiſſima. Vedete & auuertite bene la ſuperficie ſi può conſiderare & come naturale & come quantitatiua ò termine come reale ella ſi conſidera in ordine à vn corpo naturale, & all'hora non è altro che l'vltima parte d'vn corpo naturale & tali ſon quelle chè voi hauete detto pur hora: la ſuperficie terminale poi non ha altra natura meramente che di termine, & queſta hà relatione ſempre à dui corpi non in quanto naturali, ma meramente in quanto corpi; & non è altro che vn termine comune tra eſſi dui cioè doue comincia l'vno, & finiſce l'altro, & doue finiſce l'vno comincia l'altro il che è nel medeſimo termine indiuiſibile che è eſſa ſuperficie il qual termine ò ſuperficie tale è ſempre tra due corpi che ſi tocchino immediate, come ſi vede in infiniti eſempli & coſi queſta ſuperficie terminale ſi cauſerà ſempre dal contatto di due corpi.

Mi pare vna coſa molto nuoua & molto ſtrana queſta diſtintione di ſuperfieie, & non veggo come le ſuperficie naturali poſſino eſſere diſtinte dall'alre nature di ſuperficie reali perche io non credeuo che ſi trouaſſi altre ſuperficie realmente che quelle ſi veggono & toccono come io ho detto, & poi non veggo quello che ſi habbiamo à fare queſte ſuperficie che voi dite terminali con quelle naturali non ſò accollare queſte coſe inſieme & non intendendo altro dubiterei che non fuſſi vna voſtra immaginatione. L.

M. Prima vi moſtrerò per eſemplo, & per vno eſemplo ſommamente à propoſito à dichiarare & dare ad'intendere queſta materia che tal diſtintione non è nuoua ma coſa & vſata & accettata ſe bene in altra natura di termini, & poi vi moſtrerrò per ragione che non può eſſere altrimenti & che tutto quello che ho detto è certiſſimo & neceſſariiſſimo. Ditemi di gratia non dite voi, dico voi, cioè tutti quelli che ſeguitano Ariſtot. in via del medeſimo Ariſtot. che ſi truouano due maniere di inſtanti? Cioè inſtante di natura & inſtante di tempo? Et che e' dui inſtanti di natura congiunti inſieme fanno vn ſolo inſtante di tempo?

L. E' vero & non l'haueuo ben conſiderato ma mi pare anche pur gran differentia tra la ſuperficie & l'inſtante, ò ſia di tempo ò ſia di natura di modo che io non reſto per ancora capace à mio modo non veggendo maſſime per ancora à che effetto biſogni dare queſta diſtintione nella ſuperficie.

M. Non vi ho io offerto di prouarui dimoſtratiuamente cha la coſa ſtia coſi? Ma quel che habbia à fare la ſuperficie con l'inſtante ſecondo la ſimilitudine allegata è aſſai manifeſto dalla ragione per la quale ſi muouono coſtoro à dare tal diſtintione de gli inſtanti.

L. La ragione che gli ſforza à dir queſto è che altrimenti biſognerebbe dire ò veramente che vna medeſima materia il medeſimo inſtante ſteſſi ſotto due forme ò inſieme con l'habito & priuatione d'vna medeſima forma, ò vero biſognerebbe dire che ſi deſſi tempo nel qual tal materia ſteſſi ſenza forma alcuna.

M. Non v'increſca replicare più diſteſamente tal argumento che non verrà punto fuori di propoſito.

Verbi

L. Verbi gratia quando vn'animale muore necessario è che in tal caso si dia l'vltimo instante della forma precedente cioè della vità ò habito sotto la quale è stata tal materia, & di più è necessario ancora dare il primo instante della forma del cadauero ò priuatione della vita è precedente forma, hora si dimanda se quest'habito & questa priuatione accaggiono in vn medesimo instante ò in diuersi, è se in vno, adunque in vn medesimo instante sarà la medesima materia sotto due diuerse & repugnãti forme ò sotto l'habito & priuatione il che è impossibilissimo, & se sarà in diuersi instanti bisognerà di necessità dire che vi corra sempre mezzo nel quale tal materia sia senza alcuna forma perche e' dui instanti non possono stare distinti che non vi corra tempo in mezzo si come non possono stare distinte dui punti che non vi sia linea mezza.

M. D'onde viene che dui instanti non possino stare distinti che non vi sia tempo in mezzo?

L. Da che se non dalla indiuisibilità dello instante & per la medesima ragione che nel punto accade il medesimo.

M. Perche dalla indiuisibilità ne segue questo?

L. Perche se l'indiuisibile tocca l'indiuisibile immediate non può causare quantità ma pur causono cosa indiuisibile & questo è vn principio manifesto come anche si è mostro nel nostro passato ragionamento.

M. Voi dite benissimo che il quanto non può esser composto del non quanto come di parti quantitatiue massime ne anche proportionali come il legno di parti che non sieno legno & l'aria di parti che non sieno aria & così di tutte l'altre, & questo è vn di quelli principij che non si ha dal senso ma dalla natura della cosa se bene le sensationi aiutono la perfettione dell'intelletto tal che possa poi esser capace & da se stesso apprendere questi & simil principij si come ne anche quando per prouarli si assegna questo & quello esemplo tale assegnatione & indutione: non e quella che pruoui tal principio, ma è vna certa dichiaratione ò manifestatione di esso mediante la quale l'intelletto si fa capace & atto à apprendere tal principio, ma che egli sia poi certo lo conosce da se stesso poi che l'ha conpresso, & non punto per vitù di quella tale assegnatione fatta ho voluto dirui questo così insidentemente perche non pochi s'ingannono pansando che questa tale assegnatione sia l'indutione & che questi principij si pruouino per la indutione il che è falsissimo come per se è manifesto oltre che così ne seguirebbe che la più perfetta, & più certa, & più vniuersal notitia che noi possiamo hauere si causassi dalla indutione che e il più imperfetto argumento che sia & che anche non conclude mai vniuersalmente ma solo de gli indutti. Hor per tornare tutto quello che voi hauete risposto alle mie vltime dimande è verissimo & stà benissimo ma da questo sene caua, che e' due instanti hanno in quanto indiuisibili che non possino essere insieme immediate che non diuentino vn medesimo instante.

L. Questo si vede manifesto, & per queste ragioni si dice che si da due maniere di instanti cioè quelli che come separati risguardono determinatamente quella tal forma, & questi si chiamono instanti di natura & quelli che si considerano dal concorso & vnione di questi tali instanti di natura, & questi gli chiamono instanti di tempo & così si dice che dall'vnione di dui instanti di natura ne nasce vno instante di tempo, & così à quella objettione tanto fastidiosa si dice che quella priuatione e habito, sono vn medesimo instante di tempo, & così non occorre dare la materia senza forma per alcun tempo, & che quello instante di tempo e dua in stanti di natura & così non occorre dire che nel medesimo instante la medesima materia sia sotto due forme diuerse.

M. Hor notate bene questa solutione certo è defettuosa non poco ma noi ne caueremo in ogni modo questa commodità che mediante essa verremo in certissima cognitione che il medesimo sia da dire della superficie che si dice dello instante.

L. Come defettuosa questa solutione? La quale è giudicata dalle più belle & più sottili che sieno nella Filosofia.

M. E' defettuosa, & non solo si può conoscere che ell'è tale ma si può anche facilmente assegnare la vera & perfetta solutione; & la imperfettion sua consiste in prima che ella tenta di prouare ò saluare per impossibile quello che si può prouare direttamente, & di poi non lo salua ne anche anzi chi considera, bene più tosto augumenta difficultà & confusione: perche si assegna in essa vna distintione di instanti che non si vede in su quelche sia fondata ne quel che veramente si voglia dire.

L. Come non si vede in su quel che è fondata? Non è ella fondata in questo, che se non fussi tal distintione bisognerebbe incorrere in vno delli sopradetti inconuenienti. Ma voi dite che ella non pruoua direttamente à me pare gli che ella pruoui direttamente.

M. Voi medesimo hauete hor detto che ell'è fondata in su lo escludere l'nconueniente come è vero, & non è fondata nella natura della cosa & però la chiamo per impossibile & indiretta & per conseguenza imperfetta, massime potendosi dare dalla natura dalla cosa e per conseguenza perfettamente come hor'hora vi mostrerrò, ma ditemi di gratia che differenza mi fate voi tra gli instanti di natura, & quegli del tempo.

L. Quegli della natura risguardono la natura della cosa & quegli del tempo solemente il tempo.

M. Hauete detto benissimo ma quegli instanti della natura risguardono il tempo, ò non lo risguardono? oltre al risgualdare la natura della cosa?

L. Bisogna dire che lo risguardino che altrimenti sarebbono vna cosa fuori di proposito ne si potrebbono dire princio d'vn tale

essere

essere ne fine d'vn tale, non veggo à quelche vogliate riuscire ma conosco bene che à questo non si può rispondere altrimenti con verità.

M. Ma se e' risguardono il tempo saranno eglino maggiori ò minori dello instante del tempo ò pure equali.

L. Bisogna dire che sieno equali altrimenti direbbe qualche pazzia manifesta.

M. Ma se egli è cosi è manifesta cosa che realmente l'instante del tempo & l'instante della natura sono vna cosa medesima & non vi è altra differenza se non che si può considerare l'instante & rispetto à vn tempo solo cioè ò passato solo, ò futuro solo & come mero termine di esso & puossi considerare come termine comune di questi dui tempi che sia poi di natura ò nò, non lo ha da questa distintione ne ha che fare in questo proposito, ma lo ha dal considerare quel tempo non come tempo assoluto ma in quanto assoluto ma in quanto che misuri qualche essere naturale, ò durarione di essa per dir meglio, onde si vede che questo instante di natura non può saluare quella apparenza mediante tal distintione perche essendo egli realmente il medesimo che l'instante del tempo non si può dire che la natura di tali instanti sia diuersa & tanta differente oltre che come si è detto la detta distintione di natura & di tempo non fa à proposito.

L. E' verissimo che questo nome è mal posto perche in vero l'essere instante di natura può accadere & al termine comune & al termine proprio per dir cosi come voi hauete ma nondimeno potrà pur esser buona tal distintione in quanto che si ella vuole accennare & dir questa distintione dello instante comune rispetto à due tempi, & instante rispetto à vn sol tempo, cioè che l'instante della natura sia in quanto che risguarda & termina solo vn tempo & instante del tempo sia in quanto che risguarda & termina comunemente due tempi.

M. Voi potresti dare tante strappate di corda à quelle parole che voi facessi dir loro à vostro modo, & non come loro la intendono non è dubbio che in quel modo che voi dite hora si comincia à entrare per la via buona; & da questo anche si vedrà che la solutione detta si può dare direttamente & dalla natura della cosa perche non è dubbio che e' due instanti toccandosi insieme per le ragioni dette diuentono vn medesimo instante.

L. Ma come mi verite voi à saluare l'esser in vn medesimo instante la medesima materia sotto le due forme dette che pur mi pare si torni da capo nelle medesime difficultà.

M. Chi considererà bene la natura dello instãte & come ella si ha all'essere nõ farà dubbio alcuno ne difficultà in questo che voi dite perche l'instante non corrisponde all'essere ma al principio ò alla fine dell'essere, il tempo è quello che corrisponde all'essere & si come l'instante è principio del tempo cosi anche quel momento per dirlo cosi è principio dell'essere benche innominato onde è cosa falsa che cosa alcuna sia in alcuno instante si come sarebbe falsissimo il dire che ella cominciassi & finissi in tempo, ma la cosa è in tempo & comincia & finisce in instanti.

L. Ma se questo fussi bisognerebbe che la cosa in mentre che è non fussi perche nel tempo che ell'è sono infiniti instanti & cosi bisognerebbe che in quelli instanti ella non fussi secondo che voi assegnate, & cosi in mentre che ell'è, ella non fussi.

M. Voi dubitate bene & questo non è poco, ma non basta questo bisogna anche per vedere più oltre alle solutioni

L. Il caso è saperlo fare.

M. Non è difficile à chi considera bene la natura delle cose & che sia il vero vedete che maggior parte delle solutioni de gli argumenti & quesiti che paiono difficilissimi come si sono intesi paiono molto facili & piani è da marauigliarsi di non l'hauer trouate molto presto da se stessi il che non è per altro se non perche le solutioni consistono per lo più in certi auuertteze le quali fanno poi la cosa facile & piana.

L. Parmi che voi mi diciate hora mezza villania dicendomi che io non intendo ne conosco le cose molto facili & piane ma io ho tanti & tali compagni che non me ne vergogno, ma seguitate di gratia che queste parentesi auuiluppono non poco el ceruello.

M. Notate ben queste due cose, l'instante non toglie in tutto l'essere ma quella successione che dice l'essere.

L. La successione non è essentiale all'essere.

M. E' essentialissima perche non vi immaginate che vna cosa sia stata che non gli diate qualche minimo di tempo che harà il suo prima & poi è cosi di necessità la successione & tempo mezzo oltre che si come è detto della linea che non può constare di punti ne il tempo di momenti, cosi ne anche l'essere di principio di essere, & però è necessario che habbia essentialmente in se la successione.

L. Se adunque l'instante toglie all'essere la successione & che la successione è essentiale all'essere come adunque non toglie l'instante l'essere? parmi che potresti hauer dato vna volta nella rete che l'harei più caro che se vi hauessi dato tanti beccafichi raggiunti quanto ella ne può tenere.

M. Poco caro l'haresti perche questa rete che voi dite non è punto atta à tener beccafichi; ma voi diuertite & dite che vi da fastidio facilmente mi suiluppo di questa ragna dico che l'instante toglie cioè niega l'essere ma non in tutto cioè in quanto che pone la relatione all'essere, si come l'instante pone la relatione al tempo, parlo sempre dell'instante & tempo non come in se stessi ma come applicati all'essere hor notate l'altra cosa che importa più lo instante nella successione del tempo non è in atto ma è solo in potenza: hor da queste due positioni raccogliete la solutione del vostro motiuo.

L. Bisogna prima che voi me l'acconciate che

che io la possa aggiungere se voi volete che io la raccogga perche cosi come sta io non la posso punto aggiugnere.

M. Hora vel'appresso & acconcio in mente che la cosa è, & che quello essere è misurato da quel tempo certo è che ella non trapassa alcuno instante se non in potenza in atto nò?

L. E' certissimo ma che per questo?

M. Come che? sarà adunque sempre attualmente in tempo & secondo la successione ma per dichiararui meglio voi stesso sapete quel che inferisce il vostro argumento.

L. Vi prometto che ho vn gran bisogno che mi sia dichiarato perche siate certissimo che quanto più imparo più mi pare conoscer di saper manco: & per dirla l'ignoranza mia.

M. E' buona ignoranza quella che procede dallo imparare, ma il vostro argumento conduce à questo che si come nel tempo sono infiniti instanti in potenza cioè secondo e'quali si potrebbe dire che quiui finissi il tempo passato & cominciasse il futuro; cosi ancora nell'essere sono infiniti termini in potenza secondo e'quali si potrebbe dire fussi il fine dell'esser precedente & principio del sussequente & questo non è inconueniente alcuno perche come habbiamo detto questo instante è solo in potenza & dice vn potersi considerare secondo di esso vn termine comune delle parti precedenti & sequenti.

L. Vi dico il vero io non sono ancora ben capace di questa solutione perche ditemi di gratia questo instante che voi dite che è in potenza nel tempo non diuenta egli in atto come voi lo considerate come fine di qnel tempo passato & principio del futuro? che egli sia adunque in atto ò non sia è per accidente bisogna pur dunque che se questo essere passa per questo tempo che egli fussi per questo instanti & cosi mi pare che se noi vogliamo considerarla realmente che la difficultà resti ne sui termini & che queste vostre solutioni sieno più tosto à confusione che reali.

M. Voi vi ingannate M. Lorenzo per vna certa immaginatione che voi fate diuersa dal vero come occorre in infinite cose innanzi che elle si posseghino bene; & potete ricordarui ancora se però vi interueniua come à me da fanciullo che mi pareua cosa impossibile che fussino gli antipodi & che essendo doueffino stare col il capo allo in giù in aria & con e' pie di alto in sù in terra; auuertite bene che come si è detto l'instante non è proportionato all'essere, & per darui vno esemplo più chiaro, Immaginateui verbi gratia in vna linea vn punto à vostro piacere cioè che sia veramente punto senza alcuna longitudine & vn mero termine, & immaginateui che vn corpo quantunque minimo si muoua sopra à detta linea, non è dubbio che trapassandola tutta trapasserà anche quel punto. Nel trapassare egli quel punto direte voi mai che quel tal corpo sia in quel punto? certo nò se non vorrete errare manifestamente ma quel corpo sarà sempre ò vero tutto di quà da quel punto ò vero tutto di la da quel punto ò vero parte di quà, & parte di là da quel punto, & cosi mai sarà in quel punto benche passi tutta quella linea cosi quell'esser si bene passerà secondo la sua duratione tutto quel tempo nel quale sia vno instante nel modo che habbiamo detto di quel punto respettiuamente, non però sarà mai tal'essere in quello instante ma ne più ne meno come habbiamo detto del corpo rispetto à quel punto il diuisibile & quanto non può essere misurato ne contenuto dallo indiuisibile & cosi viene chiaramente soluta ogni vostra dubitatione.

L. Oh hor si che io l'intendo & sò capace ma non veggo quel che à tal proposito habbia che fare quella distintione & regola che voi assegnasti che mi par poteui far di manco.

M. Hanno che fare ma per hora bastiui esser ben chiaro del vostro dubbio, & quando non haueffino chiaramente pure intese quelle distintioni seruiteuene à quelche voi le conosceteb uone.

L. Conosco hor veramente che quella difficultà che si solue con quelle distintioni di instanti di natura & instante di tempo era molto più perfettamente soluta come voi hauete detto dalla natura dello instante perche e' due instanti come si è detto toccandosi diuentono vn medesimo instante, & quella difficultà che mi pareua cosi grande cioè che da questo seguitassi che in vn medesimo instante la medesima materia fussi sotto diuerse & repugnanti forme veggo che è vna mera vanità & che facilmente vien soluta da questo che non è vero che tal materia sia mai ne in quello ne in alcuno instante sotto forma alcuna ma si bene che ò comincia à essere in vno instante sotto vna forma ò che finisca di essere sotto di quella ò sotto di vn'altra & cosi che il congiugner quelli due instanti insieme non fa che ella sia in quello instante che ne resulta sotto le due forme ma si bene che nel medesimo instante ella cominci à essere sotto dell'vna & finisca d'esser sotto dell'altra, cose tutte non solo conuenientissime & naturalissime ma anche necessarissime & che cosi bisogna che sieno continuamente tal che ho cauato & piacere & frutto da questo discorso, ma seguitate hora à mostrare da quello che si è detto ò più tosto à dichiararlo come da esemplo che la superficie non sia altro che termine tra due corpi, & quel che sia quella superficie che noi veggiamo & tocchiamo, poi potrete seguitare con molta più satisfattione la recapitulatione incominciata la quale io desidero molto perche in vero non posseggo bene questo tutto à mio modo, ò sia che io non me ne ricordi bene ò sia che forse voi non habbiate anche finito bene di dichiarare ogni cosa & ridurle à membri & luoghi loro.

M. Anzi finito questo presente proposito per maggiore satisfattione vostra vi incomendo la recapitulatione da capo & può esser facilmente che io habbia mancato in tutte le cose che voi dite perche vn ragionamento cosi fatto non è come il trattare vna scienza ordinatamente la quale suppone le cognitioni

tioni preuie & non occorre mai tornare adietro ma à noi è ſtato neceſſario volendo intendere bene queſta materia il dichiarare & eſaminarne di molte fuori di eſſa, talche mi harete ſcuſa ſe io non ho potuto & ſaputo oſſeruare vn certo ordine continuo in queſta materia, & anche haueſſi mancato in qualch'vna delle coſe che hauete detto & ſopra tutto delle tante parenteſi & digreſſioni fatte venendo hor dunque alla coſa delle ſuperficie auuertite in prima che quella che voi dite ſuperficie d'vna pietra & d'vn legno & ſimili ſi può conſiderare in due maniere, & come coſa naturale con quelle ſue qualità proprie, &c. Et come meramente vn termine d'onde ò doue comincia quel tal corpo ma ſe voi lo conſidererete nel primo modo queſto ſi potrà dire ſuperficie naturale ma auuertite che queſta non ſarà veramente & propriamente ſuperficie anzi più toſto ſi dirà parte verbi gratia di quella pietra nell'altro modo ſarà veramente ſuperficie è termine ma particulare & non commune credo che intendiate queſta diſtintione.

L. Intendo beniſſimo queſta diſtintione che già è ſtata dichiarata à ſufficienza ma non intendo già punto in che modo quella ſuperficie che noi veggiamo ſi poſſa dir parte di quella pietra, & che ella non ſia vera ſuperficie, ne mi poſſo immaginare come melo darete ad intendere? Anzi mi par che dimoſtratiuamente ſi moſtri queſto eſſere impoſſibile perche non è dubbio che tal ſuperficie non ha profondità non veggendo noi profondità alcuna ſe non delle coſe diafane ma ſe ella non ha profondità & che ella ſia parte della pietra biſognerà che il profondo ſia compoſto di parti non profonde & che quello che ha longitudine & latitudine & non profondità non ſia vera ſuperficie.

M. Di queſto vi dich'io bene M. Lorenzo che non douete punto marauigliarui ſe non lo capite à voſtro modo perche io reputo che ella ſia delle difficili coſe che noi habbiamo in tutta queſta ſcienza da eſſere inteſa, & vi prometto che biſogna adoperare bene l'intelletto à volerla intendere, perche queſto è vno di quegli enti che ha vno eſſer forſe innominato, & certo che da vna parte le ragioni che voi hauete addotte ſtringono fortiſſimo, nondimeno dall'altra ſe noi vogliamo conſiderare la coſa realmente ſaremo pur forzati à dire che quello ſia vna parte di quel corpo perche ſe non fuſſi coſi noi non vedremmo ne toccheremmo mai corpo alcuno ma ſolo ſempre le ſuperficie, & queſto non ſarà mai alcuno che lo dica, ne che lo tenga coſi & non ſia certo di vedere non la ſuperficie di piero ma Piero & non la ſuperficie di quella pietra ma quella pietra & coſi di tutte l'altre ſimili coſe.

L. E' veriſſimo ma vi dirò à queſto che ſe noi veggiamo & tocchiamo le coſe le veggiamo, & tocchiamo ſecondo la loro ſuperficie, & però che il vedere & toccare che voi dite non oſta punto che tal ſuperficie non ſieno veriſſime ſuperficie.

M. Queſti che dicono che noi veggiamo & tocchiamo il corpo mediante la ſuperficie diranno anche che tal ſuperficie è l'vltima parte di quel corpo che tornerebbe in quel che dico io, laſciamo queſte oppinioni & venghiamo à vna ragione che ſtrigne molto più. Ditemi di gratia queſta ſuperficie verbi gratia di queſta pietra è ſuperficie di pietra non è il vero.

L. Non ſi può negare anzi per queſto ſi diſtingue la ſuperficie naturale dalla terminale, cioè perche la naturale dice & contiene in ſe oltre all'eſſer termine natura.

M. Coſi anche la ſuperficie di quella cera verbi gratia ſarà di cera per la medeſima ragione. Hor ſupponghiamo che queſte due ſuperficie ſi vniſchino inſieme cioè ſi tocchino immediate vi dimando ſi la ſuperficie di pietra diuenterà cera ò di altra natura & coſi di quella di cera ò ſi pur tuttadua reſteranno nella lor natura.

L. Non veggo che ſupponendoſi ſolamente il contatto di eſſi immediati circonſcriuendo ogn'altra mutatione ò alteratione che ſi poſſa punto dire che alcuna di loro habbia à mutar natura ma neceſſariamente reſterà ciaſcuna di eſſe nel ſuo naturale eſſere ne vi ſarà fatta altra mutatione che dal non toccarſi prima inſieme al toccarſi di poi.

M. Vi dimando hora ſe queſte ſuperficie reſteranno due ſuperficie ò pur diuenteranno vna ſuperficie ſola.

L. Non veggo che ſi poſſa dire che queſte due ſuperficie diuentino vna perche coſi biſognerebbe che la medeſima ſuperficie fuſſi & di cera & di pietra il che mi pare impoſſibile, impoſſibile dico in queſta maniera come per ſe è manifeſto.

M. Se adunque quelle due ſuperficie toccandoſi inſieme immediate reſteranno due ſuperficie, & non vna ſola; vedete che è neceſſario dire che elle non ſieno vere ſuperficie terminali ma qualche altra coſa ò più, ò diuerſa perche ſapete che le due ſuperficie quelle dico che s'intendono per ſuperficie toccandoſi inſieme diuentano vna ſola ſuperficie come appare per la dimoſtratione che ſe ne fa corriſpondente alla dimonſtratione di due punti che toccandoſi diuentono vn punto & alle due linee che toccandoſi dico per la latitudine diuentono vna & il medeſimo & per la medeſima ragione ſi dimoſtra delle due ſuperficie che ſi tocchino cioè ſecondo la profondità & per riduruelo meglio à memoria l'argumento è tale ſe due ſuperficie ſi toccono ſecondo la profundità, ò elle cauſeranno pur due ſuperficie, ò vero vna, ſe vna ſi ha l'intento ſe due ſi dimandera ſe quelle due ſuperficie ſaranno nel medeſimo luogo appunto, & ſe pur ſaranno diſtinte ſecondo il luogo, ſe ſaranno in vn medeſimo luogo appunto ſenza dubbio ſaranno vna ſola ſuperficie perche ſarà pure vna ſola longitudine & latitudine ſenza profondità & la medeſima & ſe occuperanno diſtinto luogo ſi dimanda ſe tutta due inſieme cauſeranno profondità ò nò ſe non la cauſeranno ſi

tornerà nel medesimo che sieno vna superficie sola, ma se le causeranno la profondità si causerà & comporra della non profondità, il che già si è mostro essere impossibile è adunque necessario, che se due superficie sono distinte tra di loro & non vna medesima che vi sia spatio in mezzo & non si tocchino.

L. Dico à questo che non sarà inconueniente che quella medesima superficie verbi gratia di pietra sia il principio di quel corpo di pietra & fine doue termina quell'altro.

M. Dicendosi cosi sarà vn'altra risposta diuersa, & non soluerete ne anche la difficultè, perche non mostrate come possino stare insieme queste due & essere vna medesima restando tutta due di diuerse nature & ciascuna nella sua natura ma in oltre veresti hora à cominciare à pigliare la superficie non in questo senso interamente che noi intendiamo: ma come termine è principio.

L. Ma perche non può ella essere & naturale & anche principio.

M. Rispetto à vn corpo solo si potrebbe saluare ma come si considera quel contatto delle due superficie non si può poi saluare perche bisognerebbe venire à dire ò che elle diuentassimo vna medesima superficie il che già si è visto che non può essere ò che si dicessi qualche altra cosa non meno assurda.

L. Certo che io veggo questa difficultà tanta grande che non spero che voi me la fiate per poter soluere perche da ogni parte sono ragioni che non si vede come possino essere più dimostratiue, perche da vna banda non si vede come si possa negare che queste di che si parla non sieno vere superficie, & dall'altra si può manco negare che non gli conuenga le conditioni che necessariamente conseguono alle superficie in quanto tali cioè il diuentare vna stessa le due che si toccono perche tocchinsi quanto si voglino la cera & la pietra & stieno bene appiccate insieme pure noi vedremo manifestamente che tutta la pietra starà insieme vnita, & tutta la cera starà insieme vnita & saranno interamente in luoghi distinti ne secondo alcuna parte haranno alcun luogo comune tal che in vn medesimo luogo si possa dire che vi sia cera & pietra ma assolutamente l'vna sarà sempre di quà & l'altra di la come si vede sensatamente.

M. E' adunque necessario à dire che questa superficie, che noi diciamo naturale, sia di diuersa natura dalla terminale dico anche in quanto superficie & non solo in quanto per essere contratta à quella materia & natura ma oltre à di questo apparisce la medesima necessità della differenza da vna conditione di esse più manifesta ancora: benche tutte poi concorrono in vna medesima cosa ma assai è se vna ragion sola si mostri necessaria per più vie, non si mostrando cosi bene per vna, & non si conoscendo cosi per tale; & la ragione è questa che come noi habbiamo detto la superficie terminale cioè la superficie in quanto superficie ha questo di esser sempre in termine mezzano tra due corpi, & non è altro se non doue comincia l'vno & finisce l'altro che è il medesimo indiuisibile & se voi considererete bene questo termine non dice in se natura alcuna ne di pietra ne di cera ne bianca ne cossa ne null'altra che questa tal terminatione comune come verbi gratia se sarà vn campo d'vno scudo mezzo bianco & mezzo nero direte voi che quel termine sia bianco ò nero.

L. Non certo ma si bene principio del bianco & fine del nero & per il rouescio.

M. Hor vedete adunque che la vera superficie è quella che termina tra le due superficie naturali & ha tutte queste conditioni che si dicono ma le naturali non possono esser scambieuolmente principio dell'vn corpo & fine dell'altro come verbi gratia nel caso che noi parliamo di questa cera & pietra che si tocchino direte voi mai che quella superficie della pietra sia principio & fine di quella cera & cosi che quella cera sia il principio & il fine di quella pietra.

L. Non certo.

M. Anzi dalle cose dette & dal senso stesso potete molto euidentemente conoscere che come vi partite punto da quella tal diuisione stessa che immediate quello che succede è il corpo & la cosa terminata & senza dubbio nessuno dirà ò crederà punto che il medesimo sia quel tal termine della distintione che io dico cioè quella stessa distintione tra la cera & la pietra che la superficie naturale ò della pietra ò della cera.

L. Non veggo dubbio alcuno che non sia necessario dir che elle sieno cosi distinte queste due spetie di superficie.

M. Ma ditemi di gratia come voi vi partite da tal distintione non si truoua egli immediate ò di quà, ò di là che andiate il corpo, di quà verbi gratia la cera & di là la pietra?

L. E' manifestissimo al senso.

M. Et se immediate voi date nelle superficie naturali dette non egli necessario dire che questa tal superficie sia parte di quel corpo; ma di più il senso & la ragione stessa insieme non vi mostrono el medesimo, se voi vedete verbi gratia vna pietra non conoscerete voi certissimo che tutto quello che è contenuto in essa pietra ò è essa pietra ò parte di essa.

L. In vero che io non veggo come si possa negare che questa tal superficie naturale non sia parte del corpo.

M. Dunque per conseguenza corpo.

L. Ma tutto il mio trauaglio in questo è come ella possa essere corpo non hauendo profondità come si è detto per che quanto al resto gli argumenti veggo che non possono concludere più efficacemente di quello che si fanno.

M. Hor vedete qui è horà doue bisogna supplire con la ragione & aiutare il senso, perche se noi siamo certi per dimostratiue ragioni che quella superficie che si vede & tocca

tocca è parte di corpo & cosi corpo bisogna anche dire che l'occhio scorga non solo la mera superficie ma anche secondo vna certa profundità minima è insensibile che sarà veramente il minimo della profundità perche in vero non si può vedere la superficie del corpo che non si vegga che il dire che si il corpo che il dire che si vegga il corpo mediante la superficie è più tosto vna fuga senza intender bene quel che l'huomo si dica che vna risposta reale è che quieti perche è necessario dire se il corpo è visibile ò inuisibile.

L. A questo si risponderebbe che egli è visibile mediate ma inuisibile immediate.

M. Sapeuo che haueui questa risposta appunto gettata nella stampa ma oltre che ella non vuol dir nulla non credo che intendiate anche quel che pur' ella si possa voler dire, & perche voi veggiate quel che io dico, ò mediate, ò immediate che si sia voi mi concedete che quel corpo sia visibile; & se visibile (ma basta) bisognerà pure che ò mediate ò come voi vogliate si vegga secondo la profundità.

L. Auuertite che quando io dico che quel corpo si vede mediate intendo che si vede in quanto che si vede la superficie di essa & che all'hora diciamo di vedere vn corpo perche veggiamo la superficie di esso.

M. Adunque verrete pure à dire che ò mediate ò immediate il corpo sia inuisibile, ma che il vederlo sia solo secondo vn nome cioè che solo si vegga la superficie ma che noi diciamo & nominiamo di vedere il corpo quando veggiamo la superficie di esso ma che il corpo totalmente sia inuisibile. Questo la natura stessa lo rifugge ne lo dirà mai alcuno se non tirato à poco à poco da gli argumenti come hauete fatto hora voi. E' adunque la verità che il corpo si vede secondo la superficie cioè secondo la superficie naturale laquale è parte di quel corpo è cosi corpo anch'essa.

L. Ma se ell'è corpo harà anch'essa superficie & bisognerà pur vederla secondo quella & cosi si multiplicherà in inconuenienti grandissimi, & hora appunto mi sono accorto di questa difficultà laquale ritorna à rimettermi il ceruello à partito.

M. Queтateui pure se non ci è altro male: hauete inteso che io vi ho detto che questa tal superficie è vn corpo d'vna minima profundità, il che è necessario dare ne corpi reali perche habbiamo già detto & anche è secondo Aristot. che il corpo naturale non patisce la sua infinita diuisione ma termina sempre à e' sua minima (non si potrà adunque più vedere tal superficie ne hauere altra superficie non si possendo quella minima profundità diuidere in altra minore profondità ma qui termina quel minimo il quale è sufficiente & necessario à queste sensationi naturali & reali.

L. In vero che voi non haueui il torto à dirmi che questa era materia difficile ch'io per me ci ho hauuto á impazzare ne mai più mi trouai col ceruello nel maggiore frangente ne più in su la superficie del girare, però non voglio star piu ad auuilupparmi à torno, oltre che in verò per la difficultà della materia mi par restarne tanto capace & con tanta poca difficultà che io mi stupisco che ella si sia raddotta in questo termine. Intendo hora benissimo adunque che ne le superficie ne finalmente altro che e' corpi possono sussistere ne per conseguenza muouersi realmente per se, se non secondo la immaginatione Potete hor dunque seguitare in pigliare doue vi parrà liberamente la recapitulatione incominciata.

M. La ripiglierò da capo & anche più perfettamente però dico che in quella maggiore quando si asserisce che cio che si muoue è necessario che sia corpo, si può pigliare & il moto & il corpo diuersamente & quanto al primo. Il moto si può intendere & reale & immaginario & per se, & per accidente; il corpo poi si può intendere & naturale & Matematico, & quantitatiuo, hor da questa distintione apparirà manifestamente l'imperfettione dell'argumento, perche se si intendera del moto immaginario, non solo non sarà impossibile che si muoua altro che il corpo ma ogni quantità ancor che terminale anzi il punto stesso si mouera come habiamo detto che dal flusso immaginario del punto si causa la linea & da quello della linea la superficie, & da quello della superficie il corpo, onde è manifesto che in tale argumento non si può intendere del moto immaginario, ne manco si può intendere del moto per accidente perche è anche più largo & si esten de non solo alle dette cose ma & alle qualita & insino all'amina & cose incorporee.

L. E' verò, bisogna intendere senza dubbio che l'argomento dica del moto reale & per se altrimenti sarebbe falsissimo molto euidentimente, ma inrendendosi del moto reale per se che ne segue poi.

M. Hora intendendo di tal moto come voi benissimo dite che è necessario, bisogna vedere poi di qual maniera di corpo vuole intendere, & prima del corpo immaginario non può intendere perche il corpo immaginario non si può muouere realmente.

L. Porrassi forse intendare quando si dice che cioche si muoue è corpo, del corpo & reale & immaginario & del corpo & reale & immaginario ma corrispettiuamente ciascuno al suo.

M. Già si è detto che intendosi del moto immaginario si estendera tal moto solo al corpo immaginario ma ancora alle quantita terminali & anche infino al punto.

L. Horsù io sono capace che non si può anche saluare tal propositione intendendosi del corpo immaginario, ma intendendosi del corpo reale che direte? Già che noi ci siamo ristretti al moto reale per se.

M. Par che voi non vi ricordiate di quello che tanto esaminatamente habbiamo resoluto & mostro cioè che non solo il corpo reale si muoue di moto reale per se ma che è comune anche & al corpo quantitatiuo & anche alla qualità.

L. Non vi marauigliate se io non haueßi cosi bene non sol tenuto à mente ma ne anche inteso capacemente ogni cosa & perche hò io desiderato da voi questa recapitulatione? ma se si piglierà ò intenderà del corpo quantitatiuo non veggo quello che in questo possiate dire.

M. Che posso io dire altro senon che pigliando cosi la maggiore assegnata ella sarà verissima & realissima cioè intendendosi del moto reale per se & del corpo quantitatiuo & del reale.

L. Oh adunque pur si può saluare.

M. Veggo che haueui bisogno di questa recapitulatione. Puossi senza dubbio saluare questa maggiore cioè ò pigliandola in questo senso ma se la intenderete cosi? senza dubbio sarà falsa la minore & per conseguenza l'argumento perche voi pigliate in essa minore, che le qualità non sieno corpo il che è falso come si è mostro.

L. Oh io comincio à restar meglio capace di questa vostra intentione & ordine del prouarla che vi prometto che le tante parentesi & la tanta difficultà delle materie mi haueuano non poco confuso & deuiatomi dal principale ordine & intento. Ma ditemi di gratia chi pigliaßi la maggiore & la regola vniuersale cosi;cioche si muoue è quanto non sarebbe ella vera & più vniuersale che nella maniera che noi l'habbiamo interpetrata?

M. Vedete chi diceßi cosi tanto sarà quanto se diceßi ogni cosa che si muoue ò realmente,ò immaginariamente ò per se ò per accidente è quanto,ò naturale,ò Mathematico ò quantitatiuo.

L. Conosco certo che sta cosi.

M. In prima questa non concluderà punto contro al nostro proposito perche le qualità anche come in atto sono quante quantitatiuamente come si è mostro.

L. Non parliamo hora quanto all'impugnar l'oppinone ò conclusione vostra ma della propositione in se & della regola vniuersale da darsi del moto & mobile.

M. Se vorrete intendere del quauto propriamente ancora in ciascuno de detti significati anche tal propositione non si potrà dir vera.

L. O come si potrà egli intendere propriamente & intenderlo secondo ciascuno de significati detti.

M. Per risoluerui presto & chiaramente vi dico che il punto pigliando la quantità in significato proprio, non si può dire in modo alcuno quanto, ma si dirà ben cadere sotto al genere delle quantità non principalmente ma reduttiuamente cioè non in retto ma in obliquo & perche egli è vn tal che della quantità & non altro cioè ò principio ò termine ò comune ò proprio di qualche quantità & però si dice esser reduttiuamente nel genere della quantità: onde veramente & adequatamente si può dire che cio che si muoue sia quanto, & questa è la migliore & più sufficiente regola che se ne possa assegnare.

L. Ma io vi ricordo che voi hauendo già qua concluso questo da puoi stesso saltasti à dire & affermare che cioche si muoue bisogna che sia corpo & non solo quantità.

M. All'hora parlai come naturale il quale debbi intendere al moto reale & principalmente del moto per se & intendendola cosi & in questo senso più perfetto non è dubbio che cio che si muoue è necessario che sia corpo & non corpo immaginario ma reale cioè naturale & quantitatiuo.

L. Adunque io ne cauerò queste due conclusioni, cioè che volendo considerare il moto & mobile assolutamente questa conclusione sara verissima vniuersalissima è adequata cioche si muoue è quanto: ma se vorremo pigliarla nel suo principal significato & come naturali diremo che cioche si muoue sia corpo cioè reale, sia poi ò naturale ò quantitatiuo. Hora si,che io mi parto da questo ragionamento molto più satisfatto, se ben prima me ne partiuo non men stracco che hora.

M. Et io hora più stracco & assetato.



DISCORSO

DISCORSO
DEL VACVO.

L'impedimento è essentiale al moto,
Nel vacuo non è impedimento,
Adunque nel vacuo, ò non sarà moto, ò sarà in instante:
Ma questo è impossibile,
Adunque è impossibile, che si dia il vacuo, della positione del qual, seguita tale impossibile originalmente.

Parmi che l'argomento succintamente si ristringa à questo. Hora innanzi à ogni cosa io domando se à questo, cioè perche il mobile muti luogo è necessario l'impedimento, ò nò; ma se si dirà che egli sia necessario, si dirà vno inconueniente tanto manifesto, che non si potrà ridurre à maggiore ne più euidente, perche io non veggo, che si possa dire assurdo maggiore che dire l'esser necessario l'impedimento di vno effetto accio che tale effetto segua non già l'impedimento di quello effetto, che questo repugna; ma l'impedimento à vn'altro effetto, che seguirebbe senza tale impedimento senza il quale impedimento non seguirebbe l'effetto che si cerca, ma vn'altro, come verbi gratia perche il contrapeso del oriuolo faccia l'effetto che si cerca, ha bisogno d'vno impedimento, che è il peso opposto, che altrimenti senza tale impedimento farebbe vn'altro effetto, cioè scorrerebbe ò simil cosa, & non mouerebbe cosi equalmente, & regolatamente quella machina, ma non sarà già quello impedimento, impedimento allo effetto che si ricerca, si bene à vn'altro effetto che seguirebbe senza tale impedimento, & non à quello che si cerca; & però si dirà in questo caso l'impedimento esser necessario al tale effetto, ma nel modo che si è detto, cioè rispetto à vn'altro effetto, che senza tale impedimento seguirebbe & escluderebbe quello che si cerca come si dirà anche che accioche il vento delle mantice faccia sonare l'organo, vi è necessario l'impedimento, non già l'impedimento del far sonar l'organo, che questa sarebbe repugnanza manifesta, ma impedimento che il vento non possa vagare à suo beneplacito, & cosi impedimento à vn'altro effetto che ne seguirebbe il quale altro effetto seguendo non potrebbe seguire quello che si cerca & di tali esempli ne sono infiniti. Non è possibile adunque intendere che accioche il mobile muti luogo, sia necessario che egli sia impedito al mutar luogo, ma forse si potrà dire che sia necessario per vn'altro effetto che il mobile sia impedito nella mutatione del luogo, cioè è questo effetto perche tal mutatione verbi gratia sia successiua è in tempo, & il dire cosi non implicherà contraditione, in se stesso manifesta, ò vero ò falso che poi egli si sia è adunque manifesto che nella mutatione locale del mobile, non è necessario l'impedimento à tale effetto cioè del mutar luogo dato anche che poi egli fussi necessario à effetto che tal mutatione si potessi dir moto.

Stante hora questo. Dico tre cose, l'vna che l'argumento concesse & le premisse & la consequenza in tutto & per tutto nel modo che si dimanda, ò propone non conclude impossibilità alcuna, ò vero contradice à se stesso adunque non si potrà arguire dalla impossibilità del conseguente, alla impossibilità dell'antecedente; & cosi la consequenza che si fa da detto argumento, cioè il vacuo non si possa dare, resterà in tutto vana.

Secondo si dice che l'argomento contiene in se molte cose falcissime. Terzo si dice che quella maggiore cioè il detto di Arist. che l'impedimento sia essentiale al moto, dato che secondo e' più apparenti sensi sia falsa, si può nondimeno saluare in vn senso buono, ma che cosi non repugnerà punto alla positione del vacuo.

Quanto alla prima che l'argumento non concluda per impossibile, si farà facilissimamente manifesto dalle cose d ette, & per mostarlo io dimando se posto il mobile nel vacuo, sarà impossibile, che egli muti luogo & necessariamente resterà al tutto immobile; ò se pure potrà mutar luogo, sia poi in instante ò come si voglia: se si dirà che sia impossibile che il mobile muti luogo nel vacuo, ò vero questa sarà assertione falsa ò ella sarà assertione vera; se sarà assertione vera & possibile l'argomento, adunque non concluderà cosa alcuna impossibile, perche si dirà che dato el vacuo & il mobile iu tal vacuo egli non starà necessariamente immobile il che per la concessione ò positione dello auuersario, non è inconueniente alcuno non si porrà adunque da questo come da conseguente mostrare l'antece-

dente dal quale egli seguita impossibile, ma se si dirà che sia falso & impossibile, che il mobile posto nel concesso vacuo non si possa muouere, cioè dico non possa mutar luogo, atteso che il vacuo non pone impedimento alcuno à tal mutatione, anzi totalmente lo esclude; all'hora piglieremo l'altra parte, concedendo questo all'auuersario & volentieri anche come cosa fondata in sù bonissima ragione, perche l'auuersario non conclude assolutamente l'vna parte, ma ò che il mobile non mouerebbe nel vacuo, ò vero che si mouerebbe in instanti. Pigliando hora adunque l'altra parte, cioè che il mobile in tal caso si mouerebbe in instanti; dimando in prima se s'intende del moto come moto, ò vero del moto come mutatione, cioè la spetie per il genere; se s'intende del moto come moto concedo certo che questo sarebbe impossibile manifestamente, perche il moto nella sua essenza include la successione & esclude la instantanetà; ma quest impossibilita sarà non reale ma verbale cioè per hauere male assegnato il vocabolo, hauendo cioè nominato per questo vocabolo, *moto*, quello che si doueua nominare Mutatione; dirò adunque il mobile ne in tal caso mai potrà muouersi in instante, ma che egli potrà bene mutar luogo in instante; ne l'argumento può concludere ò condurre ad altro, che à questa mutatione di luogo instantanea; ne nessuno che si fonda in sù tale argomento l'intende altrimenti. Però per hora dirò che la conclusione dell'argumento si restrignerà à concludere che la mutatione locale del mobile nel vacuo concesso, sarà instantanea.

Hora io dimando, se questa mutatione instantanea è possibile ò nò; se è possibile io ho l'intento perche così la conclusione del detto argomento non sarà impossibile, & così non si potrà da quella arguire la impossibilità dell'antecedente, cioè della positione del vacuo. Se si dirà che sia impossibile che il mobile nel vacuo muti luogo dimanderò in che modo sarà impossibile & da qual causa: ne veggo che si possa assegnare se non vna delle due cause di detta impossibilità, cioè ò l'impedimento estrinseco, ò la repugnanza essentiale dalla natura della cosa stessa; dallo impedimento estrinseco non può venire, perche il vacuo non pone, ma toglie gli impedimenti; anzi secondo la positione stessa dello auuersario, il vacuo toglie il moto, non par la positione dello impedimento, ma per la negatione di esso, adunque non hauendo alcuno impedimento tal mobile al mutar luogo, è impossibile che tal mutatione instantanea sia impedita di non potere essere dallo impedimento estrinseco. Se si dirà che tale impossibilità & repugnanza venga dalla natura intrinseca & dalla essenza della mutatione locale, bisognerà dire che cioè auuenga, ò vero perche ell'habbia nella essenza sua l'impedimento, ò vero da altre conditioni; se si dirà che ell'habbia l'impedimento nella sua essenza, & che poi ella non possa esser se non in tempo & non in instante, già à questo si è risposto à sufficienza nel principio, & mostro che dicendo così si dirà vna manifesta implicatione, perche la mutatione locale si potrà ben dire che accioche ella si possa dir moto & esser moto forse che habbia bisogno d'esser impedita necessariamente, ma che ell'habbia bisogno d'impedimento accioche ella sia senza dubbio repugna resterà che adunque di necessità si dica che la impossibilità della mutatione locale accioche ella sia instantanea consiste nella sua stessa natura essentialmente, non rispetto allo impedimento ne come estrinseco ne come essentiale à lei, ma rispetto ad altre conditioni à lei essentiali & necessarie, le quali repugnino alla instantaneita. (Et questa si mostrerrà poi anche, esser la verità, ma per hora si piglian solo come necessariamente concessa dallo auuersario.) Ma se si concederà che assolutamente (& non punto rispetto allo impedimento) ma dalla stessa mutatione, in quanto tale gli repugni l'essere in instante, senza dubbio non seguirà mai che ella possa esser altrimenti che in tempo leuato quale impedimento si voglia, per che se è impossibile per impossibilità intrinseca che questo mobile si muoua in instanti da questo termine à quello, senza dubbio alcuno, leuiseli quanti impedimenti si voglino, non lo farà mai, perche vi resterà ancora la repugnanza della natura intrinseca, ne mai mancherà tal repugnanza, se non si suppone di essa contro alla sua stessa natura intrinseca, come dire che il moto locale potessi essere nello indiuisibile, cioè nel punto ò in vn tal termine ò altre simili cose. Se adunque l'auuersario concederà ò dira che la mutatione in instante sia impossibile, perche repugni alla sua essenza, verrà à contradire alla sua stessa intentione, essendo ella di prouare che la mutatione instantanea potrebbe pur accadere, ponendo in vn caso senza mutatione della sua essenza & solo per accidente estrinseco à lei. Vedesi adunque che concessoli qual parte si vuole della diuisione sufficiente & necessaria quanto alla interpetratione dell'argumento in ogni modo non concluderà impossibilità alcuna ma ò concluderà cosa che per lui sarà concessa possibile & così non potrà poi seguitare più oltre la sua conseguenza dalla impossibilità della conclusione, ò vero volendo fuggire questo bisognerà che venga à contraditione di se stesso, & questo è quanto alla prima parte.

Segue hora quanto alla seconda di douere esaminare meglio l'argomento, per scoprire le falsità & imperfettioni di esso: & prima, in quello che in esso si afferma che lo impedimento è essentiale al moto, è malissimo detto; perche quel che è essentiale è forma & predica dònominatiuamente, ma l'impedimento non può già far questo del moto, & così si conosce che è mal detto che egli sia essentiale, come per dichiarar meglio per esemplo si direbbe l'impedimento esser verbi gratia essentiale all'esser legato ò esser ristretto che tali effetti hanno essentialmente in loro l'impedimento perche non potrà essere ch'vno sia legato ò

ristretto

ristretto senza che egli sia impedito, & in tali casi si dirà esser essentiale l'impedimento, & non al moto, ne quali casi si vedrà che anche egli denominerà perche si dice l'esser legato essere impedimento, & cosi l'esser astretto & simili, &c. E' manifesto adunque che à prima giunta la maggior parte di questo argumento è malissime assegnata, ma io non fo molto caso in questo perche potendosi saluare che l'impedimento in qualche maniera concorra necessariamente à l'esser del moto, non sarà errore in questa parte se non nelle parole è modo del parlare, il che poi quanto alla verità ò falsità della cosa, è il minore.

Però procedendo à quel che più importa, verremo hora à considerare se tale impedimento si può dire necessario in alcum modo allo esser del moto & potendosi. Come & questo poi come si referisca allo argumento. In prima si vede che quando si dice che l'impedimento è necessario al moto non si può intendere che si referisca à esso moto cioè che egli sia impedimento del moto per le medesime ragioni che dicemmo in principio dello impedimento rispetto alla mutatione ne sarà mai alcuno che dica che accioche il moto sia bisogni che necessariamente sia ancora l'impedimento di esso moto che cosi molto meglio si terrà & non si porra il moto; bisogna adunque intendere tal propositione cosi che accioche si generi ò causi il moto, sia necessario qualche impedimento non à esso moto ma ò all'agente ò al mobile, ò al mezzo, senza il quale impedimento seguirebbe per l'atione non il moto ma vn'altro effetto, & il dire insino à qui non è inconueniente alcuno manifesto & si dirà veramente che l'impedimento sia vna causa del moto *sine qua non*, ne si può intendere tal propositione altrimenti.

Bisogna hor vedere à chi si debbe referire, & in che modo tale impedimento, accioche ne risulti il moto & in che maniera. In prima non si può referire al mouente, perche chi tiene questo argumento l'intende ne moti che non sono da mouente estrinseco, ne dell'anima & cosi per concessione potremmo scusarci dal mostrare che non sia necessario l'impedimento dalla parte del mouente accioche si produca il moto. Nondimeno per che si può à tal proposito fare vno argumento molto apparente & sottile; potremo tal'argumento con la sua solutione appresso. Prouasi adunque che nel moto sia necessario impedimento dalla parte del motore in questo modo: E' necessario che il motore sia di virtù finita & non infinita, adunque è necessario l'impedimento; la conseguenza è manifesta perche s'intenderà per l'impedimento largamente tanto che completterà anche la priuatione, come verbi gratia diremo che la cecità sia impedimento al vedere & simili modi di parlare. Ma l'antecedente si prouerrà poi in questo modo, cioè che e'l motore sia di virtù finita & non infinita: Se il motore sarà di virtù infinita muterà di luogo à luogo in instante, & cosi non causerà il moto; ma la mutatione instantanea prouasi la conseguenza non è proportione da alcuno grado di Virtù alla infinita virtù, cosi anche l'effetto che seguirà dall'vna & dall'altra non saranno proportionati rispetto al tempo del mouimento, ma se non saranno proportionati, è necessario che l'vno sia in tempo, & l'altro in instante; perche se saranno tuttadua in tempo haranno senza dubbio qualche proportione, & cosi non salueranno la corrispondenza alla relatione della virtù finita con la virtù infinita, le quali sono tra di loro come si è detto senza proportione; sarà adunque necessario accioche si causi il moto, che dalla parte dello agente sia l'impedimento, cioè la priuatione della infinità della virtù (A' questo argumento si risponderà prima con la medesima risposta fatta di sopra cioè che essendo veramente come si mostrerrà meglio, essentiale alla mutatione locale, el farsi in tempo & successiuamente posta qualunque cosa estrinseca, & non supponendo la diuersità della sua natura stessa, mai potrà seguire che ella sia in instante, perche quella tal natura stessa sempre repugnerà à tale instantaneità; di modo che posta qual si sia infinita virtù, ella non potrà mai far che la mutatione sia in instante perche sarebbe vna implicatione & questo basterebbe à mostrare la falsità dello argumento, quando egli non si sapessi anche soluere non dico la falsità della conclusione, ma che l'argumento non possa concludere questo non supponendo la variatione della natura intrinseca del moto, ma solo qual si sia suppositione estrinseca. Ma venendo alla consideratione dell'argumento più particularmente dico che dato che sia il motore di virtù infinita, non seguirà per questo che egli muoua mai con infinita virtù & in instanti, anzi questo repugna all'atto stesso della cosa perche se bene vno agente sarà di virtù infinita in se stesso, non potrà mai quando opererà attualmente operare se non secondo qualche determinato grado di virtù, altrimenti implicherebbe contradittione perche l'essere in atto & l'esser secondo vn grado infinito repugna & massime quanto all'operatione se forse quanto alla magnitudine ò spatio ci fussi che dire? Ma non potrà essere che vno operi che non operi secondo qualche grado di virtù: seguirà adunque dalla infinita virtù di motore che dato qualunque grado di virtù, secondo la quale egli operi attualmente, che potrà ancora operare secondo vn'altro grado più eccellente, ma mai per augumento di tal grado si verrà allo infinito se non secondo quella potenza ò potentialita, & cosi à tutto questo corrispondera ottimamente il moto che sarà prodotto da esso motore in quanto di virtù infinita in quel modo imperò che egli può esser tale senza implicatione di contraditione, perche sarà verissimo che dato qualunque grado di velocità del moto secondo la quale egli muoua, potrà muouere ancora secondo maggior

maggior grado di velocità ma per augumento di velocità, anche in infinito non si verrà mai allo instante essendo il tempo diuisibile in infinito senza mai venire allo instante si come la linea è diuisibile in infinito senza venire mai al punto onde, è anche manifesto che mai si potrà dare il moto instantaneo per alcuna multiplicatione di velocità anche in infinita dal che è manifesto ancora, che dato che il motore detto, potessi attualmente muouere con la sua virtù infinita, tutto quello che ne potessi seguire, sarebbe che egli mouerebbe non in instanti, ma con velocità infinita & secondo infinito grado di velocità; il che è manifestamente impossibile, ne più ne meno come anche è impossibile che el motore muoua attualmente secondo infinito grado di virtù; & così si vede che l'argomento non conclude la necessità dello impedimento, ne anche nel modo detto nel mouente, accioche la mutatione locale sia successiua & non in instanti & così che da esso sia il moto. Ma se à questo si replicassi che adunque tal virtù infinita sarà in vano, à questo risponderò che questa tale sia vna replica probabile, & che non impedisce la solutione dell'argumento, ma ci aggiugnerò ancora che tal virtù infinita non sia in vano se non estrinsecamente rispetto all'agente ma necessaria alla intrinseca perfetione di esso, dato che ne anche egli mouessi mai secondo tale infinita virtù, come in vero mai potrà muouere. Oltre che questa replica più tosto inferirebbe che non si potessi dare il motore di virtù infinita, che da quello ne seguitassi il moto in instante, al che benche sia falso non è secondo la presente intentione el replicare. Non potrà adunque dirsi che accioche il moto sia, sia di necessità lo impedimento dalla parte dello agente; Quanto poi alla parte del mobile, seguiterà tutte le medesime & maggiori impugnationi à chi volessi dire che tal'impedimento fussi necessario della parte di esso à tale effetto, perche il torre ogni impedimento al mobile dalla parte di esso non sarà altro che farlo attissimo al moto, quanto sia possibile che egli sia, ma da questo che debba seguire che la mutatione di esso sia in instante, è manifesto che è falso; non si può adunque dire come ne anche si dice che l'impedimento che si asserisce debba essere ne dalla parte del mouente, ne dalla parte del mobile. Resterà adunque di necessità che egli debba essere dalla parte del mezzo, & tutto questo anche corrisponde con l'argumento, il quale altrimenti non concluderebbe, volendosi per esso concludere che il vacuo non possa essere & sarebbe vna accettione in tutto fuori di proposito. Bisognerà adunque dire che l'impedimento si debba interamente referire al mezzo, & che dalla parte di esso debba essere tutto questo impedimento necessario. Hora in qual modo bisogni poi intendere che sia l'impedimento in questo mezzo & per qual ragione bisogna conoscerlo, esaminando qual sia la necessità di porre questo impedimento, accioche sia il moto, & così di qual natura bisogna che egli sia. In due maniere può essere che dal mobile non segua moto alcuno, cioè ò perche egli si resti immobile, ò perche egli muti luogo in instante. Se adunque l'impedimento è necessario accioche il moto segua, sarà necessario in quanto che bisogni che da esso sieno escluse l'vna delle dette due maniere, secondo lequali si niega & toglie il moto. Ma quanto alla prima non è dubbio che l'impedimento non sarà mai causa che il mobile il quale per altro non possa mutar luoghi lo possa mutare, anzi sarà causa del contrario cioè che quando il mobile per altro possa mutar luoghi aggiuntoui l'impedimento, molte volte egli non possa mutarlo, & certo che così si incorrerebbe nello inconueniente, al quale già in principio si è replicato, cioè che l'impedimento della mutatione locale fussi causa della mutatione locale, il che mai dirà alcuno di sana mente. Resterà adunque che tale impedimento non si possa intendere se non in quanto che egli sia necessario à prohibire che tal mutatione non sia in instante, la quale altrimenti sarebbe in instante, cioè se non fussi tale impedimento & questa è finalmente tutta l'ntentione di chi abbraccia questo Argumento.

Vedesi adunque che quella maggiore non intende ne di altro impedimento che di quello rispetto al mezzo ne per altra causa, ò da altra necessità che per escludere la instantaneità della mutatione; ma di più è anche manifesto, che questo tale impedimento rispetto al mezzo, s'intenda del corpo risistente al mobile, perche se si ponessi tale impedimento in detto mezzo in altra maniera non si escluderebbe per ciò la positione del vacuo. Quando adunque si dice che l'impedimento è essentiale al moto si vede chiaramente, che non s'intende punto di voler dire altro se non che accioche sia il moto è necessario che il mezzo sia impedito ouero occupato da qualche corpo che impedisca il mobile che non si muti in instante, il che egli farebbe se non fussi la detta resistenza ò impedimento, & infino à qui credo che non neghera alcuno di quelli che difendono il detto Argumento, benche forse non tutti da loro stessi haranno conosciuto di voler questo; essendo l'vsanza d'hoggidì di non considerare le propositioni se non in quanto che vi sia ò secondo qualche parola ò come si voglia qualche appico per impugnare ò difendere vna oppinione; ma l'intendere come poi in radice possa esser vera & si debba intendere tal propositione non credo che accaggia se non à pochi. Hora volendosi intendere questo argumento nel più sano modo che sia possibile, si vede che non si può intendere altrimenti che in questa maniera, ò vero cadere in manifeste contraditioni & repugnanze. Ma inteso in tal maniera si dice assolutamente che non concluderà punto, che dal vacuo ne segua la instantaneità del moto

si bene

si bene che egli sia veloce quanto possa essere & non assolutamente veloce quanto possa esser ma solo che egli sia tale in quanto si aspetta solamente alla dispositione del mezzo & non punto più oltre.

Hora per venire à esaminare la cosa più particolarmente. In prima si dice & si mostra, che alla mutatione locale è essentiale il tempo & la successione, è che per sua propria natura non può essere altrimenti, & se così sarà, non si concluderà adunque che ella sia altrimenti, mai ne dalla remotione di qualunque impedimento, ne da qualunche altra positione estrinseca dalla essenza di detta mutatione, dalla essensa della quale già si è mostro che è remotissimo l'impedimento il che perche tutto meglio apparisca si dice che la mutatione locale circunscritta ogn'altra cosa ha questo per sua natura che non può essere in instante, perche suppone due cose che ciascuna di esse gli repugna: l'vna è la diuersità de termini secondo la positione; l'altra è lo spatio del mezzo, il quale bisogna che sia quanto & continuo & distinto in parte secondo e'l prima & e'l poi, dalla natura della positione de termini segue che tal mutatione nō possa essere in instāte, perche così si direbbe che il medesimo corpo nel medesimo instante si trouassi in luoghi diuersi & remoti il che naturalmente è impossibile, pur da esser' immaginato se bene poi à Dio è possibile infinitamente più il fare che à noi l'immaginare essendo l'immagination nostra terminata dalla recettione delle cose sensate le quali ella non eccede.

Onde questo per quanto si estende la cognitione naturale è vn principio de più certi che noi possiamo hauere cioè che vn medesimo corpo in vn medesimo tempo non possa essere in due diuersi luoghi. A' questa ragione nondimeno si potrebbe sottilmente rispondere dicendosi che nello instante non si può dire la cosa essere ne in luogo ne altrimenti, ma solo che ella ò cominci, ò finisca di essere, ò vero che ella insieme cominci & finisca di esser rispetto però à diuersi termini, & che però non si possa dire che il mobile in vn medesimo instante (data anche la instantaneità della mutatione) sia in diuersi luoghi, ma si bene che egli finisca d'esser nell'vno, & cominci à esser nell'altro. Oue rispetto à tal replica che certo è forte & reale chi la considera, molto bene è necessario fondarsi in su la impossibilità rispetto alla natura del mezzo, dalla quale pure ne segue il medesimo inconueniente, perche essendo come si è detto il mezzo continuo, così hauendo diuerse parti distinte, secondo el prima & poi locale non solo è necessario che il mobile che le passa le passi anche in parte di tempo, lequali corrispondimente sieno & continue & distinte secondo il prima & poi temporale; ma ponendo il detto moto in instante ne seguirebbe anche, che nel medesimo instante douessi passare per tute quelle parti del luogo, che sono come si è detto continue; ma nello spatio diuisibile non si può dire che il mobile solamente cominci ò finisca di essere ma bisogna dire che egli vi sia, perche lo indiuisibile locale corrisponde al cominciare & finire di esserui; onde pur sarà necessario à dire che tal mobile debba essere in più parti distinte localmente in vn medesimo tempo, & se si dirà che tale sia instante & non tempo ne seguirà maggiore implicatione, per che bisognerà dire & che egli vi sia corrispondendo (come si è detto per l'essere allo spatio necessariamente & non l'indiuisibile cioè il principio ò fine dell'essere) & dall'altra bisognerà dire che egli non vi sia, ma solo cominci & finisca di essere corrispondendo l'instanti non all'essere ma al cominciare & finire come si è detto; onde seguirà da tal positione che in vn medesimo instante, el medesimo mobile sia & non sia in molti luoghi & rispetto à medesimi, & anche altrimenti, in altri assurdi si potrebbe necessariamente dedurre dal porre che la mutatione locale potessi in modo alcuno essere in instante circunscritta ogn'altra consideratione che di lei stessa: Et in vero chi dirà mai se non con la voce stessa, che vna palla verbi gratia remosso qualunque impedimento, possa in modo alcuno andare dal principio alla fine d'vna strada, che in quel medesimo instante ella si muoua cominci à muouersi & arriui al termine & che ella possa passare tutto quello spatio, senza metterui qualunche particella di tempo qualunque minima; questo in vero repugna troppo in se stesso. Essendo adunque essentiale in se stesso alla mutatione, che ella sia in tempo ne per la remotione dello impedimento, ne per qualunche altra positione estrinseca da essa & non alterante la sua essenza, non seguirà ne si concluderà mai che ella sia instante, si concluderebbe questo verbi gratia dicendo che nella mutatione non si ricerchi spatio mezo tra l'vn termine & l'altro & che ella si faccia nel punto ò nello indiuisibile, ò che lo mezzano, non fussi quanto ne distinto in parti quante, ne secondo il prima & poi locale & simili altre positioni; le quali tutte andassino à trouare l'essenza della mutatione & la guastassino ma da altre positioni estrinseche, non mai seguirà tal conclusione, & che l'impedimento non gli sia essentiale ne estrinseco già si mostrò, & hora nuouamente dalla più particular consideratione dalla natura di essa, credo che si sia visto anche assai più manifestamente: quando adunque l'auuersario dice di concedere anzi di affermare che la conclusione è impossibile ma che da questo che è l'impossibile ne segue la impossibilità dello assunto. cioè che il vacuo sia, si risponde che non si dice solo che tal conclusione sia impossibile, ma si niega ancora non meno che ella segua ò possa in modo alcuno seguire dallo assunto del moto fatto nel vacuo; & così si dice che non solo la conclusione sia falsa, ma che anche ella non è conclusa ne può esser conclusa dallo argumento, cioè perche egli arguisce dallo estrinseco d'vna cosa contro alla essentialità di essa; il che è argumentare vanissimo. Et questo solo basterebbe à mostrar la vanità di questo argumento, quando anche non s'intendessi punto più oltre, come se potessi

potessi meglio & più particularmente soluere, si come appunto si disse di quello di sopra e' quali camminono giustamente per la medesima regola. Ma per maggior satisfatione & euidenza ancora della imperfetione di esso, descenderemo anche à più particulare consideratione. L'argumento sta in questa maniera: l'impedimento è essentiale al moto, adunque non si può muouere nel vacuo. Questo argumento suppone non solo che al moto sia necessario l'impedimento del corpo, nello spatio, & che tolto tale impedimento cioè che non sia il corpo nello spatio egli sarebbe non in tempo ma in instante, & così che non sarebbe moto. Da questo si caua, che si suppone che nel moto non sia alcuna altra causa, che possa impedire la instantaneità come lui se non il detto del corpo nello spatio ma che questo sia falsissimo (oltre à quello che si è mostro della essenza del moto che è il vero & ottimo fondamento) si mostra anche per altra via esser falsissimo perche la diuersità della virtù dello agente è tanto atta à diuersifichare il moto, quanto alla tardità & velocità quanto si sia l'impedimento del mezzo. Et di più anche la mala ò buona dispositione, & resistenza ò attitudine del mobile, è esso ancora atto à fare il medesimo: anzi si vede manifestamente necessario dalla consideratione della natura questi altri mezi; che non si possa in modo alcuno dire che dalla positione del vacuo, ne possa seguitare la instantaneita del moto, perche non è dubbio che dato il medesimo vacuo, & el medesimo mobile che vn motore di virtù come dieci lo mouerà più presto per il medesimo spatio che vn motore di virtù come cinque ma lo instante non riceue ne più presto ne più tardi, adunque non si potrà mai dire che si muoua in instante anche nel vacuo, & il medesimo occorre anche appunto argumentare dalla parte della dispositione del mobile. Al che anche si può aggiugnere questo che dato il medesimo motore, & la medesima natura del mezzo, ma diuersificando lo spatio cioè che nell'vn moto sia lo spatio come cinque & nell'altro sia lo spatio come dieci che senza dubbio più presto si terminera il moto nel primo spatio come cinque che nel secondo come dieci, ma el prima, & poi non si da nello instante, adunque non potrà essere in instante. Tutte queste cose augumentono & fanno più manifesta la falsita & impossibilita del proposto argumento. Ma quanto alla solutione di esso, si dice che manifestamente egli non conclude, che dal porre il vacuo, il moto fussi in esso in instante, ma si bene che egli fussi sommamente veloce per quanto si ricercassi alla dispositione del mezzo solamente & non punto più oltre, possendosi egli poi diuersificare, anche secondo la velocità da tutti gli altri mezzi, ò cause che si sono assegnate, ma per venire anche à rispondere più strettamēte alla forma di esso, perche egli arguisce da quella proportione del non punto di impedimento, al non punto di tempo, dico in prima che egli non può in modo alcuno concludere quanto alla negatione del tempo, quando anche si concedessi, che l'impedimento del corpo medio fussi el totale impedimento, & questo è pecrhe l'impedimento nel moto non gli da ne può dare la successione, come si è prouato & mostro, perche quello che si è mostro della mutatione locale secondo il luogo si è mostro anche del moto essendo l'vno & l'altro realmente il medesimo (& per mutatione hora io non intendo il principio del moto) ma solo qualunche mutatione di luogo; essendo adunque che il moto ha la successione non da tal corpo medio solo, ma dalla sua natura stessa, come si è mostro, resta che da tale impedimento egli non habbia, se non la tardità & ne anche assolutamente; perche ci sono quell'altre cause ancora per quanto ci sia lui in questa cosa: Ma dato che egli fussi solissimo non sarebbe se non causa della tardità del moto, remosso adunque tale impedimento ne seguirebbe che si rimouerebbe interamente ogni tardità dal moto, & che e'l moto sarebbe sommamente veloce, come propriamente & veramente si potrebbe dire del moto del primo mobile; Ma che egli mai per ciò fussi in instante, cioè senza successione, non potrebbe mai seguire: Seguirebbe ben questo assurdo da tale assunto, se si potessi dire che il moto hauessi la successione da tale impedimento & all'hora si concluderebbe bene, perche seguirebbe tal conclusione da vna propositione che altererebbe l'essētialità del moto la quale è di hauer per sua natura intrinseca, & per se stessa la successione, la quale così si negherebbe che gli fussi essentiale per sua stessa natura, dicendosi cioè che egli l'hauessi assolutamente da tale impedimento; onde quanto alla forma dell'argumento si concluderebbe benissimo, che in tal caso togliendosi quello impedimēto, di che si dice, si togliessi insieme ancora la successione al moto, & così che egli douessi essere in instante; ma l'assunto è falsissimo & impossibile come si è mostro, cioè il moto habbia la successione dallo impedimento detto, onde si vede che l'argumento resta totalmente spogliato d'ogni verità & d'ogni forza: Ma per rispondere ancora più strettamente alla forma di esso, cioè in quanto che egli è fondato in su la proportione del non punto di impedimento al non punto di tardità, & così che à quella secondo tal proportione ne segua l'instante, dico imprima che si è risposto col mostrare che dalla remotione della tardità, non segue l'instante, perche la tardità si toglie con la velocitatione & la velocitatione ancor che in infinito mai escluderà la successione ò temporaneità, & così che tolta quanto si voglia la tardità, non per questo si torrà quello che è essentiale al moto, cioè la successione; ma solo quello che gli sarà accidentale, cioè la tardità: & non repugna punto che vn moto non sia punto tardo & non sia punto tardo & non sia in instante, se già noi non volessimo incorrere in vnaltro errore di dire, che la tardità fussi essentiale al moto, perche ella sia congiunta talmente con la successione, che la successione non possa esser senza tardità: il che quando si dicessi, si negherebbe poi, che egli hauessi tal tardità essentiale dallo impedimento, ma si

direbbe

direbbe che egli l'hauessi in quanto essentiale pure dalla sua stessa natura intrinseca; & che dallo impedimento egli hauessi poi quella tardità, che solo gli fussi accidentale; perche necessario sarà giamai che dica che ogni tardità, sia essentiale al moto anzi veramente nessun grado di tardità, gli sarà necessario, ma solo la simplice successione astratta totalmente da ogni altra cosa; vedesi adunque che da quella proportione del non punto di impedimento, al non punto di tēpo ò di successione, non val nulla in questo caso è pecca in materia. Ma oltre che ella pecca in materia dico che ella pecca anche in forma, & che da tal modo di arguire, non si conclude sicuramente cosa alcuna, il che si mostra da questo che secondo tal forma in alcuni casi si conclude manifestamente il falso; & questo accadrà meramente nello opposito del detto argumento, & cosi in vna materia molto prossima & simile il che tanto più scoprirrà la presente falsità. Dico adunque stante tal forma di arguire, io prouerrò che vn mobile cioè vn corpo quantunque solido, si mouerà necessariamente sempre per qualunque altro corpo quantunque solido, il che quanto sia falso credo che da se il dimostri: & dirò cosi dalla augumentatione dello impedimento del mezzo viene la augumentatione della tardità del moto, come dalla diminutione, la diminutione, & questo è il medesimo supposito dallo auuersario, ; ma per pigliarlo anche più strettamente dirò che si come el non punto di impedimento, non corrisponde ad alcuno minimo di tempo, ma solo allo instante, cosi il molto impedimento non corrisponde alla immobilita ò alla negatione del moto assoluto, ma alla maggior tardità del moto; cosi adunque multiplicato l'impedimento quanto si voglia che non perciò ne seguirà il non punto di moto stante la detta proportione: ma ne seguirà il moto tanto più tardo; ma io potrò con la medesima ragione multiplicare l'impedimento quanto io vorrò & insino al termine detto, tanto che bisognerà venire à concedere, che vna pietra si possa muouere nell'altra pietra come nell'aria ma più tardi & questo basti quanto al secondo capo delle falsita & impotenza del argumento proposto.

Resta hor sol dunque da considerarsi se questa propositione; l'impedimento è essentiale al moto, si può intendere in alcun senso vero & saluarsi, & dico che si benche impropriamente; & sara intendendo che tale impedimento sia per la parte del mezzo come insin quiui si poteua assai ben saluare ma non poi come s'è inteso dello impedimento, di quel mezzo, cioè rispetto al corpo; ma sarà veramenta se bene non propriamente detto l'impedimento del mezzo essentiale al moto in quanto che tal mezzo (doue & nel quale necessariamente bisogna che sia il moto) bisogna che sia fra due estremi distinti localmente, & che egli sia distinto in parte secondo el prima, & el poi il che tutto si può dire impedimento che egli non si possa passare in instante, & cosi che la mutatione ò moto non possa essere in instante, & in tal caso si può saluare che l'impedimento sia essentiale al moto, cioè in quanto che la distanza che è necessaria tra l'vn termine & l'altro si potrà dire in vn certo modo essere impedimento à quella instantaneità. Ma pigliando in questo modo non contradirrò punto alla mia oppinione, ne farà punto à proposito, à quella degli auuersarij per che non concluderà punto contro alla positione del vacuo come è manifesto.



DE FVLGVRE



DE FVLGVRE
LIBER VNVS.



VM templum D. Mariæ Annuntiationis fulmine ictum esset, atque ex eo ictu diruta turris templi, in qua nola era decisa vna aut duabus sacris Virginibus, quæsiuit à me egregius Medicus Prosper de ponte I. Iuliani, & qui etiam ipse medicus chirurgus erat, totique ciuitati nostræ notissimus, quemque ego honoris causa nomino, an ea ruina quicquam mali vrbi aut religioni minaretur. Ego noua interrogatione perculsus, nihil habebam quod responderem, ne tamen omnino mutus esse viderer, dixi, vrbi nostræ posse aliquid minari, religioni minime, tum quod vrbs nostra principatum non obtinet in religione, nec templum ipsum in vrbe nostra, tum etiam quod frustra obseruantur hæc à Christianis. Inde in alios sermones transiuimus. Verum vbi domum me contulissem, Plinium à patre accommodato dari postulaui, quem cum vidissem aliqua selegi tum ex eo, tum ex Aristotele, inde etiam aliis auctoribus quæ in vnum redegi, ô Gaspar Vicecomes, vt tuo nomini si per Iara licuerit, dedicarem, qualiacúmque erunt, in boni æquique consules à iuuene inexperto, imperito, infelici, in materia ardua, quam nec pater meus ausus est aggredi. Cupiebam, etenim interrogationi Prosperi amici mei statim satisfacere, quod (vt dici solet) multa inter os & offam intercidere possunt, propterea & libros patris de Subtilitate, & de Rerum Varietate, quos ille mihi dono dederat reuolui, sed nihilominus magis intactum. Propterea existimaui rem esse difficilem, nihil eo animo rem hanc sum aggressus, vt quicquid possem simul congererem, quòd si qua defutura essent, scio autem plurima, exoratum patrem velim, vt si quid mihi sinistra fortuna contigerit, ne absoluere possim, aut omnino nesciam perficere, velit ac nomini meo, vt qui saltem argumenti, quod & amicissimus iuuenis & fortuna, quasi ætatéque par & casus quidam obtulit, ad vtriusque forsan memoriam excolendam auctor fuerim. Extant Lucani carmina generosissima, tametsi mors violenta iuuenem oppresserit, studendum est celeriter reparare ea quæ celerrime nobis à tempore rapiuntur. Ita iuuenis hic socius meus animum induxit, vt lib. Hippoc. de cap. vulnerib. exponeret, quod affirmare nec à quoquam expositum, multóque minus illius præcepta obseruari, quo fit vt multi superfuturi alioqui ex Hippoc. disciplina neglecta ex capite vulnerati quotidie intereant, connumerabátque plurimos, è quibus non solum quosdam ego cognoui, sed etiam curationi interfui. Itaque hæc egregius iuuenis secum quotidie volutat. nescio an perficere poterit. Ea enim videntur esse tempora in quibus optimis quibúsque cœptis fortuna se transuersa obiicit. Sed omittamus hæc, cuperem saltem hoc solum, tibi eum esse notum, est enim iuuenis fidus, probus, studiosus, quem si fata seruauerint, spero futurum toti vrbi, non minus quam pater ipse suus, vtilis. Sin inuiderint, vt bona quæque, ego integerrimi tamen amici officio functus fuero, ergo ne omnino tot tantáque in vnum sine ordine vllo congerem secutus Io. Chous, I. Gulielmi præfecti montium Galliæ, quam Prouentam vocamus, quem pater meus vt iuuenem ingeniosissimus non solum admiratus, sed etiam prædicat, ita totam hanc tractationem diuidemus. Primum agam de interpretatione horum nominum, fulmen, fulgur, fulgetrum, & antiqua eorum origine. Deinde distinguam significata, hæc omnia iuxta antiquorum opinionem. Post præsupponam quædam experimenta casúsque qui ex ictibus horum contigerunt. Transibo per hæc ad opinionem antiquorum, & etiam præsentium de causis huiusmodi admirabilis effectus. Inde dicam de tonitru quod fulmen consequi solet, nec non de illuminatione ipsa. Accedam ex his ad tractationem causarum vniuscuiusque speciei fulminis. Inde docebo etiam causas admirandorum effectuum antea narratorum. Postmodum dicam quantam vim tribuerint antiqui huiusmodi casibus & exempla admiranda quæ significauerint. Agam deinceps de ratione horum, & quomodo ad prædictionem naturali via ex eis peruenire liceat. Inde subiungam antiquorum præcepta de illis. Quæram etiam an Christiano homini his vel aliis diuinationum generibus fas sit fidem adhibere. Tum an abrogata fide his quæ vim prædicendi habent tollatur prædictio, & præstita his quæ fide digna non sunt liceat diuinare. Post loquar de tonitru & effectibus eius secundum naturam. Ex his deueniam ad proditionem ex icto sumptam. Procedam etiam ad singularia quæ in eiusmodi generatione fuerint, & maxime cum hyeme contigerint. Differam etiam cur cum gran-

dine

dine semper cum niue nunquam fiant fulgura. Dicam etiam de damnis horum, & quædam problemata conabor soluere. Narrabo etiam quosdam fulmen interemerit ac simul fabulam Dionysij vlt. derelicta apponam & perorationem addam.

CAPVT I.

De interpretatione horum nominum, fulgur, fulmen, fulgetrum, & eorum origine.

FVlguris & fulminis significata sæpe confunduntur quod fulgur cum generaliter capitur, idem sit quod fulmen, sed proprie fulgur est cum solus splendor apparet, nec tonitru sequitur, fulmen cum splendorem tonitru & ignea vis sequitur. Sed fulgetrum cum diu vis illius sæuit permisto terreo fomēto, non dicam ea per quæ fata significantur aut felicitates ingentes, & an aliquid significare possint, nec diuidam in fortuita atque diuina, nec antea disputare de illis decreui, quam constiterit quid sint, illud enim velle multa loqui cum de dubia re sermonem habeas, imperiti est. Quamuis dicere ausim, aut horum aut omnium aut nullius rei significationem esse: nam si hoc significant, aut ordo est aliquis, aut Deorum cura nos regit, si nulla, quid est vt quæramus in hoc solo? Sed & si naturale sit, non tamen est necessarium semper significare, quando nec omnis grauida mulier peperit. Quamobrem cum tot essent quærenda necessaria, cur his neglectis statim ad maiora transitur? quasi vel hæc comperta forent, vel negligenda, aut quod facile fit, illa sine his haberi possent. Dico nullam esse naturæ rem magis admirandam, & magis à veteribus intactam, seu de pluuiarum ratione sermo habeatur, sed enim tota ea ratio obscura est, ac perdifficilis, vt vidimus percussam domum, in qua multa hinc inde foramina apparuere minora plenaque stylo scriptorio, quo in libris seu tabulis ficulneis scribere solemus. Sed redeamus ad nominis etymon: à fulgeo omnia descendunt fulgetra, & est lux illa luminis quæ tonitru præcedit teste eodem Plinio. Fulgores etiam dicuntur (vt Cicero vocat) splendorem illum, qui nunquam descendere videtur, sed sola luce emicat, modo in nubibus solus, modo cum strepitu. Est autem fulgur idem quod fulgetrum, sed ita vt nomine fulguris, etiam fulmen intelligi possit. Vnde Cicero vim fulgurum dicere potuit, fulgoris, aut fulgetri nō potuit. Fulgur ergo ad fulmen, & fulgetrum genus est, sed sæpius pro mari accipitur coruscatione velut animal pro bellua magis quam pro homine. Inde fulguralis, quod ad fulgur pertinet, vt doctrina liber sacrum, & fulguritas antiquum tamen licentia carminis id permittente splendor fulguris, & fulguro verbum, & fulguritus, id est, fulgure percussus, & fulgurio verbum aliud; iicio fulgur & fulgurator, cum ad homines refertur, non nisi de his qui fulgura obseruant intelligi potest. Fulmen autem dicimus ignem à nubibus excitatum, vnde fulminans à fulmino verbo, & ab eodem fulminatus, inde etiam fulmineus, velut apri dentes fulminei appellantur, quod vi maxima sæuiant, & dum aper accenditur in iram exæstuat, hinc origo nominis.

CAPVT II.

De his quæ supponere oportet.

CVm omnis doctrina nostra à sensibus ortum habeat, necesse est scire quæ sensus doceant, quæque recepta sint ab hominibus tanquam vera. Primum illud est, apparere splendores ex summo aëre, nonnunquam absque strepitu, vt in æstate summo aëre cum nubeculis noctúque maximè aliquando cum strepitu, nec descendere videri, quandoque etiam descenderet, eorum autem quid descendunt, cum tonitru fulgurum quidam euertunt, & percutiunt, & inflammant, alij inflammant, quod memini me vidisse aliquando, dum essem penè infans, alij percutiunt, alij euertunt, alij duo ex his tantum faciunt, vt sint multiplices iam distinctiones. Constat etiam sereno cœlo intonuisse, non solum Maximilio Cuostilio, Manatio Prænesti, consulibus, sed etiam Q. Metello Iulio Didio, Romæ ludis in theatro exhibitis. At vero Ap. Claudio, M. Vespermia Coss. Terracinæ nauis velum sereno excussum, atque in aquā deiectum ignibusque consumptum est. Varganteius quoque Pompeius fulmine exanimatus in cœlo sereno, M. Casone, C. Antonio Coss. Et inter magna prodigia habitum est fulmine tangi, nec interiore, vt nos vidimus in Io. Mana Cardano, Bræsma cognomine, qui à supercilio ictus vsque ad pollicem, cum iacuisset ternis horis, vt mortuus, & reuixit, & superuixit, id accidisse in agro Trebullano, vxori Romani ciuis Pharrano & C. Attilio Coss. inter prodigia relatum, à Iulio obsequente, velut & illud quod Aricia Iouis ædes clausa icta sit C. Mario, Q. Luctatio Coss. cum id non declaret, an muro disrupto, an integro. Recipit & Seneca non solum tonare cœlum sereno, sed etiam absque fulgure tanquam experimentis comperta, vultque fulmen esse, cum splendor, & vis ignea colligitur, fulgurationem vocat, cum dissipatur, & dispersa diffunditur. *Vnde inquit fulminatio emittit ignem fulguratio ostendit.* Eorum rursus quæ vrunt fulminum quædam leuiter afflant, & duntaxat denigrant: quædam etiam vrunt, sed flammā non excitant: alia excitant, & quandoque perennem, vt vidimus in templis D. Laurentij, & antea Ambrosij nō multis ante diebus. Idē refert loculis integris liquari pecuniā, & aliqua esse fulmina, quæ ex terra erūpant, vinū quoq; cogere in vnū velut ex fumo, dum nouū est in cadis aliquando coquitur. Aliter Plinius vt video interpretatur. Dolia inquit ille intactis operimentis exhauriuntur, ac ne quidem vllo vestigio relicto. Quódque Manc. principi Romanæ filius occisus sit à fulmine ea illæsa, id minime mirum videri potest cum metu extingui potuerit abruptis vinculis matris aut aliter. Quod autem dixit ille de Varganteio Pompeio Plinius

2. Naturæ. Capta. Lib. 2. c. 51.

Tom. II. PPp

nius in Pompeiano Municipio accidisse, ait M. Herenniena vterque fatetur accidisse hoc ante Catelinæ coniurationem idque eodem anno. At quod aliquid significent, sufficiat adduxisse tua exempla illud Suetonij cum fulgur decidens in Augusti statuam C. ademisset ex nomine adoptiuo Cæsaris, pronunciarunt Augures centum diebus superfuturum, Baptista vero Fulgosius cum genus donationem per factiones adeptus esset, testatur, vrbis Turrini istam vbi eorum insignia erant, tribus foraminibus percussam, ea illæsa declarasse dominationis totidem annos. Ictam etiam ædem D. Ambrosij Genuæ, excusa Pietatis statua, declarasse illum populum à Mediolanensium patrocinio alienandum, quod mox euenit libe[ralitate] nimia Philippi Vicecomitis eorum principalis, vt fulgurum videantur fuisse non [ir]rita præsagia, sed & inter mira referunt, Mithridatem illum, qui tot bella cum Romanis gessit, bis sensisse vim fulminis citra iniuriam, primùm cum infans esset cunis exustis, ipso etiam leuiter in fronte læso, ita vt cicatricem tegerent capilli, post dormientis ingressum cubile pendentem perforasse sagittam. Sed & illud, partim ab ipso partim ab aliis receptum est, non tangere ex plantis, neque fici, neque lauri arborem, quasi Apollini sacram, nec ex animalibus hyenam, inter horena vitulum, vt inter pisces, aut aquilam inter aues, quòd Ioui dicata esse credatur. Sed neque ex lapidibus vllum hyacinthi genus, nec eos qui illud gestauerint, nec qui illius imaginem secum tulerint, idque magno experimento verum esse affirmat Serapio, magni nominis inter medicos. Sed & ictos fulmine homines diu seruari, ac cadauera illorum minime putrescere idem refert, hominem qui lumen eius viderit ictum fulmine affirmat. Sed quomodo id deprehensum iam mortuis, aut attonitis saltem, nisi forsan aliquis integer superuixerit, sed de omnibus non referre potest. Dicunt etiam prius afflari & quasi quæ tanguntur ab eo antequam tangantur: illud sane pro constanti, habetur, quod si in terram penetrauerit, non vltra pedes quinque descendat, est autem cubitus, vt etiam recte ex Vitruuio annotauit, sexquipes & palmorum sex, digitorum vero XXIV. quos vocant vncias, passus autem quatuor continet cubitos, id est, quantum à flexura brachij in cubito, ad medij digiti extremum quater vncias siquidem XCVI. vt millies sumpta hæc mensura milliare impleat, non ergo vltra CXX. digitos. Atque hoc ipso videtur Plinius attestari, in fulmine adesse lapidem, quamuis nullibi dicat, neque enim verisimile est flammam aut fulgorem consequenter descendere nisi forsan ceraunias illas vocari velit, illæ quas vidi patris mei auxilio binæ, ac binæ fuere similes inter se, vt censeantur duorum generum, quarum formam hic cum magnitudine depinxi tota suberosa cristalli colore, prima duritie singulari falsa, & quasi media inter opacam & perspicuam, parum excedit eam magnitudinem: altera leuis colorísque viridis fusci ac quasi chlori duritie & ipsa eximia qua poliunt enses, atque in hoc tamen nomine communicant, in reliquis omnibus valde diuersa natura ac forma: hæc enim prorsus opaca est & linguæ forma sed & crassitie pollice maior priorispaulò maioris quam lentis hæc in montibus inuenitur, & frequens est admodum: illa solet in campis, & tamen inter alios lapides inueniri, estque rarissima & in precio apud principes.

In 1. Decad. con. quæst.

Lib. 5. c. 9.

In 3. lib.



Quod autem dicit Plinius de strepitu dum cadit, seu vera dicat & ego non intelligam, seu in comperta narret, declarare decreui. Dico quod vbi ciciderit, maximum strepitum edit, qui cum tonitru miscetur, eamque qui semel cecidisse audierit facile cognoscet, an prope deciderit, quocunque enim dederit, seu procul seu prope, strepitus cũ tonitru miscetur exauditúrque in fine tonitru quasi ruinæ cuiuspiam. Quin etiam referũt fulmine ictos contraria ratione circa oculos se habere, dormientes quidem oculis patentibus, vigilantes autem clausis idque obseruantes. Referunt etiam in Tagis Thusci, rem prope miraculum libris inuentam, eos quos fulmen percussit multo antea adeo obstupescere toto corpore, vt inutiles videantur, nec tonitrua vel fragores sentiant, quod accidisse ferunt Seuero equitum Iuliani Imperatoris magistro, viro bellacissimo. Distinguere præterea solent fulmina, in ageres catebatas & psoloëntas. Argera dicitur fulmen clarum, psoloënta autem quod densum est & vrit, ac plurimum flammæ inuehit, catebata vero quæ impetu diruunt quasi dimissa à Ioue, hæc & si ignea sint magis tamen diruunt quam inflammant, quæ autem percussa sunt fulmine non obrigent, quinimò facile concipiunt putredinem & vermes generant, ob id Seneca fulmen venena extinguere credidit, quod veneno euicta vermes non generant.

Cœl. Rhod. lib. 3. c. 27.

CAPVT III.

De causis fulminum & fulgurum & tonitru iuxta aliorum sententiam.

Anaximander à flatu hæc fieri omnia tradit. Quum enim obducta nube crassa violentus enixus natura subtilitate atq; leuiuitate erumpit, ruptura quidem sonitum, distractio

distractio vero effulgentiam propter nigritantiam nubis efficit. Metrodorus, quum in nubem spissitudine concretam adigitur flatus, fractura quidem fragorem efficit, hiatu vero scissuráque diffulget, quod si pernici impetu à sole feruorem rapuerit, fulmen intorquet, languidum verò fulmen in turbine, vertit Anaxagoras, quum actus in rigorem impegit, id est, ætherea pars in aërem sonitu quidem tonitru, nigricantis autem nubis colore fulgentiam efficit: Porrò idem multitudine magnitudinéque luminis colligit fulmen, corpulentior vero igne conficit vorticem, vt nubilo turbine, tonitru nubium collisionem, fulgur accensionem ex earum attritu, fulmen vegetiorem effulgentiam, vt turbinem languidiorem. Aristoteles, ex arida etiamnum vaporatione hæc fieri, qua ipsa cum in vuidam incidit exitúmque eluctata est, attritu quidem atque effractura tonitru fragorem edit, aridi autem calefactione fulgetram, turbines vero ac vortices materiæ redundantia, quam vterque secum arripit, feruidionem quidem turbo, crassiorem verò vortex. Hæc Plutarchus.

Lib. 3. Aristotelis autem sententia vt obscurior esse solet hoc habet, quod fulmina sunt mixta ex aëre & igne, & ideo descendunt in aëre, quia aër in suo loco magis tendit infra quam supra. *Auer. 4. Cœli.* Aliam causam docet in Metheoris, & est quod vapor ille expellitur, & ideò expressus cum impetu proiicitur, sicut ex digitis nucleus, & quoniam motus ille est compositus ex naturali ascensu ac violento descensu, ideo fit plerunque inquit in latus. *Lib. 1. cap. 5. & lib. 2. c. 6. & vlt.* Sed forsan huius est alia ratio, adhuc euidentior, quoniam vbi ascensus & descensus essent per tenu relideretur etiam per rectum: probat enim hoc, quod si simul fit per rectum ascendendo & descendendo, quod non potest esse, neque solum violentus neque naturalis, quod relidatur ab inæquali corpore, & concauo non plano, vbi fit inclinatio inæqualis à recto, & ad rectum, licet videatur æqualis comparatione speculi concaui. Et hoc potest cognosci inflectendo speculum concauum, vt dixi. Et ideò proponit quatuor causas fulminis, vaporem, motum illius sursum, concrescentem coagulationem, vnde ignitur, & ab expressione violenta. Et similiter post docet, quod fulgura fiunt propter frigus pronum, quoniam nubes coguntur à frigore, & nubibus congregatis segregatur corruscatio, vapor enim ille calidus, aut à contrario coactus, aut à motu accenditur, aut ab vtroque. Et solet tribui Auerroi quod dixerit, velítque, quod fulmen fit ventus accensus, & ex nubibus, & quod diuersa sint fulmina ratione ventorum. Sed vtcunque sit, opinio Aristotelis & Auerrois, est quod exhalatio sicca & retenta in terræ visceribus terræ motum excitat, mora vero in aëre ventum, in nubibus autem per ventos in aquam currentibus transmutata in ignem, dum excernitur tonitrua, & corruscationes. *Cap. 4.* Et ideò dixit Auerroes in commento, quod fulmen est ex exhalatione accensa, & confirmat vulgarem illam opinionem quod aliquid eius est generis, vt dissoluat dura æs & ferrum, & non exurat mollia, quia hoc est proprium æri, vt mollia & perosa sine læsione penetret, dura autem liquefaciat, & ideò interficiat homines & animalia absque vulneris vestigio, & tale fulmen est aër accensus. Sed si quod accensum sit terreum, ac quasi viris ardent omnia in quæ impegerit, & de contentis narrat ex auctoritate Auicennæ, quod in regione Casaam in qua cadunt fulmina multa inueniuntur corpora similia ferro & æri, & ipse conatus est liquefacere illa, sed non potuit, accendebantur & consumebantur, sed hoc est verisimile, non tamen concordat cum eo quod dictum est de duplici specie lapidis fulminei superius exposita, & adiicit quod aliquando cecidit in vrbe Corduba, & fuit patria Auerrois, lapis magnus die sereno, & quod habuit naturam quasi Ammoniaci, id est, salis non lachrimæ, & odorem sulphuris, & quod Auicenna vidit illud, & quod fuit verisimile. Sed mirum est quod narret de alio quæ contigerint in patria propria, cum Auicenna fuerit Arabs, & forsan est error in nomine Cordubæ. Et vult quod fulmen nonnunquam descendat per lineam rectam, & dicit quod fulgura præcedit ventus validus, & hoc videtur in mari, quoniam ante casum fulminis vehementer solet agitari. Et quod sicut ex vento ignito fit fulmen, ita ex terræ motu ventus, & quod ex rupta aëra post motum illius oritur planta nota, quæ appellatur planta terræ motus, & ventus succedunt illi. Sed redeo ad Aristotelem, ille enim in tertio eiusdem vult, *Cap. 1.* quod fulmen fiat exhalatione dispersa, tenui & repetita, ac multa ex nube: Si autem densior & conuenta, procella: at si aër solum accendatur, aut exhalatio modica sit, turbo accensus aërem ignitione colorans. Ideo si rara sit substantia non adurit, sed transit per mollia ac rara, dura autem adurit vt non denigret, quia moram non trahit sed solum liquefacit, quod autem fumidum est, & humidum, hæret, vt in templo Dianæ Ephesiæ cum secundo arsit à fulmine, cum enim ligno constaret nobili, pluribus in locis flammam concepit, vnde adapertis quæ intus continebant ignem, partibus, erumpebat flamma, & ardebant circumiacentes domus, sed & spiritus exibat cum flamma, quoniam fulmina sociant plurimos spiritus, qui & illa antecedunt, & qui sequuntur. Et hæc sunt quæ de fulmine colligere potui iuxta sententiam Aristotelis & Auerrois, nunc ad principales dubitationes transibo.

CAPVT IV.


De principalibus dubitationibus circa prædicta.

Ergo quatuor circa hæc dubitatione digna sunt, ex quibus duo an sint quærendum est, duo quomodo: nam quod sint ex sensu perspicuum est. An lapis in fulmine sit, & an semper, id est, in eo qui infra descendit, dubium est, & an recta feratur fulmen ad

ad terram, an obliquè, an per plures rectas, velut per *a b c d e*. Quomodo verò ignis descendat, descendit enim saltem aliquando;



semper enim pars secundi quæsiti est, & cum tanto impetu. Dicemus ergo ad primā, quod in fulmine, quod vrit, necesse est esse aliquā materiam terream, aliter non posset immorari, sicut in lignis domus. Ioann. Cremonensis, qui occisus est cum accensa flamma est, nam accensio tēpore indiget. Quinimo malè intelligi Aristotelem reor, quod in metallis quę liquātur solus aër ignitus sit, si portio flammæ exigua sit, quod enim accendit, aut vrit, aut liquat, moram vt contrahat necesse est: id verò fit * partis causa, aut quia aër inflammatus moram trahit, idque ob latitudinem contingit. An vero aër sit ignis, vt velle videtur Aristoteles, aut solùm incalescat, vt credit pater meus, non est necessarium, vt à me hic diffiniatur, tueatur ipse partes suas, seu ergo flamma, seu aër inflammatus retentus à metallo, liquefacit illud propter latitudinem. Est autem tanta vis ob tenuitatem vt penetret, & ob motum ex quo ignis ille calidior factus est, est enim ignis igne calidior (de igne isto dico artificiali) sicut glacies glacie frigidior, solidior & durior, quare motus facit, vt sit calidior, & vt magis penetret, & vt magis agat, & ideò liquescit in momento, quod tamen est tempus. Et ideò cùm percussi sint à fulgure muri, non potest hoc contingere à flamma, quia vel lata vel tenui: flamma autem non pertundit nec terebrat, sed potius aër. Quomodo ergo poterunt fieri foramina longitudine palmi adeo angusta, nam non ab igne, quoniam non erat materia quæ vri posset, nec à vento, euertisset partem aliquam muri, quia ventus latus est, nec ab impetu flammæ, quia ille est ab impetu aëris, igitur fuit à scintillis terreis velut arena. Cum ergo Aristoteles & Auerroes fateantur, cecidisse lapides magnos, delatos per aëra & ignitos, & confiteantur arenam immisceri fulmini, vbi extrema sunt, necesse est etiam adesse media, igitur cum fulminibus cadunt aliquando lapides. Et ad hoc facit authoritas Auicennæ & Auerrois supradicta. Dicemus ergo quod sunt tria genera fulminum vnum quod est ex aëre accenso, quod euertit & quatit, nec accendit mollia, sed illa à quibus retinetur colliquat, & est splendens & vocatur argetes, & est fulmen quod solam deducit arenam, & lapides minutos valde, & vbicumque hæserit, accendit ignē & multum profert fumum: & si hæserit in lapidibus aut muris, redolet sulphur & fumum, efficit & foramina angusta, & quædam pertranseunt murum. Similiter latiora alia non pertranseunt, & vocantur psolocnta. Et quædam sunt in quibus adest lapis, tamen semper exiguus, quia non posset descendere cum tanto impetu, & cuditur & atteritur illisus, & hunc vocant catebata, quia euertit turres, domos, plantas, quasi immissus à Ioue. Et quoniam emittitur cum tanto impetu, & est genitus ex fumo terreo, non est ratio quod sit politus. Cum ergo illi quorum imaginem secundo loco expressimus, sint magni satis, & multi ex eis inueniantur, & sint politi: liquet eos esse lapides sui generis, non qui deciderint è nubibus, aut fulmineos, sed neque priores, nam ea forma potius manufacta, quam natura aut casu, eo quod verisimile sit, vt sint rotundi, acuti, asperi, non magni atque huiusmodi parum æquales, non liquabiles, sulphurei, nullis præditi viribus, cum sint la-



pides ex sola concretione tum ex ignis tum frigoris facti, colore fusco inter ferreum & æreum: graues, nam si leues essent, cum supponantur casu facti, essent molles, & ideo frangerentur, & ideo rarò inueniuntur, tum quia non quiescunt nisi retenti à re dura, & propter id etiam ob impetum vix vnquam non franguntur, homines autem reddentes habere aliquid singulare, vel in pulchritudine vel in forma, & inuenientes frusta radia, abiiciunt inter reliqua rudera, aut cum terra ipsa, imò non potest inueniri supra terram nisi turrem euerteret. Et non est verisimile quod fulmen illud quod alternas columnas terebrauit. Papiæ, vt narrabat pater meus, ex auditu aui mei Facij Cardani terebrantur singulas, tum quia euertisset, illas, tum etiam quod non poterat sinuari in tam breui spacio toties cum tanto impetu, sed lapidis fracti frustula ignita, seu arenam diuisam descendisse, diuulsámque penetrasse alternatim columnas illas. De secundo quæsito dico, quod experimentum docet, quod descendat transuersim, quia sic fecit plerumque. Et quod moueatur iuxta rationem initij, sicut videmus de missis lapidibus funda, & sphærulis per canales seu fistulas, sed quia fertur maximo impetu, ideò breuissimo tempore fertur, recta autem est breuissima linearum. Ergo fulmen rectà fertur cum resiliat nubibus, sed quia ventus antecedit, & consequitur illud, & est magnæ molis, ideo sinuosa via ferri videtur, & multis lineis, præsertim quod sæpe resiliat, vt ab initio dictum est.

CAPVT V.

De fulgetris.

VErum fulgetra sine tonitru sunt, non tamen sine nubibus, æstatéque sub noctem apparent, quasi cœlo sereno, eáque lampades appellãtur, quasi splendentes ab aliquibus, verisimile est, cum reflectantur, densum aliquid habere, velut i nubem à qua resiliant, veluti stellæ cadentes intelligit, licet non dixerit, accendi vapores, velut in stellis cadentibus, sed in fulgetris resilire splendorem, in stellis cadentibus non sed fiunt veluti cœlo sereno, quoniam exiguo tempore, imò quasi momento solo durant. Accenduntur autem ob ventos, aut quia feruntur in frigidum aërem, vel ob humorem, sicut contingit in calce, cui aqua frigida superfunditur, quæ accenditur, & exeunt quantò facilius in vapore tanto certè, vt tenuior est vapor calce. Sed de his hactenus, cum excedant, propositi nostri intentum. Non fit autem tonitru, vel quia procul, atque hæc ex his sunt, id est, quæ ad hanc pertinent contemplationem, vel quia cum nubes peruia est, nudè tonitrua & fulgura maximè gignit in nubibus. Non igitur vnum eorum genus, quanquam videatur, sed alia fulmina, alia fulgura: ex his alia fulgetra & priorum ventuum, longius enim splendor cernitur vt è cœlo, quàm fragor auditur. Maximi fragores ac strepitus quandoque ad C. M. passuum audiuntur, quod in machinis bellicis experimur, rarò autẽ nisi omnia sileant, vel secundus ventus flet: id est, à loco strepitus ad nos, vltra XL. M P.—auditur, lux autem è cœlo multò altius spectatur. Differt ergo fulgetrum à fulgure, quòd in fulgure flamma defertur infra à nubibus relisa: in fulgetro solus repercussus: quemadmodum ex remis, sed in fulgetris flamma est, sed non ascendit ad nubes, ideóque nec descendit, & & breuior ob id est visio, in tremis nulla est flamma: atque hæc fulgetra sunt æstiua, quæ, vt dixi, breuiora sunt fulguribus, tametsi vtraque momentanea: verum & in his discrimen est, licet exiguum. Non apparent autem prope, quoniam ipsa prima lux videtur: namque maior videtur procul & in nocte, vult dicere, quod prope lumen non redditur maius, & si videtur magis, videtur ignis, qui est illius causa, & est difficilis locus. Sed, vt dixi, hæc propositi nostri rationem excedunt, neque enim videntur esse stellæ cadentes, cum & illa longius sine his ferri videamus.

CAPVT VI.

De viris egregiis qui fulmine extincti sunt.

CHore filius Isaac Mosis sanguine coniunctus, & ex Leuitarum tribu, dum contenderet cum Aarone fratre Mosis de sacerdotio, igne cœlesti absumptus est, sed & Dathan & Abiron Aaronis filios igne superno exussit. Et de Æsculapio minime fabulosum est, cum Hippoc. exti, descendentibus id affirmat percussum à fulmine, sed & Zoroastrem Oromasdi filium Bactrianorum regẽ, artisque magicæ inuentorem, & Oileum Aiacem referunt sic periisse. Sed hoc testimonio Poëtarum. Dacer autem tradit naufragio ad scopulos Chæradicos Eubœam, non procul obiit. Verius est de Antelemo, cuius Macullus pulchrè mortem describit, vt apud Io. Rauisium, à quo ista accepimus. *De mor. potius quam Hippoc.*

Dixerat Antelemo flãmas consultus aruspex.
Die cauendas postero:
Credidit, & rerũ dubius de mane sub Arni
Delituit Etrusci vadis.
Sed neque sic fatum effugit. Nam dum innatat Arno
Ictus crematur fulmine.

De Salmoneo non habeo quod dicam, fuerit ne fabula an historia: ex principibus sanè constat Tullum Hostilium III. Aurelium Carum XXXVI. Anastasium LIII. omnes Romanorum dominos occidit: quanquam de Carolo dubitat Vopiscus, ex epistola Iu. Calphurinij: num morbo inter assidua fulmina interierit, an ex fulmine iam æger: sed & Rex Africæ in oppugnatione Cosentiæ eodẽ modo periit, temporibus Io. noni Pont. Max.

CAPVT VII.

De his qui fulminis vim iusto plus timuerunt.

CAligula alioquin Deorum contemptor, ad fulminum visionem sub lecto condere se solitus erat: sed magis mirum de Augusto, qui terror orbis cum fuisset & flagellum, adeò expauescebat fulmina, vt se cum semper deferret vituli marini pellem, quod, vt diximus, feratur tutos reddere à fulminibus: sed, si arida tempestas sæuiret, condebat se in abdita & concamerata cubicula, credo, ob flagitiorum magnitudinem, se inuisum Ioui sentiens, aut nullam de mortalibus curam illi esse existimaret, cum se fœlicem inter tot scelera videret. Quinetiam Cantabrico bello lectica dum fertur, fermè exanimatus est fulmine: eidem, vt dictum est, fulmen C. literam adoptiui nominis excussit. Et sane soni notum somnia, & Ciceronis & Q. Catulli declararunt, fulmen vero Ioui tributum. Et fulgur & tonitruum etiam si nihil lædant, tamen quosdam adeo terrent, vt extra mentem excutiantur, vnde mors aut stupor sequitur perennis, prægnantibus abortum efficiant, & qui nascuntur lunatici euadunt, vinum in doliis perturbat, teste Philosopho, oua fota corrumpit, strauit arbores & cacumina ædificiorum, etiam solum absque fulgure tonitruum, ob motum vehementem aëris, quidam inposterum stupidi euadunt. Fertur sonus ille quasi per confractum, & orbem, vt inquit Bartholomæus Anglicus in libro vndecimo de Proprietatibus rerum, & est similis rotæ versatæ in loco inæquali: quia plurimum stridet, ob cauitatem nubium & earum inæqualitatẽ, in crassitie, forma, & densitate. Idem refert, quòd si ad tonitruum non sequatur, *Cap. 15.*

sequatur, nocet floribus nuper natis, & etiam arboribus. Plinius refert, oppidum Volsenij in Tuscia ex fulminis casu totum conflagrasse. Parua res est, cum vel casu simile fortuito similia acciderint in oppidis, quæ tota constat materia lignea. Sed neque sepulchris nobilium virorum, fulminis vis pepercit: referunt enim Lycurgi Spartæ legislatoris, & Euripidis Poëtæ, tum Iuliæ C. Cæsaris filiæ sepulchra, ac Entini Horatij coëctis Probi Imperatoris, tum Taciti ac Floriani statuas ab eo tactas, forsan præsagio claritatis nominis eorum. Constat etiam quosdam rusticos sedentes ad mensam sub arbore, vno ictu fulminis exanimatos: post tempestatem, tanquam viuerent, inuentos in mensa eodem ordine discumbentes, vt solùm quia tacerent nec mouerentur, deprehensum sit mortuos esse.

Cap. 15.

CAPVT VIII.

De præcipuis prodigiis fulminum.

VIres eorum in publica damna aut fortunam non vltra xxx. annum nisi in dedicatione ceciderint, in priuata, non vltra decem nisi die natali orta aut confirmata, vel nuptiarum, tunc enim perpetua promissa esse solent. Diuisio orbis ambitu à septentrione donec ad eandem partem redierit circinus: in partes sexdecim: quæ ad dextram prima est, si in eam decidit fulmen, ac rursus redeat felicissimum augurium existimarunt Etrusci aruspices, eiusmodique accidisse Syllæ Dictatori referunt. Fulmina quæ quassant & euertunt omnia, prodigiosa, quæ flammam lætam & perennem accedunt, gloriam & honores præsagiunt. Fulmina, vbi prope & in loca publica, & tua deciderint, ad te pertinent, aut pertinere possunt, & ad tuos. Meliora sunt, quæ inchoantibus nobis aliquid decidunt, quasi numine cœlesti fauente, & si mediantibus, non autem agentibus, impedire videntur cogitata. Hæc quidem naturali ratione, non vt quicquam ex obseruatione sit multo minus, vt ad Demonte referatur. Cum vero ante deciderint, stultum fuerit tentare fortunam, cum fulmen progredi vetet, sed & post infaustum videtur, quod mala multa præstare possit, iuuare non possit. A latere faustius censetur, quidam à læua, quidam à dextra. Si feriat plantam, etiam infaustum habetur, vnde illud Vergilianum, rusticum introducentis:

Sæpe malum hoc nobis si mens non læua fuisset,
De cœlo tactas memini prædicere quercus.

Et si arborem vtilem & læta lædat, deterius est, vt oleam, vitem, oliuam, similiter si odiosam, vt toxicum, nucem, sambucum, rubum, buxum, cupressum, hæc enim funebris est. Sed in ædificia priuata aut publica, nisi lætam excitet flammam secus malorum prænuntiatiuum est. Fulmen lætum cum in irritum cadit, aut in plantam non vtilem, sed solum iucundam, vt in salicem, & populum, malorum etiam prænuntiatiua habeatur, quæ animalia occideret, præsertim mansueta & vtilia, velut equum aut bouem. Si fulmen absque tonitru decidat, aut tonitru audiatur, nec fulmen apparet ominosum est. Sed hoc semper malum illud persæpe gloriosum, & boni operis indicium. Quid enim boni, strepitus ille per se afferre potest, obstupescere homines ante fulminis ictum, & multo ante, contingere ob id potest, quod ab ortu vna & eadem causa vtriusque fuerit, velut sydus quoddam maleficum cum luna iunctum, non potui hoc obseruare sæpius, sed illi Io. Cremonensi præfecto olim pestiferi, licet per multos ante annos hebetudo illa & inertia ad omnia inerat.

CAPVT IX.

Cur fulmen descendat cum sit igneum, & cum tanto impetu.

POrrò propositis quatuor quæstionibus cum duabus satisfecerimus reliquum est, vt aliis etiam respondeamus, cum enim ignis qualiscũq; natura sit, sursum ferri: cur hoc ipsum deorsum fertur? Videtur autem triplex ratio, aut vna aut duæ è tribus, vel quoniam ascendens & relisus à nubibus, velut contraria ratione & aduersus naturalem impetum, pila à solo ad superna feratur, nec leui impetu, alia concepto primo impetu, vel quia pars aërea sit, aut etiam terrea, inde continuato motu: vel quoniam ab aërea ipso, qui secum defertur, impetus originem habeat. Illud autem constat, ob multitudinem & magnitudinem densatis nubibus relidi, quod verisimilius est: tum quia vbi densiores ac nigriores sunt nebulæ, tum decidunt fulmina vehementiora, & quæ ædificiis & arboribus magis infesta sunt: tum quia idem exemplum in machinis igneis videmus, sphærula enim illa quandoque ponderis centum quinquaginta librarum, aliæ autem multo maiores & grauiores, quas mortaria vocant quæ quingentas pondere excedunt, supra vibrantur ob cœptum impetum. Si quid vero graue inest, delatum infra impetum acquirit, ignis autem cum re graui iunctus, non sursum trahit, sed deorsum rapitur: nam neque pruna, neque corpulentorum aliquod ignitum sursum ascendit, sed omnia descendunt. Quid igitur mirum est, si fulmen descendat, quod concreuit ex terreo, & relisum est à superiore parte, & quod ventorum impetus descendentium & præit, & sociatur & impellit. Apparet enim experimento ventos cum diu supra sæuierint, post descendere, seu quod aëris natura hoc postulet, seu motus illius ratio tanquam circuli, est enim velut elice linea, seu spiralis, per quam fertur, seu ob vapores qui ab aëris impetu, primum dum venti flant, sustinentur, inde eo languescente descendunt, sed cur cum non angusto spacio contineatur fulmen, sed adeò amplo, nec valde procul descendat: referunt enim talium rerum periti, nunquam altius duobus M.P. descendere talium impetus aquirat, vt nihil obuiam

Vide 3. decis. aquis & locis, Com. 19. lib. 46.

niam vim eius sustineat. Et mihi sane videtur id contingere posse, quod latera & supremū nubium, non possunt ad eo cogi celeriter vt cedant: ideò fertur infra tanquam à durissimo corpore relisa flamma, quoniam nihil durius naturæ legibus & vi: cogebatur enim corpus penetrare corpus. Id ergo ne fieret, relliditur maximo impetu, alia causa impetus est ventus potens, qui partim antecedit, partim comitatur & sequitur. Tertia est lapidis aut arenæ descensus, per tam longum spatium vnius saltem miliaris, & est non paruum. His omnibus causis simul iunctis, impetus ille meo iuditio fit.

CAPVT X.

De naturali significato fulminum.

FVlminum duo naturalia præsagia, trium sunt generum aut causarum, vnde etiam effectus & causarum simpliciter & effectuū: & causarum quidem, veluti quod ab astris fiunt, vtpote à transitu vel coniunctione, vel eclipsibus, vel cometis. Hæc autem calida, sicca, mutabilia, potentia, agitant elementa, & viuentia, & inter cætera homines, ex quibus constant leges, vrbes, prouinciæ, regna. Vnde perturbatis vehementer his omnibus aut pluribus sterilitates, pestilentiæ, terræmotus, inundationes, seditiones, clades, euersionem regnorum & vrbium contingunt. Et ideò persæpe contingunt, & non vno modo, & magnæ, & mediocres & maximæ, & diuersæ, & quandoque nullæ, & tunc putant vates esse deceptos, cum hoc sit ex natura ipsa rerum. Ex causis autem, quia est exhalatio ipsa praua, & nonnunquam maligna, & quandoque perniciosa. Et ideò valde noxia si pluuia nō succedat, & quantò maior eò tutior est. Et ideò animū aduertere decet quanto plura, & maiora, & longiora fuerint tonitrua & fulgura, & quantò pluuiæ minores fuerint, eò maiores erunt effectus & morbi acuti. Et quando fuerint extra tempus, vt in profunda hyeme, causa enim maior erit, & talia significant hæreses, & seditiones populorum & calamitates, sed ex effectu, quoniam aduenientia fulmina debilitant mentem hominum, & stuporem, vt dixi, inducunt. Et coniicere etiam licet ex his tempestates in mari, & grandines & euersiones arborum & vrbes, in quas decidunt fulmina frequenter, & euertunt ædificia, graues patiuntur dominos aut seditionem, aut vtrunque.

CAPVT XI.

De antiquorum præceptis circa hæc.

ANtiqui solebant fulmina expiare, hoc profanum est, sed licet supplicare Deo vbi noxia sint, atque cauere ab improbis factis, aut enim auertet, aut pensabit bonam operam, nihil enim in irritum cedit, quod ob pietatem fit. Fulmine ictos cremari in funere Romani prohibuerunt, seu vt semel igne tactos, seu quod diuino igne digniores viderentur, seu quod tanquam malefici à Ioue percussi, indigni regio honore existimarentur, nam cremari apud Romanos in rogo pro honore habebatur: nec is aduenis aut inquilinis, aut seruis exhibebatur. Loca vero fulmine icta sacra & religiosa habebantur, nec vllius erant in posterum, sed confestim publici iuris, quod ea sibi Dij vindicasse viderentur. Existimabant etiam veteres euocari posse fulmina & auerruncari, & errore in sacrificio admisso periclitari sacrificantes, illa vero Ioui tanquam Deorum potentissimo dedicarunt. Constat quoque fama ea fabricari à Vulcano per ministros, Brontem tonitru, Astrapen, id est, fulgur, ac Pyracmon, id est, ignem multum, quod impurus sit à Ioue, id est, cœlo repellatur ad terras, fuliginosa enim illa materia magno impetu descendere ab Æthere, id est, Ioue dicitur: vnde illud Horatianum:

Iam satis terris niuis atque diræ
Grandinis misit pater, & rubente
Dextra sacras iaculatus arces
Terruit vrbem.

CAPVT XII.

An fas sit homini in Christiano huiusmodi fidem præstare.

IN omnibus causis spectare oportet finem, & mandata, quæ naturalia sunt, & vtilia sunt, his vti conuenit, quæ autem ad dæmones pertinent, aut mala aut fabulosa. Quæ ad Deum his vti syncerè conuenit, quæ vero ad malos vsus, omnia mala etiam. Ergo diuinatio de morte alterius, vt principum, aut si hæreditatem expectes, etiam per concessam artem, non licet huiusmodi quærere, sed obseruanda sunt quæ ad naturam, & ad securitatem sunt sui suorúmque, & vt in vniuersum dicam, quæcunque superstitiosa curiosa, aut ad malum finem spectant, vitanda sunt. Cum enim sedem adhibueris quibus non debes, quibus debes detrahis, & vanitatis consuetudinem amplecteris. qua nihil potest esse deterius. Ergo fulgurum rationem & tonitruorum expendere oportet, vt naturalium euentuum, vel si homo in talibus hallucinetur, vel etiam vt morbi sunt. At quatuor fulminum & tonitruorum rationem considerare oportet, & etiam aliorum cum non naturalia videntur, aut modum naturæ excedunt, velut si sine fulgure tonuerit, si sine tonitru fulgur feriat aliquam partem, si percusserit nec occiderit, si cunas infantis eroserit, nec occiderit, si ensem consumpserit alicuius, nec vaginam attigerit, si turrim funditus euerterit: hæc enim quanquam naturalia sint, sunt tamen immodica, vereri oportet, & obseruare non vt dæmonum præstigias, nihil enim fit absque Dei voluntate, sed

ſed vt naturæ arcana,neque enim natura nos omnia ſcire voluit,nec quæcumque neſciuntur ob id non ſunt, aut natura efficere non poteſt, uanum eſt cogitare naturæ maieſtatem humano arbitrio eſſe ſubiectam, & meriti illius uires Deum iuxta noſtram æſtimationem, cum turris arcis urbis noſtræ fulmine percuſſa eſt, adeò ut conuellerentur omnia & diruta fuerit propemodum tota arx & lapides per duo M. P. excuſsi, ui pulueris illius. Pyrij auxilio, Galli,qui tum regnabant tũ depulſi ſunt à dominatione,nec inpoſterum vt video ſpes eſt vlla recuperandi,& nunquã quam nunc minorem video. Agre ſtem coruum qui mihi lancinat veſtes, & verebor non dubitare, ſed vitam meam æſtimabo, ſanctis ſancta omnia, iniquis iniqua, & illuſiones: hæc eſt de homine Chriſtiano mea in huiuſmodi ſententia, quam tamen melius penſitari volo ab his qui ſanctam Romanam Eccleſiam gubernant, nam de illa verè dici illud poteſt:

Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire, hoc ſciat alter.

Imo melius:

Scire meum nihil eſt, niſi ſcire hoc comprobet alma Eccleſia.

CAPVT XIII.


Quot modis hecaria aberrare.

TRifariam autem cum contingat aberrare, aut omnibus fidem adhibendo, aut nullis, aut quibus oportet ne adhibendo, adhibendo vero quibus non oportet, quod eſt omnium pernicioſiſſimum,reliquorum duorum perículoſius eſt, & non ſolum magis impium præſtare cuncti fidem. Sed omittamus pro nunc pietatem,& quæramus nunc euentus. Duorum fortunatiſſimorum virorum, patrui magni ac nepotis ſimiliter, C. Cæſaris & Octauij (namque Octauius fuit nepos Iuliæ Cæſar. ſororis,nam de adoptione qua factus eſt filius eius, nunc ſermonem non habeo) patruus cuncta ſpreuit, nepos omnia obſeruauit, viſúſque eſt felicior longe. Octauius longa dominatione, & quoniam poſteris ſuis Imperium reliquit. Sed & Tiberius, cum nihil horum ſperneret feliciſſimus fuit, adeo vt per eam felicitatem miſerrimus vitiis euaſerit, ſed aliud eſt fortuna quàm virtus. Veſpaſianus quoque talium diligens obſeruator Imperator ex priuata fortuna, & haud dubiè ex hac obſeruatione euaſit reliquitque Imperium duobus filijs, quos poſt ſe imperaturos palam prædicabat. Multi quoque alij ad magnas res peragendas & conſequendas,his ſententiis euecti ſunt,verum antequam naſcerentur audiui à patre meo Ludouicum Sfortiam his fidem pluſquàm expediret dantem, vnum fermè Italiæ Principem regno ſpoliatum pro ridiculo habitum, in carcere apud hoſtes poſt ſeptem annos diem objiſſe. Quid ergo, an dicam melius eſſe, his quæ videntur miſſæ à Deo, ſed non his quæ ab adultoribus ſuggeruntur,vt non ſit crimẽ artis ſed eorum qui artem ſine arte profitentur, ob id ſi vanitatis omnem ſuſpicionem effugias, & naturalibus fidem adhibueris, melius eſt obſeruare quod caueas non quod poteris, ſed vbi in periculum vanitatis incideris, vide in quot mala incurras. Primum quidem impietatis, quod & maximum eſt, Deum legemqué illius & præcepta ſaniora relinquendo. Deinde deceptus vana ſpe, plurima & maxima ſubibis detrimenta,dum naturalibus & humanis rationibus præſidijsqué relictis in ſtultis & ineptis expectationibus coofides. Sed & maximam anſam fallendi tuis præbebis hac illis præſtita occaſione, tum verò ad omnia momenta plenus ſpe ac timoribus cuncta ſubuertes,manante autem eiuſmodi fama in contemptum omnium deuenies, amitteſqué omne robur potentiæ in quacunque conditione vixeris.

CAPVT XIV.

De tonitru & cauſis eius atque effectibus.

SOnitus quidam eſt tonitru quod in longum producitur non ſolum ea cauſa quæ omnibus nota eſt lacerata nube per longum ſpacium, cum enim aer & nebula cedere loco non tempeſtiue poſsint, partes quę denſatę ſunt duri locum habent, neque enim ſtrepitus magnus fieri poteſt, ſi liber pateat exitus, & etiam quia acutus redditur ſonus: at magnus & grauis fit ex amplo aere cum in rem duram inciderit, & eliditur, vel, cum è loco amplo aëre ſimul exit, vt in machinis bellicis igneis experimentum docet, ſed quia aeris tranſitus lentior eſt quam lucis, ſoni autem quem aeris. Videtur enim ſonus alius ſpecie quadam multiplicari, ex cubiculis diuerſis vox non ſolum auditur,ſed etiam verba intelliguntur quamuis intercedẽte muro. Nec veriſimile eſt eundem aere deferri, quando quis per longum arundinem alteri in aurem inſuſurrat,ex ore ſimul cum voce in aurem, ſed potius commoueri continuitate ſtatim totum velut in baculo cum percurrit murum B, K, in I, non A, fertur in L, ſed in B, tamen B, in C, & C, in D, & D, in E, & E, per F, G, in L, ita per ſucceſſionẽ fit motus omnium partium, non quod A, perueniat ad L, ita de aqua fluminis & aëre fieri reor. Cum ergo hic productio ſoni tardior ſit quam luminis, ideo ſonus tonitrui longior eſt viſione fulminis, quæ momentanea eſt. Et tertia cauſa eſt, quod



quod cum recipitur in auditu, recipitur successione quadam, & tardius, quam feratur per aërem, adeò vt quod momentaneum est longum reddatur. Et etiam quoniam soni impressio remanet cessante percussione, non autem lumen, nec quicquam eius cessante luce, quamuis sonus se habeat ad percussionem & ictum, velut lumen ad lucem. Et sonus ipse est aliquid præter ictum & motum aëris, vt dixi, & etiam præter id quod ab aure sentitur, quia lana non sonat, & si moueatur aër ex illius percussione. Et motum percipiunt surda, non sonum, vt apes & vermes. Tonitru ergo cum scindat etiam dura corpora, vt ait Aristoteles, dubium est an illud agat absque motu aëris, & an tonitru moueat aërem, vt sit triplex quæstio: scilicet an tonitru scindat vitrea vasa & marmora, propter motum aëris ex quo fit: Et an ipsum tonitru dum sonus diffunditur pariat motum in aëre, quo talia findantur: Tertio an ipse sonus hoc possit facere per se, cum enim non sentiamus aërem violenter moueri, & hæc etiam in cubiculis clausis accidant, & repente contingant, neque fient à motu aëris, nec ab alia qualitate. Nam quod homines ob tonitru obsurdescant, clarum est, & quod in pecoribus sint causa abortus ob timorem, hæc enim causam habent non obscuram. Verùm quomodo dura frangantur, aut tubera nascantur, non est adeò manifestum. Plinius existimat tonitrua matutina ventos, meridiana imbres denuntiare. Refert Plinius contractum sic labyrinthum Ægyptium, vt aperientibus quasdam portas tonitrua terribilia intus excitarentur, quod minime mirum est, mole magna & in obscuro nexibus ac rotis arcte, vt reor, impactis. At vt ad rem redeam, eiusmodi dura scinduntur sympathia quadam, seu antipathia, potius quam aëris motu, vt in signis & statuis saltantibus.

2. Cœli. Text. 53.

Lib. 36. c. 13.

CAPVT XV.

Vana esse quæ de quibusdam feruntur, quod à fulmine non tangantur.

Cap. 2.

Diximus supra, quædam esse quæ à fulmine non tangantur, vitulum marinum ex aquaticis animalibus, ex auibus aquilam, credo ob id quod dicata sit Ioui, nam altissimè volat, vel quia non tangatur à fulmine, vel quoniam superet, aut omnes quas Diis assimilaret, ob id Ioui dicatam. Sed & laurum inter arbores, quod Apollini sacra censeatur, aut ob id quod perpetua fronde vireat, vel quod odore pestilentiam arceat, vel quod puluinaribus supposita vera reddat somnia, seu quod ignibus imposita crepitet, ac quasi responsa reddat, diuellétque flammam in partes augurio futurorum, aut quod calida sit planta & Soli amica. Constat sane vates Appollini sacros & sacerdotes, & duces etiam in triumpho apud Romanos lauro coronari solitos, sed neque ficus arborem, & vt diximus, nec hyenam inter quadrupedia, neque ex lapidibus hyacinthum, imo nec ipsum fulguris lapidem, adeo vt sint in vniuersum septem. Primum ergo à vitulo marino auspicemur, quem dico absurdè eximi ab hoc periculo, absurdius vero pellem, quæ res est inanimata, cui nullæ sunt vires, vt pater meus me pluribus rationibus docuit, sed agamus de ipsa belua, quam referunt in mari degere, aliquando extra dormire profundius in scopulis, cuius pellis versicolor est. Quæro igitur primum, quo argumento deprehendi potuerit, ipsam non tangi à fulmine, id enim vel ratione, vel autoritate, vel experimento cognitum esse debet. At primum experimento nullo id potest probari quod satisfaciat, nisi ad quædam coarctetur. Dicere enim vitulum nullum marinum fulmine percussum, quis verè potest? quis vidit omnes vitulos marinos? quis obseruauit omnes tempestates, omnia fulmina quæ à condito orbe in mare in scopulos ceciderunt? sed fac, quod esse non potest, vt obseruatum esset in Italia, in Græcia, quis in Asia, in Indico pelago obseruauit? Sed fac vt obseruauerint, quod nondum accidit, quid prohibet vt in futurum accidere non possit? alea non terna puncta tota hac die protulit, ergo securus sum quod non dabit? Sed nemo vidit ictum vitulum marinum fulmine: quot alia sunt quæ nemo vidit percussa à fulmine, an ideò dicemus immunia? tot plantæ, animalia, lapides, si quæ nunquam tetigit fulmen, ideò tuta dicenda sunt à fulminibus? in vtraque vrbe decem millia erunt ædium aut conclauium à fulminibus tuta. Idem de herbis & animalibus, si quod animal sit marinum, quot pisces, quot piscium species, quot genera erunt non solum tuta, sed longè tutiora vitulis quæ in terram prodeunt, cum illa toto suo genere, imo profundi maris inhabitent, illa sane merito tutiora dici poterunt. Si inter quadrupedia illud enumerare velis, & quæ inhabitant terram, & ranas & testudines, eo iure teneri dicam. Reliquum est igitur vt dicant è tribus vnum, vel quod ictos fulmine vitulos marinos affirment, sed haud interiisse: at hoc neque ipsi dicunt, nec si dicerent, verisimile esset: nec si concedatur, adhuc satisfaceret quæsito, neque prohiberet homines quin fulmine tangerentur, nec eadem esset fortuna hominibus ictis, vt superuiuerent, quæ vitulis marinis. Aut vt dicant multos inter vitulos cecidisse fulmina nec vllum ex illis attactum eo, cum accidere raro, accidisséque, sit necessarium. Quo argumento id astruere possumus, nunquam contigisse? nam inter armenta aliorum generum perspici facilius potuit, quæ in terra perpetuo degunt, cum vituli solùm, dum dormiunt, aut dum pariunt, idque tempus fermè non vltra duodecim dies extenditur, in terra maneant: nec credendum est, dum sæuit tempestas degere illos in terra, aut dormire: tametsi soleant alioquin profundo dormire somno, quod pluuiam, aquam non vt marinam salsam, & ob frigidiorem & potestate & actu oderint. Id etiam accedit quod difficile sit perspicere, quo loco fulmen ceciderit, nam sæpe flamma vno loco visitur, in alio decidit fallente sensu. Tot igitur causis obstantibus, haud verisimile est ob

hoc natam esse huiusmodi opinionem. Tertiam coniecturæ rationem obiicere possunt, quod multis fulminibus cadentibus non tactus sit vitulus aliquis in littore dormiens, at ex hoc quis sanus mente id coniicere possit, non tangi fulminibus vitulos? nam, vt diximus, & Octauio in itinere fulmen prope decidit, occiditque itineris ducem, & auum meum (vt aliquando à patre audiui) prostrauit, dum esset puer: non tamen tetigit, cum in arborem prope decidisset. Nec tamen dicendum est fulmen homines aut pueros, aut hos vel illos non posse attingere. Neque id ratio vlla suadere potest cum fulminum ratio & casus, vt Plinius inquit, fortuitus sit. Tum verò valde absonum est, vt hoc animal inter cætera delegerit. Vulgata fama fuit de hoc, sed nullo tamen præcipue authore, nam Aristoteles adeo diligens in huiusmodi inuentionibus hoc non dicit, cum tamen obseruauerit, & quod in terra degat, dum parit, solùm duodecim diebus, & quòd, præter morem aliorum animalium brutorum, nullum tempus, aut conceptus, aut partus, præcipuum habeat, sed omni tempore anni velut homo pariat, & quod linguam bifidam habeat, & anteriora aura similia humanis humeris, & multa alia eiusmodi. Quare perabsurdum est hoc commentum, & fabulæ simile. At de lauro falsum etiam esse constat, nam vt audiui dum puer essem, sub Paulo tertio Pontifice max. lauri icti sunt, in viridiario quodam Romæ, sed & aliàs audiui, nec qui adeo expauerunt fulmina, velut Octauium aut Caligulam legimus imminente tempestate lauro coronari solitos. Minus etiam de aquila crediderim haberi huiusmodi experimentum, quis enim hoc potuit obseruare? Quod si verum sit, id contingere posset, vt illa naturali quodam instinctu & præpeti volatu, dum imminent tempestates, effugiat. De hyæna etiam admirabilius est, cum penè ignotum sit animal nostris temporibus, quod solum inter quadrupedia referunt imitari vocem humanam, quamquam Apollinius libro secundo de Singularibus, referat animal quoddam pro hyæna longè aliud ab eo quod veteres depinxere. Vtcumque sit, tam hoc incertum est, quam vllum aliud, cum vix videre eam nobis contingat, nedum talia obseruare licuerit. Sed si idest quod in Ægypto ostenditur frequens, minime id illi priuilegium esse prædicant Ægyptij, adeò vt vtcunque te verteris in foueam decidas. Sed neque de ficu verum est, constat enim plures ex hoc genere plantas fulmine ictas, sed cum humilis sit arbor & latis foliis, raro præterquam in foliis ipsis læditur, ideóque latet plerunque ictus, qui & rarus est, vt etiam in lauro, quæ & ipsa humilis planta est, & præter id vtraque ad meridiem feri solet aut plantari. De lapidibus illis alter quidem, cum neque sit fulminis mera fabula est, hyacinthi, si verum etiam sit, nulla ratio reddi potest. Cum ergo nullius eorum verisimilis sit historia nisi forsan de aquila, cuius si verum est (quod dicitur) volatus adeò celer causa esse potest, cum hac via effugere fulmen homini non liceat: totam hanc narrationem fabulæ parum absimilem esse reor, certe parum vtilem, nisi vt securitate mentita vanos timores euitemus, vt certioribus auxiliis fidendum suadeam, qualia sunt concamerata sub terra: nam hæc si probe profunda fuerint, & prope duplam hominis altitudinem multa terra contecta, omnino tuta sunt, vt solum in vita sepultis hoc auxilium pateat.

CAPVT XVI.

De fulminum, & fulgurum, & tonitruorum propria generatione.

Nondum autem constat, quomodo istiusmodi fiant, & præcipuè quomodo ascendant vapores hora generationis fulminum, tum quia eo tempore solis vis minime viget, sed frigidus est totus aër, etiam æstatis tempore, & nullus sentitur odor vriginosæ exhalationis, neque omnes ob id ægrotant, neque perspicuum est, quando lapides descendant, aut non, & an plures an vnus, & cur sæpius fulmen decidat in eisdem tempestatibus, & non semel, & cur vno tempore magis quàm alio, & in vna regione magis quam in alia. Ergo pluribus diebus triplici exhalatione superius attracta ob calorem solis, & propterea maximè in æstate fiunt, atque in ea ardentissimis temporibus, cum quod ascendit tribus ex partibus constet aquea, tenui terrea & terrea crassa. Statim partes hæ separantur, & quod crassum est remisso calore, velut per noctem, & circa crepuscula descendit: reliquæ partes duæ tamen à solis calore reliquo, tum à ventis & aëris motu, à quo videmus plumas sustineri, & floces, retinentur. A calore, aut solis feruente horis meridianis excoquuntur plurimis, ac dixi, diebus. Neque enim vt ad longum tempus huiusmodi fieri possunt, sed si continuè fiant pluuiæ aut siue fulminibus, & fulguribus, & tonitruis decidunt, sicut sæpe contingit in æstate, dum pluuiæ nubes perseuerant: aut aliunde per ventos collectæ deferunt in alias regiones, & ne vlterius procedant ab aduersis ventis retinentur & decidunt. Multorum ergo dierum concoctione facta in aqua, quod crassius & humilius per rorem ascendit in noctem, reliquum magis attenuatur atque concoquitur, & ob id aqua pluuia saluberrima, vt dicebat Hippocrates. Quod vero calidius erat & siccius exuritur, & pars quidem quæ vsque ad frigidam regionem attingit, à frigore ignita præsertim & noctis tempore descendit, speciem referens cadentis syderis: reliquum totum, superuenientibus ventis validissimis, cogitur quasi per lineas & trabes, & humidum quidem, quia magis cohæret in vnum corticem, vero in plures partes diuisum, dum humidum refugit, & ipsum cogitur in inæquales formas, atque figuras trabis, atque molium, & retundarum, & aliarum formarum inæqualium. Signum est autem humidum non coire sicco, quod aqua sparsa super terram, quæ in tabula sit arida valde, aut cinerem, glomeratur in guttas, vt siccum refugiat, atque eo magis si ignearum virium sit,

ſit, vt de cinere & calce, quoniam humidum concretum, ſicco præſertim in tenuiori non committatur, ſed ſolum, ſi vel diuidatur, vel humidi aliquid ſicco prius inexiſtat, vel ipſum ſiccum grauius ſit, & in puluere redactum. At horum trium cum nullum ſit in exhalatione, iam exacta neceſſe eſt concurrentibus ventis. Nam niſi concurrant vltrà deferunt nubes magna velocitate, nec concreſcunt, nec denigrantur, nec deſcendunt, nec fiunt fulgura, neque tonitrua, ſed manifeſte volant, ſicut perſæpe videmus in æſtate atque in primis manifeſte: tum vero retentæ ab aliis ventis, quorum impetum ſi quis non videat, aut non intelligatur, nec etiam his quæ hic ſubiiciuntur credere poterit. Atque ob id nec intelligere, ſed fabulas eſſe exiſtimabit. Audiui enim à patre meo olim dicente, dum puer eſſem, quod cum venti eſſent in Apennini iugo, nec dum validi, vt referebant incolæ, pileum quidem illius velut ſagittam ex arcu emiſſam longius tranſtulerunt recta linea, ipſum vero cum equo eleuarunt, vt nunquam maiore in timore aut periculo ſe fuiſſe meminerit. Horum igitur impetu & frigore immenſo accenſæ portiones exhalationum, ſi puluis non adſit, deſcendunt, & lacerant nubem maximo cum impetu, tonitrúque efficiunt & fulgur, & ob id recte inquit Ariſtoteles, reſilire fulgur ex nubibus, quia altius non poteſt procedere, ſed à nebula denſa retunditur. Negauit etiam recte, cauſam impetus fulguris eſſe, quod reſiliat à nubibus, id eſt, quoniam non aſcendit à terra tum vapor ille, neque ab inferioribus partibus, ſed eſt in ipſis nubibus immixtus per ampla ſpacia, vt dixi, & fertur per lineas æquidiſtantes, quaſi ipſis nubibus & terra à ventis: cum vero cauſis adeo vehementibus accenſus, & hinc inde concuſſus nitat in nubibus, & ſtatim deſcendere incipit, & tonitru excitat. Incipit autem tonitru ante deſcenſum, dum ignis ipſe in nube diffunditur, & ipſam lacerat, hicque primus ſonus. Secundus dum inter nubes deſcendit & emittitur. Tertius, dum fulmen per aëra fertur deſcendendo, atque hic ſtridulus eſt, velut & lapidis, qui funda cum magno impetu fertur, ſecundus verò eſt bombus, velut cum ſphæra metallica, vel lapidea exit è machina ignita. Tertia eſt aſper & inæqualis, & eſt è genere crepitus, velut cum franguntur tabulæ, atque omnes biſoni, quoniam perdurant in aëre veniunt ad nos ſimul miſſi cum magna inæqualitate, qualis apparet in tonitruis, ipſum vero fulgur ſine lapide aut arena. Et ideo fulgura eueniunt in locis planis, fulmina vero in locis montuoſis: nam flantibus ventis, præſertim adeo potentibus, eleuatur puluis ex montium cacuminibus & lapilli & tegularum partes, & lignorum ſimulque hinc atque illinc, & propter vehementiam ventorum, & partes humidas, per quas tranſeunt, coguntur in lapides diuerſos, neque eiuſdem formæ, neque magnitudinis, neque ſimiles, imò magna pars ſub arenæ ſpecie manet, deſcenditque totum ſimul amplum occupans ſpacium, feritque diuerſa loca: & ideo in vno fulmine plures cadunt lapides, & ſpargit multa arena, & ſi qui lapides ſint magni, & impingant in loca dura, velut montes, rupes, ſaxa, turres, franguntur omnino, & diſſipantur, aliter enim fieri non poteſt in tanto impetu. Sed ſi in ædificia & muros ſimplices, & non per longum, ſed tranſuerſum: tunc qui duriores ſunt integri manent, aut parum atteruntur: qui molles etiam comminuuntur. Ex his verò qui cadunt in terram, & in arbores, plerique manent integri, aut ſolum diuiduntur. Similiter & in vna tempeſtate ſeu pluuia, plura decidunt fulmina aut fulgura, quia vt dictum eſt, plures ſunt exhalationes, & vna poſt aliam accenditur, & aliquando duæ ſimul, & deſcendunt. Cum ergo in vna pluuia puta quatuor horarum multa deſcendant fulgura aut fulmina, & in vno fulmine aut fulgure multi lapides, & lapidum partes, & multa arena: ideò in vna pluuia, ſeu vt ita dicam, grandinatione multi effectus contingere ſolent diuerſis in locis. Hic ſoluam duo, reſtat vnum vt admoneam, maxima fieri fulmina aut fulgura, temporibus valde ardentibus, & cum diuturni ardores & ſiccitates proceſſerint, & cum venti maxime ſæuierint, & nubes nigræ fuerint, & iam deſcendere incipiunt, tunc enim magis relidunt fulmen aut fulgur, ob duplicem motum deſcenſus nubium & concurſus ventorum. Alterum quod nebula à vapore ſeparatur antea longo tempore & ſpaciis manifeſtis, ob aduſtionem quæ illam exſiccat exhalationem.

CAPVT XVII.

Cur fulmina cum grandine ſemper, cum pruina nunquam fiant, tametſi aliquando per hyemem contingerint.

EX his igitur patet, cur neque nubiloſis temporibus, neque valde ſiccis, cadit ros; in his enim abſumitur aut diſſipatur & ſurſum trahitur, in illis autem non cogitur, neque concreſcit, aut iam attractus vapor concreuit in nebulam: ſimiliter cum grandinat neceſſe eſt, vehementem fuiſſe motum ventorum & attractionem vaporis ad ſuperiora, vt grando cogeretur. Quare & fulmina aut fulgura fieri, quando cum agens cauſa tum adſit, materia numquam vapor ſcilicet exuſtus deeſſe non poſſit. Nam ſi dicas non adeſſe vaporem, quod pridie & nudius tertius multum pluerit, neque venti adſint, qui aliunde eleuatum eò detulerint: & ego tum dicam neque grandinare poſſe, quia tam breui temporis ſpacio ſine ventorum auxilio concreſcere non poſſit humor cum nec altius ferri. Dum vero ningit, non ex alto nix venit, neque concreta: ideo abſque validioribus ventis eſt, quare neque tonare neque tum fnlminare poteſt, vel etiam fulgurare. At ſi hyeme aliqua media humili loco venti exorti cogant niuem ad ſuperiora, his verò ſuperiores alij ſucceſſerint, atque validiores, cogetur nix, & fient fulgura atque tonitrua, ſed tum neceſſe eſt niuem coactam tranſire in aquam, ideoque pluet non ninget. Indicio horum eſt,

est, quod concreta nix cum descendit, in pluuiam verti solet his de causis. Et quod causa lati sunt flocci niuis, longam niuem & hyemen valde frigidam nuntiant. Dum enim crassior est aër ob vehemens frigus, inhibet ventos, vt non possint cogere nubes, propterea nubes nimium non sunt adeo nigræ.

CAPVT XVIII.

De propriis significatis fulminum & consequentium.

ERgo fulmina quædam significant, tanquam præcedentia, quædam vt præsentia, quædam vt futura: & præcedentia quidem cum plurima fuerint, & quassauerint multa, siccitates & ardores solis immodicos nuntiant. Et ideo etiam permutationem ad morbos æstiuos, non solum ob solis calores, sed etiam ob vaporem iam genitum, & bella & mortes principum ratione qua cometæ, & vt præsentia ventos validiores, vnde seditiones & vastitates & hæreses, & populorum inconstantiam, & aliqua in regione cum omnino immodica fuerint. Terræmotus, eadem est materia, vt inquit Aristoteles. At de fulgetris, cum purgent aërem, si morbi vel in hominibus vel in animalibus, aut marcores præfuerint, soluentur: similiter innoxia etiam erunt, si vel breui cessauerint aut successerint venti frigidi: sed si antea neque morbi fuerint, neque talia cessent longo tempore, nec venti frigidi successerint, euenient destillationes multarum specierum, vt morbi vagentur, & forsan erunt pestilentes, vt si sint ad fauces, vel ad pectus, vel ad ventriculum, aut acres ad intestina. Tonitrua vero quæ strident, fulmen peragrare non procul docent: quæ autem cum fragore sunt magno, ruinam loci propinqui, incidisseque fulmen in rem duram ostendunt: vt aduertenti facile sit hoc intelligere: quæ crepant multum, descensum fulminis ostendunt: sed quæ mugiunt, & grauem sonitum edunt, ventosa magis sunt. Quæ in arbores incidunt breuiorem fragorem efficiunt, quam quæ in ædificia, quæ in aquas seu in maria, aut flumina, lacusve, nam vbique descendunt, illa mouent, & cum fragore stridorem gignunt.

CAPVT XIX.

De damnis fulminum & fulgurum insignioribus, & quorundam problematum solutione.

FVlmina fulguráque, tum tonitrua præcipuè diruunt ædificia, occidunt homines atque animalia, terrentque mortales, quòd præsentem mortem afferant, maius tamen malum est ex incendio, cùm non solum domos, sed integra oppida fulmen ac fulgur absumpserit, & fulmen quidem paulatim accendit, seruatis scintillis ex arena lapillisque in tabulis ignitis, vnde postmodum erumpit. Fulgur autem ardens corripit ligna, vt statim flamma emicet. Quædam loca mirum in modum huic pesti obnoxia sunt, vt audierim aliquando in villula quadam vix spacio quindecim dierum, & parum distantibus locis nouem decidisse fulmina seu fulgura, nec tamen locus ille eminens erat. In hoc proposito damnauit Plinius Campaniæ præcipue eam partem, quæ erat inter Terracinam & Zerroniæ ædem, vt contra Ægyptum & Scythiam ab hoc malo immunes esse pronuntiauit. Et multa quidem circa hæc dubia contingunt. Primum quidem, cur omnia animalia excepto homine statim pereant, homo solus euadat: aliquando in causa est, quod homo viuacissimus & humidissimus, fulminis autem ignis maximè siccet, vel etiam quoniam alia animalia si non moriantur, declarare nequeant se icta esse à fulmine, cum sæpius ictos à fulmine, non nisi quia pereant dignoscamus, nullum enim aliud vestigium relinquit, etiam in his qui obierint, plantæ autem à fulmine ictæ persæpe non pereunt, exarescunt tamen parte ea quæ tacta est, aliæ vi venti procidunt & pereunt. Cur autem vulneris locis frigidior sit, reliquo toto cadauere, in fulmine ictis, causam esse reor, quod calor & sanguis ea in parte magis resoluitur, & exhalat ob calorem externum. Addit aliud Plinius, quod amphibologicum est, verba eius sunt: Nullum animal nisi exanimatum fulmine accenditur, hicque primus sensus est, aliàs nullum animal nisi exanimatum fulmine accenditur. Quantum differant hi duo sensus, quantum ignis ab aqua: nam primo significatur, quod nullum animal nisi mortuum prius fuerit, à fulmine accenditur, & in hoc sensu plerique legunt. Sententia alterius lectionis est, nullum animal nisi sit extinctum à fulmine, ardet ignibus impositum, quem sensum etiam admittere possumus, postquàm videmus nullum animal ardere, etiam ignibus circumdatum sed exuri atque consumi, ardent tamen homines pice illiti, tum animalia, sed pix potius & resina & alimenta ignis quam homo ipse. Habet tamen vterque sensus difficultatem: hic quidem, quoniam & pinguedo, & adeps, & caro vbi humidum aqueum euanuerit, ardent etiam magis quam velimus, nam neque ligna viridia ardent. Primus autem sensus hoc habet, quod animal mortuum non dicitur animal, adeò vt clarius potuisset exprimi si illam intendebat sententiam, hoc modo: sola cadauera animalium ardent à fulmine, nam viuentia fulmine icta haud comburuntur, aut aliqua simili oratione. Accedit aliud quod dubitationem auget, quoniam neque animalia extincta, fulmine tacta ardent, vt nec alio quouis igne, nisi qui moram ducat. Cadauera enim frigida admodum atque humida sunt, fulminis autem ac fulguris ictus momentaneus. Existimo autem mirum visum fuisse Plinio, non admodum in philosophia exercitato, quod à tanto igne animal occisum non excutietur, etiam tum maximè ab eo fulminis genere quod scintillas relinquit, velut in lignis, quæ postquam icta fuerint ardent ob retentum ignem. Similiter & illa verba omnia, contrarias incumbant in partes,


Lib. 2. c. 54.

partes, homo nisi conuertatur vi percussus non expirat, supernè icti considunt legenda esse puto, sub hoc sensu omnia contrarias incumbant in partes, homo autem & ipse dum sic considit non perit, sed vbi vi conuertatur in partem percussam tum expirat, namque si supernè eiiciatur cōsidit, vt in aduersam partem decumbat, vt sit sensus fœcundus & profundus. Quamuis fulminis vis tanta sit, animal tamen loco non mouet, verum interficit: sed hominem non interficit, nisi postquàm ab aliis conuersus fuerit super locum ictum. Causa est, quoniam tam celeriter transit, & adeò vehementi ictu terebrat, vt loco non moueat, quod tam mirabile videri poterat, ob rarum experimentum: nostris temporibus sæpe accidit, vt hominis truncus ab equo circumferretur aliquandiu, donec pondere proprio decideret, non ictu machinæ quam bombardam vocant, præuenit enim ictus finis casum: & cum ictus non adest ob ictum cadere non potest. Eadem ratione, dormientibus oculi aperti, vigilantibus conclusi, aperiuntur, quoniam semel tantum ob interitus velocitatem conuelli possunt: conuulsio autem in contrarium mutat, ideo in contrario situ oculorum, palpebræ, & in quo erant, tum cum percussus est reperiuntur.

CAPVT XX.

De antiqua Etruscorum obseruatione.

Etrusci eam rationem regionum diuidendarum in casu fulminum atque fulgurum iniere, nec plus tradit Plinius vt pessimæ optimis more rerum humanarum coniungantur. At de oppositis verisimile est, aut bonas valde aut malas vehementer optimis, vt contra pessimus, aut valde malas



aut bonas, non mediocriter opponi. Si ergo non optima pessimæ aduersa est, neque pessima optimæ, quoniam in vnum coëunt, vt effigiem imitentur serpentis reliquum est, vt & robore & natura assimilentur. Sic enim inquit: Ex his maximè dira, quæ per septentriones ob occasum attingunt optimum est in exortiuas redire partes. Ideo cum à prima parte cœli venerint, ea est à septentrionibus ad æquinoctialem exortum, toto ambitu in quatuor partes diuiso, atque verum eadem ratione vnaquaque earum in quaternas, vt octo sint à dexteris, totidemque à sinistris, & in eadem concesserint, summa felicitas portenditur. Videtur autem plane velle, vt dextræ omnes faustæ sint, sinistræ diræ. Ergo melior erit quæ octauo loco in imo collocata est, quod etiam opponatur pessimæ, vt contra nona valde mala. Quæ ergo in medio quasi imbecillis, nam ibi qua mutationes maximæ & assiduæ contingunt: contra in apicibus malæ aut bonæ, sed constantes, atque ideo validæ. Obseruandum ergo inde orirentur, aut deciderent, similes enim fines atque initia portendebant. Erant igitur antiquorum præcepta his quinque distinctionibus vniuersam fulminum, ac fulgurum prædictionem determinantia. Apicibus contrariis robur, sed superioribus potentioribus lateribus imbecillissimis, vt propinquiora ita debiliora validiora, ad dextris faustis, sinistris diris, ortu & casu, feci initium & finem declarantibus, nec ipsum occultantes & diffundentes speciem magnum effulgebant.

CAPVT XXI.

De Dionysij fabula.

Semele gerens Dionysium, à fulmine percussa periit, infantulum extraxit pater Iupiter, eumque Nymphis abluendum dedit, Dirce Acheloi filiæ statimque femori ipsum sibi assuit, donec perficeretur, qui formosissimus puer adoleuit, in Nisa Arabiæ regnauit, & vt numen antiquo more, cuius sacerdotes fuere Satyri, Sileni, Naiades, Nymphæ, Tityri, Bacchæ saltantes & ludentes, furentésque Thyrsis pampinorum vitis, coronati hedera Smiræ quercúsque frondibus atque abietis, vini vsum inuenit, & in Indiam penetrauit, Libyam quoque & Hispanias peragrauit, Mythologiæ namque non fabulæ sunt eiusmodi simplices, sed sensus reconditos habent, significatum est, & hirci qui ei sacrificabantur, & Phentei diserti à Bacchis. Iouis filius, quoniam vinum omnia potest, & etiam quia iuuat nos. Semeles, quoniam Armoniæ & Calmi filia fuit, Calmus autem quia à Thebanis inuento viro virginem duxerit, aut similes, id est, cochlea quia viris obrepat vt cochlea, seu stupidos vinum reddat homines. Dictus Dionysius quasi Deus Nisa, vel quia mentem pungat, Bacchus à furore, Bromius à strepitu & clamore ebriorum. Liber seu Lyæus, quod liberet à curis. Incendio matris natus, ad historiam pertinet. Nam & Edoardus sextus nostra ætate, qui successit in regnum Anglorum à mortua matre exectus est, & Gorgias Epirota vir fortis & clarus, quod magis mirum est etiam natus post matris obitum, sed & historias *Valer. Max. lib. 1. de Mirac.*

historias subscribit euentus, quia vinum igneum est. Alij dicunt Semelem matrem, quia vitis vini mater concutiat sua membra, Ioui assutus, ob ingentem potestatem & voluptatem, numen, quia colitur à multis, Nisæ rex in Arabia, quia à calore alitur vitis,& felicem reddit hominem ob lætitiam comites, insani, temerarij, improbi, malefici, ociosi, impudentes, ebriorum differentiæ, sicut & loquaces profusi, aleatores, furiosi,immanes,omnium vini potus causa est. Mulieres Bacchæ quia hic sexus magis ebrietati obnoxius Pentheum discerpserit, id est luctum, vinum enim luctum dissoluit, arbores illæ ei sacræ quia viti similes & amicæ. Diræ Nympha Acheloi filia, quia vinum aquis commodissimè temperatur. Est autem Achelous fluuius linpidissimus.Hircus ei mactatus, quoniam inimicus est vitibus, non solum depascens illius ramos & corticem,verum naturali antipathia perimit eam. Transiuit in Indiam & Europam, quoniam vini vsus vbique propagatus,effecit,vt passim pro Deo haberetur & coleretur.

CAPVT XXII.

De his qui fulmen sibi asciuere.

SAlmoneum Elidensium regem Æoli(non illius qui ventis imperare dictus est) filium, primum ferunt fabricato ponte sublimi æneo, quo immineret vrbi super eo agitasse equos per imitatum fragore tonitrua, iactasséque faces,& quos tangeret si non inrerirent, à satellitibus occidi iussisse,Iouémque ob id iratum, illum vero fulmine occidisse. De quo extant apud Virgilium hæc Carmina.

Vidi & crudeleis aantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Iouis & sonitus imitatur Olympi.
Quatuor hic inuectus equis & lampada quassans.
Per Graium populos mediaque per Elidis vrbem.
Ibat ouans, diuúque sibi poscebat honores
Demeus,qui nimbos & nō imitabile fulmē
Aëre,& cornipedum cursu simularet equorum.

Nec miremur, aut omnino fabulam existimemus, cum Alexander ille verè Magnus, hac in causa erubuerit,ab Apelle cum fulmine pueriliter depingi. At Lysippus hastam in eius manibus posuit, fulminis loco statuam dum fingeret. Constat etiam de ea re Olympiæ eum reprehendisse, Alexander autem, vt Cyprianus refert, librum conscripsisse misisséque ad eum, in quo conabatur ostendere multis rationibus, expedire Regibus, præsertim qui inclytis factis resplenduissent, sibi ascribere diuinitatem non solum ad perpetuitatem nominis, sed etiam ad subditorum obedientiam regnique securitatem, & suorum posterorum continuationem, tanquam ex diis genitos, idque multis exemplis præcedentium Regum tum Græcorum tum Barbarorum confirmasse. Sed pudet Lysimachum ex Alexandri satellitibus vnum, vix portiunculam regni adeptum, rapina non virtute post illius mortem, iactasse se lancea cœlum tangere, impudentius etiam Clearchum Erathliæ tyrannum fulmen gestasse,& ex filiis vnum appellasse tonitruum, similibus vanitatibus & Clitus & Demetrius ex Alexandri hæredibus,& ipsos exigua parte regni adeptos, Iouis nomen sibi indidisse. Ergo quasi non immerito Alexandro, si cui merito talia ascribi possunt, fulmen in manibus adhibebitur, qui tredecim annorum spacio Græciam parauit, patri & sibi totiens rebellem, Orientem totum minore temporis spacio domuit, quàm peragrare licuerit: Indiam penetrauit, orbes condidit, scripsit leges, tot eius acta leguntur, vt legendo fatigare possint hominem, quæ vero parata reliquit ad bellum, etiam maiora sunt gestis, adeo vt Cæsar ad eius statuam ingemuerit. Quid quod duo præclara dicam solum ex Plutarcho, Persas instruxit Macedonum militia, totam Asiam Græcis literis ac moribus imbuit, adeo breui spacio temporis, vt multis seculis Romani id impetrare non potuerint.

CAPVT XXIII.

Fabulosa de fulminibus & fulguribus,& de propriis eorum significatis.

QVod maximum est circa fulmina fulguráque ex fabulosis inuentis, nunc referam à Pierio sumptum subiicere volo.Is enim libro xliij.hæc habet:Numa Pōpilius eliciendorum fulminū rationem tutam inueñit.Nam cum quondam occulta sacra ad fulmina expianda noscere cuperet, Egeriam consuluit, quæ respondisse fertur, vt Auentinum peteret, & fontem qui in antro quodam erat melle & vino generosiore imbueret, quò solebant hora certa dæmones dico sitibundo conuenire, hi erant Picus & Faunus. Curaret vero ille sibi latebras, in quas abditus ab aduenientibus illis non conspiceretur, ipse tamen fontem intueretur, disponerétque per fontis marginem retia, pro vt opportunum sibi videretur. His peractis dij venerunt, & potus allecti suauitate multum ebiberunt, tandem sopore grauati, ibidem vbi constiterant, somno se prostrauere, quos ita grauatos Numa implicuit in rete. Qui videntes se captos, in varias se formas transformabant, sed cum nihil quicquam proficerent, ad veras tandem effigies rediere. Numámque vt tertia solueret, orauerunt. Rex se non prius retia soluturum dixit,quam de placando Ioue docerent. Illi & hoc docuerunt,qua ratione cœlo Iupiter eliceretur, quoque modo fulmen expiaretur, vnde Ioui Elitio nomen datum, cuius templum in Auentino positum, vbi res hæc contigerat.

Fulgurum quoque ac fulminum significata,ingentem gloriam, sed quæ breui destitura sit, seu significari ratione seu hominis ostendunt:

ostendunt: idque etiam si visa sint per somnum. Olympiadi inter cætera nocte quæ antecessit concubitum cum Philippo, visum est, tonitru audire, & ex eo fulmen in vterum descendisse, ex quo maxima flamma excitata sit, quæ diffusa ingens excitauerit incendium. Quo significato atque portento nihil verius apparuit in Alexandri fortuna secunda, vita breuissima. At Syllæ facta egregia, potentia summa, vita satis longa, sed deposita Dictatura perpetua, quam assumpserat, omnia in fumum redacta sunt, tota etiam eius stirpe extincta. Omitto nugas illas fulminum & tonitruorum orationum, velut de Peride prædicari solitum fuit. Illud adiiciam, non tam prosperos esse fulminum casus secundos quàm præposteros timendos. Pompeio aduersus Cæsarem eunti, quam habiturus esset fortunam, declararunt fulmina & fulgura & tonitrua aduersa. Neruæ redeunti ex Hispaniis vt imperaret, seu dij, vt illi tum credebant, seu casus, aut Deus omnium præscius, seu ratio quædam recondita (nihil enim aduersus naturæ decreta, sed multa nimis contra ea quæ nos existimamus esse fulmina, tonitrua, tempestatésque aduersæ) declararant, non solum imperio non diu potiturum, sed potius contra etiam vitam amissurum. At diuini ignes bonam fortunam prætenderent C. Cæsari in castris contra eundem Pompeium militanti. Pila ardentia nocte in apice Seruij Tulli, caput ardens ex simili conditione ad Regiam euexit. Similiter & L. Martio concionanti in Hispania, cum equos solum esset, flamma in capite resplendens effecit, vt dux militum crearetur, exercitúsque quos proconsules sustinere non potuerunt, fregit, inclytásque res gessit. Velitris quoque ictus fulmine munus declarauit potentia Augusti, qui eo ex oppido oriundo seu municipio fuit, adeò vt ciues hi cum responsum aruspicum malè interpretarentur, existimantes hoc pertinere ad totum oppidum, quasi portenderet eis orbis imperium, assidui cum Romanis, & ad internecionem vsque rebellando sæpius depugnauerint. Adeò etiam optima quæque si eis sinistrè vtaris, aut impendenter exitium pariunt. Sed neque tamen curior cum vim fati tollere potest, talia ergo lati hominis sæpe fuere. At aniles fabulas & translationes grammaticis relinquat, vt habeant & ipsi quod rodant.

CAPVT XXIV.

Derelicta & operis peroratio.

HÆc igitur de fulminibus atque fulguribus tum tonitruis, breuiter dicta sint, in quibus ob secundum quod quæ adimant aliquid integri infausta sunt, aut si perfectam rem reddant imperfectam, velut de fulmine quod C. sustulit ex Augusti nomine, præsertim quod (vt Suetonius narrat) relinquebatur Æsar, quod Deum significabat Etrusca lingua, itaque & intra centum dies in morte habendum in numero Deorum, quod & euenit meo tempore, vt narrat Federicus Nausea, accidit in ortu Caroli, filij vltimi Maximiliani nunc Imperatoris, prodigiis antiquis adnumerandum. Quo enim die natus est infans, regia de cœlo tacta est, vbi sacro fonte leuandus fuit, iterum tacta, dum in templo sacris initiaretur infans, intus templum tactum est, demum etiam regia iterum, dum domum relatus esset. Et quidem nihil simpliciter pronunciari debet, etiamsi velimus fidem adhibere prodigio, quod certè miraculo proximum est, nisi adhibitis distinctionibus, de quibus supra acta est. Sed si sereno tempore tonuerit, id multifariam accidere potest, omnia ad naturæ maiestatem retrahere conducit, sed prudenter aliter silere, nisi manifestam vim numinis sentiamus. Ergo primum id contingere poterit, specu aliquo terræ aperto, vt plerunque in terræ motibus contingere solet, aut si qui in radice montis habitent, velut Bononiæ addita post mortem nube: vel si strepitus aliquis procul exaudiatur grauis, & incenditur, quod maximè contingere potest nostra ætate ob machinas, vt humana nunc fulmina plus cœlestibus verenda sint. Sed & fulmina, aut fulgura videre sereno cœlo contingit, velut & tonitrua audire, ob montem qui interiaceat, vel si procul sit nubes, vt videri præ tenuitate non queat, vt in fulgetris dictum est alia ratione præstantiore, qua visæ sunt faces deferri cœlo sereno & lapides ardentes qui postmodum cecidere. Et vt stellæ illæ quæ è cœlo descendere videntur, fieri enim potest antiperistasis illa à solo frigore ventorum & regionis, non coacta nube vi ventorum, vicem nubis explente, necessarium est tantos adesse ventos, aut etiam quatuor, duos infernos qui vaporem superius velut torcular exprimant, & ipsos superiores, qui concurrentes cogant illum, & refrigerant, & in superiorem partem, velut ex fistula & imbribus masculo maximo enim cum vapore admodum exusto sint quinque, & ob id raro euentu contingunt, cum quinque hæc non solum in vnum concurrere sit necessarium, sed apposité disposita. Manifestum est autem, quod inter hæc duo extrema, nubem scilicet, nigram nubem & nullam prorsus, multa sunt media, velut nubes tenuis, vel exigua, cum cœlum tamen dicamus esse serenum, & alba: atque in omnibus fulmen & fulgur emitti potest tanto sæpius, quàm cum nulla, quanto rarius, quàm cum densa, ampla, & nigra. Contingit tamen emitti, vt etiam tres soles videri, & coronam, atque iridem simul, ac talia multa, in quibus cum plura conuenire necesse sit, conueniunt tamen quasi necessariò, seu ob vices rerum, seu repetitis sæpius ac multipliciter casibus. Sed & fulmina contingere possunt, faciliúsque fulgura: postquàm & dum terra tremit, magna cum admiratione, & attonitis hominibus, & post diuturnas siccitates atque ardores immensos, quasi conflagrante orbe, vt referunt quandoque, visum mare diuulsum, & ad multam horam conflagrasse: est

est enim salsum & ob id pingue. Hæc omnia affinia fulminum & fulgurum generationi, velut casibus lapides, qui in arboribus inueniuntur, quorum meminit Plinius: nec sunt rari exempli, cum quotidie inueniatur arena in arboris foramine inclusa: inde circumtenso cortice, & arbore crescente, velut in oleastro de Megaris, de quo Theophrastus refert inuenta esse & alia quædam Attici ritus. Sed non ita simpliciter accipere oportet hæc, quinimò lapillus, aut modicum arenæ ardentis inclusum arbori primum exurit interiora, & excauat arborem, nullo relicto etiam signo in cortice, inde extinguitur.

Lib.16. c.39.

1. de plant. hist. c.3.

Quod vero inaruit eius fauillæ reliquiis adijcitur, & humorem arboris concretum, auxilio spacij intus relicti ac temporis tamdiu augetur, donec totum impleuerit & adhæserit patentibus cauitatibus interioris arboris, demum vbi attigerit etiam lapis augetur iisdem causis vlcere perarefacto, & sanie arboris concurrente, vt semper ei affixus videatur, vt hunc lapidem & fulmineum & arboreum, meritò possimus appellare: quandoque etiam in ingressu diuiditur, & constrictus iterum coalescit. Referunt ad continendos fœtus gestanti plurimum prodesse.

FINIS.



ELENCHVS



ELENCHVS

RERVM ET VERBORVM,

Insignium quæ in hoc Secundo Tomo habentur.

Nota Primum numerum denotare paginam & Secundum eiusdem paginæ columnam.

Ambitiosi,

D.

D.

Eumetris.

Fæminæ

Inconstans.

Intellectus

L.

Locorum

Oſtentatio.

pueri

Quinam

Sepelire.

Sygibertus.

Ptolomæo

Vitiorum

FINIS.